This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Digitized by Google

16-2.

BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
13 1 8
E. 64 C. 4 N. 8

Digitized by Google

oer
N 17786

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS QUINTUS.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

Digitized by Google

Girolamo Frezza scul: Roma con lic de supe

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

9(45)
55m

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,

ALIARUMQUE INSIGNIUM

BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS QUINTUS.

Antonius Gregolini inu. et del. *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXIV.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Tom. V. ad Elogium

Herroni inuenit.

Zucchi Sculp.

Digitized by Google

EMIN.MO AC. REV.MO

PRINCIPI.

BENEDICTO.

HERBAE. ODESCALCHO.

S. R. E. CARDINALI.

ARCHIEPISCOPO. MEDIOLANENSI.

PATRI. PAUPERUM.

ECCLESIASTICAE. DISCIPLINAE. RESTITUTORI.

DOCTRINA. PRUDENTIA. ET. MORUM. SANCTITATE.

CONSPICUO.

TOMUM. HUNC. RERUM. ITALICARUM.

DEBITUM. PASTORI. SUO. MONUMENTUM.

OBSEQUII.

MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCII.

D. D. D.

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Digitized by Google

Digitized by Google



H. Feroni del. Caietanus Bianchi Sculp. Mediol.

EMIN.^MO AC REV.^MO PRINCIPI

BENEDICTO

HERBÆ ODESCALCHO

S. R. E. CARDINALI

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

PHILIPPUS ARGELATUS

S. P. D.

Præclarâ equidem ſententiâ, quæ in commune deinde ceſſit adagium, fertur olim Anaxagoras inter Græcos ſapientiſſimus Periclem amicum ſuum corripuiſſe:

Ω ΠΕΡΙΚΛΕΙΣ, ΚΑΙ ΟΙ ΤΟΤ ΛΤΧΝΟΤ ΧΡΕΙΑΝ ΕΧΟΝΤΕΣ, ΕΛΑΙΟΝ ΕΠΙΧΕΟΤΣΙΝ: *hoc eſt:* O Pericles: qui lucerna egent infundunt oleum. *Is enim, teſte Plutarcho, cùm in adminiſtranda Republica Periclem conſilio, & ſapientia ſua plurimum juvaſſet, ſenectute jam gravis, ab amico minùs officioſo negligi*

Digitized by Google

gligi putans, inediâ vitam finire decreverat; quamobrem accurrens Pericles, dum publica negotia, quibus assiduè detinebatur, in excusationem recenseret, neve se in tanta rerum occupatione relinqueret instantissimè precaretur, amarulento quidem responso quale sit in beneficos homines officii debitum, non sinè pudore cognovit. His moniti Palatini Socii atque Ego, quam possumus acceptorum beneficiorum gratiam publicè rependimus; nostra enim interesse putamus memores gratosque nos existimari. Oleum itaque, ne ab adagii metaphora discedam, pleno lecytho infundimus: egemus enim lucerna; neque Te Pastorem nobis Divinâ providentiâ datum dedecere puto lucernæ comparationem, quæ Sacrarum etiam literarum usu probata est. Lucerna pedibus nostris verbum tuum, & lumen semitis nostris *nonne de Pontifice ac Religionis Magistro jure quidem optimo dixerimus? Nonne virtutum tuarum exemplum tamquam* lucerna splendens super candelabrum sanctum? *En igitur* oleum de olivis puriſſimum ac lucidum ad concinnandam lucernam: *sudores nempe nostri, gratiarum actiones, & prona in Te Palatinorum Sociorum obsequia: utinam & ad incolumitatem tuam longævos etiam annos infundere possemus, quos Tibi communi omnium bono à Superis assiduè precamur. Accedit exiguum quoque munus, quod sociali nomine humiliter offero, Tomum scilicet V. Rerum Italicarum; sed in munere debitum retribui-*

Digitized by Google

buimus, ne modeſtiâ tuâ recuſares; plura namque continet, quæ tua ſunt, quæque nos Te largiente læti accepimus, & literatis omnibus viris per typos noſtros communicavimus. Aucta eſt collectio noſtra munificentiâ tuâ, qua inſignem Bibliothecam Metropolitani hujus Capituli libentiſſimè reſeraſti, & MSS. Codicum, quos in eam Franciſci Philelphi liberalitas, & S. Caroli prædeceſſoris tui ſingularis cura contulerat, copiam feciſti, unde nobis inter plures Hebræos, Græcos, & Latinos Scriptores, veluti è latiſſimo campo flores decerpere licuit, qui coronæ Italicarum hiſtoriarum intexendæ decentiùs convenirent. Neque una tantùm de cauſa non ingratum Tibi futurum confidimus; nam erit aliud muneri pretium, ſi ad ea, quæ aliunde conquiſivimus oculos vertas; ad Cumanum videlicet tuum, ſive Comenſem Anonymum Scriptorem, qui, carmine licèt inculto, inſignem Patriæ tuæ cladem ſumma fide deſcripſit. Sed quæ umquam delectatio oriri poterit ex memoria calamitatum? Naſcetur equidem, PRINCEPS EMINENTISSIME, à comparatione veteris & præſentis fortunæ, juvabitque fumantem adhuc hoſtilibus flammis ornatiſſimam urbem cogitatione intueri, ut majorum curam in ea inſtauranda commendes, & rideas fortunæ luſum, ceu qui naufragium paſſus toto niſu in terram ſe recipiens, ad mare converſus & periculi vaſtitatem, & ſalutem ſuam confirmato animo revolvit. Erit etiam & Comenſibus tuis

Digitized by Google

non exiguum lætitiæ argumentum, cùm inter afflictas olim ſuorum familias felicitatem nunc Tuæ admirantur, totque in unam uno tempore collatas dignitates, quas pluribus illuſtrandis adhibitas nobiliſſima quæque Civitas magnifaceret.

Et ſanè vix in ulla umquam Republica, ubi faciliùs perſonis ſingulis, quàm familiis bonos habetur, diſtributas in capita tot dignitates ſub uno tecto numerabimus. Sed hoc in familia tua domeſticæ virtuti tribuendum erat, ut qui Majorum veſtrorum exemplo inſtituti ad bene gerenda publica munera idonei omnes judicamini, ſinguli traditam fidei veſtræ Rempublicam adminiſtraretis. Hinc Marchio Antonius-Maria pater tuus in hoc Mediolanenſi Senatu conſiliorum gravitate ac prudentia diu commendatus, ad maximos Togæ honores aſcendit, atque inter Regentes Regiam Cancellariam, ut vocant, cooptatus, eam nomini ſuo famam comparavit, quam nulla ætas de memoria noſtrorum excuſſerit. Te verò, cui Pontificiam in hanc Sedem, & Ordinis amplitudinem evecto vix aliquid ſupereſt optandum, par doctrinæ pietas ita delatis honoribus dignum oſtendit, ut non ſatis virtutibus tuis retributum fateantur omnes, niſi ad ſupremam etiam humanarum dignitatum aſcendas. Magnæ quidem fratri tuo Balthaſſari Brachiani Duci opes, & dignitates, ac illuſtres cognationes, ut privatorum ſortem propemodum excedere videatur feudorum amplitudine, ac decore,

Digitized by Google

core, non in Italia ſolùm, ſed & in Hungaria, ubi latiſſima Sirmii dominatione proximum Regio faſtigio locum occupat, præclarâ illius principatus coronâ conſpicuus, qua Regum eorum filii honeſtabantur. Sed quis cùm ad ejus comitatem, affabilitatemque ſermonis, ad beneficentiam, & pietatem reſpexerit, cum Odeſcalchorum fortunis virtutes etiam in eum translatas non commendet? Quid dicam de ceteris fratribus Marchione Alexandro-Maria, & Marchione Hieronymo, quorum primus Regio adminiſtrando Ærario Quæſtoris munere præpoſitus, & in ampliſſimum alterum Ordinem, quem penitioris Conſilii vocant adlectus, Senator alter ita paternam imaginem doctrina, & quæ propria eſt Gentis tuæ, morum ſuavitate repræſentant, ut ſicuti honore patri proximi, ita & meritis cum eo de gloria, & publica laude certare videantur, qua uterque à bonis omnibus cumulatur. Poſtremus verò Abbas Innocentius-Maria, qui tecum ſacræ militiæ nomen dedit, largitione in pauperes & Chriſtianarum virtutum exercitatione, tuis adeò inhæret veſtigiis, ut ne latum quidem unguem à virtutibus tuis diſcedat; atque in Te abſolutum numeris omnibus Paſtoris officium, in eo minorum Sacerdotum modeſtiam, & Religionem admiramur, quo nobis utriuſque vitæ exemplum è tua ſit Familia petendum.

Aſt ego, PRINCEPS EMINENTISSIME, dum tuorum ſplendore ac virtutibus rapior, ſi ad præcipuas tuas me convertam, vix animo

ſuc-

Digitized by Google

ſuccurrit in hac tua Sacrorum poteſtate, ac ætatis robore, quem fingere mihi præſtantiorem poſſem, niſi priſtinæ ſeveritatis Epiſcopos in memoriam revocem, quos imitatione, ac morum innocentia iterum in Te nobis reddidiſti; unde hac omnibus admiratione dignus videris, quòd laxata jam vetus Eccleſiæ diſciplina, & Chriſtianæ pietatis ſtudium ad voluptatem translatum eſt. Meritò igitur in ipſo tuo ſacræ militiæ tyrocinio dignitates eas es conſequutus, quas alii ſibi poſt longam ætatem comparaverint. Antevertit enim ætatem tuam virtutum cumulus, & Mediolanenſium fortuna, quæ Paſtorem ſibi expetebat. Vix enim Ferrariæ ac Bononiæ prima prudentiæ ſpecimina exhibuiſti, Vicelegati, quem dicunt, munere feliciter functus, ad Polonicam legationem dimiſſus, Cardinalitia dignitate donatus es, cùmque apud inclytum Regem non vulgarem gratiam iniſſes, id etiam honoris acceſſit, ut ex ipſius manu frequenti pompa inſigne novæ dignitatis acciperes, & certaſſe propemodum cum Romano Pontifice Regem de augenda dignitate videretur. Sed antequam Sacræ Purpuræ honorem acciperes Archiepiſcopus Mediolanenſis renunciatus, dum adhuc Varſaviæ eſſes, dignum Te Ambroſiana ſede ſtatim oſtendiſti, quòd refugeret animus ponderis gravitatem, domeſticum etiam exemplum hæſitatione tua imitatus, Benedictum nempe alterum gentilem tuum ex Dominicana familia, quem PIUS V. invitum ad Caſalenſem ſedem evexit.

Sed

Digitized by Google

Sed Mediolanenſium fortunæ, qui Te in album illuſtrium Civium ultro ſcripſerant, publico bono, & felicitati noſtræ, vel ipſo Te judice, dandus eras, imò pauperibus, quos perpetuis largitionibus foves, & recreas; dandus eras Religioni, & moribus, ut eam doctrina, & pietate firmares, hos exemplo, & caſtigatione coërceres. Age itaque, PRINCEPS EMINENTISSIME, ne modeſtiam tuam diutiùs lædam, ſi ſingula recenſeam quæ geſſiſti, Collegia videlicet Sacerdotum inſtituta, unde in univerſam latiſſimam Diœceſim prædicatio frequens Verbi Dei diffunderetur, Gynecæa ſervandæ virginum honeſtati à fundamentis erecta, Eccleſias ære tuo inſtauratas, atque alia hujus generis innumera. Age, inquam, INNOCENTII XI. Pont. Max pronepos, his artibus potiùs, quàm cognatione ac nomine nobis exhibe, ut jam cœpiſti, gratiſſimam univerſo Terrarum Orbi Sanctitatis memoriam. Inter Sacrarum verò Literarum ſtudia, humanis etiam, & noſtris potiſſimum Hiſtoriis noctium tuarum partem concede: non inutile quippe futurum affirmare auſim; ſi diſtinctiùs noveris, quæ Prædeceſſores tui per varias temporum, & rerum viciſſitudines geſſerint; plura namque collectio noſtra publici juris fecit ad Mediolanenſem Eccleſiam pertinentia, quæ hactenus latuerant. Et ſi quid commodi lectio iſta umquam attulerit, Palatinos Socios benevolentia tua proſequere, meque Tibi multis nominibus addictiſſimum. Id ego contra rependam ut pro incolumi-

Digitized by Google

lumitate tua vota ex intimo corde perſolvam. Vale.

Dabam Mediolani III. Kal. Octobris anni MDCCXXIV.

Digitized by Google

ELENCHUS
TOMI QUINTI.

CHRONOLOGI antiqui quatuor: HEREMPERTUS LANGOBARDUS. LUPUS PROTOSPATA. ANONYMUS CASINENSIS. FALCO BENEVENTANUS cum appendicibus Hiſtoricis; ab his variæ exterarum gentium in Neapolitanum Regnum irruptiones, prœlia, & illatæ, aut exceptæ clades, breviùs, fuſiùs, inculto quidem, ſed veridico ſtylo deſcribuntur. Opera, ac ſtudio *Antonii Caraccioli* ex Ordine Cler. Regul. Presbyteri; Qui NOMENCLATOREM, & PROPYLEA, ut vicem Commentarii ſubeant Operi addidit. Nunc verò in præſenti Editione junguntur Caſtigationes *Camilli Peregrinii*, unà cum aliis nuperis additamentis, ac ſupplementis ex MS. Codice Caſinenſi. pag. 1

CHRONICON ANONYMI CASINENSIS nunc primùm in lucem prodit ex MS. Codice Bibliothecæ ejuſdem Monaſterii ſignato num. 62. aliàs 1020. pag. 135

CHRONICON IGNOTI CIVIS BARENSIS, ſive LUPI PROTOSPATÆ, cum Notis *Camilli Peregrinii*. pag. 145

HISTORIÆ PRINCIPUM LONGOBARDORUM Liber Secundus, qui continet Diſſertationes de Inſtitutione, Finibus, & Deſcriptione antiqui Ducatus Beneventani, cui adjicitur Series Abbatum Caſinenſium à Petronacio Brixiano, & ab anno DCCXX. ad Abbatem Rainaldum Calamentanum, & ad annum MCXXXVII. Demum Diſſertationes tres, nempe de Colimentana Familia, de ſignificatione nominis Porta, & de antiquo ſitu urbis Capuæ. Auctore *Camillo Peregrinio Alex. Fil. Campano*. pag. 159

GUILELMI APPULI Hiſtoricum Poëma de Rebus Normannorum in Sicilia, Appulia, & Calabria geſtis, uſque ad mortem Roberti Guiſcardi Ducis, ſcriptum ad filium Rogerium, cum Notis Clariſs. Virorum *Joannis Tiremæi*, & *Godefridi Guilielmi Leibnitii*. pag. 245

CHRONICON breve NORTHMANNICUM ab anno MXLI. uſque ad annum MLXXXV. Auctore Anonymo nunc primùm è MSto Codice Neritinæ Eccleſiæ erutum. pag. 278 (I)

GESTA TANCREDI PRINCIPIS in expeditione Hieroſolymitana. Auctore *Radulpho Cadomenſi* ejus familiari, cum obſervationibus Clariſſimorum Virorum *Edmundi Martene*, & *Urſini Durand* Presbyterorum Monachorum S. Benedicti è Congregatione S. Mauri. pag. 279

VITA MATHILDIS COMITISSÆ, celeberrimæ Principis Italiæ, Carmine ſcripta à *Donizone Presbytero*, & *Monacho Canuſino* Ordinis Sancti Benedicti, cum Codicibus MStis nuper collata, & in præſenti editione caſtigatior, multiſque verſibus aucta. Accedunt breves Notæ *Godefridi Guilielmi Leibnitii*, & *Ludovici Antonii Muratorii*. Item Chartula Comitiſſæ Mathildis ſuper conceſſione bonorum ſuorum facta Romanæ Eccleſiæ. Pariter Relatio de Theſauro Canuſinæ Eccleſiæ Romam tranſmiſſo, & recompenſatione facta. pag. 335

VITA COMITISSÆ MATHILDIS Oratione ſoluta ab Auctore Anonymo ſcripta, & ex MS. *Franciſci Mariæ Florentini* à *Guilielmo Godefrido Leibnitio* primùm edita. pag. 387

ANONYMI NOVOCOMENSIS CUMANUS, ſive Poëma de Bello, & Excidio urbis Comenſis ab anno MCXVIII. uſque ad MCXXVII. nunc primùm è MStis Mediolanenſibus, & Comenſibus in lucem prodit. Accedunt Caſtigationes, & Notæ *D. Joſephi Mariæ Stampæ* è Somaſchenſi Congregatione. pag. 399

LANDULPHI JUNIORIS, ſive DE SANCTO PAULO, Hiſtoria Mediolanenſis ab anno MXCV. uſque ad annum MCXXXVII. nunc primùm prodit ex MStis Codicibus Metropolitanæ Mediolanenſis Bibliothecæ. Accedunt Notæ *Joſephi Antonii Saxii* Ambroſianæ Bibliothecæ Præfecti. pag. 459

CARMEN de Laudibus Bergomi MAGISTRI MOYSIS BERGOMATIS, qui circiter annum Chriſti MCXX. floruit, à *Mario Mucio* olim editum, nunc autem ope MStorum expurgatum, ac ſuæ integritati reſtitutum. pag. 521

GAUFREDI MALATERRÆ Monachi Benedictini Hiſtoria Sicula ad fidem veterum MStorum à *Joanne Baptiſta Caruſio* edita; Nunc iterum cum prioribus editionibus collata, multiſque mendis expurgata. pag. 537

ALEXANDRI TELESINI CŒNOBII ABBATIS de Rebus geſtis Rogerii Siciliæ Regis libri quatuor, in præſenti editione cum veteribus collati, & ſummâ Capitum ad Lectorum commodum diſtincti ac exornati. pag. 607

EJUSDEM Alloquium ad Regem Rogerium. pag. 644

INDEX Rerum, & Nominum. pag. 647

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONOLOGI
ANTIQUI QUATUOR
HEREMPERTUS LANGOBARDUS
LUPUS PROTOSPATA
ANONYMUS CASINENSIS
FALCO BENEVENTANUS

CUM APPENDICIBUS HISTORICIS.

Ab his variæ exterarum gentium in Neapolitanum Regnum irruptiones, prœlia, & illatæ, aut exceptæ clades, breviùs, fuſiùs, inculto quidem, ſed veridico ſtylo deſcribuntur.

OPERA, AC STUDIO

ANTONII CARACCIOLI

Ex Ordine Cleric. Regul. Presbyteri;

Qui Nomenclatorem, & Propylæa, ut vicem Commentarii ſubeant Operi addidit.

Nunc verò in præſenti Editione junguntur CASTIGATIONES CAMILLI PEREGRINII unà cum aliis nuperis additamentis, ac ſupplementis ex MS. Codice Caſinenſi.

BIBL... CAS...
...BENEDICT...

Digitized by Google

Digitized by Google

IN CHRONOLOGOS
AB ANTONIO CARACCIOLO
EDITOS.
MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN Praefatione ad *Erchempertum*, quae ad horum Chronologorum editionem ſpectabant, paucis innui. Nunc repetendum, me heic rurſus dare *Erchemperti* Hiſtoriam, quamquam illam ſupra acceperimus a Camillo Peregrinio. Id factum, ut cunctis pateat, quid diverſitatis intercedat inter Caraccioli, ac Peregrinii editionem. Huc autem penes textum Hiſtoriarum *Lupi Protoſpatae*, *Anonymi Caſinenſis*, & *Falconis Beneventani*, inſerui Caſtigationes, & Notas ejuſdem Peregrinii, ut Lectores haberent ſub uno oculorum intuitu, quae hucuſque in duobus diverſis Libris conquirenda fuere. Quid vero praeſtiterim ego in praeſenti editione, quod eſt ad *Anonymum Caſinenſem*, infra ſuo loco ſignificabitur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILL.MO, ET EXC.MO DOMINO
MARCO ANTONIO
DE LOFFREDO
MAIDÆ PRINCIPI.

ANTONIUS CARACCIOLUS
CLERICUS REGULARIS.

Veram Felicitatem.

EX omnibus Hiſtoriæ elogiis ab Oratore ſummo, breviter quidem, ſed ut omnia ille ſolet, diſertè, ornatèque prolatis, nullum profectò, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, me magis movit, ut Chronica hæc è veterum Bibliothecarum tenebris in ora hominum edere maturarem, quàm quod, eo monente, didici, *Hiſtoriam lucem eſſe Veritatis, & vitæ magiſtram*. Cùm enim Clericorum partes ſint, ut B. Hieronymus ad Heliodorum ſcribit, docere populos, & ſalutari paſtione animos reficere Chriſtianos, meritò equidem eundem Hieronymum, Proſperum, Gregorium Turonenſem, Adonem Viennenſem, Antoninum, alioſque pæne innumeros, Sanctos, & religioſos viros imitatus, cenſui huic muneri, ac ſcopo non eſſe prorſus ineptam Chronicorum editionem, per quæ quiſque poſſit, *ſedendo & legendo*, ut Diodorus Siculus ait, *alieno periculo evadere ſapiens: atque in humanæ vitæ theatro, quod Hiſtoria repræſentat, exempla omnigena capere, eaque ad uſum in re qualibet cum utilitate traducere*. Quos quidem fructus ex his etiam Chronicis à cordatis Lectoribus ſpero perceptum iri. Exiſtimo enim haud facilè alibi occurrere tantam humanorum caſuum varietatem, tam denſas ubique turbas, tot excidia Oppidorum, & Urbium, tantum barbarorum gladio effuſum cruorem, tam crebras denique, atque immanes rerum profanarum & ſacrarum clades, quot, quantæque parvo hoc libro, non dico, narrantur, ſed quaſi in acervum accumulatæ, lectoribus, ut oculos, & mentem intendere velint, objectantur. Hæc verò quis non videat habere linguam ſuam, & pleno ore clamare; *Specta homo quiſquis es, & ad turbida, ſi ingruerint, tempora animum firma conſtantibus exemplis?* Infanda hîc legis facinora, & quæ vix audeas picta, aut ſcripta aſpicere? At ipſa etiam immania ſcelera magno eſſe poſſunt emolumento, ſi ſceleſtorum extrema conſiderentur. Exempla ex hoc libro ſeligamus illuſtriora. Cernis hîc quidem Landulphum, & Pandulphum Capuanos, Sergium, & Athanaſium Neapolitanos, Docibilem Cajetanum, Sicardum, & Adelgiſium Beneventanos Duces, Rogerium item, & Gulielmum filium, Siciliæ Reges, nefariis artibus aggregare opes, dilatare ditionis terminos per finitimorum exitium, juris nomine depauperare ſubjectos, Religionem habere quæſtui, atque, ut dicam breviter, terræ miſcere cœlum, verùm his ipſis artibus, miſeri, perniciem ſibi, poſteriſque, & magnam, & certam comparabant:

nam

Digitized by Google

—— —— nam conſtructa per impios
Fundamenta dolos, quo magis editum
Culmen ſuſtulerint, magis
Improviſa ruunt præcipiti malo.

Enimverò, ſi aliis, ne longiores ſimus, omiſſis, unum ſolummodò Docibilem, Cajetæ Ducem, proferamus in medium, conſpicuum ſanè in eo poſteriſque ejus divinæ ultionis exemplum apparebit. Is quippe inconſtans, & vafer, impiis Sarracenis, quos adverſus Capuæ Comitem, & Joannem VIII. Pont. Max. advocaverat, modò fœderatus, modò ut Catholici ſpeciem præſeferret, adverſarius, denique detracta ſibi larva, totum ſe illis dedidit, loco iis ad Lirim fluvium tutiſſimo, quò jurati Chriſtianorum hoſtes Campaniam, Latium, & ipſam Urbem Romam ex inſidiis ſubinde invaderent, ac populabundi diriperent, aſſignato. Putabat verò Docibilis, ſe Sarracenorum præſidio communitum, rebus ſuis, ac poſterorum egregiè proſpexiſſe: ſed brevi, ultore Deo, factum eſt, ut Cajeta à Loffrido Nortmmano Duce obtenta, tota ejus poſteritas de loco, ac dignitate ceſſerit. Quo vel unico exemplo ſatis apparet, veriſſimè ſcripſiſſe Livium, *Conſilia callida, & audacia, prima ſpecie læta, ſucceſſu dura, eventu triſtia eſſe*. Sed hoc argumentum latiorem multò campum, quàm hujus unius epiſtolæ poſtulat. Itaque eo omiſſo, ad Te accedo propius, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, & quia Loffridum Cajetæ Ducem nominavi, quo Gentili ſuo longè clariſſimo Loffredorum proſapia meritò gloriatur, arbitror, librum hunc, quem Tibi libens nuncupo, Tu & grato animo accipies, & identidem haud illibenter evolves. Poteris quippe complures Loffridos Normannorum Proceres, hîc memoratos, veluti ſplendidiſſima Stirpis tuæ ſidera recognoſcere. Quamquam enim ii indicati potius à Protoſpata ſunt, quàm deſcripti, elucent tamen in paucis verbis, eorum geſta aliquot adeò clara, ut obſcurari prorſus vetuſtate temporis non potuerint. Itaque erit Tibi nonnunquam oblectamento, tuam in illis pietatem, religionem, munificentiam, virtuteſque alias, Principe Viro dignas, recognoſcere. Quas mihi tamen nunc exornare verbis non eſt locus, neque animus, tum, ne Tibi aſſentari aliquo modo videar, tum etiam quia laudum tuarum narrationem ægrè tua modeſtia pateretur. Vale.

Neapoli III. Id. Auguſti MDCXXVI.

ANTO-

Digitized by Google

ANTONII CARACCIOLI
PROPYLÆA.

CUm in his Chronicis, & maximè in Heremperti Epitome, sæpè fiat mentio Beneventi, Salerni, & Capuæ Principum, necessarium duxi, horum seriem, veluti Propylæa quædam, præfigere Operi: nimirum, ut Lectores, hac qualicumque luce præditi, liberiùs in Historiæ cognitione possint excurrere.

Series Ducum, & Principum Beneventi, ex Paulo Diac., Heremperto, aliisque nonnullis.

Gothorum Regibus, qui per centum quadraginta circiter annos Italiam pressérant, Belisarii, & Narsetis virtute devictis, extinctisque, Langobardorum examina è Scandinavia Insula ad Italas regiones, evocante Narsete, anno Christi 568. convolarunt. Igitur Alboinus cum innumera barbarorum gentium multitudine Italiam prædabundus ingressus est, magnamque ejus partem armis occupavit, reliqua à Græcis vix retenta. Post tres verò Regni Langobardici annos, successit Alboino Clephon: quo post decimum octavum mensem à servo necato, Langobardi, ut odiosum Regis nomen evitarent, triginta Duces, qui eam Italiæ partem, quam armis ceperant, per Dynastias moderarentur, summo omnium consensu creaverunt: tametsi post decem annos, rursus ad Regem sibi eligendum, constituendumque redierint. In iis autem Dynastiis, primus Beneventi Dux

I. Zoto fuit, qui Dynastiam tenuit an. 20. Paul. Diac. de Gest. Langob. lib. 3. cap. 34. Is vivebat Guntramno Rege Francorum, & Authari Rege Langobardorum, uti elicitur ex Cap. 35. quo Paulus tradit, Autharim nonnullas Provincias Beneventano Ducatui subjecisse.

II. Aroges, sive ut alii vocant Arechis, ex nutricio Gisulphi Ducis Forolivii factus est Dux Beneventi ab Agilulpho Rege Langobardorum. Paul. Diac. lib. 4. Cap. 19. Præfuitque an. 50. Paul. Diac. lib. 4. Cap. 46. & Herempertus in Catalogo Ducum Beneventi. Meminit hujus Ducis S. Gregorius lib. 2. Regesti Epist. 32. vocatque Arogem.

III. Ajo Arogis filius an. 1. mens. 5. Paul. Diac. lib. 4. Cap. 46.

IV. Rodoaldus Gisulphi jam dicti filius an. 5. Paul. Diac. lib 4. Cap. 47.

V. Grimoaldus frater Rodoaldi an. 25. Paul. Diac. lib. 4. Cap. 47. Quod intelligi debet de 15. annis Ducatus, & 10. Regni simul junctis. Nam ex Duce Beneventi factus est Rex Langobardorum post mortem Ariperti, dum Bertaritus, & Godebertus filii stultè inter se de Regno dimicarent. Idem ibidem.

VI. Romoaldus Grimoaldi Regis filius, à Patre, ad Regni acquisitionem abeunte, relictus est Dux Beneventi data ei uxore Theodorada Lupi Forolivienſis Ducis filia, ex qua tres filios genuit, Grimoaldum, Gisulphum, & Arechim. Idem lib. 4. Cap. 53. & lib. 5. Cap. 25. Ducatum Romoaldus tenuit an. 16. Idem lib. 6. cap. 2.

VII. Grimoaldus II. jam dicti Romoaldi primogenitus Ducatum rexit an. 3. Uxorem habuit Wigilindam Cuniberti sororem, Berthariti Regis filiam. Idem lib. 6. cap. 2.

VIII. Gisulphus Grimoaldo fratri successit, præfuitque an. 17. Hic ex Winiberta uxore genuit Romoaldum II. Idem ibidem. Campaniam dirè populatus, Joannis VI. P. M. precibus vix placatur. Idem lib. 6. cap. 27. Platina in Joanne VI. Colennut. Hist. Neap. lib. 2.

IX. Romoaldus II. Ducatum gessit an. 26. Paul. Diac. lib. 6. cap. 55. Hic ex priore conjuge Guntberga Luitprandi Regis sorore genuit Gisulphum II. eáque mortuá duxit Ravigandam Gaidoaldi Brixiæ Ducis filiam. Idem lib. 6. cap. 50. Gisulpho autem ob pueritiam inepto regimini, Luitprandus Rex substituit nepotem suum, cui nomen

X. Gregorius, eique uxorem dedit Giselbergam. Hic Gisulphum puerum educavit, educatoque Conibergam conjugem junxit. Idem lib. 6. cap. 55. Vixit autem in Ducatu Gregorius an. 7. Idem cap. 56. eique, nondum adulto Gisulpho, successit

XI. Godescalcus, qui post tres Ducatus annos occiditur à Gisulphi sequacibus, ejusque uxor Annâ Constantinopolim, unde venerat, rediit. Idem lib. 6. cap. 57. Itaque

XII. Gisulphus II. jam ætate idoneus rectioni, Luitprandi patrui operâ Ducatum capessit. Idem lib. 6. cap. 58. tenuitque per an. 14. ut tradit Herempertus: qui & sequentium Beneventi Principum seriem sic habet.

XIII. Luitprandus an. 8. men. 3. Hunc puto Gisulphi filium.

XIV. Arechis an. 28. men. 6.

XV. Grimoaldus Arechis filius, an. 18.

XVI. Grimoaldus alter, cognomento Storesayg, an. 11. men. 1.

XVII. Sico exul de Civitate Spoletana, an. 12. mens. 2.

XVIII. Sicardus Siconis filius, an. 6. men. 10.

XIX. Radelchis an. 11. Iste Radelchis (verba sunt Heremperti in Cod. Boluit.) *incœpit principari anno Domini 840. & tunc Civitas Capuana de novo constructa est, juxta pontem in quo nunc est. Et tertio anno Principatus divisit Principatum Beneventanum à Principatu Salerni cum Sichinolfo filio Siconis Principis, & fratris Sicardi prædicti.*

XX. Radelgarius filius ejus sedit an. 3. men. 3. dies..

XXI. Adelchis frater ejus sedit ann. 24. men. 6. Hic à quibusdam vocatur Adelgisius.

XXII. Gaideris filius prædicti Radelgarii an. 2. men. 6. dies 19.

XXIII. Radelchis filius supradicti Adelchis an. 3. men. 8. dies 21.

XXIV. Ajo, Radelchis frater an. 6.

XXV. Ursus Ajonis filius an. 1. Postea dominati sunt in Principatu Beneventi per annos quatuor

XXVI. Sabbaticus, sive, ut alii appellant, Symbaticius, *Stratigò, &*

XXVII. Georgius Patritius, Græci, qui tunc temporis præerant in Apulia pro parte Imperat. Constantinopolitani.

XXVIII. Guido Marchesius postea tenuit Principatum an. 1. men. 8.

XXIX. Radelchis Princeps sedit an. 1.

Hactenus Heremperti verbis. Reliquos Prin-

Digitized by Google

Principes ex Platina, Colennutio, Sigonio, & Ammirato collegi.

XXX. Athenolphus Beneventi, & Capuæ Princeps, an. 15. Cujus successores Capuæ similiter Principes extiterunt.

XXXI. Athenolphus, & Landolphus filii, an. 32.

XXXII. Landolphus solus, mortuo patre Athenolpho, an. 4.

XXXIII. Pandolphus cognomento Capoferreus circa annos 15.

XXXIV. Landolphus II. Pandolphi filius, an. 17.

XXXV. Landenolphus an. 9. Hic in Ecclesia S. Marcelli à Capuanis occiditur.

XXXVI. Laidolphus Landenolphi frater an. 2. Eique ab Othone III. Imp. dejecto, suffitetur quidam

XXXVII. Ademarius: quo ob generis vilitatem à Capuanis pulso

XXXVIII. Pandulphus II. à S. Agatha dictus, Landolphi II. filius capessit Dynastiam, tenuitque an. 28. Eoque ab Henrico I. Imp. quòd ad Græcos defecisset, in Germaniam relegato, sufficitur

XXXIX. Pandolphus III. Theani Comes, qui Princeps fuit an. 3. donec videlicet

XL. Pandolphus à S. Agatha è Germania reversus, Dynastiam recuperavit, quam scelerate pressit per annos circiter 12. Tandem à Conrado Imp. dejectus est, eique successit Salerni Princeps

XLI. Guaimarius. Hic Principatum Beneventanum, & Capuanum tenuit an. 9.

XLII. Pandolphus III. jam dictus ab Henrico II. Principatui restitutus. Sed non diu post Pandolphus iste obiit.

XLIII. Pandolphus Pandolphi III. filius. Hujus Principis tempore Leo IX. P. M. Beneventum Rodulpho concedit.

XLIV. Rodulphus igitur iste inter Beneventi Principes numeretur, donec certiora comperiam. Post hunc

XLV. Humfridus Apuliæ Comes Beneventum occupat, cui successisse videtur

XLVI. Landolphus, Rodulphi jam dicti fortasse filius, aut frater. Hic cum aliis Ducibus, & Dynastis interfuit celeberrimæ illi Cassinensis Ecclesiæ Consecrationi, quam Alexander II. P. M. magnificentissimè exequutus est an. Sal. 1071. uti Acta ipsa Consecrationis, à nobis inferiùs ponenda, disertè tradunt.

Primordia Ducum Beneventi.

ENumeratis jam, quotquot reperire potui, Beneventi Dynastis, expedienda mihi, Lector, hoc loco est, haud sanè levis, difficultas de illorum Epoche; quo scilicet anno Dux primus Zoto regere cœperit Beneventi Dynastiam. Video enim varias de hac re Chronologorum, Historicorumque sententias. Herempertus in Catalogo Ducum Beneventi, quem Historiæ suæ præfixit, apertè tradit, ab ipso anno 568. quo Langobardi, teste Paulo Diacono lib. 2. de Gest. Langob. c. 7. Italiam cum Alboino Rege ingressi sunt, Zotonis Ducatum initium habuisse. Leo autem Ostiensis lib. 1. Chron. Cassin. c. 48. figit Beneventani Ducatus primordia ad an. Christi 571. scribit enim Ducatum Beneventanum perduraſſe annis 320. si numerentur anni à primo Duce Zotone usque ad 891. Christi annum, quo urbs Beneventi capta est à Symbaticio Græcorum Patricio. Si itaque ab annis 891. detrahantur anni jam dicti 320. reliqui erunt anni solidi 571. quo cœperit Zotonis Ducatus. Longè verò ab horum sententiis recedit Wolphangus Lazius lib. 12. de Migrat. Gent. asserens ab Rege Antharo, quem alii vocant Autharim, constitutum fuisse Zotonem Ducem Beneventi: citatque Paul. Diac. lib. 3. c. 16. Sed, ut mox ostendam, illi Paul. Diac. probè perceptus, minimè suffragatur. Sequi tamen voluit Lazium Sigonius, & hunc Lauretus, arbitrantes non ante Autharis Regis ad Samnites, Lucanos, Calabrosque accessum, atque horum provincias ab eo debellatas, & Zotoni Duci subjectas, Beneventanam Dynastiam incœpisse. Quocirca Lauretus statuit exordium Zotonis Ducis circa annum 587. secundo videlicet, aut tertio anno à Regni Autharis initio; quem cum Baronio, & Sigonio ait factum fuisse Regem Langobardorum an. 585. Denique Tursellinus in sua Historiarum Epitome opinatur non ab Authari, sed ab Agilulpho Rege creatum esse primum Beneventi Ducem, idque factum an. 591. videlicet anno primo Agilulphi Regis.

Ego verò post diligentem ejus rei considerationem, Ostiensis quidem tueri me posse sententiam confido, alias autem facilè mecum confutabit quisquis Historiam Langobardicam vel mediocriter noverit. Quocirca statuamus hic theses aliquot certas, & exploratas, è quibus rei gestæ veritas innatescat. In primis compertum, certumque est apud omnes, Zotonem viginti annis rexisse Ducatum. Ita habent Paul. Diac. lib. 3. de Gest. Langob. c. 34. Herempertus in Catalogo Ducum Beneventi, Leo Ostien. Pandulphus Colenn. Sigonius, & alii recentiores. Præterea certum quoque est, Arechim, sive, ut eum D. Gregorius vocat, Arogem, Zotonis successorem, an. Christi 592. creatum esse Ducem Beneventanorum. Id constat auctoritate S. Greg. Papæ, qui Epist. 32. lib. 2. Regist. scribens Joanni Episcopo Ravennati, dolet Arogem se junxisse cum Arnulpho, hosque duos Duces Langobardorum multas tetendisse insidias nostræ Neapoli. Scripta est autem ea Epist. Indict. 10. quæ proculdubio designat annum 592. uti rectè Illustriss. Baronius ad eum annum observat. Hoc ipsum solidissimè firmatur ex Paulo Diac. scribente lib. 3. c. ult. Agilulphum designatum esse Langobardorum Regem mense Novembri ejusdem anni, quo Autharis mortuus est; post Pascha verò sequentis anni eundem in Regno solemniter confirmatum. Quæ certè verba, veluti digito, indicant annum Christi 591. quo etiam baptizatus est Agilulphus. Nam Autharim, quem constat factum esse Regem an. 585. sex solos annos regnasse, ex eodem Paul. Diac. lib. 3. c. pen. certum est. Porrò cùm etiam certum sit, Arechim, sive Arogem factum esse Beneventi Ducem à Rege Agilulpho non multo post quàm ille Regnum iniit, videlicet eodem an. 591. vel summum, anno seq. 592. tum quia Paulus Diaconus inter prima gesta Agilulphi Regis, Arogem Ducem creatum narrat, tum etiam quia ex auctoritate S. Gregorii jam dicta, ad illum annum Ducem Arogem Baronius collocat, liquidò ex his sequitur non posse dari, uti sanè dandi sunt, Duci Zotoni annos 20. nisi ab anno 592. retrocedendo deveniamus ad annum 571. quo illum iniisse Beneventi Ducatum Leo Ostiensis tradit. Atque eadem ratiocinii, & argumenti vi necesse est omnes alias jam supra recitatas opiniones, simul corruere. Quomodo enim dabunt Zotoni viginti Ducatus annos ii, qui

Digitized by Google

qui eum, vel ab Authari Rege anno 587. vel ab Agilulpho anno 591. factum esse Ducem arbitrantur, cùm à 587. ad Arogem, non nisi quinque anni, & à 591. ad eundem Arogem, sive Arechim, pauci tantummodo menses, aut ad summum, vix unus annus interfit?

Herempertus similiter (si tamen Heremperti est ille Ducum Catalogus, qui pagellis ante initium ejus Historiæ scriptus habetur) aberrat à jam statuto numero 20. annorum Zotonis Ducis. Nam ab anno Christi 568. quo ejus Ducatum Herempertus exorditur, usque ad expletum annum 591. quo Arechis ab Agilulpho Rege factus est Dux, sunt anni solidi 23. vel fortasse 24. non autem 20. solummodo. Præterea videtur prorsus incredibile Langobardos, eo ipso anno 568. quo Italiam ingressi sunt, tantum terrarum acquisiviſse, ut non solùm Insubriæ, Istriæ, Venetiæque Civitates, quas primas citra Alpes invenerunt, sed etiam Beneventum, quod in 14. Italiæ regione à Paul. Diac. collocatur, dicto penè citiùs occupaverint, quasi tunc Itali omnes fuissent.

—— imbelles lepores, timidiq; cunicli.

Quòd verò Herempertus in eo Catalogo asserit Radelchim, *qui Sicardo succeſſit, iniisse Beneventanum Principatum anno Christi 840. id aliud profectò non est, nisi errorem errore cumulare. Constat enim ex Annalibus Gestorum Caroli Magni, & Ludovici Pii, auctore Britanno quodam Anonymo Histor. German. Tom. IV. cui, quòd Magister Caroli Magni, & eorum, quæ scripsit, ferè omnium oculatus testis extiterit, longè magis quàm Heremperto, aut cuivis alii credere debemus; constat, inquam ex hoc tam certo, gravique Chronographo. Siconem creatum esse Beneventi Principem anno 818. Huic verò, ipso Heremperto teste, pòst 12. annos, & menses duos, Sicardus filius hæres extitit Principatus, quem 6. annis, & mensib. 10. moderatus, Radelchim habuit successorem. Ini nunc mecum Lector has ratiunculas, & porrò invenies, à Zotone Duce usq; ad Radelchim non 840. sed vix 837. annos intercurrisse. Sed ejusce Catalogi mendorum in notis arithmeticis, quis unquam finis, si ea diligentiùs quis velit excutere? Quamobrem Catalogum Ducum Beneventi usq; ad Gisulphum II. non ex Heremperto, sed ex Paul. Diac. qui Herempertum plusquàm centum annis præcessit, hìc ego posui: ratus antiquiorem illum scriptorem, eumq; nuper Lugduni Batavorum ex veterum collatione Codicum, quantum fieri potuit, emendatè procusum, nobis utcumq; certiora suggerere. Et quidem, periculo facto, comperi, optimè convenire Pauli Diac. numeros cùm numeris tum Leonis Ostiensis, qui statuit, ut videmus, Zotonem Ducem ad annum Christi 571. tum etiam Codicis legum Langobardicarum, in quo legitur Constitutio quædam Grimoaldi, qui ex Duce Beneventi, factus est Rex Langobardorum, lata ab eo anno sexto Regni ejus, currente Indict. undecima. Colligitur quippe illum cœpisse regnare Indict. prima, hoc est anno Christi 663. & anno præterito 662. reliquisse Ducatum Beneventi Romualdo filio. Si igitur ex annis 662. eximantur anni 91. quot videlicet ponit Paul. Diac. à Zotone Duce, ad Romoaldum, qui Grimoaldo ad Regnum abeunti successit, reliqui erunt 571. totidem nimirum, quot ex Leone Ostiensi colliguntur. Eodem igitur anno 571. statuenda est Epoche Ducum Beneventi. Huic autem sententiæ Paulus Diaconus, quem Lazius pro se laudat, minimè refragatur. Nusquam enim Paulus Diaconus asserit, ut Lazius putat, Zotonem non extitisse Ducem, nisi postquam Rex Autharis Beneventum venisset, & eum Ducem constituisset, sed id tantùm Paulus Diaconus scribit, Autharim, facta excursione cum suo exercitu à Samnio usque ad Rhegium, hoc est ad extremam usque Calabriam, eas provincias, quas debellaverat, & occupaverat, Zotoni tradidisse regendas. Quocirca cùm scribit Autharim Beneventum accessisse, non debet, aut potest indè elici, Beneventum ab Authari fuisse primò expugnatum, & Zotoni traditum, sed postquam in eam urbem receptus à Zotone est, reliquam Samnitium regionem, & Lucaniam, atque Calabriam occupasse. Verùm Paulus ipse Diaconus audiatur, & satis erit. Is lib. 3. cap. 33. sic ait:* Circa hæc tempora (*profligati videlicet Francorum exercitus à Childerico Rege in Italiam missi*) putatur esse factum, quod de Anthari Rege refertur. Fama est enim tunc eundem Regem per Spoletium Beneventum perveniſse, eandemque regionem cepisse, & usque etiam Rhegium, extremam Italiæ Civitatem, vicinam Siciliæ, perambulasse. *Non dicit cepisse Beneventum, sed Beneventanam Regionem: alioquin si ex eo, quòd Beneventum venisse dicitur, colligi debet, eam Civitatem expugnasse, & occupasse, profectò & Spoletium expugnasse, & cepisse intelligere oporteret, quia Spoletium Autharis venit, & per Spoletium Beneventum. Atqui Spoletium diu antea à Langobardis fuerat occupatum, & Ducis sedes factum. Lege Lazium de Migrat. Gent. lib. 12. Zotonem igitur ab Alboino Rege ann. 571. creatum Ducem existimo. Is quippe & alios quosdam creasse legitur, videlicet Giselbertum Veronæ, Brixiæ Walrim, Tridenti Comum, & Forojulii Gisulphum, uti Paulus Diaconus, & ex eo Lazius tradunt.*

Series Comitum & Principum Capuæ, ex MS. Cod. 353. Bibliothecæ Cassinensis.

I. LAndolphus *Senior tenuit Capuam veterem annis 25. mens. 4. & fecit civitatem novam in monte Trifisco, quam dominatus est anno 1. mensibus 8. Quo deficiente successit*

II. Lando *filius ejus; & dominavit jam dictam civitatem an. 13. mens. 9. qui nono mense, antequam moreretur, ad Pontem Theudæ multos virili certamine Neapolites interfecit, cepitque nongentos. Cùm autem cremata esset civitas Capuæ ab igne, venit cum fratribus suis, idest Landone, Pandone, Landolpho Episcopo, & Landenolpho ad pontem Casulini, & condiderunt ibi civitatem, quæ nunc est Capua: in qua jam dictus Lando vixit an. 4. mens. 9. & defunctus est: cui successit*

III. Lando *filius ejus: & tenuit Capuam mens. 6. & projectus est de eadem civitate à Pandone thio suo, qui*

IV. Pando *tenuit Comitatum Capuanæ civitatis an. 1. mens. 4. cui successit in regimine jam fatæ civitatis*

V. Landolphus *Episcopus frater ejus, quam dominavit an. 3. & mens. 9. Quibus expletis venit Ludovicus Imperator iterùm in Capuam mense nono, & abiit Barium, super quam civitatem sedit an. 4. & cepit eam, simulque & Sodam Regem Sarracenorum cum aliis plurimis. Qui Beneventum reversus, captus est à Beneventanis mense Augusto: sed dimissus ab eis, districtus Sacramentis, recessit à Benevento:*

to: & intra tres dies ac noctes habuit Berole (*), in qua degnit mens. 11. Inter quos postulatus à Landolpho Episcopo iterùm venit: & per quosdam Comites suos, antequam ille Capuam adveniret, multi interfecti sunt Sarraceni, ita ut de duodecim millibus pauci remanerent: qui à magno exercitu Sarracenorum super Salernum residente venerant: sed audientes mortem proximorum, rursum paululum supra eandem civitatem commorantes reversi sunt in terram suam. Ludovicus Imperator hoc audiens, quia volebat ire super eos, reversus est Capuam, in qua uno anno commoratus, reversus est in Franciam, in qua eodem anno defunctus est. Landolphus autem Comes & Præsul ante adventum jamfati Imperatoris, & post decessum ejus tenuit Capuam an. 12. Quo recedente

VI. Pandenolphus *nepos ejus factus est Comes Capuæ, & Landolphus filius Landonis factus est Episcopus. Eodem tempore, sed suggerente Adversario Christianæ fidei, facta est eodem anno divisio ejusdem Episcopatus à jam dicto Pandenolpho: qui odii, & invidiæ accensus ardore, Landenolphum fratrem suum laicum inordinatè tondens direxit Romam: eumque à Johanne Papa multa prece deposcens, Episcopum fecit. Qua de re non parva inter parentes utrorumque Episcoporum discordia nata est, ita ut odium fieret, plurimo valens tempore. Denique Joannes Papa, tali comperto flagitio, advenit Capuam: & ut discordes ad concordiam revocaret, divisione facta, utrumque constituit: idest in civitate Capua Landenolphum Episcopum, Landolphum verò Episcopum in Sancta Maria, cognomento Suricorum; & facta pace inter eos (sed paululum perdurante) Romam reversus est ad sedem propriam: iterùmque facta est inter eos divisio, quam non post longum tempus pax sequuta est. Denique jam fatus Pandenolphus, completis in Comitatu an. 3. & mens. 8. fecit convivium cunctis parentibus suis, plurimis eos sacramentis alligans, ut non ei quolibet modo nocerent. Sed illi statim perjurantes ceperunt eum, & diviserunt inter se Comitatum Capuanum: & Landolphus Episcopus adeptus est totum Episcopatum.*

VII. Lando *autem pater Landolphi Episcopi fuit Comes Capuæ an. 2. mens. 10. Cui successit*

VIII. Landenolphus *frater ejus, vicem illius tenens an. 1. mens. 4. Quo vivo decedente mense Januario, cepit* Capuam

IX. Athenolphus (**) *Comes, quam annis tredecim mirificè regens, postea factus est Princeps Beneventi: complensque in Principatu an. 10. & mens. 6. vita privatus reliquit eum filiis suis Domino Landolpho, & Domino Athenolpho Christianissimis Principibus. Secundo autem anno, quo factus est Comes Capuæ Dominus Athenolphus, factum est prælium inter Capuanos, & Neapolites in Liburia ad Sanctum Carsium: sed ita interfecti sunt Neapolites à Capuanis, ut valde pauci remanerent ex eis: inter quos Neapolites, Græci, & Sarraceni fuerunt pro adjutorio eorum. Ind. VI. post dies undecim capitur Berelais à Domno Athenolpho. Eâdem hebdomadâ Ajo Princeps cum quodam Patritio Constantinopolitano, ex utraque parte certatim pugnantes, ad postremum ille Patritius victor effectus est . . . . . .*

(*) fortè *abiit Berolam*.

(**) Hunc Leo Ost. lib. 5. c. 44. & ex eo Baronius ad ann. Christi 879. vocant Radenulphum, isque

A Hoc loco erat semilacera pagella in Exemplari MS. Cassinen. . . . . *Concilium fecerunt Capuani, qualiter interfecerent Landenolphum Principem filium Pandolphi eximii Principis: quod & fecerunt. Nam dum procederent ad Sanctum Marcellum, peractis Missarum solemniis à Præsule ejusdem civitatis Ajo nomine, egressus prædictus Princeps forès Ecclesiam, insurrexerunt in eum, (proh dolor!) cum gladiis & fustibus, & interfecerunt eum, atque exutum vestibus, nudum in platea eum reliquerunt. Quem rapientes Monachi ex Monasterio S. Benedicti, in eodem Monasterio ante Secretarium, eum sepelierunt. Archiepiscopus verò suprædictus fugit in jam dicto* B *Monasterio: quem etiam postea ibidem jam dicti Capuanites veneno peremerunt: sepultusque est ante Regia Secretarii. Sed Omnipotens Deus illis, qui hunc innocentem peremerunt Principem, ostendere est dignatus, quia in suo eum Regno recepit. Nam quadam die claudus quidam ad ejus sepulchrum veniens, obnixè Christum rogare cœpit, atque intercess. . . . Dominum Landenolphum Principem, cujus corpus illic requiescebat, qui etiam sinè causa à suis occisus fuerat, ei pristinam sanitatem reddere dignaretur. Mira res: statim super eodem sepulchro soporatus, totam quietavit noctem. Mane autem facto ita sanus surrexit, ac si nullam debilitatem membrorum umquam habuisset. Sed* C *& hoc nobis* . . . . . Cætera desunt in Cassinensi Codice.

Ea verò supplere ex aliis Scriptoribus, & sequentium Capuæ Principum seriem texere, nobis planè neque libet, neque festinantibus nunc Typographicis operis, propemodum licet. Porrò non deerunt alii, quibus otium, & volupe erit hæc excutere diligentiùs, & amplissimos hos Principes in lucem producere seriatim: ii verò præcipuè, quibus Capuana Historia tum sacra, tum profana jam est in manu, Michaël videlicet Monachus, & Camillus Peregrinus, viri apprimè solertes, & in rebus patriis, cæteraque literatura doctè versati.

D

Primordia Comitum, & Principum Capuæ.

LEo Ostiensis lib. 5. cap. 43. & ex eo Illustris. Baronius Tom. 9. scribunt advenisse Capuam Joannem Papam eo nomine Octavum, & divisisse Episcopatum Capuæ inter dissidentes Landolphum, & Landenolphum, anno Christi 879. Atqui, uti superiùs ex MS. Cod. Cassinen. scripsimus, ejusmodi dissensio inter Landolphum, & Landenolphum contigit anno primo Pandenolphi Comitis. Adventus igitur Papæ Joannis figi debet ad annum secundum jam dicti Pandenolphi: nam multæ intercesserunt calamitates atque ærumnæ ex illa inter E *Episcopos discordia, ut necesse fuerit Leonem Episcopum Theanensem, & Bertharium Abbatem Cassinensem Romam proficisci, qui denuntiatione turbarum, cladiumque maximarum, quibus & ipse Summus Pontifex involvendus esset, eum à consecratione Landenolphi deterrerent. Ergo primus annus Pandenolphi Comitis, fuit Christi 878. E quibus si detrahantur quinquaginta octo propemodum anni (hoc est 57. & menses decem) qui colliguntur ex suprascripta annorum serie, quibus Capuæ Comites,*

modò Capuæ Princeps, modò Dux, modò Judex appellatus legitur, ut ibidem Baron. observat.

Digitized by Google

mites, Pandenolphi prædeceſſores dominati ſunt, remanebunt anni 820. Hoc igitur anno juxta Anonymum hunc ſcriptorem, qui à Landolpho ſeriem Comitum ducit, Comitatus Capuæ exortus eſt. Quamquam negare non poſſum aliquot reperiri in Hiſtoriis, multò antiquiores Landolpho iſto. Leguntur enim apud Paul. Diac. lib. 4. cap. 3. Tranſamundus, & lib. 5. c. 9. Mittola Capuæ Comites, qui proculdubio ante annum 820. vixerunt.

Principatus autem Capuæ diu poſtea initium habuit, nempe Athenolpho, qui Radenolphus à quibuſdam appellatur, imperante: de quo ſuperiùs jam dictum eſt numero IX.

Salerni Principes ex Heremperto, Leone Oſt. aliiſque recentioribus.

LOtharius Auguſtus Beneventanam ampliſſimam ditionem (ea quippe per Samnium, Lucaniam, Calabriam, magnam Apuliæ partem latè protendebatur) ita diviſit, ut Aldegiſius Beneventi, Siconolphus Salerni eſſent Principes. Quod an. Chriſti 851. factum Hiſtorici memorant. Igitur primus Salerni Princeps fuit.

I. Siconolphus Sicardi Beneventani Principis frater.

II. Sico Siconolphi filius.

III. Radelchis, Siconolphi filius, Siconis frater.

IV. Adelchis, Siconolphi item filius.

V. Ademarius Petri filius à Lothario Imp. fit Salerni Princeps.

VI. Dauferius Majonis filius, Siconolphi affinis.

VII. Guaiferius, Dauferii patruelis: Eoque Monacho facto.

VIII. Guaimarius filius ſuccedit.

IX. Giſulphus Guaimarii filius.

X. Guaimarius II. Guaimarii ſenioris filius.

XI. Joannes Giſulphi filius.

XII. Guaimarius III. cognomento Balbus, Johannis filius.

XIII. Giſulphus II. ultimus è Langobardis.

XIV. Robertus Guiſcardus Nortmannus, Dux Apuliæ.

XV. Rogerius Comes Siciliæ, Rex Neapolis.

XVI. Gulielmus I. cognomento Bonus, Rex utriuſque Siciliæ.

XVII. Gulielmus, re & cognomine Malus, Rex utriuſque Siciliæ.

Item alii, atque alii inſequentes Reges Neapolis, ſive Regum filii, eo Principatus Salerni titulo honorificè inſigniti leguntur: quos non eſt opus recenſere.

De Heremperto.

EDiturus è manuſcriptis Codd. Chronicorum noſtratium quaterniorem, ea equidem ad frontem cujuſque Chronici exponere tui gratiâ, ſincere Lector, debeo, quæ ad cujuſque notitiam, quantulacunque per me tibi præberi queat, ſpectare videantur.

Primus autem ſeſe offert Herempertus. De cujus Nomine, Genere, Vitæ inſtituto, Ætate, Scriptis, Elogiiſque, *quæ hactenus reperi, hæc ſunt.*

Nomen *variè effertur. Nonnulli, Herembertum: Leo Oſtienſis nunc Herehempertum, nunc cum Petro Diacono Herkempertum: Nobis ex Vatic. Cod. unà cum Illuſtriſs. Baronio appellare libet Herempertum.*

Genus *habuit è Langobardorum illuſtri ſtir-*

pe: quippe quem Epigraphe huic Chronico præfixa in Vatic. Cod. aſſerat genus duxiſſe è Beneventanis Ducibus. Pater dictus eſt Radelgarius, de quo paulò inferiùs dicam. Abavus Rodoalt: patruus maximus, Radolphus vocabatur: quorum ipſemet in hac Epitome meminit.

Vitæ inſtitutum *Monaſticum profeſſus eſt in Monaſterio Theanenſi, ut Leo Oſtienſis tradit lib. 1. cap. 46. Et ipſemet Herempertus ſe Monachum prodit pag. 75. cùm narrat ſe miſſum ab Angelmario Abbate ad Stephanum Papam (is fuit Stephanus VI.) ut bona Monaſterii Capuani, quæ Athenolphus Capuæ Caſtaldeus rapuerat, reſtituerentur. Denique Codex Vaticanus in fronte hujus Epitomæ Monachum Caſſinenſem palàm indigetat.*

Ætatem *produxit Herempertus aliquot annis poſt nonum Chriſti ſæculum. Nam pag. 80. memorat obitum Lamberti Principis, filii Guidonis, Ducis Spoletani. Lambertus autem, Sigonio, & Gordono ſupputantibus, defunctus eſt anno Chriſti 910. Quoto autem ſignatè anno Herempertus mortuus ſit, reperire non potui.*

Scripta *ejus hæc ſunt: Chronicon, ſive Hiſtoria Langobardorum fuſior, cujus prototypon in Cod. membranaceo ſcriptum, è Tabulario Salernitanæ Eccleſiæ ſublatum eſt, uti audivimus, & trans Alpes evectum, relictis nobis aliquot Exemplaribus adeò mendoſis, ut pleriſque locis nulla planè exculpi ſententia poſſit. Putant verò nonnulli, Herempertum hujus etiam Epitomæ, quam nunc edimus fuiſſe auctorem. Argumento ſunt, idem ſtylus rudis, ſolœcus, mixobarbarus, ut profectò illius temporis craſſam inſcitiam, & Langobardicum ſtridorem potiuſquàm latinam dictionem referre videatur. Accedit, quòd ſi quis alius hujus Epitomæ auctor extitiſſet, is ſanè ſua verba, non autem, ut hìc factum eſt, primi ſcriptoris perpetuò ſtylum, dictionemque uſurpaſſet. Legimus quippe Juſtini, & Flori de Trogi, & Livii amplis Hiſtoriis Compendia: nihil tamen propemodum de illorum verbis hi mutuati ſunt: ſed diverſo ſtylo res ab illis fusè narratas ad brevem Epitomen redegerunt. Fecit igitur & hanc ſuæ longioris Hiſtoriæ Epitomen Herempertus. Scripſit præterea Carmen de Vita Landulphi Epiſcopi Capuani, ut ipſe ſignificat in hac Epitome. Et ejuſdem Heremperti exiſtimo Hiſtoriam de Caſſinenſis Monaſterii everſione, & reſtitutione, quam ex Petro Diacono Caſſinenſi Wionius memorat lib. 2. Ligni vitæ lit. E. Idem verò pollicetur ſe ſcripturum Acta Translationis Sancti Matthæi Apoſtoli, ut ſignificat infra. An verò ea ſcripſerit, equidem ignoro. Fortaſſis ea ſunt, quæ edidit Columna Salerni Archiepiſcopus.*

Elogia *denique, ſive* Teſtimonia, *de Heremperto, hæc fermè ſunt. In primis Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſis ſæpè meminit Heremperti hujus, è quo etiam plurima deſumpſiſſe videtur. Citabo loca lib. 1. cap. 9.* De Arechi, *inquit (Beneventi Principe)* Domnus Herkempertus, in Hiſtoria, quam de Langobardorum gente, poſt Paulum Diaconum compoſuit, ita refert, &c. *Idem lib. eodem cap. 19.* Iſte Sico (*Beneventi Princeps*) cùm diu Neapolim obſediſſet, & afflixiſſet, tandem S. Januarii corpus auferens, Beneventum detulit, & cum Sanctis Feſto, & Deſiderio in ipſo Epiſcopio honorabiliter condidit, ſicut in Hiſtoria Herkemperti refertur. *Et lib. eod. cap. 46.* Ragemprandus primo & vigeſimo loco Abbas electus in eodem Monaſterio Theanenſi, ſedit annis no-

Digitized by Google

vem, menſibus decem. Hoc præſidente Adalgerius quidam nobilis obtulit B. Benedicto apud Theanum cum oblationibus Herkempertum filium ſuum, docilis ingenii puerum. Quo tempore Græcis, ac Neapolitanis Capuam obſidentibus, idem Herkempertus cum aliis fratribus, à Theano Capuam tendens, juxta Angleriam, omnes à Græcis exequitati, & ſpoliati pariter ſunt, & famuli eorum capti. Et famulis quidem argento redemptis, & quinque equis recollectis, ipſe ſolus, ſicut idem de ſe refert, cum magiſtro ſuo pedes remanſit, ſicque Civitatem intravit. Poſt hæc cùm Athenolphus Caſtaldatum adeptus, omnia, quæ juris noſtri Monaſterii erant in terra Capuana fratribus abſtuliſſet, præſatus Herkempertus Romam hac de re ad venerabilem Papam Stephanum tranſmiſſus, & Apoſtolicam benedictionem detulit, & privilegium Sancto Cœnobio obtinuit, ac ſupradicto Caſtaldeo commonitorias literas, ut univerſa, quæ abſtulerat protinus redderet, niſi excommunicationis vellet ſubire ſententiam, attulit. Quas ille ſuſcipiens, paruit, & omnia, quæ nobis abſtulerat ex integro reſtitui juſſit. *Petrus Diaconus lib. de Vir. Illuſtr. Caſſin.* Herkempertus, *inquit*, Diaconus parvulus, & ipſe B. Benedicto oblatus, De Deſtructione, & renovatione Caſſinenſis Cœnobii, necnon de Iſmaëlitarum incurſione Hiſtoriam ſatìs neceſſariam compoſuit. Fuit autem tempore Ludovici Imperatoris. *Hæc eadem pæne verba mutuatus eſt Arnoldus* Wion. *Ligni Vitæ lib. 2. Marin. autem Freccia I. C. Neapolitanus, & Regius Conſiliarius lib. 1. de ſubfeudis Cap. De Provinc. & Civit. Regni pag. 82. poſt narratam S. Tryphomenes translationem Amalphia Salernum factam, ſubdit, ſe eam excepiſſe è Chronico Heremperti Langobardi in vetuſtiſſimo Codice ſcripto. Petrus Pogianus, Hiſtor. Monaſt. Par. 3. Cap. de Gariberga, eorum quæ in laudem Garibergæ, Beneventani Ducis ſanctiſſimæ ſororis narrat, Herkempertum citat auctorem. Denique Illuſtriſſimus Cardin. Baronius ex Heremperti Hiſtoria multa deſumpſit, atque inſeruit in ſuos Annalium Eccleſiaſt. Tomos. Lege ipſum ad annum Chriſti 871. 872. 874. & 912. Verba ipſa hoc loco recitare ſuperfluum duxi, quandoquidem Baroniani Annales præſto ſunt, & omnium pœne manibus deteruntur. Prudenter autem Baronius non niſi, ut ipſe ait,* cum magno delectu, *excepit aliqua ex Heremperto, & aliqua omiſit. Nam in ſua illa fuſiore Hiſtoria, præter fabellas, quas identidem affert, eſt nonnunquam in Græcos, & Gallos amarulentior, eorumque geſta invidioſiſſimè criminatur. Porrò claruit eodem ſæculo in Italia Vir Illuſtris Herempertus, de quo extat inſignis Inſcriptio apud Gruterum pag. MCLXII. num. 2. Sed ille eſt ab hoc noſtro Heremperto diverſus, ut eruditi Lectores facilè animadvertent.*

Cæterùm tum de his Chronologis, tum etiam de aliis Regni Neapolitani Scriptoribus utilem librum, quem propè affectum habet, in lucem proferet Vir diligentiſſimus, & rei hujus Regni antiquariæ peritiſſimus, Bartholomæus Chiocarellus J. C. Neapolitanus. In eo Catalogo plura fortaſſis de Heremperto, Protoſpata, Anonymo, & Falcone legentur.

Poſtremò Lectorem meum monendum hoc loco, exiſtimo, me Exemplaria è quibus Nomenclatorem horum quatuor Chronicorum feci, valde corrupta deprehendiſſe, ut proinde primo hoc co-

natu, ſuæ puritati non potuerint uſquequaque reſtitui vocabula pleraque Græcobarbara, & inſcitia vulgi, ac illorum fœditate temporum miſerè depravata. Itaque ut ea in Codicibus ſcripta, aut luxata reperi, ſic ferè excepi. Ne igitur mirere, Lector, ſi aliquando loca aliquot offendes, è quibus ſententiam aliquam vix, aut ne vix quidem percipere poteris.

Barbara aliquot, & ſolœca, quæ hoc Opere occurrent.

ALboun. *Alboinus, primus Rex Langob. in Italia.*
Argumenta. *Fallaciæ, ſtrophæ.*
Auxilior. *paſſivè.*
Baris. *Barium, Apuliæ Civitas.*
Berolæ. *Verulæ. Urbs Hernicorum.*
Beſubius. *Veſuvius, mons prope Neapolim.*
Capuanites. *Capuani.*
Caſtaldeus. *Prætor, ſive, ut Lazio placet, Caſtellanus, Præfectus Arcis.*
Calochyri. *Vox græcobarbara. ſignificat* Bona manus.
Coclerium. *Campanaria Turris: nam Cocla, Campana eſt in Conſtitutionibus Caroli Magni num.* 18.
Commorandus. *paſſivè, hoc eſt, inhabitandus.*
Deprædo as. *activè.*
Diſfœderati. *fœdere ſoluti.*
Domino as. *activè.*
Domitialis. *domeſticus.*
Dum. *pro* cùm.
Durachium, & Duracium. *Dyrrachium, urbs Macedoniæ.*
Exubitus. *lege Excubitus. Officii nomen. Hinc Priſcus Comes Excubitorum: de quo Theophanes, & Nicephorus Epiſcopus.*
Exequitati. *equis dejecti, & privati.*
Fatigium. *Labor. inde Italis,* fatiga.
Fugio. *quartæ declinationis. hinc fugiit.*
Gajeta. *Cajeta, urbs Campaniæ.*
Infra *pro* intra. *Sic alibi infra urbem, infra Canonem.*
Innoteſco. *activè, notum facio.*
Juvenaties. *inflexione gr. Juvenatia, urbs Apuliæ.*
Longobardi, *pro* Langobardi. *Sic ferè Herempertus ſecutus fortè Etymon à longis barbis: quod ſanè falſum.*
Lege Lazium de migrat. gent.
Migratus. *paſſivè. Sic & Cic. 1. Off. & 3. de Fin. adnotante Victorio.*
Neapolites. *Neapolitani.*
Nichiphorus. *Nicephorus.*
Ovus. *maſc. gen.*
Parentes. *conſanguinei, affines.*
Patulò. *palàm.*
Pereo. *perimor.* Perierunt à Rege. *i. interfecti ſunt.*
Reptivida. *reptans.*
Senior. *dominus. Sic alibi apud Baron. Tom.* 12.
Sicco. *paſſivè.* ſiccant olivæ. ideſt *areſiunt.*
Stratigò. Στρατηγὸς. *Strategus.*
Trapezi. *viri cognomen. idem ac conviva, ſive nummularius.* τραπεζὼς, *ſive* τραπεζίτης.
Thius. *patruus. Hinc* thio *Hiſpan. &* Zio *Ital.*
Tueor. *paſſivè, defendor.*
Pauca hæc è plurimis raptim collegi, nam-

piguit

Digitized by Google

piguit me ſanè, & puduit adeò maculoſi, & ſanioſi corporis omnes inſpicere, & adnotare verrucas.

Ad Lectorem.

REgni Parthenopes, qui neſcis ordine clades,
Geſtaque ab externis bella cruenta viris;
Et pulſos Reges, conſperſaque ſanguine prata,
Ex hoc quadruplici Codice doctus eris.
Cæci mortales totum confundimus Orbem,
Alter in alterius dum ruit excidium:
Dum ſe quiſque cupit reliquis præſtare; Sed omnes
Commorimur, miſera conditione pares.

M. F.

Digitized by Google

Digitized by Google

H. Feroni del. Caietanus Blasius Sculp. Mediol.

HISTORIÆ HEREMPERTI LANGOBARDI MONACHI CASSINENSIS DE GESTIS PRINCIPUM BENEVENTANORUM EPITOME CHRONOLOGICA.

Uitprandus Rex XVI. (1) cùm per XXXII. annos feliciter regnaret in Italia, inter cætera quæ gessit magnifica, etiam omnes urbes, & oppida juxta maris ora Tyrrheni sita, à Tuscia & usque ad Arelatensem urbem prœliis cepit, & suo Regno copulavit. Post ejus obitum Hispran nepos Luitprandi octo regnaverat annos. Post hunc Ratheis regnavit annos quatuor, & menses novem. Hujus temporibus (2) Carolo-mannus filius Caroli Martelli, Francorum Regis, pro amore Cœlestis Regni, terrenum relinquens Regnum, Romam adiit, & à Zacharia Papa factus est Monachus, & post aliquantum temporis ad Beati Benedicti, quod Aquinensium finibus situm est, profectus est, Monasterium. Ratheis verò ad capiendam Perusinam urbem, sicut cætera Pentapoleos oppida, vehementi profectus cum indignatione, quam & circundans, fortiter expugnabat, cui occurrit Zacharias Papa, & datis multis muneribus, multaque cum prece, ab obsidione ipsius civitatis amovit, cùm non multum post, idem Ratheis (3) Divino instinctu, regalem relinquens dignitatem, devotè cum uxore ad Beati Petri Principis Apostolorum pervênit limina, (4) Clericusque effectus Monastico indutus est schemate, cum uxore & filiis, & ille quidem cum filiis ad Beati Benedicti Cœnobium profectus est, ubi sub arctissima vitæ districtione vitam finivit. Uxor verò ejus Taxia nomine cum reptivida prole sua, similiter mutato habitu, ex propriis sumptibus Monasterium puellare in agro Plumbarolæ construxerunt, multisque dotarunt opibus, ibique sub magna districtione vitam ducentes, diem clauserunt extremum.

Aistulfus Frater Ratheis, superioris Regis, regnavit annos septem, & menses quinque. Hic multas & gravissimas persecutiones populo excitavit Romano, ita ut Urbem niteretur invadere, obsidione circumdatam; ex omni populo per unumquemque singulos aureos expetebat, pro qua scilicet persecutione Stephanus

(1) Anno Christi 712. nitit Regnum Luitprandum, ut constat ex edictis ejus in Cod. Langobardo.

(2) Anno Christi 745.
(3) Al. *Racbis*.
(4) Ann. 749.

Digitized by Google

nus Secundus (1) Papa Abbates Sanctorum Benedicti, & Vincentii, ad eundem Regem obsecrando destinavit, ut à cœpta persecutione cessaret. Qui nihil proficientes, per aliud iter ad propria reversi sunt Monasteria. Hic autem Papa, & Missos Pipini Regis Francorum, & Legatos Imperiales misit ad eundem Regem pro ablatis urbibus, & dum nihil proficerent, ipse cum supradictis Francorum Missis, per Papiam ad Galliam profectus est (2), & in Sancti Dionysii Monasterio, Pipinus cum duobus filiis suis Reges sunt ab eo uncti. Pipinus autem cum exercitu super Papiam advenit, & obsedit: ac sacramentis à Longobardis acceptis, pro reddendis urbibus ablatis, Galliam repedavit.

(3) Post hæc Aistulfus sacramento diruptо, nihil de rebus & statutis adimplere voluit. Cùm enim supradictus Papa in Gallia degeret, Aistulfus Carolo-mannum germanum Pipini, quem superiùs Monachum memoratus sum, ad Galliam misit, adversari parti Reipublicæ, qui retentus illic à Fratre, vitam finivit, cujus in locello aureo corpus ab eodem germano cum aliis muneribus ad dictum Monasterium in Cassino remissum est. Aistulfus autem deinde omnes urbes Ravennantium undique circundans fortiter obsedit. Tunc marino itinere id nuntiatum est Pipino Regi Francorum, qui fine mora Ticinum obsedit, donec daret idem Aistulfus Missos suos cum Missis Pipini, qui redderent universas urbes Petri Beati Vicario, quod est factum. Pipinus verò via qua venerat, rediit; Aistulfus post hæc in dimicatione sagitta percussus mortuus est.

(4) Desiderius autem cum Adelchisio filio regnavit annis XIX. Hic cùm diversas persecutiones faceret reipublicæ, & nollet ablatas urbes Romano Pontifici reddere, & justitiam facere, vel quia filios Caroli Magni fratres Caroli cum matre illorum ad se fugientes suscepit, super Papiam Carolus Rex advênit tempore Adriani Papæ. Si quis autem hoc nosse desiderat, legat Episcopale (5) Romanorum, illinc discere poterit.

Ego verò narrare nequaquam volo in hoc qualicunque Opere gentilium meorum Longobardorum seriem, egressum, primumque Regem, hoc est originem eorum, vel quomodo de Scandinavia Insula egressi, ad Pannoniam, & iterum à Pannonia ad Italiam transmigraverunt, Regnumque susceperunt. Paulus enim Vir peritus valde compendiosa licèt brevitate, sed prudenti id composuit ratione, extendens nihilominus à Gammara, & duorum filiorum ejus historiam, pene usque ad Regnum Rachis, sive Arechis. Sed compulsus à compluribus Ego Herempertus, quasi abortivus, præcipuè ab Aldegisio, insigni sagacique Viro, historiolam volo condere Longobardorum Beneventi degentium (6). De quibus quia his diebus nihil dignum ac laudabile reperitur, quod veraci valeat stylo exarari, idcirco non Regnum eorum, sed excidium; non fœlicitatem eorum, sed miseriam; non triumphum, sed perniciem; non quemadmodum præfuerunt, sed qualiter defecerunt; non quomodo alios superaverunt, sed quomodo superati ab aliis, ac devicti fuerint, ex intimo corde ducens suspiria, ad posteritatis exemplum, succincto licèt & inerti prosequar calamo: Hac itaque flagitatione devictus, non tantùm ea, quæ oculis, sed magis quæ auribus hausi, narrare me fateor, imitatus dumtaxat ex parte Lucæ & Marci Evangelistarum præconia, qui auditu potiùs quàm visu Evangelia descripserunt.

(7) Igitur captâ ac subjugatâ Carolus Italiâ, Pipinum filium suum illic Regem constituit. Tunc ille stipatus innumerabili exercituum agmine, crebriùs Beneventum adiit capessendum; Quo tempore Arechis gener jam prædicti Desiderii, Vir Christianissimus, & valde illustris, atque in rebus bellicis strenuissimus, Beneventi Ducatum regebat: Qui audiens eos super se adventare, Neapolitanis, qui à Longobardis diutina oppressione fatigati erant, pacem cessit, eosque de Aria, in Liburia, & Cimiterio per incolas sancita dispensatione, misericordiæ vice distribuit, titubans ne ab eorum versutiis Franci aditum introëundi Beneventum reperirent. Super Beneventum autem Gallico exercitu perveniente (8), prædictus Arechis, viribus quibus valuit primò fortiter restitit, postremò autem acriter prœliantibus, universa ad radicem usque Locustarum more, corrodentibus, magis civium saluti, quàm liberorum affectibus consulens, geminam sobolem, vice pignoris, jam dicto tradidit Cæsari, hoc est, Grimoaldum, & Adelchisam, simulque cunctum thesaurum suum, ex quibus Adelchisa multis cum precibus proprio restituta fuit genitori, Grimoaldum verò secum remeans detulit, collata Arechi pace fœdere pensionis (9).

Nactus itaque hanc occasionem, &, ut ita dicam, Francorum territus metu; inter Lucariam, & Nuceriam, urbem munitissimam, ac præexcelsam, in modum tutissimi castri, idem Arechis opere munifico munivit, & nova fabrica reparavit. Quæ civitas propter mare contiguum, quod Salum appellatur, & ob rivum qui dicitur Lirnus, ex duobus corruptis vocabulis Salernum apellata est, ut esset scilicet futurum præsidium Principibus, supervenїante exercitu Beneventum. Quam civitatem idem Princeps fortificavit. Infra Beneventi autem mœnia Templum Domino opulentissimum, ac decentissimum condidit, quod græco vocabulo Αγίαν Σοφίαν, idest, Sanctam Sapientiam nominavit, dotatumque ampliſſimis prædiis, & variis opibus, Sanctimoniale Cœnobium statuit, idque sub jure Beati Benedicti in perpetuum tradidit permanendum, pari etiam modo, in territorio prædicto, Alfano Dei amabili Viro, in honorem Domini Salvatoris construxit Ecclesiam, & Monasterium puellarum instituit, atque ditioni Sanctissimi Vincentii Martyris subdidit. Defuncto dehinc Arechi (10), consilio habito Beneventanorum Magnates, legatos ad Carolum destinarunt, multis eum rogitantes precibus, ut jam dictum Grimoaldum, quem à Genitore obsidem

(1) Stephanus III. hic fuit: nam Stephanus II. vix 4. vixit diebus: ideo à nonnullis prætermittitur. Vide Anastas. & Luitprand.
(2) Ann. 753.
(3) Ann. 755.
(4) Ann. 757.
(5) Pontificale, intelligit, quod sub nomine Damasi circumfertur.
(6) Aldegiso auctore, & impulsore hanc Herempertus condidit brevem Historiam.
(7) Ann. 781.
(8) Ann. 786.
(9) Eginartus de vita Caroli, & vetusti Annales gestorum ejusdem tradunt duos filios missos obsides, non autem filium & filiam.
(10) Ann. 788.

Digitized by Google

dem jam priore ſuſceperat, ſibi præeſſe concedere dignaretur. Quorum petitionibus Rex annuens, illuc continuò prædictum contulit Virum, ſimulque jus regendi Principatum largitus eſt, ſed priùs eum pactis hujuſmodi vinxit, ut Longobardorum mentum tonderi faceret, chartas quoque, nummoſque ſui nominis characteribus ſuperſcribi ſemper juberet (1). Acceptâ denique licentiâ repedandi, à Beneventi civibus magno cum gaudio exceptus eſt, in ſuis aureis ejus nomen aliquandiu figurari placuit, ſchedas ſimiliter juſſit aliquanto tempore exarari, reliqua autem pro nihilo duxit obſervanda, mox rebellionis jurgium initiavit. Hac etiam tempeſtate idem Grimoaldus neptem Auguſti Argivorum in conjugem ſumpſit, nomine Irriantiam (2), ſed neſcitur quam ob rem ad fructum minimè pervênit: In tantum enim odium primus eorum avidus prorupit amor, ut ſumpta occaſione Francorum, circumquaque ſe impugnantium more ſolito, ſpontè eam à ſe ſequeſtrarit, & dato ei libello repudii ad proprios lares eam vi trajecit. Sed hoc licèt callidè fecerit, feritatem tamen ſupradictarum gentium minimè quietavit. Nam tellures Theanenſium & urbes, à dominio Beneventanorum tunc ſubtractæ ſunt uſque in præſens; Nec non Nuceriæ urbs tunc capta eſt, ſed celeriter à præfato Grimoaldo acquiſita, apprehenſo in ea Guinichiſo Duce Spoletenſium, cum omnibus bellatoribus inibi repertis.

(3) Frequenter autem Carolus cum cunctis liberis, quos jam reges conſtituerat, & cum immenſo bellatorum agmine, Beneventum præliaturus aggreditur, ſed Deo decertante pro nobis, ſub cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de ſuis peſte perditis, cum paucis nonnunquam inglorius revertebatur. Unde factum eſt, ut Pipino regnante in Ticino, & Grimoaldo in Benevento, frequentiſſimum bellum vexarit Beneventanos, ita ut nec ad momentum pax interfuerit, illis viventibus. Erant enim utrique juvenili ætate nitentes, & ad concertationes, & ad bella declivi. Pipinus autem fultus auxilio bellatorum, jurgiis, continuoque prœlio Grimoaldum exagitabat. Grimoaldus verò & civitatibus munitis, & primoribus quamplurimis conſtipatus, parvipendens, ac deſpectiùs ducens illius perſecutionem, in nullo cedebat ei. Agebat itaque per Legatos ſuos Pipinus, dicens, Volo quidem, & ita potenter diſponere conor, ut ſicuti Arechis genitor ſubjectus fuit quondam Deſiderio Regi Italiæ, ita ſit mihi & Grimoaldus. Quibus contra Grimoaldus aſſerebat, Liber & ingenuus ſum natus utroque parente, ſemper ero liber, credo, tuente Deo. Sed poſtea de hac luce ſubtracto Grimoaldo (4), alter ſuſcepit Beneventi jura tuenda, Theſaurarius videlicet Ducis Grimoaldi recolendæ memoriæ, Grimoaldus & iſte vocatus, vir ſatìs mitis, & adeò ſuavis, ut non ſolùm cum Gallis, verùm etiam cum univerſis circumquaque gentibus pacis inierit fœdus, & Neapolitanis ſupra memoratis gratiam, pacemque donarit. Sed quia antiquus hoſtis ſemper invidet pacatis, & piis viris, atque bella & diſcordiæ ſemina in eis ſerere molitur, Dauferium quendam, virum ſpectabilem ſuæ artis malitia irritavit, & cum nonnullis filiis Belial horrendum fecit inire conſilium adversùs Principem, factum hoc modo. Diſpoſitis quippe in itinere inſidiis, ut dum per pontem proficiſceretur externæ urbis, ad prædictæ urbis ſalutem properans, impulſus à membris Sathanæ, in profundum fluctuum maris demergeretur, & belluis eſſet cibus: Sed revelante ſibi incognitorum conſpectore Deo, ſuis accerſitis, jam dictum incolumis pertranſiit pontem, eos autem, qui ſuæ ſalutis hoſtes fuerunt, cepit, & vinculis injecit. Dauferius verò quia tunc non aderat illic, hoc cognito fugam arripuit, & à Neapolitanis ſuſceptus eſt. Quo comperto, Grimoalt non ſegniter egit, ſed confeſtim Neapolim tendit, exercitumque poſt ſe accelerare jubet, atque ubi juxta ipſam urbem applicuit, continuò multus juventutis populus ejuſdem civitatis armis arreptis, obvius illi audacter exivit in prœlium. Quod ille ut intellexit, protinus itinera eorum, ne reverterentur, priùs irretiri molitus eſt, & ita demum in eos inſurgere voluit, tantam denique ſtragem hoſtium, cœpto bello, mari, terraque fecit, ut fretum adjacens vix per ſeptem & eo ampliùs dies cruore occiſorum purgaretur. In terra verò tumuli nunc uſque interfectorum conſpiciuntur cadaverum, & vix, eiſdem incolis referentibus, quinque homines in eadem acie ſupervixerunt. Idem etiam Dauferius unà cum Magiſtro militum, qui tunc inibi regnabat, ſoli elapſi fugibundi, mœnia illius urbis tandem ingreſſi, nec ibi ſibi requiem inveniunt; nam egreſſæ conjuges virorum peremptorum, gladiis inſequebantur illos, dicentes, reddite nobis ò crudeles viri proditores, quos nequiter interfeciſtis, quare (inquiebant) adversùs eos prœlium inſurgere feciſtis? Grimoalt verò acriùs eos inſecutus eſt uſque ad portam, quæ dicitur Capuana, ita ut prope eam factus, percuteret quoſcunque ſibi reſiſtentes. Clauſis autem obſeratiſque foribus, qui remanſerant, intra muros ſe tutaverunt. Reverſo igitur Grimoalt ad caſtra cum exercitu ſuo incolumi, altero die pro ſatigio ſumpto, & pro detentis affinibus, dictus perfuga Dux dedit in xenium octo millia aureorum ſupradicto Principi, & memoratum Dauferium ad priſtinam reduxit gratiam. Statim denique ob ſolitam miſericordiam prædicto viro donationem de rebus ſuis præcepto firmavit, gratiam verò familiaritatemque priſtinam non denegavit. Interea Radelchis Urſus Comes Concinus, & Sico Argentinus Caſtaldus, quem Grimoalt dudum proſelytum receperat, honoribus plurimis deferens, ſubdolè inſurgens, eum, cùm jam extremum ſpiritum traheret, gladio peremerunt. Interfecto eo innocenter, prædictus Sico loco illius, in Principem ſubrogatur. Ipſe verò Radelchis non multum poſt tempus, cuncta viriliter mundana, metu gehennæ abdicans, ad Beati ſe contulit Benedicti ſuffragia, cathenaque cervicibus vinctis, ejus Cœnobium Chriſto militaturus adiit, ſe patricidam quoque clamitans, & impium, malèque ſe geſſiſſe atque crudeliter vociferans, ſicque Monaſticum habitum ſumens, in tanta ſe diſtrictione corporis, animique, coram oculis interni arbitris in eodem Monaſterio coërcuit, ut nulli dubium ſit, omnium facinorum ſuorum veniam adipiſci meruiſſe. Circuibat ſæpe diabolus, girans

(1) Et VII. millia ſolidos quotannis illi ſolveret. Annal. jam dicti ad an. 814.
(2) For. *Hireniam*.
(3) Ab an. 776. & deinceps.
(4) Ann. 788.

Digitized by Google

girans ſepta Monaſterii, & voce perſpicua multis audientibus clamitabat, inquiens, Heu Benedicte cur me undique torques, inique me tuis precibus hìc pulſas, nunc mea membra tollis.

Suſcepto itaque à Sicone Principatu (1), fœdus cum Francis innovavit, Beneventanos beſtiali feritate perſequitur, atque ſe ſuperſtite filium ſuum Sicardum, virum ſatìs lubricum, inquietum, & petulantem, animique elatione tumidum, Principem conſtituit. Per idem tempus memoratis Neapolitanis bellum à Sicone creberrimum motum eſt, ut civitate validè obſeſſa, tellure, pontoque, & fortiter ſcorpionibus & jaculis oppugnata, penè capta eſſet, ſi non defuiſſet ingenium, nam juxta ora maris muro arietibus & machinis funditus eliſo, jam cùm catervatim Siconis exercitus urbem ingredi niteretur, Dux jam dictæ civitatis, data obſide genitrice ſua, ac duobus propriis filiis, magnopere, callida arte, efflagitans, per nuntios miſit: Iſta urbs tua eſt cum univerſis, quæ infra ſe retinet; placeat ergo pietati tuæ, jubere ne in prædam detur. Craſtina enim die cum trophæo victoriæ glorioſiſſimè ingredieris, poſſeſſurus nos, omniaque noſtra. His ergo ſuggeſtionibus fidem accomodans, diem ſuſtinuit venturum; ſubſequenti verò nocte interrupta urbs muro ſolidiſſimo firmata eſt, & crepuſculo, quo ſe ſuamque tradere pollicitus eſt civitatem; arma bellica ſuſcipiens, contra eum ſe erexit, ingenti certamine. Oppreſſi igitur duriùs à genitore, & filio per ſexdecim continuos annos Cives præfatæ urbis, cùm jam ad extremam tenuitatem perveniſſent, ad Francorum ſe contulere præſidium. Illis denique diebus præerat iis Cæſar Ludovicus cognomento Almus, filius Caroli ſuperioris Auguſti, qui dum Lotharium natum ſuum conſortem Regni ſciret, ab eo unà cum ſocio ſuo captus, & cuſtodiæ mancipatus eſt, ſed ab optimatibus ſuis ereptus, ad priſtinam ſublimatus eſt gloriam, quibus annuentibus, obſidio Neapolis ab illis aliquandiu ſublevata eſt.

(2) Circa hæc tempora, gens Agarenorum à Babylonia, & Africa adinſtar examinis apum, manu cum valida, egrediens ad Siciliam properavit, omniaque circumquaque devaſtans, tandem civitatem inſignem, Panormum nomine, captam nunc uſque inhabitat, plurimaſque in ea Inſula urbes, & oppida diruens, jam penè totam ſuæ ditioni ſubjecit.

Poſt hæc moritur Ludovicus (3), qui ſecundus in Gallia Auguſtali præerat Imperio, Lothariuſque ſupradictus illius Regni hæres effectus eſt, atque ob hoc diviſum eſt Regnum, quoniam Lotharius Aquim, & Italiam, Ludovicus autem Bojariam, Carolus verò ex alia ortus genitrice Aquitanum regebat Imperium. Sed retrovertam ſermonem.

Mortuo Sicone (4), Sicardus Monarchiam ſolus obtinuit; cui jam cum patre ſæpiùs memorato per aliquot feliciter imperaverat annos, cœpitque populum ſibi commiſſum levitate animi belluina voracitate inſequi, ac crudeliter laniare. Inter hæc Aſſuerus Ammonita iſte prætulit cæteris Roffridum quendam, filium Dauferii cognomento Prophetam, cujus conſilii ſubverſione, multa ſacrilega ac blaſphema patrabat. Fuit autem idem vir in mundanis prudens, & nimiùm verſutus, & ultra quàm credi poteſt callidus. Adeò enim circumvênit præſtigiis ſuis fallacibus ſupradictum Principem, ut illo abſente & diſſentiente, nil unquam exercere, vel ad momentum efferre auderet, ſicque ab eo deceptus, & illaqueatus eſt, ut germanum ſuum, Siconolfum nomine, gratìs, perpetuo damnaret exilio, cunctoſque Beneventanæ gentis proceres aut cuſtodiæ aut morti indiderit, ad hoc nimirum tendens, ut dum relictus & deſtitutus eſſet ſolatio Optimatum, citra ſui, ſuorumque ſanguinis effuſionem, facillimè interiret. Quamobrem & Mayonem Cognatum ſuum tonderi juſſit, & in Monaſterium detrudi, Alfanum denique, quo nemo fidelior eo tempore fuit, Virum Illuſtrem, ac fortiſſimum robore, laqueo ſuſpendi fecit, tuncque factum eſt ingens perjurium in Benevento, ex quo concinitur, iram Dei fuiſſe provocatam ad perdendam terram.

Talia eo contractante, Divina actum eſt diſpenſatione, ut dum alium innocentem conaretur extinguere, præveniente interim languore, ipſe cœlitus pariter ſpiritu & carne percuſſus interierit, priùs autem quàm obiret, ut cumulus ſuæ perditionis juſtiùs augeretur, pro amore pecuniæ, ſpectabilem, & Deo dignum virum ſanctitate conſpicuum (5), Deusdedit nomine, Beatiſſimi Benedicti Vicarium, à Paſtorali Monaſterio Monachorum ſæculari magìs potentia, quàm congrua ratione depoſuit, ac cuſtodiæ mancipavit, cujus nunc uſque cineres febre detentos, variiſque languoribus oppreſſos curare ſæpiſſimè noſcuntur. Quid autem dicam de talis viri nequitiis, quandoquidem diſtractis Eccleſiarum Cœnobiorumque prædiis nobilibus, ac mediocrium rebus violenter ablatis, divitias ſibi opulentiſſimas aggregavit. Hoc quoque miſero ita obeunte, paulò poſt à filiis, vel à Dauferio Sicardus ſupradictus Princeps gladio perimitur (6), Deo juſtè retribuente, qui plerunque reddit iniquitatem patris in filios, carnemque ſolummodò feriens, ulciſcitur, ut quia Sico genitor ſuus Grimoaldum ſeniorem ſuum indebitè occiderat, ulciſcente Deo, filius illius à ſubditis interficeretur. Et iſto hoc modo recedente, percuſſor non diu lætatus eſt, nam parvo poſt tempore à Sicone notho, cognomento Albo, prædictus homicida extinctus eſt, juxta verbum Domini, Qui gladio ferit proximum, talem expectabit vltionem in ſeipſo.

Decedente itaque Sicardo ab hac luce corporea (7), Radelchiſius Principatus regimen ſuſcepit, Theſaurarius prædicti viri, in cujus electione, omnis Beneventi Provintia conſenſit, quòd vir eſſet blandis, ac bonis moribus pollens, ac ubi idem Primatum accepit, Siconolfus, qui ſuperiùs exules à cuſtodiæ carceribus fugere permiſit, latibulum quærere cœpit, & ab Urſo Comite Compſino, cognatoque ſuo aliquandiu occultatus eſt, quo etiam tempore liberi Dauferii Balbi, videlicet Romoalt, Arichis, & Grimoalt, nec non & Guaiferius Beneventi mœnia relinquentes, Salernum invaſere, & Siconolfus, qui latebram fovebat, repertus, Senior ab eis ſibi conſtitutus eſt, factaque tunc talis diſſenſio, qualis nunquam fuit, ex quo Longobardi ingreſſi ſunt Beneventum.

(1) 817. vel juxta alios 819.
(2) Ab ann. 812. & deinceps.
(3) Ann. 875.
(4) Ann. 832.
(5) Ann. 834.
(6) Ann. 839.
(7) Ann. 839.

Digitized by Google

tum (1). Ante adventum itaque Siconolfi in Salernum, miſſus eſt Adelmarius à ſupradicto Radelchiſio Principe, ut filios Dauferii ad ſuam fidelitatem converteret, qui illuc adiens, aſtu doloſo Principem deſeruit, & ſe illis ſociavit, eoſque Capuæ Caſtaldo tradidit. Eo quoque tempore Landolfus Capuæ præerat Caſtaldus, vir ad bella promptiſſimus. Hic autem vetuſtò exercens inimicitiam cum quibuſdam de genere ſeductorum, crudelior viperis, interfici fecit ex præmiſſis ſeptem viros, uni eorum manibus abſciſſis, reliqui præſidium fugæ ſumentes, Beneventi commorantem Radelchiſium adeunt affinem ſuum, Landolfus autem Sicopolim ingreſſus, à Radelchiſii dominatione ſe ſubducens, Siconolfo ſociatus eſt, ac primùm cum Neapolitanis pacis conjunxit fœdera. Fretus itaque Siconolfus hujus ac liberorum auxilio, totam Calabriam ſuo ſubdidit famulatui, maximamque partem Apuliæ, deinde versùs Beneventum prœliis certaturus perrexit. Plurimas itaque urbes, & nonnulla oppida, ubi jus dominio auferens, ſuo juri ſubjecit. Et quia erat vir bellicoſiſſimus, præ metu illius, totus populus ambiens eum ſequebatur; Priùs enim quàm Siconolfus Salernum obtineret, à prædicto Adelmario Radelchiſius invitatur, & à ſuis Senatoribus fraude ſuaſus, Salernum quaſi capturus adventavit, quòdum perveniſſet Adelmarium Caſtrametantem grandi cum audacia peremit, ſed ſubitò turbæ civium cum Gauferii filiis egreſſæ, eos inaudita cæde vaſtaverunt, bonaque eorum cuncta diripientes, ditati ſunt, & Radelchiſius vix cum paucis inglorius fugiens evaſit, nec ultra auſus eſt Salerni metas greſſibus attingere.

His quoque diebus parvus quidam Barim regebat (2), qui juſſis obtemperans Radelchiſii, Saracenorum phalangas in adjutorium accitas, juxta murum urbis, & ora maris locavit commorandas. Hi autem, ut ſunt natura callidi, & prudentiores aliis in malum, ſubtiliùs contemplantes munitionem loci, intempeſta nocte Chriſticolis quieſcentibus, per abdita loca urbem penetrant, populumque inſontem partim gladiis trucidarunt, partim captivos fecerunt, ſupradictum verò proditorem gentis & patriæ variis multiſque ſuppliciis extorquentes, poſtremò, ut verè dignum fuit, marinis ſuggillarunt gurgitibus. Quo comperto Radelchiſius, quia eos ab urbe evellere nequibat, cœpit quaſi familiares amicos excollere, & ad ſuum adjutorium ſenſim provocare. Ac primùm Caſtrum Cavenſe unà cum Urſo filio ſuo illis deſtinavit, oppugnandum. Confeſtim igitur intimatur hoc Siconolfo, ſtatimque eos debellaturus properavit, atque ſuper eos audacter irruens cunctos, qui fugere nequibant, armis ſtravit, tantoque victoriæ eſt potitus trophæo, ut ex innumerabili agmine Paganorum vix pauci effugerint, qui caſum pereuntium ennarrarent. Rex verò eorum Calpho nomine, ſolus cum dedecore fugiens, equo itinere valde feſſo tandem lapſus, pedeſter urbem introivit.

(3) Interea Siconolfus Beneventum crebris prœliis affligebat, atque, ut dici ſolet, malæ arbori malus nodus infigendus eſt; Contra Agarenos Radelchiſius Lybicos, Iſmaëlitas, Hiſpanos aſcivit, iiſque invicem inteſtina & extera alternantibus bella, ultramarina loca captivis gentibus diverſi ſexus & ætatis fulciebantur. Quadam verò die convenerunt utræque acies in forculas Caudinas, ibique commiſſum eſt bellum, ac primo impetu Radelchiſius victor exiſtens Siconolfi exercitum totum in fugam vertit. Siconolfus autem in loco tutiſſimo conſtitutus, cum paucis ſuorum, mox ſuper Beneventanos triumphantes irruens virili eos attrivit animo, & non minima cæde proſtravit, patratâque victoriâ, plurimos eorum gladio extinxit, nonnullos cepit, reliquos in fugam vertit. Fretus itaque frequentiſſimis victoriis omnes urbes à Radelchiſio abſtrahens, excepto Siponto, Beneventum circundedit expugnandum. Cùmque civitas non levi fame arctaretur, mandatum eſt illico Guidoni, ut properaret ad urbem; Erat autem idem Guido Dux Spolitenſium, Siconolfi cognatus. Pro cupiditate ergo pecuniarum, poſtpoſito vinculo parentali, in adjutorium venit Radelchiſii, atque per nuntios ſuggeſſit Siconolfo, ut obſeſſione relicta, ad propria remearet, adjiciens inter cætera; permitte me loqui Radelchiſio, quia tuæ magis parti favebo. Receſſit igitur Siconolfus à loco illo, Guido interim applicuit, & acceptis à Radelchiſio ſeptuaginta millibus nummis aureis, dirupit quodcunque pollicitus fuerat ſuo Cognato, & alienatus ab eo, viâ, qua venerat, rediit. Poſt hæc prædictus Guido ſuaſit Siconolfo, ut daret ſibi quinquaginta millia nummorum aureorum pro adunatione Provinciæ Beneventanæ, & obtinere te, inquiebat, faciam eam, hinc & inde, ut quaſi palmo eam metiaris. Cujus tunc conſilio ille conſentiens, Romam adiit, aureos tribuit, ſacram dedit, jusjurandum ſuſcepit, nihil proficiens. Interceſſerunt autem inter Siconolfum & Radelchiſium frequentiſſimæ pugnæ, & quotidiana litium ſeditio, unde ex diverſa parte ii, quibus via juſtitiæ diſplicebat, alternatim ab uno in alterum confugiebant, fiebantque crebræ rapinæ, & incertæ fornicationes, erant enim univerſi errones, & ad malum prompti, quaſi beſtiæ ſine paſtore oberrantes in ſaltu. Sed cùm jugiter civili bello invicem lacerarentur, erat omnium pernities, &, ut ita dicam, animæ & corporis extrema perditio, maximè quia Sarraceni Beneventi degentes, quorum Rex erat Maſſan, infra extraque omnia funditus delebant, ita ut Optimates illius pro nihilo ducerent, atque ut ineptos ſervulos taureis duriter flagellarent.

(4) His quoque diebus mortuo jam dicto Lothario, Regnum Gallicum Pontificis auctoritate diviſum eſt; quoniam Ludovicus, & Carolus, germani ejus Bajoariam, & Aquitaniam regebant, Primogenitus, Ludovicus nomine, Italiam, ſecundus Lotharius Aquim, tertius Carlectus Provinciam tuebatur. Huic ergo Ludovico Auguſto relatum eſt, Pandonem Comitem Capuanum filium Landolfi ſupradicti viri, & Aldemarium jam dictum (5)

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

qui licèt eſſent admodum parvuli, pro Dei tamen zelo, eorum humilibus precibus aures accommodans, etiam conſenſum præbuit, & celeriter veniens univerſos profani generis hoſtes ab urbe vi diſtrahi, & à Franchis necari fecit, ac præſentibus omnibus Longobardis, inter duos prædictos viros totam Provinciam Beneventanam æquitatis diſcrimine ſub jurejurando

(1) Principatus Salernitani primordia Ann. 880.
(2) Locus for. corruptus.
(3) Ann. 848.
(4) Ann. 855.
(5) Sigon. lib. 5.

Digitized by Google

rando dispartivit. (1) Hoc autem facto Siconolfus non diu supervixit, ac filium suum ministerii sui reliquit hæredem. (2) At superstes parum ei extitit Radelchisius: quo migrato, Radelgarius filius ejus in Principatum loco ejus electus est, vir planè fortis viribus, & animo pacis, & corpore cunctis gratus.

(3) Post hoc tempus Agareni Barium militantes ceperunt, devastantes penitùs, ac deprædantes totam Apuliam, Calabriamque, & pedetentim Salernum, ac Beneventum depopulari initiarunt. Tunc iterum supplicatum est lamentabili petitione apud jam dictum piissimum Augustum, per venerabilem virum Bertharium Beati Benedicti Vicarium, & Jacobum Sancti Vincentii Abbatem, ut properaret quantocyus, & suo adventu eriperet, quos ante id misericorditer redemerat, & simus, inquiunt, fidelissimi famuli illius, constituatque nos subesse cuilibet ultimo suorum. Qui sinè mora veniens cum incredibili multitudine, Barim perrexit, sed obliti Capuani suam ultimam sponsionem, urbe se recondentes, Landulfum tantùm Antistitem vice sua destinarunt. Videns autem supradictus Cæsar & illorum fallaciam, & se nihil proficere, sinè emolumento procedens abiit, concesso Principatu Salernitano Aldemario fortissimo, & Illustri viro, & Siconolfi filium exulem fecit.

(4) Interea obiit Radelgarius Beneventi, cui successit germanus ejus, nomine Adelchis (5), vir quippe mitissimus, & amabilis civis, tantæque mansuetudinis, ut etiam ab exteris diligeretur. Sed, quod pejus est, provincia inter multos divisa ad exitium magis quàm ad salutem de die in diem à dominatoribus ducebatur.

Subtracto verò ex hac luce Landulfo Capuano Comite (ut post tergum redeam) quatuor reliquit liberos, Landonem videlicet jam dictum, Pandonem, Landonolfum & Landolfum futurum Pontificem, Viros singularis prudentiæ, ex quibus Lando Capuam, Pando marè pabrisatum, Landenolfus Theanum regebat, Landolfus verò adhuc teneræ indolis, Palatinis excubabat obsequiis. Hic autem novissimus post patulò claruit (6). Cùm adhuc visceribus gestaretur genitricis, eadem mater cùm se quadam die sopori juxta viri dorsum dedisset, facem igneam peperisse videbatur sibi, quæ fax cùm in humi solum cecidisset, in maximum ignis globum aucta est, visaque est totius Beneventi confinium concremare, sicque cum somno pariter elapsa est. Quæ nimium perterrita, mox proprio conjugi curavit indicare, cujus visionis finem genitor ut audivit infantis, sillabarum dictionibus futura ejus opera complexus est, dicens,

Heu me dulcis amans, quæ nos tua facta sequuntur,
Augurium suum monstrat, sua visio dira,
Hac tuus hic ovus tegitur, qui clausus in alvo,
Diliget aut illum spernet, qui sanguine charos
Posthumos ac cives viperino devoret ore,
Ac velut ignis edax cunctorum pectora adurat.

A Hæc ille in extasi mentis licèt prædixerit, nos quoque propriis intuiti sumus obtutibus (7), qui innumerabiles insontesque homines illius fato conspeximus per ignem, atque gladios corruisse. Ignis itaque ille ipsum humani generis sanguinem, qui postea eo operante fundendus erat, sub quadam specie similitudinis prætendebat. Quod ne cui incredibile videatur, tot mihi testes sunt, quot penè homines versantur in urbe, hujus enim actio, exitus, finisque in subsequenti propalabitur.

Horum denique genitor cum extremo diei appropinquaret, vocatis liberis suis, hoc inedictum illis tradidit, ne unquam, quantum B ad se pertineret, sinerent Beneventum cum Salerno pacisci, quia non erit, inquit, proficuum. Quod filii audientes, opere etiam patrarunt, atque suis hæredibus in jus perpetuum sicut à patre susceperant, reliquerunt. Magnum sanè hæreditarium scelus reliquit soboli, adversùs divinum præceptum, quia Salvator dixit suis discipulis, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Accepto itaque jure regnandi, Siconolfo obsequuntur, parvipendunt imperium patris, sed præ omnibus Landenolfus contrarius illi semper & ingratus extitit, adeò ut etiam filio illius natam suam necessitate ductus arctaret. Hoc autem tempore Paulinus Deo dilectus vir, C Capuæ Præsul, ab hac carnea subtractus est fæce, atque Landone supradicto viro decertante, Landolfum fratrem suum Episcopum ordinavit; sed hic incongruam vicissitudinem filiis ejus post patris intulit obitum, quos velut durissimos hostes vario ac perpetuo mulctavit exilio. Mortuo itaque Siconolfo, ut unusquisque quod sibi habile videretur, ageret, filium ejus adhuc annis tenerum loco ejus subrogarunt. Tunc cœperunt prædicti fratres concives suos partim ambitu, partim metu agitati, ferina persequi ingluvie, & custodiis mancipare. Quamobrem & à Pandulfo consanguineo suo Suessam ingenio auferentes, suæ ambitioni nexuerunt, ipsumque & liberos D ejus tolli fecerunt, de quibus unum gladio, alium igne perdiderunt, duosque superstites jugi condemnarunt exilio. Suessam autem postea à Landolfo Landonis filio captam, annuente sibi Sergio, Magistro militum Neap. quia Socer erat illius, nunc usque retinet eam.

Hac tempestate casu, an judicio superno actum sit, tota urbs Sicopolis igne cremata est, ita ne una quidem domus remaneret inusta, præter Empolis aulam; Qua reperta occasione, Landulfus Præsul, & Landenolfus germanus ejus consilium inierunt, ut relicta anguisti montis habitatione, ad plana præclara campestria descenderent, ad commanendum; E Non sumus (inquiunt) caprearum ovile, ut in saxorum cavernis tueamur, ad humilia denique descendamus, ut altos nos & humiles circumspicientibus præbeamus. Quibus tunc assensum Lando minimè præbuit, quia dubium ac frivolum erat, inter tot procellas, urbem munitissimam deserentes, secessu tutiore carere.

His autem invicem ita altercantibus, duo prædicti viri cœperunt ædificare (8) murum super dicto Ponte, qui vulgò Casilinum dicitur.

(1) Initium Principatus Salerni. Vid. Ostiensem.
(2) Ann. 850.
(3) Ann. 859.
(4) Ann. 870.
(5) A quibusdam vocatur Radelchisius.
(6) Locus corruptus.
(7) Aetas Heremperti.
(8) Circa Annum Domini 863.

Digitized by Google

tur. Quorum opera ut perſpexit Lando, illico abiit, ac mirificè perfecit ædificare urbem. Ut autem munita eſt, & habitari cœperat, ſupervênit Guido cum univerſis Tuſcis, & obſedit eam, hinc inde graviter anguſtians, quia nolebat ſubjici Aldemario, ob improbitatem Landolfi, & Landonulfi, quoniam illis præ cæteris affectu favebat fraterno, aliis quaſi exteris ſpretis. Dum autem valde intus affligerentur quotidiana pugna, tanto robore & violentia devicti, ſuas cellas ſubdiderunt ejus famulatui, excepto Landenolfo. Quamobrem eorum quæcunque oppida confinia à Landenolfi dominio ſubtracta, & Guidoni ſunt tradita. Quo facto in tantam animi triſtitiam corruit prædictus vir, ut in proximo ſpiritum exhalaverit.

Per idem tempus veterem inimicitiam vindicare volens Aldemarius, filium Maurini Amalfitani, cognatum videlicet Pandonis, dolo cepit, & Sergium Magiſtrum militum, quo cum fœdus inierat, exilio tradidit, pro qua causa ab eodem Sergius, & Marinus fraude captus eſt. Hinc autem æternum jurgium inter Aldemarium & Pandonem ortum eſt, unde factum eſt, ut inſcio Landone Landolfus Epiſcopus, & Pando ſuaſerint Guaiferio, filio Daiferii Balbi, & fecerint apprehendere Aldemarium Principem, Guaiferiumque ſponte ſibi Seniorem elegerint, jurantes ei gravi juramento. Sed ocyùs ad conſueta vitia defluentes, huic ſunt poſt acceſſum Landonis Soceri illius mentiti.

(1) Mortuo denique Landenolfo, non multum poſt, Lando dictus Paradiſi, percutitur languore per annum integrum, feſſuſque detinebatur. Hoc agnito Sergius Magiſter militum, præſidio illectus Aldemarii, dirupit juramentum, quod cum Landone peractum fuerat, & adversùs filium illius bellum excitavit. Nam octavo Idus Majas, quo Beati Michaëlis Archangeli ſolemnia celebrantur, qua etiam die à Beneventanorum Populis Neapolitanos fortiter cæſos legimus fuiſſe priſcis temporibus; hac ergo die nullum honorem dans Deo, miſit duos liberos ſuos, Gregorium Magiſtrum militum, & Cæſarium, nec non & Landulfum generum ſuum, Sueſſanum, cum quibus Neapolitanorum, & Amalfitanorum exercitum tam pedeſtrem, quàm equitum penè ad ſeptem millia virorum miſit, dans ei præceptum, ut Capuam obſideret. Quibus audacter occurrit ceu leo prædictus Lando junior, reperitque eos tranſvadatos pontem Theodemundi, & ſuos acriter incitans, totis viribus ſuper eos irruit, atque cuneum eorum ſcindens gladiis, ventilavit, captumque Cæſarium, & fermè octingentos alios, reliquos in fugam vertit, ſicque triumphans reverſus eſt. Pando autem illius avunculus, Aldemarii metuens adventum, ad monumentum quoddam Traſaraci interius obſervabat excubias. Poſt hæc Pando creato Marino à Cunciolis, Cæſarium cum univerſis libertati reſtituit (2).

His quoque diebus Lando Senior creſcente interim languore ad extrema perductus eſt, vocatiſque duobus fratribus ſuis, Pandone ſcilicet, & Landulfo Antiſtite, Landonem filium ſuum eis commendare ſtuduit, atque in manibus eorum tradidit, dicens, Deo teſte, Sanctaque ejus Eccleſia, vobis eum commendo, ut ab eo in futuro judicio judicemini, quo in præſenti abuſi eo fueritis, ſicque obiit; Quo migrato, non diu juramentum fraternum præſtitum obſervarunt, ſed ſub dolo, pro cupiditate Caſtaldatus, & Landonem & cæteros fratres ab urbe repulerunt, & à Guaiferio alienati ſunt, cui ſacramenta recentia dederant, præcipuè Landolfus per Evangelium, Miſſarumque ſolemnia, nec non per manus ſacratas ſuas illi non ſemel juravit. Hoc facto, Lando Cajacciam ingreſſus eſt, capto in ea Ajoaldo, qui à prædictis viris ad cuſtodiendam eam fuerat directus. Eodem igitur tempore Landolfus frater Landonis Caſam-irtam (3) cepit, ſed ſuperveniens Pando cepit eum cum XL. Primoribus, quibus redditis, Caſtrum Cajacciæ recepit, receptis filiis Pandonis à Guaiferio, & Landolfo eorum fratre. In quibus exterminatis minimè eorum rabies quievit, ſed cœperunt eos perſequi jugiter, etiam in terminis Sueſſæ expugnantes, hos ſiquidem Guaiferius Principes non ſegniter adjuvabat, & multotiens locum cedebat eis, nolens fruſtra Chriſticolarum fundere ſanguinem. Sed Landonolfus Præſul non religionis gratia, ſed imbecillitate deportatus, vi ſuum germanum contra Chriſtum Domini pugnare cogebat. Fretus ergo filiorum trium auxilio, Majonis, & Manienolfi, nec non & Radelgiſii, filii Adelgiſii, Beneventani Principis, eum adversùm dictum Principem ſuum miſit. Sed juſto Dei judicio, à quo omnis poteſtas & ordinatio conſiſtit, ipſe primus occubuit, nonnullis ex eis captis, reliqui autem fugati ſunt.

Inter hæc Seodam vocatur ab Adelgiſio, nequiſſimus, ac ſceleratiſſimus Hiſmaëlitarum, totamque terram Beneventanam igne, gladiis, & captivitate crudeliter devaſtabat (4), ita ut non remaneret in ea aliquis, quamobrem & Gallorum exercitus crebriùs adveniens ad eorum efferitatem opprimendam, nihilque proficiens, viam, qua venerat, repetebat. Unde factum eſt, ut Adelgiſius Beneventi Princeps coarctatus, penſione, & obſidibus pacem confirmaret. Quo tempore Marelpotus Theleſinus, & Guandelpertus Bovianenſis, Caſtaldei, multa cum prece conduxerunt Lambertum, Ducem Spolitenſium, & Gerardum Comitem, ut obviantes eidem Seodam, cùm de Capuæ depopulatione reverteretur, in arvium tellure irruerent ſuper eum. Sed exurgens jam dictus vir, & ſuper Beneventanos & Francos fortiter ſe injecit, & devictis cuneis, plurimos eorum interemit, nonnullos cepit, & crudeliter exuſſit, Gerardus verò Comes, Marelpotus, & Guandelpertus ſupradicti eadem in acie occubuere. Qua de re Seodam audaciam ex illo die potiſſimè ſumens, Beneventum, ejuſque confinia funditus delevit, ita ut nullus locus præter urbes præcipuas illius efferitatem evaderet. Quibus diebus & caſtrum Venafranum cepit, & Cœnobium Sancti Vincentii Martyris deprædatus eſt, & pro ædificiis non combuſtis, tria millia aureorum accepit.

Mortuo autem Pandone, Landolfus Epiſcopus ſolus ſuperſtes remanſit, qui Pandenolfum nepotem ſuum, vice patris ſui Pandonis, Comitem in Capua conſtituit, qui vulneratus in prœlio, in quo genitor occubuerat, ſemivivus evaſerat. Hic autem in familiaritate ſua habebat Daiferium, cognatum ſuum, Majonis ver-

(1) Ann. 886.
(2) Locus corruptus.
(3) Hoc eſt Caſertam.
(4) Rhegino, Oſtienſ. Baron. ad ann. 872.

Digitized by Google

versutias metuens. Landolfus Præsul monuit Pandenolfum, & dato ei adjutorio, alibi eum ad commorandum destinavit, qui nolens ejus consilio acquiescere, egressi tres germani ex urbe Potentia cum eodem Daiferio, castellum invasere: Nam Pandolfus Suessulam, Landolfus autem Casam-irtam, Landenolfus Cajacciæ castrum ab illius genitore jamdudum quassatum, intraverunt, & cœperunt deprædari omnia in circuitu. Hos verò Landolfus ingenio decepit, simulque Guaiferium & Adelgisium Principem delusit, necnon & Landonis filios, nepotes suos, quos jampridem exteros fecerat à proprio solo, dolo evocavit, fratrumque suorum confinia deprædari fecit, atque succendi, dumque quotidie Capuæ in Curia dolos exerceret, hortatus est idem vir filios Pandonis, eum ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ filii Pandonis nexo fœdere utrique urbem introierunt, ad commanendum. At illi ex adverso in unum conjuncti Sacramento sunt, adieruntque urbem, quos statim prædictus vir arte sua fefellit, & perjurare fecit, illisque divisis mentitus est; pro qua causa etiam Pandenolfus ad Imperialem celsitudinem misit Epistolas, ac jussionibus Abbatis in urbem memoratam non est ingressus, quousque veniret Ludovicus, piissimus Augustus, à multis per varia tempora invitatus. Fuit autem idem Landolfus Episcopus ex natura prudens, sed ex consuetudine callidus, lubricus nimirum, & petulans, ambitiosior omni homine, & ultra quam credi potest, elatus; Monachorum quoque infestator, & prædo, de quibus in Tribunali tumidus sedens, solitus erat dicere circunstantibus, quoties Monachum visu cerno, semper mihi futura dies auspicia mala subministrat, justo Dei judicio, ut ab eis incommoda toleraret, quos veluti hostes persequebatur, à quibus etiam in futuro torquendus erat. Principis quoque sui derisor, & perjurus, nepotumque suorum perosor, quippe qui neminem dilexit, præter suæ carnis incentiva, pacem nunquam nec in die obitus sui amplexatus est, sic ubi fœdera facta sensit, totus contremuit, diligens zizaniorum semina. Quod si cui incredibile videtur, animadvertat, quot vicibus Guaiferium delusit, cui pacem juraverat, ipsumque ipse sibi Principem constituerat. Multò enim libentiùs cupiebat captivari animas hominum innocentium, quàm vel pacem cum eis habere, non dico sermonem, contra Apostoli faciens doctrinam, qui ait, Subditi estote omni Ditioni, sive Regi, tanquam præcellenti, sive Ducibus, tanquam à Deo missis: Et alibi, Non est potestas nisi à Deo, itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. His igitur postpositis, Ecclesiastica dogmata, juraque Episcopalia contempsit, Eunuchos solummodo dilexit, eosque cunctis prætulit, implevitque nihilominus Prophetiam Isaiæ; Effœminati dominabuntur eis. Hujus autem viri facta minutim explicare si voluero, faciliùs tempus absumetur, quàm fandi sermo terminetur; Si quis tamen medullitus nosse desiderat, versus à me conscriptos requirat. Antediem verò exitus sui, Capuam trium fratrum suorum filiis ita divisit, ut omni tempore inter eos gladius rixæ nunquam abesset, ut facta ejus si quis ex corde non percipit, oculis videat.

(1) Invitatus itaque Ludovicus Cæsar, ut prædixi, in commune à Beneventanis, Capuanis, cunctisque ad tuitionem perditæ Patriæ, (à Guaiferio autem minimè, quia eum Ludovicus pro Aldemarii captione execrabatur) Beneventi fines per Soram ingreditur, atque priùs Monasterio Benedicti beati applicuit, quò ad eum legati de diversis urbibus venerunt, inter quos Landulfus jam dictus, & nepotes sui ex diverso venerunt. Susceptis igitur Augustis, hoc est, viro & conjuge à Berthario venerabili Abbate officiosissimè, Landulfus ad solitam vergens fallaciam, Capuanos Proceres, quos Cæsari præsentaverat, fugere compulit, ipse solus cum eo remansit, quasi satisfaciens, se nil culpabile apud eum gessisse. (2) Prædictus itaque Augustus Landulfum tunc pro nihilo ducens, Capuam adiit, obsessamque funditus hinc inde circumcirca delevit, & cùm Cives illius Lamberto Comiti illius se tradiderunt, putantes se facere rectiùs, pessimè corruerunt. Postea pro nihilo ducti, omni ferè mense, diversis Judicibus dabantur in prædam. Hoc quoque ita facto, à Guaiferio sine omni suspitione priùs Salernum, & sic demum ab Aldegisio Beneventum exceptus est.

(3) Sequenti anno multis fulctus auxiliatoribus, Barim perrexit, atque cum dicto Seodam Augustalis exercitus pugnam commisit, è quibus etiam superatus aufugit, amissa non modica parte bellatorum. Dehinc omnia eorum circumquaque fata comburens, Materam adiit, quam & sine mora igne cepit. Tunc venit Venusiam, castrametatusque in ea, cœpit renovare, & Barim hinc & inde graviter expugnans, demolitus est, positoque præsidio pugnatorum in Canusia, vicissim eos cornibus ventilabat, quo terrore propulsi multi ad Augustalem confugientes clementiam, dari sibi petebant dextras, quibus tunc solitam misericordiam præbebat. Post hæc, itum est ad Oriam urbem, sicque denique reversus est Beneventum, atque adjuvante dextera superna, cùm jam ad extremitatem maximam pervenissent omnia, Sarracenorum fugato exercitu, Barum cepit, capto in eo Seodam effero Rege, cum aliis nonnullis satellitibus suis. Deinde Tarentum obsideri jussit. Quibus ita peractis, videns diabolus suos exterminari, Christoque universa instaurari principia, recolens & damna inferni, agere studuit sua nequitia (4). Cœperunt ergo Galli graviter Beneventanos persequi, ac crudeliter vexare, qua de re & Adelgisius Princeps aggressus Ludovicum Augustum, cum suis Beneventi intra mœnia degentem, ac securè quiescentem actu doloso sanctissimum virum, salvatorem scilicet Beneventanæ provinciæ cepit, & custodiis mancipavit, bonaque ejus diripiens, ditatus est, cunctosque viros ejus primates expoliavit, & fugere compulit, & de bonis eorum onustatus est; impletusque est sermo Domini ex Prophetia, ubi ait, Percute Pastorem, & dispergentur oves gregis. Consistente itaque Augusto in custodia, excitavit Deus spiritum Hismaëlitarum, eosque ab Africa regione protinus erexit, ut ulciscerentur Augusti opprobrium, sicuti Filii Dei passionem Vespasianus & Titus ulti sunt. Sed defensio Dei dilatata est, in anno scilicet quadragesimosecundo, juxta prophetiam Eliséi XLII. pueros, à quibus illusus est, duobus ursis dedit in comestionem; hujus autem contemptum nec in XL. distulit dies, ex quo datur intelligi, qualis, quantusque

(1) Ann. 870.
(2) Ann. 872.
(3) Ann. 873.
(4) Ann. 872.

Digitized by Google

que vir iſte fuerit, qui tam citò defenſus eſt.

(1) Jubente ergo Domino, Cæſaris ultore, ſtatim Sarraceni Salernum applicuerunt fere XXX. millia, quod graviter obſidentes, hinc & inde, cuncta forinſecus deleverunt, innumerabilibus in ea occiſis colonis, & depopulati ſunt ex parte Neapolim, Beneventum, & Capuam. Quo tempore ambo Lamberti Comites, Auguſti furorem metuentes, Beneventum acceſſerunt, & ab Adelgiſio honorificè ſuſcepti ſunt, quorum auxilio fretus, ſuper Sarracenorum turbas irruit, & viriliter ſtravit, occiſis ex eis tribus millibus viris; quibus etiam diebus, Capuani juxta Sueſſulam mille ex eis peremerunt. Cùmque in hac obſidione prope terminaretur annus; miſſo exercitu jam dictus Auguſtus per ſuggeſtionem Landulfi Præſulis, (hoc enim ſolummodo memorabile bonum geſſit, à die ortus ſui) perdidit ex profanis in Capua ferme novem millia viros (2). Poſt hæc per ſemetipſum dignatus eſt advenire Capuam, cujus adventu cognito Sarraceni, Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eamque intra ſe diviſam reperientes, funditus depopulati ſunt, ita ut deſerta ſit velut in diluvio. Priuſquam autem fugam arriperet nefanda gens hujuſmodi, ſignum de Cœlo Deus multis oſtendit, faculam igneam, quæ maximè celeri curſu in medium navium decidit, quam mox tempeſtas ſecuta eſt, cunctas diſrumpens liburnas fruſtatim. Guaiferius verò pro ſua obſeſſione, Petrum cognatum ſuum, & Guaimarium filium ſuum, legatos ad jam dictum Auguſtum miſit, quos ille conſilio Landulfi retinuit, & exilio deſtinavit, hujus etiam poſtea duos filios obſides ſuſcepit.

Per idem tempus jam dictus Cæſar Landulfum in familiaritatem alliciens, tertium in Regno ſuo conſtituit; Qua elatione erectus, Archiepiſcopatum totius Beneventi omni adjudicari (3), & ut Capua Metropolis fieret, quæſivit, ſed Domino non ſinente ad perfectum non pervênit. Ludovicus volens Beneventum acquirere, ſed minimè valens, ad propriam receſſit conjugem, natamque ſuam, Capuam relinquens. Qua occaſione reperta, idem Landulfus Guaiferium Principem, cui noviter juraverat, apprehendi fecit, & in cuſtodiam detrudi, ſed quia non ea contigerunt illis, quæ putabant, dimiſſus eſt, & filios Landonis, Landonem ſcilicet, & Landulfum cognatos ſuos per ſe obſides dedit, quos ſecum remeans Auguſtus detulit, & Ravennæ in exilio reliquit. Plebs autem ipſius Auguſti Capuæ remanſit, illaque abeunte, non multum poſt genitor illius divæ memoriæ Ludovicus diem clauſit extremum, ſicque filii Guaiferii, & Landonis abſoluti ſunt. Qui dum ad proprium ſolum repedaſſent, filios Landonis extra urbem ſuam exules invenerunt, ſociatique ſunt illis, quorum ſocietatem Landulfus ut intellexit, doluit, Guaiferiumque Principem mox evocavit ad ſolatium ſuum, qui ſine mora veniens, utroſque fratres ſubdidit famulatui illius. Cur autem jam dicto Auguſto ſupradictum opprobrium, Domino permittente, Beneventani inferre quiverint, de multis, duo inferam; Primum, quia veniens quodam tempore Romam (4), ut duos Epiſcopos condemnatos ad priſtinam reduceret dignitatem, dum nollet ei conſentire Nicolaus Papa, vir Domino plenus, ſecundùm antiquum morem, obviam ei candidatum agmen Sacerdotale miſit; & ille ſpreto timore, dicitur fuſtibus Clerum cædi feciſſe, Cruces verò, omniaque ſacrata miniſteria pedibus calcari, Romaque penè milliari ſpatio deprædata eſt, Vicariumque Chriſti quaſi vile mancipium ab officio ſui miniſterii, niſi Dominus reſtitiſſet, privare voluit; Secundum, quia capto Bari, Seodam omnium hominum flagitioſiſſimus, non juxta voluntatem Domini interfectus eſt crudeliter, ut dignum erat, ut fecit Samuel Agag Amalechitarum Regi, quem in fruſta diſcerpſit: Quemadmodum etiam quidam Propheta Samariæ Regi dixit de quodam ſceleſto viro: Quia dimiſiſti, inquit, virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius.

Remiſſo igitur Adelgis Ludovico Cæſare, theſaurum omnem retinuit, & Seodam, & Annoſum, nec non & Adelchim. Reparatis etiam viribus Sarraceni, cœperunt pedetentim Barim, & Cannenſe Territorium deprædari, quibus ter obviavit Adelgis in finibus Apuliæ, quibus nihil prævalens, invictus ille & triumphator abſceſſit. Quo etiam tempore cum Annoſo veniens, Tarentum intravit, & Rex effectus eſt, egreſſuſque inde Beneventum graviter deprædavit, & Teleſam, & Aliphan, tantamque victoriam adeptus eſt, ut Seodam jam dictus poteſtatem ſub Adelgiſium habere peteret; Et ob id Annoſum & Adadelbach antea apocryſarios illi miſerat. Hoc audientes quicunque Bari reſidebant, Gregorium Bajulum Imperialem Græcorum, qui tunc Hydrunti degebat, cum multis exercitibus aſciverunt, & Barium introduxerunt ob Sarracenorum metum. Qui ſtatim appræhenſum Garſt, illiuſque Primores, Conſtantinopolim miſit, ut quibus non occidendis jurejurando fidem dederat (5). Interea ipſi Græci crebriùs Legatos Beneventum, Salernum, & Capuam dirigebant, ut ab iis auxiliarentur contra Sarracenos. Sed in uno animo, eorum ſpernebant flagitationes. Salernum enim, Neapolis, Gajeta, & Amalphis, tunc pacem habebant cum Sarracenis, & cum multis navalibus Romam graviter anguſtiabant depopulationibus. Sed cùm Carolus filius Judittæ ſceptrum inſigne Romam ſuſcepiſſet, Lambertum Ducem, & Guidonem germanum illius miſit in auxilium Joannis Papæ, & Guaiferius in eos contendens, fœdus eorum dirupit, & multos ex eis peremit. Sergius verò Magiſter militum (6) conſilio Adelgiſii, & Lamberti deceptus, noluit ſe ab illis alienare, qui ſtatim à Papa anathematizatus eſt, & cum Guaiferio belligerare cœpit (7). Unde contigit, ut ipſo octavo die anathematis XXII. milites Neapolitanos appræhenſos decollari fecerint; ſic enim monuerat Papa (8). Quo etiam anathemate mulctatus idem Sergius, non multo poſt à proprio germano captus eſt, & Romam mittitur, ac ſuffoſſis oculis ibi miſerabiliter vitam finivit. Ipſe autem frater ejus in loco ejus ſe ipſum Principem inſtituit. Adelgis verò dum caſtrum Tribetenſe obſeſſum caperet, ad propriam remeans urbem à ſuis nepotibus & amicis

(1) Id refert Baronius ad ann. 874.
(2) Ann. 872.
(3) Loc. corruptus.
(4) Romam primò adiit Ludovicus an. 858. Vid. Sigonium Heremperto in hac re contrarium.
(5) Ann. 877.
(6) S. Athanaſii Neap. Epiſc. nepos.
(7) Ann. 877.
(8) Ann. 876.

Digitized by Google

amicis extinctus est, & in loco ejus Gaideris, filius Radelgarii, nepos extincti Princeps Beneventi ordinatus est, electusque est Bailus Daiferius gener illius. Hic autem principare voluit, cujus cupiditate socerum suum peremit (1). His quoque diebus Landolfus præfatus Præsul percussus interiit, qui die suæ correptionis ab omnibus Presbyteris Sancti Benedicti caballos expectabat, ut in barathrum non absque equis rueret. Videntes autem nepotes illius depositionem, in unum collecti diviserunt inter se sub jurejurando Capuam æqua distributione, Pandolfus urbem Theanensem, & Casertam; Lando Berelasis, & Suessam; alter Lando, Calenum, & Cajatiam. Adenolfus cœpit ædificare castrum in Calvo, Landolfum autem adolescentulum Landonis filium, Clericorum, Sacerdotumque nonnullorum assensu, unanimiter Pontificem constituerunt. Sed segnitie proprii genitoris, qua naturaliter torpebat, retentus, non est mox sacratus. Sacramentum autem fraternum non diu extitit illæsum, nam à quarto Idus Martii, usque ad XII. Idus Maji vix perduravit. Cupiditate etenim extorti filii Pandonis, Landenolfum, & Adenolfum fratres suos, filios videlicet Landenolfi senioris dolo ceperunt, & custodiæ indiderunt, capto ab eis Cajatiæ castro, quod eis sacramento sponte ipsi in sorte concesserant.

Sed ut cœpta breviter prosequar, filii Landenolfi juncti cum filiis Landonis, ad auxilium Guaiferii Principis se contulerunt, à quo aliquando evocati sunt. Similiter Pandenolfus ad eundem Guaiferium legatos cum chirographis variis misit, sed ab eo minimè receptus est, favens prædictis fratribus. Cernens autem prædictus vir omnino se destitutum ad Guaiderisium Principem, & Gregorium Augustorum Bajulum, qui tunc cum dicto Guaiferio Nolam ad colloquendum in unum convenerant, ad Beneventum destinabat legatos, invitabatque, ut qui primùm venisset ad eum adjuvandum, ipse esset illi subditus. Quibus ex diverso sine mora per Cajatiam, Sicopolimque adventantibus, ab occasu, juxta urbem Capuanam confederunt. Guaiferius autem è contra ab ortu Solis adveniens, Berelasis (2), hoc est, ad Amphiteatrum applicuit cum suis, & vallata est civitas hostibus. Inter hæc Pandenolfus renuit subdi Guaiderisio, sicut promiserat, renitente maximè Landone, filio Landenolfi, cognato ejusdem Guaiderisii, qua de re dictus Bajulus, & idem Guaiderisius alienati sunt ab eo. Mox alii per urbem Capuanam, nonnullis lintris fluvium transierunt partem ad alteram, & Guaiferio sociati sunt, atque recollectis Landenolfo, & Aldenolfo fratribus junctim, voluerunt subdere Guaiferio Pandenolfum, sed non valuerunt, eo quòd nolebat patrueles suos recipere intra urbem, idcircò à Guaiferio respuebatur. Agnoscentes autem supradicti viri versutias Pandenolfi, reversi sunt ad propria. Guaiferius autem tunc remansit in urbe Capuæ; hac quippe tempestate, penè omnes Capuæ illustres, & omne vulgus cum uxoribus, & liberis omnibus, & cum omni suppellectili, urbe egredientes, alii filiis Landonis, nonnulli autem ex eis, filiis Landenolfi adhæserunt, factaque est inter eos valida concertatio, & pessima desolatio. Nam Guaiferius hostiliter juxta murum urbis residens obsidebat eum; ultra fluvium verò, cum Francis Lamberti Comitis Landonem constituit.

(3) Alio quoque anno superveniens Guaiferius Princeps cum Amalphitanis, tempore messionis, obsedit dictam urbem undique, factaque pace inter se fratres sub sacramento, ita dumtaxat ut neuter eorum triticum de agris priùs recolligeret in urbes suas, quàm instante Pandenolfo, Apostolica auctoritate anathema mitteretur super eos, ut ingressis dictam urbem nullus eorum super alios auderet insurgere. Guaiferio igitur reverso ad solum proprium, illico Pandenolfus sacramenti oblitus, perjurus effectus est, nam Romam, ut spoponderat, minimè missum destinavit, & contra animam suam agens, triticum omne recepit, quem statim ultio Divina subsecuta est, nam cælitus ignis demissus est, & penè funditùs consumpsit memoratam civitatem.

(4) Per idem tempus Athanasius Præsul Neapoli Magister militum præerat, qui, ut præmissimus, exulato fratre proprio, cum Sarracenis pacem iniens, ac primùm infra Portum æquoreum & urbis murum collocans fecit, ut ii omnem terram Beneventanam, simulque Romanam, nec non & partem Spoletii diruentes, cuncta Monasteria, & Ecclesias omnes: urbes, & oppida, vicos, montes, & colles, insulasque diripuerunt. Qui etiam decentissima, totoque orbe veneranda S. Benedicti, & S. Vincentii Martyris Monasteria deprædati sunt, & combusserunt, aliaque innumerabilia, præsertim Suessulam, quæ veraciter Christianorum fraude miserabiliter suffossa est. Huic igitur sociatus est Pandenolfus, cujus adminiculo fretus, acriùs persequebatur fratueles suos ac fratuelas. Primo tempore labores eorum hinc & inde abstulit, atque cum Neapolitanis, Cajetanis, ac Sarracenis unitus, biduo super castrum Pilinzæ irruens, impugnavit, nihilque proficiens, inanis abscessit. Sequenti verò anno generalem motionem faciens, cum suis Neapolitanis, & Sarracenis super Colossum, ubi filii Landonis degebant, insedit, priùs tamen illos, qui in terris residebant, super arenam, pecuniâ acceptâ, deposuit, & Capuam remisit (5). Filiis autem Landonis in Amphiteatro circumseptis, pacem cessit, accipiens ab eis Liburiam sub sacramento. Qua etiam vice memoratus Pandenolfus denuo super Pilanum castrum cum Neapolitanis ex improvisò irruens, fraude cepit, ab eis traditum, qui intus ibi morabantur, ubi & ego captus sum; & omnibus bonis à pueritia acquisitis exutus. Ipse pedester ante equorum capita usque ad urbem Capuanam exul evectus sum decimo Kalendas Septembris, Anno Domini DCCCLXXXI.

Pandolfus autem confestim super Calvum projectus est, stipatus agmine Neapolitanorum, ibique munitionem extruens, residebat. Sed filii Landenolfi cùm viriliter eis resistentes essent, subitò idem recessit, à filiis Landonis jampridem ablata Suessa sacramento eidem largita. Apprehensus autem fuit Adenolfus à supradicto viro Landone. At germanus ejus non segniter egit, nam mox Calvense castrum invasit, propter quod captus est. Idem Adenolfus cum suis cœpit ædificare muros Castri: pars autem nobilium parata erat ad prœlium, & pars vulgi vallis parietem construebat,

(1) Ann. 877.
(2) h. e. Virilassi.
(3) Ann. 878.
(4) Ann. 879.
(5) Ann. 881.

Digitized by Google

bat, ficque consummatus est. Post biennium fermè elapsum, ab eodem Landone reparatum est memoratum castrum, quo abiens cum universis suis, & satis datis per universos concives oppidi de ministerio suo, & vasis humatis, victualium quoque, & vini, omni vigilantia desudans, ad pristinum statum dictum oppidum erexit. Non est autem prætereundum, quòd in principio rixæ, cùm idem Pandolfus fratueles suos persequebatur bestiali efferitate, Landolfum electum filium Landonis supradicti, cui Sedem S. Stephani Episcopalem sub jurejurando tradiderat, à castro Episcopii expellens in cellula Sac. Mysteriorum degere fecit: & sibi in zetula Episcopali mansionem exhiberi jussit; quod & factum est. Hoc cernens dicto Electus, metuens dicti viri versutiam, egressus ex urbe ad Episcopalem Sedem propriam Beati Prothomartyris properavit, quò posset quietam ducere vitam. (1). Interea occasione reperta, Landenolfum germanum suum conjugatum, clericum fecit, mittensque Romam Joanni Papæ Episcopum fieri postulavit, in quo & exauditus est, & pro hac insania, & fraterna, civilique expugnatione, nixiùs rogati, Bertharius sagacissimus Abbas Monasterii supradicti Sanctissimi Benedicti, & Leo venerabilis Præsul Theanensis, ad Urbem profecti sunt, adieruntque dictum Pontificem, obsecrantes eum suppliciter, ut tam grave periculum non ageret, unde ruina terræ, & sanguinis effusio procul dubio fieret, cui etiam dictus Abbas expressè inquit. Certè si hoc fecerit tua Potestas, grandem ignem accendes, ad te usque pertingentem. Prævalens tamen voluntas Pontificis, Landenolfum Episcopum ordinavit. Hoc factum est, quia Pandenolfus priùs se subdiderat dicto Papæ, in cujus nomine & chartæ exaratæ, & nummi figurati sunt, juxta præscientiam dicti Abbatis. Talis itaque ignis exortus inde est, ut omnis Beneventana tellus, & ipsa Romana ditio à Sarracenis propemodum funditus deleta sit. Pro qua causa dictus Papa bis venit Capuam, & primò dum resedisset juxta urbem, in loco, qui Antonianus dicitur, omnes Langobardi hostiliter illum adeunt. Nam ex una parte Athanasius Episcopus cum Pandenolfo aderat, ex altera verò parte, utriusque fratueles, cum Gaiderisio, & Guaimario Principibus, habentes Græcos, advenerant: & quotidie præsente Papa utræque acies in præcinctu exiliebant. Quocirca Joannes Papa Landenolfum pridem Electum consecravit Episcopum in Ecclesia Beati Petri Capuani, totumque Episcopatum inter ambos æqua portione dividi præcepit. Ecclesia verò in qua consecratio celebrata est, paulò post à Sarracenis per Pandenolfum vocatis, & ab Athanasio missis, igne media exusta est.

(2) Circa hæc tempora, Guaiferius Princeps, Monachus effectus est, & languore depressus gravi, diem clausit extremum. Et quia ob incursionem Ismaëlitarum, corpus ejus ad Cœnobium Beati Benedicti Patris ferri non valuit, in Ecclesia Theanensis castri humatum est, donec cœlitus requie præstita, ad Sanctum deferretur locum. Per idem tempus Iserniam, Suessulam uno mense, castrum etiam Bovianum eodem anno capta Ismaëlitæ combusserunt. Quo tempore suasus Gaideris Beneventi Princeps à Landona cognata sua alienatus, Pandenolfo sociatus est, filiamque ipsius suo tradidit filio; sed in proximo à Tribulibus dicti Landonis captus, custodiæ mancipatus est, ejusque in loco Radelgis filius Adelgisii Princeps est constitutus, qui tribus vix annis imperans, à Beneventanis ejectus est, & Ayo, frater ejus, loco illius subrogatus est. Gaideris verò Francis traditus in custodiam, fuga lapsus, pervênit ad urbem Barensem, in qua morabantur Græci, à quibus missus est ad urbem Regiam, Basilio pio Augusto, à quo honoratus, ditatusque donis Imperialibus, Oriam urbem accepit, ad convivendum.

(3) Hac tempestate Pandolfi feritatem non ferens Athanasius, relinquens eum, filiis Landenolfi, & Landonis copulatus est in societatem. His diebus idem Præsul missus Apocrisarius, ad Siciliam, Sarracenis ad radicem Montis Besubii residentibus, Sulthaimum Regem exposcit, illisque veniens præfecit; sed justo Dei judicio, primò omnium super eum insurgens, cœpit Neapolim graviter affligere, & devorare omnia exteriùs. Itaque ut apostolicum anathema, quo erat innodatus, à se, & urbe sua expelleret, Guaimarium Principem, omnesque Capuanos ex urbibus, & oppidis, cunctosque maritimos in suum adjutorium advocavit, & Sarracenos ab eodem loco vi repulit: illi autem Agropoli castrametati sunt. Hoc facto, non multò post, prædictus Præsul unà cum filiis Landonis, & filiis Landenolfi super Capuam advênit, dictamque urbem obsidens affligebat. Qua necessitate compulsus Pandenolfus, Radelgisium Principem, cognatumque suum in auxilium incitavit. Is autem segnitie deposita, mox Ayonem germanum suum advocans in comitatu suo, Capuam expugnans, audacter ingressus est; Post hæc Ayo cum Beneventanis, & Capuanis egrediens, cum filiis Landenolfi, Amalphitanos habentibus, certamen iniit, & aliquandiu certatum est juxta portam urbis. Cùmque neutra pars alteri cederet, utræque acies ad sua reversæ sunt. Redeunte itaque Radelgisio ad propria, Athanasius ad solita conversus arma, simulavit universos fratueles pacisci, cohortatusque est eos, ut dato sacramento ad alterutrum, omnes ingrederentur urbem, quasi communiter habitaturi, & Pandenolfus ab eodem Præsule juramentum accepit, ne ullas contra eum moliretur insidias. Tunc omnes fratres in unum adunati, Capuam adierunt, dato priùs Amphiteatro eidem Athanasio, & ille Gaiferio ad cohabitandum tradidit, ad perpetuum Capuanorum jurgium. Cùm verò adessent universi, ut diximus, omnes juraverunt, ut pacifici, & sine ulla molestia dicti viri intrarent ad commorandum. Pandenolfus autem recepit eos ovans, cum clericis, veste amictus candida. Illi autem mox ingressi intrò, apprehenderunt Pandenolfum, & Landenolfum fratrem ejus, quem supra Episcopum descripsimus, cum omnibus consentaneis, sequacibus, & fautoribus eorum, & hi omnes missi sunt Neapolim; & uxores, filii, & filiæ, missi sunt illuc.

(4) Inter hæc Sarraceni totam supradictam terram crudeliter laniabant, ita ut desolata terra cultoribus spinis, & vepribus repleretur. Guaiferius autem hæc videns, suasus ab Athanasio, immo & Athanasius ab illo vocatus cœpit bellum inferre dictis fratribus, atque cum Sarracenis eos affligebat, & acriùs infe-

(1) Ann. 879.
(2) Ann. 879.
(3) Ann. 879.
(4) Ann. 884.

Digitized by Google

insequebatur. Tunc nutu Dei, à quo omne bonum procedit, quendam Agarenum ab Africa evocans, Regia de stirpe procreatum, Agropolim, inde ad Garelianum, in quo præsidebant, ad mœnia Ismaëlitica misit, atque omnium illorum mentem accendens hortatu, universos Sarracenos tam de Gareliano, quàm de Agropoli communiter collecti, in Calabriam, ubi residebat Græcorum exercitus, super Sarracenos in Sancta Severina commorantes, properarunt, ibique omnes Grajorum gladiis extincti sunt. Deinde Amanteum castrum captum est, deinde jam dictæ Sanctæ Severinæ oppidum obtentum est.

(1) Basilio Sereniſſimo augusto his diebus defuncto, duo filii ejus in Imperio electi sunt, idest, Leo primogenitus, & Alexander subsequens; tertius verò Stephanus, Archiepiscopatum ejusdem urbis (ejecto Photio, qui olim à Nicolao primo Sedis Pontificiæ, ob invasionem Episcopatus Ignatii, adhuc superstitis, perpetuo anathemate fuerat mulctatus, & à Joanne Papa, ut ita dicam, ignaro, restitutus) regendum suscepit.

Interea Athanasius solita fraude cupiens supradictos fratres sequestrare ad invicem, Landoni juniori, filio ultimo Landonis, præstantissimi viri, neptem suam adhuc lactentem in conjugium cessit, ad hoc, ut vincula fœminarum illaquearent eum, ascitumque eum monuit serpentino ore, ut fratueles suos caperet, & quod magis ambiebat, occideret; scilicet ut ii omnes inter se rixantes, aut omnino interirent, aut deficerent, & ipse Capuam caperet. Et quoniam Lando segnitie torpebat naturaliter, immobilis stetit, & constans, Athanasius autem protinus consilium repperit sibi accommodatissimum tunc, sed non in longum benè succesſurum. Etenim festinanter Adenolfum ascivit, eique secretiùs intulit; Ex omni gente Langobardorum Capuam incolentium, elegite mihi habilem, & ex omnibus fratribus tuis te solummodò prætuli, consentientem mihi, & in cunctis obtemperantem, virumque industrium. Id circo si meis verbis aures tuas accommodaveris, in cunctis prosperaberis. At ille cuncta se patrare velle respondit, quæ imperasset; cui ille: Cape filium Landonis, & esto tu solus imperans Capuæ, ut Sico progenitor tuus Capuæ singulariter imperavit. Ille verò hæc fratrum consilio reservavit, quibus omnem venenosi Athanasii versutiam indicavit. At illi obstupefacti signo se Crucis munierunt, dicentes; Ante moriamur, aut exulemus, quàm super fratres nostros, justè, aut injustè, insurgamus unquam. Donec enim erit in manibus nostris, non insidiabimur sanguini nostro. Mox itaque juncti filii Landonolfi munierunt se horribili & penè inaudito sacramento cum filiis Landonis, & vinculo gravis anathematis. Statimque Adenolfus abiens, Athanasio retulit voluntatem fratrum suorum ratam fore fratuelibus suis, & in nullo penitùs moveri. At ille duriùs hæc accipiens, hostis factus est illis.

Eodem tempore Guaimarius supradictus Princeps cùm nimium affligeretur ab Athanasio Episcopo juncto cum Sarracenis, essetque ex toto depopulata tellus ipsius, ita ut capi potuisset, nisi Divina pietas restitisset, ad Græcorum se contulit suffragium, à quibus nobiliter est adjutus (2). Nam & auro & frumento adjutus est, & auxiliatoribus stipatus est, qui custodirent urbem & populum ejus; quod etiam adhuc servatur, Ayo autem Princeps Beneventi, & ante Principatum, & post, partim imbecillis, partim robustus extitit. Abeuntibus autem in Calabriam Sarracenis, illamque perdentibus, Docibilis Dux Cajetæ centum penè quinquaginta ex eis secum retinuit, ut sine Sacerdotali Sarracenorum officio non remaneret, adinstar Judaicorum Regum, qui diviso inter se bifariè Regno, Levitas majori ex parte Hierosolymam, ubi templum erat toto Orbe authenticum, congregaverunt. De horum itaque numero, ferè ad centum viginti Sarraceni, urbem Theanensem audacter adierunt, sicut priùs agere tentaverant, quando plusquam quingenti erant. Sed super eos Lando ceu leo audacter cum suis veniens, usque ad ultimam internitionem pertrivit eos, ita ut non nisi quinque evaderent. Athanasius autem cernens se derisum ab utrorumque fratrum responsionibus, tristior effectus est solito: sed ocyùs invênit consilium habile sibi. Missis siquidem legatis, trecentos Græcos suum in auxilium ascivit, Chasano Duce eos præeunte. Tunc callidè pace facta cum Capuanis, mox quando vindemia legitur, cùm esset Capua validè afflicta, & à foris depopulata, omnes certatim aggressi sunt tam priores, quàm etiam mediocres ad vindemiandum, suggerente hoc vel maximè Guaiferio, sicque jam dicti Græci cum Neapolitanis atque theatralibus viris deprædati sunt totam Capuam, apprehensis in ea multis, & præstantissimis viris, peculiisque non modicis. Ab illo igitur tempore omnia circumquaque devastantes Liburiam vindicabant Tibinam; insuper Sarracenos Agropolitanos, qui nuper juxta rivulum Clarii, non procul à Suessula consederant, clam evocavit, & Capuam misit. Sed tunc egredientes Capuani, validè restiterunt eis, ideoque absque præda ad castra repedaverunt. Lando autem senior tunc apoplexia percussus interiit. Dictus itaque vir, prout mente conceperat, novis & inauditis machinis insurgebat adversùs Capuanos, adeò ut tempore Quadragesimali cùm omnis Plebs Christicola & præterita defleret mala, & à Deo posceret, ne flenda committeret, mediante festo Dominico, subsequente crepusculo, collectis Græcis, pluribusque Ægyptiis, & Neapolitanis, Guaiferio Duce præeunte, urbem Capuanam tentaverit invadere, atque ascenderunt murum quasi trecenti viri armati diversorum generibus telorum. Sed Domino adjuvante, alii sponte ex eo desilierunt, quidam cervice tenus fracti sunt, nonnulli verò gladio occubuerunt. De nostris unus solùm nomine Hunnericus, & ut fertur, à suis extinctus est.

Bellum itaque narratum cœlestis ille Arbiter, & Judex, non per bellicosos & armipotentes egit viros, sed per quatuor impubes mirificè gessit, ad laudem sui nominis. Ille autem, confractis licèt viribus, quod concupierat, minimè agere cessavit. Nam & Salernum per Sarracenos priùs, & postea per Græcos, multoties capere molitus est, sed non est permissum à Domino.

Eodem quoque tempore Guido filius Guidonis senioris super Sarracenos in Gariliano castrametatur, & hostiliter irruens, castra eorum dirupta deprædavit, & aliquot eorum gladiis pere-

(1) Ann. 836.

(2) Ann. 879.

Digitized by Google

peremit, reliqui montium per opaca, velut aqua, diffusi sunt. Is autem appropians ultra transvadit, & ad pontem, qui Theudemundi vocatur, castrametatus resedit aliquandiu, & ablato ex Liburia frumento, aliisque victualibus delatis ad Capuanos, reconciliati sunt cum eodem Duce Spoletano non desfœderati. Sed cùm retroverteretur, urbemque transiret, subdiderunt se illi, metu coacti. Ipso verò ad sua remeante, prœliatus est sæpè contra eos viriliter præfatus Athanasius, tulitque illis, adjutus auxilio Græcorum, omnia à foris, sataque, quæ videbantur possidere à parte Capuæ, nec non & superiùs, illaque replicata sunt post reditum supradicti Ducis, per Cassanum Ducem multipliciter patrata sunt, quæ hîc à me strictim sunt dicta.

(1) Post hæc, suggestum est eidem Spoletano Duci, ut veniret quantocyus, & liberaret confidentes ipsi, sin autem se omnino perditionem subituros. Qui mox veniens Capuam, Ayonem Principem à Benevento ad se venientem consilio Capuanorum cepit, & sub custodia Beneventum duci fecit, in quam introiens, multa, ut Dominus ordinavit. Cùmque inde proficiscens, Sipontum ingressus esset, Ayonem foris reliquit in castris. Cùm autem cognovissent Sipontini Ayonem seniorem suum captum, in supradictum Ducem unanimiter irruentes, clausere illum in quodam templo, captis ejus optimatibus. Hàc, illacque tunc missum est, & adductus est Ayo, redditusque est suis. Alio verò die sacramento dato, vix cùm dedecore elapsus est. Deinde Cassano Constantinopolim abeunte, quidam Stratigò Augustalis, Joannem Candidatum, quem lingua Pelasgica vocant Joannicium, cum trecentis belligeratoribus direxit Athanasio Episcopo, cum quo idem vir Capuam hinc & inde prædavit, atque ob vindicandam perfidiam aliquorum, Pandenolfum ex vinculis ereptum, libertati restituit, qui à Magisperto receptus est Suessam, & junctus est Græcis, atque universa animalia Capuæ ab iis ablata sunt. Qua de re Landolfus filius Landenolfi, & Landolfus Episcopus adierunt dictum Ducem in Spoletio, ab eo petentes auxilium, Landolfus Episcopus à Spoletio reversus est, Lando autem cum eodem Duce per Sipontum Capuam advênit, qui per aliquot dies à bello residuos, Capuam frumento implevit, acceptoque nuntio, repentè Romam profectus est, Capuam relinquens in manibus dicti Præsidis. Is autem statim super Sanctum Heremum Græcos, & Neapolitanos direxit, quem diù obsidentes, eos qui in sublimibus residebant, cepit, & deinde Capuam ex utraque parte graviter affligebat, ita ut quasi obsessa videretur, nam juxta Sicopolim, Græci cum Neapolitanis, & Pandonolfo residentes, omnia circumquaque stirpitus devorabant. Unde contigit, ut octuaginta ex eis Calenolum adeuntes, super Theanum latenter irrumperent; quibus ex diverso Theanenses, & Adenolfus cum aliquot Capuanis occurrerunt juxta Sanctam Scholasticam, prope Castrum Theani, à quibus & victi sunt.

Per idem tempus Monasterium S. Benedicti à Sarracenis priùs dirutum anno Domini DCCCLXXXIV. ab Angelario Venerabili Abbate cœptum est reædificari, anno Domini DCCCLXXXVI. mense Augusti, à quo reversi, dum Capuam repeteremus, à Græcis capti, exutique sumus, & exequitati, ablatisque equis, & spoliis, & ministris cunctis, homines argento redempti sunt, equos recollegimus quinque. Ego autem solus cum præceptore pedester remansi, sicque à Capuanis delati sumus in urbem Capuam: inde Neapolim pertranseuntes, nihilque proficientes, infructuosi remeavimus Capuam. Deinde tria plaustra onerata victualibus, multisque opulentiis, juxta Anglenum, ubi priùs capti sumus nos, apprehensa & deprædata sunt. His itaque crudeliter gestis, Adenolfus Spoletium pergens, dato prævio juramento, quasi ad trecentos armatos secum eduxit, cum quibus & consilium iniit, ut Gastaldum Capuanum sibi firmaret: sed ingredientes Capuam, cùm hoc adimplere nequissent dicti Franci, resistente, ac contradicente præcipuè Landone germano ejus, quem dudum ipse cum cæteris fratribus Gastaldeum in his, quæ ad eos pertinebant, instituerat, ab eodem Adenolfo absoluti, via, qua venerant, repedarunt. Tunc dictus Adenolfus consilio habito cum suis cognatum suum ad Athanasium subdolè misit, poscens ab eo auxilium, ut adjuvaretur singulariter fieri Comes in Capua. Hæc audiens ille gavisus est, & spopondit se in omnibus illi auxiliaturum, cùmque hoc à plurimis terque quaterque Landoni fuisset relatum, ille solita segnitie, & torpore detentus, parvipendens, pro nihilo ducebat hujusmodi nuntium; & febris ardore succensus, Theanum adiit, curandus à languore, quo detinebatur. Adenolfus interim à re cœpta nec gressum quidem removit, sed protinus existimans parturire se posse, quod jamdiu corde conceperat, Neapolim ire festinabat anxiè. Hoc ergo cùm ad aures Landonis perveniisset, illico Aldegisium & Aldefridum Capuam misit, ut dictum virum suo hortatu à cœpto itinere deviaret, & adjecit; Ego autem Missa audita, & comestione finita, subsequar vos. Illi ergo abeuntes dictum virum retinere nequiverunt; erat autem dies Dominicus, & deinde Lando proficiscens, eum minimè repperit, jam enim abierat, quo facto sustinuit Lando reditum ejus, illique recurrenti dixit Lando, & cæteri fratres; Quid egisti illic, quò ivisti? cui ille respondit verba bona, verbaque consolatoria, sed deceptionibus plena; Illi tamen iis auditis, & nimiùm creduli acquieverunt ei credentes. Deinde Lando non advertens fraternum dolum, sed negligentiæ somno depressus, non intelligens telum latens, quo jaculabatur, donec transfigeretur, Theanum rediit sanandus, quem Landolfus frater ejus invisere veniens, Landenolfus solus in urbe relictus est. Cernens autem hæc Adenolfus, & videns sibi tempus adesse congruum, priùs simulavit cum conjuge & liberis de civitate egredi, & Calinium quasi ad habitandum, adire; inter istud, cùm Juvenalis & pecunia paciscereturet, dato sacramento, & præmissis multis muneribus, disrumpens jusjurandum, quod cum filiis Landonis ter juraverat, cùm somni tempus advenisset, Sabbatho post Epiphaniam, hoc est, VII. Idus Januarii, advocatis sodalibus suis super filios Landonis, non segniter se præparaverunt adversùs hujusmodi conamen, sed fugientibus eis, in quibus confidebant, concussi sunt validè, & maximè ex hoc turbabantur, quia putabant, quòd Lando cum omnibus germanis suis esset in hoc dissidio. Videntes autem hi se destitutos

(1) Ann. 879.

Digitized by Google

tos esse ab omnibus, cesserunt Adenolfo, & egredientes noctu ex urbe Theanum advenerunt, Landenolfo, Pandone, & nepote eorum Guaiferio clamitantibus eis post tergum. Nolite ire Theanum, quia certissimè capiemini. At illi Theano appropinquantes existimare cœperunt, ne forsan à Landone tenerentur astricti. Nuntiato itaque adventu suo, officiosissimè sunt susceptì.

Adenolfus autem Gastaldatum Capuanum singulariter suscipiens, continuò se Comitem appellari jussit, moxque filium suum Athanasio obsidenti, direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, & Liburiam, & Capuam sub jurejurando illi concessit. Athanasius verò retinuit illius sobolem, quousque factum illi à Guidone repromissum susciperet, dictusque Athanasius accepto fœdere gallico reddidit illi filium, & custodita est pax inter utrumque anno uno, & mensibus tribus. Misitque idem Adenolfus Romam Mayonem Venerabilem Abbatem, & Dauferium Diaconum, ut suaderent Stephano Papæ, (1) quòd ipse foret illi proprius famulus, & promisit quoque ei reddere Cajetam, adjuvaretque eum contra Sarracenos, in Gariliano residentes. (2) Qui postea eunctorum oblitus, ex his, quæ promiserat, nihil omnino adimplevit.

His quoque diebus Theophilatus Stratigò à Bari Theanum advênit hostiliter, hyemis tempore, Sarracenos tentans in pugnis, nihilque proficiens, infructuosus abscessit, abiensque Neapolim, Marinum Gastaldum castri Sanctæ Agathæ, Ayoni rebellem secum accepit; & Apuliam rediens, nonnullas munitiones ejusdem Ayonis vi apprehendit, unde occasione accepta, idem Ayo adversùs Augustalem Dominum rebellionis jurgium initiavit, quod suo in loco inseretur.

Ante hoc sanè tempus, Guaimarius Princeps Constantinopolim, ad Augustorum subsidia confugiens accessit, à quibus benignè susceptus est, & Patritius ab eis factus, cum honore ad propria remissus est. Cùmque adhuc ille illic moraretur, Athanasius dolorem conceptum in opus proferens, Græcos, & Neapolites, ac omnes Capuanos generaliter movens, super Abellarum misit castrum, in quo tunc præerat Landolfus Suessulanus. Mox autem ut illuc supervênit exercitus, fraude illorum, qui intus erant, captum est, apprehenso in eo Landolfo, & filio ejus juniore, qui cum Guaimario profectus fuerat. His itaque decursis, suasus Lando ab Adelgisio, aliisque Capuanis, unà cum Guaiferio, in quandam tractoriam, plaustrum vehentem, intromissus, Capuanam urbem ingressus est, atque ad Episcopalem abiit Aulam, ubi pauci ex eis congregati sunt, Adenolfo accelerante. Tunc autem commissum est prœlium, mortuoque Valane, illustri viro, dissolutum est cor eorum, qui in parte Landonis erant, & cœperunt illum derelinquere, & Adenolfo associari. Tunc, licèt fictè, pacis osculum sibi mutuò fratres obtulerunt, quod in arca cordis minimè retinebant. Lando autem post ista cum Guaiferio ad propria remeavit, & reliqui consentanei illorum capti sunt, & vinculis innexi: inter quos & Landolfus Præsul captus est, & in custodiam detrusus. Post non multum tempus, per singulos dies omnes absoluti sunt.

(1) Stephano VI. sive V. ut alii vocant.
(2) Ann. 887.

(1) In diebus illis; quando Adenolfus regendi Gastaldatum jura suscepit, omnia quæ B. Benedictus infra urbem Capuanam possedit, fratribus exulantibus auferri præcepit. Qua de re, missus ego ab Angelario Venerabili Abbate, & Episcopo, ipse vestigia Apostolorum adii, Stephanum Summum Pontificem postulaturus pro rebus nostris ablatis, à quo & benedictionem fratribus detuli, & Privilegium nostri Cœnobii, & supradicto viro litteras exhortatorias attuli. Et verò domitialis res ablàta reddita est; mente autem ex toto illi subtracta, etiam Cellam mihi ab Abbate traditam, concepto dolore, vi abstulit.

Interea cùm Adenolfus jam memoratus Capuam cepisset, advertens Athanasius Capuam fortiter concussam, cœpit occasionem quærere adversùs Adenolfum, & obsides ab eo accipere, & pacem innovare, decurrentibus missis inter alterutros, Mayo supradictus Abbas, & Auxensius Neapolim profecti sunt, quos Athanasius ad amphiteatrum ire jussit, simulque Adenolfum illic adesse voluit; quatenus firmato fœdere unà cum Guaiferio Consule, filium suum cum aliquantis ad Capuam obsidem mitteret. Hoc autem faciens insidias tetendit latenter cum Græcis, & suis, ad capiendum illos. Sed quia nondum erat completa malitia, quæ post paululum divinitus punita est, facta est morula, sed & filium suum infra urbem clausit, supradictosque viros misit ad Arenam. Egressusque statim Græcorum cuneus supradictos apprehendit viros, & depredavit totam Capuam graviter, moxque sine dilatione cunctum equitatum, & pedestrium exercitum mittens, omnia fata Capuæ succidi, exterminarique fecit funditus. Præsciens autem Deus dicti viri malitiam, & volens præstare Capuanis misericordiam in tam crudeli persecutione, permisit eundem Athanasium in tantam elationem perferri, ut etiam Beneventi fines bis, terque prædari faceret. Ayo autem tunc Bari degens, impugnabat Græcos, impugnantes se. Is itaque hoc audiens, illico, segnitie depositâ, cum tribus ferè millibus bellatoribus clanculò veniens ad castrum Abellinum, & intelligens Græcos & Neapolites residere super Capuam, radicituscque eam devastare, illico super eos audacter adventare studuit, sed zizaniorum sator Dauferius, Dauferii nostri genitor, urbe Beneventi egressus, subdolè, ac si secuturus Principem, ex diverso itinere Capuam properavit, & eis adventum indicavit Ayonis. At illi relictâ Capuâ, Neapolim reversi sunt, Ayo autem iter, quod cœperat, peregit, illisque minimè repertis, Liburiam ingressus est, cum quo & Adenolfus abiit, & exustâ penè totâ Liburiâ, atque deprædatâ, populisque, & bestiis ablatis, puteisque saxis oppilatis, ad amphiteatrum profectus est, in quo residens per aliquot dies, machinis & diversis telis expugnavit illud, indeque abiens ad castrum Sanctæ Agathæ, illic insedit, atque Marinum Gastaldum sibi rebellem, in fide ad se remeantem suscipiens, abscessit, atque aliquandiu Beneventi commorans, per Sipontum Barim reversus est. Adenolfus autem ab Ayone excedens per sacramentum, ab eodem in adjutorium sui centum viginti fermè bellatores viros suscepit, quibuscum graviter totam Liburiam deprædavit; Sed quia desperatio nonnun-

(3) Ann. 887.

Digitized by Google

nunquam periculum gignere ſolet, generaliter moti Materenſes è Calvo, & aliquot Capuani cum Apulienſibus juncti, Liburiam circumeuntes, Sueſſulam deprædarunt, & reverti cœperunt, quibus occurrit Græcorum Neapolitumque exercitus juxta rivulum Lavii, atque in unum mixti, ſupervalebat pars Adenolfi parti Græcorum, ſed ſuperveniente acie à tergo, illi in medio circumſepti devicti ſunt, & partim capti, partim gladiis extincti ſunt. Hac de causa audaciam ſumens Athanaſius, cœpit bellum expetere, unde Adenolfus non ſegnis redditus, continuò cum ſuis Atellam adiit, dumque prœlium non inveniſſet, reverſus eſt ad ſua.

At non multò poſt inſtigante inimico humani generis, collecto Athanaſius multitudinis exercitu, mixto Græcorum, Neapolitum, & Hiſmaëlitarum, equitantium, & pedeſtrium, miſit illos, adversùs Capuam pugnaturus, quibus occurrit Adenolfus ultra rivulum Lavii, habens in comitatu ſuo auxiliatores ab Ayone miſſos, atque Sarracenos, qui tamen ex utraque parte juncti ſteterunt, nulli præbentes auxilium. Adenolfus hoc videns, acriùs ſuper inimicos ſuos inſurgens pertrivit eos uſque ad ultimam pernitiem, occiſis plurimis, multiſque captis, reliquos oppido fugere compulit, victorque triumphans ad caſtra ſpoliis onuſtatus repedavit, de ſuis autem unum tantùm amiſit, & ipſum à ſuis occiſum eſſe ferunt. Ab hoc ſanè die cœpit Adenolfus eſſe potens, Athanaſius verò impotens. Hinc inchoavit omnia fata eorum diripere, cunctaque bona eorum vehiculis diverſis ad urbem trahere. Hoc quoque, quod narro, omnes audiant aures, ut paveſcant omnes, & ad Deum revertantur. Guaiferius enim Præfectus Arenarum, qui penè omnia mala, quæ facta ſunt in diebus ejus, opere ſuo geſſit, fecitque patrare, cujus præſtigio Romana tellus depopulata eſt, & Beneventana regio funditus deſolata eſt, hoc exitium & finem accepit. Nam ſubitò ſuperna expirante gratia, adversùs eum excitati ſunt illi, à quibus ipſe putabatur ſalvari, mutataque mente illum apprehenderunt, bonaque ipſius diripientes, viguerunt, ipſumque Proconſulem deſpicabilem Capuam, Adenolfo conſentiente, remiſerunt, aqua tribulationis ſugillatum. Tuncque univerſi, qui à propria ſede olim fuerant exulati, reverſi ſunt, factumque eſt gaudium magnum, pax, & ſecuritas, cœperuntque præeſſe, qui ſubeſſe ſoliti erant, & qui per trecentos (1), & eo ampliùs annos imperaverant, legibus ſubeſſe cœperunt; Tunc cohors Bardica triumphans, regnare cœpit ſuper eos, à quibus ſemper armis ſubigebantur.

Interea videns Athanaſius ſe in omnibus ſuperatum, pacis expetiit fœdus, quod adeptus eſt; factoque jurejurando amici ad invicem effecti ſunt. Primum tamen ſacramentum roboreum erat per menſem, vel tempus annotatum, iſtud autem nec ad diem duravit duodecimum. Denique Hiſmaëlitæ hàc, illàcque diſcurrentes, omnia devorant, & contra Neapolim unanimiter conſurgunt, æquo valde examine, ipſumque ſupernum jaculati ſunt ſolium. Ab his proculdubio Athanaſius perculſus eſt, cum quibus Chriſticolum genus penè omne pertriverat. Hæc autem audientes nolite cor apponere ad id quod Deus meritis alicujus iratus fecerit, ſed ad id, quod ſua miſericordia, miſeriis hominum motus, egerit, juxta illud, Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Dicit quoque Propheta, Nonne qui prædaris, & ipſe prædaberis? Quid ergo erit de his, qui prædantur proximos ſuos? Nunquid Neapolites vaſtabuntur, qui vaſtaverunt? Beati, qui Domino cuſtodiente, immunes ab hujus ſæculi procella exiſtunt, ubi omne malum, & nullum ſine Domino bonum regnat.

Ayo denique à Benevento per Sipontum Barim profectus, ſuper quam Conſtantinum, Auguſtorum aulicum & Patritium, inſidentem repperit, rebelles Imperatorum viriliter impugnantem, adversùs eum auxilio fultus Hiſmaëlitarum, & vallatus agmine pedeſtrium Apulienſium audacter inſurgens, primo impetu victor exiſtens, de hoſtibus plures interfecit: deinde à Conſtantino, qui cum tribus millibus equis tuto conſiſtebat in loco, validè contritus, vix cum aliquot urbem ingredi valuit Barim, reliquis aut gladiis, aut captivitati traditis. Hic autem Græcorum obſitus vallo, infra urbem eſt occultatus, ſuſtinens ſuffragium Adenolfi, quod pridem perquiſierat, & non invênit. Nam & Gallos, & Agarenos promiſſis aureis ſæpius mixtim invitans, obtinere nequivit. Adenolfus autem cum Athanaſio pace interim cuſtodita ferè binis diebus, poſtea ſciſſo fœdere utraque pars ad prædam prorupit. Sed Capuani validiores effecti, per ſe & cum Sarracenis Neapolim, circumquaque vaſtantes, lacerant, & igne conſumunt omnia, æquo Dei judicio, ut qui cum Sarracenis gladio & captivitati Chriſticolas tradiderat, boniſque eorum ditatus eſt, non immeritò ab his flagelletur, rodatur, & prædetur.

Defuncto autem Lamberto (2), filio Guidonis ſenioris, Spoletium reliquit, quo etiam decedente, Guido junior Spoletium & Camerinum ſuſcipiens, cum Sarracenis in Sepino caſtrametatis pacem fecit, obſidibus datis & acceptis. Cujus etiam tempore ſupradicta cœnobia, urbes, & oppida omnia à Sarracenis capta & exuſta ſunt. Regiam igitur ad urbem legationem dirigens, contra jus faciens, pecuniam accepit; quamobrem à Carolo III. captus eſt, & niſi fugam arripuiſſet, capite plectendus erat. Denique cùm à Siponto idem Dux, Adenolfo comitante, Capuam pergeret, in loco, qui Caudi dicitur, Arranem Hiſmaëlitam, tyrannum crudeliſſimum, cum trecentis penè ſequacibus ſuis peremit. Cognoſcens autem Guido Carolum Auguſtum ſeminecatum jacere, cupiditate regnandi devictus, deceptuſque à contribulibus ſuis, relinquens Beneventanam provinciam ſibi ſubactam, Spolitenſium Ducatum adiit, ibi regnaturus. At Beneventi quidem tellus à Græcis tollitur, & capitur, & Spoletium etiam deprædatur ab Agarenis, ipſe autem Guido manet ibi inviſus & inauditus. Interea Ayone obſeſſo infra urbem Barim à Græcis, auxiliumque efflagitante à Gallis, & à ſuis, Adenolfus formidans Athanaſii minas, legatos ſuos ad Conſtantinum Patritium, qui reſidebat ſuper dictam urbem, & fœdus cum ipſo ſtatuerat pacis, vires reſiſtendi, Ayoni actu doloſo abſtulit. His & aliis argumentorum decipulis, dictus Ayo cernens ſe deluſum, doluit, tandemque neceſſitate coarctatus, cum memorato Patritio pacem faciens, urbem dimi-

(1) For. triginta.

(2) Ann. 910.

Digitized by Google

dimisit, & ad propria remeavit.

(1) Eadem tempestate, dum idem Adenolfus Dauferium nostrum Diaconum disponeret Tarantum, & inde Regiam ad urbem transmittere, ipse questus est adversùs eum de inopia. Itaque oborta inter alterutrum contentione, sequestrati sunt, & Adenolfo incumbente super Capuam, Dauferius Theanum, commoraturus ibi, properavit. Paulò post, concordiâ compositâ, ad eum, à quo se separaverat, regressus est.

Per idem tempus Græci navaliter ad Constantinopolim, Regiam tellurem adventantes ex adverso, & Ismaëlitæ ex Africa, & Sicilia properantes, junxerunt se inter Messanam urbem Siciliæ & Rhegium, & mutuò juncti sunt Græci, tantoque metu territi sunt reliqui Achivi, qui remanserant, ut tam viri, quàm fœminæ, & parvuli, relictis civitatibus, cum omnibus, ad loca tuta se receperint, nemine tamen persequente.

Sed quamobrem talia permiserit Divina æquitas illi belluinæ genti, narrabo breviùs. Achivi, ut habitu similes sunt, ita animo æqua-

A

les sunt bestiis, vocabulo, Christiani, sed moribus nequiores Agarenis. Hi videlicet, & per se fideles omnes prædabant, & Sarracenos emebant, & ex his alios venales Oceani littora farciebant, alios verò in famulos & famulas reservabant. Talia & his similia videns Deus, tradidit illos in opprobrium, & devorationem, ut recogitent, & intelligant, quia in operibus suis diris Deum irritaverunt. Acta sunt hæc in arcto spatio maris, quod dividit Regnum à Sicilia, qui locus olim tellus erat, sed moderno tempore à Pharo æquore occupatus est. Hæc inquam gesta sunt Anno Domini 888. mense Octobris. Hoc etiam anno reversus est Guido ad Italiam, quam principare cupiit, sed obtinere nequivit. In Italia

B

enim juxta civitatem Brescianam cum Berengario & ipso Duce pugnatum est. In quo conflictu utriusque partis acies crudeliter cæsa est. Spolia autem cæsorum à Berengario recollecta sunt, pacti sunt tantùm ad invicem usque ad Epiphaniam, quæ celebratur VIII. Idus Januarii.

(1) Ann. 912.

Finis Epitom. Chron. Heremperti, ex MS. Cod. Vat.

Pauca

Digitized by Google

Pauca hæc excerpta ex fusiore Heremperti Historia, quòd tractent de sacris quibusdam, & Ecclesiasticis rebus, libenter scripsimus è papyraceo Cod. quem satis emendatè ante quinquaginta circiter annos exaravit Vir doctus Jo. Baptista Bolvitus.

DUm Francorum Rex (*Pipinus*) Papiam A obsidens, constringeret civitatem, tunc Aistulfus Rex ferociſſimus Langobardorum, ut venienti illi tribueret, & quod priùs contempserat, conscriptas in pacti fœdere redderet civitates, se omnibus modis professus est redditurum: & denuò confirmato anteriore pacto, quodam . . . . . lapsam octavam Indictionem, ut inter partes convenerat, restituit ipsas præfatas civitates, addens etiam castrum, quod cognominatur Comaclum: de quibus omnibus receptis civitatibus per donationem in scriptis, eas Apostolicæ Sedi commisit possidendas. Aistulphus itaque Rex, de quo præmisimus regnavit an. 7. men. 5. Fuit audax, & ferox: & ablata B multa Sanctorum Corpora ex Romanis finibus in Papiam detulit, construxitque eorum oracula. Ibi & Monasterium Virginum, & suas filias dedicavit, idemque fecit Monasterium in finibus Æmiliæ, loco, qui nuncupatur Nonantula. Pro ejus cognato Abbate Arsenio virorum cœnobium fundatum est, nec non ipsemet per certas provincias sacris Monachorum Cœnobiis multa est dona largitus: sed & valde dilexit Monachos, & in eorum mortuus est manibus. Tunc Desiderius quidam Langobardorum, qui ab eodem Aistulpho Rege in partes Tusciæ erat directus, audiens præfatum obiisse Aistulphum, illicò aggregans ipsius Tusciæ universi exercitus multitudinem, Regni Langobardorum nisus est arripere fastigium. Hujus personam despectui habens Raichis dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus præfati Aistulphi, sed & alii multi Langobardorum optimates cum eo eundem Desiderium contemnentes, majorem multitudinem Langobardorum ex cæteris exercitibus etiam transalpinis aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt. Ut hæc præfatus Desiderius audivisset, prædictum Papam Stephanum deprecatus est, ut sibi auxilium ferret, quatenus ipsam Regalem dignitatem per ipsum valeret assumere, spondens jurejurando omnem prædicti Pontificis adimplere voluntatem: insuper & Reipublicæ . . . . . se redditurum professus est. Tunc idem Pontifex inito cum suis consilio, Paulum suum germanum . . . . consiliarios in partes Tusciæ ad prædictum Desiderium misit: cum quo loquentibus, Desiderius per scriptam paginam hoc quod spoponderat terribili juramento firmavit. Hoc verò peracto, statim suum Missum prædictus Papa Stephanus misit cum exhortatoriis literis præfato Rachisio, & cunctæ genti Langobardorum direxit: properans ut Fulradus venerabilis Abbas cum aliquantis Francis in auxilium abiret ipsius Desiderii, sed & plures exercitus Romanorum, si necessitas exigeret, in ejus dispositione occurrere adjutorium: & suffragantibus ipsius Pontificis Deo acceptis precibus, ita omnia Deus disposuit, ut sine ulla animarum periclitatione antefatus Desiderius eandem, quam ambiebat, assumeret regalem dignitatem.

Dum verò hæc agerentur, direxit Missum suum præfatus Pontifex, & accepit ipsas civitates, quas prædictus Desiderius Rex reddere promiserat. Cùmque Rex per 28. an. placidè Langobardos rexisset, omnis tunc Italiæ finis valdè quievit: tantùm initio sui Regni Spoletini, & Beneventani rebelles fuerunt: sed Rex hyemis tempore cum suo exercitu pergens, eos per pugnam ad suum reduxit servitium.

In præfati Regis Desiderii temporibus floruit in arte Grammatica Diaconus Paulus, qui fuit ortus ex Forojulienſi civitate, parentibus secundùm sæculi dignitatem non infimis: charus etiam Regi, intantùm, ut ipse Rex in omni arcano verbo consiliarium eum haberet. Per idem tempus Pipini filius Carolus Desiderii Regis filiam sibi in matrimonium sociavit: & aliam præfatus Rex habuit filiam, cui nomen Adelberga fuit, quam nuptui tradidit Arechi Beneventano Duci.

Ipse de quo præmisimus Arechis cùm regnasset ann. 29. mens. 6. jam ætate maturus, apud Salernum placida morte quievit, atque juxta Ecclesiam Dei Genitricis ad sedem ipsius est humatus. Per idem tempus Sanctæ ipsius Ecclesiæ Robertus Episcopus præerat, qui ob amorem tanti viri super tumulum ejus, ejusque uxoris ac filii cameram construere fecit. Fuit autem Princeps Ariches, vir mitis, & apprimè liberalibus disciplinis imbutus. Hanc ipse civitatem undique munivit: atque in ea miræ magnitudinis, immo & pulchritudinis palatium construxit: & ibidem in Aquilonis parte Ecclesiam in honorem Beatorum Petri & Pauli instituit, quam, ut ajunt, dum olim asylum Principis esset, & ipse Ariches Idolum ingens illic invenisset ex auro fabrefactum, inde ipsam Ecclesiam deauravit. Idem Arechis erga Dei culturam sese creberrimè coarctabat: & undique prospera illi Dominus concedebat. Nam Argivos potenti dextera superavit, & in fugam compulit. Qua habita victoria, non in elationem est raptus, sicut tyranni assolent, & ad deteriora perveniunt, sed Creatori suo, qui conterit bella, immensas gratias exhibebat. Ipse inopes & debiles diverso habitu induebat, cibariaque abundanter eis tribuebat: & Redemptor Christus vires necnon & gloriam libenter illi largiebatur: isque sua arva illæsa servabat: & omnes sub ejus ditione lætabantur, & exultabant. (1)

Enodare autem fidelibus volo, qualiter Omnipotens Deus antequam Arechis ad dignitatem perveniret Principalem, ei ostendit, qualiter honorem vigoremque ei daturus esset. Quadam quippe die, dum cum suo Principe (*Laitprando*) in Ecclesia B. Protomartyris Stephani (quæ constructa est in veterrima urbe Capuæ, ab Imperatore Helenæ filio Constantino: eaque in honorem omnium Apostolorum dedicata, licèt postea à Beatissimo Germano ejusdem urbis Episcopo ob collatas ab Imperatore reliquias B. Protomartyris Stephani,

(1) Infra post multas paginas.

phani, necnon & B. Agathæ virginis, proinde ea in honorem Protomartyris Stephani vocata est), dum ut diximus, in eundem Ecclesiam, Langobardorum more, accincti pugionibus altrinsecus, introissent, & dum unusquisque indesinenter orasset, sic etiam Arechis adolescens, *Miserere mihi Deus*, labiis impressis canere cœpisset, cùm pervenit, ubi dicitur. *Spiritu principali confirma me*, illico spata illius contremuit, ac si aliquis illam concuteret. Ille verò, oratione completa, hoc quod sibi contigerat, cum pavore seriatim suis collectaneis enodavit. Quorum unus, qui erat sapientior cæteris, in talem sermonem erupit: De hac instabili vita minimè es, quantum mihi videtur, discessurus, antequam ad dignitatem Principalem Dominus te perducat. Id postea annuente Deo ad tutelam Langobardorum probavit eventus. Nam dum Dux nomine Luitprandus fuisset extinctus, unà omnes Arechim Principem acclamarunt. Quapropter ad Principalem dignitatem honorificè illum asciverunt. Nec, ut assolent plurimi, per pecunias, & pollicitationes, illum honorem Arechis consecutus est, sed omnium consensu, & quasi agmine coacto, ab illo, qui dixit; ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, Arechis Princeps factus est.

Sico Princeps exercitus sui copias adunari jussit, atque magno apparatu Neapolim properavit, & eam undique constrinxit, & incendiis, à foris scilicet, denudavit; quam & obsidens aliquanto tempore viriliter cum Beneventanorum exercitu coarctavit. Tunc Ursus electus Siconem Principem deprecatus est, ut amplius malum non fieret, neque sanguis Christianorum effunderetur. Ad hæc Sico Langobardorum Princeps admonitionem prædicti Electi audiens, destitit, & pacem inierunt in scripto pacta exponentes mutuæ pacis, Neapolitani, & Langobardi. Et obsides Neapolitanos idem Princeps abstulit. Spopondit verò ipse Neapolitanorum Dux cum universis suis hominibus sub terribili fortissimoque sacramento, atque in ejusdem pacti fœdere per scriptam paginam affirmarunt, se daturum illico omni anno tributum, quod inter eos statutum fuit: atque suis numismatibus ad ipsam civitatem pro mercimoniis graderetur. Et ipse Princeps Sico Januarii Sancti Martyris corpus de Basilica, ubi per longa temporum spatia requieverat, elevavit, & cum magno tripudio Beneventum regreditur. (1)

Interea factum est, ut Tyrrheni æquoris insulas, Ausoniæque universa loca Sicardus Princeps circumiret, & quotquot corpora Sanctorum invenire posset, Beneventum cum debito honore deferret. Atque per idem tempus ex Liparitana insula (2) B. Bartholomæi Apostoli corpus Beneventum magno cum tripudio deferri jussit. Cùm autem talia Amalfitani cernerent, & metuerent ne propria frustrarentur Patrona, scilicet Sanctæ Tryphomenes (3) corpore, quod in portu Reginellæ illo tempore tegebatur, plebe jam ducta in consilium, decreverunt ut illud Amalphiam transferretur. Sicque factum est. Nam dantibus operam majoribus natu Amalphitanorum, antequam ipsa civitas ab inclyta gente Langobardorum desolaretur, ablatum est à propria aula, ubi erat nativa pinus, & cum ingenti honore Amalphiam delatum, atque in Ecclesia Beatissimæ Virginis Mariæ ejus sacrum corpus, Amalphitani honorificè collocaverunt.

Langobardorum phalanx à prædicto Sicardo Principe absoluta, Amalphiam devênit, atque ab eis ipsa civitas, sine humani sanguinis effusione capta est, & depopulata. Cùmque Langobardi omnia, quæ in ornatu Ecclesiæ, & Amalphitanorum ædibus invenirent, diriperent, sacrum etiam corpus S. Tryphomenes Martyris locum gestantes, cuncta per circuitum depopulati sunt, & non solum civitatis munitio intrinsecus, sed etiam extrinsecus prædia cuncta devastaverunt: & sic magno cum tripudio Salernum perveniunt, atque jam dictum sanctum corpusculum per jussionem præfati Principis debito cum honore Beneventum perducitur (4).

In ipsius Gisulphi Principis temporibus inventum est Sacratissimum corpus Beati Matthæi in Lucaniæ finibus, atque cum debito honore, per jussionem jam fati Gisulfi Principis Salernum deducitur. Sed quot evenerint signa & miracula, & quomodo fuerit repertum, omnimodò nunc pandere omittimus: postmodum Deo annuente fidelibus innotescemus, atque huic historiæ adnectere faciemus.

Hactenus ex Bolvitiano exemplari. Alia autem, quæ fusior illa Heremperti Historia habet L. M. prætermittenda existimavi: partim quippe adeò corrupta sunt, & sive ob librarii, sive ob ipsius Auctoris insciti am, tricis inextricabilibus obsita, ut religio mihi pœne fuerit, bonas horas iis intelligendis, emendandisque ponere: partim verò plane falsa, aut fabulis simillima deprehendi. Verbi gratia, id quod de Provinciæ Beneventanæ Episcopis narrat; abiisse scilicet tot sacros Præsules, asellis, quò subjectionem præseferrent, insidentes obviam Carolo Magno, ut ejus iram ab Arechi Principe legante averterent, visoque eminus Rege descendisse asellis, & vultibus humi positis se se totos prostrasse: deinde vix post trinam Regis jussionem, cum magno pavore exurrexisse, & (quod rideas) ante singulos Episcopos singulos iviisse clericos ferulas prætendentes. Anne, ut per eas illi porrectas, potestas fieret irato Regi, Episcopos pro Arechi, veniam adeò demisse flagitantes, pædagogorum more, ferulis verberare? Post unam verò, aut alteram paginam, longè deteriorem nectit fabulam Herempertus: somnium videlicet, (& verè somnium) Arechis Principis, cui vult per quietem fuisse à Diabolo revelatum, Patriarcham qui nuper Constantinopoli electus fuerat, fœminam esse, sexum masculinum sub clerici veste mentitam. Quocirca experrectum Arechim suos nuncios Constantinopolim illico misisse, per quos factum esse scribit, ut tam turpi, & pernicioso errore sublato, fœminâque à Patriarchali Sede dejectâ, pestis etiam, quam tanto sceleri puniendo Deus in eam urbem immiserat, sedata sit. Et vide, mi lector, quàm bene decorum servet Herempertus. Is in ea ipsa Historia (si modò Historiæ nomen meretur, narratio anilibus fabellis, & ineptiis plena) adeò Arechis pietatem religionemque deprædicat, ut & miracula patrasse, & Divinis revelationibus nonnunquam imbutum fuisse scribat: nunc autem sui prorsus oblitus, Arechis san-

(1) Et post multas paginas.
(2) Sic etiam habetur in vita S. Tryphomenes in MS. Cod. olim scripta.
(3) Hæc verò Sancta Virgo origine Sicula fuit à Pacta urbe, ut Bolvit. not. Vide Frecciam. lib. de subf. cap. de Civitatib. Regni fol. 81.
(4) Et post multas paginas.

Digitized by Google

ſanctitatem eò annos defecit, ut illum cum Dæmone, quaſi Synergiaſtam Liberi patris, per ſomnium commercium habuiſſe, ejuſque falſis reſponſis indubitatam fidem adhibuiſſe narret. Prudenter igitur ſe geſſit integerrimus Baronius Cardinalis, qui non niſi cum magno delectu, uti ipſemet ſcribit, ex Heremperto excerpſit geſta aliquot, cæteris Auctori relictis. Quin etiam ob eandem cauſam à diſerto, & diligenti Chronographo Petro Opmeero (ne me ſolum Heremperti fabularum deprehenſorem, lector quiſpiam ſuſpicetur) Langobardi, & Gothi illorum temporum ſcriptores jure merito his verbis exagitan-

A tur, quòd vel ſua extollentes, vel hoſtium facta immodicè deprimentes, popularium que plauſum captantes, fictitia commenta liberè Hiſtoriis inſerebant. *Itaque non multo bonarum literarum damno, Hiſtoria illa Heremperti fuſior ſublata eſt. Et bene atque utiliter Epitome hæc ex illa, vel ab ipſemet Heremperto, ut quorundam eſt opinio, vel ab alio quopiam Hiſtoriarum ſtudioſo conflata eſt: nimirum, ut reciſis, rejectiſque fabulis, & futilibus, quibus ea ſcatet, digreſſionibus, Synopſeos iſtius facies purior appareat, ac rerum Langobardicarum brevis ſaltem notitia Lectoribus exhibeatur.*



Digitized by Google

ANTONIUS CARACCIOLUS

DE LUPO PROTOSPATA.

Reperi hoc breve Chronicon inter antiquas ſcidas Joannis Franciſci Rubei, viri quidem non legum ſolummodò ſed humanarum etiam literarum apprimè periti. Porrò cùm ea ipſa, quæ hoc Chronico continentur, habeat vulgari lingua Diarium illud, in M.S. Cod. Ducis Andriæ, quod continuatur à Juliano Paſſaro, exiſtimo, vel Paſſarum ipſum, vel alium aliquem è latino in vulgarem Italicum vertiſſe ſermonem, & quòd is quo uſus eſt liber nullum præferret Chronici hujus auctorem, nemini proinde ſuppoſuiſſe hanc fœtam. Nos igitur & primi typis committimus, & latinè, uti à Lupo Protoſpata compoſitum hoc Chronicon, ſive Diarium eſt, publici juris facimus. Et hic ſanè libellus utilis erit ad Apuliæ potiſſimum turbas, cladeſque noſcendas.

Quiſnam autem Auctor iſte fuerit, nullo hactenus extante noſtratium Scripturarum Nomenclatore, equidem divinare non poſſum. Conjicio tamen civem fuiſſe Barenſem, & genere Græcum. Prius ex eo colligo, quòd in rebus Barenſibus crebrò verſatur, & quòd ſimpliciter, ac quaſi antonomaſticos ad ann. 886. & 890. Barii Dynaſtam, Principem vocat. Græcum autem genus prodit, tum quia ſæpè græciſſat, uti eruditus lector obſervare poterit, tum etiam, quia Græcos impensè ſe oſtendit amare, cùm ad annum 1085. Dei miſericordiam potentiamque laudat, quòd Robertum Nortmannorum Ducem adversùs Imperatorem Græcorum cum ingenti elaſſe trajicere parantem, inopinato profluvio ventris extinxerit. Vox præterea Protoſpata idipſum fortè innuit, ſive ſtirpis nomen fuerit, ſive Officii. Et veriſimile eſt, virum genere Græcum, & in Apulia ortum, Protoſpatarium (ſic enim habet Cod. Andr. non Protoſpatam) fuiſſe Strategi ſive Catapani Apuliæ, hoc eſt, Palatinorum militum Primipilum. Hoc ipſo Chronico legitur Sergius Protoſpata, & Joannicius Protoſpata, vel, ut utrobique habet Cod. Andr. Protoſpatarius. De qua voce, & dignitate multa afferunt ex Codino Meurſius, Pontanus, Bullengerus, & qui antea dici debuit, doctiſſimus Pancirola. Hos, qui plura volet, adeat.

Digitized by Google

MONITUM
CAMILLI PEREGRINI
POST SERIEM ABBATUM CASSINENSIUM,
Quam infra dabimus.

LECTORI.

ABſoluta jam Serie Abbatum Caſſinenſium, lociſque in vetuſto ejuſdem Monaſterii Chronico, quæ in temporum deſignatione difficiliora occurrunt, expoſitis, in mentem venit utilem nunc quoque operam me tibi poſſe locare, ſi ſtrictim, ac velut in tranſcurſu Anonymi Monachi Caſſinenſis Chronicon, olim paulò negligentiùs procuſum, cognatum quod eſſe præfato Chronico Caſſinenſi, latère nemimem puto, quantum in præſens per otium licet, etiam recenſerem. Manus autem operi extemplò cùm admoviſſem, nam inſtabat Typographus, nec multi id mihi futurum erat laboris, quippe prolixiores Notulas in Quatuor illos unà editos antiquos Chronologos jam pridem à me elucubratas in ſcrinio ſervabam, religione quadam ſum tactus, cenſuique nefas eſſe, quoniam Erchemperti Hiſtoriam mea diligentia ſuæ integritati, & ſinceritati reſtitutam Typis iterum commiſeram, Lupo ſimul Protoſpatæ, nec non Falconi Beneventano, qui præfatum Chronicorum complent quaternionem, currenti licèt calamo, meam pariter opem non præſtare, quos à librariis malè etiam habitos, dolens non uno in loco expoſueram. Vicit itaque poſtrema hæc cogitatio, depravataſque lectiones, quas in Chronicis illis caſtigaveram, publici juris facere conſtitui: quamvis ignarus non ſim alias in iis plures, præſertim in Lupo, curationis indigas, ſed non abſque Scriptorum Codicum auxilio tentandas, remanere. Qui meus in Te, tuaque ſtudia amor ſit Tibi acceptus, rogo. Vale.

Digitized by Google

CASTIGATIONES
IN CHRONICON
LUPI PROTOSPATÆ.

HIc Auctor genere Apulus, in cujus regionis rebus eſt, ferè totus, Materenſis civis nonnullis reputatus eſt, ex illa dicendi forma ſibi uſurpata ad ann. 1093. perſuaſis, *Urbanus Papa venit in Materam*. Neſcio cur hoc eodem argumento non illum fecerint Antiochenum, qui ad an. 1098. dicat: *Chriſtiani bellando venerunt uſque Antiochiam*. At latiniſſimè dictum. *venire*. pro. *ire*. tritum eſt: illud minus, quod obſervavit Salmaſius ad Hadrianum Spartiani. *redire*. pro. *ire*. ſicut. *reddere*. pro. *tradere*. Apud præſentes etiam Italos priora illa duo vocabula ſæpe confundi vel pueri norunt. Alii autem Lupum crediderunt Barenſem; *quòd ille ſimpliciter, ac quaſi antonomaſticos ad an.* 886. *&* 890. *Barii Dynaſtam Principem vocat*. Ab his minimè diſſentirem; in rebus enim Barenſibus multus eſt Lupus, ſi Barii, non Beneventi Princeps fuiſſet Ajo ille utrobique deſcriptus. Erit igitur, dices, Beneventanus. Erit, quibus ea argumentatio probatur; eritque etiam genere Græcus, *quia ſæpe Græciſſat, ac Græcos impensè ſe oſtendit amare*. Mihi autem Apulus eſt; quam gentem diù Græcis, variâque fortunâ olim ſubditam, & commixtam, pleraque illorum vocabula quotidiano etiam in ſermone uſurpaſſe, ac ut fieri per factionem ſolet, pleroſque Apulos etiam poſt ſæcula Græcorum amorem animo ſervaſſe, non eſt diffitendum. Verùm fuerit nè munere, an gente dictus *Protoſpata*: fueritque ex Græci Protoſpatarii muneris nomine gentile deductum ſuæ genti nomen, comperti nil habeo. Illud novi, in antiquiſſimi operis lapidea columma apud Brunduſium, referente Scipione Ammirato ubi de Logotheta, & Protonotario, inſculptum literis ſequioris ævi haberi hoc Epigramma: *Protoſpata Lupus*, ni inverſo ordine legendum ſit: *Lupus Protoſpata*, utpote in orbiculata ſuperficie deſcriptum, in qua non facilè dixeris, quid primum, quid ſecundum. Si is fuit hic noſter, certè vel patria, vel incolatu, aliave occaſione Brunduſinus cenſendus eſt. Hæc de Auctoris genere: de ætate vide ad an. 1088.

Digitized by Google

LUPI PROTOSPATÆ,

RERUM

IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM,

Ab Anno Sal. 860. usque ad 1102.

BREVE CHRONICON,

Cum Appendice Incerti Auctoris, usque ad Ann. 1519.

Adjectæ sunt variæ Lectiones ex MS. Col. Italico Illustriss. Ducis Andriæ.

ANno 860. Indictione VIII. compræhensa est civitas Barum ab Imperatore Constantinopolitano.

Anno 861. Indict. IX. mortuus est Michaël Imperator, & surrexit Basilius Parascensumenus filius ejus (1), & regnavit ann. 21. ipse solus, & ann. 9. cum filiis suis.

Anno 866. intravit Ludovicus Imp. Beneventum.

(2) Anno 867. incensa est Matera à Ludovico Imperatore, & idem Imperator intravit civitatem Oriam.

Anno 868. Indictione prima exierunt Agareni à Baro civitate per Francos, tertia die intrante mensis Febr. eodemque anno compræhensus est prædictus Ludovicus in Benevento.

Anno 875. intraverunt Græci Barum mense Decembr. die Natalis Domini, feria 3. (3) & Gregorius Stratigo, qui & Bajulus dicebatur.

Anno 880. exierunt Agareni de Tarento.

(4) Anno 884. Indict. II. surrexit Alo Princeps mense Octobris. (5)

Anno 885. mortuus est Basilius Imper. & cœperunt regere Leo, & Alexander filii ejus ann. 26. soli, cum eo verò ann. 9.

Anno 886. facta fuit proditio in Baro mense Junii, quando Princeps fecit prœlium cum Stratigo Trapezi, & Græcis. (6)

Anno

(1) Michaëlis obitum alii omnes notant ad an. 867. At Basilius, quem Michaël in filium adoptavit, pridem fuerat ipsius παρακοιμώμενος, *Paracœmomenus*, Latinè *Accubitor*, quæ vox in Hist. Miscella lib. 17. in hanc simul significationem usurpata, atque in *Paracœmumenum*, detorta, præsenti est loco restituenda; itemque in Luitprandi Legatione, ubi leviori errato legitur *Paracœnomenus*; & in antiquis quibusdam schedis, quæ habent *Paracemimenus*. Parum circumspectè nonnulli id verbi verterunt *Cubicularius*. Meursium vide in Gloss. qui Xilandrum sugillat; estque eadem censura dignus Glaber Rodulfus lib. 4. cap. 2. & Codini interpres Gretserus cap. 2. num. 6. qui postmodum in Commentario ejusdem operis, *Paracœmomenum* nulla attentiori observatione, *Accubitorem cubiculi*, esse exponit. Alii nil melius in Hist. Curopalatis *Præfectum Regii cubiculi*. Ab hujus munere aliud fuit munus *Paramonarii*; qui latinè *Stationarius*, & *Mansionarius*; deque eo alibi in Notis ad antiquum Rituale Campanæ Ecclesiæ Cathedralis: nam alter personæ: alter domus custodiæ, & servitio invigilabat. *Peregrinus*.

(2) Zonaras hoc anno figit obitum Michaëlis, & initium imperii Basilii. Sed Græcorum calculus dissidet à calculo Latinorum, ut notat Baronius Tomo 7. ad an. Christi 610. *Caraccioli.*

(3) Restituo *an.* 876. *Intraverunt*, &c. quo anno Christi Natalis incidit in Feriam 3. Erchempertus Num. 38. ista aliquantò susius, actaque dicit, non multò post quàm Imp. Ludovicus Lotharii filius ex hac Cis-Tyberina Italia ultimùm discessit, decessitque, qui in anno sanè obiit 875. Vide Chronol. Comitum Capuæ N. 5. par. 13. & 14. *Peregr.*

(4) *Cod. Duc. Andr.* Alo creatus est Princeps Barii. *Carac.*

(5) Si mense Octobris: ergo Indictione 3. quæ numerari cœpta ab antecedente Septembri. Sed non *Alo*, nec Princeps Barii, ut autumant. Cujus Dynastiæ nomen sensim, & per tempora inductum Normannorum, serò Auctoribus expresse usurpatum legitur; ex alia nimirum, pulò antiquiori nuncupatione *Ducis*, & *Principis Apuliæ*, & *Italiæ* natum, de quo nonnihil infra ad an. 1042. sed uberiùs alibi: quandoque enim fuit Apuliæ caput Barium. Scribe igitur, *surrexit Ajo*: ille inquam, qui Princeps fuit Beneventi post Radelchim II. de quo Erchempertus Num. 48. Ostiensis lib. 1. cap. 45. aliique recentioribus etsi benè noti, parum tamen benè observati; quibus omni cessante argumento reputatus ille est Barensis. *Alo* autem ex *Ajo*, eodem factum est errore, quo in Anonymo Caffin. ad an. 1125. *Sulu*, pro *Suju*, oppidi nomen ad dexteram Lyris ripam à medicinalibus aquis clarum: & in Ostiensi lib. 1. cap. 17. & 18. *Calazzano*, pro *Cajazzana*, lib. 2. cap. 26. *Papinlanus*, pro *Papinianus*, lib. eod. cap. 72. *Decinlanum*, pro *Decinianum*, & lib. 3. cap. 19. *Minlanensis*, pro *Minianensis*, quod etiam nomen restitui debet apud eundem Auctorem lib. 2. cap. 63. pro quo Editio Neapolitana habet *Mutelanensis*: Veneta autem vero magis accedens, *Minlanensis*: antiqui enim Librarii minuscalum. *i.* eadem altitudine, qua minuscu-lum. *l.* depingentes, ansam errandi minùs attentis lectoribus dedêre; qui nihilominus hanc in iis differentiam servarunt, nempè parvulum. *l.* ab ima parte, ut modò etiam fit, deviter dextrorsum inflectentes. *Peregr.*

(6) De hac proditione, ac Barensium rebellione Erchempertus Num. 76. deque regione à Principe Beneventi Ajone tunc pervasa Cedrenus pag. 489. qui id refert ad an. 2. Imperii Leonis VI. (hic fuit Christi 887.) eundemque Principem primitivo, ac desuetо nomine appellat *Ducem*, & depravatè Ἀγγελον, *Angelum*. Certè in Lupo annus 886. vacillat, confer etiam Erchempertum dicto loco cum Chronico Comitum Capuæ Num. 9. Cæterùm adversùs Principem Ajonem missum ab Imperatore Constantinum, dignitate Patritium, idem Cedrenus Erchemperto concordans perhibet; quem ipse unàque Lupus à munere simul, & dignitate appellat Græco vocabulo, τὸν Τραπεζίτην. *Trapezitam*, ideſt *Dapiferum*; sic enim vertunt id verbi in Nicephoro Gregora lib. 7. *Peregr.*

Digitized by Google

Anno 890. obiit Ajo Princeps, & surrexit Ursus frater ejus. (7)

Anno 891. intraverunt Græci Beneventum mense Octobris, & Stratigo Sabbatichi in Sipponto mense Junii.

Anno 894. exierunt Græci de Benevento mense Aug. per Francos. (8)

Anno 900. descendit Melisianus Stratigo in Apulia.

Anno 901. (9) descendit Abraham Rex Sarracenorum in Calabriam, & ivit Cosentiam civitatem (10), & percussus est ictu fulguris.

Anno 912. complentur ab obitu S. Martini anni 51. (11)

Anno 913. Indict. prima coronatus est Constantius Imp. (12) filius prædicti Leonis, qui regnavit ann. 47.

Anno 916. (13) exierunt Agareni de Gariliano, & sunt anni 350. quo intraverunt Langobardi in Italiam (14) sub Alboun Rege eorum.

Anno 916. explentur 40. anni, ex quo Agareni introierunt in Italiam. (15)

Anno 920. introierunt Ungari, idest Unni in Italiam mense Februarii.

Anno 921. (16) interiit Ursileo Stratigo in prœlio de Asculo mense Aprilis, (17) & apprœhendit Pandulphum (18) Apuleo.

Anno 924. capta est Oria à Sarracenis mense Julii, & interfecerunt cunctas mulieres, reliquos verò deduxerunt in Africam cunctos venundantes. *Cod. Andr.* & hoc anno Eusebius obiit Clusii.

(19) Anno 926. comprœhendit Michaël Sclabus Sipontum mense Julii. (20)

Anno 927. fuit excidium Tarenti patratum (21), & perempti sunt omnes viriliter pugnando: reliqui verò deportati sunt in Africam, id factum est mense Augusti in festivitate Sanctæ Mariæ.

Anno 929. Indict. II. Pandulphus, & Guaymarius (22) Principes intraverunt in Apuliam. (23)

Anno

(7) Idem hic est Ajo, de quo supra, Beneventi Princeps; post quem Ursus quidem surrexit, sed ejus filius, non frater. Vide Fragm. Anonymi Beneventani Num. 1. & Chronicon S. Sophiæ Par. 2. Num. 12. *Peregr.*

(8) Nempe per Ducem Spoletii Guidonem. Quanto autem tempore Græci Beneventum, in anno à se pervasam 891. mense Octobris, obtinuerint, variant Anonymus Salern. Par. 4. Num. 4. & seqq. Ostiensis lib. 1. cap. 48. & Chron. S. Sophiæ Par. 2. Num. 13. & 15. Sed in hoc conveniunt, non minus eis spatium tribuentes annorum quatuor. Igitur exierunt Græci in anno 895. de quo in Principum Beneventi Chronologia pluribus. *Peregr.*

(9) Id accidit juxt. latinorum calculum ann. 909. Vid. Jo. Diac. in Actis transl. S. Severini Abb. & ex eo Summont. lib. 1. *Carac.*

(10) *Cod. Andr.* & cùm perveniisset ad Ecclesiam S. Pancratii, fulgure ictus obiit. Summontius lib. 1. Hist. Neap. ex Cod. Andr. figit obitum hujus Regis Abrahami ad an. 902. *Carac.*

(11) Suppleo Typographi defectum, scriboque *anni* 510. nam Lupus æquè ac Sigebertus Sancti Martini obitum ad Christi annum retulisse videtur 402. Rigordus de Gestis Philippi Augusti à cæteris omnibus absurdissimè discrepans, quos vide apud Petavium in de Doctrina, & in Rationario temporum Part. 2. l. 4. c. 12. fluxisse tradit ab Incarnatione Domini usque ad transitum S. Martini annos 445. à cujus morte Franci consueverunt tempora supputare, ut pridem observavit Baronius ad an. 351. *Pereg.*

(12) Verè hic dictus est *Constantinus*, non *Constantius*, utriusque tamen nominis ob affinitatem sæpe invicem facta est confusio, quod docti viri notarunt: sicuti nomen quoque *Maximini* Imp. transivit in *Maximiani* in Actis S. Barbaræ apud antiquum Capuæ Breviarium; ibique in Actis etiam legitur S. Rufini, Campanos aliquos Langobardos ejusdem Divi *Rufini* nomen cum nomine commutasse *S. Rufi*. *Peregr.*

(13) Reponerem for. 918. Sed pag. seq. eundem numerum 916. firmat hic Auctor Vid. ad an. 966. *Carac.*

(14) Sunt hæc invicem separanda. Agarenorum exterminatio de Gariliano ad annum referenda est 915. de quo vide Seriem Abbatum Cassin. in Joanne I. Collectio autem annorum ab adventu gentis Langobardicæ figenda ad annum est 916. nempe juxta Lupi computum, quem pari calculo, ad ann. 966. & ad ann. 1083. Langobardorum Epocham ad annum Christi retulisse volunt 566. Ibi tamen vide, & ad Anon. Cassin. ad an. 1172. *Peregr.*

(15) Otiosè repetitur annus Christi 916. nam Auctor antecedentem, præsentemque collectionem sub unico notarat contextu. Sed hæc summa annorum 40. neque ex vero, neque ad Lupi est mentem, qui dixerat, *Agarenos à Baro exiisse in an.* 868. Saraceni enim Barium advenerunt in anno ferè 840. Erchempertum vide Num. 16. Ignotum Cassin. Num. 4. & quæ ibi notavi ad oram, ubi legendum. *An annos*, &c. ambiguè, & per interrogationem. *Peregr.*

(16) *Cod. Andr.* Commissum est prælium in Civitate Asculi, inter Pandulphum, qui captus est, & Ursileonem Strategum, qui interiit. *Carac.*

(17) Si in prælio illo interiit Dux Græcus, certè *Landulfus* Princeps (nullus enim tunc in hac Cis Tyberina Italia vivebat *Pandulfus*) apprehendit, hoc est cepit Apuleam; nec ipse ab ignoto hoc *Apuleone* apprehensus, hoc est captivus factus est. Sanè Princeps Pandulfus, qui à Græcis tempore Imp. Othonis I. bello victus in illorum venit potestatem, ac duobus non integris annis in vinculis tentus est, de quo Anonymus Salern. Part. 7. num. 4. & 6. cum hoc, sive dicas *Landulfo*, sive *Pandulfo*, confundendus non est. Est autem de eo capiendus Cedrenus pag. 536. apud quem tamen depravatè appellatur. Δανδοῦλος. *Dandulphus*, & imperite. Pro *Rex*, eademque cùm simul perhibeat Curopalates, eodem vitio laborat. Nec de alio Principe Luitprandus Ticinensis in Legatione, ubi perhibet, *Principem Landulfum septennio potestativè Apuliam sibi subjugasse. Pereg.*

(18) *Cod. Andr.* pro Landulpho semper habet Neldulphum: sed vitio, ut puto, librarii. *Carac.*

(19) *Cod. Andr.* Itatachel Slavorum Rex cum suo exercitu obsedit, & cepit Sipontum, mense Julio, die S. Felicitatis, feria 2. *Carac.*

(20) Scriptus Codex Ducis Andriæ addit captam Sipontum *die Sanctæ Felicitatis*, *Feria* 2. quæ in Kalendariis notatur 6. Idus Julii; verèque descripto anno dies illa in secundam incidit Feriam: quod noto, ut hinc constet, Lupum non semper in annis Christi ab aliis discrepare. Vide etiam hîc ad annum 1053. *Peregr.*

(21) Hæc Marinus Freccia de Subfeudis lib. 1. cap. de Prov. & Civit. Regni, ut pleraque alia ex hoc Auctore mutuatus, in annum refert 928. cujus Codices qua ipsius, qua Typographi incuria multis cùm scateant mendis, cautè ad hanc Lupi censuram sunt adhibendi. *Peregr.*

(22) *Cod. Andr.* Principes Langobardorum. *Carac.*

(23) Ista paulò fusiùs in Anonymo Salernitano inedito; apud quem non *Pandulfus*: sed, ut dicebam, *Landulfus* Guaimario Principi Salernitano novo fœdere junctus, Apuliam iterùm invasit: sive jam pervasam armis retinere studuit. Qui ab Imp. Leone 6. jam pridem in an. 910. Patritiatus honore decoratus, cùm ab Græcis, ut superiùs dictum est, in anno defecisset 921. iterum ad officium postea rediit; namque in Tabulario Campanæ Ecclesiæ S. Angeli in Formis data legitur antiqua chartula *in anno 26. Imp. Constantini, Principatus Landulfi anno 35. Atenulfi fratris 25. Atenulfi filii anno ..... mense Aprilis, Indictione octava. Capuæ*: quæ de anno est Christi 935. consimilesque alias plures observare est per subsequentes annos ad annum usque 30. *Imp. Constantini*; 40. *Landulfi*; 30. *Atenulfi ejus fratris*; 7. *Atenulfi filii* (scribo 8.) 1 *Landulfi filii superiùs dicti Landulfi, mense Febr. Ind.* 13. hoc est ad annum Christi 940. quo anno iterum ad arma Græci, ac Langobardi redierunt, ut infra ex Lupo. *Peregr.*

Digitized by Google

Anno 936. venerunt Ungari Capuam.

Anno 939. obscuratus est Sol, & apparuerunt Stellæ mense Julii (24) astante tros dies, feria 3. ad horas tres, Luna 29.

Anno 940. introierunt Ungari, vel Unni in Italiam mense Aprilis, (25) & factum est prœlium in Matera à Græcis cum Langobardis cum Stratigo Imogalapto, & negavit eum Pao in mari. (26)

Anno 942. obiit Pandulphus Princeps die 10. mensis Aprilis. (27)

Anno 945. Indict. III. ceciderunt Romanus, & Ubo mense Decembri (28), & perierunt Ungari à Rege Othone.

Anno 946. factum est homicidium Bari mense Decembris, inter cives.

Anno 947. introierunt Ungari in Italiam, & perrexerunt usque Hydruntum. Et Platopidi (29) sedit in civitate Cupersani, & fuit eo anno bonus introitus (30) per omnem terram.

Anno 950. obsederunt Græci Asculum, & obtinuerunt.

Anno 951. (31) Malachianus fecit prœlium in Calabria cum Sarracenis, & cecidit.

Anno 955. descendit Marianus Patritius in Apuliam.

Anno 956. Incensi sunt (32) Murancius Cleri, & Excelsula in Baro. (33)

Anno 960. Indict. III. obiit Constantinus Imp. qui regnavit ann. 47. & surrexit Romanus filius ejus, & fuit prœlium inter (34) Adralistum, & Ismaël.

Anno 961. capta est Insula Cretes à Græcis sub Romano, mense Martii, & (35) Titabomen capta est à Sarracenis, & obscuratus est Sol.

Anno 963. obiit Romanus Imperator, & elevatus est Nichiphorus, qui regnavit ann. 7. & Otho Rex intravit Romam, & obscuratus est Sol.

Anno 965. introivit (36) Manuyci Patritius in Siciliam, & ibi mortuus est. (37)

Anno 966. introivit Nichiphorus (38) Magister

---

(24) *Cod. Andr.* mense Julio, die 3. fer. 3. hora 3. Luna 29. *Carac.*

(25) De hac Ungarorum excursione Sigon. l. 6. *Carac.*

(26) Fuerit nè Græci hujus Ducis nomen ex nomine ductum Στρατήλαστος: sive dicas agnomen; quod valet *Collactaneus*: non definio. Ad illud: *negavit*, vel stat pro *necavit*: promiscua enim fuere elementa, c. &, g. ut in *Sico*, & *Sigo*. *Acerentia*, & *Agerentia*: &c. de quo alibi: vel stat prò *in aquis necare*, & *submergere*. Leges Alamannorum Tit. 84. §. 3. *si quis aliquam clausuram in aquam fecerit, & ipsa aqua inflavèrit, & ibi alicujus pecus negaverit*: &c. sed ibi intransitivè. Pao autem quisquis ille, si modò sincera ea est lectio, Strategum videtur necasse. De Langobardis nil certi statuo, copiæne illæ fuerint præfati Principis Landulfi, an Salernitani Principis Gisulfi, qui ætate triennis sive quadriennis Guaimario a. patri successerat in anno 933. sub tutore Prisco. Sed vide an ad hos referas annos, quæ Luitprandus l. 4. c. 4. Sanè antiqua Chartula apud nostri Michaëlis Monachi Sanctuarium pag. 634. data legitur *anno* 33. *Imp. Constantini*; 43. *Principatus Landulfi* (scribendum 42.) 9. *Atenulfi ejus filii*, & 2. *Landulfi alterius filii prædicti Landulfi mense Magio*. *Indict.* 14. quæ de anno est Christi 941. Illa igitur ætate nostrates Principes Langobardi varia usi fortuna, modò Græcis hostes, modò obnoxii fuere: nunquam tamen ditionem universam amisêrunt. Idem Luitprandus in Legatione Imperatorem Nicephorum sibi exprobrasse ait, quòd *Principum Capuæ*, & *Beneventi Patres*, & *Avi suo Imperio tributa persolverint*. Nec doctissimo assentior Baronio, qui in Annal. ad an. 942. num. 11. *eo tempore*, inquit, *Constantinopolitanus patitos esse Calabria, Apulia, atque ea Campaniæ parte, quam Volturnus alluit, postea autem sub ditionem Ducum Langobardorum Beneventi, & Capuæ*. Pro me certè ipsum stat Privilegium ab eodem Baronio ibidem ex Chronico S. Vincentii ad Fontes Volturni relatum; quo Impp. Romanus, & Constantinus *die 2. Aprilis Indictione 15.* (hic est annus Christi 942.) *indulsere præfatæ Ecclesiæ, & Monasteriis, quæ sub eâ sunt mansione, ut exsenserentur ab omni tentatione* (scribo, *datione*.) *angariæ publicæ, & ab ipsis Patritiis, & Strategis Gregorum*: &c. *Insuper ab ipsis Langobardis Patritiis, Castaldeis, vel ab omni homine Græco, & Langobardo, cui creditur servitium publicum*. Patritiorum Langobardorum appellatione nostrates certè veniunt Principes, ea tunc dignitate, dum Græcis parebant, decorati. Quod cùm dicam, minimè tamen Beneventanos Dynastas, nec Salernitanos omnem tunc retinuisse antiquam ditionem pronuncio, de quibus alibi fusè. *Peregr.*

(27) Editus Codex suæ insistit lectioni, ego meæ: & insuper scribo. *An.* 943. *obiit Landulfus*: &c. nam de hoc Principe ad annum usque 43. *ejus Principatus*, 3. *Kal. Februarii*, *Indictione* 1. qui fuit Christi jam dictus an. 943. mentionem in Chartulis legi, ulteriùs verò nullam. *Peregr.*

(28) Horum alter Græcorum Imp. alter Rex Italiæ, quorum obitus ad unum referri non debuit annum. Cecidit Romanus anno 944. mense Decembri, Indictione 3. inchoata. *Ubo*, sivè *Ugo*, vel *Uvo*, nam, idem, in anno sequenti, licèt alii illum defunctum dicant aliquanto post. *Ubo* autem, ut dixi, & *Uvo*, & *Ugo* ob literarum *b. u.* & *g.* affinitatem idem valent. In Catalogo Pontificum Romanorum in MS. Cod. S. Mariæ Monialium Capuæ in Ruthiciano. *Iste constituit fruges super Altare tantum Fave, et Ubæ benedicerentur*: pro. *Fabæ*. & *Uvæ*. In Actis S. Sebastiani Martyris apud Campanum Breviarium *Lucina Matrona religiosissima* ex viso monita *levans eum, posuit in Pavone suo*. Glossis Isidori. *Pavo* dicitur *Pabo*, quod esse interpretatur *Vehiculum unius rotæ*, pro quo non oportebat substituere, *posuit in Pelento suo*. Sicuti nec mutandum ibidem fuit: *adduxit ad domum suam per scalam excelsam*: pro *add. in dom. suam in insula excelsa, ubi manebat in Palatio*. Nec *in Hippodromum Palatii*: pro *in Epidromum*, nec tandem: *pendens in unco*: pro, *pendens in gompho* sive *gompho* ἐγκόμπῳ, hoc est, *Clavo*, quæ sinceræ erant antiquorum omnium Codicum lectiones. *Epidromus* sanè, sivè *Hypodromus*: longe aliud ab *Hippodromo*: dispositatem observavit Sirmondus ad Sidonium, & ex eo La Cerda in Advers. Sacris. De ejusmodi consimili Porticu, quæ locus facta est tormentorum, Synesius epist. 57. & Suidas ubi de Menandro Protectore. In Palatio autem, scilicet in Romanæ urbis decima regione, hoc appellata vocabulo, Insulas fuisse duomillia sexcentum quadraginta quatuor, P. Victor auctor est. Sed hæc obiter. *Peregr.*

(29) *Cod. Andr.* Platopondius. *Carac.*

(30) *Cod. Andr.* boum introitus. *Carac.*

(31) *Fortè* Melesianus, idem qui supra ad an. 900. *Carac.*

(32) *Cod. Andr.* Maraccius de Cremero, & Fesulus combusti sunt Barii. *Peregr.*

(33) Melior videtur lectio in Cod. Ducis Andriæ. *Marraccius de Cremero*, & *Fesulus* &c. Freccia id figit ad an. 966. sed ex Typographi vitio; atque cum Indictione componit 14. quæ in annum incidit 956. combustos dicens Barii Marancium, & Thesulum magnos Duces. *Peregr.*

(34) *Cod. Andr.* Adrascum. *Carac.*

(35) *Cod. Andr.* Zatrobomen. *Carac.*

(36) *Cod. Andr.* Manuel. *Carac.*

(37) *Cod. Andr.* habet: *Manuel*. à quo stat etiam Cedrenus pag. 539. *Peregr.*

(38) *Cod. Andr.* non addit, Magister. *Carac.*

Digitized by Google

gister (39) in civitatem Bari, & sunt anni 400. ex quo introierunt Langobardi in Italiam. (40)

Anno 967. descendit Otho Rex, & senex, pater Othonis Regis, qui (41) pugnavit cum Bulcassimo Sarracenorum Rege, & interfecit eum. (42)

Anno 969. introivit Otho Rex in Apuliam mense Martii, & obsedit civitatem Bari irrito conatu, & in alio anno intravit in Calabriam mense Octobris, & Sol obscuratus est mense Decembris.

Anno 970. occîdit Simischi Nichiforum Imp. & elevatus est ille.

Anno 972. pugnavit Asto filius Transamundi Marchisii cum (43) 40mil. Sarracenorum. Caytus eorum Bucobolus vocabatur, & vicit Asto cum 60. suis prosequens Agarenos usque Tarentum.

Anno 973. Indict. I. (44) obiit Passarus Protospata.

Anno 975. Ismaël interfectus est, & Zacharias Botuntum cepit.

Anno 976. obsederunt Sarraceni Gravinam irrito conatu, & obiit Simischi Imp. qui & Joannes, & cœperunt regnare Basilius, & Constantinus germani.

Anno 977. incenderunt Agareni civitatem Oriæ, & cunctum vulgus in Siciliam deduxerunt.

Anno 978. mortuus est Joannes Episcopus, & surrexit Pao Archiepiscopus.

Anno 979. occîdit Porphyrius Protospata Andream Episcopum Oretanum mense Augusti.

(45) Anno 981. fecit prœlium Otho Rex cum Sarracenis in Calabria in civitate Cotrona, & mortui sunt ibi 40mil. Pœnorum cum Rege eorum, nomine Bulcassimus.

Anno 982. tradita est civitas Barii in manus Chalochyri Patritii (46), qui & Delfina, à duobus fratribus Sergio, & Theophilacto mense Junii XI. die; & Otho Rex obiit Romæ.

Anno 983. appræhendit (47) prædictus Delfina, Patritius, civitatem Asculum mense Decembris.

Anno 985. descendit Romanus Patritius cum filio suo in Apuliam.

Anno 986. compræhenderunt Sarraceni (48) Sanctam Chiriachi civitatem (49), & dissipaverunt Calabriam totam.

Anno 987. occisus est (50) Sergius Protospata à Barensibus, mense Februarii (51), & mortuus est (52) Adralisçus à Nicolao Crioti mense Augusti XV. die, & obscuratus est Sol.

Anno 988. Indict. I. depopulaverunt Sarraceni Vicos Barenses, & viros, ac mulieres in Siciliam captivos duxerunt.

Anno 989. descendit Joannes Patritius, qui & Ammiropolus, & occîdit Leonem Cannatum, & Nicolaum Critis, & Porphyrium.

Anno 990. occisus est Bubalus (53), & Petrus Exubitus mense Martii.

Anno 991. fecit bellum (54) Asto Comes cum Sarracenis in Tarento, & ibi cecidit ille cum multis Barensibus.

Anno 992. magna fames per totam Italiam, & annonæ caritas.

Anno 993. defunctus est Pao Archiepiscopus, & Chrysostomus elevatus est.

Anno 994. obsessa est Matera à Sarracenis (55) tribus mensibus, & quarto capta ab eis. *Cod. Andr.* in qua mulier quædam fame coacta proprium comedit filium.

Anno

(39) *Nicephorus* iste in vita B. Nili è Græco in latinum versa ab Cariophylo. *Magister*, (honoris, & muneris id nomen) dictus etiam reperitur; *qui regebat utramque Provinciam, Italiam, & Calabriam nostram* (sic ibi) cùmque *Chelandia* (navigia sunt) *fabricari fecisset, incensa sunt à Rossanensibus, qui B. Nili intercessione vindictam effugerunt* Lupus autem tum hoc loco, tum supra ad an. 916. tum tandem infra ad an. 1083. constanti, eademque perversa sententia Epocham Langobardorum ad annum statuisse videtur Christi 566. nam constat ex Paulo Diac. lib. 2. cap. 6. sive 7. Alboinum illorum Regem è Pannonia cum omni suo Populo egressum, Italicum iter arripuisse mense Aprili, *per Indictionem primam, alio die post Sanctum Pascha; cujus festivitas eo anno, juxta calculi rationem, ipsis Kal. Aprilibus fuit; cùm jam à Domini Incarnatione anni quingenti sexaginta octo essent evoluti*. Hæc Paulus, tempora peritè consignans. Verumtamen alia quadam interpretatione Lupi verba esse excipienda, ejusque textum in annorum numeris depravatum haberi dicam ad an. 1083. *Peregr.*

(40) Id intellige à capta in Italiam expeditione: nam alioqui Historici ferè omnes consentiunt, Langobardos cum Alboino ingressos esse Italiam an. 568. die 2. April. fer. 2. post Pascha, Indict. 1.

Ita etiam intelligo hunc Scriptorem infra ad ann. 1083. Sed dicere etiam possumus (quod fortassis propius erit Protospatæ menti) Græcos, ut acutè Heruvartus observat, Christi Epocham biennio citiùs figere Denique facile fuit, hunc Scriptorem falli, ob Dionysii corruptum à librario Cyclum: quod sphalma etiamnum extat apud Bedam Tomo 3. Ibi enim Cyclus Dionysii habet Pascham Kal. Aprilis non anno 568. ut Paulus Diac. refert lib. 2. cap. 7. sed ann. 566. Vide, Lector, quanti referat emendatos libros habere. *Caruc.*

(41) *Cod. Andr.* Pugnavit cum Bulcassimo Sarracenorum Rege, & interfecit eum, & in eo prælio perierunt XL. millia hominum. *Carac.*

(42) *Codex Andr.* addit. *& in eo prælio perierunt* 40. *millia hominum*. Utraque autem simul juncta editus Lupi Codex iterat ad an. 981. de quo etiam dixi in Historia Principum Langobardorum pag. 221. sed ibi, ne textum ad meas sententias præsidium, quam tunc firmare conabar, viderer castigare, indefinitum manere volui, ad quem annum hæc sint absolutè referenda: modò cùm constet, tum ex ibidem, tum ex dictis in Serie Abb. Cassinensium, ubi de Aligerno, Othonem II. à Lupo appellatum, *senem*, ad discrimen Othonis III. qui *puer* dictus est, verè in anno 981. cum Saracenis in Calabria prosperè conflixisse: cùmque in omnibus antiquis monumentis nulla de altero, anteriorique illo conflictu fit mentio, nec de adventu quidem ipsius Imperatoris in hanc CisTyberinam Italiam ante annum 968. delenda hæc prorsus esse, tamquam loco non suo posita, constanter pronuncio. *Peregr.*

(43) *Cod. Andr.* 14. millia Sarracenorum; Dux eorum dicebatur Bucobolus: & Otho in subsidium misit sex millia suos: prosequens Agarenos Tarentum usque. *Carac.*

(44) *Cod. Andr.* Anno 975. obiit Passarus Protospatarius. Ismaël interfectus est, & Zacharias Bituntum cepit. *Carac.*

(45) *Cod. Andr.* anno 981. Sipontini, & Asculani prœliati sunt in Valle Sentill. *Carac.*

(46) *Cod. Andr.* qui & Prima. *Carac.*

(47) *Cod. Andr.* prædictus Prima. *Carac.*

(48) *Cod. Andr.* Sanctam civitatem Hyeracem. *Carac.*

(49) Constantinus Porphyrog. De Them. lib. 2. Them. 10. oppidulum nomine dicit: *Sancta Cyriaca*, scribendum igitur in Lupo: *Sancta Ciriaca civitatem*. *Peregr.*

(50) *Cod. Andr.* Sergius Protospatarius. *Carac.*

(51) Freccia addit, *Indictione* 5. *die* 15. *Februarii*. *Peregr.*

(52) *Cod. Andr.* Adralistus à Nicolao de Crito. *Carac.*

(53) *Cod. Andr.* & Petrus Porphyrus. *Carac.*

(54) *Cod. Andr.* Otho Comes. *Carac.*

(55) Freccia hoc ad an. refert 996. *Peregr.*

Digitized by Google

Anno 997. occisus est Marcho Theodorus Excubitus (56) in civitate Oriæ à Smaragdo, & Petro germanis.

Anno 998. venit (57) Busitus Coytus cum prædicto Smaragdo Barum mense Octobris, & prædictus Smaragdus Eques intravit Barum per vim à porta Occidentali, & exiit iterum: (58) tunc Busitus cognita fraude discessit.

Anno 999. descendit (59) Trachamotus Catapanus (60), qui & Gregorius, & obsedit civitatem Gravinam, & comprædendit Theophilactum.

Anno Domini 1000. Indict. XIII. captus est prædictus Smaragdus à Trachamoto mense Julii XI. die, & obiit Rex Otho Romæ.

Anno 1002. obsedit Saphi Caytus Barum 2. Maji usque ad Sanctum Lucam mense Octobris, tunc liberata est per Petrum Ducem Veneticorum. (61) *Cod. Andr.* à bona memoria dictum.

Anno 1003. Indict. prima Sarraceni obsederunt Montem Scaviosum mense Martii: & nihil profecerunt.

Anno 1005. rediit Durachium in manus Imperatoris per Theodorum.

Anno 1006. descendit (62) Xyphea Catapanus mense Julii. (63)

Anno 1007. defunctus est prædictus Catapanus in civitate Bari.

Anno 1008. descendit (64) Curcua Patritius mense Maji. (65)

Anno 1009. cecidit maxima nix, ex qua siccaverunt arbores olivæ, & pisces, & volatilia mortua sunt, & mense Maji incœpta est rebellio, & mense Augusti apprædenderunt Sarraceni civitatem Cosentiam rupto fœdere nomine Cayti Sati.

Anno 1010. obiit Curcua, & descendit Basilius Catapanus cum Macedonibus mense Martii, & Sylliscus incendit multos homines in civitate Trani.

Cod. Andr. eodem anno 1010. *Langobardia rebellavit à Cæsare operâ Melo Ducis: isque accurrens prœliatus est Botunti contra Barenses, ubi ipsi obierunt, & Ismaël prœliatus est cum Græcis in Monte Peluso, ubi peremptus est Dux.*

Cod. Andr. Basilius Catapanus Barium obsidione cinxit à die 11. *Aprilis, usque ad* 11. *Junii, & cepit eam cum quibusdam conditionibus.* (66)

Anno 1014. venit Henricus Imp. Romam mense Februarii, & Cassanus incensa est mense Augusti.

Anno 1015. apparuit Cometa mense Februarii, & Samuel Rex obiit, & filius regnavit.

Anno 1016. occisus est filius prædicti Samuelis (67) ab ejus consobrina filio Aroni, & regnavit ipse, & civitas Salernum obsessa est à Sarracenis per mare, & per terram: & nihil profecerunt.

Anno 1017. obiit Butunti (68) Mesardoniti Catapanus, & mense Novembris interfectus est Leo frater Argiri, & descendit Turnichi Catapanus mense Maji, & fecit prœlium cum Melo, & Normannis. Leo Patianus Exubitus (69) iterum mense Julii 22. die prœlium fecit prædictus Turnichius Catapanus, & vicit Melum, & Normannos, & mortuus est Patianus ibi.

Anno 1018. Indict. prima descendit Basilius Catapanus, qui & Bugianus, (70) & Abalautius Patricius mense Decembris, & Ligorius (71) Tepoteriti fecit prœlium Trani, & occisus est ibi Joannatius Protospata, & Romoald captus est, & in Constantinopolim deportatus est.

Anno 1019. fecit prœlium supradictus Bugianus mense Octobris cum Francis, & vicit, & Melus fugiit cum aliquibus Francis ad Enricum Imp. *Cod. Andr.* & hoc prœlium factum est ad civitatem Cannensem.

Anno 1020. descenderunt Sarraceni cum Rayca, & obsederunt Bisinianum, & illud apprædenderunt: Et hoc anno mortuus est ipse Amira, & Melus Dux Apuliæ.

Anno 1021. captus est (72) Dattus, & intravit in civitatem Barum equitatus in Asina, 15. Junii.

Anno 1022. venit Enricus Imp. Beneventum mense Martii, & obsedit Trojam in Capitinata.

Anno 1023. venit Rayca (73) cum Saffari Criti Barum mense Junii, & obsedit eam uno die: & amoti exinde comprædenderunt (74) Palagianum oppidum, & fabricatum est Castellum in Motula.

Anno

(56) Latinè *Excubitor*, sed populari tunc sermone, *Escubito*: unde in latinam formam. *Excubitus*: sed non latinè. Nec aliter leges ad ann. 990. & 1017. ubi depravatè *Exubitus*, muneris nomen in Aula Græci Imperatoris, de quo frequens mentio in Historia Miscella, & apud alios, id valet, quod, *corporis custos*, & *vigil*, in quo munere plures simul erant, unde *Comes Excubitorum*. Et apud Constant. Porph. De Them. l. 1. Th. 12. *Præfectus Regii agminis, quod Excubitorum dicitur. Peregr.*

(57) *Cod. Andr.* Busichius Caycus. *Carac.*

(58) Freccia sic. *Indictione* 11. (scribe. 12.) *Smaragdus vi per Portam Orientalem, ingressus est Barim, & cognitis insidiis, recessit. Peregr.*

(59) *Cod. Andr.* Tratamorus. *Carac.*

(60) *Codex Andr. Tratamorus.* Freccia. *Drachamotus. Peregr.*

(61) Freccia, *& auxilio Petri, dicti Bonæ memoriæ liberata est*, sic etiam Codex Andr. Est autem *Caytus*, sive *Gaytus*, militaris muneris nomen apud Saracenos. Idem Lupus ad an. 972. *Caytus eorum Bucobulus vocabatur*, & apud Ugonem Falcandum sæpe, estque hoc *Sapbi* nomen hîc restituendum ad an. 1009. ubi modo legitur *Cayti Sati*. Cæterùm *Kaisus*, in Hist. Nonnosi apud Photium proprio nomine sic dictus vir fuit Princeps Saracenorum. *Peregr.*

(62) *Cod. Andr.* in Apuliam. *Carac.*

(63) Freccia habet. *Sipbea Catapanus captâ Apuliâ, Bari obiit.* Sed de ejus obitu Lupus anno sequenti. Codex Andr. *Descendit in Apuliam Xypbea*, &c. *Peregr.*

(64) *Cod. Andr.* Cursira. *Carac.*

(65) Non de hoc Curcura Cedrenus pag. 558. multo minus pag. 509. 512. 516. & 519. ubi de tertio quodam, & utroque antiquiori Joanne Curcua, de quo etiam Constantinus Porph de Adm. Imp. cap. 45. Fortè hic noster ex illorum gente. *Peregr.*

(66) Freccia hæc ad annum notat 1013. his verbis. *Die* 11. *Aprilis obsessa Bari à Basilio Catapano, & habita ea pacificè, facta est sedes magnorum virorum Græcorum. Peregr.*

(67) *Cod. Andr.* à Fierada ejus consobrino filio Aronii. *Carac.*

(68) *Cod. Andr.* Basilius Catapanus. *Carac.*

(69) Lege *Excubitus*, ut sup. ad an. 997. qui Guillelmo Apulo lib. 1. proprio nomine dicitur. *Pacianus. Peregr.*

(70) *Bugianus* hîc, & infra est Lupo, qui Ostiensi lib. 2. cap. 37. 38. 50. & 51. & 57. *Bolanus*, & in manu exarato exemplari, tum *Bobanus*; tum *Bojanus*. Guillelmo Apulo, lib. 1. *Bagianus. Peregr.*

(71) *Cod. Andr.* de Zepotericon. *Carac.*

(72) *Cod. Andr.* Rayca. *Carac.*

(73) *Cod. Andr.* cum Caphare de Crito. *Carac.*

(74) *Cod. Andr.* Corilianum. *Carac.*

Digitized by Google

Anno 1024. factum eſt ſignum magnum in Epiſcopio Acherontino ſub præſule ſecundo Stephano Materienſi in 5. die Paſchæ: (75) Crucifixus enim magnus argenteus concuſſus eſt tribus vicibus capite, brachiis, & pedibus, cunctis hoc aſpicientibus, & cecidit nix magna. Et transfretavit Bugianus in (76) Curbathia, & compræhendit ipſam Principiſſam uxorem (77) Coſmici, & direxit illam Conſtantinopolim, & mortuus eſt hoc anno Enricus Imp. & ſurrexit Conus nepos ejus.

Cod. Andr. 1027. Deſpotus Nicus in Italiam deſcendit cum ingentibus copiis Ruſſorum, Wandalorum, Turcarum, Bulgarorum, Brunchorum, Polonorum, Macedonum, aliarumque nationum, ad Siciliam capiendam. Captum eſt autem Rhegium, & ob civium peccata, deſtructum eſt à Vulcano Catapano. Et Baſilius Imp. obiit anno ſecundo. Itaque Græci receſſerunt die S. Martini. Jam verò Baſilius, vivens renuntiavit Imperio, ſibi ſubſtituens Romanum, cui uxorem dedit Zoam filiam ſuam. (78)

Anno 1028. deſcendit Oreſti Chetoniti menſe Aprilis, & tunc obiit Barenſis Epiſcopus Joannes, & factus eſt Biſancius Archiepiſcopus. (79)

Anno 1029. venit Euſtachius cum filiis Baſilico, & Mandatora, & elegit Catapanum Chriſtophorum, & Oreſtes prædictus aſcendit in Conſtantinopolim cum Bugiano, & mortuus eſt Conſtantinus Imperator in vigilia S. Martini, & ſe vivente impoſuit in Sede ſua Romanum, & dedit ei uxorem Zoëm filiam ſuam. Tandem Rayca & Saffari obſederunt caſtellum Obbianum, qui Obbianenſes extraneos tradentes pacificaverunt cum ipſis, & menſe Julii vênit Potho Catapanus, fecitque pugnam cum Rayca in Baro. *Cod. Andr.* & hoc anno obiit Guaimarius Salerni Princeps. (80)

Anno 1031. menſe Junii compræhenderunt Sarraceni Caſſianum. *Cod. Andr.* in terra Hydruntina, & tertio die menſis Julii fecit prælium (81) Potho cum Sarracenis, & cecideruntGræci.

Anno 1032. deſcendit Ichiacon, & Chetoniti, & ſecum adduxit ipſos Anacolichium.

Anno 1033. Indict. prima die prima menſis Maji deſcendit Conſtantinus Protoſpata, qui & Opo vocabatur Catapanus Italiæ. (82)

Anno 1034. die XI. Aprilis obiit Romanus Imp. & ſurrexit Michaël Imp.

Cod. Andr. Anno 1035. die Epiphaniæ obiit Conſtantinopoli Byzantius Epiſcopus Barenſis. Qui ſanè fuit Orphanorum pater, & primariæ Eccleſiæ Barenſis Fundator, Cuſtoſque civitatis, ejuſque egregius propugnator adversùs Græcos. Electuſque eſt Epiſcopus Romulantes Protoſpatarius: ſed is Aprili menſe ab Imperatore Conſtantinopolim evocatus exul obiit, & in ejus locum electus eſt Nicolaus.

Anno 1038. deſcendit Michaël Patricius, & Dux, qui & Sfrondili vocabatur, & transfretavit cum Maniachi Patricio in Siciliam. (83)

(84) Anno 1039. menſe Februarii deſcendit Nichiphorus Catapanus, qui & Dulchianus dicebatur. (85)

Anno 1040. prædictus Dulchianus excuſſit Contractos de Apulia, (86) & prædicti Contrarus Catapanus die 11. Januarii, & die 5. Martii occiſus eſt Michaël à Chato, qui & Chirofatus vocabatur, ſub Caſtro Mottulæ. Ipſeque & alii omnes ſeptima die venerunt Barum unà cum Argyro filio Meli, iſteque Argyrus captivum fecit Muſandrum, virum inter eos primarium, & in carcerem truſit. E contra Romanus Materanus obſedit Argyrum intra Barum, & Muſandrum vinxit manibus, & Barum cum eo intravit. *Carac.*

---

(75) Freccia, *in die Sancto Paſchæ. Peregr.*

(76) *Cod. Andr.* Corbachia. *Carac.*

(77) *Cod. Andr.* Ciſigni. *Carac.*

(78) Igitur utrobique ſcribendum *Conſtantinus*, non *Baſilius*, quod clarum vel ex ipſomet Lupo ad an. 1029. quo ſanè anno, ſive extremo anno antecedenti Conſtantinus iſte obiit, ſuffecto ſibi Romano, &c. *Peregr.*

(79) Infra ad an. 1035. *Byzantius*, & ad an. 1071. vir alter cognominis *Byſantius*. *Peregr.*

(80) At hujus Guaimarii obitus in annum incidit 1031. quod ex Salernitanorum PP. conſtat Chronologia. Igitur vel luxatus cenſendus eſt Lupi textus in Codice illo; vel ejuſmodi notula ad oram Autographi, ſive alterius antiqui exemplaris primùm depicta, quæ ad annum 1031. erat referenda, in textum demum illata, ac loco eſt deſcripta non ſuo. Sic quoque pari errore, & anticipatione etiam pari altera notula obitum ex eodem Codice demonſtrans Imp. Conſtantini, toto biennio, ut prædixi, veram præit temporis rationem. *Peregr.*

(81) *Cod. Andr.* Protocapanus. *Carac.*

(82) Hic dictus videtur *Leo Opus* Cedreno pagina 604. & 610. De nominis *Italiæ* uſurpatione, qua Opo appellatur *Italiæ Catapanus* vide infra ad an. 1042. & 1083. *Peregr.*

(83) Oſtienſi lib. 2. cap. 67. præſens *Moniachi*, eſt *Moniacus*. Sed Gaufredo Malat. lib. 1. cap. 7. *Maniacus*. Cedreno pag. 623. Γεώργιος ὁ Μανιάκης. *Georgius Moniaces*. At Michaël ille priori loco demonſtratus, tu vide an dicendus. *Sphondylus*. Σφόνδυλος, quod latinè ſonat *Verticillus*, cognomen viro, fortè, natum à pedum pernicitate, & quòd mentis quadam velut vertigine actus, diutiùs uno haud conſiſteret in loco. Hac certè de cauſa vir ille, Campanus civis, è Pago *Le Curte*: Vincentius in Hiſt. Pauli Jovii lib. 26. clarus ob ſervatam ſuis latrociniis à fame Neapolim ab Odecto Fuxio Lautreco obſeſſam in an. 1528. *Verticillus* dictus eſt: nominis occaſionem latiùs tradente Leonardo Sanctorio Caſertano in Hiſt. ſui temporis inedita. De eodem autem Michaële Cedrenus pag. 597. & ſeqq. *Peregr.*

(84) *Cod. Andr.* Anno 1039. Obiit Aſculi Nicepho-

(85) Melior lectio Codicis Andr. quæ Nicephorum à Dulchiano diſtinguit, illius obitum ad jam dictum notans annum, & diem 11. Januarii: & ad an. 1041. *deſcenſum*, ſive adventum *Michaelis Protoſpatarii è Sicilia in Lombardiam, & inde in Apuliam, qui etiam Dulchianus vocabatur*. Hic abſolutè dicitur *Ducalianus* Oſtienſi lib. 2. cap. 67. Μιχαὴλ πρωτοσπαθάριος ὁ Δουκιανὸς. *Michael Protoſpatharius Doceanus* Cedreno pag. 623 *Michael Dochianus* Guillelmo Apulo lib. 1. Quem è Sicilia in Lombardiam transfretaſſe, ſic accipe, ut de Lombardia id dictum capias eadem acceptione, qua ipſe etiam Lupus in Cod. Andr. ad ann. 1010. dixerat *Lombardiam*, hoc eſt *Apuliam*, *rebellaſſe à Cæſare*, *opera Meli Ducis*. Et apud Oſtienſem lib. 2. cap. 2. *Marianus* quidam *Imperialis Antbipatus*, *Patritius*, *& Stratigo Calabriæ*, *atque Langobardiæ ſigillum fecit Aligerno Abbati Caſſinenſi*, &c. de cujus nominis uſurpatione alibi pluribus; quam non advertens Lupi librarius, deque Lombardia Sub-Alpina illum locutum reputans, gloſſulam hanc addidit, *& inde in Apuliam*; quod nempè vidiſſet Dulchiano deinde in Apuliarem fuiſſe: quæ vacat. *Peregr.*

(86) Hæc in annum referenda videntur 1041. quo è Sicilia Dulchianum adveniſſe, jam dictum eſt. At *Contractos* Antonius Caracciolus Clericus Regularis tum generis claritate, tum eruditione præſignis, dictos putat depravatè pro *Contragos*; Theophanemque, ſive Hiſtoriam dicas Miſcellam Auctorem pro ſe laudat lib. 19. in qua ſanè de Bulgaria magna, & Contragis ſupra Meotides Paludes habitantibus. At qua occaſione ad nos longiſſimè ab eis diſſitos, quove

Digitized by Google

tracti occiderunt Chirifactora Crithiri Imperatorem ſubtus Mutulam, & Romanum Materienſem menſe Maji, eoque menſe obſedit Argyrus filius Meli Barum civitatem, & percuſſit Muſandrum, & ligavit eum vinculo, & introivit cum eo Barum, & Contracti diſperſi ſunt.

(87) Anno 1041. deſcendit Dulchianus à Sicilia, ivitque Aſculum, & menſe Martii Arduinus Lambardus convocavit Normannos (88), in Apulia in civitate Melfiæ, & prædictus Dulchianus fecit prœlium cum Normannis, & ceciderunt Græci, & menſe Maji iterum præliati ſunt Normanni fer. IV. cum Græcis, & fugit Dulchianus in Barum.

Anno 1042. venit . . . menſe Auguſto, fecitque bellum cum Normannis 3. die menſis Septembris, & comprehenſus eſt ille ibi, & in Melfiam deportatus eſt. Et menſe Decembris obiit Michaël Imper. & elevatus eſt Cæſar Nepos ejus nomine Michaël Imp. & menſe Febr. factus eſt Argyrus Barenſis, Princeps, & Dux Italiæ (89). Et menſe Aprilis deſcendit Maniachus Magiſter Tarentum, & menſe Junii Monopolim, abiitque ad civitatem Materam, & fecit ibi grande homicidium, & menſe Septembris Gulielmus electus eſt Comes Materæ: & hoc anno depoſitus eſt prædictus Cæſar Michaël à Regno, & excœcatus eſt, Zoës, & Theodoræ ſororum juſſione, & Conſtantinus Monomachus factus eſt Imperator, & 3. die menſe Julii capta eſt Juvenaties ab Argyro Duce, & menſe Auguſti ivit prædictus Argyrus ad obſidionem Trani, ſeditque ſuper eam menſe uno.

Anno 1043. reverſa eſt civitas Barum in manus Imp. & menſe Septembris deſcendit Pardus Patricius cum multo auro, quem Maniaches fecit occidi, ſeque Imp. ab omnibus appellari, & menſe Octobris venit Barum, minimèque illum recepit. Menſe verò Februarii deſcendit Theodorus Canus Magiſter, & Catapanus, & Maniaches prædictus perrexit Dyrrachium.

Anno 1044. Guillelmus filius Tancredi deſcendit cum Guarimari Principe in Calabriam, feceruntque ipſum Squillacii Caſtellum.

Anno 1046. perrexit Argyrus Patricius Conſtantinopolim, & Palatinus Catapanus, qui & Euſtaſius, revocavit omnes exiliatos ad Barum, perrexitque Tarentum, & 8. die in Trano menſe Maji commiſit prœlium cum Normannis, & ceciderunt Græci, & hoc anno venit Conus Rex Alemannorum Romam (90), eo quòd erant ibi tres Pontifices, Sylveſter in Eccleſia S. Petri: in Laterano, Gregorius; & Benedictus in Tuſculano, quibus ejectis confirmatus eſt ibi Papa nomine Clemens à prædicto Imperatore; deinde dictus Imp. venit Beneventum; Beneventani verò ad ejus injuriam abſciderunt ſtrenutas equi ejus, hoc etiam anno obiit Guidelmus, & frater ejus Drogo factus eſt Comes.

Anno 1847. apprehenſum eſt oppidum Scyra à Guarangis menſe Octobris, & menſe Decembris depopulaverunt Litium, & menſe Junii dictus Papa Benedictus per poculum, veneno occîdit Papam Clementem.

Anno 1050. Indict. 3. obiit Zoë Imp. ſoror Theodoræ, quæ fuerunt filiæ Conſtantini Imp. Zoë enim habuit viros tres, primum Romanum, ſecundum Michaëlem, tertium Conſtantinum Monomachum, regnavit cum his tribus viris ann. 22. Poſt mortem verò prædictæ Zoës regnavit ipſe Conſtantinus Imperator cum Theodora ſua cognata jam novem annis.

Anno

ve itinere ultimis his temporibus pervenerit gens, aliàs quoque huc progreſſa, quæ nobiſcum manſit ſub ætate Beneventani Ducis Romualdi, de quo in *Diſſertationibus de Finibus Ducatus Beneventani ad Orientem, & ad Septentrionem*, nil Caracciolus. An auxiliares Græcorum fuerant, ſicut *Oſſacani*, & *Ruſſi*; de quibus Lupus ad an. 1041. ex Cod. Andr. *Peregr.*

(87) *Cod. Andr.* 1041. Michaël Protoſpatarius deſcendit è Sicilia in Lombardiam, & inde in Apuliam. Is etiam Dulchianus vocabatur, & menſe Novembri exiit Aſculo, & intravit Barum: iſque juſſit ſuſpendi cives quatuor Barenſes, (Falsò Freccia: *cives omnes. Peregr.*) primarios viros, ſuper murum Bituntinæ portæ. Et die 17. Martii unà cum Arduino Lombardo congregavit exercitum in Civitate Melphiæ, & fer. 3. prope fluvium Beneventi factum eſt ab eis prœlium cum Normannis: & perierunt multi Græci Ruſſi, & Oſſacani. Dulchianus autem cum reliquiis ſui exercitus fugit ad Montem Peluſium. Poſtea menſis Martii die 4., collectis omnibus Græcis apud Aufidum amnem, ſub Monte majori commiſſum eſt atrox prœlium, in quo etiam Græci profligati ſunt: plurimique Natalitæ, Oſſacani, Ruſſi, Calabri, Lombardi, & Apuli occiſi ſunt. Ibique obiit Angelus Sacerdos, & Stephanus Archiepiſcopus Tarentinus. Traduntque ii, qui prœlio adfuere, obiiſſe ea die ad 4. millia Nortmannorum, & 8. millia Græcorum, qui adeò conſumpti fuere, ut vix domeſtici aliquot ſervitores Michaëlis jam dicti vivi remanſerint: iique ſemivivi ob metum crudelium Nortmannorum. Accerſivit igitur è Sicilia ſubſidiarios milites Calabroſque cum Macedonio, & Paulo. Quibus collectis cum aliis in Catuna Montis Peluſii, ecce deſcendit in Apuliam Catapanus filius Budiani: & Michaël juſſu Imperatoris in Siciliam, unde venerat, reverſus eſt. *Carac.*

(88) Oſtienſis lib. 2. c. 67. *Arduinus quidam Lombardus, de famulis ſcilicet Sancti Ambroſii,* &c. hoc eſt, ut tunc etiam dicebant; *de familia Archiepiſcopi Mediolanenſis*. Anaſtaſius Bib. in Silverio: *Eodem tempore tanta fames fuit per univerſum mundum, ut Dacius Epiſcopus civitatis Mediolanenſis relatione ſua hoc evidenter narraverit; quòd in partibus Liguriæ mulieres filios ſuos comediſſent penuria famis, quas retulit ex Eccleſiæ ſuæ fuiſſe familia*. Vide Sigonium de Reg. Ital. lib. 7. ubi de Othone 1. Arduinus autem ille Lombardus, ac Inſuber, ſive *Ligur* (nam in *Liguria* Mediolanum aliquando, ut dicam ad Anonymum Caſſinenſem anno 1135.) Guillelmo Apulo lib. 1. *Harduinus*: Gaufredo autem Malaterræ lib. 1. cap. 8. dicitur *Arduinus Italus*. *Peregr.*

(89) Græcum Patritium, qui in prœlio captus eſt, appellat *Bojoannem* Cedrenus pag. 623. & 624. Sed Guillelmus Apulus lib. 1. & Oſtienſis lib. 2. cap. 67. *Exauguſtum*: cognomine ex occaſione, fortè, illi impoſito. At à Lupo cùm vides, Barenſem Argirum hoc loco appellatum *Principem, & Ducem Italiæ*; & infra ad an. 1051. abſolutè *Ducem*, ſemina hinc agnoſcere poteris Barenſis Principatus; de quo plenè alibi; ibique ſimul exponam, *Italiæ* nomine apud eundem Auctorem, alioſque plures ipſius æquales, haud omnem duplici mari, & Alpibus clauſam demonſtrari Italiam; ſed *Apulia*, cujus Barium tunc fuit caput; & quandoque *Italiam* duntaxat *Cis-Tyberinam*: qua nimirum acceptione *Rogerius*, & uterque *Guillelmus*, *Rex Siciliæ*, *& Italiæ*, ignota aliis, diuque fruſtra hujuſmodi nuncupationis ratione quæſita, multotiens dictus reperitur. Certè *Italiæ* vocabulo in Vita B. Nili verbis relatis ad an. 966. *Apulia*, Græcis tunc poſſeſſa, denotatur, & Lupo metipſi ad an 1033. & 1051. quem confer cum Oſtienſi l. 3. c. 10. initio. Et me vide infrà ad Falconem Benev. *Peregr.*

(90) Oſtienſi l. 2. c. 57. *Conus* eſt pater hujus Regis; qui cap. 78. & 79. hæc refert in ann. 1047. *Peregr.*

Digitized by Google

Anno 1051. Descendit Argyrus Magister Vesti, & Dux Italiæ filius Meli mense Martii, & abiit Barum, & non receperunt illum Adralistus, ac Romoaldus cum Petro ejus germano; sed non post multum temporis Barenses receperunt eum sine voluntate Adralisti, & aliorum. Sed Adralistus fugit. Romoaldus verò, & Petrus fratres ab Argyro sunt comprehensi, & catenis vincti Constantinopolim deportati sunt. Hoc anno Drogo occisus est in Montellari à suo compatre, & frater ejus Umfredus factus est Comes.

Anno 1053. in fer. 6. mense Junii, Normanni fecerunt bellum cum Alemannis (91), quos Papa Leo adduxerat, & vicerunt, & fuit hoc anno magna fames in Italia.

Anno 1054. obiit Sico Protospata Materiensis.

Anno 1055. obiit Constantinus Imperator, qui & Monomachus.

Anno 1056. cœpit regnare Regina prædicta Theodora Augusta soror Zoës Imperatricis. Et Umfreda obiit, & Robertus frater ejus factus est Dux (92), & obiit Petrus Archiepiscopus Consentiæ.

Anno 1057. mortua est Theodora Augusta, & Michaël Bringa factus est Imperator.

Anno 1058. Tromby Patricius fecit occidere Scribonem in civitate Cotroni.

Anno 1059. Mortuus est Bringa Imp. & Isachius Oconnus factus est Imperator (93).

Anno 1060. elevatus est Imperator Constantinus Ducas.

Anno 1061. Robertus Dux cepit civitatem Acheruntiam.

Anno 1062. factus est Papa Alexander Lucanus (94), & Robertus intravit Dux in civitatem Oriæ, & iterum apprehendit Brundusium, & ipsum Miriarcham.

Anno 1063. comprehensa est civitas Tarenti à Normannis.

Anno 1064. comprehensa est Matera à Roberto Comite mense Aprilis.

Anno 1065. Robertus Dux intravit Siciliam, & interfecit Agarenorum multitudinem, & tulit obsidionem ex civitate Panhormo.

Anno 1066. Loffredus Comes filius Petronii voluit ire in Romaniam cum multa gente, sed obstetit illi quidam ductor Græcorum nomine Mabrica, & Princeps Richardus intravit Terram Campaniæ, obseditque Ciparanum, & comprehendit eum, & devastando usque Romam pervênit.

Anno 1067. mense Maji mortuus est Constantinus Ducas Imp. & Michaël filius ejus suscepit Imperium, & apparuit stella cometa, & Comes Normanniæ Robertus fecit bellum cum Arnaldo Rege Anglorum, & vicit Robertus, qui & factus est Rex super gentem Anglorum.

Anno 1068. 16. Februarii Robertus Dux obsedit civitatem Montispiloſi, ubi nihil proficiens cum paucis abiit Obbianum, & recepit eam, & traditione cujusdam Gottofredi intravit ipse Dux in dictam civitatem Montispiloſi.

Anno 1069. mense Septembris prædictus Dux obsedit Barum, & Romanus Diogenes, qui cum prædicto Michaële privigno suo tenebat Imperium, fraude prædicti Michaëlis privigni sui apud quandam civitatem Armeniæ comprehensus, & cœcatus est. (95)

Anno 1070. mense Januarii magnum homicidium actum est Brundusii, nam Normanni volentes eam comprehendere, tenti sunt ex eis quadraginta cum aliis eorum ministris quadraginta tribus, & capita omnium prædictorum ad Imperatorem portata sunt.

Anno 1071. Robertus Dux intravit Brundusiopolim, dimissa ante Barum obsidione, nam ipse Dux fecit fieri pontem in mari, quantus concluderet portum prædictum urbis Bari; Hoc etiam anno dolo cujusdam Argirichi filii Joannazzi occisus est Bysantius cognomento Guinderlichus in Baro, & 15. die Aprilis cepit Robertus Dux civitatem Bari, (96) & mense Julii Dux prædictus transmeavit Adriatici maris pelagum, perrexitque Siciliam cum 58. navibus.

Anno 1072. mense Junii die 10. intravit Robertus Dux Panhormum in Sicilia.

Anno 1073. intraverunt primo Normanni in Trano in Octava Epiphaniæ cum Petrono Comite,

(91) Die scilicet 18. præfati mensis; ut tradit Hermannus Contractus in Chron. quæ verè hoc anno in sextam incidit Feriam. Lupus igitur non semel communem Christi Æram tenuit. Sed vide an. 1082. & 1083. *Peregr.*

(92) Supra ad an. 1051. *Umfredus* infra ad an. 1079. *Filius Umfredæ*: nempe cùm vulgò hujus viri nomen efferreretur, *Umfreda*, latinè dicebatur *Umfredus*; quæ varietas etiam in Chartulis antiquis inspicitur; in quibus insuper tum ipse, tum Drogo ejus frater, & antecessor, *Ducis* titulo, & simul *Comitis* insignitus legitur. Hoc autem noto, ne falsò dici putes, Robertum factum *Ducem* post Umfredi mortem, quem Ostiensis lib. 3. cap. 16. *Ducem* cœpisse appellari perhibet post captam Rhegium urbem, nam uterque benè; Ostiensis enim solemnem inaugurationem denotavit, de qua etiam Gaufredus Malaterra lib. 1. cap. 36. & Guillelmus Apulus lib. 2. Lupus verò, & Chartulæ vulgi consuetudinem, qua primi Nortmannorum ductores promiscuè *Comites*, *Ducesque* dici consueverunt. Eademque varietate idem Lupus ad an. 1064 Robertum *Comitem*, non *Ducem* nuncupavit; fuere enim *Comites* Drogo, aliique ex gentis institutione, de qua Ostiensis lib. 2. cap. 67. *Duces* autem ex usurpatione, & ad exemplum Apulienſium, qui suos Præfectos dixere quoque *Duces*; unde in hoc Lupi Chronico ad an. 1042. *Argyrus Dux Italiæ*. *Peregr.*

(93) Scribendum: *Isacius Comnenus*. De annis autem Imperatorum nil dico, quia non semper ex librariorum culpa, quorum menda mens est castigare, varius ab aliis videtur Lupus. *Peregr.*

(94) Alexander hujus nominis secundus, patriâ Mediolanensis, urbis Lucæ fuerat Episcopus, unde latinè exit *Lucensis*; nam *Lucanus* è *Lucania* sit regione. Sed hic Græcismus est, ut etiam apud Agathiam lib. 1. ad finem bis Λουκανόι; Etsi Cluverius in Ant. Ital. lib. 2. c. 3. vult utrobique legendum Λουκαῖοι, quod tamen, se fatente ubi de Minturnis, Romano ore sonat, *Lucani*. *Peregr.*

(95) Freccia obsessam Barium dicit in an. 1068. Gaufredus Malaterra lib. 2. cap. 40. in an. 1067. quo sanè anno id oportet contigisse, si vera sint, quæ de Barensis obsidionis intervallo tradidit Guillelmus Apulus inferiùs producendus. Romanum autem Diogenem non hoc, neque sequenti anno comprehensum volunt; sed in an. 1071. de quo nil statuo, ex causa paulo ante exposita. *Peregr.*

(96) Gaufredus Malaterra lib. 2. cap. 43. Barium à Duce Roberto captam dicit an. 1070. qui obsessam dixerat in an. 1067. Et sanè integro triennio (quadriennio circiter Ostiensis lib. 3. cap. 16.) ad eam subigendam insudatum, tradit etiam Guillelmus Apulus lib. 3. Lupi quidem sive lectio, sive sententia ex hoc quoque capite vacillat; quòd in anno 1071. quando dedicata est Cassinensis major Ecclesia, Dux Robertus, ut Ostiensis auctor est lib. 3. cap. 30. Panormum oppugnabat. Barii autem deditionem Panormitanam expugnationem præcessisse, idem Ostiensis jam dicto lib. 3. cap. 16. Gaufredus Malat. lib. 2. cap. 45. & Guillelmus Apulus l. 3. exponunt; atque Gaufredus expressè captam Panormum dicit in an. 1071. Lupus tamen, sibi constans, in an. 1072. *Peregr.*

Digitized by Google

mite, sed Robertus Dux, ejecto Petrono, introivit in eam ipse civitatem in Purificatione Sanctæ Mariæ.

Anno 1076. comprehensus est quidam nepos Africani Regis à Rogerio fratre Ducis, qui præerat Siciliæ cum 150. navibus in civitate Mazaria, & dedit prædictus Dux filiam suam, nurum ad Imperatorem Constantinopolitanum.

Anno 1077. obsessa est civitas Salerni à Roberto Duce Normanno, & comprehensa est ab eo. (97)

Anno 1078. Indict. I. obsessa est Neapolis à Richardo Principe, & minimè comprehensa: & Robertus Dux obsedit Beneventum, sed ejus obsedio dissipata est à Rodulpho Pipino Comite, & hoc anno obiit prædictus Richardus Princeps. (98)

Anno 1079. intravit Petronus in Tranum, & Barum rebellavit, ejecto exinde præside Ducis, & Bajalardus filius Umfredæ comprehendit Asculum. Et ejectus est Imperator prædictus Michaël à Regno, & Botoniates quidam factus est Imperator, qui & abstulit prædicti Michaëlis uxorem, & abusus est ea, & fuit hoc anno mortalitas hominum in Matera.

Anno 1080. Inventum est corpus B. Canionis in Acherontia ab Arnaldo Archiepiscopo, & idem Archiepiscopus construere cœpit novum Episcopium, idest Ecclesiam Sanctæ Dei Matris Mariæ. Hoc anno Barum civitas reversa est in potestatem Roberti Ducis, & idem Dux obsedit civitatem Tarentum, & mense Aprilis comprehendit eam, & iterum obsedit Castellanetam, & cepit eam. Et hoc anno Imperator Michaël descendit in Apuliam, quærendo auxilium à Roberto Duce contra Botaniatem, & mense Julii 27. die mortuus est Robertus Comes eximius, & ejecti sunt Normanni à Matera secundò, & cœpit regnare Loffredus Comes filius ejus, pro eo in Matera, in vigilia Sanctæ Mariæ mense Augusti.

Anno 1081. Robertus Dux intravit Tricharim mense Octobris, & eodem mense Archirizi perrexit ad Michaëlem Regem Sclavorum, deditque ejus filio ejus filiam in uxorem, & Robertus Dux cum prædicto Michaële Imp. perrexit Hydruntum; missisque antea navibus in Insula Corise, quæ apprehenderunt eam, ubi & ipse paululum unà cum Imp. transfretavit, posueruntque mense Julii ante Dyrrachium obsidionem per mare, & per terram, quam stolus Veneticorum veniens dissipavit, aperuitque Dyrracenis mare. Hoc anno Botaniates factus est monachus, & Alexius factus est Imp. & Alemannorum Rex Enricus venit Romam, ut ejiceret exinde Papam Gregorium.

Anno 1082. hoc anno complentur ab initio mundi 6281. ab Urbe condita 824. (99) Alexius Imperator collecto grandi exercitu iniit bellum cum Roberto Duce haud longe à Dyrrachio, & terga versus fugit, ceciderunteque in ea pugna plusquam 6000. ex suis, fuerunt autem in ejus exercitu 70. mil. hominum, & dominante isto Alexio Imp. Episcopus Rubensis nomine Guislibertus donavit Priori Montispiloſi Ecclesiam Sancti Sabini, quæ est in civitate Rubi, qui prior tenebatur omni anno ad quatuor libras ceræ in die Sabbathi Sancti, & mittere unum hominem equestrem ad suas expensas, quando Episcopus Rubensis ibat ad Barum, seu ad Canusium, & mense Januarii Robertus Dux cepit civitatem Dyrrachium traditione quorumdam Veneticorum: & hoc tempore prædictus Rex Henricus obsedit Romam, ut vi introiret, & faceret ibidem Papam Ravennensem Archiepiscopum, sed minimè potuit; & Dux rediens ab Epidauro sub lecto sibi Boamundo filio suo perrexit Romam ferens auxilium Papæ Gregorio, cùm Rex jam in partibus moraretur Lombardiæ, ad debellandam Mathildæ Provinciam, quæ cum Papa tenebat Gregorio. Hoc anno Bajalardus perrexit ad Constantinopolitanum Imperatorem Alexium causâ auxilii; & eo anno die 16. Maji dedicatum est in Matera novum Templum in honore Sancti Eustasii ab Arnaldo Archiepiscopo sub Domino Stephano Abbate auctore ipsius Templi.

Anno 1083. hoc anno complentur 517 anni, ex quo intraverunt Langobardi in Italiam, & cyclus Solaris 28. & cyclus Lunaris 17. & cyclus novennalis primus, & Epacta Luna.. (100) & hoc tempore Romani à Papæ Gregorii societate discedentes Legatos ad prædictum direxerunt Regem, quo eum Romæ mitterent: sed Dux hoc anticipans direxit plusquam trigința millia solidorum Romam, quatenus sibi eos,

(97) Variant Auctores de anno captæ à Roberto Salernitanæ urbis, quorum sententiæ in Chronologia Principum ejusdem urbis ex professo erunt mihi examinandæ. Dicam nunc, sive Lupum hallucinatum, sive ipsius librarium; namque alteruter nimis etiam serò captam ponit, ut jam declaravi, Panormum. *Peregr.*

(98) Minimè Princeps Capuæ Richardus eodem anno, quo Neapolim obsedit, vita functus est; sed Neapolim aggressus initio mensis Maji, anno 1077. obiit quinta feria Cœnæ Domini, anno 1078. hoc est Nonis Aprilis, de quibus alibi fusè. Pro me certè stant tum alia monumenta, tum Anonymus Cassinensis, consueta nimirum cautione capiendus, quam expossui in Serie Abbatum Cassinensium in Theobaldo. Nec annus firmatæ Beneventanæ obsidionis cum anno confundendus est disjectæ, quos distinguit Petrus Diac. in Auctario ad Ostiensem lib. 3. cap. 44. perhibens insuper Principem Capuæ Jordanum, qui Richardo patri successerat in mense Aprilis, castra à Duce Roberto in Beneventum metata dissipasse; conspirantibus cum illo universis Comitibus Apuliæ. Lupum tamen mendacii non arguo, quòd Rodulphum Pipinum, aliis *Rainulfum*, hujus dissolutæ obsidionis faciat auctorem, nam cum Jordano Rainulfum ejus patruum in Robertum hoc tempore conjurasse, Guillelmus Apulus lib. 3. tradit. Sed Petrus Diac. Jordano rem omnem adscribit, quia ille dignitate major: Lupus Rainulfo, quia hic ætate, & consilio. Chronicon autem S. Sophiæ par. 3. Num. 14. nullo pacto conciliari Petro valet, in quo habetur, Robertum è Beneventana obsidione expulsum 6. *Id. April. Ind.* 1. hoc est triduò post obitum Principis Richardi; qua die Paschа dicto anno 1078. est celebratum. Romualdus Sal. neutri, nec Lupo in omnibus concordat. *Peregr.*

(99) In consignandis annis mundi Lupus secutus est Eusebium Cæsariensem, Christi Natalem ad annum mundi referentem 5199. qui cum adnotato Christi anno 1082. jam dictam summam conficit annorum 6281. Anni verò Urbis conditæ diminuti admodum sunt in Lupo ob librarii incuriam, qui antiquas numerales notas in prisco exemplari repræsentatas hac forma. MDCCCXXXIV. ac præ antiquitate, fortè exoletas, interpretatus est. DCCCXXIV. recentioribusque notis reddidit. 824. Sanè Lupus in hac, quam dico, summa annorum 1834. Christi Natalem ad annum Urbis statuisse videtur 752. cujus sententiæ plerique etiam inter antiquos fuere Auctores. *Peregr.*

(100) Annum Christi 1083. certis, & sine errore characteribus consignat. Legendum tamen: *Cyclus decemnovennalis primus, & epacta Lunæ* 11. Quo anno completos cùm dicat ab ingressu Langobardorum in Italiam annos 517. constantissimè illorum Epocham ad annum statuit Christi 566. sicut etiam fecit ad an. 916. & 966.

quæ

eos, Papæque reconciliaret, quod & factum est. Attamen Rex Romam adveniens, cepit totam regionem trans-Tyberim, in qua Apostolorum Principis eminet Templum: & mense Junii, relicto ibidem præsidio suo, ac filio in castello, quod ipse illic statim construxit, ad debellandum Gregorium Papam, qui in Laterano, ac in Cœlio monte se continebat, cum quadraginta obsidibus Româ secessit in partes Tusciæ; & Dux in mense Maji posuit ante Cannas civitatem Apuliæ obsidionem, & mense Julii comprehendit eam.

Anno 1084. Robertus Dux, collecta multitudine Normannorum, Langobardorum, aliarumque gentium, perrexit Romam, ut Papam Gregorium dura obsidione retentum liberaret, quod & factum est, nam Romam adveniens & Urbis maximam partem cepit, & Papam exinde viriliter abstrahens secum devexit Salernum.

Anno 1085. prædictus Dux grandi apparatu navium, hominumque innumerabili exercitu Brundusiopolim veniens, deposita ibidem navali machinatione ingressus est Adriaticum pelagus, perrexitque in Insulam nomine Cassiopim, ubi stolus Veneticorum, & filius Ducis Venetiæ cum plurimis navibus erat infestus Duci Roberto: sed bello in mari inter eos confecto, victoria ad Normannos concessit. Cæsa sunt in ea pugna plusquam quinque millia hominum, præterea naves quinque captæ, & duæ cum hominibus submersæ sunt, ita ut qui gladium potuere evadere bellatoris, pelagi eos voragó glutiret.

Hoc anno mense Maji prædictus Papa Gregorius dum Salerni moraretur, diem clausit extremum, quo moriente tanta fertur grandinum, tonitruumque extitisse procella, ut omnes illic positi hujusmodi turbinibus putarent interire. Mense Julii dum jam dictus Dux moraretur in loco, qui dicitur, *Veneti victi*, à devictis Venetis, exercitusque ejus ob quandam civitatem capiendam in Cephalonia moraretur Insula, ipse autem in prædicto loco cum parte exercitus resideret, præparans se, qualiter cum grandi apparatu navium, & militum innumera multitudine ad Regiam tenderet navigio civitatem, jussu misericordiosissimi, & Omnipotentis Dei, qui dissipat, ac reprobat cogitationes, vel consilia Principum, non ex suo procedentia, profluvio ventris extinctus est.

Anno 1086. Rogerius filius prædicti Roberti Ducis factus est Dux.

Anno 1087. mense Maji corpus Beatissimi Nicolai Mirensis Archiepiscopi à quibusdam Barensibus à prædicta Mirea ablatum, in Barum devectum, caput civitatum Apuliæ. Hoc anno Abbas Desiderius Sancti Benedicti Montis Cassini, consensu quorumdam Nobilium Romanorum factus est Papa Romanus, vivente adhuc Clemente Antipapa, qui fuerat Ravennæ Episcopus.

Anno 1088. mense Septembris factus est grandis terræmotus per totam Apuliam, ita ut in quibusdam locis turres, ac domos ruisse feratur; (101) tunc enim cœpta est guerra inter Rogerium Ducem, & Boamundum fratrem ejus, hoc anno comprehensa est Syracusa, Siciliæ quondam caput, à Rogerio Comite; in qua fertur homines comesos, & infantes, ob diuturnitatem obsidionis.

Anno 1089. facta est Synodus omnium Apulienſium, Calabrorum, ac Brutiorum Episcoporum in civitate Melfiæ, ubi affuit etiam Dux Rogerius cum universis Comitibus Apuliæ, ac Calabriæ, & aliarum Provinciarum, in qua statutum est, ut Sancta Trevia retineretur ab omnibus subjectis (102). Hoc anno obiit Ursus Barensis Archiepiscopus, & Papa Ur-

---

quæ statuenda fuerat ad ann. 568. At Lupus appellatione *Italiæ*, ut dixi ad an. 1042. *Apuliam* solet demonstrare; quam sanè Beneventani Langobardi sub Duce Romualdo, ut Paulus Diac. perhibet lib. 6. cap. 1. primùm invasere, cæso apud Siciliam à suis Imperatore Constantio in anno 668. qui Lupo fuit annus 666. juxta eandem nimirum supputationem, qua prædictus annus 568. illi fuit 566. Hac igitur mente Lupus cùm in anno 1083. exactos scripsisset ab Langobardorum adventu in Italiam annos 417. in anno 966. annos 300. in anno 916. annos 250. novitius librarius, cui communis tantùm præfatæ gentis in Italiam accessus, communisque ac protrita vocabuli *Italiæ* acceptio, nec alia erat nota, censorem agens, centenarium addidit, annosque 417. reddidit 517. annos 300. fecit 400. annos verò 250. ad 350. produxit; ac juxta suum captum illo etiam priori in loco ad annum 916. *Alboini Regis* pro *Romualdi Ducis* substituit nomen. *Peregr.*

(101) En ætas Auctoris, quam pinguior in his annis detegit etiam ejus stylus. Cæterùm Lupus præsenti anno captas quoque Syracusas tradit à Comite Siciliæ Rogerio: sed Gaufredus Malat. lib. 4. cap. 2. id rejicit in annum 1085. qui lib. 3. cap. 41. annum quoque obitus Ducis Roberti anticipavit, defunctum illum perhibens in anno 1084. nec dum à Rogerio receptis Syracusis. *Peregr.*

(102) Baronius Concilium Melfitanum ad annum figit 1090. Romualdi Salernitani Chronicon laudans; cujus sunt verba: *Anno Dominicæ Incarnat.* 1090. *Indictione* 13. *Mense Septembris, Urbanus Papa Synodum celebravit in civitate Melfiæ; in qua Rogerius Dux ligius ejus homo effectus*, &c. De mense acti Concilii concordat Joannes Archidiaconus Barensis apud eundem Baronium ad an. 1091. num. 14. *Electo*, inquit, *Elia in Archiepiscopum Barii, voluntate, atque consensu Ducis Rogerii, filii Ducis Roberti, Melfiam Papam Urbanum adivimus, qui ibidem Synodum celebrabat mense Septembri; quem rogavimus, ut usque Barum descenderet, prædictumque consecraret Eliam in Archiepiscopatus honorem, Domino Boamundo eundem Papam nobiscum deprecante, qui eo tempore Barum jam suo tenebat sub dominio*, &c. At Eliam in Archiepiscopum ordinatum constat ab Urbano *in anno 2. sui Pontificatus, Christi* 1089. *Indict.* 13. *die* 9. *Octobris*: Baronio metipso Bullam consecrationis referente ad annum modò dictum num. 5. & seqq. Lupus igitur rei gestæ æqualis Melfitanam Synodum ritè in annum refert 1089. imperitè Romualdus ad ann. 1090. qui integro ferè seculo posterior fuit. Verùm ex librarii id accidisse culpa, non dubito, qui unitatis notam detraxit, annosque à Romualdo descriptos MLXXXIX. reddidit MLXXXX., sicuti ex adjecta liquet Indictione 13. cœpta numerari à mense Septembri, quo Synodus Melfitana est celebrata. Trojanum autem Concilium à Petro Diac. memoratum lib. 4. c. 7. (ni hoc sit illudipsum, quod idem Romualdus ibidem actum notat in anno 1093.) dicendum hinc est, ab Urbano coactum in anno antecedenti; alterutroque in anno eundem Pontificem ad Comitem Siciliæ Rogerium accessisse, de quo Gaufredus Malaterra lib. 4. cap. 13. nil verò Baronius. At quod Lupus habet de *Trevia*, sive pace, & induciis in Melfitana Synodo statutis, nescio an id capiam de inita tunc concordia, ac fœdere inter Apuliæ Ducem Rogerium, ejusque fratrem Boamundum, inter quos idem auctor, adstipulatorem habens Romualdum, exortum, cœptumque dixerat bellum in anno 1088. Gaufredus sanè lib. 4. cap. 10. conciliatos fratres ait post biennii dissen-

Urbanus nomine, venit in civitatem Barum, & consecravit illic confessionem Sancti Nicolai, & Heliam Archiepiscopum, vivente adhuc prædicto Antipapa Clemente, & consecravit Brundusinam Ecclesiam prædictus Papa Urbanus.

Anno 1090. mense Augusti Acherontia admirandum in modum cremata est à se ipsa, & mortuus est Jordanus Princeps.

Anno 1091. jurata est à Normannis Trevia Dei. *Cod. Andr.* Et finiunt ab O. C. anni 6291. Epacta 19. (103)

Anno 1092. cùm obsideretur Ories civitas à Boamundo, auxilio quorumdam, Orietani obsidionem dissipaverunt, & ipso Boamundo fugam petente, cunctum ejus apparatum, & signa ceperunt.

Anno 1093. Indict. prima obiit Eugenia Abbatissa Sancti Benedicti Monasterii Materiensis mense Octobris, & eodem mense Urbanus Papa (104) venit in Materam, & applicuit ad cœnobium Sancti Eustachii cum grandi plebe hominum.

Anno 1095. mense Aprilis in nocte diei 4. subitò visi sunt igniculi cadere de cœlo, quasi stellæ per totam Apuliam, qui repleverunt universam superficiem terræ, & ex tunc cœperunt Galliæ populi, imò totius Italiæ pergere ad sepulchrum Domini cum armis ferentes in humero dextro Crucis signum.

Anno 1096. Rogerius Comes Siciliæ cum 20. mil. Sarracenorum, & cum innumera multitudine aliarum gentium, & universi Comites Apuliæ obsederunt Amalphim, & cùm ibi perseverarent, subitò inspiratione Dei Boamundus cum aliis Comitibus, & plusquam 500. Equitibus facientibus sibi signum Crucis super panno in humero dextro reliquerunt obsidionem, & transfretantes perrexerunt in Regiam urbem (105), quatenus cum Alexii Imp. auxilio bellando cum paganis, pergerent Hierusalem ad Sanctum Sepulchrum nostri Redemptoris.

Anno 1097. Boamundus cum Comite Sancti Egidii, & cum Comite Normanniæ, & aliis Comitibus Occidentis cum innumera multitudine mense Aprilis à Regia urbe se moventes transfretaverunt, & ceperunt omnem terram, quam Turchi Impp. abstulerant, & facto bello cum Turchis, victoriam Christus suis concessit Christianis, fertur enim fuisse Paganos 150. mil. Hoc actum est circa Niceam civitatem.

Anno 1098. mense Octobris apparuit Stella Cometes, & Christiani bellando venerunt usque Antiochiam, & obsederunt eam, & mense Aprilis comprehendentes interfecerunt ibi plusquam 60. mil. hominum, iterumque commissâ pugnâ Christiani vicerunt, & ceperunt multa spolia Turcorum; Et hoc anno comprehensa est Capua à Rogerio Comite mense Martii (106).

Anno

---

dissensionem, non tamen post annum 1086. Joannes Archidiaconus verbis supra relatis illos concordes fuisse innuit tempore Melfitanæ Synodi, tradens Boamundum sub suo dominio tunc Barium habuisse: quam ipse ex novi fœderis lege obtinuit, ut idem perhibet Gaufredus loco jam dicto. *Peregr.*

(103) Postquam Dux Rogerius cum fratre concordaverat Boamundo, nulla inter Nortmannos nova emerserant adhuc bella. Trevia igitur ista iteratò inita an vacet, exque notula ad libri oram depicta in textum immigraverit, velim, Lector, expendas; qui facilè advertere etiam potes, annum Christi 1091. cum anno Orbis Conditi concurrere 6290. quo anno Epacta fuit 9. nam salutis annus 1082. ut Lupum supputasse vidimus, fuit mundi 6281. *Peregr.*

(104) Ex his verbis, Agnellus Pacca, vir eruditus, arguit Auctorem hujus Chronici fuisse Civem Materanum, sed ego nihilominus arbitror potiùs Bariensem. Ut ut fuerit, Apulus certè fuisse videtur. *Carac.*

(105) Petrus Diac. lib. 4. cap. 11. Boamundum tunc fuisse dicit *unà cum patruo suo Comite Rogerio in expeditione in partes Campaniæ*; cui vir magnus Baronius inhæret, deque Capua tunc in deditionem accepta ab utroque Rogerio, & à Principe Richardo 2. illum capit. Neutri ego assentior; nam pro Lupo stat Petrus Tudebodus in Hist. de Hierosolymitano itinere lib. 1. itemque Gaufredus Malaterra lib. 4. c. 24. qui *Malphi*, & *Malfam*, pro *Amalfiam* dicunt, nam utroque modo efferebatur id nomen; remque minutiùs Gaufredus enarrat, deque anno etiam subscribit Lupo: illum adi. Capuæ autem obsidio, & deditio minimè in ann. 1096. sed post fuit, de qua statim. Torquatus Tassius, ut Parergon hoc addam, summus absque controversia Vates, mihique hæreditario quodam jure impensè cultus, poëtica usus licentia, Tancredum Boamundi nepotem octingentos *è Campania*, nempe quæ felix, & beata antiquis dicta est, ad sacrum Hierosolymitanum bellum equites duxisse, perhibet, quos illi solos, nec alios plures aliunde quæsitos adscribit:

„ *Gli ottocento à cavallo, à cui fa scorta,*
„ *Lasciar le piagge di Campagna amene,*
„ *Pompa maggior de la natura, e i colli,*
„ *Che vagheggia il Tirren, fertili, e molli.*

nam nec Tancredo, nec Boamundo ulla unquam in hæc loca potestas fuit, præfatique

temporis in instanti Capuam Princeps genere Langobardus, Neapolim verò Dux suus obtinebat, solamque Aversam, novam urbem, in anno Christi trigesimo supra millesimum conditam, & siqua alia minora oppida Nortmanni, alterius tamen generis, possidebant. *Peregr.*

(106) De anno captæ Antiochiæ consentit Guillelmus Tyrius l. 5. & recentiores omnes: non sic de mense, id referentes ad diem 3. Junii, quæ in anno jam dicto incidit in Feriam quintam, ut benè notat Anonymus Cassinensis, non quartam, ut habet Ordoricus Vitalis lib. 9. Idem tamen Anonymus perperam ad annum id figit 1096. Petri Diaconi scilicet errorem secutus lib. 4. cap. 16. Igitur in Lupo mensis, *Aprilis*, suppositus est pro, *Junii*, sicuti ad eandem normam hoc pariter loco dicitur, Capuam captam à Comite Rogerio mense *Martii*, qui Aprilem præit, pro *Maji*, qui antecedit Junium. Nam Comes ille, ut Gaufredus Malaterra auctor est lib. 4. cap. 26. cùm Pharum transisset primâ hebdomadâ Aprilis, festumque Pentecostes celebrasset cis Beneventum, juxta fluenta Sabbathi, quod ante diem 10. Maji celebrari nunquam contingit, Capuam dein pervênit; quam simul cum Duce Apuliæ Rogerio, & cum Principe Ricardo 2. acriter obsidens, *post quadraginta obsidionis dies*, ut inquit Romualdus Salern. & Anonymus Cassin. *æstivo tempore*, ut Petrus Diac. lib. 4. cap. 10. cui suffragatur Edinerus in Vita S. Anselmi lib. 2. apud Surium 10. Kal. Maji, deditione facta obtinuit, reddiditque Richardo, qui post Jordani patris obitum, ac ineunte anno 1091. ab ea fuerat pulsus. Capua itaque recuperata est, ut citiùs, extremo mense Majo, atque ingruente Æstate, numerandi cùm videantur quadraginta dies obsidionis non ab accessu Comitis, sed ab die, qua Princeps Richardus 2. qui Aversam proximam urbem retinuerat, Capuam solus circumvallaverat; nam alioquin receptam eam fuisse, dicendum est, mense Junii, quod equidem non recusaverim, si in Lupo mensis *Martii* restitui debeat. *Junii*, non *Maji*. Verum enim vero mensem *Martium* pro *Majo* sæpè alias suppositum, manifestum est; idque ex ea, fortè, occasione natum, quòd nomina propria cùm sub Nortmannorum ætate capitalibus tantummodo literis depictis compendiarenrur, *Martius* mensis sic descriptus, pro *Majo* à recentioribus librariis sæpenumero est acceptus. Sicut in Kalendario

. Anno 1099. menſe Octobris Papa Urbanus congregavit univerſam Synodum in civitate Bari, in qua fuerunt 185. Epiſcopi, & menſe Junii in feſtivitate S. Petri Apoſtoli compræhenſa eſt Hieruſalem civitas à Chriſtianis (107), & omnes, quos ibi invenerunt, occiderunt. Fer-

dario antiqui etiam Breviarii Campani, in quo Feſtum S. Potentianæ Virginis perperam notatur ad diem. 19. Martii, quod colitur 19. Maji. Et in percelebri quoque Diplomate præfati Comitis Rogerii apud Surium die 5. Octobris, in quo habetur, ſtructas in eum, dum in Capuæ manebat obſidione, inſidias *Kal. Martii*, ubi legendum eſſe, *Kal. Maji*, jam olim docti cenſuerunt viri: etſi nec talis caſtigatio omnem removet ſcrupulum, ſi vera expoſuit nobis Gaufredus, Rogerium dicens, Pentecoſten celebraſſe prope fluenta Sabbathi, dein autem Capuam perveniſſe. At hoc ipſo in Diplomate aliud inſidere mendum, legendumque in eo opinor, Rogerium reverſum *vigeſimanona Junii menſis Squillacium* (non *Julii*: niſi mavis, *nona Julii*,) *perbabita Capua civitate, & per quindenam continuam fuiſſe ibidem infirmatum*; Privilegiumque feciſſe *die 2. Auguſti, anno ab Incarnatione Domini* 1098. *Indictione 6.* (male nonnulli edunt; *Indictione 7.*) *confirmante Joanne Squillacenſis ſedis Epiſcopo, reſidente juxta fores Eccleſiæ*. Nec cum viro docto ſentiendum eſt, Privilegium datum quidem in anno 1098. minimè tamen Capuam obſeſſam, receptamque, ut Lupus perhibet, eodem anno; ſed anno antecedenti: ſicut habet Gaufredus Malaterra, qui ejuſce obſidionis tempore *affirmat, ibi impregnatam in anno MXCVII. Comitiſſam Adelaſiam de Comite Rogerio*: haud, inquam, annus dati Diplomatis ab anno Campanæ obſidionis, ægrotantiſque Comitis Rogerii diſtinguendus videtur; nec Comes ultroneam ſuam donationem poſt ſuſceptum beneficium in annum ſequentem diſtuliſſe, nulla interim expoſita ejuſmodi dilationis occaſione, quæ ſanè nulla: quinimmo convenientiſſimè dixerimus, non revoluto, nec anniverſario anno Rogerium rediiſſe Squillacium; ſed cùm primum è Capua illuc appulit, ac per valetudinem valuit, præfatum Privilegium indulxiſſe. At Gaufredus, dices, Capuam obſeſſam in anno MXCVII. anno ſcilicet ante datum Diploma, in ſuperiùs relatis verbis exponit. Ita quidem, ſi ea notula Gaufredi, nec Gloſſula reputanda ſit ocioſi alicujus adnotatoris, quæ ut facilè eſt obſervare, è libri ora in textum traducta, continentem ejuſce Auctoris narrationem importunè perturbat, ac dividit. En Malaterræ integer, qui huc facit, locus è lib. 4. c. 26. & quidem ad ipſius Cæſarauguſtanæ editionis exemplum religiosè expreſſus. *Ipſe autem Comes*, inquit, *omni diluculo ante lucem ſurgens, utrumque exercitum, pontem tranſeundo* (quem nempe ſuper Volturnum conſtruxerat, ut ſuo exercitui, & Ducis Rogerii, Principiſque Richardi communis, faciliſque pateret via, qui trans flumen ad Septemtrionem Capuam obſidebant) *inviſens, utrum attenti eſſent ad excubias, viſum ibat. Porrò ipſi rubore perfundebantur, quòd juvenes ipſi, & ad quos peculiariùs negotium attinebat, ſegniores forent: Comite provectioris ætatis, & corporis plagarum, laborumque aſperitatis viro vigilantiore exiſtente. Nam & ab omni exercitu ejus vigilantia admirationi erat, omneſque in ejus exemplo vigilantiores reddebantur.*

Anno Dominicæ Incarnationis MXCVII. ibi ſe impregnavit Comitiſſa Adelaſia de Comite Rogerio.

Cap. 27. *Cùm iſta aguntur, Papa Urbanus colloquium Ducis, & Comitis deſiderans, à Roma progrediens, Capuam, ubi obſeſſionem tenebant, venit.* Sic ibi. Sed eſto, talia ipſe adnotavit Gaufredus: ſimulque detur, nec de Comite Rogerio præfati Comitis Rogerii filio tunc à matre concepto, quod aliquando conſentientibus mihi acris ingenii viris ſum opinatus, quemque Gaufredus ejuſmodi dignitate auctum certè non vidit ibi eſſe ſermonem, ſed de patre Rogerio: an ſatis certi erimus, numeros annorum Chriſti ſincerè, nec depravatos, diminutoſque vel à Librariis, vel à Typographo nobis fuiſſe repræſentatos, à quibus conſimilia alibi commiſſa menda frequentiſſimè dolemus? ſanè Gaufredus, qui in Præfatione libri 2. & lib. 4. cap. 18. temporum, annorumque ordinem ſervaturum ſe profeſſus eſt, cùm expoſuiſſet eodem lib. 4. c. 25. quæ in anno geſta fuerant MXCVII. menſe Maji, dein cap. 26. & ſeqq. quibus obſidionem, deditionemque Capuæ enarrat, retuliſſe videtur, quæ ſucceſſivè, nec ante acciderunt. At Comitem Rogerium in prima hebdomada Aprilis Pharum tranſiſſe, continentique itinere Capuam perveniſſe, tradit. Subſequenti igitur anno Chriſti MXCVIII. id eveniſſe oportet. Sit autem & hoc nullius roboris argumentum: an ipſimet Gaufredo, à cujus dicto lis hæc omnis pendet, fides erit deneganda; qui anno Incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, menſe Majo Comitem Rogerium, non Capuæ in Caſtris præſentem facit, ſed filiam ſuam è Sicilia Alamanno Regi Ungarorum (*Colomannum* dicit Antonius Albizius in Stem. Principum Chriſt., cujus unicam, neque hanc facit uxorem) matrimonio conjungendam maritimo itinere tranſmiſiſſe ſub ducatu Henrici Epiſcopi Leſcaſtrenſis (certè *Leocatenſis*) aperto manifeſtat ſermone? minimè itaque hic Auctor alio anno Capuam obſeſſam à Comite Rogerio, quàm eodem, quo Lupus, ſtatuit: itemque non alio, quàm dati ab eodem Comite Diplomatis, de quo dictum eſt; quibus ineditum antiquum Cavenſe conſentit Chronicon, & Anonymus quoque Caſſin. ſed cautè interprætandus, ut ibi dicam. *Peregr.*

(107) Diſtinguenda ſunt iſta, Synoduſque Barenſis ad annum antecedentem eſt referenda, quam actam eodem anno, quo Capua à Comite Rogerio, ejuſque aſſeclis eſt expugnata, ex Edinero in vita S. Anſelmi lib. 2. aperitur, nullo tamen anno palàm ibi expoſito, ſed jam dicto tantummodo menſe celebrati Concilii. *Deinde*, inquit, *ſoluta obſidione* (Capuæ ſcilicet) *multa prece Anſelmus Papam* (Urbanum, qui, ut verbis dicam Gaufredi, *colloquium Ducis, & Comitis deſiderans, à Roma progrediens, apud Capuam, ubi ſeſſionem tenebant, venit*) *ad hoc flectere conatus eſt, quatenus ab onere Pontificali eum abſolveret, & quieti liberum vacare concederet. Verùm cùm quantum ad effectum ad nihilum laboraſſet, fretus benedictione ejus, Sclaviam reverſus eſt* (Pagum nempe in Diœceſi Calatina, vulgo: *Li Schiavi*, in Campanæ Eccleſiæ, ſive dicas Campani tunc Principatus Provincia eidem Auctori antea deſcriptum, quò Anſelmus æſtivi caloris inclementiam vitans, diverterat; indeque à Duce Rogerio accerſitus, ad Caſtra ſuper Capuam ab eo firmata acceſſerat, ſoluta autem obſidione, iterum illuc ſe receperat) *opperiens tempus Concilii, quod idem Papa apud Barum, Kalendis Octobris erat celebraturus*. Hæc Edinerus. Et verò quinam potuit Urbanus Concilium in civitate Barii congregare in anno 1099. menſe Octobris, cùm diem obierit, Lupo metipſo fatente, menſe Julii eodem anno, quod ſanè verum; celebrata nimirum Romana Synodo, quam dicunt Tertiam Urbani, in 3. hebdomada poſt Paſcha, de qua Bertoldus Conſtantienſis jam dicto anno his verbis? *Romæ*, inquit, *Dominus Papa generalem Synodum centum quinquaginta Epiſcoporum, Abbatum, & clericorum innumerabilium tertia hebdomada poſt Paſcha collegit*. &c. Quæ Synodus diſtinguenda haud videtur ab illa, quam Secundam appellant, actamque volunt poſt Barenſem, in tertia ſimul hebdomada poſt Paſcha, verba pro ſe laudantes præfati Edineri loco antedicto, quæ ſunt. *Finito*, inquit, *Concilio Barenſi, Romam cum Apoſtolico profecti ſumus. Tranſactis autem aliquantis diebus, venit Romam Vvillelmus ille, cujus in exitu Angliæ memoriam fecimus. Inter alia hoc effecit apud Apoſtolicum, ut inducias Regi Angliæ daret uſque ad feſtum S. Michaelis Archangeli. Quod Anſelmus agnoſcens, illico*

Lug-

Fertur autem occisa ibi esse 200. mil. hominum, & tunc levaverunt sibi Christiani Regem Gottofridum, qui fuerat (108) Suevorum Dux, & mense Julii prædictus Papa Urbanus obiit, & electus est Paschalis Papa.

Anno 1100. Mortuus est Gotfridus prædictus ab Urso egrediens à saltu, quem antea ipse fortiter ferierat.

Anno 1101. comprænensa est Cæsarea à Christianis, & ad solum usque perducta, & mense Septembris mortuus est Goffridus Comes, & (109) Alexander filius ejus intravit Materam, & ..... inceperunt habitari à Montensibus. Hoc anno obiit Arnaldus Archiepiscopus Acherontinus, & Rogerius Comes Siciliæ mense Julii.

Anno 1102. Indict. 10. mense Novembris obiit Stephanus Abbas Materiensis, & Simeon Abbas successit ei, & mense Maji electus est Petrus Acherontinus Archiepiscopus.

Lugdunum redire volebat; sed prohibitus à Papa est propter Concilium, quod se tertia hebdomada Paschæ Romæ habiturum statuerat: Haud, inquam, Romanum, quod post Barense celebratum ab Urbano est Concilium, in duo est dissecandum; nam ejusmodi duplicitatem simplex, unusque annus, qui intercessit inter Capuæ obsidionem, quam proximè Barensis Synodus est subsecuta, & Urbani obitum, non admittit; dierumque uniformitas, quibus tum Romana Synodus à Bertoldo descripta, tum quæ ab Edinero est celebrata, de earum unitate dubitare me non finit. Guillelmum Malmesburiensem sanè de priori illo Concilio loquutum dum putant, in quo idem Auctor perhibet, *Papam cum omnibus sententiam excommunicationis vibrasse in Laicos investitores Ecclesiarum, & investitos à Laicis; & in taliter investitos consecrantes, & in illos, qui pro Ecclesiasticis honoribus Laicorum homines fiunt*, hoc ipso argumento antedictam à me utriusque Synodi unitatem confirmant; inter Canones enim prædicti Concilii 3. Rom. apud Binium, T. 7. p. 1. celebrati ann. 1099. *Pr. Kal. Maji*: in Sabatho scilicet Prid. Dominicam 3. post Paschа dicti anni, quem Urbani postremum fuisse statuunt, cùm de 2. nulla extare acta, adfirment omnes, subsequens legitur Canon, sententiæ haud dissimilis ab Malmesburiensis enunciato. *Nullus Abbas* (verba sunt Canonis) *nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ juris sunt Ecclesiastici à Laicis accipere sinè Episcopi concessione præsumat*. Unam itaque Romanam Synodum post Barensem, ac post annum 1098. Urbanus celebravit, in anno nimirum 1099. Quo anno, ut ad Lupum redeam, nullo errore expugnatam ipse asserit Hierosolymam; sed diem pravè consignat, cùm id inciderit in Idus Junii, ut Tyrius habet lib. 8. c. 5. & 18. aliique nullâ discrepantiâ. *Peregr.*

(108) *Cod. Andr.* Dux Helvetiorum. *Carac.*

(109) *Cod. Andr.* Alexius. *Carac.*

Finis Lupi Protospatæ.

Digitized by Google

APPENDIX

Incerti Auctoris, è Rubei Cod. papyraceo (110).

ANno 1212. ſuccedit Federicus Secundus Imperator, ab Honorio Papa confirmatur, obiit anno 1253.

Anno 1253. ſuccedit Conradus, regnat anno uno, veneno necatur à Manfredo.

Anno 1253. Manfredus ſuccedit, regnat annis 13. à Carolo interfectus fuit, qui regnat annis 17.

Anno 1267. Carolus Ludovici frater à Clemente Quarto fit Rex, ut ſolvat 40. mil. aureorum pro feudo.

Anno 1281. intitulatur hic Carolus Rex Hieruſalem propter Mariam Antiochiæ Regis filiam.

Anno 1284. ſuccedit, & in Regnum Ungariæ pro uxore regnat annis 26. obiit anno 1309.

Anno 1309. ſuccedit Rubertus, regnat annis 33. in S. Clara ſepultus.

Anno 1333. Andreas Ungariæ Regis frater regnat annis 3. laqueo perimitur, ſepultus eſt in Epiſcopatu Neapolitano in Capp. S. Loyſi, relicta Joanna uxore.

Anno 1347. Joanna prædicta alio conſobrino nupta, cum quo vixit annis 26. adoptat Ludovicum Andegavenſem, dat Avinionem Eccleſiæ, & Eccleſia relaxat cenſum.

Anno 1365. Clemens Quartus 4. Kalendas Julii anno primo Pontificatus ſui conceſſit perpetuò hoc Regnum Domino Carolo Comiti Andegavenſi filio Domini Ludovici VIII. Regis Francorum fratris Sancti Ludovici.

Anno 1380. Carolus Regio genere natus ex primo Carolo, ſuccedit, & Reginam necat.

Anno 1382. ſuccedit in Regno Ungariæ, & dolo necatur 1383.

Anno 1384. Ladislaus ſuccedit, regnat annis 29. veneno perit anno 1414. moritur in Caſtronovo, ſed ſepelitur in S. Joanne ad Carbonetum.

Anno 1414. Joanna Secunda ſuccedit. regnat annis 21. repudiat virum Jacobum de Marcha. Regnum dividitur; alii, & plures ſequuntur Alphonſum, alii Ludovicum Andegavenſem.

Anno 1433. 15. Decembris filia Regis Catholici venit Neapolim ad videndum Reginam prædictam.

Anno 1434. 26. Novembris die Dominico, obiit Ludovicus Tertius unicus filius D. Reginæ, Dux Calabriæ, & Andegaviæ.

Anno 1435. 2. Februarii horâ 3. noctis obiit Regina Joanna Secunda ſepulta in Annuntiata; relicto .... & gubernatoribus Regni. Publicè Titulus Juſtitiæ erat hoc modo: Sub Reginæ gubernatur Reſpublica Regni Siciliæ, ſeu ordinatorum præclaræ memoriæ per Sereniſſimam Reginam Ungariæ, Hieruſalem, & Siciliæ Reginam anno primo. Per dictam mortem ſuccedunt Renatus Andegavenſis, & Alphonſus adoptivi.

Anno 1435. Venit Alphonſus 5. Auguſti, & à Joanne capitur.

Anno 1438. 19. Maji venit Renatus Neapolim, & regnat annis 7. cum infinitis malis.

Anno 1438. 3. Auguſti Renatus vadit ad campum versus Aprutium pro pacando Regno; ultimo Septembris liberatus venit ad obſidendum Neapolim; die 17. Novembris ejuſdem anni prope Sanctum Angelum in Arena interfectus infans Caſtiliæ frater Alphonſi ictu bombardæ ſepultus in Monaſterio de Carmelo, propter quod diſceſſit ab obſidione 29. ejuſdem menſis, & fuit captus.

Anno 1442. 2. Junii intravit Alphonſus per puteum prope S. Sophiam in domo Citelli, expulſo Renato, qui fugit in arcem novam, & inde per mare cœpit regnare à die mortis Reginæ.

Anno 1452. venit Imp. Federicus Neapolim cum magnis triumphis.

Anno 1456. 5. Decembris hora 11. magnus terremotus, qui adæquavit aliquas terras ſolo, & maximè damnificavit Neapolim, & deſtruxit Eccl. S. Joannis Majoris, & alias domos.

Anno 1459. 16. Julii peſtis per ſex menſes: moritur Alphonſus Primus in arce Ovi, demum multos poſt annos reducitur ad Sanctum Dominicum cum pompa.

Anno 1459. equitavit Rex Ferdinandus Primus per civitatem regnat annis 26. (111)

Anno 1459. 25. Octobris. Armata Ducis Joannis filii Renati cum XIX. triremibus apparuit in maritima Neap. in Dohana ſalis, & receſſit inglorius.

Anno 1465. Venit Neapolim Hippolyta Sforcia uxor Alphonſi Secundi.

Anno 1470. Elionora Ferdinandi filia nupſit Herculi Eſtenſi.

Anno 1476. Beatrix Aragonia Ferdinandi filia Regi Ungariæ nupſit. 18. Septembris exit ad Virum.

Anno 1477. prima Septembris Joanna Tertia ſoror Catholici Regis uxor Ferdinandi Primi venit ad Virum.

Anno 1480. Hydruntum capitur à Turcis 27. Julii.

Anno ... 23. Januarii Ferdinandus Secundus equitavit ut Rex, & duxit Joannam Quartam Infantam ejus amitam, & filiam Ferdinandi primi ex Joanna Tertia uxore.

Anno 1484 22. Auguſti moritur Papa Xyſtus. Eo anno 25. Auguſti venit Neapolim D. Franciſcus de Arragonia filius Regis Ferdinandi.

Anno

MONITUM PEREGRINI.

(110) Quæ juſtiùs Appendix ad Chronicon Anonymi Caſſinenſis dicenda eſt, namque iſtud in anno ſubſtitit 1212. à quo ipſa exorditur, paucula hæc in patriæ meæ gratiam obſervo, plurimis aliis omiſſis, quæ æquè ac iſta, non librariorum incuriæ, ſed Auctoris imperitiæ videntur imputanda, mihique pro ſuſcepti operis munere minimè inpreſentiarum ſunt caſtiganda.

(111) At cætera antiqua omnia monumenta Alfonſum Ferdinandi primi patrem vita functum notant anno 1458. *Quo mortuo*, inquit Jovianus Pontanus de bello Neapol. lib. 1. *Reguli civitateſque miſſis Oratoribus, Capuæ conventu habito (nam peſtilentia Neapolim infeſtabatur) in Ferdinandi verba de more juravere.*

Digitized by Google

Anno 1490. Regnum Granatæ capitur.

Anno 1494. 25. Januarii obiit Ferdinandus Primus, & ſepultus eſt in Tribuna Sancti Dominici, ubi & cadaver Alphonſi erat. Iſto anno fuit repertus Tarenti liber Sancti Cataldi conſiſtens in tribus laminis plumbeis, videlicet, duabus extremis ſemiſcriptis, & media ſcripta ex utroque latere, qui præſentatus fuit Domino Regi, loquens de dicti Regis repentina morte, & ſic fuit repentè mortuus. Eo die Alphonſus Secundus ex prima uxore equitavit Rex, & eo anno legitur coronatus per legatos in Epiſcopatu cum magno triumpho.

Anno 1495. Alphonſus ſentiens adventum Gallorum, diffidens auxilio Magnatum, qui eum oderant, ſpontè reliquit filio Regnum, ipſe in Siciliam ſecedit . . . . ubi moritur in Meſſana. 23. Januarii diſceſſit Neapoli.

Anno 1495. Carolus Octavus cum 80. mill. armatis captâ vi Cajetâ, eâque devaſtatâ, & datâ in ſanguinem militibus, Regnum obtinuit, expulit Ferdinandum in Iſclam, intravit Neapolim 22. Februarii in Caſtro Capuano, ſanavit plures Neapolitanos morbo ſchrophularum. Eo anno quia Cives Neapolitani ſufferre non poterant injurias Gallorum, 7. Julii redeuntem cum claſſe Regem Ferdinandum Secundum receperunt per portam Mercati, Gallis undique trucidatis; & ipſe Carolus versùs Galliam ſe ſalvavit, aliàs de eo, & exercitu ſuo actum fuiſſet.

Anno 1496. 7. Octobris moritur ſtrenuiſſimus Ferdinandus Secundus, & ſepultus eſt in S. Dominico; eo anno, & die equitavit Rex Federicus in Civitate Capuæ, quia Neapoli erat peſtis (112). Regnat annis quatuor cum Sereniſſima Iſabella Baucia uxore, ex qua genitis tribus filiis maſculis, & duabus femellis, expulſus ad Ludovicum Regem vadit, caſu ejus domo igne combuſta priùs, poſtea moritur.

Anno 1502. 4. Auguſti conveniemtibus contra Federicum Ludovico Franciæ Rege, Duce Mediolani, Catholico Ferdinando, & uxore, miſſo Domino de Obegnì per Franciam cum magno exercitu Neapolim, & Conſalvo Ferdinando cum alio in Calabriam Regnum obtinent. Facta eſt diviſio Regni, facta deditione Neapolis. Capua prædata eſt per Gallos nolentibus civibus ſe dedere.

Anno 1503. quia Regnum non capit duos, commiſſis pluribus ſtragibus, die Veneris Aprilis, in Cirignola victi Galli, iterum menſe Decembri in Garigliano. Denique cum victorioſo exercitu intravit Neapolim Prorex magnus Capitaneus 16. Maji die Martis hora XX. & demum una die quaſi per duas horas cepit arcem novam: Aliæ ſe dederunt.

Anno 1503. menſe Decembris habita eſt notitia mortis Reginæ Iſabellæ, ſuperſtite Joanna filia, & Ferdinandus duxit aliam uxorem.

Anno 1506. prima Novembris die Dominico venerunt in Regno Rex Catholicus, & Regina Germana, de Foix uxor ejus cum quatuordecim triremibus, & aliis lignis: Intravit civitatem ruptâ portâ, ſub pallio aureo, arcubuſque triumphalibus per totam civitatem oſtendens lætitiam, dedit ei omnes gabellas, quas rehabuit, pro 30. mil. aureorum. Eodem anno 4. Junii diſceſſerunt Rex, & Regina cum Illuſt. Magno Capitaneo, relicto Joanne de Aragonia Comite Ripecurſiæ in Regno.

Anno 1507. 16. Maji. Captus eſt piſcis Neapoli centum cantariorum, de quo factum eſt oleum.

Anno

(112) Quî potuit eadem die Capuam Fridericus advolare, Barones Regni, ut oportebat, ſecum habens, quem ad eandem urbem ea ſanè die literas dediſſe de ſuſcepto à ſe Regno poſt mortem Nepotis, Campana monumenta, ipſæque ejus, quæ extant in ejuſdem urbis Archivo, literæ teſtantur? Certè ex actis Regiæ Cancellariæ coronatum illum ſolemni ritu Capuæ conſtat *in Eccleſia Cathedrali per manus Apoſtolici Legati Cæſaris Cardinalis Borgiæ 4. Idus Auguſti, anno 1497. Indict. 15. præſentibus Archiepiſcopo Conſentino, Pontificis tunc Alexandri VI. à ſecretis, & quamplurimis Prælatis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, atque nonnullis Oratoribus: videlicet Oratore Regis Romanorum, Regis Hiſpaniæ, Venetiarum, & Ducis Mediolani; Proſpero Columna Duce Trajecti, Fabritio Columna Duce Tagliacozzi, Alfonſo de Aragona de Piccolomineis Duce Amalfiæ, Ferdinando Franciſco Guevara Marchione Piſcariæ, Trojano Caraczulo Duce Melfiæ, Alberico Carrafa Duce Ariani, Andrea de Altavilla Duce Termularum, Franciſco de Urſinis Duce Gravinæ, Petracono Caraczulo Comite Pulicini, Joanne Thoma Carrafa Comite Mataloni, Trojano de Cabanellis Comite Montellæ, Belliſario de Acquaviva Comite Neritoni, Marco Antonio Caraczulo Comite Neocaſtri, Joanne Carrafa Comite Policaſtri, Vito Piſanello Regio Secretario, Antonio Griſono Regio Camerario, Roberto Bonifacio Milite, & aliis Donnicellis, Baronibus, & Militibus*, &c. Sylveſter Guarinus Averſanus in Diario ſui temporis nondum edito, Italicè deſcripto, de eadem Frederici Coronatione ſic habet.

Nos in gratiam Exterorum, quibus Neapolitana dialectus minùs nota, ita latinè vertimus.

Die Jovis X. Aug. 1497. Dominus Federicus Rex ſoleñni pompa Coronam accepit in Eccl. Epiſcopali Capuana hora XVII. Legatuſque is Pontificius, qui ad imponendam Regi Coronam acceſſit, Alexandri Papæ filius erat, & Valentinus Cardinalis: aderant Barones plures, & nobiles viri ornatu eximio; ſed nullus Baro ex gente Sanſeverina. Inde Rex eques urbem luſtravit, ac Dominus Ferrandus Aragonius cujuſdam ſpeciei monetas in vulgus projiciebat, quæ dimidium Caroleni æſtimabantur: ſignatæ hæc erant ab uno latere imagine libri inter flammas poſiti, addito lemmate: Recedant vetera; *ab altero Coronæ, & inſcriptum legebatur*: A Domino datum eſt iſtud. *Die Dominico XIII. Rex Baronibus, & Cardinali Valentino ſplendidum convivium apparavit, ac ingenti lætitia, & tripudio epulati ſunt. Die Lunæ Rex, & Valentinus Cardinalis Neapolim diſceſſerunt. In convivio ſedit Princeps Biſiniani ex gente Sanſeverina.*

Giovedì à 10. di Agoſto 1497. La Maeſtà del Signore Re Federico ſe incoronao allo Veſcovato di Capua alle 17. hore con gran triunfe; & lo Legato, che lo îe à coronare, era figlio à Papa Aleſandro, ch'era Cardinale de Valentia, dove foro aſſai Baruni, & Gentilhuomini bene in ordine; ma non ci fu nullo Barone di Caſa Sanſeverino. E dopo la Maeſtà ſua cavalcao per Capua, e lo Signore Ferranno d'Aragona gettava una ſorte di moneta, che valeva mezzo Carlino, quale moneta haveva da una banda un libro dentro una fiamma di foco, e lo motto diceva. *Recedant vetera*, dall'altra ci era una Corona, e lo motto diceva. *A Domino datum eſt iſtud*. Domenica à di 13. ſua Maeſtà fece uno bello convito alli Barune, & allo Cardinale di Valentia, & fecero gran feſta, & triunfe. Et Lunedì ſua Maeſtà ſe ne andao in Napoli inſieme con lo Cardinale. Allo convito ſi trovao lo Prencipe di Biſignano di Caſa Sanſeverino. *Hæc ille.*

Id tamen verum eſt, quòd Notarius Cæſar Malſitanus de Neapoli in Protocollo de an. 1496. ſic adnotavit pag. 39. *Die*, inquit, *ſeptimo Octobris 1496. mortuus fuit Rex Ferdinandus II. Et in eodem die equitavit Sereniſſimus Rex Federicus, qui Rex fuit benedictus eodem die per Reverendiſſimum Alexandrum Carrafam Archiepiſcopum Neapolitanum.*

Anno 1508. 14. Septembris rediit Neapolim Beatrix Sereniſſima Regina Ungariæ. Moritur, & in Sancto Petro Martyre ſepelitur, cùm per priùs veniſſet de Ungaria.

Anno 1511. 2 Novembris Vicerex Regni deſcendit Bononiam cum exercitu pro tuitione Eccleſiæ contra Gallos.

Anno 1513. 21. Februarii moritur Julius Papa Secundus hora 6. Eodem anno, 21. Martii, creatur Papa Joannes de Medicis, qui creatus Pontifex de natione Florentina, vocatur Leo X.

Anno 1514. menſe Novembris Tyberis inundavit, & eodem anno 2. Decembris Iſabella Eſtenſis filia Eleonoræ Aragoniæ uxor Marchionis Mantuæ, equeſter venit Neapolim ad vi-A dendum Reginam, & diſceſſit Neapoli 15. ejuſdem.

Anno 1516. 23. Januarii obiit Rex Catholicus, & eo die ſucceſſit Joanna, & Carolus, maximus ejus filius.

Anno 1517. 7. Januarii, die Mercurii, primâ horâ noctis obiit Joanna Tertia, ſoror Catholici Regis.

Anno 1518. 28. Auguſti, obiit Joanna Quarta filia Joannæ Tertiæ prædictæ, die Sabbati.

Anno 1519. 12. Januarii Moritur Maximilianus Imperator.

Eodem anno 7. Julii habita eſt notitia per litteras, qualiter eſt electus Carolus Rex Romanorum, & Imperator.

Finit Appendix ad Protoſpatam.

ANTO-

Digitized by Google

ANTONIUS CARACCIOLUS

De Anonymo Monacho Caſſinenſi.

REs, ſuæ, & ſuperioris ætatis, eaſque præcipuè, quæ ad Caſſinenſem ditionem ſibi viſæ ſunt pertinere, accuratè literis mandavit hic Monachus. In Cod. m. ſ. è quo, dum in religioſiſſimo Caſſinenſi Cœnobio eſſem, excepi, non eſt Auctoris nomen. Haud rarò id antiquis Scriptoribus, & maximè Monachis, in more fuit, ut in editione librorum.., modeſtiæ ergo, nomen cælarent ſuum. Atqui hunc ſcriptorem fuiſſe Monachum Caſſinenſem, produnt apertè verba ejus ad ann. 1139.“ Idem Rex Rogerius ad hoc (Caſſinenſe) *Cœnobium.. venit 3. Kal. Aprilis: cui per chartulam Roccha de Bancia traditur pro Pontecurvo, quem dicebat injuſtè à nobis detineri“. Et ad ann. 1201. Abbatem Caſſinenſem, ſuum vocat Abbatem. Extendit autem hoc Chronicon uſque ad ann. 1195. quo, ut opinor, ipſe vivebat. Gratiæ profectò huic habendæ ſunt, quòd multa narret, quæ nemo alius ſcripſit. Plura ego non habeo, quæ de Chronographo anonymo, & hactenus inedito, dicam. Porrò hominum, geſtorumque hoc Chronico deſcriptorum clariorem notitiam dat Nomenclator quem in Propilæis præfiximus Operi.* (*)

MONITUM
CAMILLI PEREGRINI

In Chronicon Anonymi Monachi Caſſinenſis.

UNi Anonymo, Caſſinenſi Monacho, univerſum hoc adſcribitur Chronicon, quod ab anno Chriſti milleſimo nulla ſatìs congrua, quam cognoverim, occaſione deductum, ad annum pervenit 1212. Auctoriſque ſui nullo nomine prodito, eſt non in uno ejuſdem Monaſterii manu exarato Codice, ſed nec integrum, nec ad eandem prorſus normam, deſcriptum. Namque ejus pars, quæ ad annum pertingit 1152. in Codice habetur ſignato num. 47. librariique ſanè errore ab anno 1034. ad finem uſque, fœdiſſimam, ac ferè perpetuam unius anni anticipationem fovet. Subſequentem verò partem ab anno 1154. ad annum 1195. Codex exhibet ſignatus num. 199. qui ſimul anteriora illa continet ab anno milleſimo, non tamen eadem prava annorum conſignatione perturbata: quippe qui recentiùs, nec ineptè, fuerit ut plurimùm caſtigatus, ſicut frequentes in eo raſuræ, lociſque, quibus oportuit, nova ſuperinducta ſcriptura demonſtrant. Poſtrema tandem pars ſcripto Codici adſuta eſt Chronicorum Leonis Oſtienſis, & Petri Diaconi, quæ non ab anno 1195. ad quem ſubſiſtit modò dictus Codex 199. ſed ab anno exorditur 1153. ita ut Auctarium, ſive continuatio haud putanda illa ſit Chronici deſcripti in Codice 199. ſed Chronici in Codice 47. qualis planè eſſe videtur, eundem cùm ſervet Prochroniſmum ad annum uſque 1188. quo vitio, ut dixi, prior pars illa in præfato Codice 47. ſimul laborat: ex occaſione nimirum, mihi iterum in Serie Abbatum Caſſinenſium, in Theobaldo expoſita; quòd *anni Dominicæ Incarnationis, & Indictiones, & cætera* (minio depicta) *quæ debuerant nigræ ſcripturæ* (ſcilicet ſingulis per ſingulos annos narratiunculis) *præponi, fuerunt poſtpoſita* ad jam dictum uſque annum 1188. ad quem librarius hæc monuit his ipſis verbis; dicens inſuper, ſubſequentia ſuo quæque loco fuiſſe deſcripta. *Dehinc verò*, inquit, *præponuntur anni Domini, & cætera*, nam anni etſi nullis eventibus clari, ſuo nihilominus ordine notati ibidem fuerant. Aſpectus igitur, & ordo præfati Chronici in antiquis exemplaribus, omiſſa illorum minutiori, ſed ad rem nihilo utiliori deſcriptione, eſt planè, quem dixi. Ex iis verò ejus editio, quæ adhuc unica habetur, ſubſcripto ordine cùm proceſſerit; nempè pars ejus, quæ ad annum pervenit 1152. cùm fuerit deprompta ex Cod. 47. ſubſequens autem pars ad annum uſque 1195. ex Cod. 199. reliqua tandem ex tertio ſuperiùs dicto Codice manarit, factum hinc eſt, ut prior pars illa, ad ſui Archetypi inſtar, malè conſignatos annos nil meliùs repræſentarit; cætera autem pars, quæ ad exemplum Codicum notæ melioris expreſſa eſt, haud talem contraxerit deformitatem. Sed utinam priſcus librarius, qui ex deperdito nunc Autographo novum ante alios omnes exſcripſit exemplum; ſive illud hoc fuerit, quod in Codice habetur 199. ſivè aliud (nam exemplum in Codice 47. exaratum ex alterutro effluxiſſe videtur, quod ulteriùs producendum quoque fuerat, ſicuti adſutæ ibi, conſuetiſque lineis interſtinctæ, ſcribendoque accommodatæ membranæ, quæ nunc vacuæ, indicant: nec ſanè Codex 199. & ipſe olim mendoſus, Prototypum dicendus) utinam, inquam, notulas ut reor, ad antiquiſſimi exemplaris oram poſtea deſcriptas, recens librarius in exaratum à ſe Antigraphum inducens, eas ad reſpondentes Chriſti annos attentiori cura retuliſſet! quam inconvenientiam non cenſor ille, qui annos in Cod. 199. paucis exceptis, ritè direxit, nec alius poſtmodum advertit; unde multa in annis diſparata, abſurdiſſimè ſimul congeſta præſenti in Chronico nunc habentur, quæ minimè credam, à primævo ejus Auctore, viro non prorſus inerudito, adeò ineptè fuiſſe conſarcinata. Sanè in Lupo quoque, nè aliena, remotioraque à nobis dem exempla, non ſemel hunc ipſum commiſſum errorem, ſuis locis probatum eſt; quod etiam de annotata ibidem collectione annorum ab obitu S. Martini ad annum Chriſti 912. ſentiendum judico; quæ haud

(*) Nos ad calcem IV. Chronologorum rejecimus.

Digitized by Google

haud ab eodem Auctore, genere Apulo, ſed ex Francorum more à viro Franco ad oram priſci exemplaris fuerit, procedentibus annis, exarata; exque Codice illo in alios dein manarit. Verùm quid te diutius moror? Noſtri nè Caſſinenſis Anonymi, quæ nunc habentur in membranis exemplaria, alia aliis viciſſim cùm ſint pinguiora, non id clarè probant? ipſa nimirum à ſuis librariis, ſive ab iis, qui denuò hoc opuſculum deſcribendum curarunt, pro arbitrio fuiſſe quà aucta, quà decurtata? Chronicon ſanè metipſum ad annum uſque 1137. ex Oſtienſis, & Petri Diaconi Chronicis defloratum, nec ab unico continuatum Caſſinenſi Monacho, obſervatu difficile non eſt: quod perinde eſt, ac variè à variis fuiſſe acceptum; nam quiſquis illud ad annum produxit 1195. Caſſinenſem Abbatem Roffridum, tunc viventem, abſolutè *Abbatem* appellat: ſecus autem, qui annos ſupplevit ad 1208. qui *Dominum* illum, & *noſtrum Abbatem* dicit. At reliquos quatuor annos neutrum, ſed tertium quendam Monachum habuiſſe exiſtimo adnotatorem; qui primi continuatoris morem ſequutus, nec præmemoratum Roffridum, nec ejus ſucceſſorem Petrum honeſtiori alio, quàm ſimplici *Abbatis* titulo condecorat. Hanc porrò auctorum multiplicitatem ex aliis etiam probare poſſem adminiculis, ſed id tanti non eſt; eruntque hæc ad rem præſentem ſatis.

ANO-

Digitized by Google

ANONYMI
MONACHI CASSINENSIS,
RERUM
IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM,
BREVE CHRONICON,

Ab anno Christi M. usque ad MCCXII.

E duobus Codd. MSS. 47. & 199. qui sunt in Cassinensi Cœnobio diligenter exceptum.

Additæ sunt Appendiculæ aliquot ex Codd. MSS. ejusdem Bibliothecæ Cassinensis.

ANno 1000. Otho Imperator puer Beneventum venit. † (1) Quidam Normanni Hierosolymis venientes, Salernum à Sarracenis liberarunt.

1001. Obiit Otho Tertius Imperator Sutri, (2) & Heuricus filius patrui sui fit Rex.

† Beatus Dominicus migravit ad Christum (3).

1002. Hoc anno venerunt Sarraceni super Capuam.

1004. Terremotus ingens (4) per XV. & A eo amplius dies hunc montem exagitavit, ita ut in nonnullis locis Ecclesiam scinderet.

1007. Obiit Landulphus Princeps Capuanus.

1010. Obiit Joannes Abbas Beneventi (5).

1014. Henricus Rex venit Romam, & coronatus est à Papa Benedicto. Et Pandulphus Princeps .... (6)

1016. Luna versa in sanguinem.

1017. † Nortmanni, Melo duce, cœperunt expugnare Apuliam.

1021. Dattus captus est à Græcis in turri Gariliani.

1022.

(1) Quæ Cod. Cassinen. 199. plura habet, ea † notavimus. *Carac.*

(2) Ostiensis lib. 2. cap. 25. obiisse dicit Othonem *apud Paternum, non longè à civitate Castellana*, sed annum non admodum clarè prodit; cui de loco consentiunt plerique alii antiqui, de anno nihilominus subscribentes huic Anonymo. Alii tamen ab iis discrepant, quos sequitur, ac tuetur Baronius, defunctum illum perhibentes anno sequenti. Sed Auctorum non semper nunc observo discrepantias, qui exules, exoletasque studiosiùs aucupor lectiones, & fugitivas. Hoc non præteream, in Codice 199. deficere a. *Sutri* in quo etiam deficiunt nonnulla deinceps alia, quæ Codex habet 47. locis infra descriptis, eaque hoc loco congerere, opportunum duxi. In Codice igitur 199. hæc desiderantur. Ad an. 1010. *Obiit Joannes* &c. ad ann. 1022. *obiit Athenulphus Abbas*. ad an. 1066. *Campaniam*. ad an. 1089. *B. Martini*. ad an. 1093. *Ecclesia S. Andreæ* &c. ad an. 1107. *Castrum Terami* &c. ad an. 1125. *Castellum Suju* &c. ad an. 1129. *ivit*. ad an. 1136. *pœne. totam. quatuor*. ad ann. 1145. *apud*. ad an. 1146. *alii à Turcis occisi sunt*. ad ann. 1150. *obiit Sybilla Regina*. ad ann. 1151. *multi*, & ad an. 1152. *Sol passus est Eclypsim* & infrà. *Rex Hierosolymitanus cepit civitatem Ascalonam*. *Rex Rogerius* &c. Item deficiunt ista alia, quæ tertius Codex habet. Ad an. 1158. *Cassinenses*. ad an. 1162. *Rex Siciliæ* &c. ad an. 1176. *Andriæ* & ad an. 1183. *Ecclesiæ*. Hæc curiosiùs notare non piguit, ut haberes, quæ quibus differant utraque scripta hujus Anonymi exemplaria, nam editus Codex affixo indicavit signo salutis. †. quæ non sunt in Cod. 47. utque ex his noscas, quam variè, ut prædixi, præsens à librariis Chronicon fuerit acceptum. *Peregr.*

(3) Ipse falleris, non me fallis, Anonyme: ni tuus librarius, quod magis credam, sit falsi (saltem oscitantiæ) accusandus. Ostiensis sanè lib. 2. cap. 60. ex quo tu ista, præfatum B. Dominicum, Monachum Cassinensem, ad Dominum migrasse perhibet in anno 1031. idemque inedita Acta ejusdem Divi; ac Petrus Diac. adstruit lib. 3. cap. 39. bis. Manifestum adeò errorem nullus certè, nisi librarius, commisit; qui, ut infra alias sæpe, notulam ad antiquissimi exemplaris oram exaratam, novum in codicem intulit, & in locum non suum: quoniam scilicet illam inter binas columnas, ut loquuntur, defixam, qua forma præfatus Codex erat, ni fallor, descriptus: cùm nesciret ad annum referendam 1031. ad respondentem ex adverso latere annum retulit 1001. qui in opposita columna erat notatus. Codex quidem Ostiensi, & Petro Diacono adsutus ex ampliffimis compactus membranis, etiam per columnas exaratus habetur. *Peregr.*

(4) Ostiensis lib. 2. cap. 25. id refert in annum octavum Abbatis Joannis, qui hic fuit Christi 1004. Vide Seriem Abbatum. *Peregr.*

(5) Post annum 1010. est supplendus annus 1011. à Typographo omissus; ad quem tum Codex 47, tum 199. hæc habent. *Sol defecit, & fames valida fuit*. *Peregr.*

(6) In exemplaribus nulla est lacuna, quæ hanc plenam habent sententiam.. *Pandulphus Princeps* hoc est. *Obiit*. Symbolica igitur quæ erat obitus Pandulfi nota, cùm visa fuisset, &. textum persuasit mancum: de quo miror; nam Typographus ejusdem notulæ usurpatam significationem, quæ ab Lipsio De recta Pronunc. L. L. cap. 14. aliisque affatim exposita est, benè callens, ad an. 1077. obitum Richardi; ad an. 1104. obitum Oderisii; ad an. 1117. obitum Paschalis; ad an. 1122. obitum Gerardi, & alibi pluries, per *obiit* expressit, qui per .o. in scriptis exemplaribus constanter fuerant demonstrati. Sanè in Chronico Ciccanensi non dum edito, quod ex loco, ubi primùm repertum, vocant Fossæ novæ, in quo alia multa totidem syllabis atque in hoc enarrantur, hæc ipsa de Henrici Regis coronatione & Principis Pandulfi obitu absque ullo defectu hoc anno habentur. *Peregr.*

Digitized by Google

1022. Henricus Imperator venit Italiam, & super Trojam. Theobaldum ordinavit Abbatem. Pandulphum fecit Principem, qui fuit Comes Theanensis. Pandulphum Principem vinctum secum absportavit. Obiit Athenulphus Abbas.

1025. Obiit Domnus Henricus Imperator, & Pandulphus Princeps solutus vinculis, anno uno obsedit Capuam cum Græcis, & tandem recepit eam. (7)

1027. Idem Pandulphus Princeps ingressus est Neapolim, & obtinuit eam anno uno, & mensibus quinque. (8)

1029. Luna quintadecima obscurata est.

1033. Solis pars maxima obscurata est in ipsa festivitate S. Petri. (9)

1034. Obiit Theobaldus Abbas. (10)

1035. Basilius fit Abbas.

1036. Sexto Kal. Febr. Mons Vesuvius eructavit incendium, (11) ita ut usque ad mare discurreret.

1037. Conradus Imperator ingressus est Capuam Vigilia Pentecostes, & in Pentecoste coronatus est. Athenulphus Episcopus reconciliatur. (12) Pandulphus Princeps exiliatur. Guaimarius fit Princeps, & Richerius Abbas.

1038. Obiit Conradus Imperator, Heinricus filius ejus imperat.

1041.

(7) Scripta exemplaria, *vi recepit*, quibus favet Ostiensis lib. 2. cap. 57. sed per sesquiannum obsessam tradit: uter verius, dicam in Principum Capuæ Chronologia. *Peregr.*

(8) Ostiensis loco antedicto. *Tenuitque Neapolim Capuanus Princeps per annos fermè tres.* Igitur in Anonymo scriptum prius fuerat, *obtinuit eam an. II. & mens. V.* altera autem unitatis nota in vetustissimo codice exoleta, recentiores librarii scripsere *anno uno*, &c. *Peregr.*

(9) *Ex certa Astronomicarum Tabularum observatione*, inquit Baronius ad an. 1033. num. 9. *constat hanc Solis Eclypsim contigisse hoc anno, 3. Kal. Julii, ipsa die Apostolorum Petri, & Pauli*: ut eam Glaber Rodulfus consignavit lib. 4. cap. 9. Dein Helgaldum reprehendit, ac Sigebertum, illam referentes ad an. 1032. Et Astronomorum quidem calculos pro Glabro ibi, ac pro nostro Anonymo hic stare, negandum non est. At Glaber nec sibi de anno prædictæ Eclypsis admodum constare, hinc intelligi potest; quòd ipse antedicto loco tradat, iterum quoque *post annos IV.* (scribe VI. hoc est in an. 1039.) *factam Eclypsim Solis, undecima die Kalendarum Septembrium, feria 4. hora 6. atque Luna, ut semper fit, vicesima octava: eodemque nihilominus anno Conradum apud Saxoniam Romanorum obiisse Imperatorem.* Nam lib. 5. cap. 1. Conradi obitum refert ad annum *Millesimum quadragesimum primum Incarnationis Dominicæ, quo extitit Terminus Paschalis duodecimo Kalendarum Aprilium, & ipse dies undecimo*, idque adnotare se dicit, *quoniam nec communis unquam sit temperiar*, festus scilicet dies Paschæ. Nec ignoro, Baronium censuisse vitio librariorum ibi scriptum. *anno MXLI.* pro. *undequadragesimo*: verumtamen Tabulæ Ecclesiasticæ docent, Pascha XI. Kal. Aprilis celebratum in ipso, quem Glabri Codex designat, anno 1041. non 1039. nec de malè consignata die Paschatis librarios argues, quos ipse Glaber tuetur, dicens, hoc solemne nunquam tempestivius die fieri antedicta, quod verum. *Peregr.*

(10) Hinc annorum ordo præposterus est in Codice 47. atque adeò in Codice edito. Thebaldum obiisse anno sequenti, perhibet Ostiensis lib. 2. cap. 62. exque certissimo annorum calculo probatum est in Serie Abbatum Cassin. *Peregr.*

(11) Non de hac Vesuvii eruptione Ostiensis lib. 2. cap. 82. cùm dicit. *Quo mortuo*, (Pandulfo scilicet Campano Principe hujus nominis quarto, quem obiisse in anno 1050. X. Kal. sive IX. Kal. Martii, alio dicam loco) *Mons Vesuvius in flammas erupit*: &c. nam pergit, *sequenti anno prædictus Pontifex* (Leo IX. hoc est secundo anno sui Pontificatus, nam de primo dixerat paulò ante cap. 80.) *iterum ad hoc Monasterium venit in Vigiliis S. Petri, & die sequenti, & altero Apostolorum Petri, & Pauli missas celebravit. Cumque die illo* (tertio nimirum à vigiliis præfatis, ipsoque die Commemorationis S. Pauli, trigesimo Junii) *Sabbatum esset* (in anno 1050.) *ad Fratrum mandatum ingressus, duodecim Monachis pedes lavit* &c. De eadem sanè eruptione ineditum Chronicon Cavense totidem verbis, sed ad an. MXXXI. pro MXXXVII. qui in nostro etiam Anonymo est restituendus, ut constat ex dictis. Porrò hanc Vesuvii conflagrationem, quæ in cunctis Ostiensis Codicibus loco legitur superiùs indicaro, nec non Solitarii visionem ibidem descriptam, haud Pandulfo 4. sed Pandulfo cognomine Caputferreo competere, in Hist. PP. Langobardorum pag. 222. & in Serie Abb. Cassin. in Aligerno abundè est probatum. Cujus quidem eruptionis in anno factæ 1050. unico præfati auctoris, si tamen ejus, cessante nunc testimonio, expungant illam è Vesuvianorum incendiorum Catalogo, quicumque noviſſimas ejusce montis flammas literis consignarunt, ac Petro Damiani fidem injustè negatam, commodent necesse est, perhibenti ipsam contigisse sub Othonis II. in Cis-Tyberinam Italiam adventum, hoc est in an. 981. qui *cùm Opusculum dictator exararet*, à præsente sibi Desiderio tunc Cassinensi Abbate, sinceræ vir fidei, ab æquè sincero enarratore, & Anachoretæ visionem, & montis incendia juxta seriem à se expositam, se accepisse, testatur. Ego sanè jam pridem in Italica Dissertatione: *De nativis Campaniæ incendiis*, quam flagrante Vesuvio in anno 1631. extemporaneam habui, domique servo, cùm pleraque nec post ab aliis super ea re observata exposuissem, Petro Damiani standum, currenti licèt calamo, pronunciavi. *Peregr.*

(12) Ostiensis lib. 2. cap. 64. de adveniente Conrado Capuam hoc anno (anno inquam 1038. qui depravato Anonymo est 1037.) *Imperator*, inquit, *Capuam in ipsis Vigiliis Sanctæ Pentecostes intravit. Altera die civitatem egressus, apud Capuam veterem tentoria figit.* tur urbe egressus est, postquam sacris interfuisset manè celebratis, inter quorum solemnia fuit coronatus. Cur autem non Romæ coronatus est Conradus? Dices; quia non tunc primum vel in Regem, vel in Imperatorem est ille sublimatus; quem Regem salutatum perhibent anno 1026. Imperatorem anno sequenti; sed solemnitas quædam ejus fuit tum Regiæ, tum Imperialis coronationis, agi, ac repeti solita in celebrioribus anni diebus, quam Anonymus hic noster, itemque Cavensis ineditus Chronologus compendioso adnotarunt sermone, Ostiensis verò omnino præteriit, utpote ex frequenti, ut dixi, consuetudine rem satis notam. Sigebertus sanè coronatum eundem hunc Conradum perhibet anno antecedenti, die pariter Pentecostes ad Missam apud Mediolanum. Lotharius quoque Imperator in anno 1137. mense Septembri, cùm in civitate esset Sancti Germani ad pedes Cassini Montis, missumque delegasset ad Monachos in superiori Monasterio degentes, qui eis nunciaret, se postridie Montem ascensurum, *ipse coronam Patritiatus accepturus, in civitate remansit: quippe tunc Exaltationis Sanctæ Crucis agebatur celebritas*, quæ sunt verba Petri Diaconi in Auct. ad Ostien. lib. 4. cap. 120. Venetæ, & Parisiensis editionis, atque scripti etiam exemplaris. Robertus de Monte in antiquo Codice apud Juretum ad Ivonis epist. 70. de Monasterio scribens S. Joannis Laudunensis. *Tantæ verò dignitatis*, inquit, *erat eadem Abbatia, ut quandocumque Rex Francorum in diebus solemnibus Lauduni coronandus esset, in ipsa præcipuè* (malim, *præcipuam*) *coronam auream portaret.* Sugerius quoque in Ludovico Crasso frequenter iteratas Regiarum coronationum celebritates prodit, tradens, *Remensem Ecclesiam contendisse primæ Regiæ coronæ provincias* (*primitias* legit idem Juretus ad Ivonis pariter epist. 189., sed absque necessi-

1041. Luna XIII. obſcurata eſt per quinque horas V. Idus Febr. cùm nulla nubes appareret in cœlo. (13)

1044. Richerius Abbas ejecit Normannos de terra Sancti Benedicti.

1046 Heinricus Imperator venit Capuam, & reddidit eam Pandulpho Principi juniori.

1049. Hoc anno Leo Papa ordinatus eſt. (14)

1051. Guaimarius Princeps interficitur, & Bonifacius Marchio. (15)

1052. Leo Papa cum Normannis in Apulia dimicavit.

1053. Leo Papa obiit.

1054. Victor Papa fit. Richerius Abbas defungitur, & Petrus Abbas ordinatur.

1056. Federicus fit Abbas, qui & poſtmodum Stephanus Papa.

1057. Hoc anno defuncto Stephano Papa, & hujus Monaſterii Abbate, Domnus Deſiderius omnium Fratrum unanimitate Abbas eſt ordinatus.

1058. Nicolaus Papa ordinatur.

1060. Obiit Nicolaus Papa.

1061. Alexander Papa ordinatur. Richardus intravit Capuam, & factus eſt Princeps XII. Kal. Junii. (16)

1062. Luna quintadecima Eclypſim paſſa eſt V. Idus Novembris.

1065. Hoc anno Domnus Deſiderius Abbas cœpit ædificare Eccleſiam Sancti Benedicti in hoc Monte Caſſinenſi.

1066. Stella Cometes apparuit. Gotfridus Dux cum exercitu venit Campaniam uſque Aquinum. Richardus Princeps terram Marſorum intravit. (17)

1071.

ceſſitate, qui aliis etiam in locis immeritò eundem Auctorem vexat, etſi non injuſtè multotiens illum caſtiget) *ad ſe pertinere, & ſpectare*; nam de coronationibus, quæ ex more repetebantur, non curabant Remenſes. Ex hoc itaque ritu coronatus eſt Capuæ Conradus. Sed quod noſter addit de reconciliato tunc Epiſcopo Atenolfo, id accipe de Campano Archiepiſcopo eo nomine appellato, quem Princeps Pandulfus IV., ut perhibet Oſtienſis lib. 2. cap. 64. olim *carceri mancipaverat, præfatus autem Imperator ſedi ſuæ reſtituit*; ſive ut Hiſtoriæ Neapolitanæ Latinus Auctor, ubi de Capuæ Archiepiſcopis pag. 865. expoſuit, *Archiepiſcopum fecit, & elegit*, pro ſe Cavenſe ineditum laudans Chronicon, in quo tamen nil tale. *Peregr.*

(13) Scripti Codd. *V. Idus Januarii*. Sed annus certè ex more anticipatus in Codice 47. reſtituendus eſt 1042. ut habet Codex 199. Præſens autem Lunæ deliquium, haud ex luminarium oppoſitione factum videtur; ſiquidem fruſtra, ac falsò obſcurata ea diceretur, *cùm nulla nubes appareret in Cœlo, eſſetque decima tertia*. Aſtronomi ſanè docent, me verò Plinius lib. 2. cap. 13. *Lunæ defectum non fieri, niſi plena, ſemperque citra quam proximè fuerit*. Peregr.

(14) Alii etiam antiqui, ipſeque Oſtienſis lib. 2. cap. 80. & ſeqq. quo Auctore uſus eſt hìc noſter, electum Leonem tradunt deſcripto anno 1049. Anonymus tamen novam hac vice tenens ſupputationem, in Codice 199. annum electi Leonis deſignat 1050. qui in Codice 47. eſt 1049. more ibi conſueto. *Peregr.*

(15) Alter Salerni Princeps, alter Mantuæ Marchio. Utriuſque autem cædes in Cod. 199. ad an. notatur 1052. quo Hermannus Contractus rei geſtæ coævus Bonifacium peremptum prodit. Sed Guaimarium tunc quoque nece ſublatum Chronicon exponit Cavenſe, quod etiam ex Oſtienſi intelligi poteſt, perhibente l. 2. cap. 84. *eodem anno illum occiſum, quo inter Leonem IX. & Henricum II. facta eſt commutatio de Benevento, & Epiſcopio Bambergenſi*; quæ ex præfato Hermanno in exeuntem an. 1052. eſt referenda. Sed de his alibi. *Peregr.*

(16) Nicolaus in anno deceſſit 1061. extremo, ut volunt, Junio; cui ſubrogatus eſt Alexander poſt tres circiter menſes, quod tradit Oſtienſis lib. 3. cap. 21. Noſter igitur more non ſuo, ſed ſui librarii, annum anticipans, obitum cùm notaſſet Nicolai ad annum 1060. electionem Alexandri minimè in ſequentem debuit referre. Qui anno etiam citiùs Richardum ex Averſæ Comite Principem Capuæ factum prodit; namque ille in anno 1058. ut ex antiquis Tabulis, & ex Romualdo Salernitano manifeſtum eſt, Capuam, ſed limitata quadam poteſtate, obtinuit: pleniſſimè autem in anno 1062. quod Anonymus hoc loco notat, fuſiùſque Oſtienſis lib. 3. cap. 16. perhibens ſimul, Richardum à Nicolao II. apud Melfiam, Apuliæ urbem, Concilium celebrante in anno 1059. Capuæ Principatum obtinuiſſe. *Iiſdem quoque diebus*, inquit, *& Richardo Principatum Capuanum, & Roberto Ducatum Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ confirmavit, cum ſacramento, fidelitate Romanæ Eccleſiæ ab eis primo recepta*, &c. *Confirmavit*, inquit, quod noto, ne rem ſecus ac geſta traditur, quis capiat, hujus ſcilicet verbi uſus frequenti tunc uſurpatione, qua dicebant, *firmari*, & *confirmari*, quod firmiter, vel in perpetuum poſſidendum concedebatur: idem enim eſt *perpetuum*, quod *firmum*; quocirca ipſa conceſſionum Præcepta paſſim *firmitatis apices* olim appellata, ipſeque ſubſignandi actus, uti nunc etiam vulgò, per *firmare*, & *confirmare* exponebatur: nempe quòd ſcriptione firmarentur, perpetuoque manſura fierent ore promiſſa. Oſtienſis lib. 1 cap. 28. *Princeps Radelchis, & Siconolfus Pactum diviſionis Principatus inter ſe firmantes*, &c. Capitulare demonſtrans à me in Hiſtoria Principum Langobardorum evulgatum. Falco Beneventanus ad an. 1121. *Pontifex Callixtus conſilio invento, Salernum ivit quinto die intrante menſis Septembris, ut pacis firmamentum cum Duce Guillelmo, & Rogerio Comite confirmaret*. Et ut innumera alia exempla miſſa faciam, in Epiſtola etiam Epiſcoporum ad Regem Ludovicum inter Capitula Caroli Calvi num. 23. §. 8. *Capitula, quæ habemus cum veſtris fratribus, accepiſtis, & in Chirographo apud Marſnam manu propria confirmaſtis. Contra quod ſi forte aliquis egit, non propterea vos immunes eritis, ſi illud, quod teſtis Domino pepigiſtis, & confirmaſtis, obſervare, quod aliſit, non ſtudueritis*. Sed hoc ex Sacræ Scripturæ manavit phraſi; in qua *confirmare ſermonem, verba, petitiones*, & hujuſmodi aliá multa in eamdem ſententiam eſt obſervare. Unicum Regii Prophetæ non omittam locum Pſalmo 116. quo Gentiles, & Judæos invitat Pſaltes ad collaudandum Dominum; *quoniam*, inquit, *confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum*. Namque appellatione, *confirmatæ miſericordiæ*, Chriſtus Jeſus demonſtratur, promiſſus Patribus, ut exponit Apoſtolus ad Rom. 15 *Dico*, inquit, *Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum*, &c. *Peregr.*

(17) Præpoſtero ordine Anonymus iſta, nec ſcio an ex librarii culpa. Oſtienſis ſanè lib. 3. cap. 25. qui eadem fuſiùs, nullo tamen anno expoſito, Gotfridum Tuſciæ Marchionem, aliis Godefridum (fuit hic Dux quoque Lotharingiæ) adverſùs Richardum Romanam Campaniam, Romæque vicina loca invadentem proceſſiſſe tradit, ſed tandem cum eo concordatum *ad Pontem S. Angeli, qui dicitur Todici*. Plura ubi vide. Lupus Protoſpata Richardum intraſſe Terram Campaniæ, obſediſſe, ac comprehendiſſe Ciparanum, & devaſtando uſque Romam perveniſſe in anno 1066. eſt auctor; quo etiam anno inſignem apparuiſſe Cometem per totam hebdomadam Paſchæ, alii quoque antiqui tradunt. Dein itaque in anno 1067. Gotfridus Richardo obviam venit, qui annus Anonymo noſtro ex conſuetа anticipatione eſt 1066.

1071. Ecclesia nova Sancti Benedicti dedicata est ab Alexandro Papa die Kalendarum Octobrium cum quinque altaribus Sanctis. (18)

1072. Alexander Papa defungitur, & Ildeprandus Archidiaconus in Papam Gregorium ordinatur mense Aprili.

1074. Nocte Natalis Domini captus est prædictus Papa super sanctum altare à quibusdam Romanis, sed vi, & constantia omnium Romanorum eodem die receptus est.

1075. Venit hoc anno Robertus Dux super Salernum (19) pridie Nonas Maji, & obsedit eam terra, marique, & cœpit eam die Idus Decembris.

1076. Hoc anno Richardus Princeps cepit B obsidere Neapolim principio mensis Maii. (20)

1077. (21) Richardus Princeps obiit Capuæ quintâ feriâ Cœnæ Domini, & Neapolis obsidione soluta est, & Jordanus fit Princeps.

1080. Heinricus Rex valida manu venit Romam, sed obsistentibus Romanis cum Papa Gregorio sine effectu regressus est. Robertus Dux Romaniam debellaturus ingreditur.

1082. Heinricus Rex iterum Romam veniens, Porticum S. Petri vi captam ex parte destruxit, & Archiepiscopum Ravennensem invasorem Ecclesiæ Romanæ constituit.

1083. Idem Rex à quibusdam Romanis in- A tromissus (22), post duos menses à Roberto Duce fugatus est. Idem Dux Papam Gregorium de Urbe erutum Salernum perduxit.

1084. Fames, & mortalitas maxima fuit. Gregorius Papa apud Salernum moritur: & Robertus Dux.

1085. XIII. Kalendas Martii noctis initio Stella clarissima in circulum primæ Lunæ ingressa est. Desiderius Abbas Romæ in Papam Victorem eligitur die Pentecostes.

1086. Desiderius Abbas Papa ordinatur VII. Idus Maji, qui postea in hoc Monasterio, ordinato Abbate Oderisio, post tertium diem moritur. Pisani apud Africam certantes Sarracenos vicerunt.

1087. Otho Ostiensis Episcopus in Papam Urbanum eligitur IV. Idus Martii. (23)

1089. Ecclesia S. Martini dedicata est à Joanne Tusculanensi Episcopo die Octavarum ejusdem B. Martini. Obiit Jordanus Princeps. (24)

1090. Castrum Frattæ à Normannis furatur, (25) & à nostris duodecimo die, magna Dei virtute, receptum est. Capuani rebellaverunt.

1093. Ecclesia S. Andreæ Apostoli (26) dedicata est à Raynaldo Episcopo Cajetano III. Kal. Febr.

1094. Stellæ de Cœlo innumerabiles quasi pluêre mense Aprili (27) prope diem versus C Occi-

Cæterum quod Ostiensis de Gotfridi Marchionis munere ibi perhibet, nimirum consuevisse illum quoties ex Transalpinis regionibus *Rex Italiam deberet intrare, cum sua militia Regem præire*, ex parte etiam tangit Nicephorus Gregoras lib. 7. sed Marchionis dignitatem exterus, ac Græcus scriptor non benè callens. *Marchiones*, inquit, *qui non clari sunt apud Latinos, eum dignitatis gradum tenent, quem apud Romanos* (Græcos sic appellat) *is qui vexillum Imperatoris gestat*. Et infra. *Marchioni perpetuum munus attributum, ut novo Imperatori vexillum præferat*. Marchiones quidem haud magno in honore primitus fuere, utpote nec inter potestates, nec dignitates connumerati, quales soli Reges, Duces, vel Principes; atque Comites: sed tandem & ipsi in dignitate. *Peregr.*

(18) In Codice 47. annus notatur 1070. qui in Codice 199. est 1071 itemque in Ostiensi lib. 3. cap. 30. à quo perhibetur, Kalendas Octobris eo anno incidisse in Sabbatum, quod verum. Manifestum errorem in re celebri facilè advertit, castigavitque qui hujus Chronici editionem curavit Caracciolus. Scribendum tamen erat. *Cum quinque altaribus suis*, non *sanctis*, ad fidem scilicet utriusque manu exarati Codicis. *Peregr.*

(19) Annus ad Anonymi mentem restituendus 1076. quem Codex 199. designat, eundemque adstruit Romualdus Salernitanus, sequentem verò Lupus, qui audiendus non est, ut ibi dixi. Sed de his pleniùs alio loco. *Peregr.*

(20) Non hoc anno, sed sequenti obsessam à Campano Principe Neapolim, notant Codex 199. Romualdus Salernitanus, & Chronicon Cavense. At Codex 47., & ex eo editus, suum servant errorem. Vide quæ de his, deque obitu Richardi dixi ad Lupum, ne actum hic agam. *Peregr.*

(21) Breve quoddam Chronicon Catanei manu exscriptum ponit obitum Richardi Principis ad ann. 1080. Protospata autem ad ann. 1077. *Carac.*

(22) Scripti Codd. *Idem Rex Romam à quibusdam Romanis*, &c. *Peregr.*

(23) *Quartâ feriâ primæ hebdomadæ Quadragesimæ, octavo scilicet Idus Martii congregati sunt apud Tarracinam, Campaniæ civitatem* Ecclesiæ Ordines pro eligendo Romano Pontifice Victoris tertii successore, electusque tunc est Urbanus 2. *subsequenti die Dominico*, 4. *Id. Martii*, ut tradit Petrus Diac. in Auctar. ad Ostiensem lib. 4. cap. 2. quem Anonymus hic noster ab anno 1075., & in subsequentibus habet Auctorem. Quadraunt ista omnia in annum 1088., quod noto, ne commissum semel in hoc Chronico Proclamissimum constantissimè fuisse observatum pateat. *Peregr.*

(24) In Serie Abbatum Cassinensium, ubi de Oderisio, dictum est, Ecclesiam S. Martini dedicatam anno 1090. *Perque idem tempus*, inquit Petrus Diac. lib. 4 cap. 10. *Jordanus Princeps cùm universam ferè Campaniam à jure Sedis Apostolicæ subductam in deditionem accepisset, apud Pipernum vita decessit*, &c. Obiit itaque Jordanus jam dicto anno, quod Lupus quoque perhibet, atque ut Campana Emortualia notant, 13. *Kalend. Decembris*, Cassinense die sequenti: Campani autem ineunte novo anno 1091. adversùs Richardum 2. ejus filium rebellarunt, sed Anonymus noster utrumque annum ex librarii errore antevertit. Romualdus Salernitanus defunctum dicit Jordanum *Indictione* 14. scilicet inchoata, *anno Principatus* 13. nempe à morte Richardi patris, eodemque non exacto; apud quem annus Christi unitate excedit, restituique debet *MXC.*, qui in calamo exaratis exemplaribus est *MXCI.* Auctor Chronici Cavensis, simulque alter Chronici Ceccanensis Auctor, dum calamo parcunt, in unum eundemque annum, & Jordani mortem, & Campanorum defectionem retulere: ille in annum 1091. hic in antecedentem. *Peregr.*

(25) Scripti Codd. unàque Descriptio consecrationum Ecclesiarum Cassinensium habent, *furatum*. Peregr.

(26) Vide Seriem Abb. Cassin. in Oderisio. *Peregr.*

(27) Typographi sanè defectum facilè supplebis ex scriptis Codd. *quasi pluere visæ sunt, mense Aprili*, &c. At annus Christi notandus 1095. tum ex Lupo, Sigeberto, aliisque, qui annus restituendus etiam est in Fragmento Historiæ Francorum à Roberto ad mortem Philippi Regis; tum ex Petro Diacono lib. 4. cap. 11. *Anno autem*, inquit, *Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo quinto, Prid. Non. Aprilis, quartâ Feriâ post octavas Paschæ* (eo anno litera Dominicalis fuit G. Pascha verò vigesima quinta die Martii) *à quarta fermè vigilia noctis usque in crepusculum stellæ innumerabiles de cœlo versùs occidentalem plagam ubique terrarum cadere visæ sunt*. Peregr.

Digitized by Google

Occidentalem plagam Cœli, ubique terrarum.

1095. Innumera Francorum, & Ultramontanorum multitudo mare transivit.

1096. Stella Cometes apparuit. Hoc anno Urbs Antiochena à Christianis capta est III. Non. Junii quinta feria. (28)

1097. Civitas Hierusalem capta est à Christianis Idibus Julii. Dux Rogerius cum Comite Rogerio Capuam per quadraginta dies

A obsidentes receperunt, & Richardo Jordani filio restituerunt.

Eo anno via ignea per totam noctem in Cœlo apparuit V. Kalend. Octobris. (29)

1098. Luna duodecima in ortu suo defectum passa paulatim redintegrata est Nonis Junii, & Urbanus Papa moritur. Paschalis fit Papa. (30)

1099. Guibertus Hæresiarcha invasor Romanæ Ecclesiæ moritur. (31)

1114.

(28) Non repetam, quæ ad Lupum dixi de anno captæ Antiochiæ. Hoc addam, minimè ab Sigeberto, nonnullisque aliis, ut ab Lupo, nostroque sit Anonymo, nec non ab Petro Diacono lib. 4. cap. 16., ejusce urbis expugnationem in eundem annum referri, quo visus est Cometes mense Octobri, sed in annum sequentem, Christi nimirum 1098. Addam insuper, præsentem in Codice 47., & in hoc Typis evulgato annum 1096. esse 1097. in Codice 199. ad Auctoris scilicet, ut solet, mentem, qui Antiochiam anno expugnatam 1098. retulit ad antecedentem, Petrum Diaconum sequutus, annos eo loci deducentem ab Christi Nativitate, censentemque eos ab aliis ductos ab Incarnatione, qui ducere illos consuevit ab Incarnatione: pravè enim ejus Codices editi, ineditique pro anno 1097. annum nunc repræsentant 1096., in eundem videlicet, & concessionem referentes Comitissæ Adelgrimæ, de qua ibi, & Cometes apparitionem, victoriamque de Antiochia à Christianis susceptam. *Peregr.*

(29) De more annum anticipat Codex 47., & ex eo editus. Non sic Codex 199., in quo ista sub anno sunt 1098. Et sanè, quod ad Capuæ spectat expugnationem, omnino bene, ut pluribus ad Lupum est demonstratum. Idque non ut cætera alia ex Petro est mutuatus Anonymus, qui lib. 4. cap. 10. rem, non annum consignavit; & cap. 16. Hierusalem captam, ac igneam in cœlo viam noctu visam dixit *sequenti tempore* ab anno devictæ Antiochiæ, hoc est ab anno Nativitatis 1097. qui fuit Incarnationis 1098., nempe hujus verbi *Incarnationis*, pro *Nativitatis*, usurpatam in contextu custodiens acceptionem, quam nihilominus non perpetuò servavit, sæpè etiam tum in antecedentibus, tum in subsequentibus iis concordans, quos putabat annos supputasse ab Epocha Christi concepti, ut non uno constat experimento, deformem fovens, si cum aliis conferatur, inconstantiam. Hierosolymam sanè Christiani anno ceperunt 1099., ac die, quam Anonymus designat, Chronologis universis consentientibus. Cæterùm his, quæ ad Lupum de poëtica Torquati Tassii observabam fictione, dicentis Tancredum Boëmundi nepotem octingentos è Campania, nec aliunde alios ad Hierosolymitanum hoc bellum equites duxisse, notula subjungenda erat in schedula mihi descripta, quæ Typographo omissa, haud commodè tunc valuit, festinante prælo, suo loco reponi: eam nunc opportunè visum hìc dare, quæ talis. Sanè si Fulconi in Hist. gestorum viæ Hierosolymitanæ est fides, Itali omnes cis Alpes, nempe

„ —— *Ligures, Itali, Tusci, pariterq; Sabini,*
„ *Umbri, Lucani, Calabri simul, atque Sabelli,*
„ *Aurunci, Volsci, vel qui memorantur Etrusci,*
„ *Quæq; etiam gentes sparguntur in Apula rura,*
„ *Queis conferre manus visum est in prælia dura,*
„ *Sub jugo Tancredi, & Boimundi corripuere,*
„ *Et contra fidei refugas patria arma tulere.*

ideſt sub utriusque signis sponte militarunt. Vvillelmus etiam Tyrius lib. 2. cap. 13. ubi de eodem Boamundo. *Adhæsarunt eis*, inquit, *& ejus Castris se adjunxerunt tam de Italia, quam de aliis Provinciis viri nobiles, & potentes plurimi*. Quamvis Robertus Monachus in Hist. Hierosol. lib. 2. plures quidem confluisse ad Boamundum, ac perinde ad Tancredum, sed non alios dicit, quam *optimates Apuliæ, Calabriæ, ac Siciliæ*, hos scilicet *cum clientibus suis*, ut loquitur Ordericus Vitalis in Hist. Eccles. lib. 9. *Peregr.*

(30) Ista in Codice 47. more consueto, sub hoc sunt

anno, quæ in Codice 199. sub anno sunt 1099. quo Urbanum 2. vita functum, eodemque electum Paschalem, certè non ante, constans est antiquorum omnium sententia. Petrus Diaconus igitur, qui lib. 4. cap. 18. unà conspirantibus ejus omnibus exemplaribus, hæc retulit in annum *Dominicæ Incarnationis* 1098. annos, ut iterum supra, auspicatus est ab Christi Nativitate, non autem ab Annunciatione; quam pariter servavit supputationem, annum consignans obitus Antipapæ Guiberti, de quo statim. *Peregr.*

(31) Bene anno sequenti ab ordinatione Paschalis, sed Christi 1100., ut habet Codex 199., non 1099., ut Codex 47., & ex eo Editus. Quibus nil suffragatur Petrus Diac. lib. 4. cap. 20. sivè 21., quin nec, ut volunt, Guiberti mortem anno millesimo centesimo posteriorem facit verbis illis, quæ in editione Veneta, ac Parisiensi diminutè, in Neapolitana diminutè simul, ac depravatè, longèque aliter atque in manu descripto sunt Codice. *Porrò*, inquit Petrus in exemplari Cassinensi, *cùm à Papæ Gregorii septimi decimus sextus, & Victoris tertii decimus quartus, & secundi Urbani transitu, ac subrogatione Paschalis secundi secundus jam annus esset elapsus, & ab Incarnatione Dominica centesimus, & nonagesimus nonus volveretur, Guibertus Hæresiarcha invasor Romanæ Ecclesiæ vita privatus est*. Nam Petrus hoc loco, ut sæpè etiam in superioribus, annos Dominicæ Incarnationis non ab anno Christi concepti, qua Epocha alios Auctores mortem Guiberti in annum referentes 1100., malo ordine usos putavit, sed ab anno supputavit Christi nati: nempe eorumdem sic castigans, quem existimabat errorem. Quam planè sententiam adscribendam illi esse, haud dubito (nec aliter ejus consistere poterunt dicta) qui tradat lib. 3. cap. 71. Papam Victorem 3. defunctum *anno Domini* 1087. (scilicet ab Incarnatione, qui fuit à Nativitate 1080.) verbis autem paulò ante relatis affirmet, revolutos ab ejusdem Victoris ad Guiberti decessum (hoc est ad annum, ut prædixi, Nativitatis 1099., Incarnationis 1100.) annos *quatuordecim*: in eadem nimirum hac summa ipso anno 1087. simul collecto. Sicuti eodem prorsus calculandi modo ab obitu Papæ Gregorii 7., ideſt ab anno 1085 ad obitum Guiberti annos supputavit *sexdecim*; itemque ab obitu Urbani II. à se descripto, ut superiùs exposui, ad annum Nativitatis 1098. Incarnationis 1099. colligit ad Guibertum decedentem *annos duos*, quem obiisse anno, sive dicas Nativitatis 1099., sive Incarnationis 1100. adeò claro pronunciavit sermone, ut virum demirer magnum asserentem, Petrum retulisse Guiberti mortem ad ann. 1101. A qua nec stat, ni fallor, sententia, ut putant, Dodechinus in vita Comitissæ Mathildis, tradens præfatum Antipapam, qui

„ ——*per vigintitres annos denique Christi*
„ *Ecclesiam nisu toto turbarat iniquis*,

defunctum,

„ *Post annos binos, Urbanus erat quod ab isto*
„ *Sæclo portatus, cælique choro sociatus*:

Nam vigintitres annos motarum à Guiberto rerum non ab anno numerat, ut benè observavit idem vir clarissimus Baronius, quo ille sedit Pseudopapa, quod contigit ab anno 1080. sed ex quo, ut reor, excommunicatus, atque ab Archiepiscopali dignitate in Romana Synodo depositus fuit, anno 1078. Catholicamque in Ecclesiam, & in Gregorium 7. ejusque successores indesinenter axarsit. *Peregr.*

Digitized by Google

1104. Domnus Odorisius Abbas acquisivit Oppidum Pontiscurvi, & Castellum Vitecosi. Obiit Odorisius Abbas. Otho fit Abbas.

1105. Stella Cometes apparuit, & Heinricus Rex defungitur. Heinricus filius ejus imperat. Obiit Richardus Secundus Princeps. Robertus fit Princeps. (32)

1106. Luna quartadecima obscurata est. Obiit Otho Abbas. Bruno Signinus Episcopus Abbatiam suscipit.

1107. Castrum Terami à Comitibus Aquinensibus invasum est, sed à nostris quintodecimo die receptum est.

1109. Stella Cometes apparuit.

1110. Heinricus prædictus Rex cum magno exercitu Romam veniens Paschalem Papam cum multis aliis capit; ad ultimum coronatus abscedit (33). Bruno Episcopus Abbatiam dimittit: Girardus fit Abbas: Obiit Rogerius Dux, & Boamundus frater ejus.

1114. Gerardus Abbas Oppidum (34) Suivum acquisivit. (35) Pisani Majoricam, & Minoricam insulas debellantes ceperunt.

1116. Terremotus magni fuerunt; ita quod multa ædificia per diversa loca corruerunt, multi mortui sunt, lampades Ecclesiarum moveri visæ sunt. Luna quartadecima obscurata est.

1117. Obiit Paschalis Papa, Joannes Cancellarius eligitur in Papam Gelasium; tunc & Rex Romam occurrens, Burdinum invasorem submittit.

1118. Obiit Gelasius Papa apud Cluniacum, & Guido Viennensis Episcopus (36) à Cardinalibus in eodem loco in Papam Calixtum eligitur.

1119. Idem Papa Romam veniens honorificè exceptus est. Obiit Robertus Princeps, & Richardus filius ejus ungitur, quo paulò post mortuo Jordanus patruus ejus fit Princeps. Terremotus magni (37) per plures dies in terra S. Benedicti, & circumquaque fuerunt, ita ut ædificia multa ruerent.

1120. Calixtus Papa Burdinum apud Sutrinum captum, apud Cavas custodiæ mancipavit. (38)

1121.

(32) De anno obitus Henrici, deque Richardi in Serie Abbatum Cassin. est nonnihil dictum. Robertum autem Richardi fratrem, ac successorem administrationem quidem Principatus post ejus mortem, sed minimè Principis nomen illico assumpsisse, ex antiquo Diplomate discimus, in Archivo Monasterii S. Laurentii Aversanæ urbis adservato; quod datum asseritur *Anno Dominicæ Incarnationis* 1106. *mense Aprili, per Indictionem* 14. ejusque initio sic legitur. *Ego Robertus filius bonæ memoriæ Jordani Principis, Procurator scilicet Principatus Capuæ cum subscriptis Baronibus, & cæteris aliis per interventum Goffridi de Mediana concedo.* &c. In Principem verò illum consecratum anno 1107. mense ferè Aprili (certè non ante Martium, nec post Majum) plures docent antiquæ Chartulæ alibi commodiùs producendæ. At Richardo 2. etiam vivente, Robertus Principatum videtur concupitus; nam *anno* 1104. *surrexit contra Principem germanum suum*: quæ sunt verba in Chronico Ceccanensi anno prædicto. Nec melioribus est ille artibus, Richardo defuncto, Capuam adeptus; quippe (sic in Chronico Cavensi) *Anno MCV.* (scribo *MCVI.*) *Richardus Princeps, filius Jordani obiit. Robertus filius Jordani invasit Capuam, & ex parte eam succendit, nocte* 4. *Idus Januarii.* Nimirum Richardo eodem mense, ut Romualdus Salernitanus auctor est, vita functo. Campanos itaque inopino incendio perculsos (quo pariter stratagemate usus olim Richardus primus, atque Henricus Imperator illeTeanum, hic Romam subegit, ut apud Ostiensem observo lib. 3. cap. 16. & 52.) faciliùs in Roberti potestatem devenisse, non insolens suggerit conjectura. *Peregr.*

(33) Scripti Codd. *ad ult. fine facto coron. absc.* Sed Codex 47. more suo hæc anno citiùs; Codex verò 199. ad an. 1111. ad quem etiam eadem referunt summâ concordiâ antiqui Auctores omnes, & quod mireris, Petrus ipse Diaconus lib. 4. cap. 35. qui suo illo jam dicto calculo per integrum annum solebat præire. *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* 1110. *Indict.* 3. (incidit hæc sanè Indictio in annum, quem à Nativitate dicimus 1110.) *mense Junio, sexto ejusdem, Stella Cometes apparuit*, proximo autem cap. 36. tradit Henricum advenisse Romam 3. *Idus Februarii* (scilicet sequenti anno 1111.). *Sabbato videlicet ante Quadragesimam.* Quo charactere manifestissimè annum à Christi Nativitate designat 1111. Hanc viri inconstantiam superiùs dolebam, quæ infra iterum nos vexabit. *Peregr.*

(34) *Fortè* Supinum. *Carac.*

(35) Ne cum viro docto legendum crede. *Supinum.* Sed. *Suinum*, ut scriptus uterque Anonymi Codex, itemque Petrus Diac. habet lib. 4. c. 54. oppidulum nimirum, quod est ad Lirim flumen, vulgo. *Sujo*; ubi calentes aquæ, de quibus capiendus Plinius lib. 2. cap. 103. *Sed & fontium*, inquit, *plurimorum natura mira est fervore; idque etiam in jugis Abpium, ipsoque in mari inter Italiam, & Ænariam, ut in Bajano sinu, & in Liri fluvio, multisque aliis.* Nescio an ex his aquis idem *Liris fulfureus* dictus sit Silio Italico l. 8. apud quem l. 12.

„ —— *fumantem texere gigantæ Fregellæ.*

urbs scilicet & ista olim ad Lirim, sed supra Sujum (ipsique Silio supra Aquinum, ne miscuisse eum credas loca) ad Septemtricnem mill. pass. plus minus 18. fumantem enim Gigantem ab urbe Fregellis comprimi, ac tegi, id valet juxta consuetam antiquis affabulationem, quòd locum suapte natura subterraneos, perennesque alere ignes; ex quibus quidem ignitis locis tum fulfureos odores, tum fervidas emanare aquas, experimento non uno constat. Sed redeo ad Petrum Diaconum, in cujus Cassinensi exemplari, & in editione Neapolitana acquisitum legitur Sujum à Gerardo, *cum jam ab Incarnat. Domini annus millesimus, centesimus, ac quintusdecimus elaberetur, undecimo Kal. Martii*, ad quem simul annum id descriptum habetur in Cod. 199. At ille *elabentem* appellans annum, qui ad undecimum Kal. Martii pervenerat diem, ab eodem mense annos Christi se ducere, atque ab ejus Incarnatione strictissimè accepta, aperit quam manifestissimè; quam pariter servat supputationem cap. 55. celebratam perhibens à Papa Paschali 2. Trojanam Synodum *sequenti anno* post receptum ab Abb. Gerardo antedictum oppidum Sujum: nempe anno 1116. cùm tamen acta illa fuerit, Petro metipso consentiente, anno 1115. ut dicam ad Falconem. *Peregr.*

(36) Scribe, ut in utroque manu exarato exemplari. *Peregr.*

(37) Romam advênit Callixtus, nemine ex antiquis discrepante, anno 1120. nec aliter in Codice 199. in quo æque ac apud Petrum Diac. lib. 4. cap. 65. fine, Roberti etiam Campani Principis mors, Richardi filii ejus subrogatio, ac cætera superiùs descripta sub eodem habentur anno nunc dicto. Falco & ipse utrique consentit. qui nil de Terræmotu. *Peregr.*

(38) Jam nil dicam de anno capti Burdini, nam piget de commisso à librario in hoc Chronico Prochronismo totiens te admonere. Quod noto, hoc est; à nemine diligentiùs, quam ab nostro Anonymo loca descripta, in quibus Burdinus in vinculis detentus, ac servatus est. Apud Cavas custodiæ mancipatum illum nunc perhibet: inferiùs dicet translatum in Janulam (Arcis id nomen, quæ in declivi Cassini montis Sancto Germano imminet) ac tandem in Fumonem. Petrus Diac. lib. 4. cap. 68. nil de Cavensi custodia, nec Sugerius in Ludovico Rege; sed uterque tantum de Janula. Scriptus autem Vaticanus Codex apud Baronium nil de Janula; quin de arce Fumonis ad Cavense Monasterium ductum Burdinum notat, non è contra. *Peregr.*

Digitized by Google

1121. Idem Papa eundem Burdinum de Cava extractum in Janula custodiendum tradidit.

1122. Obiit Gerardus Abbas, & Odorisius fit Abbas. Stellæ innumeræ quasi pluere visæ sunt pridie Non. Aprilis horâ matutinâ. (39)

1123. Castrum Pica ab Odorisio Abbate acquiritur, & à Calixto Papa, & Jordano Principe Sancto Benedicto confirmatur. Obiit Calixtus Papa, & Lambertus Ostiensis Episcopus in Papam eligitur Honorium.

1124. Richardus de Caleno terram S. Benedicti hostiliter ingressus Castella ejus incendit. Prædictus Papa Burdinum de Janula tractum in Fumonem relegavit. Heinricus Rex obiit: Lotharius fit Rex.

1125. Odorisio à Papa excommunicato, homines S. Germani Monasterium istud fraudulenter invadunt, ipsoque depulso, Nicolaus ingreditur. Rocca de Janula destruitur. Castellum Sulu à filio Richardo de Aquila occupatur. (40)

1126. Castellum novum à Landenulpho de Spinio occupatur. Castrum novum recuperatur. Odorisius Abbatiam foris jurat. Castrum Terellæ ædificatur. Nicolaus expellitur. Seniorettus fit Abbas. Dux Guilielmus, & Jordanus Princeps obierunt. Robertus fit Princeps. (41)

1127. Papa in Apuliam contra Comitem Rogerium, qui Ducatum occupaverat cum expeditione properat. Ad ultimum, factâ concordiâ, Ducatum ejus confirmavit.

1128. Rogerius Dux capit Trojam, & ferè totam Apuliam, & Capuanus Princeps illi hominium fecit. (42)

1129. Obiit Honorius Papa, & eo die sunt electi Gregorius S. Angeli in Papam Innocentium, & Petrus Cardinalis S. Mariæ Trans-Tiberim in Anacletum: & Innocentius ultra mon-

(39) Hæc in Codice 199. ad annum sunt 1123. Et Gerardi sanè obitum, Odorisiique subrogationem haud alio anno contigisse (vel ad Petri Diaconi mentem) in Serie Abbatum Cassinensium exposui. Qui tamen Petrus lib. 4. c. 81. Editionis Venetæ, & Parisiensis, atque in Codice manu descripto, stellas cadere visas dicens, tempore Abbatis Oderisii in anno 1122. annos Christi ab Epocha sibi pluries observata non duxit, sed consuetâ inconstantiâ annum anteverterit, nulla coactus necessitate. Quem pariter Prochronismum commisit cap. 84. juxta præfacarum editionum descriptionem, atque Codicem Cassinensem; tradens Castrum, sive Oppidum *Pica* ab Abb. Oderisio receptum *in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo tertio*; eidemque Abbati deinde confirmatum à Capuæ Principe Jordano, literis commonito Papæ Gallixti, sub ipsis ferme diebus obitus ejusdem Papæ, qui è vivis discessit mense Decembri, anno 1124. Principis autem de eadem hac re Præceptum in Registro sanè à Petro metipso exarato pag. 317. à tergo, datum legitur *anno 1125. mense Februario, Indict. 3. anno sui Principatus quinto*. Quæ omnia Anonymus in Codice 199. congruè ad annum notavit 1124. sed nil de Præcepto Principis. *Peregr.*

(40) De his Petrus Diac. lib. 4. cap. 88. & seqq. sed annum nullum manifestè exponit. In Cod. 199. & in Serie Abbatum à me descripta hic annus est 1126. *Suju* autem (Castellum scilicet, de quo dixi ad an. 1114.) non *Sulu*, scribendum monui ad Lupum an. 884. quod Petri Diac. etiam dictis relato nunc loco firmatur. *Peregr.*

(41) Uterque scriptus Codex post Castrum novum occupatum à Landonulfo, qui dist *Adenulfus* Petro Diac. lib. 4. cap. 91. addit. *Castrum Pica redditur*: eodem testante Petro ibidem. Sed Codex 47. annum præveniens, hæc ad 1126. alter vitè ad an. 1127. refert. In Serie quidem Abbatum probatum est, Oderisium 2. depulsum an. 1126. quem sequenti anno Abbatiam foràs juravisse, vel ut Petrus Diac. habet lib. 4. cap. 92. in manu Romani Apostolici illam refutasse, rerum deinde gestarum series dictat. Eo etiam loco exposui, Abbatem Nicolaum dicto anno dejectum 1127. Nec Ducem Apuliæ Guilielm m alio defunctum anno, Capuæque Principem Robertum 2. patri Jordano succesisse, ex Falcone, ut antiquas nunc non recitem Chartulas, est manifestum. Omittendum tamen haud judico, à Petro Diac. lib. 4. cap. 96. in editione Neapolitana, & in exemplari Cassinensi annos præfato Duci adscribi *ferè XVI.* (Chronicon Salernitanum à me editum tribuit annos 17. puta inchoatos) quos priores ejus editiones depravatè præseferunt *XII.* si quidem Guilielmus post patrem Rogerium defunctum 8. Kal. Martii, anno 1111. obiit 17. Kal. Augusti, anno 1127. *Peregr.*

(42) Nil de his Petrus Diaconus, quæ noster ex aliis est mutuatus, & in Codice 199. ad annum adnotata habes 1129. De capta autem Troja ab Apuliæ tunc Duce, eodemque, Siciliæ Comite Rogerio Alexander Telesi. lib. 1. cap. 18. 19. & 24. quo postremo loco de *hominio* etiam ei facto à Capuæ Principe Roberto 2. his verbis. *Tunc temporis*, inquit, *& Robertus Capuanorum Princeps solo nominis sui terrore constrictus, suo subditur dominio*. Ne tamen credas, Principem sponte, nullaque coactum necessitate Rogerio se subdidisse, in quem ille jura dominii sibi ex Apuliæ olim Duce Rogerio, Roberti Guiscardi filio, nata reposcebat; nam Princeps Richardus 2. in anno 1098. *causa auxilii*, ut Gaufredi Malaternæ dicam verbis lib. 4. cap. 26. *quod ab ipso sperabat* (nempe ad Capuam recuperandam) *homo Ducis factus fuerat*. &c. At Telesinus definitum repetitæ hujus deditionis annum etsi non exponit, à nostro nihilominus haud abit; uterque enim Auctor perhibet, Rogerium statim post desponsam sibi à Campano Principe subjectionem, Ducis, Comitisque nomen, & dignitatem spreviss., seque in Regem coronari, atque inungi curasse, in anno 1130. auctoritate accedente Pseudopapæ Anacleti 2. qui eodem anno, 16. Kal. Martii Romanam sedem invaserat, Beneventique constitutus 5. Kal. Octobris Diploma subscripsit de Regio titulo Rogerio impertiendo. *Anacletus* (inquit noster in Codice edito, & in Cod. 47. ad ann. 1129. sed in Cod. 199. ad an. 1130.) *in Apuliam ivit, qui Ducem Rogerium Regem constituit*: scilicet deinde apud Panormum coronandum; in quam etiam sententiam Petrus Diac. lib. 4. c. 97. capiendus est, cùm dicit ab Anacleto tributam Rogerio coronam, simulque factum tunc ei Privilegium. Audi Falconem ad an. 1130. *Eodem anno*, inquit, *prædictus Anacletus venit Beneventum: deinde Abellinum civitatem ivit* (medius hic est locus inter Beneventum, & Salernum, è qua Dux digressus advenienti ad se Anacleto obviam est factus) *& cum prædicto Duce Rogerio habilivit, ut eum Regem coronaret Siciliæ. Et his statutis, Anacletus ille Beneventum revertitur* (tunc itaque exaratum fuit præmemoratum Diploma) *& Dux ipse Salernum, deinde Siciliam remeavit. Anno igitur ipso prædictus Anacletus Cardinalem suum, Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in civitate Palermitana in Regem coronavit*, &c. Alexander etiam Telesi. lib. 2. cap. 3. Rogerium dicto jam die apud Panormum solemnissima pompa Regem salutatum affirmat; ex quorum Auctorum consensu redarguas oportet, qui hæc bis acta tradidere: primum in anno 1129., iterum in an. 1130. sanè Rogerius Ducis adhuc titulo utebatur, cùm *Privilegium fecit S. Benedicto per manum Guarnerii Mazariensis Decani in anno Domini millesimo centesimo tricesimo*, de quo Petrus Diac lib. 4. cap. 96. *Peregr.*

Digitized by Google

montes perrexit. Anacletus in Apuliam ivit, qui Ducem Rogerium Regem conſtituit.

1130. Rex Rogerius expugnat, & capit Amalphim. (43)

1131. Rogerius Rex expugnavit Barium, & cum Principe, & Comite pugnans apud Nuceriam ſuperatur maxima ſtrage utrorumque. Rex Lotharius Italiam ingreſſus eſt.

1132. Lotharius Rex venit Romam, & accipiens coronam ab Innocentio reverſus eſt. Sol ferè totus obſcuratus à ſexta hora uſque ad Nonam IV. Nonas Auguſti. Rogerius Rex ingreſſus eſt Apuliam, & Comites Converſanenſem, & Andrianenſem exhæredavit. (44)

1133. Robertus Princeps abiit Piſas, (45) & Rex Rogerius venit ſuper Principatum, & Comitem Raynonem. Principatum cepit, Comiti dimiſit terram, & reddidit ei Comitiſſam.

1134. Princeps à Piſis ſtipatus navali exercitu venit Neapolim. Averſani reddiderunt ſe ei, contra quem Rogerius Rex veniens fugavit eum, & Averſam in cinerem redegit. Raynoni, & Tugoni Comitatum abſtulit, Rayno Comes, Neapolim fugit. (46)

1135. Rex Rogerius Alfuſo filio Capuanum Principatum tradidit. Imperator Lotharius Liguriam ingreditur, (47) terremotus magni in hoc loco ſunt.

1136.

(43) In Codice 199. hæc ad annum ſunt 1131. quæ non alio tempore geſta, ex Falcone intelligimus: perhibente Regem Rogerium illico poſt coronationem exercitu congregato Amalfim obſediſſe, obtinuiſſeque. Verùm Falco ad annum id notat 1130. cùm debuiſſet ad ineuntem annum 1131. quod factum ſcias, quoniam ipſe annos à menſe Martio auſpicatur. Expugnata igitur fuit Amalfis per menſem, vel Januarium, vel Februarium, anno prædicto, qua ſubacta, inquit Alexander Teleſ. lib. 2. cap. 11. *Rogerius victor Salernum revertitur.* Illuc Anacletus, Benevento diſcedens (manſerat enim Beneventi, Conciliumque in Natali celebraverat) illum adivit, ſi Falconis rectè mentem capio loco relato. *Quibus omnibus*, inquit, *ita peractis, prædictus Anacletus die Kalendarum Martiarum Salernum ivit; deinde conſilio accepto, Romam redeundi diſpoſuit.* Peregr.

(44) Eodem anno, quo Lotharius Romam veniens coronatus eſt in Imperatorem à Pontifice Innocentio 2. Solis defectum 4. Non. Auguſti, feriâ 6. horâ 6. factum quoque ponit Robertus de Monte in Append. ad Sigebertum, ſed ad Chriſti annum reiicit 1133. ad quem pariter annum hæc in Chronico notantur Ceccanenſi, & in noſtri Anonymi Codice 199. ibique Solem obſcuratum perhibetur ab hora *ſeptima*; itemque à Rege Rogerio *exhæredatos Comites Converſanenſem, & Andrenſem* (*Andrenſem* etiam hunc dicit Alexander Teleſ. lib. 2. pluribus locis, nomineque *Gofridum*, qui Falconi eſt *Giffredus*) in Codice verò 47. *Comites Converſanenſes*, numero multitudinis, ut apud Romualdum Salernit. *Rex Rogerius*, inquit, *iterum in Apuliam rediit* (ſcilicet anno ſequenti poſtquam ad flumen Sarnum à Campano Principe Roberto, & à Rainulfo Comite bello victus in anno 1132. Siciliam ſe receperat) *Converſanenſes obſedit, eorum Civitates, & Caſtella viriliter expugnavit, & quoſdam ex eis captos in Siciliam miſit.* Ex genere itaque Converſanenſium Comitum præter Trancredum ejuſce Civitatis tunc Dynaſtam, prodiiſſe hinc intelligimus Alexandrum Comitem Materæ, & Goffredum Comitem Andrenſem, ſive dicas Andriæ; in quos omnes Rogerium eodem hoc anno, quo Imp. Lotharius Romam advenerat, feliciter pugnaſſe, victoſque eos Siciliam miſiſſe, Goffredum ſcilicet, & Trancredum, Alexander Teleſ. lib. 2. cap. 33. & ſeqq. atque Falco ad ann. 1133. pluribus tradunt. Tancredo autem à Rege in anno 1132. Civitates, & oppida dolo erepta, illumque ad tranſmarinas partes deſtinatum (Hieroſolymam ad terminum ſtatutum properaturum habet Teleſinus lib. 2. cap. 21.) unàque prædictum Goffredum ad maximam afflictionem redactum, idem perhibet Falco, quæ alter modò laudatus Auctor non diſſimulat, ſed omnem rei geſtæ invidiam in Comites multorum criminum reos convertit, quos in Regem iterum poſtmodum rebellaſſe, ultimamque rerum ſuarum cladem, Anonymo huic noſtro præſenti anno deſcriptam, juſtè pertuliſſe, utpote perjurii reos, exponit. *Peregr.*

(45) Princeps Capuæ Robertus bis Piſas petierat an. 1133. primùm ſolus, ſecundùm cum Pontifice Innocentio, menſe Septembri. De his Falco ad annum prædictum. In anno dein 1134. illuc tertiùm profectus, à Rogerio interim Principatu eſt exutus, à quo Terra omnis Raynoni, ſive dicas Raynulfo, ut aliis, & noſtro etiam infra ad an. 1138. dictus reperitur, pridem erepta, atque uxor Mathildis eſt ei reddita, eodem referente Auctore, & rei geſtæ annum qui præterit, Alexandro Teleſino lib. 2. cap. 54. & ſeqq. In noſtro itaque Anonymo hæc ad annum figi debent 1134. fide etiam accedente Codicis 199. *Peregr.*

(46) In Codice 199. hæc ſunt ad an. 1135. & in Chronico pariter Ceccanenſi, atque in Falcone. Hujus ſunt verba. *Hoc anno*, inquit, *Princeps ipſe ſeptimo die ſtante menſis Aprilis cum viginti navigiis Neapolim venit, & comprehendit Averſam*, & cætera fuſiùs Alexandro etiam Teleſino relata lib. 3. cap. 1. & ſeqq. Ambo autem manu exarati Anonymi Codd. non. *Tugoni*: ſed. *Ugoni*. Comitatum ereptum notant; quem Teleſinus lib. 2. cap. 64. Comitem appellat. *Bojanenſem*: hoc eſt. *Boviani*; illumque haud in an. 1135. quo Averſa incenſa eſt, Regi *terras ſuas univerſas dimiſiſſe, quas Bifernus fluvius Orientem versùs præterfluit; nec non Caſtellum maris, ſitum ſcilicet, quo fluvius Volturnus curſus ſui finem deſignat*: ſed eodem tempore, quo Rayno, ſive Raynulfus eſt ei reconciliatus: nempe in anno 1134. Hic autem Rayno cùm ab Rege iterum defeciſſet, nec hilum in illum proficere poſſet, Neapolim ſe recepit dicto an. 1135. teſte Falcone, quod verbis ſuperiùs relatis notabat noſter. *Penegr.*

(47) Iſte *Alfuſus*, ſic etiam dictus Petro Diac. lib. 4. cap. 97. eſt. *Amfuſus* in Codice 199. tum hoc loco, tum ad an. 1144. nec aliter in antiquis Chartulis, & apud Alexandrum Teleſ. cui tamen dicitur. *Anfuſus*, ab nomine appellatus, ut Hieronymus Surita conjectatur, Alfonſi Regis Hiſpaniarum, ejus Avi materni, quod nomen Wolfangus Lazius de Migr. Gent. lib. 10. detortum putavit, ex *Ildifonſo*; atque hoc ex, *Hildibuntzo*: vocabulo Gothico, *à favore* ſcilicet, *& amore fœderis*. Sanè apud Paulum Diac. lib. 6. cap. ult. *Anfuſus* dictus eſt vir quidam ex ſorore nepos Liutprandi Regis Langobardorum; & apud editum à me Ignotum Caſſin. Num. 8. legitur de *Alfonſe* Saracenorum Lybicorum Duce, ſed hæc obiter. At Rex Rogerius Amfuſum filium tertio loco genitum, & adhuc puerum Capuæ conſtituit Principem, cùm haberet (verba ſunt Alexandri Teleſ. lib. 3. cap. 27.) *alios duos liberos adoleſcentiores, ad ſuſcipiendum militiæ cingulum utroſque adultos; quorum unum, qui erat primogenitus omnium fratrum, Rogerium nomine, jam Ducali honore, alium autem* (Tancredum appellatum) *Principatu Barenſi provexerat*, &c. Campanus itaque Principatus poſt Barenſem à Rege acquiſitus, juniori obtigit filio Amfuſo, cui Ducatus paulò poſt Neapolitanus eſt etiam à patre contributus, ut alibi fuſiùs. Quod autem ad conſignatum ejuſce rei geſtæ annum ſpectat, in Codice 199. notatur, inſtitutum Principem Amfuſum, Imperatoremque Lotharium in Liguriam adveniſſe uno, eodemque anno 1136. ſed de Lotharii adventu poſtea videbimus. Amfuſum verò Principis dignitate à patre decoratum ſtatim poſt urbem Neapolim ab eodem Rege terra, marique, ſed fruſtra, oppu-

Digitized by Google

1136. Obiit Senioretus Abbas. Raynaldus Tuscus fit Abbas. Imperator Barium usque

A

pervênit, (48) cui pæne se tota Apulia tradidit. Innocentius Papa cum Duce Bojoariæ per

oppugnatam, (id in anno contigit 1135. mense Septembri, auctore Falcone, qui tamen nil de Amalfo) atque antequam idem Rogerius *mare ingressus, Siciliam, cum immensa expeditione Veris tempore ad expugnandam rursus Neapolim reversurus, repetisset*, credendum oculato est testi Alexandro Telesi. lib. præcitato cap. 27. & seqq. Nostri itaque Anonymi textus hac parte luxatus censendus certè est, novique Campani Principis inauguratio ad jam dictum annum 1135. figenda, Kalendis Octobris, vel circa; quod etiam ex observata in antiquis Ghaetulis serie annorum ejus Principatus clarissimè aperitur. Sed Lotharii in Liguriam, atque in Italiam adventus rectissimè quidem in Codice 199. ad annum notatur 1136. quippe *mense Novembri, Indictione 15.* vergente scilicet præfato anno, positus ille apud Roncalias (planus, ac patens est campus non longè à Placentia super Padum Othoni Frisingensi in Friderico lib. 2. cap. 12. & Gunthero lib 2.) legem condidit *de Feudo non alienando*, descriptam lib. 2. Feudorum Tit. 52. nec non, sub alio tamen titulo, lib. 3. LL. Langob. Tit. ult. Falco etiam disertè pro hac stat sententia, ex cujus narratione ista, quæ huc faciunt, excerpo. *Anno*, inquit, 1136. *Dominicæ Incarnat. & septimo Papæ Innocentii præfatus Imperator* (Lotharius) *Apostolico Innocentio mandavit, ut eum præstolaretur, quia Domino favente, sicut promiserat, in festivitate S. Jacobi venire despondebat* (scribo, *disponebat*) Et mox infra. *Princeps Robertus audiens Civitatem Neapolim famis periculo urgeri, cum quinque navigiis ad eandem civitatem venit, & Imperatoris adventum firmiter propalavit, & cursu celeri Pisas revertitur. Continuò ad Imperatorem festinans, invenit eum montes descendisse, & super Civitatem Cremonam castra sua posuisse*, &c. Lotharius itaque in anno 1136. in sub-Alpinam pervênit Italiam, sive in Galliam dicas Transpadanam (est namque trans Padum Gremona) quam noster in utroque scripto Codice hoc loco, & ad annum 1147. more aliis tum suæ, tum aliquandò antiquioris ætatis frequenter usurpato, nomine appellavit *Liguriam*, etsi hæc olim ultra Padum non porrigebatur. Quo circa Petrus Diac. lib. 4. cap. 97. præsenti cum viveret, ac scriberet tempore, ulteriùsque Chronicon suum cùm non produxisset, cur in annum id retulerit 1135. nisi illum nunc pariter credam, sic castigandum communem duxisse errorem, quem in supputandis annis Christi cæteros omnes fovere, sibi persuaserat, haud habeo, quid aliud dicam. Nam possem equidem, ut aliàs feci, hanc quoque culpam in librarii caput convertere, feciseremque; ni visum, non semper, nec tutò nunc ad hujusmodi Asylum commodum confugiendi locum esse. At *Liguria* vocabulo campestrem Sub-Alpinam, ut dixi, hîc denotari Italiam, & trans Padum, ambigendum non est; quam hujus nominis acceptionem non advertens vir doctus, substituendum credidit. *Liburiam*: putans Anonymum loquutum de Campaniæ uberrima regione, hoc vocabulo, sed post Plinii Secundi ætatem, nuncupata: Clanio scilicet amne, Cumis, Puteolis, Neapoli, Acerrisque urbibus aliquando definita; quæ nihilominus sæpenumero in priscis monumentis, & præsertim in Registro Monasterii Monialium S. Blasii urbis Aversæ, atque in Historia Miscella lib. 16. dicta etiam reperitur. *Liguria. Cumanos* (sic ibi) *Puteolanos, & alios plurimos in Liguria degentes*, &c. ex consueto nimirum, mutuo, ac facili transitu, & conversione literæ *b.* in *u.* & *u.* ante. *u.* in. *gu.* ita ut unum, idemque hoc *Liburiæ* nomen promiscuè: *Livuria*, &c. *Liguria*, olim scriptum, fueritque pronunciatum: Liguriam verò Sub-Alpinam Trans-Padum processisse, ex Rigordo intelligimus in Phil. Rege, cùm inquit. *Eodem anno* 1213. *factum est bellum in Liguria, in territorio Cremonensi*, &c. quod etiam adstruit Otho Frising. lib. 7. cap. 14. de Imperatore loquens Henrico. *Verùm*, inquit, *Novariam, Liguriæ civitatem, dum per Longobardiam pergeret, ceperat*. Sed & Notitia Imperii Occidentalis Cap. de Comite Sacr. Larg. nec non Paulus Diac. de Gest. Langob. lib. 2. cap. 12. sive 15. ut Anastasium mittam Bibliothecarium loco in Castigat. ad Lupum relato, qui Mediolanum, & ipsam trans-Padum inter Cremonam, & Novariam sitam, Liguribus, & Liguriæ adsignant. Hinc Guntherus suum de Imp. Friderico Historicum Poema *Ligurinum vocavit, quia Ænobarbo*, ut Vossius notat de Historicis Latinis lib. 2. cap. 53. *negotium in primis fuerit cum urbe Ligurina, hoc est Mediolano, cujus incolas Ligures semper appellat*. Quin idem Guntherus lib. 2. Ligurum Metropolim eam constituit, simulque Bernardus Abbas Bonævallis in vita S. Bernardi Clarævallensis lib. 2. cap. 4. Cassiodorus insuper Variar. lib. 12. epist. 14. Comum ex hac eadem descriptione *quasi murum quemdam esse* esse dixit *planæ Liguriæ, quæ* inquit, *post tergum campestria culta transmittit amœnis vectatoribus apta, & victualibus copiis indulgenter accommoda: à fronte sexaginta millibus dulcissimi æquoris amœnitate perfruitur*. Hæc ille. Nec angustiores ejusce Liguriæ constituit fines Cassiodoro æqualis Ennodius in Vita B. Epiphanii, de cujus etiam ubertate, quæ populata à Burgundionum Rege fuerat Gundobado (de hac etiam clade idem Cassiodorus Var. lib. 12. epist. 28.) Italiæ Regem Theodericum ad ipsum Epiphanium sic loquentem facit. *Illa mater*, inquit, *humanæ messis Liguriæ, cui numerosa agricolarum solebat constare progenies, orbata, atque sterilis jejunum cespitem nostris monstrat obtutibus*. Transalpina etiam Gallia post præfectos, & exoletos Ligures suos recentiorem quoque habuit Liguriam, quam præfato Cassiodoro lib. 8. epist. 12. memorari observo. Sed eam à Gregorio Turonensi lib. 1. Mirac. cap. 92. epithero *amœnissimi loci* appellatam cùm video, Regemque Alaricum vehementer studuisse, ne ejus prospectus Regias ædes laderet, suspicione tangor, an omnis aspectu jucunda, & læta, ubertateque clara planities ex jucundissima, ubertimaque Campaniæ Liguria, sive Liburia, communi velut nomine, *Liguria*, fuerit nuncupata: haud secus, ac præfatus Gregorius lib. 2. Mirac. cap. 35. & de Glor. Confess. cap. 84. aliique mediæ ætatis Auctores, *Falerna vina* dixere, etiam quæ alibi, quàm in Falerno Campaniæ agro nata, illorum tamen generositatem æquiparabant? Sicut Paulinus etiam Nolanus epist. 10. ad Severum appellavit *Viam Appiam* (ut complurium recentiorum paria de hujus nominis usurpatione præteream nunc exempla) quæ ad Appiæ instar firmissimo silice inter Neapolim, & Nolam strata fuerat via; cùm haud illum ignorasset, ut argumento est ejus locus in Carm. ad Cytherium, viam dictam propriè Appiam Roma Capuam ab Appio in Censura sua munitam, unde est denominata. Qua pariter figura idem bis relatus Cassiodorus Variar. lib. 12. epist. 22. regionem *supra sinum maris Jonii constitutam, olivis refertam, segetibus ornatam, vite copiosam, non immeritò Ravennæ Campaniam* vocatam ait, *eamque* (hæc aliàs nunc afferam Campaniæ consimili occasione, atque ab exemplo nostræ nomen olim mutuatas) *suas habere Bajas*. Scaliger sanè ad Auson. lib. 2. cap. 16. *Alpes pro Pyrenæis*, eidem Poetæ, ac Gellio dictas observans, id nisi ex utrorumque montium pari magnitudine, ac munere, quo illi Italiam à Gallia, hi Galliam ab Hispania discriminant, haud il usurparunt Auctores. Sed ad nostrum jam institutum, à quo sumus digressi. *Peregr.*

(48) Cuncta hæc in Codice edito, & in Casinensi 47. sub anno descripta 1136. recèdùs in Codice 199. ad annum notari 1137. ex paulò antedictis, & ex exposita in Serie Abbatum Casinensium Chronologia satis constat: pro qua sen-

Digitized by Google

per totam Tuſciam iter agens omnibus ei ſe, præter Romam, uſque Beneventum tradentibus apud Barium Imperatori jungitur. Papa, & Imperator, tradito Ducatu Comiti Raynulpho, reverteruntur. Raynaldus hujus loci electus deponitur. Guibaldus ordinatur, qui poſt quadraginta quatuor dies recedit. Raynaldus fit Abbas. Obiit Lotharius Imperator.

1137. Conradus fit Imperator. Obiit Petrus Leonis; qui & Anacletus; (49) ſed poſt duos menſes fratres ejus cum ſuis elegerunt quendam Gregorium Hæreſiarcham, qui poſt tres menſes à Papa Innocentio deponitur. Rex Rogerius venit ſuper Raynulphum Ducem Apuliæ, & exhæredavit Alexandrum de Claromonte. Aliphas redegit in cinerem, ſicque in Siciliam reverſus eſt.

1138. Innocentius Papa facta Synodo, Anacleti partem damnavit. Obiit Raynulphus Dux. Mons Veſuvius per quadraginta dies eructavit incendium (50) Rogerius Rex venit Apuliam, & cepit eam præter Barium, & Trojam deinde venit Minlanum, contra quem Papa cum exercitu veniens juxta Gallucium in fugam verſus comprænditur, & quarto die pace facta confirmat illi totam terram à fluvio Carnello, & infra: filiiſque Principatum, & Ducatum. Caſtellum Sancti Angeli A igne crematur, & Mortula, cum S. Salvatore, & S. Victore, & S. Petro in Fia.

1139. Idem Rex ad hoc Monaſterium venit III. Kalend. Aprilis, cui per chartulam Rocca de Bantra traditur pro Ponte Curvo, quem dicebat injuſtè à nobis detineri. Caſtrum quod Peſmontis dicitur cum Cardito, & Camino nobis tollitur.

1140. Terremotus factus eſt valde magnus.

1141. Hoc anno Rex iterum ad Monaſterium venit IV. Non. Novembr. cùm fratres facto ſigno ad Veſperam (51) orationibus inſtarent, ſubitò fulgur unum fratrem ſenem ante crucem ſiniſtri chori ſtantem perculit, & occîdit, & locum hunc multis in locis diſſipavit. B

1142. Luna quartadecima obſcurata eſt (52) à prima hora noctis uſque ad quartam. Pridie Non. Novembris Eccleſia S. Mariæ, & S. Alberti dedicatur. Obiit Innocentius Papa. Cœleſtinus fit Papa. Rex iterum ad hunc locum venit. Terra Marſorum ſe ei tradidit. Theſaurum hujus loci omnem cum tabulis ante altare tollit, præter Crucem majorem cum Cyborio, & tribus tabulis altaris.

1143. Cœleſtinus Papa moritur, (53) & Girardus Cardinalis Sanctæ Crucis in Papam Lucium eligitur. Rex iterum ad hunc locum ve-

---

ſententia ſtat quoque Auctorum ferè omnium unanimis conſenſus. Fit autem hinc manifeſtum, ab impoſturæ, ac falſitatis excuſari non poſſe culpa, quæ Sigonio probata, ſuæque Hiſtoriæ Regni Italiæ inſerta lib. 11. à Baronio damnata jure eſt diſputatio Cardinalium cum Petro Diacono coram Lothario Imp. habita ad Aquas Penſiles (locus eſt in Apulia, vulgò tunc *Lago Peſole*, in Epiſcopatu Venuſino) anno 1138. menſe Julii, ad calcem Chronici ejuſdem Petri attexta, iiſque commixta, quæ eo loci ab ejuſmodi diſputatione prorſus aliena idem Auctor ſincera fide deſcripſerat: Lotharium ſcilicet dicens, unà cum Papa Innocentio ex Apulia recedentem, perque Caſſinenſe Monaſterium menſe Septembri, anno 1137. iter habentem, Romam recto itinere perveniſſe, non aliàs Cis-Tiberinam hanc Italiam reviſurum, qui apud Cluſam Liguriæ (ſic inquit) diem, haud multò poſt obiit. Sed eſt & alia in Actis ejuſce diſputationis temporum diſſonantia; cùm ſcilicet cap. 113. perhibetur, Lotharium in ſervitio Innocentii uſque ad præfatæ diſceptationis dies *per annum, & dimidium* in papilionibus commoratum (cap. 116. dicitur *per annum, & menſes duos*) nempe poſtquam ille Italicum ſuſceperat iter; quod ſanè temporis intervallum trium fuiſſet annorum, ſi Italiam adveniſſet in anno 1135. ut Petrus ſtatuit loco ad annum ſuperiorem relato. Cæterùm ambo ſcripti Anonymi Codices præterquamquod in annis, ut ſolent in aliis, hîc quoque invicem variant, quæ in Serie Abbatum Caſſin. ſunt mihi enarrata, ubi de Rainaldo Tuſco, & ſupra ad an. 1001. Lectionem autem Codicis 47. editus cùm expreſſiſſet, compendiatam tamen vocem *Cotim*, omiſit (in Codice 199. deſcripta ea etiam eſt, ſed in hanc formam, *Colemt*) qua genus Abb. Rainaldi Colimentani, ſucceſſoris Abb. Guiberti, ibi exponebatur, tantique fuit me in Diſſertatione quadam Italicè deſcripta hoc advertiſſe, ut viri quidem diſerti, ſed ab criticæ ſtudiis longè alieni, opinionem de Rainaldo hoc Colimentano diù ſibi, ſed & aliis pridem perſuaſam, præſenti tandem anno abjecerint, ac mutarint. Sed in utroque Anonymi Codice præter hæc eſt obſervandum, haud videri ex ipſius placito obitum Lotharii Imperatoris in eundem non referri annum, ad quem ibidem ſublimatio notatur ſucceſſoris ejus Conradi: qui cæterorum Auctorum inſiſtens dictis, utraque ſanè iſta ſub uno anno 1138. continenti, ni fallor, deſcripſerat textu; ſed librarii per C ſummam oſcitantiam ea diſpertierunt, præfatum annum electioni præficientes Regis Conradi, qui erat Lotharii morti præponendus. *Peregr.*

(49) Scripti Codices, ſed ſinguli ſuum in annis ſervantes tenorem, hæc paulò pleniùs. *Obiit Petrus filius Leonis, qui & Anacletus; ſed ferè poſt duos menſes fratres ejus cum ſuis elegerunt pro eo quendam Gregorium*, &c. *Peregr.*

(50) Et iſta in Codice 199. recto ordine ad annum ſunt 1139. in quo habetur Veſuvium per quadraginta *fermè* dies flammas eructaſſe. Falco id perhibet accidiſſe anno nunc dicto, 4. *Kal. Junii*, ignemque viſum *per octo dies*; cinerem verò *per dies triginta*: rem ſcilicet minutiori narratione conſignans, quippe qui eadem vixerit ætate. Eſt etiam in præfato Codice 199. deſcriptum nomen, *Miniani*: non *Minlani*, de quo dixi ad Lupum: nec ibidem. *S. Petro in Fia*: ſed. *S. Petro in fine* ut item infra ad an. 1195. oppidum videlicet in Caſſinenſis ditionis confinio, quod ab Teanenſi, ac Venafrano hanc dirimit Comitatu. *Peregr.*

(51) In Codice 199. annus prænotatur 1142. Regemque ad Caſinenſe Monaſterium adveniſſe III. *Non. Novembris*, ac *tacto ſigno ad Veſperam* (vulgò dicimus: *toccato il ſegno*) Fratrem unum fulmine peremptum: & reliqua. *Pereg.*

(52) Refert hæc ad annum 1143. Codex 199. hoc ordine. *Luna quartadecima tota obſcurata eſt à prima hora noctis uſque ad quartam*, IIII. *Non. Februarii. Eccleſia S. Mariæ, & Sancti Alberti dedicatur.* &c. *Peregr.*

(53) Cœleſtini Pontificis obitus in annum incidit 1144. & menſem Martium. Quo quidem anno, ſicut hoc etiam loco Anonymus tradit, Amfuſum Capuæ Principem diem obiiſſe, eique à patre, ac Rege Rogerio ſuffectum, tum in eodem Principatu, tum in Ducatu Neapolis alterum filium, nomine Guilielmum, ex antiquis manifeſtum eſt chartulis. Ugo itaque Falchandus certè eſt memoria lapſus, Guilielmum hunc ex Tarenti Principe in Regni collegam & ſucceſſorem à patre dicens poſtea adſcitum, quem rectiùs Romualdus Salern. (non tamen ſine alio novo errore, de quo infra) ex Capuæ Principe in Regem evectum notat: dudum enim ante Amfuſi mortem in fata etiam conceſſerat Tancredus Tarentinus, qui Barenſis quoque dictus eſt Princeps; Duxque Apuliæ Rogerius in an. 1148. poſt Amfuſum è vivis & ipſe abierat ſoluſque patri remanſerat præſens Guilielmus. Primævi

veniens cum Papa loquitur; & discordans Papa recedit; Rex partem Campaniæ cum Tarracina cepit. Berrulas obsedit: deinde quodam pacto facto, quæ ceperat, reddidit, Siciliam abiit. Obiit Alfusus Princeps; & frater ejus Guilielmus fit Princeps. Mare dulce factum est à Cajeta usque Neapolim. Jordanus filius Petri Leonis cum Senatoribus, & parte totius populi minoris contra Papam rebellat.

1144. Obiit Lucius Papa, & Eugenius ordinatur, qui tertio die suæ electionis nocte cum omnibus Cardinalibus, & Episcopis Roma egressus fugit, & apud Farvensem Abbatiam Pontifex consecratur, & apud Bitervum Pascha celebrans, ibique per octo menses remoratus, demum cum Romanis paciscens Romam reversus est. Stella Cometes apparuit.

1145. Eugenius Papa per Trans-Tyberim exiens Bitervum devênit, & pacem cum Romanis reformans, muros Tiburtinæ civitatis destrui præcepit, (54) & apud civitatem Lucensem abiit. Rex Rogerius cepit Tripolim.

1146. Idem Papa Burgundiam ingressus (55) à Ludovico Rege Francorum apud Divionem honorificè susceptus est, cum quo Pascha apud Parisius celebravit, ejusque tutelæ Regno Francorum dimisso, idem Rex cum magno exercitu Hierosolymam perrexit: quo etiam anno Conradus Rex Secundus Alamanniæ cum ingenti exercitu per Ungariam, Hierosolymam profecturus, Constantinopolim devênit, ibique Ludovico Regi sociatus, & ab Imperatore Emmanuele cognato suo honorificè susceptus per Jeonium desertum ingressi sunt, & quamplures de exercitu fame perierunt, alii à Turcis occisi sunt.

Sol obscuratus est IV. Kal. Novembris; Eugenius Papa Antisiodorum veniens, Monasterium S. Mauri sub obedientia Cœnobii Cassinensis manere confirmavit, Abbate priùs ab obedientia Episcopi Andegavensis soluto; indeque Treverim veniens ab Archiepiscopis, & Proceribus Alamanniæ honorificè susceptus est. Rex Rogerius cepit Africam.

1147. Idem Papa Rhemis Concilium celebrans quendam Hæresiarcham Hispaniæ, qui se Christum esse dicebat, perpetua custodia damnavit, (56) sicque per Liguriam regressus est Bitervum. Conradus Rex Alamanniæ cum Ludovico Rege Hierosolymam ingressus, & per

---

mævi sanè Reges Siciliæ liberis secundo loco genitis Campanum Principatum tradere consueverunt. Sic ipse nunc dictus Rex Rogerius Capuæ Principem constituit Guilielmum, ex filiis tunc viventibus secundo loco natum (cur secundo filio Tancredo Barensem Principatum antea tradidisset, ad an. exposui 1135.) sic Guilielmus iste cùm esset Rex, primùm Roberto filio, eoque mortuo iterum Henrico, quarto loco natum, Campani Principatus honorem attribuit, primogenito scilicet Rogerio, qui in Regnum successurus erat, prima vice Apuliæ Ducatu concesso: altera autem vice, quoniam ambo jam dicti majores natu ejus filii diem obierant, Guilielmo contradito, inter viventes ætatis sanè provectioris. Quem ex rationabili causa usurpatum tunc fuisse putamus morem; nam Ducalis ea dignitas ab eadem hac Normannica fuerat gente instituta, ejusque ditio Campano Principatu, utpote quæ sub se reliquam omnem tunc complectabatur Italiam Cis-Tyberinam, longè erat major; à quo honore ad Regiam ipse Regni primus institutor Rogerius ascenderat sublimitatem. Sed de his aliàs. Obitus igitur Pontificis Cœlestini, atque Principis Amfusi, cæteraque in Anonymi Codice 47. & in edito sub anno descripta 1143. anno contigerunt sequenti, ad quem in Codice notantur 199. Hi verò ambo scripti Codices plura habent, quàm editus, à quo etiam variant in hanc formam. *Rex iterum ad hunc locum veniens, Ceperanum abiit; ubi cum Papa loquitur, & discordantes, Papa recedit.* &c. *Peregr.*

(54) Lege, ut in utroque Casinensi exemplari. *pactum cum Romanis reformans.* Sic etiam infra ad an. 1148. sive 1149. *Eugenius Papa pactum cum Romanis reformans.* &c. Ad quem locum suppositum quoque legitur in Codice edito. *pacem cum Romanis.* Est autem: *pactum*, quod quandoque. *Placitum*: dictum observo, tum induciæ, & pax ad definitum tempus, tum quælibet animorum post quamcumque discrepantiam concordia sub certa lege. In Glossis ad Regulam S. Benedicti cap. 2. in manu descripto antiquo Codice Monasterii S. Mariæ Monialium urbis Capuæ. *Testamentum, Placitum, vel Pactum.* Glossæ Basilicorum τάκτον, σύμφωνον. τάκτον, συνθήκη. τάκτου, εἰρήνης. Hoc est. *Pactum, Consonans. Pactum, Fœdus. Pacto, Pace.* In eandemque planè significationem olim hoc vocabulum vulgò usurpari consuevisse, aperit Joannes Boccacius in Fabella inscripta. *Tofano di Arezzo*, inquiens. *Et così à modo del villan matto, dopo danno fè patto.* Hinc apud Constantinum Porphyr. de Admin. Imp. cap. 9. ταχτιῶται, ideſt, *fœderati*, sivè *tributarii*, nam, *pacta*, res sunt etiam ipsæ ex mito pacto promissæ. In Historia Miscella lib. 19. Muhavias Arabum Princeps *dirigit Legatos ad Principem Constantinum, postulans pacem; & pollicetur annualia se Imperatori pacta laturum.* Et infra. *Convenit inter utrumque in scriptis fieri pacis cum juramento sermonem super consonantiam annui pacti.* Non oportebat igitur locum turbare Anonymi. Sicuti nec ab Historia Erchemperti extremo fine, amputanda erant verba, quæ à me sunt restituta. *Cùm autem*, inquit, *uterque se junxerit ad pactum, vel ad bellandum, quod deinceps egerint, præsenti Opusculo inseram*, in quibus, *pactum* juxta priorem expositam est acceptionem. Sed de hoc, deque aliis pluribus Latinobarbaris vocabulis, quæ in Historiæ Langobardorum Principum libro primo occurrunt, commodiùs dicam in Glossario peculiari. *Peregr.*

(55) Annus ex Codice 199. restituendus 1147. & infra ex utroque Cassinensi exemplari legendum. *Iconium*: non. *Jeonium.* &. *Principibus Alamanniæ*: non. *Proceribus.* Peregr.

(56) De impudentissimæ, vanissimæque hujus hæresis Auctore in Concilio damnato Rhemensi pluribus Robertus de Monte ad an. 1148. cui proprio vocabulo dicitur. *Eon.* Vvillelmus etiam Neubrigensis de Rebus Anglicis lib. 1. cap. 19. cui est *Eude*: Gallicè: *Eun.* & Otho Frising. in Friderico lib. 1. cap. 54. & 55. istique nuncupatur. *Eus*; quo pariter nomine ambo Cassinenses Codices illum indigetant, sic habentes. *Idem Papa Rhemis Concilium celebrans, Eum Hæresiarcham Hispaniæ, qui*, &c. Verba sunt præfati Roberti, nam aliorum nil opus dare. *A Papa Eugenio Remis 11. Kal. Aprilis Concilium celebratur; in quo Hæreticus quidam de Brittannia adductus, damnatur; qui se Propbetam, vel magnum quemlibet, & nomini suo alludens (Eon enim dicebatur) Eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem, se esse dicebat*, &c. quæ ibi vide; & crassam deride viri procacissimi, ineptissimique nebulonis insipientiam: *ita planè* (dicam cum Neubrigensi) *ut Eun, & Eum nesciret distinguere.* Cæterùm ex Roberto jam nosti Concilium hoc Rhemense actum esse in an. 1148. in quem etiam annum illud rejicit Codex 199. Eodemque ex exemplari scribendum inferiùs est. *Obiit Dux Rogerius. Guilielmus frater ejus fit Dux*: minimè verò, ut habet editus. *Abiit Rogerius Rex*, &c. namque ibi sermo habetur de Rogerio filio Regis Rogerii, quem pater, se vivo, Apuliæ constituerat Ducem;

per aliquot dies ibi remoratus, congregato exercitu Damaſcum obſedit, ſed fraude incolarum deceptus per Conſtantinopolim, & Venetiam in Alemanniam rediit. Ludovicus verò Rex Antiochiam reverſus eſt. Abiit Rogerius Rex. Guilielmus frater ejus fit Dux.

1148. Eugenius Papa Tuſculanum ingreſſus, ſultus auxilio Rogerii Regis, Romanos ſibi rebelles expugnat. Ludovicus Rex à partibus Hieroſolymitanis reverſus, & à Rege Rogerio apud Potentiam cum honore ſuſceptus IV. Nonas Octobris ad hoc Monaſterium venit, ſuſceptuſque honorificè, poſt diem recedens tertium, & apud Tuſculanum cum Apoſtolico colloquens, Franciam rediit. Eugenius Papa pacem cum Romanis reformans Romam reverſus eſt.

1149. Eugenius Papa Urbe egreſſus; Campaniæ moratus eſt. Aqua turbida pluit pridie Idus Martii. Luna obſcurata eſt Idibus Martii. Sanguis pluit in feſtivitate S. Joannis Baptiſtæ.

1150. Obiit Sybilla Regina. Rex Rogerius conſtituit Guilielmum Ducem filium ſuum Apuliæ Regem.

1151. Obiit Conradus Rex. Federicus fit Rex. Naaſſamonites gens Mauritaniæ Regem ſuum ejuſdem Provinciæ laqueo ſuſpenderunt; deinde iter agentes nobiliſſimam urbem Buceam, & multas alias civitates tum vi, tum dolo ceperunt, Rege ejus fugato. Eugenius Papa cum Romanis paciſcens Romam reverſus eſt V. Idus Octobris. (57) Terremotus multi, & magni fuere. Naaſſamonites Regem Buceæ in Conſtantina urbe captum ſuſpendunt.

1152. Sol paſſus eſt Eclypſim. Obiit Eugenius Papa: & Conradus Epiſcopus Sabinenſis conſecratur in Papam Anaſtaſium. Rex Hieroſolymitanus cepit civitatem Aſcalonam. Rex Rogerius cepit civitatem, quæ quondam Ippone Regium dicebatur: Abbas Monaſterii Sancti Mauri ad hoc Monaſterium .. ..

Hactenus ex Cod. 47. *Sequentia cùm habet Codex* 199.

1154. † Obiit Rex Rogerius menſe Februarii die ultimo. Obiit Anaſtaſius Papa, & Adrianus Papa eligitur. (58)

1155. Exercitus Regis Siciliæ cum Aſclentino Cancellario Campaniam ingreditur, & combuſſit Ceperanum, & Babucum, & loca vicina: deinde rediens, mœnia Aquini, & Pontecurvi, & aliorum Oppidorum dirui fecit, (59) & omnes Monachos de Eccleſia foràs expelli, exceptis duodecim. Imperator Theutonicus Romam venit, & clam coronatus

quo mortuo alterum filium, Guilielmum nomine, Capuæ tunc Principem, in Ducem ſubrogavit; ſed non hoc anno 1148. ſicut in noſtro Anonymo perperam librarii repræſentarunt, indiſcretè ſimul componentes, quæ erant diſtinguenda, unoque ſub anno minimè fuerant notanda: verum in anno 1149. *Indictione* 12. quod antiquæ adſtruunt Chartulæ, & Romualdus exponit Salernitanus. Hunc verò Ducem Guilielmum in anno poſtmodum 1151. menſe Maji ab patre in Regem fuiſſe evectum, idem Anonymus in Codice 199. cuſtoditaque in prænarratis chartulis dictat annorum ratio; à quibus nonnihil diſcrepat jam dictus Romualdus, cùm tradat, Guilielmum à Rogerio Regni collegam factum ex Capuæ Principe, quod ſanè falſum. *Biennio*, inquit, *antequam moreretur* (Rex Rogerius) *Vvillelmum filium ſuum, Capuanorum Principem, in Regem Siciliæ fecit inungi, & ſecum juſſit pariter conregnare*. At acciderint hæc biennio ante Regis obitum, nec ne, nil modò dicam: vide infra. *Peregr.*

(57) Non quinto Id. Octobris, ſed *Decembris*, habet Codex 199. nec ad annum hæc notat 1151. ſed 1152. cui præter cæteros alios tum antiquos, tum neothericos Auctores adſtipulatur Robertus de Monte. Sed ille *Maſſemutos* appellat, quos noſter hoc loco per errorem, de quo infra, *Naaſſamonites*: ſed rectiùs ad annum 1160. *Maſenutos*, & ad an. 1181. *Maxamutos*. Inſuper eſt Roberto *Rex Bulgiæ*, qui noſtro dicitur: *Rex Buceæ*: ideſt urbis in mari Africano, vulgò nunc. *Bugia*; è qua Rex Maſſemutos timens, Conſtantinam in mediterraneis (*Cirtam* putat Ortelius in Theſauro) ſe recepit; quæ interpretatus aliter eſt vir doctus. *Peregr.*

(58) Liberi erimus tandem ab hac moleſtiſſima temporum obſervatione, in quam adeò frequenter adegit nos depravatus Codex Caſſinenſis 47. illo nunc deficiente in anno 1152. qui reſtitui debet 1153. quippe nulla poſthac de annis ab Anonymo deſcriptis habenda erit nobis cura; quos in Codice 199. unde præſentis Chronici ſubſequens pars ad annum uſque 1195. eſt deſumpta, & in tertio illo ſuperiùs mihi indicato Codice, ex quo poſtrema pars eſt accepta, recto ordine, ſive, ut circumſpectiori verbo dicam, ad mentem auctoris procedere, non habeo, cur non credam. Et Regis Rogerii ante omnia annum, & diem obitus ritè hîc conſignari, antiquæ Chartulæ, & Auctores conſentiunt omnes: quin nec ſecus ejus Tumulus capiendus eſt, ut dicam ad an. 1172. nec ipſe negat Romualdus Salernitanus, qui in aliam ab hac ſententia à ſummo laudatur viro Baronio. Guilielmum enim verbis paulò ante relatis coronatum prodidit in Regem biennio ante Rogerii patris mortem: nempe rotundo ibi uſus annorum numero; ſed dein Rogerii deſignans obitum, non ſic, inquiens. *Defuncto Rogerio, Vvillelmus filius, qui cum patre duobus annis, & menſibus decem regnaverat, illi in Regni adminiſtrationem ſucceſſit*. Guilielmus itaque Rex coronatus in anno 1151. menſe Maji, utique in exitu menſis Februarii, anno 1154. annos duos, & menſes ſui Regni decem numerabat, Porrò eodem anno 1154. menſe Decembris defunctum quoque Papam Anaſtaſium, electumque *in Papam* (ſic in Codice 199.) Adrianum, eſt ſcriptorum omnium conſtans aſſertio. *Peregr.*

(59) Sunt hæc geſta, atque ab Anſclentino *de Eccleſia Caſſinenſi* (ſic ſcripti Codices) ejus Monachi abſcedere juſſi, novo Regis Guilielmi furore exardeſcente in Papam Adrianum; quoniam, ut inquit Romualdus Salernitanus, non Regem illum, ſed dominum Siciliæ in literis ei datis appellaverat Adrianus. Quæ repellere, vindicareque damna, quinimmo toto Guilielmum Regno proturbare conveniens ſibi Pontifex ducens, tum alios minores, tum præcelſiores, præpotenteſque ea tempeſtate in hac Italia Dynaſtas in illum commovit: Comitem videlicet Lorotelli Robertum, aliis dictum, de Baſevilla; qui debitum, ut autumabat, ſibi Regnum cœpit invadere, & Richardum cognomento de Aquila (*de Ling.* dicit Robertus de Monte) Comitem Fundanum: in Petri Diaconi Chronico antiquioris editionis lib. 4. cap. 106. appellatum *Aquilanum*, qua vocabuli ambiguitate deceptus Sigonius lib. 11. de Reg. Ital. *Aquilanorum* nuncupatione perperam illum deſignavit. Cùmque eodem tempore Robertus 2. Capuæ olim Princeps, & Andreas Comes Rupiſcaninæ (oppidi hoc nomen in Epiſcopatu Allifano) frater Comitis, & Ducis olim Apuliæ Raynulfi ſpe fulti Friderici Imp. qui Romam eopſe anno ad ſuſcipiendam Imperii coronam advenerat, ex longo decem, & octo annorum exilio ad avitas recuperandas ditiones animo intenderent, opportunoque etiam Papæ Adriani favore roborati, atque (verbis dicam noſtri Anonymi) *audita morte Regis Guilielmi* (lectio hæc eſt è manu exaratis exemplaribus, quam firmant Robertus de Monte, Ugo Falcandus, & Guntherus in Ligurino lib. 5. non autem, ut habet editus Codex,

Digitized by Google

tus receſſit. Robertus Comes Lorotelli Regnum cepit invadere. Comes Richardus de Aquila cepit Sueſſam, & Theanum. Audita morte Regis Rogerii Comes Andreas cepit Comitatum Alifiæ. Robertus de Surrento cepit omnem Principatum Capuæ uſque Neapolim, & Salernum. Adrianus Papa adiit Beneventum. Robertus Comes Lorotelli cepit totam marinam, & caſtrum Bari diruit.

1156. Wilelmus Rex Siciliæ venit Brunduſium, (60) & cepit illud menſe Maji, die vigeſimooctavo, & deſtruxit Barum, deinde venit

dex, *audita morte Regis Rogerii*) *Comes Andreas cepit civitatem Alifiæ. Robertus de Surrento cepit omnem Principatum Capuæ uſque Neapolim, & Salernum.* Fuit autem hic *Robertus de Surrento* idem ille Princeps hujus nominis ſecundus, qui in anno 1127. teſte Falcone, ab Campano Archiepiſcopo *juxta prædeceſſorum ſuorum Privilegium, præſente Romano Pontifice Honorio in Principatus bonorem inunctus*, varios expertus deinde rerum caſus, eidem Falconi, & Alexandro Teleſino ſusè deſcriptos, bis à Rege Rogerio Principatu exutus: primùm ſcilicet in anno 1134., iterum in anno 1137. ad Imp. Conradum Lotharii ſucceſſorem profugus ſe trans Alpes receperat, quod Sigonius loco jam relato, neſcio tamen ex quibus antiquis edoctus monumentis, adnotavit. Ibique, defuncto Conrado, ad hos uſque annos manſerat, ut Guilielmi Tyrii auctoritas perſuadet lib. 18. cap. 2. *Exules quoque*, inquit, *quos tam ipſe* (Guilielmus) *quàm pater ejus de Regno ejiciens, bonis fecerat extorres paternis, viros inclytos, & armis potentes, Dominum videlicet Robertum de Surrento Principem Campanum, Comitem quoque Andream de Rupecanina, & alios multos exhortationibus ſuis* (Adrianus Papa) *provocaverat, ut in Regnum redirent, & ad jure hæreditario ſibi debitas accederent poſſeſſiones, &c.* Idem etiam innuit, quamvis noſtri Roberti nomen omnino reticet, Guntherus lib. 1. poſt deſcriptam Friderici Imp. electionem ſic canens.

„ *Nec minus Appuliæ Calabris qui ex finibus alti*
„ *Sanguinis hîc aderant proceres, quos ille locorii*
„ *Invaſor patriis migrare Rogerius oris*
„ *Juſſerat, & tota profugos regione fugarat,*
„ *Multaque flebiliter crudelia facta Tyranni*
„ *Dequeſti, patria ſeſe tellure fugatos,*
„ *Proſcriptoſque bonis.* ----- Subdit autem.
„ *Accipit hæc lætus Princeps, gaudetq; rogari,*
„ *Signaq; trans Alpes poſt prima biennia ferre*
„ *Regia, communi Procerum juramine ſancit,* &c.

Et lib. 4. enarrans receptas ab præfatis exulibus priſcas ſuas ditiones.

„ *Interea patriis Andreas finibus exul,*
„ *Atq; alii Proceres, Siculus quos ille Tyrannus*
„ *Appulia totis dudum proſcripſerat oris,*
„ *Seu poſtliminio Romani jure reverſi*
„ *Principis, injecta fines, ereptaque dudum*
„ *Jura, manu, firmaſq; urbes, & caſtra tenebant,*
„ *Omnibus attonitis.* Et iterum lib 5.
„ *Hic Comes Andreas Capuæ, proſcriptaq; turba*
„ *Nuper ab exilio noſtro ſub Rege reverſa,* &c.

Qui tamen poſtremus Guntheri locus Capuam quidem à ſuo anteriori domino receptam, etſi ſubobſcurè aperit, ſed ejus ſimul detegit indiligentiam, qui nullum agnoviſſe videtur Principem Robertum, congeminatoque errore Comitem Capuæ facit Andream de Rupecanina, Roberti conſanguineum: reclamante ſcilicet noſtro Anonymo, jam dicto Tyrio, Romualdo Salernitano, & Ugone Falcando, qui non *Robertum de Surrento*, ut alii, ſed *Robertum Surrentinum* illum dicit, quo indicio doctus, (alia nunc omitto pro mea hac opinione argumenta) ipſius Falcandi dictionem cultiorem alicubi modò haberi, quàm ipſe efformarit, paſſamque in multis judico novitatem. Hic itaque Robertus in anno vigeſimo octavo, ex quo primùm Capuæ Princeps fuerat ſalutatus, nempe in *anno Chriſti* 1155., *menſe Decembrio, Indictione quarta* (ex antiquis Chartulis hæc eſt temporis deſignatio, quas omnium primus palàm dedit amicus vir Michaël Monachus in ſuo Sanctuario) avitum Principatum tertia vice detinebat, quem in antecedente Septembri recuperarat, quamvis plerique recentiores, quorum anteſignanus, ac princeps extitit Thomas Fazellus in Decade poſteriore Rerum Sicularum lib. 7. cap. 4. hunc Robertum nuncupatum *de Surrento* alterum, ac diverſum ab Roberto illo ſecundo, ſtatuerunt, patriaque putarunt Surrentinum, ſed hunc commenti virum, coacti ſimul ſunt afferere, Regi Guilielmo uno, eodemque prorſus tempore cum duplici Roberto pro Campano retinendo Principatu rem fuiſſe, quo dicto nil abſurdius, nec ab antiquiorum narratione diſſonantius. Verumtamen qua occaſione Campanus Princeps Robertus hanc novam acceperit denominationem, comperti nil ego cùm habeam, minùs quidem peritè viri cæterùm docti egiſſe ſe videntur in re manifeſta, quandoquidem ſub ætate Nortmannorum, quorum tempore hæc acciderunt, haud cognomina ex urbibus, niſi aliquando, poſſeſſis, deſumi conſueverunt, ex quo ſanè more in antiqua Chartula à ſuperiùs dicto Michaële Monacho relata, Philippus quidam præſentis Principis Roberti 2. *avunculus*, idemque cognomine appellatus legitur *De Surrento*: quippe qui filius fuerat Sergii Principis Surrenti, ejuſdemque Sergii filia, Philippi ſoror, conjugio copulata Principi Capuæ Jordano 2. ſecundum hunc genuit Robertum, quod ex vetuſto Diplomate deſcripto in Latina Hiſtoria Neapolitana pag. 515. attentè idem amicus, & doctus vir obſervavit. Noſter igitur Robertus vitam ducens exulem, ex ignota nunc occaſione maternæ patriæ cognomen videtur uſurpaſſe, qui cùm filius fuiſſet Jordani 2. nepos Jordani 1. ac pronepos Richardi 1. Campanorum Principum Nortmannorum, *jure ſibi hæreditario debitam*, ut Tyrius loquitur, Campani Principatus poſſeſſionem repoſcebat, quod etiam affirmat Falcandus. *Robertus*, inquit, *Surrentinus à Capuanis ſuſcipitur, & hæreditario ad ſe jure pertinentem occupat Capuæ Principatum.* Quæ jura minimè ex materno, ſed ex paterno genere ei competere potuiſſe, eſt ſatis, ſuperque manifeſtum; nec in his diutiùs te, Lector, nunc moror.

(60) Qua celeritate univerſum ferè Apuliæ Ducatum, Capuæque Principatum Guilielmus amiſerat, eadem protinus recuperavit: ſibi repente conciliato Papa Adriano, *cum quo*, ut noſter perhibet, *paciſcens, ſecurè permiſit exire Regnum Comitem Lorotelli, & Comitem Andream* (ſic legendum hoc loco, & ad an. 1157. & 1158. bis, ex fide ſcriptorum Codd. non. *Comitem Andriæ*) *& alios ſocios eorum, prece ipſius Papæ.* Tyrius negat illis hoc permiſſum ex Adriani rogatu (Anonymo concordat Romualdus: Falcandus utrumque tacet) quinimmò tradit, *excluſos omnes alios à fœdere, qui Domini Papæ juſſionibus tantis ſe laboribus immerſerunt, & periculis.* Blondus nuperus auctor præ iſta, quæ tractamus tempora, in Hiſt. Dec. 2. lib. 2. perfidiæ noſtrates accuſat Barones; quoniam inſcio Pontifice, Regi concordaverant; quam planè narrationem ex Adriani Actis, ſicut pleraque alia ibi à ſe deſcripta, eſt mutuatus; ſed Baronius non hoc adversùs Tyrium præſidio Papam protegendum duxit, nam virum non fugit ſcientiſſimum, Barones illos ſola fuga, atque exilio vitam ſalvaſſe; quorum omnium unus Campanus Princeps Robertus ſub ipſa fuga captus *apud Garilianum* (ſic noſter habet in manu exaratis exemplaribus; male editus Codex, *apud Cajetam*) *in carcerem eſt ad Siciliam deportatus, ubi cæcatus eſt, & non poſt multum temporis obiit.* Tyrius de eodem. *Dum Garilianum*, inquit, *navigio tranſire parat, à ſuis vectoribus, cùm ſuos jamjam tranſituros expectaret, captus eſt.* &c. Item Romualdus Saler. *Jam Garilianum fluvium pertranſiens, Richardus de Aquila Comes Fundanus, qui homo ejuſdem Principis erat*

mit Beneventum ad Papam Adrianum, cùm quo pacifcens fecurè permiſu exire Regnum Comitem Lorotelli, & Comitem Andriæ, & alios ſocios eorum prece ipſius Papæ. Quo audito Robertus de Surrento fugit, ſed captus apud Cajetam in carcerem eſt ad Siciliam deportatus, ubi cœcatus eſt, & non poſt multum temporis obiit. Adrianus Papa coronavit Beneventi ſupradictum Regem Wilelmum, & confirmavit ei Regnum, & regalia B. Petri de Regno. Abbas Raynaldus recuperavit gratiam Domini Regis Wilelmi apud Salernum.

1157. Menſe Novembris Comes Andriæ cepit Terram Fundanam, & Aquinum, & terram S. Benedicti, deinde cepit Cominum.

1158. Comes Andriæ, VI. die menſe Januario cepit Sanctum Germanum, (61) & Raynaldus Caſſinenſis Abbas, & Alfanus Capuanus Archiepiſcopus, & quamplures alii Caſſinum conſcenderunt. Terra autem Sancti Benedicti reddidit ſe præfato Comiti Andriæ, qui ſequenti die aſcendit Caſinum, & acriter pugnavit, ſed nihil profecit; poſtmodum exivit de Regno. Imperator Conſtantinopolitanus fecit pacem cum Rege Siciliæ uſque ad triginta annos. Theutonicus Imperator in Lombardiam veniens, Mediolanum, & Cremam obſedit, quam tandem igne combuſſit.

1159. Obiit Adrianus Papa apud Anagne. Rolandus Cancellarius in Papam Alexandrum eligitur, & Octavianus à Monticello à paucis eligitur in Papam Victorem, qui perrexit ad Imperatorem Theutonicum in Lombardiam, & Papa Alexander manſit in Campania.

1160. Comes Robertus de Loritello, (62) & Comes Andreas intraverunt in Regnum: Maſenuti ceperunt Africam. Matthæus Borrellus interfecit Majorem Ammiratum apud Panormum.

1161. Incarcerati de Sicilia per vim liberati ſunt. Buteriæ rebellata eſt; ſed Rex eam capiens deſtruxit. Menſe Auguſti Luna duodecima obſcurata eſt.

1162. Alexander Papa per mare ivit in Franciam, & à Rege Franciæ, & Anglorum honorificè receptus eſt. Federicus Imperator deſtruxit Mediolanum, & ſubjugavit Lombardiam. Rex Siciliæ veniens in Apuliam deſtruxit Tabernam; deinde rediit in Siciliam; priùs tamen præcepit cuſtodiri diligenter Monaſterium Caſſinenſe.

1163. Menſe Julii fer. 4. Sol obſcuratus eſt. Rocca Gulielmi recepta eſt ab Aulicis Regis. (63)

1164. Menſe Aprilis, quartadecima die intrante, Victor ſchiſmaticus obiit apud Lucam; (64) & Guido Cremenſis in Papam Paſchaſium ordinatur.

1165. Alexander Papa per mare de Francia rediens Urbem intravit, qui à maxima parte Senatus, & à populo Romano honorificè receptus eſt.

1166. Rex Guilielmus obiit (65) decimaquinta die, menſe Maji, & Guilielmus filius ejus

(conjuraverat & ipſe in Regem) *poſitis inſidiis ipſum cepit*. Falcandus inſuper. *Per terram Comitis Richardi de Aquila ſecurè tranſiens, in tranſitu fluminis ab eodem capi juſſus, Regique traditus eſt. Eo facto Richardus gratiam ejus promeruit*. Sic uno conſenſu laudati Auctores. Sed indicta aliis omnibus notat Chronicon Ciccanenſe ad an. 1156. his verbis. *Captus eſt cum ſuo filio, & filia in Trajectu*. Et ad an. 1157. *Menſe Novembris venit Comes Andreas cum Romanis, Græcis, & aliis multis; acquiſivit totam terram Fundanam, & cremavit Trajectum pro vindicta Principis*. &c. Eò enim loci ſcaphis trajici Garilianus multò ante hæc tempora conſuevit, unde novo ibi oppido, quod non admodum ab ejuſdem fluminis refugit ripa, exque vicinis Minturnarum crevit ruinis, factum eſt nomen, *Trajecta*; qua forma in Capitulari enunciatur Principis Sicardi de anno 836. Num. 13. Et Roberti quidem ſecundi hic fuit vitæ finis, poſtquam tertia tandem vice Principatum Capuæ detinuiſſet à menſe Septembri anni 1155. ad Junium anni ſequentis, menſibus ferè novem; annumque numerare cùm cœpiſſet, ut Chartulæ antiquæ non unæ ſunt documento, *vigeſimumnonum* ab ſuſcepto poſt patrem Jordanum 2. Principatu, hoc eſt ab Januario anni 1127. Quocirca ex Campanorum Principum albo expungendus, qui nunquam in vivis fuit, nulliſque priſcis auctoribus eſt cognitus tertius, exterufque Princeps Robertus, ex patria ſive urbe, ſive gente falsò recentioribus reputatus, *De Surrento*. Cujus denominationis certa nos haud lateret nunc ratio, ni ſimul ſub alto ſcriptorum omnium ſilentio, de quo miror, Surrentinæ urbis omnino per Normannorum tempora lateret qui fuerint caſus. *Peregr.*

(61) Jam paulò ante monui ſcribendum: *Comes Andreas*, eſtque idem nomen reſtituendum in Roberto de Monte ad an. 1156. Item inferiùs ex Caſſinenſibus exemplaribus lege. *Terra autem S. Benedicti reddidit ſe præfato Comiti Andreæ* &c. non. *Terram*. ut in edito. *Peregr.*

(62) Totum hunc locum ad Scriptorum Codicum formam ſic reforma. *Comes Robertus de Loritellis, & Comes Andreas intraverunt in Regnum. Maſemuti ceperunt Africam. Matthæus Bonellus interfecit Majonem Ammiratum apud Panormum*. Quos autem noſter ad an. 1151. ſive 1152. bis dixerat. *Naaſſamonites*, pro, *Mnaſaemonites*, rectiùs nunc appellat *Maſemutos*, nam horum ſermo (quod teſtatur Livius Sanutus lib. 8. Geographiæ Terræ Africæ pag. 99. à ter.) nonnulla cùm retineat vocabula Araba, plerique fuere, qui eos ex Arabia Felici in Mauritaniam, quam incolunt, Tingitanam (Regnum hodie ferè eſt Marochi, ad montem Atlantem) digreſſos putarunt, & origine *Sabæos*, vel ut alii appellant apud Robertum de Monte ad an. 1152. *Moabitas*. At *Naaſſamonitæ* vel nulli unquam populi, vel iidem planè, ac *Mnaſamanes*, alias *Mæſamanes*, Ptolomæo deſcripti Geogr. lib. 6. cap. 7. in Tab. 6. Africæ, qui Arabiæ incolas illos facit. Sed in quodam Diplomate Petri Regis Aragonum apud Baronium ad an. 1097. num. 92. *moneta Maſemutorum*, quæ auri unciam valebat, dicta cùm ſit *Naſſamutina*; eſt hinc intelligere, nomen ejus gentis variè olim fuiſſe detortum, quod alii etiam aliter pronunciant: *Muſinudæ*, *Maſmudæ*, & *Mamudæ*. Cæterùm in anno ſuperiùs deſcripto captam ab iis accipe non eam Africam, latiſſimam ad Meridiem regionem,

„ *Italiam contra, Tyberinaque longe*
„ *Oſtia*:

ſed urbem in ejus litore, nomine *Mahdia* incolis, ut perhibet Fazellus in Hiſt. Siculæ Dec. poſt. lib. 7. c. 4. & alibi, Tuneto orientaliorem; de qua iterum noſter ad an. 1086. ſive 1087. Romualdus Salern. Ugo Falcandus non ſemel, Robertus de Monte ad an. 1180. Petrus Diac. in Auct. ad Oſtien. lib. 3. cap. 69. neſcioque an eadem acceptione S. Gregorius Mag. lib. 2. Ind. 10. epiſt. 30. *Peregr.*

(63) Scripti Codd. *à Balivis Regis*, ſcilicet, *à miniſtris Regis*, quod etiam ſonat id verbi apud Petrum Diac. lib. 4. cap. 103. *A Regis Balivis*, inquit, *ſecuritate accepta*. Qui autem propriè fuerint *Balivi*, alias *Bajuli*, & *Baillivi*, eorumque Magiſtratus *Balia*, & quàm multiplex etiam ejus nominis uſurpatio, hujus non eſt loci aperire. *Peregr.*

(64) In Cod. 199. ſed depravatè, *quartadecima die in Trano*, &c. Peregr.

(65) Scribe, *Theodinus*, ut benè editus habet Codex ad an. ſequentem, & utrobique ambo Scripti Codd. *Peregr.*

Digitized by Google

ejus coronatus est mense Julii. Raynaldus Abbas obiit mense Octobris. Theodorus electus est in Abbatem.

1167. Dum Imperator Fredericus oppugnaret Anconam, Raynaldus ejus Cancellarius expugnavit Romanos, ex quibus mille quingenti occisi sunt, vulnerati verò, & capti mille septingenti; quod audiens Imperator, captâ Anconâ, venit Romam, & combussit porticum S. Petri. Alexander Papa exiens Urbe, Beneventum venit. Mense Septembris obiit Theodinus Abbas, (66) & fuit maxima mortalitas.

1168. Guidus Abbas Venusinus ordinatus est in Abbatem Cassinensem. (67) Comes Gilbertus, & Berteraimus filius ejus expulsi de Regno Hierosolymam perrexerunt. Abbas verò Ægidius depositus est à Papa Alexandro, & reliquit procurationem Petro Cassinensi Decano.

1169. Robertus Comes de Loretello cum Rege Guilielmo concordatus est. Multa moenia diruta sunt à terremotu in diversis partibus.

1170. Alexander Papa rediens à Benevento recepit Tusculanum ad proprietatem Romanæ Ecclesiæ.

1171. Dominicus Abbas de Sabucino (68) electus est in Cassinensem Abbatem.

1172. Dominicus Abbas in Epiphania confirmatus est in Abbatem à Papa Alexandro apud Tusculanum. Luna decimaquarta obscurata est, & terremotus fuerunt. Rex Guilielmus cum Principe Hennico fratre suo venit in Apuliam, sed Princeps infirmatus rediit in Siciliam, & ibi mortuus est. (69) Dominus Rex venit Capuam, & inde pergens Salernum, reversus est in Siciliam.

1174. Mense Aprilis Dominicus Abbas obiit, Petrus Decanus electus est in Abbatem mense Augusti. Stolium Regis ivit Alexandriam. (70) Fredericus Imperator venit Lombardiam.

1176. Christianus Cancellarius Imperatoris, veniens super Cellis obsedit eam. Comes Rogerius Andriæ, & Comes Tancredus cum aliis Comitibus contra eum perrexerunt illuc.

1177. Alexander Papa ivit Venetias, & ibi fecit pacem cum Imperatore mense Julii in festo B. Jacobi Apostoli.

1178. Joannes Abbas Stumensis, qui vocabatur Papa Calixtus in decollatione B. Joannis Baptistæ Tusculanum ad pedes Domini Alexandri Papæ III. venit, quem postea Rectorem Beneventi constituit.

1179. Alexander Papa celebravit Concilium in Ecclesia Lateranensi mense Martii, ubi fuerunt Episcopi numero triginta & unus, (71) exceptis Cardinalibus, qui fuerunt viginti duo, & exceptis Abbatibus, qui præ nimia multitudine numerari non potuerunt, ubi Sancta Synodus promulgavit capitula vigintiseptem.

1180.

(66) Uterque scriptus Codex Cassin. *& combussit Porticus S. Petri*, exque iis subsequentia sic distingue. *Alexander Papa exiens urbe, Beneventum venit Mense Septembri. Obiit Theodinus Abbas.* &c. Româ cum discesserat Alexander, mense Augusti, ut ejus perhibent Acta apud Baronium hoc anno, perque Terracinam, & Cajetam transiens, non ante Septembrem Beneventum pervênit. *Peregr.*

(67) *Ægidius* dicitur, non *Guido* in MSS. exemplaribus constanti scriptura hîc, & infra, quam ibi editus etiam tetinet Codex. *Peregr.*

(68) Scripti Codd. *de Sabucino*. Peregr.

(69) Paulò pinguiùs hæc de Regis Guilielmi secundi in Apuliam adventu, deque morte ejus fratris Henrici Romualdus Salernitanus; quem dicit à patre Guilielmo primo institutum Principem Capuæ post obitum alterius filii nomine Roberti (fuerat hic quoque Campanus Princeps ab anno 1158. nec dum novi quo anno decessit) annumque vitæ decimum tertium agentem præscripto anno 1172. fato functum assentitur. Diem ejus obitus sic præfert Emortuale Cassinense. *XVI. Kal. Julii. Henricus Capuanus Princeps.*, cujus extat etiamnum Tumulus in Ecclesia Montis Regalis, Joanni Aloysio Lelli, & Georgio Gualtherio in antiquis Tabulis Siciliæ relatus; ibique etsi defunctus ille perhibetur in anno Christi 1170. iis versibus

„ *Mille decem deciès, deciès septem datus annus*
„ *Te tollit, postquam carnem prius induit Agnus.*

id Romualdo, nostroque haud adversatur Anonymo, qui communem Christi secuti sunt Æram. Quandoquidem præfati Tumuli Siculus planè Auctor minimè eandem, sed aliam Sicilienfibus usu receptam usurpasse videtur Epocham, in Tumulo etiam Regis Rogerii observatam; in quo duo pariter anni prævertuntur, defunctusque traditur Rogerius in anno 1153. quem plures nostrates antiquæ chartulæ viventem faciunt in anno 1153. obiisseque complurium etiam Auctorum testimonio constat in anno 1154. ut dictum est supra, eundem quoque calculum ab Lupo observatum in designanda Epocha adventus Langobardorum in Italiam, fuisseque integro biennio ab eo anticipatam, non hoc repetam loco. Quod quidem Brochronismum ad Græcorum sententiam, qui Natalem Christi, ut notavit Joannes Georgius Heruvartus in nova sua Chronologia, biennio citiùs figunt, docto ne credas viro accommodatum. Nam Græci, eodem Heruvarto monitore cap. 208. 234. 337. 269., & alibi, suo illo ratiocinio ducti, *annos Christi biennio plus numerant, quàm nos vulgò solemus*; & sanè Lupus Langobardorum adventum, quem nostri ad annum figunt 568. minimè retulit ad annum 570. sed 566. Redeo itaque ad Principem Henricum, Ugoni etiam Falcando memoratum, ubi de Regis obitu Guilielmi I. *Qui*, inquit, *Guilielmum majorem filium post se Regni successorem constituit: Henricum verò Principatu Capuæ, quem dudum ei concesserat, voluit esse contentum.* Sic quidem cavit Rex ille, Romualdo insuper id ipsum affirmante his verbis: *Testamentum fecit, in quo Guilielmum filium suum majorem, totius Regni haeredem instituit, Henrico alteri filio Principatum Capuæ, quem concesserat, confirmavit.* Quocirca ex certissimis documentis cum constet, fuisse hunc Henricum Capuæ Principem, investigent, quæso eruditiores, cur ejus nomen datis tunc Chartulis, atque Notitiæ Judicati editæ à me lib. 1. Hist. PP. Langobard., quæ de anno est 1171. quando ipse vivebat Princeps, præfixum de more haud fuerit. Nam quod sub tutore, Rege scilicet, ac fratre ejus Guilielmo II. urpote ætate minor, ipse vixerit Henricus, erit, fortè, hæc rei gestæ ratio perquam verosimilis, at Regem, quem summæ bonitatis concelebrat fama, minùs in fratrem benevolum: quin & injustum prodit, vel ex patris Guilielmi Primi, & Rogerii Avi exemplo; qui filiorum suorum Amfusi, Guilielmi, & Roberti Capuæ Principum nomina chartulis post sua superscribi permisere, voluereque. Sed de his aliàs. *Peregr.*

(70) Interpungenda ista, ut in Codice 199. *electus est in Abbatem. Mense Augusti Stolium*, &c. Tertius scriptus Codex præter consuetam in singulis annis usque ad an. 1188. anticipationem, hoc loco annum præfert MCLXXII. & statim annum MCLXXIII. deinde iterum annum MCLXXII. utique mendosè; quos ad oram nescio quis, sed juxta ibi servatum recensuit Prochronismum. *Peregr.*

(71) Scripti Codd. *Episcopi numero* CCCI. &c. quibus adstipulatur Guilielmus Tyrius lib. 21. cap. 26. *Peregr.*

Digitized by Google

1180. Hoc anno homines Sancti Germani perrexerunt ad Dominum Regem apud Meſſanam, ut concederet illis privilegium contra Monaſterium, ſed nihil profecerunt. Lando intruſus, qui eſt Papa Innocentius dictus, apud Palumbaram cum ſociis captus, ad Cavas eſt in exilium deportatus.

1181. Alexander Papa obiit apud civitatem Caſtelli, & Ubaldus Oſtienſis Epiſcopus ordinatur in Papam Lucium apud Velletrum. Dominus noſter Rex fecit treguam (72) apud Panormum cum Rege Maxamutorum uſque ad decem annos, menſe Auguſti.

1182. Tribus diebus infra octavam Epiphaniæ tam maxima venti procella deſævit per totam Italiam, quòd homines plures, & beſtias interfecit, arbores exaruit, & herbas ad radices deſtruxit. (73) A quinque annis, & infra fames fuit tam valida per totam Italiam, quòd diverſis in partibus ſauma tritici pro auri uncia non poterat inveniri, & omnium frugum terræ ſterilitas maxima, & plures homines præ nimia fame herbas comedentes agreſtes deperierunt.

1183. Rex Guilielmus Siciliæ Secundus, venit ad Montem Caſſinum ſeptimo Kalend. Februarii, & alio die (74) versùs Capuam remeavit. Lucius Papa III. apud Velletrum promovit Guilielmum Abbatem S. Mariæ Regalis de Panormo in Archiepiſcopum Montis regalis. Chriſtianus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus obiit apud Tuſculanum. Homines Malſenſes deſtruxerunt Rapollam.

1184. Nono Kalend. Junii Terremotus adeò magnus, & terribilis fuit per totam Calabriam in Valle de grati (75), & vallem de ſinu Eccleſiæ omnes (76), & omnia ædificia murorum corruerunt, & Rufus Cuſentinus Archiepiſcopus, & multi alii ſub murorum præcipitio ſuffocati ſunt. Caſſinenſis Eccleſia commutationem fecit cum Roberto Caputaſino de Selectano cum Caſtro Fella. Lucius Papa dimiſſo Comite Bertoldo ad defenſionem Campaniæ, per Vallem Orbeti Veronam acceſſit ad colloquium cum Imperatore.

1185. Pax firma inter Imperatorem Fredericum, & Regem Guilielmum facta eſt. Rex Guilielmus Siciliæ copioſum exercitum in Romaniam tranſmiſit, qui civitatem Durachiæ, & civitatem Saloniquium ceperunt. Præfatus Rex Conſtantiam amitam ſuam tranſmiſit in conjugem ad Illuſtrem Regem Henricum filium Frederici Imperatoris. Novum genus hominum, qui Vendicoſi dicebantur, in quadam parte Regni ſurrexit, quos prædictus Rex ſuſpendi fecit, & diverſis pœnis affligi. Supradicto ſtolio Regis, fraude, & vi Græcorum poſtmodum fortuna eſt adverſata. Lucius Papa apud Veronam obiit VII. Kalend. Decemb. & Archiepiſcopus Mediolanenſis in Papam Urbanum eſt ſubſtitutus. Baldovinus Rex Hieroſolymitanus obiit, & Baldovinus filius ſororis ejus eſt factus Rex. Andronicus Conſtantinopolitanus obiit, & Iſacius factus eſt Imperator.

1186. Domnus Petrus Sacerdos, (77) & Abbas Caſſinenſis obiit VIII. Idus Julii.

1187. Saladinus menſe Maji Chriſtianos devicit; iterum in Junio in alio conflictu victoriam obtinuit. In Septembri 4 Idus Hieruſalem cepit. Exiens Papa Urbanus de Verona, & Ferrariam veniens, obiit. Magiſter Albertus Beneventanus, Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Lucina, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarius, in Papam Gregorium Octavum eſt ſubſtitutus, & veniens in civitatem Piſanam obiit V. Kalend. Januarii. (78) Paulus natione Romanus, & Epiſcopus (79) Clandeſtinus in Papam Clementem eſt ſubſtitutus.

1188. Papa Clemens à Romanis (80) magnificè eſt receptus. Roffredus de Inſula VII. Idus Julii in Caſſinenſem Abbatem honorificè eſt receptus.

1189. Guilielmus Rex Siciliæ ſine liberis, & teſtamento moritur. Panormi oritur inter Chriſtianos, & Sarracenos diſſenſio. Sarraceni multa ſuorum ſtrage facta exeunt, & inhabitant montana. Roffredus Caſſinenſis Abbas futurorum providens, cum vicinis Comitibus, & Baronibus confœderatur.

1190. Tancredus Comes Licii, (81) qui apud Trojam cum quibuſdam aliis juraverat fidelitatem Conſtantiæ uxori Henrici Regis Theutonicorum, & filiæ quondam Regis Rogerii, Panormum vocatus à Magnatibus Curiæ,

(72) Vixit igitur hic Anonymus per tempora ejuſdem Regis, & poſt. Cæterùm qua occaſione Rex Guilielmus II. cum Maſemutorum, & Marochi Rege inducias fecerit, quod hoc loco notat Anonymus, vide Robertum de Monte ad an. 1180. *Peregr.*

(73) Scribe, *extraxit*, & paulò poſt, *pſauma tritici*, ut in exemplaribus. *Peregr.*

(74) Mutilus eſt hic locus in Codice edito, quem uterque ſcriptus integrum præfert ſic, *ven. ad Mon. Caſs. ſept. Kal. Febr. ubi eo die pernoctans, & ſequenti die ibidem permanens, poſt Solis occaſum deſcendit. Alio die à S. Germano rediens, per Mortulam ..... per Sueſſam versùs Capuam remeavit*, &c. & infra, *homines Amalfenſes*, non, *Malſenſes*. Peregr.

(75) Locus corruptus *Carac.*

(76) Putabat vir doctus corrupta verba illa, *in Valle de grati*; ſed non ſunt: ſic enim dicta olim, atque etiamnum dicitur Vallis, regioque percelebris in Calabria citeriori ſupra Conſentiam ad Septemtrionem, Tarentinum aduſque ſinum porrecta, quam præterfluit flumen Crathis, vulgò *Grati*, unde illi nomen, Regiiſque frequentiſſimè Tabulariis, nec non Richardo de S. Germano ad an. 1234. memorata. Corrupta certè ſunt verba illa. *Vallem de ſinu*; quorum loco neſcio an reſtituendum, *Valle de Salina*, ſive *Salinarum*, à Gaufredo Malat lib. 1. cap. 21. deſcriptam prope urbem Rhegium: in Calabria ſcilicet ulteriori; ita ut utramque penè Calabriam Terræmotu hoc concuſſam fuiſſe intelligamus. Nec ſinè mendo in Codice edito, *Caſtro Fella*, &, *Comite Bertoldo*, quæ in Manuſcriptis ſunt, *Caſtro Sella*, &, *Comite Bertolfo*. Peregr.

(77) Mancus locus, ſupplendus ex exemplaribus ſic, *Dom. Petrus de Inſula Sacerdos, & Abbas Caſſinenſis in ſancta confeſſione obiit* &c. *Peregr.*

(78) Deeſt denarii nota, nam ſcripti Codd. defunctum notant Papam Gregorium *XV. Kal. Januarii*, eique ſubſtitutum Paulum Epiſcopum *Prænestinum*, non, *Clandeſtinum*. *Peregr.*

(79) Al. *Prænestinus*. Carac.

(80) In tertio ſcripto Codice nulla ad hunc annum notantur geſta; ſed ea tantummodo Librarii legitur admonitio, ſuperiùs mihi bis deſcripta, qua ſuam ipſe faſſus incuriam, reliquos annos recto ordine digeſturum ſe ſpondet. *Peregr.*

(81) Pluries hoc loco in edito Codice adversùs manu deſcriptos peccatum; in quibus, *Rogerius, Andreas* (non, *Andria*) *& Richardus Caleni Comites* &c. & infra. *Cui etiam munitiones blanditiis Riccardi Acerrarum Comitis cognati ſui inducta ſe reddunt. Idem Comes Romanorum, & Campaniæ, & Regni collecto magno exercitu*, &c. poſtmodum, *muniunt civitatem Ariani*, iterum, *fide rupta capit; & redit cum exercitu contra Capuam, & Averſam*, &c. Peregr.

Digitized by Google

riæ, de assensu, & favore Curiæ Romanæ coronatur in Regem mense Januarii. Rogerius Andriæ, & Richardus Caleni Comites, melius suæ fidei memores cum quibusdam aliis Tancredo resistunt, sed differente suprascripto Rege Henrico in Italiam venire, Tancredus Apuliam ferè totam, & Terram Laboris sibi subjicit, cui etiam Munitiones, blanditiis Acerrarum Comitis cognati sui, inductæ, se reddunt. Item Comes Acerrarum, de Campania, & Regno, collecto magno exercitu pro expugnandis Capuanis, & Aversanis terram S. Benedicti aggreditur. Rex Henricus Henricum Testam cum exercitu mittit in Regnum, qui per Amiterninas, & Theatinas oras, intrans, plurima loca incendio, prædaque consumpsit, qui junctus cum prædicto Comite Rogerio in Apuliam vadunt, locaque quamplurima depopulantur. Cornitum capiunt, & incolas compellunt exulare; contra quos exercitus Tancredi muniunt civitatem Airani, & loca vicina, metuentes bello campestri pugnare. Theutonici verò aliquandiu eos obsidentes, tum æstatis fervore, tum penuria depressi obsidionem solvunt, & de Regno exeunt. Comes Acerrarum invalescit, & supra dictum Comitem Rogerium dolo ad concionem vocatum, fide rupta capit. Redit cum exercitu Capuam, & Aversam. Capua se reddit improvido consilio, sicut semper usa, cùm jam Rex Henricus, cui favebat, appropinquaret. Fredericus Imperator Romanorum, supradicti Regis Henrici Pater, qui cum ingenti exercitu Hierosolymam iverat pugnaturus contra Saladinum, qui terram illam occupaverat, in flumine moritur. Henricus ejus filius Italiam ingreditur.

1191. Obiit Papa Clemens mense Martii. Jaquintus Diaconus Cardinalis in Papam Cœlestinum consecratur, à quo supradictus Rex Henricus apud Sanctum Petrum in Principem Romanorum coronatur mense Aprili. Tusculanum Romanis conceditur destruendum. Henricus Imperator unà cum supradicta Constantia Imperatrice per Campaniam descendens in Regnum, Roccam Arcis violento capit insultu. Quod factum (82) suos in audaciam, & nostros sic inducit in diffidentiam, ut jam nec loca munitissima de resistendo cogitentur: unde Sorella, Atinum, & Castrum-Celli non tam bello, quàm stupore devictæ, se reddunt. Abbate Roffredo apud Montem Cassinum ad mortem penè infirmato, habito tractatu inter legatos Imperatoris, & Conventum Cassinensem, qui multùm Imperatori favebat, vocati sunt homines S. Germani, & ibi de mandato Decani, & Conventus juraverunt. Imperator, & Imperatrix primùm rectâ viâ, post Imperatorem per Soram, & Atinum, Cassinum venerunt. Conventus eis jurat, Abbas minimè, sed obsides dat Post aliquot dies veniunt in Terram Laboris, nullo resistente, præter civitatem Neapolitanam, in qua receptaverat se cum suo exercitu supradictus Comes Richardus. Imperatrix Salerni recipitur, & moratur. Imperator Neapolim obsidet, à mense Maji usque ad mensem Augusti, & tum infirmatus obsidionem deserit. Per Campaniam redit Cassinum, pro Imperatrice mittit, sed eam Salernitani, fide rupta, detinentes, ad Regem transmittunt. Imperator infirmus majori parte suorum aëris intemperie mortua, captis obsidibus de Sancto Germano, & secum ducto supradicto Abbate, redit in Theutoniam mense Septembris. Comes Richardus cum exercitu, & Neapolitanis, egrediens, Capuam capit civium proditione, ubi multi de Theutonicis gladio pereunt. Conradus Musca-in-cervello, in Castro Capuano aliquandiu resistit; tandem compositus cum Comite cum suis exiit illæsus, Capuæ nobilibus, qui cum eo erant, carceri deputatis. Stultus Paganus Castellanum Atini Theutonicum egredientem gladio dejicit, & Atinum pro parte Regis occupat. Comes Richardus recuperatâ Terrâ Laboris, in Venafro Comitem Rogerium Molisi obsidet, quo se redempto ad S. Germanum venit, eumque quorumdam civium Regi faventium, scelerata factione, obtinet. Atenulphus Cassinensis Decanus, relictus ab Abbate procurator in Cassino se recipit, & cum Monachis obsessus à Comite viriliter resistit. Comes, in Damanium Regis, captâ Terrâ S. Benedicti, redit in Terram Laboris, mense Novembri. Legati Curiæ Romanæ Cassinense Monasterium, Decanum, & Monachos interdicunt; nec hoc tamen separat eos ab Imperii charitate.

1192. Decanus cum Diopulto Castellano Rocchæ Arcis, mense Januario, collecto exercitu de Campania, & Romanorum, descendentes per montem invadunt Sanctum Germanum. Balivi Regis, Monachi, & Laici, Regis fautores in fugam se vertunt. (83) Cæteri non tam dominio resistere valentes, quàm contra violentiam prædonum se tuentes, magna intrantium strage facta, eos repellunt, donec viso Decano, in manibus ejus, se reddunt. Juramento impunitatis à magnatibus exercitus recepto, qui tamen obsides capiunt, & auferunt victualia. Idem Castellanus Soram capit; deinde simul cum Decano capiunt Plumbariolam, & Pinnatarium, ubi multa strage facta inhabitant, & consumunt omnia. Rex Tancredus veniens in Apuliam vadit usque Piscariam; & totam inde Regni terram sibi subjicit, præter Comitem Caleni, cum quibusdam Baronibus, deinde per Terram Laboris redit in Siciliam, relicto Capitanio Richardo Comite Caleni, qui jam se reddiderat. Rogerius de Foresta Castellanus Atini Castrum Sancti Eliæ capit. S. Germanum collecto exercitu ab una parte obsidet, & usque ad muros violento insultu expugnat: labores consumit, & exportat; Caream, & alias Villas igni commen-

(82) Sub uno etiam fasce emendatiora ex scriptis Codd. hic dabo, quæ editus tum manca, tum depravata profert. Scribendum itaque. *Quod factum. suos in audaciam, & nostros sic inducit in diffidentiam, ut jam loca, etiam munitissima, de resistendo non cogitarent. Unde Sorella, Atinum*, &c. deinde, *& ibi de mandato Decani, & Conventus juraverunt Imperatori. Imperatrix primùm rectâ viâ post Imperatorem per Soram, & Atinum, Cassinum venit*, &c. infra verò, *obsidionem deserit. Per Capuam redit Cassinum*, &c. *Peregr.*

(83) Et has cursim non magni momenti demonstro ex exemplaribus sinceras lectiones. *Cæteri non tam dominio resistere volentes, quàm*, &c. aliquantò post, *capiunt Palumbar. & Pinnatarium*, mox, *præter Comitem Celani*, inferiùs, *violento insultu oppugnant*, postea, *violentos faciunt insultus; sed Decanus, sicut in Monachatu monachicum, sic in bello*, &c. ad hæc, *& Abbatis sui relicturum. Inde Castellanus sævit*: deinceps, *milites Abbati concedit, cum quibus rediens*, &c. demum, *cosina frumenti plusquam unica auri, & psauma vini similiter, & cafisa Olei tarenn. V.* Peregr.

mendat ; sed ut prædictus Comes Caleni cum magno exercitu in obsidione Civitatis apud Sanctum Angelum diu moratur. Qui ex condicto pariter venientes, violentos facit insultus, sed Decanus sicut in monachatu monasticum, sic in bello militarem gerens animum, absente Diopulto, per se urbem tuetur, suos animat, portas reserat, & vigili cura discurrens ad omnes insultus se objicit, ita ut, si possibile sit, uno momento portis omnibus adsistere cernatur, mense Junii; Comes autem contra constantiam, ac animositatem Decani se videns non proficere, ab insultu cessat, & de viribus diffidens spem in corruptela reponit, & quem bello non potuit expugnare, blanditiis, & muneribus attentat. Sed & Castellanus Atini captum à militibus Regis fratrem Decani variis tormentis affligit, cujus liberatio Decano offertur, aurum promittitur, cujuslibet in Regno dignitatis optio datur; sed fidelis animus, nec avaritiæ cedit, nec ambitioni; quinimo tormenta dissimulans jurat, se toleraturum magis ante oculos suspensionem fratris, quàm fidem Imperii, & Abbatis sui relicturum. Ille in Castellanum sævit, montana castra Sancti Benedicti capit, & deprædatur. Imperator Bertoldum Comitem cum exercitu mittit in Italiam, & cum eo remittit supradictum Abbatem, sed Bertoldus in Tuscia demorans, milites Abbati concedit cum quibusdam rediens Ceperani adloquitur supradictam Imperatricem jam à Rege remissam, ducentibus eam Cardinalibus ad hoc missis à Papa, qui putabat Romæ cum ea de concordia tractare. Sed eadem Augusta Urbis declinat ingressum, & per Tiburim in partes Spoleti recipitur. Applicat Abbas cum militibus, qui die quadam cum Decano euntes Atinum, Cancellos diruunt, magnam partem Atini deprædantur, & comburunt, cepissentque castrum, si consilio Decani stetissent. Sed Theutonicus furor eodem, quo venit impetu, recessit. Iterum eâdem viâ Cominum intrant, Gallinarium capiunt, & inhabitant; post dies aliquot, milites, qui conduxerant Abbatem, recedunt, paucis remanentibus. Abbatia ex parte favet Abbati. Castrum Sancti Angeli solita perfidia induratum, hostiliter resistit, latrunculos conducit, qui per sylvas, & loca opportuna insidentes, prædam eis referant. Castellanus Atini iterum invalescit, montana castra S. Benedicti capit, & tam ipsa, quàm castrum Sancti Eliæ gladio, prædia igne dissipat, & affligit. Inter has angustias adeò fames invaluit, ut sæpe apud Sanctum Germanum venderetur coscina frumenti plusquam una uncia auri, & sauma vini similiter, & capisa olei tarì quinque. Diopultus auxilio Abbatis collecto exercitu, Aquinum, ubi milites Regis erant, obsidet, & militibus exeuntibus obtinet, inde sic invalescit, quòd omnia vicinia usque Suessam deprædatur, & affligit. Prædictus Bertoldus Amiternum, & Valvas mense Novembri recipiens, subitò descendit in Comitatum Molisii, & Venafrum primo insultu capiens, usque ad consumptionem inhabitat. Obtinet castra vicina, in quorum quibusdam milites Regis capit. Rex Angliæ Hierosolyma rediens, in Theutonia captus, Imperatori datur. Post modicum liberatum, & secum retentum, Imperator, recepta ab eo fidelitate, coronat, & Regnum ejus auget.

1193. Bertoldus, relictis in Comitatu Molisii Conrado Musca-in-cervello, redit (84), & ducit in uxorem sororem Comitis Berardi, relictam Comitis Roberti de Caserta. Diopultus in prædam discurrens versùs Campaniam, gradientem contra se Comitem Caleni capit, & transductum in Rocca Arcis captivum servat, & præda tali glorioſus usquequaque per Terram Laboris licenter jam discurrit, & deprædatur. Suprascriptus Abbas, exercitu collecto, recuperat Castellum-novum, & alia vicina Castra, pacto de reddendo se statuto tempore, nisi erit eis à Rege succursum. Castrum Sancti Angeli foris devastat, Bertoldus redit in Comitatu Molisii. Rex Tancredus in Apuliam veniens recepit filiam Imperatoris Constantinopolitani, in uxorem Rogerio filio suo dudum in Regem coronato. Exinde, collecto exercitu, venit ad Montemfuscum, contra quem Bertoldus castra movens, tentoria figit apud Paludam, ubi die belli condicto pugnare volentem Regem, quidam de suis retrahunt. Inter moras autem exercitus Imperialis penuria coactus redit in Comitatum Molisii. Rex verò transiens vi capit Roccham Sanctæ Aghates, & castrum Sabiniani, ubi plures de Theutonicis captos, extremo supplicio damnat. Bertoldus Castrum Montis Rodonis obsidet, quia fidem ruperat, sed die quadam suas machinas exteriùs instruens, de machina interiori emisso lapide percussus moritur. Conradus supradictus parte quadam exercitus dilapsa, Dux eligitur ab aliis. Obsidionem non deserit, donec Castrum vi capit, proditores in circuitu suspendit; consumptisque rebus castrum ipsum incendio primùm, deinde ruina usque ad solum evertit. Rex Tancredus, prosperis successibus animatus, venit in Terram Laboris, obsidet Casertam, donec Comes Guilielmus reddit se; deinde obsidet Torsam, & ipsi se reddunt, obsidibus datis. Conradus transit in Vallem Forconi, exercitum recreat, captis terris, quæ reddiderant se Regi. Rex venit Theanum, sperans ad se revocare supradictum Abbatem, sed vir consilii futurorum providus, & justitiæ conscius, nec muneribus Regis, nec terroribus Sedis Apostolicæ potuit inflecti. Rex ægritudine correptus rediit Siciliam, quo recedente, Conradus Cominum intrat, & devastat, & deducto Comite Caleni, recipit Diopultus Roccham Montis-draçonis. Conradus verò in Apuliam transiens loca immunita cepit, munita deprædatur, & devastat.

1194. Suprascriptus Rogerius (85), filius Tancredi obiit, post quem & ipse coronato Wilelmo filio suo decessit. Imperator exercitu col-

(84) Scripti Codd. *Bertoldus relic. in Comit. Mol. Conrado Musca, & Diopulo, redit* &c. Facit hos quoque duplices Bertoldi administros Richardus de S. Germano ad an. 1193. à quo tamen secundus ordine non *Musca*, sed dicitur, *Muscaincervello*. In Anonymo autem dein legendum, *egredientem contra se Comitem Caleni*, non, *gradientem*, & inca. *Pacto facti de reddendo se*, &c. & iterum, *venit ad Montem Fusculum*, non *Montem Fuscum*, postremò, *deinde obsidet Aversam, & ipsi se reddunt*, non, *obsidet Torsam*, quæ lectiones omnes sunt è Manuscriptis Codicibus. *Peregr.*

(85) Duo præter fidem Codicum Cassinensium malè hìc cusa: sed levia, alterum est, *& in præbendam exercitus addictis*, non, *in prædam*, alterum, *Calatabillota*, non *Calatibillotta*. Peregr.

Digitized by Google

collecto, menſe Junio, Italiam ingreditur, Piſis, & Januæ parat exercitum navalem, & eo miſſo ipſe in Regnum deſcendit, omnibus ſe reddentibus præter Atinum, & Roccham Wilelmi. Capuani, & Averſani nec ſe reddunt, nec obſidentur. Neapolitani ex pacto jam Piſis habito, ſe reddunt. Imperator tranſiens, Salernum vi cepit, & in ultionem ſuæ injuriæ habitatores partim gladio, partim carcere, nonnullos exilio damnat, rebus publicatis, & in prædam exercitus addictis Deinde tranſit in Apuliam, & nullo reſiſtente per Calabriam venit Meſſanam. Wilelmus novus Regulus dimiſſo palatio matri, recipit ſe in caſtrum munitum, quod dicitur Calatibilotta. Quo viſo populus Panormitanus Imperatorem vocat, at ille præmiſſis nuntiis, & fœdere facto cum Regina, de dando ſibi Comitatu Licii, & filio Principatu Tarenti, properat, & magnificè Panormum ingrediens, in Palatium recipitur, nec multò poſt idem Regulus fortunam cum corona deponens, ad pedes ejus venit.

1195. Imperator ſolemni Curiâ (86) in Palatio habitâ, oſtenſis litteris, quas conſpiratione quorundam Magnatum Regni factas dicebat adversùs eum, eundem Vvilelmum quondam Regem, modò Principem factum, & plures Comites, ac Regni Magnates in vincula conjecit. Conſtantia Imperatrix filium parit in Marca Anconitana, quem in auſpicium cumulandæ improbitatis, inculcatis Avorum nominibus Fredericum Rogerium, ſeu Rogerium Fredericum vocat. Roffridus Caſſinenſis Abbas, non ſegnis, Panormum vadit, ibique donum Atini, & Malveti ab Imperatore ſuſcipit, qui rediens obſidet Atinum. Rogerius ſupraſcriptus videns ſe non poſſe reſiſtere, reddit ipſi Atinum, recipiens caſtrum S. Petri in fine. Imperator in Apulia redit, & conjunctus cum Imperatrice curiam ſolemnem habuit, qua finita, ipſe in Theutoniam rediit, Imperatrix in Siciliam vadit.

Hoc Chronicon videtur continuatum fuiſſe ab alio Scriptore, in alio Cod num. 199. in quo etiam ſcriptum eſt antiquis litteris Langobard. Chronicon Caſſinenſe Leonis Marſicani; Continuatur autem hoc modo.

1196. Dictus Imperator de Alemannia rediens ivit Panormum, ubi, ſicut Deo placuit, diem clauſit extremum. Tunc exiens de Regno damnatæ memoriæ Marcuvaldus Conſiliarius ejus, & aliquantulum commorans in Marchia Anconitana, mortua Panormi jam dicta Imperatrice rediens ille ad Regnum cum multo exercitu perditorum, & veniens cepit Sanctum Germanum, & totam terram Sancti Benedicti diſſipavit ſimul, & ex magna parte combuſſit, tradens ſpolia habitantium in ea, exercitui ſuo. Nonnulla quoque altaria, inquorum manibus. Reliquiarum abſtractione, violata ſunt. Obſedit autem & Monaſterium Caſſinenſe, ubi ſe concluſerant duo Cardinales, qui venerant ex parte Domni Innocentii III. cum multis militibus de Campania in auxilium terræ. Sed Domnus Abbas prædictus ferre non valens multitudinem virorum, & mulierum, qui ſe ibidem receperant, datâ illi pecuniâ numeratâ, fecit eum de terra exire, commendato ab illo dicto Diopulto, Caſtello novo, Caſtello Fractarum, & Pontecurvo.

1197. Vadit ille Marcuvaldus Panormum, & illic recipiens quaſi in cuſtodiam dictum filium Imperatoris, cùm tribulaſſet multos ibi; & ipſe miſerabiliter expiravit.

1198. Dictus Diopultus, cui hæſerat omnis ille exercitus perditorum, cùm apud Venafrum juraſſet ſatis ſolemniter treguam, & pacem Domino Abbati, & hominibus Sancti Germani per fraudem de nocte veniens cepit Sanctum Germanum, & multos de habitatoribus captivos tenens, omnia diripuit, quæ inventa ſunt, inferens quæcumque mala potuit, ſicut erat moris ejus, omnibus caſtellis Monaſterii, & habitatoribus eorum. Exivit autem de civitate, ſed vix ibi poterat aliquis ſinè timore, & tremore habitare.

1201. Gualterius Comes Brennenſis mittitur in Regnum à Domino Papa Innocentio, & fretus auxilio Abbatis noſtri, dictum Diopultum apud Capuam cum multo exercitu contra eum venientem fugavit. Diripuit omnia, & cunctum ejus exercitum diſſipavit, capiens nonnullos eorum, & alios in fugam convertens 4. Idus Junii. Civitas Venafrana tota combuſta eſt in vigilia Sancti Joannis Baptiſtæ. Cum auxilio dicti Comitis Gualterii Dominus Abbas caſtellum Pontecurvum, Caſtellum novum, & Fractas recuperavit, datis Richardo de Aquila, qui tenebat illa per dictum Diopultum Eccleſia Sancti Magni in vita ejus, & Molendino de Repoſorio apud Sanctum Germanum, & tenimentis dicti Petri de Manſo.

1202. Fames valida per Regnum exorta eſt, unde nonnulli hac inopia coarctati mortui ſunt.

1203. Dictus Diopultus in caſtello Summæ, tentus eſt, qui tandem evaſit ſuis promiſſionibus deceptoriis. Comes Richardus de Aquila cepit Sueſſam.

1204. Dictus Comes Gualterius cepit Tarracinam, de Salerno, (87) & licèt aliquantis diebus ibi à Diopulto fuerit adeò coarctatus, ut carnes equorum cum ſuis compulſus ſit edere, auxilio tamen Comitum, & Baronum, cum quibus juraverat homagium, liberatus eſt, & ipſum Diopultum cum ſuis omnibus de tota civitate Salerni ignominiosè fugavit, obſeditque Terram Majorem per multos dies, & eos, qui ſe ibi concluſerunt, ad omnem inopiam coarctavit.

1205 Menſe Januario dictus Comes Gualterius apud Sarnum cum ſuis decumbens (88), minùs

(86) In Codice 199. qui hoc loco deficit, textus iſte ab edito admodum variat. Ibi ſic habet, *quorundam Magnatum Regni factæ dicebantur*, item, *filium parit in Marchia Anconitana, quem in auſpicium cumulandæ probitatis inculcatis duorum nominibus, Fridericum Rogerium: ſeu*, &c. tertiò. *Qui rediens obtinet Atinum*, quartò, *redit ſibi Atinum*, quintò, *Imperator in Apuliam redit; & conjunctus cum Imperatrice Curiam ſolemnem ibi habuit*, &c. *Peregr.*

(87) Ab antiqua Tarracina, quæ in Latio, alia hæc *Terracina de Salerno*, novum oppidum in Picentinis, memoratum etiam Richardo de S. Germ. hoc anno, & ad an. 1226. Idcirco interpunctio illa in edito Codice omnino moleſta, in quo etiam male cuſum infra. *Terram Majorem*, pro. *Turrim Majorem*, de quo dixi in Italica Diſſertatione. *De Portis.* Peregr.

(88) Non, *menſe Januario*, ſed, *menſe I.* ut habet ſcriptus Codex: hoc eſt. *Junio*. Chronicon Ceccanenſe uſurpato tunc more carmina ſolutæ commiſcens orationi, expreſsè hunc Menſem notat.

„ *Quintus & annus Domini cum mille ducentis,*
„ *Et fuit undena Junii lux in prima menſis,*
„ *Hìc octava datur Indictio, quæ renovatur,*
„ *Cùm Comes eſt Brămę Sarni devictus ad amnĕ.*
„ *Stultitia, caſu, nec Marte, dolo ſuperatur*, &c. *Peregr.*

Digitized by Google

minùs cautè, fortuna sibi novercante, fugatis suis omnibus, & de eis plurimis interfectis, captus est per Diopultum, & Generalem ejus, & conjectus in vincula, dicitur ibi diem clausisse extremum. Triumphans de hoste Diopultus, & se ipsum humilians, obtinuit, ut Dominus Papa, missis Nuntiis fecerit, supradictum Diopultum, & suos ab excommunicatione absolvi, credens eum Ecclesiæ profuturum, qui postmodum Romam perrexit, & à Domino Papa Innocentio, & à Romanis bene receptus est: postea reversus est Salernum.

1206. Hoc anno mense Novembri Comes Diopultus cum pluribus Regni ivit Panormum, & traditum est ei Panormum cum Rege: post modicum verò temporis Cancellarius Gualterius junctis Theutonicis, habuit Regem Fredericum.

1207. Hoc anno mense Madii Comes pugnavit cum Neapolitanis, & ex eis magnam stragem fecit.

1208. Mense Januario, in vigilia Epiphaniæ Dominus Roffredus Cassinensis Abbas civitatem Soræ, quam homo perditissimus, & perfidissimus Conradus de Marley Theutonicus cum Roccha de Sorella ipsi fuerat ab Henrico Imperatore VI. relictus Castellare, Pesclum solidum, Roccam Arcis, & Broccum tenebat, conducta prædonum, & sibi similium manu, Campaniam, & adjacentia loca, & maximè Terram Sancti Benedicti deprædabatur; in crepusculo diluculi cum gente ingressus est. Eo die per Civitatis transfugas, qui se receperant in Planellum, quàm multæ Civitatis domus igne deflagravere. Illi autem, de loco natura munitissimo à gente Abbatis expulsi, eodem die, in Sorellæ Roccham se receperunt. Alia igitur die castellum Brocci expugnatum est, & Arx Sorellæ de Planello arctiùs est obsessa. Mense Februarii Arx dicta noctu expugnatur à nostris, uno tantum de nostris ab hostibus audaciter resistentibus, cæso. Captus Conradus, Sorellæ cum universis, qui fuerant illic inventi tenetur in vinculis, Roccham Arcis, & Pesclum solidum reddere pro sua, suorumque qui tenebantur vincti, liberatione promittens. Primâ igitur quintâ feriâ Quadragesimæ, Hugo pro liberatione dicti Conradi, & suorum Stephano Camerario Domini Papæ Innocentii, & Richardo ejusdem germano Roccham Arcis assignat, recepta per eos à Domino Papa multa quantitate pecuniæ, & firmata personarum, & rerum securitate. Mense Junii Dominus Papa Urbem exiens ad Sanctum Germanum contendit, convocatisque illuc Civitatibus, Comitibus, & Magnatibus Regni, de Domini Regis Frederici succursu, & Regni pace tractavit, constitutis ad hoc capite, & magnis Justitiariis Apuliæ, & Terræ Laboris, Comite Petro Celano, & Comite Richardo Fundano (89). Deinde Montem Cassinum Dominus Papa conscendit, ibique diebus multis propter clementiam aëris immoratus, à Prædecessoribus suis indulta Monasterio privilegia renovavit, & quædam de novo concedens, alienata de pertinentibus ad Hospitale, Vestiariam, vel Infirmariam, sive Cellariam revocari posse clementer indulsit. Descendens igitur à monte, rogatu Domini Petri Decani Cassinensis, in Altare Sancti Nicolai de Sancti Petri Monasterio sacras Reliquias ipse recondidit in festo Beati Jacobi, VIII. Kalend. Augusti, sed quia propter ferventis æstatis inclementiam tædebat eum, constipante se turba celebrare divina, mandato suo celebravit Dominus Albanensis, & Dominus Sabinensis, facto sermone, devotè venientibus in Anniversario quadraginta dies de criminalibus instituit relaxari. Occisum à suis Philippum Alemanniæ Regem interim nunciatur. Deinde Soram Dominus Papa contendit, & per Atinum cum Cardinalibus transiens, à Domino Abbate Ecclesiæ Sanctæ Mariæ honorificè recipitur. Mense Octobris Richardus Fundanus Comes Capuam ∴ ∴ & Castellum obsidet.

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Lacuna hìc erat in Cassin. Codice.

1209. Mense Septembri Otho IV. Dux Saxoniæ Imperii diademate insignitur in Ecclesia S. Petri in urbe Roma à Domino Papa Innocentio III. & tunc orta est seditio inter Romanos, & Theutonicos, Romanis quibusdam, & Theutonicorum pluribus interemptis. Diopultus Comes, Dux efficitur Spoletanus. Terremotus magni per loca. In Valvis, & Rete Provintiæ Samnii munitiones diruuntur, & plura ædificia, & castella. Fredericus Rex Siciliæ duxit in uxorem sororem Regis Aragonensis. Diopultus dictum Imperatorem Othonem introduxit in Regnum, cum Petro Comite Celani, & dedit ei Salernum, propter quod factus est ab eo Dux Spoleti. Hoc anno mense Madio Roffridus Abbas hujus loci mortuus est, & Petrus, cui prænomen erat Comes, promotus est in Abbatem in Natale Sancti Joannis Baptistæ.

1210. Dictus Imperator contra juramentum, quod fecerat Domino Papæ Innocentio, Regnum intravit, & Capuam; propter quod Dominus Papa ipsum Imperatorem excommunicavit.

1211. Mense Januario obiit Petrus Cassinensis Abbas. Dominus Papa sententiam, quam tulerat in Othonem Imperatorem confirmat, excommunicans Canonicos Capuanos, quoniam ausi sunt celebrare Imperatore præsente, cui Neapolitana civitas se donavit, eique in Apuliam descendenti civitates, & Villæ omnes sponte jurarunt.

1212. Prædictus Imperator in Alemanniam rediit, eo quòd (90) ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

Cætera desiderantur.

In

(89) Compendiatam in exemplari vocem *Mag.* quæ explicanda fuerat. *Magistris*, exposita à Typographo imperitè est. *Magnis*; quoniam septem, quæ suprema dicuntur Regni officia, passim *Magni* titulum nunc obtinent; ut *Magnus Justitiarius*, &c. At olim *Magistri* appellabantur quicumque aliis præerant quod planum; unde dictus etiam *Magister latronum* apud Cæsarium Heisterbacensem lib. 7. Mirac. cap. 59. Sanè ambo præfati Comites cùm administrarent Regni tutelam, sub hoc ipso titulo *Magistri Justitiarii* alter eorum, Petrus Celanensis, designatus legitur apud Richardum de Sancto Germano. Ex quo pariter Auctore lacunam haud magnam in eodem Anonymo ad finem præsentis anni commodè poteris explere. *Peregr.*

(90) Sententiam Librarii defectu mancam, qui plura descripturus, pausam hìc fecit, ex jam dicto Sangermanensi Chronologo sic supplebis, *eo quòd quidam Alemanniæ Principes sibi rebellaverant*. Istaque ad hunc Anonymum satìs. *Peregr.*

Digitized by Google

In eodem ſupraſcripto Cod. 199. Bibliothecæ Caſſinenſis ſunt pagellæ aliquot ad finem Libri, in quibus Appendiculas haſce ſcriptas reperi, quas ſubjicio.

ANno Domini 1349. tertia Indict. die nono Septembris, fuit magnus Terræmotus in toto Regno Siciliæ, qualis non fuit ab initio mundi, niſi in morte Chriſti, & ſpecialiter in Epiſcopatu Caſſinenſi, in tantum, quòd totum Monaſterium funditus corruit, & remanſit in eo nulla domus erecta, & omnia caſtra Monaſterii fuerunt diruta præter caſtrum Sancti Victoris, & Fractarum. Id fuit horâ Miſſæ. Itaque multi homines, & mulieres, & Sacerdotes, & Religioſi ſuper Altaria, & in Eccleſiis mortui ſunt, præter eos, qui in propriis domibus caſtris, & civitatibus obierunt. Civitas ergo Sancti Germani media corruit, præcipuè illa pars, quæ erat in plano, ſeu paludibus, & in ea innumera multitudo hominum, ac mulierum mortua eſt.

1362. Indict. XV. menſe Martii Stella Cometes apparuit in Oriente, & viſa fuit per multos dies. Eodem anno, ſequenti menſe Madii obiit Ludovicus inclytus Rex Siciliæ, & ſequenti menſe Junii obiit Ludovicus de Duratio in Caſtro Ovi Neapoli, & immediatè poſt mortem dicti Domini Ludovici de Duratio, maxima mortalitas hominum ſequuta eſt in civitate Neapoli, & per totum Orbem, ita ut in multis locis Caſtra, & Villæ vacuæ, & deſolatæ remanſerint. Eodem anno, menſe Auguſto, à principio ferè ipſius menſis innumerabilis multitudo bruchorum ab Oriente venientes totam terram occupaverunt, & tanta fuit multitudo ipſorum, quòd porci, & gallinæ, & murilegi eos comedebant, & duraverunt in partibus noſtris per totum menſem prædictum, licèt in partibus Apuliæ fuerint per totam æſtatem præteritam, imò per tres ſequentes annos duraverunt, non tamen generaliter, ſed per loca, comedentes omnes herbas virides, & folia arborum.

Anno Dominicæ Incarnationis 1388. Indictione XI. Januario menſe, die octava. Serotinâ horâ unâ & ſemis viſæ fuerunt à parte Occidentis ſtellæ ire per Cœlum, ſonitu horrifico versùs Neapolim, & Cajetam, quæ quidem ſtellæ claritate erant præfulgidæ, & tanti ſplendoris, ut quando earum diſcurſus fiebat, eſſe videbatur quaſi medius dies, quantitate erant indiſcretæ: nam aliquæ ipſarum tantæ quantitatis cernebantur, ac ſi eſſent magnæ trabes igneæ, in numero fuerunt . . . . .

Cætera deſiderantur. Hic explendæ lacunæ ducentorum annorum.

† *Item ex alio Cod. Chronici Caſſinen. auctore Leone Marſicano, pagellis ante Chronici initium poſito, hæc exſcripſimus.*

Anno Domini 1500. die ſeptimo Januarii horâ diei tertiâ, & ultra, dum Miſſa celebraretur, fulmen erumpens à tecto portæ majori imminente, & etiam juxta altare majus pavimentum diſſipans, Sacerdotem myſterio incumbentem adeò conterruit, ut ferè exanimis remanſerit, & jùvenem quendam advenam non procul inde remotum in tantum afflatu perculſit, ut immobilem factum, & humi proſtratum perfracta fronte miſerabiliter affecerit, partem inſuper Campaniſis, jam aliàs ſæpè percuſſi, & collabentis dejecerit cum Campana majori.

Ex Indicibus quibuſdam emortualibus Religioſiſſimi Cœnobii Caſſinenſis excerpſi Illuſtrium aliquot Virorum obitus certis diebus conſignatos. Ejuſmodi verò excerpta, quòd ad rerum noſtrarum Chronologiam quodammodo facere videantur, ea huic Caſſinenſi Chronico ſubjicere libuit. Habe igitur & pauca hæc, Lector, donec in tuorum ſtudiorum commoda, ſi vita καὶ θεῷ ſaluſque ſuppetat, plura, ac majora depromam.

Ex Emortuali MS. Mon. Caſſinenſis num 47.

VII. Idus Januarii (91) ϑ. Carolus Rex Siciliæ MCCLXXXV.

VIII. Kalendas Februarii ϑ. Rex Ferdinandus MCCCXCIIII. In Converſione S. Pauli, horâ 18.

Prid. Non. Febr. ϑ. Raynaldus Barenſis Archiepiſcopus, & Monachus.

Non. Martii ϑ. Boëmundus Antiochiæ Princeps.

XIIII. Kal. Aprilis ϑ. Honorius III. Papa.

X. Kal. April. ϑ. D. Petrus de Capua Diac. Card. S. Georgii,

Sunt in eadem Caſſinenſi Bibliotheca opera hujus Card. nempe, Epitome ſententiarum, & Lexicon Concionatorum, in expanſo folio.

V. Kal. April. ϑ. Clemens Papa III.

IV. Kal. April. ϑ. Stephanus Papa, qui & Fredericus Abbas hujus loci.

XVI. Kal. Maji ϑ. Sigilgaita Duciſſa. Fuit hæc uxor Roberti Guiſcardi.

XI. Kal. Maji ϑ. Alexander II. Papa.

IV. Non. Maji ϑ. Carolus Secundus Rex Siciliæ, MCCXIX.

Idib. Maji ϑ. Gulielmus Rex Siciliæ.

VIII. Kal. Junii ϑ. Domnus Gregorius VII. Papa.

III. Junii ϑ. Henricus Imperator.

XVI. Kal. Julii ϑ. Henricus Capuanus Princeps.

IV. Kal. Julii ϑ. Maria Turritanorum Regina.

III. Kal. Julii ϑ. Domnus Gentilis Neapolitanus Archiepiſcopus, & Monachus.

VIII. Idus Julii ϑ. Domnus Eugenius III. Papa.

XVI. Kal. Auguſti ϑ. Robertus Guiſcardus Dux.

V. Kal. Auguſti ϑ. Leopuldus Dux Auſtriæ, & Stiriæ.

VIII. Idus Auguſti ϑ. Carolus Hungariæ Rex Anno Domini MCCXCV. VIII. Indict.

XI. Kal. Septembr. ϑ Domnus Gregorius PP. IX.

III. Kal. Septembr. ϑ. Domnus Alexander Papa III.

Kal. Septembr. ϑ. Adrianus Papa IV.

Non. Septembr. ϑ. Rogerius Comes Tuſciæ.

XVI. Kalend. Octobr. ϑ. Victor Papa III. qui & Deſiderius Abbas hujus loci.

VIII.

(91) Hoc eſt, obiit nam Nota hæc ϑ. in judiciis θάνατον .i. mortem ſignificabat, ad quod alluſit Satyrographus. *Et potis es nigrum vitio præfigere Thebeta*. Mortem igitur ſive obitum in hiſce etiam emortualibus Indicibus ſignificat. *Carac.*

VIII. Kal. Octob. θ. Innocentius II. Papa.
III. Non. Octob. θ. Henricus Imperator.
VI. Idus Octob. θ. Amfuſus Capuanus Princeps.
XIV. Kal. Novemb. θ. Bonifacius Papa VIII.
VIII. Idus Novemb. Ayglerius Archiepiſcopus Neapol. & Monachus.
XVI. Kal. Decemb. ϑ. Gulielmus Rex Siciliæ.
XIII. Kal. Decemb. ϑ. Conſtantia Imperatrix.
XII. Kal. Decemb. ϑ. Jordanus Princeps.
III. Non. Decemb. ϑ. Anaſtaſius IH. Papa, & Lotharius IH. Imp.
VII. Idus Decemb. ϑ. Otho Imperator.
XIX. Kal. Januar. ϑ. Callixtus II. Papa, & Agnes Imperatrix.
XIV. Kal. Januar. ϑ. Urbanus V. Papa, & Jordanus II. Princeps.
Prid. Kal. Januar ϑ. Domnus Odilo Cluniacenſis Sacerdos, & Abbas.

Ex altero Emortuali præfixo Cod. MS. ejuſdem Bibliothecæ num. 334

VI. Idus Febr. ϑ. Helbiria Regina, uxor Magni Regis Siciliæ, & Apuliæ.
VIII. Kal. Martii ϑ. Rogerius Dux.
III. Kal. Martii ϑ. Rogerius Rex Siciliæ.
X. Kal. Julii ϑ. Rogerius Comes Siciliæ
XVI. Kal. Auguſti ϑ. Robertus Dux Apuliæ.
VII. Kal. Auguſti ϑ. Kuraza mater Madii Magni Ammirati Ammiratorum.
III. Idus Auguſti ϑ. Drogo Comes.
VI. Idus Septemb. ϑ. Leo, pater Ammirati Ammiratorum. (92)

Anonymi, ſed antiqui, & fide digni Scriptoris narratio celeberrimæ Conſecrationis, & Dedicationis Eccleſiæ Caſſinenſis, ab Alexandro II. P. M. factæ, ex MS. Cod. 47. Bibliothecæ Caſſinenſis.

OPeræpretium mihi videtur, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, qualiter hujus Sancti, & Venerabilis Cœnobii nova Eccleſia, quove tempore, vel à quibus perſonis funditus renovata, conſtructa, & dedicata ſit, ad poſterorum memoriam literis utcumque mandare. Sicut enim deteſtandi ſunt, qui ea, quæ noverunt cælanda, revelant, ita nihilominus ingrati ſunt, qui ea, quæ multorum ædificationi profutura præviderint, cælant. Et quamvis non ſicut decebit, id enarrare me poſſe confidam, melius tamen hac mea imperitia aliquo modo puto ſcribendum, quàm ad non parvum noſtrum dedecus, ſcribendi negligentia, reticendum.

Cùm igitur Sanctiſſimi, & eximii Patris noſtri Benedicti in hoc ejus venerabili Monaſterio Caſſinenſi, quod ipſe quondam ſtrenuè, Deo duce, & fautore, primùm conſtruxerat, venerandæ memoriæ Domnus Deſiderius, ſeptimus & triceſimus ſucceſſor, divina diſpoſitione ordinatus eſſet, Omnipotenti Deo adeò charus extitit, ac devotus, ut quod ſuo fideli famulo Benedicto olim promiſerat, videlicet quòd locus hic, quem tunc gentibus vaſtandum, diripiendumque tradere conſuerat, in majorem, quàm tunc erat ſtatum, famam, & gloriam venturus eſſet, conſtat ab hoc inchoari, & perfici voluiſſe; cui tantam ſuæ pietatis gratiam meritis Patris Benedicti conceſſit, ut inter ferociſſimas Normannorum gentes, quæ non ante multos annos finitimas quaſque, & contiguas terras occupaverant, tam pacificè, tamque quietè conſiſteret, ut non ſolùm mediocres viri, verùm etiam ipſi eorum Principes, ac Duces libenter ei obedire, ejuſque voluntati non aliter, quàm ſui patris, ac Domini in omnibus parêre ſtuderent, nulluſque circumquaque manentium eſſet, qui non ejus gratiam, & benevolentiam deſideraret. In tali igitur pace, ac tranquillitate divinitus conſtitutus, poſt nonnullas hujus ſancti Cœnobii à ſe nobiliter ædificatas officinas, atque conſtructas, tandem aliquando ad renovandum à fundamentis Eccleſiam, quæ revera, & creſcenti in dies Fratrum numero, parva, & pretioſiſſimo Beati Patris Benedicti corporis theſauro indecens erat, non ſinè divino inſtinctu ànimum adjecit, quæ videlicet, ut compendio loquar, anno ab Incarnatione Domini Milleſimo ſexageſimo ſexto omni niſu, & ſtudio ædificari cœpta cum atrio, & porticibus ſuis, in quinque annorum ſpatio, omni eſt gloria, & decore perfecta. Cujus quidem columnas omnes, univerſoſque pavimenti lapides ab urbe Roma magno labore, & non parvo pretio convexit, ipſamque Eccleſiam mirificis operibus, & penè temporibus illis incognitis artificibus, ex diverſis Orbis partibus, & ab ipſa quoque Regia urbe Conſtantinopoli maximo ære conductis, decentiſſimè decoravit.

Parietibus autem in circuitu pulchra colorum varietate depictis, Abſidam, & arcum majorem, & atrium muſivo pretioſiſſimo adornavit. Pavimentum verò totius Eccleſiæ tanta, tamque mirifica, & penè ineffabili cæſorum lapidum diverſitate diſtinxit, ut non lapidibus, ſed floribus ſolum vernare putes. Quæ omnia videri quidem, & admirari, ut dignum tamen eſt comprehendi vix ab aliquo poſſunt. Quantitatem autem ipſius Eccleſiæ, & qualitatem, ſeu ornamenta, quoniam non fuit mei propoſiti ex integro in hoc ſermone deſcribere, & alio loco cum reliquis operibus prædicti Domni Abbatis latiùs, Deo volente, comite vita, pandentur, id tantum quan-

(92) Ad nomina verò illuſtrium virorum, quæ ex Caſſinenſi Emortuali excerpta, poſt Anonymum in Codice edito ſunt appicta, non habeo, quod dicam; ſed addenda iis pauca hæc alia judico ex eodem antiquo exemplari. Deque Deſcriptione dedicationis Eccleſiæ Caſſinenſis, quam idem ille Quatuor Chronologorum Liber poſtea præfert, meum nec repetam judicium, in Serie expoſitum Abbatum, ubi de Deſiderio, & de Oderiſio primo,

Kal. Januarii. θ. Landulfus Princeps.
XII. Kal. Febr. θ. Gerebertus Archiepiſcopus, & Monachus
II. Non. Febr. θ. Scnioretus Abb.
VIII. Id. Apr. θ. Richardus Princeps.
II. Non. Maji. θ. Petronax Abb. bujus loci.
IV. Non. Junii. θ. Giſulfus Princeps
XVI. Kal. Junii. θ. Enricus Capuanus Princeps.
VI. Id. Jul. θ. Burrellus Comes
X. Kal. Oct. θ. Andreas Archiepiſcopus
VIII. Id. Nov. θ. Regimprandus Levita, & Abb. bujus loci.
IX. Kal. Dec. θ. Aligernus Sacerdos, & Abb. bujus loci.
V. Kal. Dec. θ. Apollinaris Sacerdos, & Abb. bujus loci.
III. Kal. Dec. θ. Richerius Sacerdos, & Abb. bujus loci.
IX. Kal. Jan. θ. Giſulfus Sacerdos, & Abb. bujus loci. Peregr.

Digitized by Google

quantâ gloriâ, quantâque frequentiâ sit consecrata, pro posse narrabo.

Venerandæ memoriæ Domnus Alexander II. Papa eo tempore Sanctam Romanam Ecclesiam sapientissimè, & religiosissimè gubernabat. Hunc ergo Domnus Abbas, ut decebat, devotissimus adiit, eumque, ut ad tantæ Ecclesiæ consecrationem accedere dignaretur, oravit. Quo velociter, utpote præ cunctis ei familiarior, impetrato, Ildebrandum quoque Archidiaconum, ac reliquos Romanos Episcopos, & Cardinales officiosissimè invitavit. Optimum autem mihi, & non contemnendum videtur, nomina, & numerum Episcoporum, & Magnatium aliquot, qui adfuere (cùm universos non sit facilè reminisci) memoriæ tradere, quatenus eorum numerositate, innumera etiam populi multitudine, qui tunc undique terrarum confluxit, ipsius dedicationis gloria innotescat: Sunt autem hi.

Joannes Episcopus Portuensis.
Joannes Episcopus Tusculanensis.
Ubaldus Episcopus Sabinensis.
Alphanus Archiepiscopus Salernitanus.
Ildebrandus Archiepiscopus Capuanus.
Joannes Archiepiscopus Neapolitanus.
Joannes Archiepiscopus Surrentinus.
Girardus Archiepiscopus Sipontinus.
Bisantius Archiepiscopus Tranensis.
Drogo Archiepiscopus Tarentinus.
Erasmus Episcopus Signinus.
Petrus Episcopus Anagninus.
Honestus Episcopus Verolensis.
Ambrosius Episcopus Tarracinensis.
Leo Episcopus Cajetanus.
Pandulphus Episcopus Marsicanus.
Palumbus Episcopus Soranus.
Martinus Episcopus Aquinensis.
Guilelmus Episcopus Theanensis.
Joannes Episcopus Calenus, *sive* Foriclaudiensis, *Ut est in Bulla Alexandri II.*
Petrus Episcopus Venafranus.
Goffridus Episcopus Aversanus.
Joannes Episcopus Picenus.
Maraldus Episcopus Pestanus.
Albertus Episcopus Bojanensis.
Rogerius Episcopus Civitatensis.
Campo Episcopus Draconariensis.
Stephanus Episcopus Trojanus.
Balduinus Episcopus Melfatensis.
Joannes Episcopus Cannensis.
Robertus Episcopus Florentinensis.
Nicolaus Episcopus Termulensis.
Guilelmus Episcopus Larinensis.
Petrus Episcopus Guardiensis.
Joannes Episcopus Vigilensis.
Innacius Episcopus Monorbinensis.
Guilelmus, sine Guibertus Episcopus Rubbesanus.
Datto Episcopus Ostunensis.
Petrus Episcopus Monopolitanus.
Joannes Episcopus Juvenatiensis.
Maynardus Episcopus Arianensis.
Arnaldus Episcopus Acherontinus.
Constans Episcopus Venusinus.
Ugo Episcopus Hydruntinus.
Goffridus Episcopus Perusinus.
Theobaldus electus Castellanus, qui videlicet altero post dedicationem die Episcopus consecratus est.

At ex originali diplomate Alexandri II. quod est in Archivo Cassinensi, habentur præterea hi Prælati Ecclesiastici interfuisse huic Ecclesiæ Cassinensis consecrationi, videlicet.

A *Ildebrandus Archidiaconus S. R. E.*
Petrus Dam. Ost. Episcopus.

Et post Episcopos omnes hi Cardinales subscribunt jam dicto diplomati.

Ego Firminus Card. S. R. E.
Leo Card. . . . .
Stephanus Card. Presbyter.
Landulphus Card. Presbyter.
Leo Card. Presbyter, pro omnibus Presbyteris Cardinalibus, Diaconibus, & Clericis S. R. E.

Monachorum verò quot millia cum suis Abbatibus ad tantæ festivitatis gloriam convenerint, nequaquam recoli, quia nec videri quidem omnes potuerunt.

Principes autem Capuani, Richardus, & B Jordanus filius ejus, & Jordanus Patruus, Gisulphus Princeps Salernitanus, Pandulphus Princeps Beneventanus, Sergius Dux Surrentinus, Raynulphus Comes. ∴ ∴ ∴

Cæterorum autem Potentium, Comitumque, seu nobilium omnium circumquaque terrarum tanta affuit multitudo, ut eorum numerum nedum nomina recensere, multæ ociositatis indigeat. Quid autem populorum turbam memorem? quæ proculdubio tanta extitit, ut non modò totius Monasterii ambitum, non modò omnium officinarum etiam tecta compleverit, sed & ipsa quoque itinera ab ipso vertice montis usque ad radices ejus ita frequentia, constipatione sua repleverit, C ut vix alicui fortissimo aliquo modo inter eos gradiendi facultas esset.

Omnibus igitur his summo gaudio, præcipuaque devotione, tantæ festivitatis gratiâ congregatis, summo, ut oportuit, honore dedicata est præfata Ecclesia prima die Kalend. Octobrium, die Sabbathi, anno Divinæ Incarnationis 1071. Ind. IX. cum quinque altaribus suis, ex quibus videlicet duo, ideſt S. Benedicti, & S. Joannis præfatus venerabilis Papa Alexander manu propria consecravit; altare verò Sanctæ Mariæ Joannes Episcopus Tusculanensis; Sancti verò Georgii Ubaldus Episcopus Sabinensis; Sancti autem Nicolai Erasmus Episcopus Signinus consecrarunt.

D Peractis itaque omnibus, & Missa à Romano Pontifice solemniter celebrata, multisque à populo oblatis donariis, & non tantùm iis, qui tunc aderant, sed & universis, qui per continuos octo Dedicationis dies festivitatis devotione conventuri essent, ab eodem Beatissimo Pontifice absolutione data, unusquisque gaudens, & exultans recessit ad propria. Hujus autem absolutionis gratiâ tanta devotione, tantaque frequentia per continuos octo dies huc undecumque concursum est, ut quasi non se fidelem putaret, qui particeps tantæ solemnitatis non fieret. Hæc omnia ita fuisse nemo legentium ambigat, quæ utique non ab aliis tradita, sed revera propriis oculis visa describimus. Transactis verò à Dedicatione hujus Ecclesiæ tribus annis, E totidemque mensibus anno videlicet à Salvatoris nativitate 1075. incipiente III. Non. Januarii Ecclesia B. Bartholomæi Apostoli, quæ ad Occidentalem partem majoris Ecclesiæ satis decenter sita est, cum grandi iterum lætitia, & exultatione cunctorum fratrum honorificè dedicata est à Joanne Sorano Episcopo, ubi etiam non minima particula Brachii ejusdem Beati Apostoli in argentea capsella venerabiliter recondita est.

Eodem etiam anno post octo circiter menses reliquæ duæ Basilicæ pulcherrimæ in extremis exte-

Digitized by Google

exterioris atrii turrium modo hinc inde locatæ, pari ſtudio, & honore ſacratæ ſunt 4. Idus Septemb. quarum alteram, quæ à dextra parte ad honorem B. Archangeli Michaëlis conſtructa eſt, prædictus Joannes Soranus Epiſcopus, alteram vero, quæ à læva, ad honorem B. Apoſtolorum Principis Petri fundata eſt, Leo Epiſcopus Aquinenſis Divino numini, ipſo Domno Abbate, omniumque Fratrum præſente conventu, cum magna lætitia, & devotione ſacrarunt.

Porrò cùm ab hac dedicatione annus jam quartus decimus, & ab Incarnatione Dominica milleſimus & nonageſimus volveretur, tribus jam annis, & tribus ac ſexaginta diebus, tranſitu reverendæ, ac ſemper honorificè memorandæ memoriæ Deſiderii Abbatis elapſis, præſidente, atque jubente Domno Oderiſio reverentiſſimo, atque digniſſimo ſucceſſore ipſius dedicata eſt Eccleſia Sancti Confeſſoris Chriſti Martini, quam prædictus venerabilis Abbas Deſiderius in loco ipſo, ubi olim à Beatiſſimo Abbate Benedicto conſtructa fuerat, circa portam ſcilicet Monaſterii mirificè, ac pulcherrimè in ſexdecim marmoreis columnis erexerat, quamque tam Muſivo, quàm etiam diverſis picturarum coloribus optimè decoraverat. Dedicata eſt autem XIV. Kalen. Decemb. ipſa videlicet die octavarum ejuſdem Beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Martini, feria 2. cum tribus altariis ſuis, ingenti frequentia ordinis diverſi virorum, & maxima univerſorum lætitia, quorum primum, atque præcipuum in honore ipſius B. Martini dedicavit vir venerabilis Domnus Joannes Epiſcopus Tuſculanenſis; illud autem, quod ad dexteram ipſius Baſilicæ ſitum eſt, in honore S. Eraſmi martyris conſecravit Domnus Raynaldus Epiſcopus Cajetanus, qui ipſo anno ex hoc noſtro Monaſterio eidem Eccleſiæ datus fuerat Epiſcopus: tertium verò, quod à parte ſiniſtra ſtatutum eſt, in honore glorioſi Confeſſoris Chriſti Ambroſii benedixit Domnus Honeſtus, Reverentiſſimus Epiſcopus Verulanus. Fuere autem cum eis in hac Dedicatione Epiſcopi etiam alii tres, ideſt Lambertus Alatrinenſis, Roffridus Soranus, nec non & Leo Epiſcopus Venafranus. Quod autem tamdiu poſt Patris Deſiderii tranſitum conſecratio Baſilicæ hujus dilata eſt, hoc fuit in cauſa; quia & picturæ partem aliquam, & pavimenti non modicam, ad complendum, morte præventus idem Abbas reliquerat. Quæ omnia ſucceſſor illius ſtudioſiſſimè percomplere, & addere, quæ neceſſaria, curavit, & ſic eam dedicari, quatenus præmiſſum eſt, honorificentiſſimè fecit.

Annis item poſt iſta tribus, & tribus inſuper ac ſeptuaginta diebus exactis, anno ſcilicet Incarnationis Dominicæ 1094. Indictione ſecunda, menſis Januarii die trigeſima, ſecunda feria, dedicata eſt Eccleſia Beati Andreæ Apoſtoli, præſidente, atque jubente jam dicto Abbate Domno Oderiſio, qui eandem Baſilicam à fundamentis extruxerat ab Orientali parte majoris Eccleſiæ inter Abſidam, videlicet ipſius, & domum infirmorum, habens cœmiterium Fratrum à latere dextro, à ſiniſtro verò clauſtrum, licèt parvulum, tamen pulcherrimum. Dedicata eſt autem à Dom. Raynaldo Cajetano Epiſcopo jam ſuperiùs memorato cum ingenti devotione, & exultatione Fratrum univerſorum, ea nimirum die, quæ caſtrum, quod Frattæ dicitur, ultra omnem ſpem, meritis Beatiſſimi Patris Benedicti, miſeratione Divina, recepimus, quod videlicet triennio ante à vicinis Nortmannis furatum nobis fuerat, atque pervaſum, ſed die XIII. . . . . Domino auxiliante receptum, atque ob ſempiternam illius triumphi memoriam in eadem die conſecrationis hoc ſolemne ſtatutum. Eſt autem prædicta Baſilica inſtituta ad utilitatem infirmorum Fratrum, lignis quidem, ac tegulis firmiſſimè contignata, feneſtris vitreis optimè decorata, diverſis Sanctorum hiſtoriis, pulchra colorum varietate depicta, pavimento quoque multimoda inciſione marmorum artificiosè conſtructa. Quodque omnibus his eſt longè præcipuum, multis ac præclaris tam Apoſtolorum, quàm Martyrum, nec non & Confeſſorum Dei reliquiis ſtudioſiſſimè conſecrata. Quorum omnium nomina, cum reliquarum Eccleſiarum pignoribus, pariter, ſuis in locis, Domino juvante, ſcribemus.

Ex his poſtremis verbis conjici fortè poteſt, auctorem hujus narrationis fuiſſe Petrum Diaconum Caſſinenſem: is enim hanc ipſam celeberrimam Dedicationem trium jam dictorum Altarium, videlicet Sancti Martini, Sancti Eraſmi, & Sancti Ambroſii, recitatis ſacrarum Reliquiarum nominibus, ritè deſcribit lib. 4. Chron. Caſſin. Cap. 8. Multa tamen hìc diligens Lector reperiet, quæ in eo Chronico ſcripta non ſunt: ac proinde nos actum nequaquam egiſſe exiſtimabit.

Finis Chronicon Anonymi Caſſinenſis.

AN-

Digitized by Google

ANTONIUS CARACCIOLUS

De Falcone Beneventano.

Falco, trium ſuperiorum, loco quidem poſtremus, diligenti tamen geſtorum, locorumque enarratione, profectò primus habendus eſt. Is Notarius, eo tempore, inſignis, & Sacri Palatii Scriba fuit: atque ab Innocentio II. P. M. ob fidei conſtantiam, qua Pontificiæ partes in maximis illis turbis tutatus fuerat, Judex ſuæ patriæ renuntiatus eſt. Hoc verò Chronico, quod ab anno 1102. ad 1140. producit, res ſui temporis, eaſque præcipuè, quæ Beneventi contigerunt, adeò fusè, & accuratè deſcribit, ut tibi, Lector, non legere, ſed præſens eſſe videaris. Et niſi te ſtylus, barbarie horridus, arceat, cætera abs te laudatum iri Falconem, nullus dubito. Baronio ſanè, & Gordono is placuiſſe videtur: quippe qui & calamo exceptum habuerint, & non ſemel ille in Annalibus, iſte in Operis Chronologici poſteriore Tomo citaverint. Hoc igitur & tu, ſtudiosè Lector, nunc primùm aſpiciente lucem, per me fruere, & Vale.

MONITUM

CAMILLI PEREGRINI

In Chronicon Falconis Beneventani.

INcultus, & ſemi quamvis barbarus, qui nunc recenſendus mihi ſupereſt antiquus Chronologus Falco, noſtratium nihilominus Hiſtoricorum mediæ ætatis ob fidelem, nec prorſus ineptam diligentiam facilè Princeps, munere, ut ipſe de ſe tradit ad an. 1133. & 1137. Notarius, & Scriba Sacri Beneventani Palatii, tandemque ſua in eadem patria urbe Judex, Chronicon; quod nunc principio, & fine mutilum habetur, exorſus ab anno mihi quandoque eſt viſus 1077. in quo Beneventanorum Principum Langobardorum deficiente in Landulfo 6. ſucceſſione, regi ea civitas cœpit à Romano Pontifice per Præfectos, vulgò tunc dictos *Rectores*: *poſt cujus Principis obitum* (inquit Anonymus Sanctæ Sophiæ Par. 3. Num. 15.) *recta eſt civitas per Romanam Eccleſiam*; namque in ejus demum devenerat poteſtatem ex cauſa expoſita ab Oſtienſi lib. 2. cap. 83. mihique ad Anonymum Caſſin. ad ann. 1051. curſim delibata. At cur ita putarem, in cauſa erat ipſius Falconis acephalus textus; qui ante omnia ſermone abrupto præfert, Beneventanos ferè centum viros tum nobiles, tum honeſto loco natos, quos *bonos homines* ipſe Auctor appellat, Romam adiiſſe, ac Papam, ſed fruſtra, eſſe deprecatos, ut *Paſtorem electum corroborare*, hoc eſt ſuo aſſenſu robur ei, & poteſtatem dare *dignaretur*; quibus verbis de electo aliquo Archiepiſcopo à Beneventano Populo, ac juxta Sacros Canones à Summo Pontifice confirmando, ſermo ibi fieri videbatur; quod præfato anno 1077. contigiſſe conjectabar; quoniam in eodem Chronico proximè poſt dicta, ad annum ſcilicet 1107. notatur obitus Beneventani Archiepiſcopi Roffridi, cui imputantur anni 31. menſes 2. dies 20., indeque conſtare poterat, electionem à Romano Pontifice improbatam præcedere oportuiſſe præfati Roffridi ſublimationem; qua ratione Falco ſuam deſcribere Hiſtoriam ab exordio novi Archiepiſcopi, ſimulque novi Pontificii regiminis convenientiſſimè ſuſcepiſſet; quam nunc habemus ingenti hiatu ad annum uſque 1103. fatiſcentem. Rem tamen aliter ſe habeti, poſtmodum judicavi; nimirum cùm advertiſſem, Petrum Epiſcopum Portuenſem, qui Beneventi tunc præſens, ut idem Auctor perhibet, Beneventanos in ſeditionem ob paſſam à Papa repulſam verſos, eorumque arma vix effugerat, ad remotiora illa tempora minimè referri poſſe, quibus Portuenſem Epiſcopatum haud ipſe obtinebat, qui ad eam dignitatem longè poſt evectus fuit à Paſchali II., ſed Joannes: opinionem itaque abjeci, ſaniorique conſilio ſum perſuaſus, Beneventanos Paſtorem quidem, ſed ſæculari, non autem Eccleſiaſtica poteſtate præditum, à Papa confirmandum petiiſſe, quem uſitatiori vocabulo appellabant Rectorem; idque à Falcone metipſo ibi ſimul exponi, non dubitavi: quandoquidem Portuenſis ille Epiſcopus non multos poſt dies in gratiam rediens cum Beneventanis, ex eorundem petitione (verba ſunt Falconis) *oravit Dominum Papam, ut Rectorem mitteret, qui Roſſemannum Monachum Rectorem iteratò conſtituit*: nimirum reſtituit, ut reor, quem Beneventani ſuſcipere recuſarant, unde proceſſerat ſeditio; ſicque lis ea omnis, ac jurgium conquievit. Verùm enimverò de his cùm ita ſtatuam, haud tamen negaverim, Rectorem à Beneventanis electum dignitate Epiſcopum extitiſſe: namque ejus fautores demonſtrabat Falco, dicens, civile bellum *incboatum, eo quòd pars Epiſcopi in Campanili* (Eccleſiæ Cathedralis) *aſcendens, Palatium Datonarii* (in inferiori urbis loco ſitum ad occidentem Hybernum, vulgò nunc dictum *la Commare*) *in quo Epiſcopus ille* (Portuenſis) *morabatur, fortiter expugnabat*. Rector itaque ille à Beneventanis expetitus, dignitate Epiſcopus fuit, idemque nomine appellatus *Riſo*, ut idem exponit Auctor. *Qui*, inquit, *ex parte Riſonis videbantur, arma, & belli apparatus ſuper Campanili impoſuerunt*. Quocirca Rector à Papa iteratò inſtitutus cùm fuerit Monachus; obſervareque etiam in Falcone poſſimus, ejuſdem urbis ſæpiùs demandatam fuiſſe curam viris Cardinalibus, atque in anno 1120. Roſſemannum Diaconum præfati Roſſemanni filium ordinatum Rectorem à Callixto Secundo, nulla jam de Epiſcopo Riſone tunc electo à Beneventano Populo reliqua nobis

eſſe

Digitized by Google

esse poterit dubitatio. Haud igitur Falco, ut olim opinabar, Beneventanam Historiam conjunctarum etiam rerum casus complectentem, ab excessu Beneventani Principis Landulfi Sexti, atque ab anno 1077. sed ex recentioribus est eam initiis auspicatus. Illa autem, nisi mea me iterum destituit conjectura, ea ipsa arbitror, quæ Pontificatus Paschalis Secundi primordia etiam fuere, præsentemque Falconis textum uno, aut altero anno vix antecedunt; electus namque fuit Paschalis, Urbani Secundi successor, mense Augusti, anno 1099. qui *in anno 1102. Indictione* 10. ut perhibet Romualdus Salernitanus in Chronico, *simul cum* Apuliæ *Duce Rogerio obsedit Beneventum maximo cum exercitu: nec destitit, donec eo, qui in eadem civitate principabatur, expulso, cepit ipsam civitatem*. Hos itaque suorum Beneventanorum casus adeò memorandos videri ne poterit Falco prætermisisse, qui eorundem Historiam per annos proximè subsecutos describendam susceperat? quique aliam opportuniorem scriptitandi occasionem nec seligere quidem valuisset? Quod nullo verisimili argumento inficiari cùm possimus, consequens quoque est, ut credamus, unà cum iis ab eo expositum, quis ille, Romualdo innominatus, fuerit Princeps, atque quo pacto, & anno, Beneventanum obtinuerit Principatum. At Falconis frustrata hæc vota haud prorsus irrita remanebunt; cujus defectus ex præfati auctoris narratione, exque Petri Diaconi dictis suppleri utcumque poterit; qui in Auctario ad Ostiens. lib. 4. cap. 19. meminit cujusdam oblationis, quam circa annum 1098. fecerat B. Benedicto, ac Monasterio Cassinensi *Anso Rector Beneventani Principatus ad fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, & nobiles viri fratres sui Dauferius, & Atenulfus, Joannes, & Berardus, Petrus, & Alfanus, & Luitprandus, filii Donni Dacomarii Beneventani Præsidis*. Hic autem Rector Anso in ipso Diplomate ejusce donationis, seu Præcepto, cujus Antigraphum extat in Registro ejusdem Petri pag. 283. non *Rector*, sed nuncupatur *Princeps*, quo etiam nomine est eidem Auctori ibidem dictus pag. 32. à ter. ubi recitatis literis, quas Urbanus 2. Benevento rediens Romam, dedit *Carissimo filio A. Beneventanorum Domino* (sic ibi) *apud Ceperanum* 3. *Non. Novembris*, eidem præcipiens, ut Monachorum Cassinensium jura super possessione Ecclesiæ S. Sophiæ ejusdem urbis sæpiùs examinata recognosceret, hanc notulam subjecit. *Sequenti anno*, inquit, *Papa defunctus est*, (scilicet in an. 1099.) *Anzo post biennium perdidit Principatum* (in an. 1101. quod Romualdus actum dicit anno sequenti) *& negotium istud ea propter mansit infectum*. Ista itaque gesta haud dubiè initio sui Chronici susiùs Falco exposuerat; quorum ordinem poterit nunc quisque pro arbitrio, ut verisimiliùs judicabit, conjectari. Verumtamen de meo hoc unum proferam, videri hunc Ansonem, sive Anzonem, ex Rectore, ut eum nuncupat Petrus Diac. in laudato Auctario, nomen Principis, atque dominium Beneventi, quà dissimulante, quà annuente Papa Urbano 2. usurpasse; qui illum non *Principem*, sed *Beneventanorum Dominum* in præfata epistola appellavit, idque à successore ejus Paschali nullo pacto fuisse toleratum: ex diuturniori enim ejusmodi Rectoratus Magistratu, quem Ansonis quoque pater Dacomarius, vir sanè magni nominis, pridem obtinuerat, proclive ei fuerat receptam longissimo annorum curriculo in ea urbe, subinde civibus acceptissimam, concupiscere, & demum adipisci dignitatem. At Falconis Historiam pari propemodum fallacia, qua rebar eam ductam ab anno 1077. & ab exordio Archiepiscopatus Roffridi, productam ad Guarmundi Beneventani etiam Archiepiscopi initia, & ad annum 1142. in ejusdemque gratiam ab Auctore suo elucubratam, sum quandoque opinatus, quæ quidem nullo congruo fine in anno nunc subsistit 1140. Meaque mihi arridebat conjectura, quòd ex Baronii observatione ad an. 1113. Falconem crederem, *in eadem Beneventana Ecclesia Clericatus munere functum*; qui eopse in opere ad annum 1124. Ecclesiasticum alloqui videbatur virum, atque in dignitate etiam constitutum, eum honorifico vocabulo Paternitatis compellans, inquit enim. *De miraculis autem, quæ ob prædicti patris nostri Barbati merita, honoremque Jesus Christus humani generis amator, nobis omnibus aspicientibus ostendere dignatus est, licèt sermone inculto, Paternitati vestræ explicabo*. Et ad an. 1118. *De guerra*, inquit, *Jordanis Comitis supra memorati, si vestræ placuerit charitati, & Comitis Rainulphi, aliquid succintè narrabo*, parique ratione ad an. 1137. sic habet. *Aliud quoque non tegendum silentio fraternitati vestræ explicabo*. Atqui iis sanè titulis, eaque dicendi forma haud decorum aliquem certum virum, sed quemlibet Lectorem modestè, & humaniter compellasse, censendus est: quippe ad an. 1114. id quamclarissimè innuit, cùm inquit. *Sed si Lectoris charitati asperum non videbitur, quod post illatam excommunicationem actum Beneventi sit, non prætereundum exarabo*. Et hanc itaque malesanam, sicut antecedentem, abjeci opinionem, de quo quid nunc statuam, nil prorsus habeo. Ipse autem Falco cur reputatus à Baronio fuerit clericali militiæ mancipatus, non equidem assequor; quem constat, ex laicali munere Notarii, & Scribæ sacri Beneventani Palatii, ut initio dixi, in Judicem Beneventanum adscitum: namque desitis Principibus, Curia Beneventana adhuc dici perseveravit *Sacrum Palatium*, ut ante annos tercentum Princeps Arichis instituerat, ac pleraque Palatina officia vel re, vel saltem nomine tenus remanserant, ut Comes Palatii: de quo idem luculentus testis est Falco ad an. 1114. & 1137. Cùm autem ille se civitatis Judicem in anno 1133. ex consilio Rectoris, & Cardinalis Girardi, Rolpotonis Comestabuli, aliorumque sapienzum civium factum, electumque prodit, perque Apostolicum Innocentii 2. Privilegium deinde confirmatum dicit, haud Prætorem definiendis litibus constitutum: sed in Decurionum, sive dicas Senatorum album credas relatum, qui per ea tempora plerisque in locis *Judices* appellabantur, unde etiamnum nobile Capuæ Forum servat antiquum ab ejusmodi Judicibus acceptum nomen. Et Beneventanorum quidem plurimorum Judicum frequens apud Falconem cùm sit mentio, quos sæpè cum sapientibus viris conjungit, sæpè etiam ipsos absolutè vocat sapientes: eorum tamen munus, quamvis fortasse circa judicia quoque versabatur, ut Cajetæ olim observatum constat, cæteras nihilominus publicas contemplabat functiones; Pontificemque Callixtum 2. in an. 1120. Beneventani solemni pompa in suam urbem excipientes, *pedes ejus, & habenas equi cives quatuor à Ponte Leproso usque ad Portam S. Laurentii* (qua ab eo latere urbs aditur) *ducebant: deinde quatuor alii usque ad Episcopium: ab Episcopio autem quatuor Judices Joannes, Persicus.....* (deficit Judicis nomen, qui tertio descriptus fuerat loco) *& Landulphus usque ad sacrum Beneventanum Palatium detulerunt*. Et in anno pariter 1137. *Judices Beneventanæ civitatis*

vitatis cum aliis civibus Regem Rogerium *adeuntes, ad Anacleti fidelitatem, & ipsius Regis amorem civitatem submittunt Beneventanam*. Ad ejusmodi igitur Judicum ordinem, dicendum est, Falconem ex Notario fuisse evectum: pari ferme ratione ac vir nomine Salernus ex medico Judex Salernitanæ urbis legitur apud Hugonem Falcandum institutus, qui nihilominus medendi exercitia non deseruit. Et sanè qui regendis civitatibus sua tunc ferebant suffragia, & præcipuum ordinem, ut olim Decuriones in Coloniis, Romæ verò Senatores, constituebant, Judicum nomine passim appellabantur; nam Rex Guilielmus 2. unà cum matre sua Margarita literas dans *Andreæ Stratigoto, & Judicibus, & universo Populo Messanensi*, quas recitat idem Falcandus, universam urbem Messanam compellasse videtur; eodem pacto ac si antiquori ritu dixisset. *Ordini, & Populo Messanensi*. Eandemque formulam non alia mente pridem usurpavit Pontifex Joannes 8. cùm Epistolam scriberet. *Omnibus eximiis Judicibus, & universo Populo Neapolitano*, quæ inter ejus Decretales notatur num. 67. & simul in epist. 205. Landulfum assereret, *omnium Dei Sacerdotum, & Judicum, seu totius Capuanæ plebis voto, parique consensu*, fuisse electum ejusdem urbis Episcopum (stat *seu* hoc loco conjunctivè pro, *&*, acceptione non infrequenti, ut opportuniori occasione exponam). Quorum quidem Judicum ordinem ex solis viris Patritiis constitisse, idem indicat Pontifex epist. 206. de eodem electo Episcopo ad Guaiferium Salerni Principem scribens, ac *Nobilium* appellans *Catervam*, quos in antecedenti *Judices* nuncupaverat. Hi tamen peculiari consuetudine tum Neapoli, tum Cajetæ, tum quoque Pisis: sed dispari nonnihil observatione, non hoc loco aptè exponenda, dicti fuere *Consules*, unde nostro Falconi ad an. 1134. *Alzopardus, & Canis Consules Pisanorum*, deque Neapolitanis Consulibus aliis relata, sed non huic fini, nec modò succurrit quàm bene exposita, obvia sunt exempla, quæ nunc repetere, non est opus. Haud tamen omittam, bis dici Anastasio Bibl. in Hadriano *Judices Cleri*, & *Judices Militiæ*, qui eidem ibi nominantur *Primates Ecclesiæ*, & in Stephano 2. *Optimates Militiæ*: utrumque nimirum Romani universi Populi ordinem, hoc est Ecclesiasticum, & Laicalem, Cleri, & Militiæ vocabulis denotans. Quos quidem Optimates ab præfato Hadriano obviam missos credam Carolo Magno Romam adventanti, cùm *direxit in ejus occursum*, ut idem loquitur, *universos Judices ad ferè triginta millia ab Romana urbe*; cujus itineris spatium ad numerum Judicum retulisse videtur parum lectioni attentus Platina, legendumque judicasse, *tria millia*: qui nec sic devitans immodicum cœtum Judicum, vocatos censuit hoc nomine eos, *qui nequaquam sordidis artibus impliciti essent*, sed acceptione nunquam omnino observata. Deque his ipsis Judicibus, sive optimatibus Militiæ, idest Laicalis Populi Romani, capio Petrum Diac. in Auctar. ad Ostiens. lib. 4. cap. 37. qui eos ab dignitatibus, muneribusque appellat, *Bajulos, Cereostatarios* (sic ibi legendum, non, *Cereostarios*) *Stauroferos, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, Candidatos, Defensores, & Stratores*. Ex quibus intelligere erit, Judices non semper ad Judicia referendos esse, nostrumque simul Falconem haud Ecclesiasticorum Judicum consortio fuisse aggregatum, qui non *Cleri*, sed *Civitatis* se Judicem affirmat institutum. Sed in his diutiùs jam non moror.

Digitized by Google

FALCONIS BENEVENTANI CHRONICON.

JULIUS DE SYNDICIS BENEVENTANUS.

LECTORI.

PErvenit in manus noſtras, Lector dulciſſime, libellus quidam, cujus auctor Notarius Falco, Scriba Sacri Palatii appellabatur: in quo Hiſtoriæ multæ totius Regni Neapolitani ſcriptæ ſunt; præcipuè tamen Beneventanorum geſta inter ſe, uti civilia bella, ac etiam contra exteros Normandos, ut eſt videre ibidem. At quia corroſioni, & literarum obſcuritati, ſucceſſione longi temporis videbatur proximus, ut apparet ex defectu ſui principii, & ſui finis, utrinque enim paginæ duæ evulſæ, & deperditæ ſunt, propterea ne tantum opus, & auctoris labor in nullam memoriam deveniant, exemplandi onus ſuſcepi; commutando tamen characteres Longobardorum in latinos noſtros. Noli igitur mirari, ſi principium habet ſine principio, & finem ſine fine. Vale.

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

apud urbem Romanam eum ab honore privabat, quinetiam animos Beneventanorum ſæpiſſimè incitabat, ne præter licentiam Domini Papæ Archiepiſcopatui conſentirent. Tandem Concives hujuſcemodi deliramenta aſpicientes, nec mora, ferè centum nobilium, & bonorum hominum Romam miſerunt, Dominum Papam precantes, ut Paſtorem electum corroborare dignaretur. Illi autem abeuntes, coram omnibus, videlicet in Sacroſancta Synodo, quam conſtituerat, eum indeſinenter poſtulavere, quod minimè obtinere valuerunt. Videntes autem hoc, qui miſſi fuerant, indeque reverſi corda aliorum movebant dicentes, Patres, Avos, Proavos noſtros tantam injuriam paſſos nunquam fuiſſe. Sed quid plura? Qui ex parte Riſonis videbantur, arma, & belli apparatus ſuper campanili impoſuerunt; audierant enim, quòd Petrus ipſe Portuenſis Epiſcopus conjurationem feciſſet, ut theſauros Eccleſiæ, & ejus bona virtute vellet diripere. Tunc Epiſcopus ipſe in coclerio arma imponi aſpiciens, triſtis factus, ſuos vocari præcepit fideles, quatenus conſulerent, quid ſuper hoc tanto, talique negotio fieri debuiſſet. Interim bellum inchoatum eſt, eò quòd pars Epiſcopi in campanili aſcendens Palatium Dacomarii, in quo Epiſcopus ille morabatur, fortiter expugnabat, & Epiſcopi auxiliarii de Turre Dacomarii pugnantes invicem crudeliter præliati ſunt; duo quidem juvenes in ipſo conflictu animas reddidere. Poſtremò nocte adveniente, videns ſe Epiſcopus ipſe circumventum, medio noctis ſilentio Monaſterium S. Sophiæ cum quibuſdam aſcendit, ibique tempore non multo commoratus eſt. Præterea Cives metu coacti timentes, ne Epiſcopus ille eos apud Dominum Papam affligeret, eum coëgerunt, quoadusque eis fidem ſacramento præberet, quod facturum promiſit, oravitque Dominum Papam, ut Rectorem mitteret, qui Roſſemanum Monachum Rectorem iterato conſtituit.

Anno 1103. XII. Indictionis.

Anno 1104. XIII. Indictionis.

Anno 1105. XIV. Indictionis, menſe Januario, & Februario nix magna fuit, & fluminum inundatio, & ſtella Cometes ad Occaſum apparuit: triduo enim poſt venit Papa Beneventum.

Sequenti anno obiit Henricus Theutonicorum Rex.

Anno 1107. menſe Septembri I. Indict. obiit præfatus Roffridus Beneventanus Archiepiſcopus, qui ſedit triginta annis & uno, menſibus duobus, diebus viginti.

In hoc anno, ipſo menſe Septembris obiit Abbas Madelmus, & hoc menſe Septembris electus eſt Bernardus Abbas in feſtivitate Sancti Angeli.

Anno 1108. II. Indictionis ſterilitas vini, mortalitaſque animalium, & Papa Paſchalis venit Beneventum, qui menſe Novembris ordinavit Landulphum Archiepiſcopum.

Anno 1109. III. Indictionis obiit Formatus. Paſcha accidit VII. Kalendas Majas (1), & ſecundo die intrante menſis Novembris combuſtus eſt theſaurus S. Mariæ.

Anno 1110. IV. Indictionis Henricus Rex venit Romam, qui fraude, & dolo Papam Paſchalem cepit, & Cardinales menſe Februario. Eodem menſe Dux Rogerius obiit, & Boamundus germanus ſuus (2).

An-

(1) Annorum, Indictionumque hi non cohærent numeri; eademque diſconvenientia præſens Chronicon laborat ab omnium primo, quo prænotatum habetur anno, ad an. 1112. Caſtigandas autem eſſe Indictiones, quæ rectum calculum unitate excedunt, tum ex iis, quæ infra dicam, tum ex die Paſchatis hîc deſcripto, palàm conſtat. Namque in anno 1109. verè Paſcha celebrari contigit VII. Kal. Maji, quod tempora ſubducentes non latebit. *Peregr.*

(2) Ex recta antecedentium, & ſubſequentium annorum in præſenti Chronico deſcripta ſerie hic planè eſt annus 1110. At ei non Indictio quarta, ſed tertia: nec quos Falco appingit, competunt eventus, ſed anno 1111. In antiquo Vaticano Codice apud Baronium captus no-

Digitized by Google

Anno 1111. V. Indictionis.

Anno 1112. VI. Indictionis menſe Martio (3) Papa Paſchalis faciens Romæ Synodum fregit pactum, quod fecerat cum Henrico Rege. Hoc anno incœptum eſt ædificium, vel ædificari Oratorium Sancti Bartholomæi Apoſtoli. . . . . .

His & aliis ita decurſis cernentes Beneventani ſe variis prædarum doloribus affligi, conſilio habito, Landulphum Archiepiſcopum, & Joannem Judicem ad præfatum Apoſtolicum delegaverunt, quatenus Cives illos tanta oppreſſos calamitate ad portum ſalutis erigere dignaretur; præcipuè cùm plerique Beneventanorum civitatem intrinſecis conſpirationibus ſæpè turbaviſſent; ſcilicet quòd alii Landulphum Burrellum, alii Anſonem civitatis Rectorem ſinè Domini Papæ voluntate conſtituere ſatagebant. Apoſtolicus autem hæc audiens, nec mora, ſecundo die intrante menſis Decembris advênit Beneventum, qui menſe Februario Synodum conſtituit. Synodo autem facta, cùm in Sacro Beneventano Palatio aſſiſteret, prædictamque conſpirationem factam pro parte illius Landulphi Burrelli deprehendens, Concives vocari juſſit, à quibus, quid agendum eſſet ſuper hoc tanto, & tali negotio, ſubtiliter ſciſcitatus eſt, quomodo, ut diximus, conjuratio illa ad traditionem Civitatis, & detrimentum fore videbatur: & quòd quidam Civium pro ipſius Landulphi auxilio turres Portæ ſummæ noctu cepiſſent; indeque munitionum ipſarum cuſtodum ejicientes una tantùm nocte eas virtute tenuerunt. Tandem, Deo opitulante, & Beneventanorum complurium fidelium ſolatio, quorum mens erat ſanior, turres ipſæ vendicatæ ſunt, & B. Petro reſtitutæ. At cives ipſi tale Domino Papæ dedere reſponſum, ut, quos ſuſpectos haberet, vocaret, & ab eis pleniter juſtitiam ſumeret. Quid plura? Curiâ ordinatâ, vocantur malorum fautores, vocantur ſuſpecti; tandem legitimè ſententiâ extensâ, quoſdam captos vidimus, quoſdam ejectos, & domos quorumdam fiſco deditas, quorumdam deſtructas. Iſtis taliter actis

Anno videlicet 113. ſupra milleſimum, & XIV. anno Pontificatus ſupradicti Domini Papæ menſe Martio VI. Indictionis Dominus ipſe Apoſtolicus civitatem Beneventanam variis prædarum perſecutionibus ex omni parte oppreſſam aſpiciens, & Civium bona à Normandis undique vicinantibus quotidie diſtrahi, & confundi cognoſcens, conſilio habito, Landulphum de Græca militem præſtantem, & ſolertem Comeſtabulum Beneventanorum inſtituit (4), quatenus, Deo adjuvante, & ipſius prudentiâ civitas à prædarum ſolita confuſio-

notatur Paſchalis ab Henrico *Menſe Februario, pridie Idus, anno Dominicæ Incarnationis* 1111. *Indictione* 4. *die Dominico*; cui antiqua monumenta prorſus omnia, & Auctores conſentiunt; ſibique invicem bene congruunt temporum hi Characteres. Rogerii etiam Ducis, & Boëmundi obitum nec in antecedentem referunt annum Petrus Diac. in Auctar. ad Oſtienſ. lib. 4. cap. 40. Romualdus Salernitanus, Anonymus Caſſinenſis à me recenſitus, & qui recentiſſimè mihi innotuit, perque me poſt has Caſtigationes lucem primùm aſpiciet Ignotus, & antiquus civis Barenſis, Chronici Lupi Protoſp. ferè Paraphraſtes; qui præterea Rogerium menſe quidem Februarii, ut hîc dicitur; ſed Boëmundum menſe Martii defunctos notat, eique adſtipulantur Emortualia Monaſterii Caſſinenſis edita à Caracciolo. Minimè itaque receptam aliis annorum ſupputationem ſervaſſe, cenſendus eſt Falco; qui ſanè haud annos ab Januario, ſed à Martio auſpicari deprehenditur; namque ſingulis ferè præpoſitis annis menſem ſtatim ſubjicere ſolet Martium; & quæ per Januarium, & Februarium, perque initia etiam Martii acciderunt, in eundem conſtanti tenore conjicit annum, in quem retulerat ea, quæ per menſes contigerant anteriores. Sic nimirum ad annum obſervat 1112. ubi de Paſchali Beneventum adveniente menſe Decembri, ibique Synodum celebrante in Februario: nec non ad an. 1117. ubi de eodem Pontifice aliam Synodum ibidem habente menſe Aprili, diem verò obeunte 11. Kal. Februarii. Et ad an. 1129. ubi de Pontifice Honorio eadem in urbe conſecrante Franconem in Abbatem S. Sophiæ menſe Auguſti, ac decedente in Februario. Et præterea pag. 221. 245. 252. 254. 278. 296. 319. & 338. (*edit. Caracc.*) annos tum ultra Decembrem producit, tum ut dixi, ad Martium uſque extendit etiam inchoatum; qui tamen pag. 190. & 320. diem quartamdecimam, & decimamquintam prædicti menſis & pag. 201. diem ſecundam novo anno imputat; ita ut annos non ab die, qua *Verbum caro factum eſt*, vigeſimaquinta nimirum Martii; nec à die Nativitatis, vel Circumciſionis ſe ducere prodat; quos nihilominus ab communi Epocha ducit Nativitatis, ac juxta communem calculum congruas eis aſſignat Indictiones, quo ſanè pacto tertiam, non quartam Indictionem, ut editus Codex depravatè repræſentat, ritè adſcripſit an. 1110. eamque pari paſſu ad Martium produxit anni ſequentis; nec de cætero eſt ſincerior alia lectio ibi expetenda. *Peregr.*

(3) Reſcribe *V. Indictionis*, quod exigit temporum ratio ſuperiùs expoſita; & inſuper Card. Baronius teſtatur ad an. 1140. ſic haberi in hujus Chronici antiquo exemplari. *Falco Beneventanus*, inquit, *Chronicon ſuum in hunc uſque annum perduxit, cœptum ab anno Redemptoris* 1112. *quinta Indictione*. At de ejus exordio ſic quidem ibi pronuntiat: ad annum tamen 1113. ductum ipſum ait ab anno hoc ipſo, perque annos dumtaxat 27. ad annum uſque 1140. productum; ita ut antecedentium, quæ ſuo operi inutilia, & per ſe tum mutila, tum nimis jejuna eſſe cognoverat, nihili feciſſe videatur. Cæterùm in Falcone è verbis illis: *Hoc anno incœptum eſt ædificium, vel ædificari*, &c. expungendum eſt tò *ædificium*, quod orationi non quadrat, redundatque; gloſſula cùm ſit compendiati verbi, *ædific.* Apoſtolicus autem, hoc eſt Romanus Pontifex tunc Paſchalis 2. Beneventum, ut Falco perhibet, cùm adveniſſet initio menſis Decembris hujus anni 1112. Synodum deinde ibidem celebravit in Februario, ſcilicet communis ſequentis anni 1113. hiſque conſonat Petrus Diac. in Auct. ad Oſtienſ. lib. 4. cap. 48. qui præſentem adventum Paſchalis in has partes numero facit ſecundum, priorem ſtatuens in anno 1108. menſe Octobri, ut tradit lib. eod. cap. 33 adſertoremque noſtrum habet Falconem, dicentem tunc illum menſe Novembri ordinaſſe Landulfum Archiepiſcopum Beneventi. Quo circa hoc anno ab eodem Pontifice Beneventum pergente conſecratam credam in urbe nuncupata S. Agatha Gothorum, Eccleſiam S. Mennæ, quam conſtruxit *R. Comes*, hoc eſt Robertus filius Rainulfi, Petro Diac. memoratus præfato lib. 4. cap. 25. licèt inlapide, operis ſanè antiqui, nec impoſturæ indicium præferente, ibi poſito, legerim eam actam *anno ab Incarn. Dom. MCIX. II. Non. Septembr. Indict. quarta per manus Dom. Paſchalis Secundi PP.* quæ præterea temporum conſignatio haud ſibi conſtat; nec Paſchalem eo anno, & menſe ad nos acceſſiſſe, eſt qui prodat. *Peregr.*

(4) Baronius hoc loco, & ad an. 1114. ex hoc Auctore appellat: *Landulphum de Græcia*, quod gentis nomen natum ſuſpicor ab dominio oppidi olim *Græcia* nuncupati, in terra Beneventana, ut legitur in Regiæ Siclæ Tabulario; idque variè pronunciatum reor, qui à Falcone vi-

fusione, quæ sæpissimè imminebat, & à conspirationum seditione contra Dominum Papam crebro erecta, secura in progenie, & progenies consisteret: cognoverat enim eum prudentem, & animosum, sagacisque ingenii virum, cujus auxilio, & solertia nedum Beneventanorum populus sibi ad regendum commissus, verùm etiam pleraque Langobardorum habitatio à Normandorum servitute affligentium eripi, & liberari confidebat; Erat quippe Landulphus ipse bellicosi spiritus, & minorum injurias non patiens, inimicis omnibus quotidie minabatur. Nam si quis inimicorum illi injuriam, vel prædam inferret, mori priùs velle desiderabat, quàm impunitus aliquo modo inimicus recederet. Quid plura? Landulphus ipse Comestabulus, ex omni parte, virtute, & scientia redimitus colla nulli minantium flectere dignabatur. Cùmque sicut prædictum est, Landulphus ille, Comestabiliæ honorem à supradicto Domino Papa Paschali acciperet, videns castellum, quod quidam Robertus, qui Sclavus cognominabatur in monte Sableta construxerat, vir omnis malitiæ, & nequitiæ studio repletus, anxiando cum eo loquutus est, ut castellum illud destrueretur. Ob Beneventanorum enim guerram, & inimicitiam civitatis, castellum illud Robertus ipse construxerat mirabile, valdeque laboriosum. Ex cujus castri residentibus multa cives opprobria, damnorumque copiam perpessi fuerant, ita quidem, quòd quidam concivium pro ipsius castelli ædificio prædia, & possessiones, quas circa eundem montem habuerunt, perdidere. Castello itaque mirabiliter constructo, illic residentes cum ipsius Roberti servientibus quandoque Beneventanos capiebant; quandoque, quod crudelius est, peregrinis vitam cum eorum bonis auferebant. Prædictus igitur Apostolicus hæc Romæ audiens Robertum illum excommunicavit, donec castellum illud civitati contrarium deleviset, quod facere ipse Robertus contempsit. Quid plura? Landulphus ipse de Græca Comestabulus ordinatus, cum prædicto Roberto pactum incipiens, ipse quod cum prædicto Papa facere noluerat, castellum illud destruxit, & funditus delevit, duobus videlicet equis optimis, & ducentis solidis datis. Deinde Landulphus ipse Comestabulus pactum cum Comite Jordano sacramento affirmans, quotidie virtutibus, & laudis præconio attollebatur.

Robertus itaque Princeps, & Robertus, & Jordanus Comites castellum illud sic destructum, & Landulphum illum Comestabulum de die in diem virtute, & divitiis repleri aspicientes, invidiæ zelo ex odio Longobardorum perculsi, putantes se illius prudentiâ exhæredari, cum omnibus Normandis ex omni parte vicinantibus conjuravere, affirmantes se guerram Beneventi facturos, & prædam, donec Landulphus ipse Beneventanorum Comestabulus videretur. Sacramento ipso taliter

A confirmato innumeris cum militibus, & peditibus super Beneventum venerunt, duodecimo die intrante mensis Augusti, & in monte, qui Guardia dicitur, die una tantùm, ac nocte castrametati sunt, credentes & illum ejicere, & civitatem omnino depopulari, sed die ipso, quo applicuerunt, bellum inchoantes & superati sunt, & quidam eorum capti. Nocte autem insecuta, timore cœlesti, & Beneventanorum terribiliter commoti, more latronum per devia fugientes, existimabant se nocte ipsa à Beneventanis capi, & turpiter teneri. Ita quidem, ut sicut ex ore eorum complurium narrantium auditum est, si Comestabulus ipse cum Beneventanorum, & militum
B caterva Ecclesiam S. Angeli ad crucem transcenderet, vel vocis alicujus sonitus audiretur, & hostes, & hostium apparatus stipendia Beneventanorum in manibus proculdubio traderentur.

Illis autem Normandis sic abeuntibus, Landulphus ipse de Græca Comestabulus, inimicorum non ferens impugnationes, vicem reddens pro acceptis, haud mora, militum ferè centum & octuaginta numero armatorum collecto, & civium circiter quatuor millia multitudine congregata, castellum, quod Terrarubea dicitur, adivit, quod igne, ferroque terra tenus prostravit: ipsiusque castri incendio Robertus quidam de Sicilia dictus, combustus obiit; sicque innumerabilem animalium,
C & aliarum rerum substantiam Beneventum magno cum gaudio perduxere. Non post multum verò temporis iterum collecta Equitum, & Concivium cohorte, Landulphus ipse castellum Apicem insilivit, cujus castri, & molendina destruxit, & prædam animalium secum gaudens asportavit.

His omnibus ita perfectis, guerra Normandorum quorum mentionem fecimus, duriùs incepta est; in qua Landulphus innumeram auri, & argenti copiam, & equorum distribuit. Interea dum Comestabulus ipse cum militum caterva prope pontem Serretellæ pro
D inimicorum insidiis custodisset, en adsunt equites Roberti Comitis ferè quinquaginta, qui & pro dolo civitatis inter fruteta morabantur. Quid dicam? insidiis ex utraque parte propalatis, conflictus inter eos habitus est. Tandem Dei misericordia superveniente, pars inimicorum terga vertens, in fugam conversa est, adeò quòd de eorum equitibus duodecim captivos Comestabulus ipse cum armis omnibus eorum duxit. Præterea sicut diximus, guerrâ ex utraque parte fortiter inchoatâ, sæpissime hinc & inde deprædatum est. Contigit autem die quadam, Rao, qui erat Dominus Castelli Ceppalunis, cum Landulpho Burrello, & aliis ferè centum quinquaginta militibus, & peditum multitudine ad
E frangendam, ut ita dicam, arcaturiam ivit. (5) Cùmque Comestabulus sic frangentes eos flumen Sabbati vidisset, tantam non ferens audada-

videam infra ad ann. 1121. memorari *Gerardum de Græcis*; sicut & ad ann. 1137. *Thadæum de la Græca*, nobiles utique viros Beneventanos. Porrò Landulfus honorem Comestabiliæ à Papa Paschali, nescio an dicam adhuc in hoc anno 1113. apud Beneventum commorante, accepisse videtur mense Martii; qui anno sequenti (cum ipso dicam Falcone) *posita Comestabilia domum secessit eodem mense, quo ordinatus est: unius solummodo anni spatio in honore perseverans*. Et verò haud hoc anno Paschalis Beneventi manens literas dedit 15. Kal. Aprilis ad Patriarcham Antiochiæ, à Guilielmo Tyr. relatas lib. 11. cap. 27. sed in an. 1117. ut dicam post; qui alias etiam recitat datas ab eodem Pontifice eadem die ad Regem Hierosolymitanorum, non Beneventi, sed apud Lateranum commorante, manifesta contradictione, aliis non observata. *Peregr.*

(5) Palorum sepem in publicum, privatumve commodum structam ad arcendam, constringendamve peremnis fluminis aquam, Falco populari tunc vocabulo, plerisque etiamnum in locis usurpato, appellat. *Arcaturiam*. Peregr.

Digitized by Google

daciam, in medium campi ad Ecclesiam Sanctorum septem Fratrum, stipatus militum collegio exiit; ubi ad invicem decertatum est; sed, peccatis supervenientibus, pars Comestabuli ab insidiis inimicorum decepta, per planitiem illam persecuta corruit; ita quòd duodecim milites civitatis nobiles cum omni armorum apparatu retenti sunt.

Istis omnibus, & aliis sic decursis, inimici omnes, qui pro guerra conjuraverant, videntes Comestabulum ipsum colla eis non flectentem, eis potiùs minari, & Beneventanos eum, & ejus præcepta jugiter sectari, cœperunt civitatem plus solito distringere, præcipientes, ut omnes, quas possent, vineæ circum astantes inciderentur. Quod & factum est: insuper pauperes, alioſque viros, quos invenirent, caperent: sententiâ quorum divulgatâ, plerique hominum capti sunt.

Anno 1114. mense Martio VII. Indictionis, dum vineæ sic incidebantur, & capiebantur homines, Beneventanorum quidam, invidiæ gladio compulsi miserunt ad prædictum Papam Landulphum Archiepiscopum, & Rachisium Sancti Modesti Abbatem, ut ei necessitatem ex omni parte, quam patiebantur, intimarent. Ipsi autem abeuntes, quam viderant afflictionem Domino Papæ patefecerunt, eum lacrymando precantes, ut gregi commisso sicut pastor bonus subvenire dignaretur. Necessitate autem Domino Papæ oftensa, eis præcepit, (6) ut pacem civitati, prout meliùs potuissent, facerent, & pauperibus subvenirent, ne Petrus Apostolus civitatem acquisitam occasione perderet; quicquid autem de pacis consilio invenissent, ipsi remitterent. Archiepiscopus verò Româ reversus aliter quàm acceperat, faciens, misit Landulpho Comestabulo dicens, ut condolens necessitati pauperum Comestabiliam deponeret, quoad usque Dominus Papa Beneventum veniret. Postea verò aut pretio, servitiisque, seu civium precibus Papam ipsum precarentur, eumque honori pristino redderent: dummodo Normandi pacem facere nolint, sacramento, ut dictum est, eorum interveniente. Landulphus autem Comestabulus hoc audiens, in Sacro Beneventano Palatio coram B. Petri fidelibus respondens ait, se nunquam Comestabiliam dimissurum, nisi manu ad manum captus esset, & per vim retentus. Insuper videre vellet, quam Normandi pacem Beneventanis facere voluissent, & Domino Papæ pacem ipsam descriptam delegaret; quicquid autem de pace præciperet, vel de Comestabilia ponenda ipse Dominus Papa coram omnibus faceret se executurum. Qualiter autem in Sacro Beneventano Palatio Comestabulus ipse affuerit, retexam: Cùm, sicut prælatum est, Archiepiscopus Roma reversus fuisset, cum quo & Petrus Portuensis Episcopus, & Romualdus Diaconus, Sanctæ Romanæ Sedis Cardinales ab ipso Papa missi pro pace invenienda fuissent, absque mora, in ipso eorum adventu, eisque nondum hospitatis, populus ferina mente commotus Palatii Dacomarii, in quo Comestabulus habitabat, ascendens vociferabatur, dicens, quòd pacem desideratam, nisi citò feceritis, omnino gladiis acceptis per plateas moriremur: Insuper minas, & opprobria Comestabulo inferebant, dicentes, eos pro unius hominis Comestabilia guerram passuros non esse, & sic turpiter vitam finire. Alia quidem die surgente, pars Archiepiscopi arma, & belli apparatus super Campanili imposuit, quatenus Landulphum armis, & lapidibus debellatum ejicerent. Seditionem itaque populi Portuensis Episcopus deprehendens cum eodem Comestabulo, & fidelibus B. Petri curiam Principis advênit, ibique in conspectu omnium taliter allocutus est: Afflictionem, & famis penuriam, quam diu pro fidelitate B. Petri passi estis, & patimini, Dominus noster Papa, & à quibusdam audivit, & ab Archiepiscopo deprehendit; unde sciatis eum toto mentis affectu contristari, & super audita mirabiliter dolere. Iccirco nos, & Archiepiscopum vestrum delegavit, quatenus, Deo adjuvante, pacem consequi valeatis. Propterea fidelitatem vestram monemus orando, ne superbia, aut furore moveamini, dum nos cum aliis sapientibus viris, pacis consilium vobis necessarium invenire possimus; tam enim grave, & laboriosum negotium nemo præcipiti animo agere poterit. Ideo nemo armis superveniat, quatenus, si Deo placuerit, pacem, omni furore deposito, invenire mereamur. Hæc, & alia hujusmodi eo loquente, vox populi ad sidera tollitur dicentis: Orationes istas, quas funditis, nos ullo modo audire non possumus, nisi pacem citissimè nobis dederitis. Tunc alio die adveniente, populus dilationes, & inducias, quas ponebant, non ferens, domum Persici Judicis aggreditur, quam ex toto destruxisset, sed quorumdam amicorum auxilio evasit. Portuensis igitur Episcopus seditionem populi placare non valens, aurora alterius diei surgente recessit, Comestabulo præcipiens, ut Palatium Principis ascenderet, & sic populi sævientis rumorem evaderet: qui jussui ejus favens, taliter Sacrum Palatium habitavit. Sed redeamus ad causam.

Archiepiscopus autem dicta Comestabuli audiens pacis firmamentum ordinatim describens, sicut postulaverat, ei mandavit. Audita namque serie scripturæ pacem continentis, ait Comestabulus, en pacis firmamentum optimum est; nunc Domino nostro mittatur, & sicut imperaverit, assequamur. Interea Archiepiscopus ipse, & vir quidam nomine Fulco, in Episcopio sæpe complures civium convocans dicebat: Nos Domino Papæ vestram patefecimus necessitatem, à quo & accepimus, ut finem cum Normandis faceremus; iccirco superfluum videtur pacem descriptam ad eum remitti. Civium verò quidam aliarum inimicitiarum odio repleti, animos aliorum incitantes palàm exclamabant, se pro illius Comestabilia guerram passuros non esse. Consilio habito conjuraverunt intra Episcopium, quòd Landulphum illum de Græca Comestabulum esse non consentient, exin, & dum Dominus Papa cum Consilio Normandorum illum honori non reddidisset. Sacramento taliter eo invento, Archiepiscopus prædicto Comestabulo Episcopum Abellinensem, & quosdam Presbyterorum misit, ut honorem dimitteret, sicut dictum est, qui & similiter respon-

(6) Baronius legit. *Necessitate in. Domnus Papa eis præcepit* &c. ex Auctoris planè idiotismo, optimoque ejusdem exemplari, quo est usus; à cujus tamen fide videtur alicubi discessisse, aliquandoque concinniùs, & ad Latinam magis normam dictionem composuisse. Singula nunc non prosequar ejusmodi loca, sed ea tantùm, quæ peculiarem exigent observationem, eritque mihi satis, indicium feciss. *Peregr.*

respondit. Deinde alia die Sabbati XIV. die intrante mensis Martii Comestabulus cum suorum caterva armatus in medium plateæ exivit dicens; quòd videre vellem eos, qui me de Palatio, & honore ejicere minantur. Laudabilius quidem est sic animam reddere, quàm ita turpiter, aut auri pondere promisso obstrictum, honorem acceptum dimittere. Audito igitur Archiepiscopus belli apparatu, & campana Palatii tristiter sonante, suos jussit vocari fautores, ut cum Normandis, quam posuerant pacem firmarent; si autem Comestabulus ipse resistere vellet, paratos eos haberet. Interim pars Archiepiscopi domum cujusdam fidelis Comestabuli aggreditur, quia eis non consentiebat; quod Comestabulus audiens, ut domum aggressam defenderet properavit, sicque eo viso bellum incœptum est civile, intantum quòd alii per campanilia, alii per tecta domorum, atque alii per plateas pugnarent. Postremò pars Archiepiscopi, fortunâ conversâ, victoriam capiens, Comestabulum illum cum suis usque ad Palatium Principis secuta est, quosdam autem ex utraque parte vidimus vulneratos. Comestabulus itaque se in Palatio recipiens parumper ibi moratus est, donec Archiepiscopus ei fidem dare deberet in persona videlicet sua, & suorum sequentium. Cives interea protelationem hanc non ferentes, & quòd sitibundo pectore pacem quærebant optatam, ei lapidibus minabantur, ut si citò de Palatio non descenderet, eum vi caperent, & membratim illum perimissent. Ipse autem Landulphus se circumventum aspiciens, se Archiepiscopo, & civibus reddidit: insuper jurejurando firmavit, quòd Comestabiliam, & Rectoraticum, aut aliquam Balîam publicam non acciperet, nisi bona voluntate Archiepiscopi, & Roffredi Archipresbyteri, & Arechisii Archidiaconi, & Roffridi Foligaderisii, & Roffridi à Porta aurea, (7) & Gervasii, & Vitalis filii Joannis Galli, & quòd malum meritum Archiepiscopo, & omnibus Beneventanis non redderet, & si aliquis reddere vellet, disturbaret sinè fraude, & malo ingenio. Quo facto, & à militibus, qui eum sequuti sunt, hujusmodi fides accepta est, & sic unusquisque ad propria remeavit, & Landulphus ille de Græca domum positâ Comestabiliâ secessit, videlicet eodem mense Martio, quo ordinatus est, descendit, unius solummodo anni spatio in honore perseverans. Alia autem die surgente Dominica, postquam hæc peracta sunt, Comes adveniens Robertus, cum militum, & peditum multitudine in capite Pontis majoris sacramento ipse, & Rao Dominus Ceppalonis, & Ugo de Castellopotonis pacem promissam cunctis vitæ eorum diebus, confirmaverunt. Idipsum etiam Jordanus Comes, & Robertus Sclavus, & Girardus de la Marra juraverunt. Cùmque sicut supra relatum est Archiepiscopus in persona Comestabuli, & aliorum videlicet militum, peditumque, velut ipse postulaverat securitatis verba dedisset, domum honore posito adiit, ipso namque Archiepiscopo, & Beneventanis videbatur, quòd pacem diu desideratam lucrarentur. Deinde Comestabulus securitate accepta domi residens existimabat nihil aliud proculdubio agere, quàm erga suam animam securiter impendere, erat enim, ut fati sumus, graviter vulneratus. Amici igitur ejus, & B. Petri fideles, quorum mens super illius contumelias, injuriasque fideliter contristabatur, die, noctuque, licèt non in propatulo eum solabantur; hortantes, ne animus ejus circa accepta tristis foret, cùm hæc quæ viderant, quæque facta super eo fuerant, pro Beati Petri fidelitate perpessus fuisset. Archiepiscopus autem, ejusque fautores hæc audientes, suspicione quadam repleti, sperantes Landulphum consilium pro Comestabilia reintegranda accipere, ei sæpe, sæpiùsque miserunt, ut civitatem exiret, & amicorum consortia desereret, dum Dominus Papa eum, qualiter præmissum est, honori solito reddidisset. Tunc Comestabulus verba ferentibus, aliisque concivibus palàm exclamabat: quòd super hujusmodi verbis miramur omnino, cùm ab omni Beneventanorum cœtu coactus Comestabiliam dimiserim, & promissam ab Archiepiscopo securitatem circa nos versari quoquòmodo non viderim. Tandem Comestabulus populi sævientis videns pertinaciam, magìs, magìsque inflammari, consilio habito die Dominica in Ramis Palmarum, aurora scilicet surgente, Montemfuscum paucis cum militibus expetivit. Deinde Archipræsulis conjuratio nondum perfidiæ inchoatæ fidem tribuens, Joannem, & Persicum Judices, aliosque Nobilium, & bonorum hominum sacramento perstrinxit, quo Comestabulus ipse juraverat, aliosque civium timore omni remoto, putant eos inimicitiarum merita eis retribuere allegavit. Cùmque istiusmodi facti, ultra quàm credi potest, nefandi, prædicti Apostolici aures fama tetigisset, tactus dolore intrinsecus super dilecti filii sui Comestabuli expulsione, lacrymis, sicut audivimus, manantibus, spiritu infremuit, qui confestim Archipræsulem Landulphum ab omni, quod acceperat à Sede Romana officio coram omnibus deposuit, similiterque omnes suos sequaces anathematis vinculo, donec satisfecerint, alligavit. Sed si Lectoris charitati asperum non videbitur, quid post illatam excommunicationem actum Beneventi sit, non prætereundum

(7) Scribo. *Roffridi Filî Gaideriſii*, qui ad ann. 1130. absolutè dicitur: *Roffridus de Gaideriſio*: sic enim ibi legendum est; non autem *de Garderiſio*, quippe apud Langobardos proprium virile nomen fuit *Gaideris*, quod Latino magis ore enunciabant, *Gaideriſus*, & *Gaideriſius*. Atque ex hoc Falconis loco intelligere est, quo pacto parentum nomina in filiorum, & in universæ tandem stirpis cognomina frequentissimè olim transirent: nimirum quoniam ex genitorum nominibus gnati sic, vel sic, communi quadam consuetudine denominabantur, ut ab aliis consimili appellatione in gente, vel in vicinia nuncupatis faciliùs discernerentur; quæ semel indita cognomenta firmiùs eis cùm inhærerent, gentilitia demum devenere, haud tamen contracta illa vocula *filî*. semper expressa, de quo exempla obvia sunt satìs. Plurima autem talia gentilitia ex parentum nominibus exorta cognomina facillimè ab omnibus nunc cùm internoscantur; sunt tamen nonnulla, quæ nisi antiquitatis peritioribus, nec iis omnia quidem patent; nam propria illa vocabula ab communiori usu cùm jam recesserint, vulgus haud ex ipsis, sed vel ex alia, vel ex ignota origine gentilitia processisse putat. Sed redeo ad Falconem; apud quem est hoc loco Roffridus, & ad an. 1119. Alferius cognomine dictus *A Porta Aurea*, quod genti inditum eadem planè occasione conjicio, qua apud Salernum nobilis quædam stirps à Portæ Rotensis custodia denominata fuit *De Porta*: promiscuè enim Portæ urbium olim à suis custodibus, ut alibi exposui, nomina desumebant; eisque sua aliquando impertiebantur. *Peregr.*

dum exarabo. Deum enim teſtor, nihil aliud poſuiſſe, præter quod viderim, & quod audiverim ſcripſiſſe.

Tali igitur anathematis ſententia in B. Petri adverſarios longè, latèque divulgata, delegavit præfatus Apoſtolicus Beneventum Anaſtaſium . . . . . & Albanenſem Epiſcopum Cardinales Romanæ Sedis idoneos (8), cupiens, quid Beneventanus populus in animo haberet cognoſcere. Cardinalibus autem ipſis hoſpitatis, triduo poſt cœtus omnis Beneventanorum in ſacro Beneventano Palatio convênit, ibique omnia qualiter Beneventi acciderant negotia, & guerræ origo ſurrexerat coram Cardinalibus illis radicitus recitatum eſt. Quibus auditis Anaſtaſius in verba prorumpens inquit. Ad videnda, Domini, & fratres, Romæ quæ audierat Dominus Papa noſter negotia, & inveſtiganda nos præcepto, ſciatis eſſe delegatos. Unde prout meliùs, Deo annuente, poterimus, circa pacis, & utilitatis veſtræ proficuum nos die, noctuque conſilium, & auxilium præbebimus. Iſtis, & his ſimilibus taliter prolatis, unuſquiſque ad propria remeavit. Diebus autem non multis elapſis, vir ille, cujus mentionem fecimus nomine Fulco, ex hujus ſæculi ergaſtulo, anathematis vinculo irretitus, heu miſer, migravit. His taliter actis, Cardinalis ipſe Romam tetendit: cùmque Cardinalis ipſe Anaſtaſius Romam peteret; Dominus Papa Paſchalis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus congregatis, menſe Octobri poſt primum ejus regreſſum adveniente, Ceperani Concilium conſtituit, ad cujus Sacri Conventus frequentiam Guillelmus Dux, & Robertus Princeps, mille ferè Equitum numero congregato perrexere. Landulphus verò de Græca Comeſtabulus literis Domini Papæ ſpecialibus ad idem Sacrum Concilium accerſitus honorificè commeavit. Qui à Domino Papa officioſiſſimè ſuſceptus eſt: hic namque fraudem devitans Normandorum navigio quodam ſecuriter transfretavit. Jordanus autem Comes, timens multorum ſuorum pondere delictorum oneratus ad tale tantumque Concilium pergere, Legatos ſuos direxit. Archiepiſcopus verò Landulphus ſuffraganeis ſuis convocatis, innumeraque auri, & argenti copia congregata, cum Comite Roberto ad conventum illum tetendit. Talibus igitur, & tantis Patribus, Proceribuſque congregatis, in medio conventus ipſius, die videlicet Sabbati Ducatum Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Duci præfato Apoſtolicus conceſſit (9). Concilio itaque mirabiliter ordinato, Apoſtolicus ipſe coram omnibus ſuper Landulpho Archipræſule lacrymabiliter, & quòd Comeſtabulum ſuum expuliſſet Landulphum, & quòd literis ſuis vocatum ad eum ire contempſiſſet, condolens conquerebatur. Ipſe verò Archipræſul nolens, immo timens conventum illum ſine loci, & officii reſtitutione ingredi, apud Inſulam Ceperani proximam hoſpitatus eſt. At ubi Apoſtolicum conquerentem ipſe comperiit, quoſdam Romanorum, & Præfectum etiam vocari juſſit, ut videlicet, utcumque potuiſſent, miſericordiam à Domino Papa pro eo impetrarent: quinetiam dicebat Archiepiſcopus ſe Domino Papæ ex omnibus illatis querimoniis ſatisfacturum, dummodo ei locum Concilii, & officium reſtitueret. Hoc Apoſtolicus audito, conſilio habito, & locum, & officium ei reintegravit; cùmque taliter reſtitutus fuiſſet, abſque mora, Conven-

(8) Duplices Cardinales à Papa Beneventum miſſos præfert his verbis editus Falconis Codex; qui infra hac eadem pagina unum tantùm Anaſtaſium Cardinalem apud Beneventanos loquentem, Beneventoque Romam recedentem facit, & ſanè unus, & idem Anaſtaſius Cardinalis ſimul & Albanenſis tunc erat Epiſcopus, quam lectionem, ac cætera in eandem ſententiam concorditer deſcripta Baronius ex ſuo exhibet exemplari; & præterea verba illa, *cupiens quòd Beneventanus populus in animo haberet cognoſcere*, citat in hanc formam, *cupiens quod Benev. popul. deberet ſe recognoſcere*, & infra, *nos pro certo ſciatis*: non, *præcepto*. Peregr.

(9) Non *Ducatum Apuliæ*, ſed *Ducatum Italiæ* legebat Baronii optimus Codex. Pontifex itaque, dices, univerſam Italiam Duci conceſſit Guilielmo in Concilio Ceperanenſi? Id quidem apertum quia videbatur mendacium, Librarium perſuaſit, ut expuncto Italiæ nomine, alterum Apuliæ induceret; vel ob id maximè, quod fortaſſe obſervaſſet, Petrum Diac. in Auctar. ad Oſtienſ. lib. 4. cap. 49. pro illa ſua ſtare lectione. *In eodem Concilio*, inquit Petrus, *idem Apoſtolicus inveſtivit Guilielmum Ducem de Ducatu Apuliæ, & Calabriæ*. At neſcius erat ex Græcorum tunc idiotiſmo, noſtratibus etiam Italis ob mutuam cum iis conſuetudinem uſurpato, communi Italiæ vocabulo à Falcone Apuliam ſolummodo demonſtrari, quam Langobardis, perindeque Italicis Dynaſtis ipſi ſubtraxerant. Nec noverat ob id recentem Calabriam, ſitam ad mare Inferum, tunc comprehenſam ſub eo vocabulo non fuiſſe, quoniam ea Græcis amiſſa nunquam fuerat, nec Italis unquam poſt Juſtini Junioris tempora poſſeſſa. Hoc autem ſi ex ſuperiùs laudatis ad Lupum Auctoribus, & ex Lupo metipſo non cognoverat, potuiſſet planè ex non uno Falconis loco quàm manifeſtiſſimè intelligere; cui frequenter non cuncta duplici mari, & Alpibus circumſepta Italia, ſed una tantùm Apulia eo nomine eſt. Dabo ejus in hanc ſententiam non ambigua verba de Lothario Imp. demoliente caſtellum à Rege Rogerio conſtructum apud Barim, ejuſque defenſores vi captos non uno mortis genere perimente. *De tali*, inquit, *tantaque victoria tota Italia, & Calabria, Siciliaque intonuit*. Quæ vocabuli uſurpatio adeò obtinuit, ut univerſa etiam cis-Tiberim Italica regio nonnunquam abſolutè dicta fuerit *Italia*: ut in antiqua chartula de anno 1091. in Archivo Monaſterii Cavenſis, quæ de quadam donatione eſt facta eidem Monaſterio à Guaimario de Jefuno Langobardorum Principum Salerni prognato, cùm ipſe ibi, & filius ejus ſacra religionis vota Deo nuncuparent. *Etſi*, inquit præclarus vir ille, *ante noſtram conſecrationem mihi & ipſi filio meo mors evenerit, in quocunque loco ab urbe Roma in iſtis partibus per totam pertinentiam Italiæ, ſtatim*, &c. Atque hinc eſt, quòd Græco Auctori Nicephoro Gregoræ conſtanti more Carolus Andegavenſis, dicitur *Rex Italiæ*, qui, ut olim vulgò loquebantur, fuit *Rex Apuliæ*. At hæc bis jam conſtabilita, nec difficili, dubiove aſſenſu doctis probata amicis viris, quibuſcum ea dudum communicavi, ſupervacaneum certè eſt longiori ſermone communire. Obiter tamen addam, noſtræ huic Italiæ idem propemodum accidiſſe, cùm abſolutè Italia eſt dicta, quòd ſeptem univerſæ Italiæ Provinciis pridem contigiſſe, norunt eruditiores; quæ abſolutum Italiæ nomen ſibi vendicarunt, quoniam eæ ſolæ magiſtratui parebant, Vicario Italiæ nuncupato, cæteræ cùm eſſent Vicario Urbis ſubjectæ. Sed nec præteream, nullâ fallaciâ à Falcone eſſe proditum, confirmaſſe tunc apud Ceperanum Pontificem Paſchalem Duci Guilielmo præter Apuliam, & Calabriam, Siciliam quoque Petro Diac. omiſſam, quam tunc ejus patruus obtinebat Comes Rogerius; nam Guilielmus, ut noſter perhibet ad an. 1122. *nondum medietatem ſuam Palermitanæ civitatis, & Meſſanæ, & totius Calabriæ eidem Comiti conceſſerat*. Peregr.

Digitized by Google

ventum illum, die videlicet Lunæ cum Comite Roberto adivit. Quid plura? eum reintegratum per Diaconum quendam ad faciendam justitiam in præsentiarum Apostolicus vocari præcepit. Qui continuò surgens voce lacrymabili coram omnibus respondens inquit: Primitus gratias ago Deo, & B. Petro, & tibi Domino nostro Papæ Paschali de restitutione loci, & officii: nunc autem Domine Pater vestram imploro Paternitatem, ut misericordiam super me, quem Sanctitas vestra apud Beneventanam Sedem plantavit, habeatis. Apostolicus autem hoc audiens; unde vis, inquit, ut misericordiam super vobis habeamus? & Archipræsul: Domine, quia audivi, vos erga me indignatos esse, quòd cùm me literis vestris accersiri jussistis, curiam vestram non adveni. Et Apostolicus; Quare, inquit, ut ipse asseris, vocatus curiam non adveniſti? Ad hæc Archiepiscopus, Domine, inquit, Pater, timore coactus vestræ indignationis, & quorundam minantium, non adveni vocatus, & quòd Legatos meos Episcopos quidem non accepisti, & alium quendam, quem priùs direxeram, adversarii nostri verberibus afflixere. Ad hæc Apostolicus, Legatos tuos, quos dicis Episcopos, iccirco non exaudivi, quia justitiæ faciendæ verba non dixerant, immo mercedis causâ pro vobis, venerant. Legatum autem alium, quem verberatum profiteris, nec vidi, neque ejus fama ullo modo ad nos pervênit. Cùmque Archiepiscopus ipse ex omni parte detentum se veris aspexisset responsionibus, aliam adinvênit excusationem, dicens: Domine Pater terminum competentem mihi veniendi non tribuisti, unde, venire nec potui, nec, ut dixi, metu compulsus ausus fui, & Apostolicus: Sed quia literas nostras contempsisti, asseris te nunc non pro contemptu, motu autem ad nos non venisse. Competentem enim terminum veniendi proculdubio largitus fui, ab Idibus scilicet Aprilis, & sex mensium spatio interposito. Unde literas vocationis in medio legi præcepit: Verumtamen isti nostri deliberent, & quam dicis excusationem canonicam fuisse, discernant. Et præcepit quibusdam Cardinalibus quidem, & Archiepiscopis Romanæ Sedis Judicibus, ut in partem semoti super hujusmodi excusationem Archipræsulis sententiam extenderent. At ipsi in partem euntes sententiam illam diu ventilantes, taliter in conA spectu omnium regressi Judices ipsi protulerunt. Domine Archiepiscope Beneventane, quoniam non pro contemptu, sed metu asseris vocatus ad Curiam, te non venisse, dicimus, & judicamus hanc canonicam non esse excusationem; judicio etenim talium, tantorumque Patrum extenso, capitula Sanctorum Patrum Prædicatorum coram omnibus exhiberi, & legi Apostolicus præcepit; (10) confirmata scilicet in Conventibus, & super contemptoribus ordinata. His ita perfectis, super tanto, & tali negotio à Cardinalibus, & Episcopis diu ventilatum est. Sed quid plura? Diaconus eum iteratò ad justitiam vocavit faciendam, qui continuò surgens: Unde, inquit, & de quo accusor? Et Apostolicus: Quia suscepisti Regalia B. Petri extra B nostram voluntatem, & claves tenuisti portarum, & palatium invasisti, & Landulphum expulisti, & galeam sumpsisti, & clypeum, & Fulconem illum ad sacramentum impulisti. Hoc ipse Archiepiscopus audito respondit. Verè Regalia B. Petri non alia de causa accepi, nisi vestra pro fidelitate. Nam cùm Beneventi aderas, civitatem mihi commendasti. Portarum verò claves non ego susceperam, hunc sanè, qui eas retinet, fidelem tuum omnino confitemur. Clypeum profectò non accepi, galeam quidem tuli capitis pro munitione, ne aliquo lapide opprimerer. C Normandos, ut dixistis, non introduxi. Longobardos verò sexdecim pro auxilio populi civitatem ingredi feci. Sacramentum Fulconis jussu meo factum fuisse, & populi jusjurandum denego. His omnibus Apostolicus auditis, Cardinalibus iterum, & præfatis Judicibus præcepit, ut super omnibus istis, & super contemptu sententiam exprimerent. Cùmque Archiepiscopus ipse hujusmodi præceptum, ut ita dicam, terribile audisset, Guillelmum Ducem supra memoratum, & Robertum Principem, & Petrum filium Leonis, nec non & Episcopos exorabat dicens: Domini Proceres, & Episcopi Confratres, Dominum nostrum Papam Paschalem, precor, orate, ne me in conspectu omnium taliter confundat, & dedecoratum dimittat; si verò ejus clementiæ placuerit, exilium petam, vel mare transfretabo. (11) Tunc Proceres ipsi euntes pedibus Domini Papæ advoluti, sicut Archiepiscopus rogaverat, deprecati sunt, quod minimè obtinere valuerunt. At ipsi Judices D

ex

(10) Aptius sanè Baronii exemplar. *Capit. Sanct. Patrum prædecessorum*, apud quem reliqua etiam narratio de Beneventano Archiepiscopo Landulfo in Concilio illo deposito, quâ ad Falconis mentem, quâ in decentiorem conversa sermonem pluribus, sed leviusculis locis, castigatior habetur. *Peregr.*

(11) Conjunctivè legit Baronius, *& mare transfretabo*: rei quidem congrua sententia. At nec disjunctiva hoc erat loco particula illa, *vel*: sicuti nec apud Erchempertum (domestica do exempla, in re non difficili, ut parcam verbis) in Descript. Regum Italiæ Num. 5. & in Historia Langob. Num. 1. Nec apud quotquot in antiquis Codicibus descripta habentur Sanctorum virorum gesta, quæ passim hanc præferunt Epigraphen. *Vita, vel obitus*, quod Italicè sonat. *Vita, & morte*. Nec tandem apud Concilium Taurinense Canone 5. iis verbis. *Si quis ab ejus* (Felicis) *communione se voluerit sequestrare, in nostræ Sanctæ pacis consortium suscipiatur, juxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis dudum latas*. Super quæ inutilis fuit labor Hieronymi Aleandri junioris in Dissert. 2. cap. 3. de Region. Suburb. dicentis, *particulam, vel, eo loci declarandi vim obtinere; perinde ac si dictum fuisset* (hanc ille putat plenam verborum Concilii sententiam) *juxta literas Ambrosii, vel ut verius dicamus, Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis*; namque planus erit sensus, si juxta aliàs usurpatam ejus significationem conjunctionis vice posita credatur. Sed & disjunctiva illa pariter particula, *seu*: conjunctiva est, tum alibi, tum in Epitome Constitutionum Caroli Mag. Titul. de Metropolit. cap. 4. *Ut Episcopi*, sic ibi, *de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; seu & de viduis infra suæ Parochiæ potestatem habeant corrigendi*. Ad quem locum frustra etiam est Vitus Amerbachius, putans, *seu potuisse omitti; aut positum esse pro, imo*, stat enim ibi pro, *item*. Sed hæc per transcursum. Cæterùm non longè post superiùs producta Falconis verba, mutilus est ejus textus, sic ex Baronii exemplari instaurandus. *At ipsi Judices ex præcepto euntes, licèt dolendo, & protelando reversi sunt, ne tale super Landulphum Archiepiscopum darent judicium. Judicibus tamen ipsis, ut dixi*, &c. *Peregr.* E

ex præcepto euntes, licèt dolendo, & protelando reversi tale super Landulpho dedêre judicium. Judicibus enim ipsis, ut dixi, moram facientibus super sententia, præcepit Apostolicus adjurando, ut per fidem, quam B. Petro, & ei deberent, quod canonicum esset dicendum, dicerent. At Episcopus Portuensis primus omnium licèt ægrè, & tantæ sententiæ dolore turbatus ait: Quoniam regalia B. Petri suscepisti, & claves Portarum tenuisti, & Palatium invasisti, & Landulphum expulisti, & Curiam venire vocatus contempsisti, judicamus super vos depositionis sententiam, quia contra B. Petrum, & Dominum nostrum Papam fecisti. Idipsum Capuanus Archiepiscopus, & Gregorius Cardinalis affirmaverc. Volentibus autem aliis Judicibus eandem confirmare sententiam, Landulphus ipse è medio Conventus illius timore coactus, & sententiæ talis gladio perculsus surrexit. O qualem, si interesses Lector, fletum videres, & Landulphi illius pallidum aspiceres vultum: cùm ex ore tantorum Judicum, qui decoratus Beneventana sede, & præ aliis gloriosus ubique fuerat, deponebatur. Quid dicam? subsellio ejus levato, metuendum illud Concilium, ut mente captus, dereliquit.

Hoc anno Ecclesia B. Mariæ de Episcopio ampliata est per consilium Landulphi de Græca. Hoc anno Landulphus Beneventanus Archiepiscopus captus est, & Landulphus de Græca, qui expulsus fuit de civitate Beneventana, reversus est, acceptâ Comestabiliâ.

His omnibus, & aliis ita peractis (12), Apostolicus ipse IX. Kalendas Septembris Trojam tetendit, ibique Concilium statuit, & firmavit (13), ad cujus sacri Conventus præsentiam ferè omnes Apuliæ Proceres, Archiepiscopi, & Episcopi convenerunt. Conventu itaque sanctè ordinato, inter cætera, quæ ibi composita sunt, treuga Dei statuta est, adeò quòd Comes Jordanus, & Comes de Lauritello,

(12) In antiquo exemplari fortasse scriptum fuerat. *Ecclesia B. M. de Episcopio*, quod Librario interpretari visum, *B. Mariæ*, at exponendum erat, *B. Maximi*; ut idem Falco ad an. 1123. argumento est, dicens; *eodem anno Landulphum de Græca supranominatum XII. Kal. Decembris obiisse, & ad Ecclesiam suam S. Maximi sepultum esse*: ni potiùs sit ibi *B. Mariæ* nomen restituendum. Diù autem anceps fui, præsens ne integra adnotatio sit Falconi tribuenda; an ab extraneo aliquo adnotatore ad ejus Codicis fuerit oram adpicta, ac demum ab imperito, novitioque Librario in textum inducta; quippe quæ antecedenti, subsequentique haud aptè admodum cohæret sermoni: nec in Falcone apparet, Landulfum Archiepiscopum ante, vel post suam depositionem captum, ut hìc asseritur, & in vincula conjectum fuisse; quem Petrus Diac. in Auct. sæpiùs dicto lib. 4. cap. 49. palàm proclamat, Papæ sententiam audire declinantem ex Ceperanensi Concilio ad Cassinense Cœnobium confugisse; & insuper non obscurè indicat, ad suam usque restitutionem ibidem mansisse; cùm affirmet, rogatu ejusdem Congregationis Pontificii ordinem, & Papæ gratiam non diù post rursus habuisse; scilicet quando idem Paschalis Româ Beneventum in an. 1117. proficiscens, ad prædictum in itinere divertit Monasterium. Sed tandem visum est, Petrum Diac. præclari adeò Antistitis carcerem, sive liberam custodiam verecundè reticuisse, ac dissimulasse; qui de cætero hac ipsa in narratione suis est etiam Monachis blanditus, asserens illum in gradum suum restitutum rogatu Congregationis Cassinensis: cùm tamen Falco tradat, antequam Paschalis Beneventanum iter arripuisset, ac subinde priusquam Cassinum concessisset, hoc est *in anno* 1116. *undecimo die intrante mensis Augusti redintegratum in Archiepiscopatum*, quod Baronius gestum subdubitat in Concilio Lateranensi, celebrato jam dicto anno, mense Martii: quamvis ad annum dein 1117. Petri consentiat dicto. Falconis itaque præmissa adnotatio omnino spuria non est: omnino, inquam; etenim ut verum fatear, subolet ea mihi nescio quid conscise orationis, quæ ex alia prolixiori in minorem verborum circuitum præter auctoris morem videtur redacta, & sanè laxiorem ni eam formasset Falco, haud continuò illam usurpasset dicendi formam, ac subjecisset. *His omnibus, & aliis ita peractis*, quæ uberrimam præcessisse narrationem, qui non intelligat, erit nemo. *Peregr.*

(13) *His*, inquit, *omnibus, & aliis ita* (nimirum, *ut exposui*) *peractis* (scilicet tùm *in Concilio Ceperanensi*, celebrato, ut ipsemet Falco adnotarat, mense Octobri, an. 1114. tùm *per menses proximè post Concilium subsequutos*) *Apostolicus ipse IX. Kal. Septembris* (anno videlicet 1115. quem non dum sermone attigerat) *Trojam tetendit*, &c. Est itaque his præfigendus jam dictus annus 1115. in quem etiam Baronius ex hoc Auctore præsentem conjicit Synodum Trojanam. At Paschalis, ut Petrus Diac. perhibet in laudato non semel Auctario lib. 4. cap. 55. *Mense Majo Romam egrediens, venit ad Monasterium Cassinense, ejusque Abbatem*, tunc Girardum, *secum ducens, Synodum celebraturus Trojam perrexit, indeque regrediens, Ecclesiam S. Vincentii juxta ortum Volturni fluminis solemniter dedicavit*. Sic ille. Et Falco insuper post prædicta subdit. *Confirmato autem Concilio, & piè finito, Papa Beneventum tertio die intrante mensis Septembris reversus est. Deinde Romam reversus est septimo Kal. Octobris; qui tunc Monasterium S. Vincentii* (hoc jam à Petro etiam intellexeramus) *dedicavit*. Igitur Paschalis à mense Martio in an. 1115. Roma absens moratus in his est locis per quatuor ferè menses, cùm Synodum habuit Trojanam; recitata namque Petri verba de alia Synodo in præfata urbe congregata, quàm de expositа à Falcone, haud sunt intelligenda; quod amborum Auctorum de celebrata tunc à Paschali dedicatione Ecclesiæ S. Vincentii concors assertio manifestè probat. Et præterea, ut in Castigationibus ad Anonymum Cassin. ad an. 1114. observabam, Petrus dicens, Papam Paschalem sequenti anno postquam Cassinenses Monachi Castellum Sujum recuperarunt, quod cap. 54. accidisse perhibet in an. 1115. (sic enim ejus scriptus Codex, & editio præfert Neapolitana) statuens, inquam, Papam Roma discessisse sequenti anno, hoc est Christi 1116. Trojanum Concilium celebraturum, communem Epocham Christi nati observatam à Falcone anno certè præit; quo fit, ut Falconi de tempore præfati Concilii non adversetur. Qui insuper spontanea confessione coactum illud deregit in an. 1115. dum cap. 60. & 61. ait Paschalem sociato sibi Abbate Cassinensi Romam reversum (ex Synodo nimirum jam dicta) disposuisse *mediante Quadragesima* alteram ibi Synodum celebrare; ac deinde *loco cessisse* ob turbas à Romanis motas, occasione Præfecti, se invito, instituti; tandemque in an. 1117. urbem egressum (ad eam enim priùs ipse iterum se contulerat, ut fatendum est, idque Falco non tacet) Beneventum recessisse, ut Romam advenientem Regem devitaret Henricum. Paschalis, inquam, præfati Regis occursum si in dicto anno 1117. declinavit, in quem cæteri etiam omnes id conjiciunt Auctores, & præsertim Falco, qui illum mense Aprili Beneventi constitisse affirmat, utique postquam Concilium in Quadragesima antecedentis anni 1116. Romæ habuerat, eam deseruerat, repetiveratque Urbem, ac subinde in anteacto an. 1115. Trojæ, ut prædictum est, præsens fuerat. Quæ autem tunc bis Beneventum pertransiens ibi egerit Paschalis, in Falcone desiderantur. *Peregr.*

Digitized by Google

lo, & alii Barones Apuliæ ſacramento in præſentiarum firmaverunt treugam Dei (14) ex tunc, & ſpatio annorum trium fore tenendam, & cuſtodiendam; ſicque confirmato Concilio, & piè finito Papa Beneventum tertio die intrante menſis Septembris reverſus eſt. Deinde Apoſtolicus ipſe civitatis negotia, quæ imminebant dijudicans, Romam reverſus eſt ſeptimo Kal. Octobris. Qui tunc Monaſterium Sancti Vincentii dedicavit.

Anno 1116. ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & XVII. anno Pontificatus Domini Paſchalis II. Summi Pontificis, & univerſalis Papæ, menſe Martio IX. Indictionis, Dominus noſter prædictus Apoſtolicus Romæ Synodum ſtatuit. Et hoc anno Præfectus Urbis Romæ menſe quidem Martio obiit (15), poſt cujus mortem civile bellum terribiliter ortum eſt, eo quòd Romani audierant, quòd Petrus filius Leonis, Apoſtolici conſilio filium ſuum Præfectum ordinare vellet. Unde Romanorum populus Præfecti defuncti filium ad Præfecturæ honorem erexerunt. Quo ordinato ad prædictum Papam Paſchalem miſerunt, ſuppliciter poſtulantes, quatenus eorum ordinationi aſſenſum ipſe præberet, & corroboraret. Apoſtolicus autem nullo modo eis aſſenſum tribuit. Romani itaque hæc agnoſcentes conjuratione facta, mirabilia domorum ædificia, & turres complures radicitus proſtraverunt; eorum quidem, qui cum Petro Leonis ad id faciendum conjurabant. Unde factum eſt, ut Ptolemæus Præfecti Avunculus, & alii Barones Apoſtolici caſtra invaderent, & tenerent. Contigit autem die quadam, quòd Præfectus ipſe militum ferè quinquaginta collegio ſtipatus ad explorandum milites, quos Apoſtolicus miſerat, extra Urbem perrexiſſet. Comeſtabulus autem Apoſtolicus hoc deprehendens, ex improviſo eos aggreditur, proſtravit, & Præfectum comprehendit. Ptolemæus igitur memorati nepotis captionem audiens, abſque mora militibus ſumptis, Papæ præfatum Comeſtabulum invadens, nepotem, qui captivus ferebatur, abſolvit, & ſecum gaudens ad propria perduxit. Dum hæc, & alia Romæ agerentur, præfatus Apoſtolicus Urbem exivit, qui apud caſtrum quoddam, Setium nomine, commoratus eſt. Viderat ſiquidem ſeditionem illam magis, ac magis inflammari, & Petrum Leonis de die in diem acriter expugnari. Diebus autem non multis elapſis, Apoſtolicus ipſe ſeditionem illam placari, & minui aſpiciens, conſilio accepto, militibus collectis, Romam ingreſſus eſt, deinde Palatium Lateranenſe ingreditur, ibique Miſſarum ſolemnia decantavit. Cùm autem ipſe Urbem ingreſſus fuiſſet, Romanorum cœtus, qui ei rebellis extiterat, ferè ad ejus imperium, & voluntatem converſus eſt; ſicque Apoſtolicus ipſe tranquillitate inventa Romam ſecurus habitavit. His taliter actis, prædictus Apoſtolicus Landulphum, quem depoſuerat, undecimo die intrante menſis Auguſti, redintegravit ad Archiepiſcopatum.

Anno 1117. Dominicæ Incarnationis, & XVIII. Pontificatus Domini Paſchalis, menſe Aprili ipſe Papa Synodum Beneventi celebravit. (16)

Hoc

(14) Sic etiam infra ad an. 1123. *Treugam Dei tenendam poſuerunt*, hoc eſt, inducias, ſive pacem pepigerunt. Guilielmus Neubr. lib. 5. cap. 3. *Induciis, quas Treugas vocant*. Tyrius lib. 1. cap. 13. *Pax, quæ verbo vulgari Treuga dicitur*. Ea planè ſic dicta; ſcriptaque eſt aliis etiam Auctoribus; & inſuper *Treuva* noſtro Auctori bis ad an. 1120. ubi per Typographi fortè errorem modò habet. *Treuna*. Ad Lupum dixi promiſcua fuiſſe *G.* & *V.* ſicut in *Ugo* & *Uvo* &c. Igitur *Tregua*, & *Treuva* idem. Sed *U.* ante *U.* tranſibat quandoque in *Q.* unde, *Tregua*, Italicè nunc effertur. At in Ivone Carnot. epiſtol. 90. & in Lupo Protoſpat. ad ann. 1089., & 1091. forma magis Latina appellatur *Trevia*, quem auctorem cùm caſtigarem, ſubdubitavi, de qua Trevia ille erat capiendus; Sicut par. 2. num. 3. ineditus teſtatur Anonymus, tunc enim ad memoranda Nortmannorum Procerum bella mentem cùm haberem, non adverti ſermonem ibi fieri de conciliatis iis Dynaſtis ob privata odia, cauſaſve alias civibus armis mutuò conflictantibus: quo morbo immanè quantum *Prælati omnes*: hoc eſt quicumque præſidendi aliis munus, & dignitatem obtinebant, per Langobardorum tempora, ſicut ineditus teſtatur Anonymus Salernitanus, ubi de Principe Beneventi Sicone, ſed & per Nortmannorum ætatem, ut ex præfato Lupo, & Falcone conſtat, laborarunt! Quibus nil modeſtiùs ſe geſſerunt inferioris homines conditionis: Alexandrum Teleſinum, ut alios præteream, vide lib. 1. cap. 21. *Peregr.*

(15) Credam ne Falconem mendacem, an ejus textum luxatum, an potiùs hæc ab ipſo ritè ad an. tradi 1116. relata aliis ad annum antecedentem; quæ acta fuiſſe *anno pacis quinto*, initæ nimirum inter Papam Paſchalem, & Regem Henricum menſe Aprilis an. 1111. Petrus perhibet Biblioth. apud Baronium, & in an. 16. Pontificatus ejuſdem Papæ, qui etiam Falconi reputatur Chriſti jam dictus 1115. *Peregr.*

(16) Sanè haud Trojæ, ſed Beneventi manens Paſchalis literas dedit hoc anno, tum ad Epiſcopos, Regemque Angliæ Henricum 9. Kal. Aprilis, quas refert ex Malmesburienſi Baronius: tum ad Patriarcham Antiochiæ 15. Kal. ejuſdem menſis; nam ſcriptæ hæ fuere, ut res, de qua in iis agitur, manifeſtat, poſt alias priùdem ad Regem Hieroſolymitanorum directas 5 Kal. Julii: aliaſque ad præfatum Patriarcham ab eodem Pontifice datas 7. Idus Auguſti, quas omnes Guilielmus Tyrius lib. 11. cap. 27. recitat, & ad annum refert 1115. ſed planè poſteriores illæ ad Patriarcham (cur non etiam anteriores, ſic nimirum locorum diſtantia, actæque rei dictante difficultate?) tranſacto præfato anno tranſmiſſæ fuere; quæ, ut prædixi, datæ leguntur apud Beneventum 15. Kal. Aprilis, ac ſubinde in an. 1117. Paſchalis .n. haud antea in eam urbem rediit poſt an. 1115. Sibique, non mihi, idem Tyrius pugnat, alias his ſocias Papæ epiſtolas præferens, eadem die non Beneventi, ſed apud Lateranum ad prædictum Patriarcham datas. At de Beneventana ſuperiùs deſcripta Synodo, quæ in literis etiam memoratur Gelaſii 2. ad Galliæ Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. relatis à Baronio ex præfato Malmesburienſi: non de antecedenti Trojana capiendus eſt Petrus Bibl. in vita Paſchalis iis verbis. *Dominus Papa*, inquit, *celebrato Concilio, quod in partibus Apuliæ congregaverat, rediens cum Nortmannorum exercitu in Campaniam* (quæ ſcilicet *Latium* olim fuit appellata) *Pillum, Pullanumque* (Petrus Diac. lib. 4. cap. 61. *Pylium* vocat, peractaque hæc dicit *diebus Pentecoſtes*: ſed ipſe Bibliothecarius: *Autumnus*, ait, *inſtabat*, & calor, & æſtus ſenem Pontificem diſſolvebat: mallem itaque. *Æſtas inſtabat*. Et, *Pullanum*, certè eſt *Palianum*) *in maritimis oppidum S. Silveſtri in ſui deditionem convertit*. Nec turbet te, quòd dicat, *in Apuliæ partibus*, Concilium illud congregatum, in quibus haud cenſetur Beneventum; nam tunc, & aliquantò etiam poſt, paſſim unius Apuliæ abſoluto nomine cunctam Italiam cis Tyberim exteri occidentales nuncuparunt, exque illorum uſurpatione etiam incolæ; quandoquidem Nortmanni ob res primùm in Apulia præclarè, & feliciter geſtas longinquorum ora ad ſe ſolos, & ad unam Apuliam conver-

te-

Digitized by Google

Hoc anno Riſo Barenſis Archiepiſcopus ab Argyro cive Barenſi trucidatus eſt in via Canuſina.

Hoc anno Paſchalis Papa obiit undecimo Kalendas Februarii, & Gelaſius Papa eligitur.

Anno 1118. ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & anno primo Pontificatus Domini Gelaſii II. Summi Pontificis, & univerſalis Papæ, menſe Martio, XI. Indictionis: Factum eſt, cùm præfatus Pontifex Gelaſius ad Pontificale ſolium ferè totius Populi Romani unanimi voto, & concordia eligeretur, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus circa Romanam Sedem morantibus, Miſſos Apuliæ quoque partibus delegavit, ut ad ejus Conſecrationis diem convenirent. Erat quippe, ut retulimus, cùm electus fuit, Diaconus, & Cancellarius; qui quidem non niſi in Canonico jejunii tempore conſtituto conſecrari poterat. Legatione itaque accepta Epiſcopus Trojanæ, Archiepiſcopus Sipontinæ civitatis, & alii complures ad ipſius conſecrationis ſolemnitatem properaverunt. Sed priuſquam memoratus electus Gelaſius conſecrationis acciperet dignitatem, Rex præfatus Henricus, inſtructis inſidiis, noctis ſilentio Romam ingreditur menſis Martii ſecundo die ingrediente. Apoſtolicus itaque Regis ipſius ingreſſum ſic latenter deprehendens, reminiſcens, qualiter Rex ipſe Dominum Papam Paſchalem ejus prædeceſſorem, & Cardinales fraude, & dolo cepiſſet, abſque mora, Cardinalibus convocatis, fluvium Tyberis ingreſſus eſt; deinde proſperis ventis mare ſulcantes pervenerunt Calenum (17). Rex autem Apoſtolici egreſſum cognoſcens, ei apud Calenum delegavit, quatenus urbem reverteretur, quoniam ad ejus

A

B

C

D

E

conſecrationem libentiſſimè intereſſe, & corroborare deſiderarent. Pontifex autem Gelaſius nequitiam ejus, & perfidiæ telum longè, latèque cognoſcens. Miramur, inquit, ſuper talis, tantique viri legationibus, cùm ad nos venturum ſe die reſurrectionis nuper tranſmiſerit. Nunc verò nocturno tempore, & ante condictum tempus comperimus eum adventaſſe. Ego verò, Deo annuente, Conſecrationis accipiam firmitatem. Dehinc me, ubicumque voluerit, paratum ad propoſitum negotiationis inveniet. Quo audito, qui miſſi fuerant, ad Regem reverſi ſunt feſtinanter, atque omnia, quæ à prædicto Pontifice audierant, Regi renunciaverunt. Deinde electus ille Gelaſius die conſtituto à Cardinalibus, qui cum eo exierant, canonicè, & ordinatè conſecratus eſt apud Calenum menſe Martio ſuperiùs memorato. Rex autem Pontificis ipſius reſponſum audiens, peſtifero invento conſilio, Archiepiſcopum quendam Hiſpanum in Pontificem, & ut ita dicam, invaſorem Eccleſiæ conſtituit, & conſecravit. O nefas, & terribile periculum, Rex ille, qui Romanæ Sedis, & totius Catholicæ Eccleſiæ defenſor, & adjutor fieri deberet, novam hæreſim, & dira mortis genera per univerſum Orbem induxit. Romanorum igitur complures, quorum mens erga Eccleſiæ Romanæ fidelitatem fixa manebat, viſa hujuſmodi hæreſi, & cognita, ajebant. Heu miſeri, cùm nos ex longo noſtrorum Patrum vetuſto ritu ſine alicujus Regis adventu, & licentia, Paſtorem eligebamus, conſecrabamus, quem volebamus, nunc autem ſinè Regis permiſſu jam ampliùs alium neque eligere, neque conſecrare auſi erimus. Deinde præfatus, & alii Romanorum Nobiles (18), Ge-

terant. Cæterùm Barenſis Archiepiſcopi Riſonis necem, Falconi leviter hîc libatam, Ignotus ejuſdem urbis civis fuſiùs in ſuo Chronico ſuperiùs laudato præſenti anno patratam exponit. In quem etiam annum noſter obitum referens Papæ Paſchalis, id juxta ſervatam à ſe annorum facit rationem; nam obiit ille, ut perhibet præfatus Bibliothecarius, 15. Kal. Februarii, collocatuſque eſt 11. Kal. (hunc humationis ejus in diem mortis idem noſter immutavit) hoc eſt deſinente anno Falconiano 1117. & inchoante communi 1118. Ex hac autem, quam præſens Falconis textus ad deſcriptum annum ſtrictiſſimam præfert narrationem, deciderunt, quæ ipſe infra ad anno 1119. ſe pridem adnotaſſe ait de excidio Montis Militis, & Montis Aperti: Sanè ea niſi ex hoc, non ex alio excidiſſe videntur loco. *Peregr.*

(17) Ergo nè Roma Calenum marino pervênit itinere Gelaſius? Equidem Plinius lib. 3. cap. 5. mediterraneam eam urbem facit; ſed quid Plinius? Auctores prorſus omnes à mari eam longiùs removent, quam non ſic, ſed primitivo vocabulo (derivativum eſt enim Calenum) appellant, *Cales*; ita ut de Caleno municipio, cive, agro, vino, prœlio, aqua, &c. multa apud veteres cùm habeatur mentio, vix præter Plinium, alium reperies, qui abſolutum præferat Caleni nomen. In quo fœdè ſunt lapſi omnes ferè recentiores, vel Cales à Caleno peſſimè diſtinguendo, vel utramque urbem unam rectè quidem faciendo, ſed perversè Calenum nunc eſſe *Carinulam* (& ipſam mediterraneam) reputando, quæ ſanè eſt *Calvi*. At errorem ex Auctoribus videntur hauſiſſe, qui præter ætatem vixerunt Nortmannorum, Carinulamque omnium primi appellare Latino eloquio cœperunt Calenum; quam novam urbem Langobardi ante annos octingentos duobus ferè milliariis ad Septentrionem ſecedentes ab antiqua, nec ſcio quo caſu conſumpta, *Foro Claudio* appellata, quæ priùs fuerat *Forum Po-*

plium, ut eſt apud Ptolomæum Geogr. lib. 3. Tab. 6. Europæ, ſive *Forum Popilium*, ut apud Dionyſium Halicarn. lib. 1. ſed apud Plinium lib. 14. cap. 6. *Colonia Syllana*, nunc inanis locus, dictus *Civita rotta*, munitiori in ſeceſſu conſtruxerunt, ac denominarunt *Calinium*, ſed de his fuſiùs alibi. Interim verò nunquam ad mare cùm fuerit Calenum, nec ambiguum ſit, Papam Gelaſium tunc ad patriam urbem Cajetam ſe recepiſſe, haud difficili conjectura in Falcone nomen Cajetæ eſſe reſtituendum apparet; in qua aliquantiſper ille commoratus, in Sacerdotem primùm, & mox in Papam conſecratus eſt *infra Kalendas Martii*, ut perhibet Pandulfus Piſanus in ejus vita: ut verò Petrus habet Diac. lib. 4. cap. 64. *in Quadrageſima*; at noſter magis ſignatè, *in Canonico jejunii tempore*, hoc eſt in quatuor temporum Veris: Diaconus enim ille adhuc erat cùm in Papam fuit electus; quo anno 1118. dies Cinerum incidit in diem nonum, non infra Martii octavas. *Peregr.*

(18) Locus palàm mutilus, ſed & corruptus in voce *Calenum*, ut prædixi. Quæ autem hìc deſint, haud facilè divinaverim: non abnuerim tamen Epiſtolæ Auctores extitiſſe eoſdem Romanos Proceres, qui Gelaſium, ut prædictus Pandulfus Piſanus perhibet, è manibus eripuerant Cencii Frangepanis: eam verò per nuncium miſſam Papa Capuæ manens accepit, ubi proximum Paſcha ſolemni pompa celebravit, eodem Pandulfo, & Petro Diac. perhibente lib. 4. cap. 64. qui etiam ibidem Synodum habens, damnavit Regem Henricum, & Idolum ejus, Antipapam ſcilicet Burdinum, ut ait Abbas Uſpergenſis. Et fortaſſe eodem tempore *Landulphus de Græca, olim Beneventanus Comeſtabulus*, ut noſter ſubjicit antedictis, *literas ſuas apud memoratum Gelaſium notificando, Rectorem Stephanum Beneventanum, ex quo ipſe depoſitus fuerat, juſtitiam egentibus, non feciſſe, nuntiavit*. At quo pacto contigerit, ut Landul-

Digitized by Google

Gelasio canonicè ordinato, apud Calenum, legaverunt dicentes : Vestræ notescat Paternitati Pater, & Domine, nos, & nostros amicos consecrationi illius excommunicati viri in Pontificem scelestum constituti, nullatenus consilii, & auxilii manus dedisse. Et sciatis, quoniam, Deo opitulante, Regis illius, viri iniquissimi machinationes, & consilia in proximo delebuntur, & vos, Deo propitio, erroris, & malignitatis destructor ad Sedem propriam, & locum cum lætitia, & honore revertemini. His taliter actis : prædictus Landulphus de Græca olim Beneventanus Comestabulus, literas suas apud memoratum Gelasium notificando, rectorem Stephanum Beneventanum, ex quo ipse depositus fuerat, justitiam egentibus non fecisse, insuper etiam domos suas, & possessiones à Beneventanis dirutas nuntiavit.

Hoc anno prædictus Papa Gelasius Gallias ivit secundo die mensis Septembris intrante, & Pisas applicuit: cùmque, sicut relatum est, Pontifex Gelasius apud civitatem Pisanam iviss set, & Archiepiscopum civitatis consecrasset, inito consilio, navem ingressus est; deinde, divina gubernante clementia, ventis secundis, ultramontanas partes transfretavit. Continuò Archiepiscopi omnes, & Episcopi, Procereſque alii gaudio eum ineffabili, & honore immenso susceperunt. Taliter igitur Gelasius acceptus, cum prædicto Anglorum Rege confabulatus est (19). Dehinc Apostolicus ipse stabilivit, ut in sequenti mense Martio Synodum cum Patribus Franciæ, Theutonicisque celebraret, ibique de Sacerdotii, & Regni discidio, longè, latèque habito, Spiritu Sancto mediante, loquerentur. Quantas autem divitias, & munera argenti, & auri partibus in illis Apostolicus ille lucratus est, si sigillatim describere vellem, priùs me tempus defereret, quàm copia recitandi. Sed antequam terminus statutus Synodum celebrandi advenisset, apud Monasterium S. Petri, quod vocatur Clunia, ubi diligenter morabatur, ægritudinis mole detentus est. Confestim se infirmitatis validæ dissolutione teneri persentiens (20) Palestrinum acciri jussit Episcopum, & imponere illi tanti honoris culmen Romanæ Sedis satagebat. Prævidebat enim, se, ut fragilitatis est, corpore dissolvi. Audiens itaque Episcopus ipse hujusmodi verba Pontificem proferentem; Absit, inquit, omnino absit, ut tanti honoris, ponderisque cacumen indignus ego, & infelix suscipiam : præcipuè cùm auxilio Dei, & sæcularium virtute divitiarum, Romana Sedes temporibus nostris, sub persecutionis flagello dedita, defendi oporteat, & muniri. Si verò meis acquiescere velitis consiliis, Viennensem Archiepiscopum, virum utique Religiosum, prudentisque animi, & sæcularibus ornatum virtutibus, ad tale, tantumque Patrocinium eligamus. Dei namque consilio, & B. Petri meritis, & viri hujus solatio Romanam Sedem sub tantæ persecutionis periculo diutissimè oppressam, credimus ad serenitatem, triumphumque sublevari. Quid multa ? & Gelasio Pontifici infirmanti, & cæteris Cardinalibus, aliisque omnibus Episcopi sermo complacuit ; nec mora, Archiepiscopum illum accersiri jubent, ut dicta factis compleant, & perseverent. Quia verò vocatus viribus totis renuit, seseque tanti officii culmine indignum clamitabat, tamen cœlesti clementia ordinante, ad Pontificalem Infulam, Gelasio ægrotante, & volente, promovetur. Die verò altera adveniente Gelasius Pontifex, IV. videlicet Kalendas Februarii, apud prædictum Monasterium feliciter ex hujus mundi ergastulo migravit ad Dominum.

Protinus, consilio invento, Cardinales, qui illic aderant Petro Portuensi Episcopo, quem Pontifex Gelasius Romæ Vicarium dimiserat, & ipsius Gelasii obitum, & qualiter Archiepiscopum illum in Pontificem Callistum elegerant, studiosè delegaverunt. Portuensis autem Episcopus literis acceptis super ipsius Apostolici morte lacrymis manantibus valde contristatus est. Illico Cardinales cum eo manentes, pluresque Romanorum fidelium convocans, Capitolium ascendit, ibique literas C missas ostendit, & legi præcepit. Quibus lectis, una voce, & concordia Dominum laudavere Omnipotentem, quòd eis virum prudentem, & ornatum moribus in Pontificem largitus est. De obitu verò Apostolici Gelasii valde turbati sunt. His ita gestis, consilii studio invento, præfatus Episcopus Landulpho Beneventano Antistiti, & Ugoni Cardinali Beneventum regenti, Clero, & populo Beneventano Gelasii mortem, & Callisti electionem ordinatim mittere curavit. Continuò Landulphus Antistes, Cives, Presbyterosque omnes, & Episcopii clericos ad sacrum fecit vocari Palatium, ut eis ordinem rei annunciaret, quibus accitis, literas illas legi jussit, & exponi; D nec mora, prædicti Callisti electionem unanimiter laudantes commendaverunt. Deinde Te Deum laudamus canendo proruperunt ; sicque Archiepiscopus ipse, & Ugo Cardinalis, Clericorumque turba copiosa, & civium multitudo à prædicto sacro Palatio ad Episcopium canendo descenderunt. Postea verò eminentiori loco Antistes ille ascendens, cives exhortatus est, ut fidelitatis manum erga Romanam Sedem perpetuò conservarent. Quo facto ad propria remearunt.

Anno 1119. & anno primo Pontificatus Domini Callisti secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense Martio, XII. Indictionis, eodem mense Martio prædictus Beneventanus E Ar-

fus denuò ejiceretur, postquam in an. 1114. iterum præfatam acceperat Comestabiliam, in Falcone non legitur ; intelligereque tantùm datur, id patratum in an. 1117. nam in an. 1120. mense Augusti à Pontifice Callixto Beneventum revocatus fuit, *cùm per triennium Montem Fuscum habitasset*. Peregr.

(19) Anglorum Rex, qui tunc erat Henricus I. haud Falconi antehac fuerat memoratus : quin illum Gelasius in Gallias profectus alloqui minimè valuit, qui post Synodum apud Viennam Allobrogum collectam ineunte an. 1119. ne Gallorum quidem Regem, nisi per nuntios, literasque quivit compellare, minores tantùm Principes coram alloquutus. Certè res qui descripsere præfati Henrici, illum præterquam cum Callixto II. apud Gisortium, & cum Innocentio II. apud Carnotum, & Rothomagum, colloquium cum alio Romano Pontifice habuisse, non adnotarunt. Mancus itaque, & præterea depravatus est hoc loco Falco : nam de confabulatione inter Regem, & Papam per internuntios habita si eum capias, ineptissimi sermonis ipsum facis reum; qui nec silere debuisset, consimili ratione Gelasium tunc etiam Gallorum Regem convenisse. *Peregr.*

(20) Universus hic sermo usque ad præsentis anni finem in plusculis variat apud Baronium ; locos confer, eamque sequere, quam sinceriorem reputabis lectionem. *Peregr.*

Digitized by Google

Archiepiſcopus videns civitatem variis prædarum afflictionibus ex omni parte confundi, & devaſtari, ſuæque Parochiæ Eccleſias à raptoribus vexari quotidie, Synodum decimo die intrante menſis ejuſdem Martii celebravit. (21) Ad cujus ſacri Conventus præſentiam Tuſculanus affuit Epiſcopus, & Ugo ſupranominatus Cardinalis, & Cardinalis alius, & Beneventanæ Sedis ſuffraganei circiter viginti, Monaſteriorum Abbates ſex affuere. Inter cætera verò, quæ in ipſo Conventu ſtatuta ſunt, omnes malè facientes Beneventi, & diſturbantes Mercatores ad civitatem venientes, & redeuntes, ſub anathematis vinculo alligavit. Conventu itaque piè, & ordinatè finito, unuſquiſque ad propria repedavit.

De guerra autem Jordanis Comitis ſupra memorati (ſi veſtræ placuerit charitati) & Comitis Rainulphi aliquid ſuccinctè narrabo. Cùmque jam, ut dictum eſt, Montismilitis caſtrum, & Montisaperti, deſtructum fuiſſet, præfatus Robertus de Monteſuſco caſtellum aliud, quod Tuſum vocatur, ſæpiſſimè aggreſſus eſt, qui verò, ut Dominum caſtri, & habitatores terroribus variis commoverent, bellorum machinationibus aſſiduis acriter expugnavit. Deinde mortis inaudito nuntio, conſilio invento, ruſticorum ſata, & vineas, ſylvaſque igni, ferroque depopulatus eſt. Sata quidem ruſticorum noviter aſperſa, quod nunquam à ſæculo auditum eſt, raſtris, & aratris iteratò volvi, & devaſtari præcepit. Dominus autem caſtri Rao nomine, nec bellorum turbinibus, neque tali mortifera confuſione turbatus, caſtrum illud viriliter, & animosè tenuit Jordanis Comitis ad fidelitatem. Præterea Jordanis Comitis patruus jam nominatus Robertus, quotidie adversùs eum ſeditionum conventicula, & minarum jacula, ut erat viperei cordis, operabatur: ſæpiſſimè namque cum Comite Rainulpho, & Roberto de Monteſuſco de ipſius Jordanis Comitis infeſtationibus, & damnorum periculis confabulabatur. Tandem cordis ſui ſilentia, quæ jugiter meditabatur aperiens, caſtellum, quod Templanum vocatur, à Comite Jordano expetiit, ut ſic fidelis, & amicus ejus diebus omnibus ipſe permaneret. Agebat autem, quòd cuidam filio ſuo naturali, quem diligebat, caſtrum illud Sacramento Comes ille firmaret. Comes autem hæc audiens, mentis afflictione, ultra quàm credi poteſt, perculſus, valde ſuper his mirabatur. Continuò ſuos omnes vocari fecit Barones, & ſuper hoc tanto, & tali negotio ſtudiosè ab illis conſilium perquiſivit. Illi verò Comitis neceſſitates, quæ ſupererant, & Roberti illius mentis perfidiam cognoſcentes, & aliter erga Comitis fidelitatem converti non poſſe aſpicientes, ut petitionibus ejus uſquequaque faveret, conſilium tribuerunt. Ventilato itaque; & firmato concilio in præſentia Landulphi Archiepiſcopi, & Ugonis Cardinalis, aliorumque Beneventanorum Procerum, qui ad tale, tantumque ſpectaculum convenerant, petitiones cunctas illius adimplevit. Deinde ſacramento mediante, Comitis Jordani, fidelis, & canonicus effectus eſt (22). His taliter actis, centum milites pro ejus ſervitio obtinuit. Continuò vicem reddens pro acceptis, ſegetes omnes militum Montisfuſci depopulatus eſt. Contigit autem, dum die quadam Landulphus de Græca Montisfuſci Comeſtabulus, ſuper caſtrum jam dictum, nomine Tuſum, militum caterva ſtipatus tenderet, Comes Jordanus occultè invigilans eos aggreditur, proſternit, & duodecim milites illorum comprehendit, armis omnibus eorum acceptis, inter quos miles nomine Eternus, & Brianus captivi perducti ſunt. Audiens autem Rainulphus Comes fidelium ſuorum ſtragem immenſam, & à Comite Jordano ita ſuperari non patiens, militum ferè quadringentorum copiam, & peditum multitudinem congregavit. Quibus congregatis multotiens minabatur ſe terram Comitis Jordani ingreſſurum, & caſtrum aliquod ejus igni, ferroque conſumare. Tandem militum, peditumque manu illa aſſumpta Jordani Comitis Terram ingreſſus eſt: nam ſicut ipſe ſæpiùs dixerat, non auſus eſt caſtellum illius aggredi, neque belli ſonitum præparare; ſed ut nominis ſui gloria levaretur, & Comitem Jordanum terreret, confinia Caſtelli, quod Peſclum nominatur, intravit, ſicque nullo concurſu ſuorum parato ad propria reverſus eſt. Comes autem Jordanus, ut providi, & ſapientis erat ingenii, Rainulphi Comitis agnoſcens proterviam, & hujuſmodi audaciam non ex prudentum theſauris procedere, trecentorum militum caterva ſtipatus circa ejus confinia diſtrictè morabatur. Agebat quidem Comitem illum non ſic ſtultè ſectari, ſed munitiones ſuas, ſi oporteret, viriliter contueri.

Hoc anno XV. die intrante menſis Maji, Beneventanus Archiepiſcopus Landulphus (23) ſu-

(21) Excommunicationis ſententiam in hac Beneventana Provinciali Synodo, cui præter alios adfuit Hugo Cardinalis, Beneventi Rector à Gelaſio in Gallias proficiſcente inſtitutus, torſit Landulfus Archiepiſcopus in Beneventanorum res, & negotia diſturbantes. Sed ejuſdem urbis ad tutelam eximiè ſe tunc præfatum Hugonem geſſiſſe indicat Landulfus Piſanus: *Hugoni*, inquit, *Cardinali Apoſtolorum Beneventanæ urbis cuſtodia, pro ut poſtea vidimus, non ſinè Sancti Spiritus oraculo* eſt à Gelaſio *commendata; nam paulò poſt deficiente Papa, niſi ipſe reſiſteret, & mille modis ipſis ſagaciter obviaſſet, Nortmanni illam hodie, & non Papa teneret*: deque his ſucceſſibus Falconem ne verbum quidem feciſſe cùm appareat, illum vel alienâ injuriâ, vel propriâ incuriâ, ſive malis induſtriâ, mancum putem, neceſſe eſt: qui prædictos Hugonem, & Landulfum amicitiam cum Jordano Ariani, & aliorum locorum Comite, genere Nortmanno, coluiſſe adversùs Rainulfum Abellini, & Calatiæ, pluriumque pariter oppidorum Comitem, genteque etiam Nortmannum, & aſſeclas ejus, ad hunc, & ad ſequentem annum, quàm ſobriiſſimè adnotavit. Hugonis itaque induſtriæ adſcribendum eſt, cunctos illos Proceres in Beneventi damna tunc unà non conſpiraſſe. *Peregr.*

(22) Nimirum cùm in Feudum accepiſſet à Jordano caſtellum Templanum, factus eſt ejus *canonicus*: hoc eſt *tributarius*: nam penſio paſſim olim dicta reperitur *Canon*: quoniam ſcilicet juxta Canonem, & certam regulam penderetur; unde Caſſiodoro lib. 2. epiſt. 25. *ſolidi canonici*; & lib. 12. ep. 13. aliiſque in locis ſunt *Canonicarii*, qui tales Canones exigebant, oeque iis etiam vide Cujacium in expoſitione Novell. Juſtiniani 128. Porrò in Falcone paulò poſt lego, *duodecim milites illorum comprehendit, armis omnibus eorum acceptis; inter quos miles nomine Eternus, & Arianum captivi ſunt perducti*: non *Eternus, & Brianus*. Peregr.

(23) Reſtituo. *XIII. die intrante*, nam Landulfus eductis è vetuſta tumba Sanctorum Lipſanis, ut ea in decentiori reponeret ſepulchro, poſt tranſactum biduum, die videlicet 14. Maji, palàm univerſo Beneventano populo per inſecutos dies octo, nempe ad 21. uſque diem, ipſa

ſupra memoratus conſilio ſalutis invento Corpora Sanctorum Martiani, Dori, Potiti, & Proſperi, Felicis, Cervoli, atque Stephani, quæ priſco ex tempore non honeſtæ tumbæ, qua jacuerant, coram omnibus propalavit. Corporibus namque illis taliter foràs eductis, ex oſſibus eorum duo in conſpectu omnium civium Antiſtes præfatus poni magna cum reverentia, ut crederent, præcepit. Famâ igitur per civitatem ventilatâ, concurſus magnus factus eſt virorum, ac mulierum, & curſu præcipiti, oblationibus oſſa illa lacrymando oſculabantur; quæ verò oſſa Sanctorum indignus ego oſculatus ſum. Biduo autem poſtquam Corpora illa Sanctorum foràs educta ſunt, prædictus Antiſtes Presbyteros omnes civitatis ad Epiſcopium vocari præcepit, quatenus de tantorum Sanctorum laudibus agendis colloquerentur. Continuò, conſilio aſſumpto dedit in mandatis, ut primùm Presbyteri Portæ Summæ ad Epiſcopium jubilando, cereis, & lampadibus deſcenderent; & coram Sanctorum oſſibus laudes Deo, & eis decantarent. Secundò quidem Presbyteri Portæ aureæ; Tertiò autem Portæ Ruffinæ; Quartò Forenſes; Quintò civitatis novæ; Poſtremò verò civitatis totius Presbyteri, & viri, quatenus unà in honore Dei, & Sanctorum illorum aggregati, Omnipotentis Dei miſericordiam invocarent, ut eorum interceſſionibus, delictorum veniam conſequerentur. Presbyteri autem Paſtoris juſſa audientes, ſicut imperaverat, executi ſunt, & laudibus innumeris ordinatim ad Sanctorum Corpora deſcendebant. Virorum autem, & mulierum, & pauperum turbam canentium, quæ præcedebat, & ſequebatur, cereis in altum poſitis, & accenſis, Lector, ſi cerneres, de tanto gaudio ultra humanum modum exultares, & ex cordis profundo lacrymas rivo irriguo produceres; proceſſionem enim inſolitam cerneres, & quod à multis annorum ſpaciis inauditum eſt, Beneventana civitas ob Sanctorum honorem, amoremque modò operata eſt. Regem quidem teſtor cœlorum, quòd ſi lingua triplicatos ederet ſonos, & vox inceſſabili plectro promeretur, tanti gaudii pondus, & tantarum laudum denſitatem nullo modo exarare valerem. Quis unquam civium tempore iſto viventium, ſic prorſus civitatem lætari, poterit recordari? Credo verò ſub B. Apoſtoli Bartholomæi Patroni civitatis adventum, ita prorſus gaudio magno civitatem impletam fuiſſe. Nam, ut Beneventanorum memoria per duas generationes allevaretur, Abbates omnes Eccleſiarum ſtudio magno lignorum machinationes mirabili conſtructas artificio compoſuerunt. Civitatis autem novæ Presbyteri, ut ſtudioſiores præ omnibus viderentur, lignorum machinam quamdam circumquaque cereis, lampadibuſque immenſis obductam, ad Sanctorum Corpora perduxere. Infra eam verò juvenes cum tympanis, cum cytharis tinnientibus vidimus inſultantes. Campanas namque, & tintinnabula multa intra ſtruem illam videbamus. Sacerdotes denique in albis veſtiti, cum vexillis, & multo cereorum comitatu coram Sanctorum oſſibus decantabant: Noviſſimè autem Archiſius Archidiaconus talem, tantamque per ſingulas civitatis partes, partiumque angulos lætitiam inſolitam fieri aſpiciens, conſilio accepto, mirabilem quandam lignorum ſtructuram pro Eccleſiæ Sancti Laurentii honore, quam regebat, & totius civitatis, præ-

A

B

C

D

E

cepit componi; illic artifices multos, Lector, ſi adeſſes, conſpiceres, ibi ſtudii manus operantes videres, ſub quorum verò induſtria ad naviculæ inſtar facta eſt. Qua demum peracta, ſuper illam magni ponderis campanam, & multa alia metallorum genera vociferantia, & cereos multos accenſos imponi præcepit. Hominem etiam lyrizantem, & tubas ſtridentes ad aſtra, ibi aſſociavit; & circa illam cornua crepitantia, tympana mirabiliter percuſſa, cytharæ, variique generis modulationes tripudiabant. O qualem, Lector, aſpiceres exſultationem, quale gaudium per totius civitatis partes cerneres, ſi intereſſes, quòd revera putares, credereſque potiùs aliam vitam, aliamque ſpeciem cordis, oculi, & corporis imitari! Talibus igitur, & tantis modulationibus patratis, ut Archidiaconi gloria attolleretur, boves ad illam ſtructuram injunxit, & junctis bobus uſque ad S. Andreæ Eccleſiam perduxere. Deinde pro denſitate ædificiorum, quæ ſuper plateas inerat, uſque ad Epiſcopium boves illam trahere nequiverunt. Continuò ad manus virorum multorum machina ipſa ſic ponderata ad Sanctorum corpora perducta eſt; & eâ perductâ, Archidiaconus ipſe cum Clericorum comitatu in albis veſtito coram oſſibus Sanctorum vigilias cantaverunt; quibus finitis unuſquiſque ad propria reverſi ſumus. In craſtinum autem prædictus Antiſtes, die videlicet decimo ſtante menſis Maji, cum Epiſcopo Frequentino, & de Monte Marano, & Arianenſi corpora Sanctorum collocavit; inter quos corpus aſſociavit Beati Joannis XXI. Beneventani Archiepiſcopi, qui triginta & tres annos, ſicut titulus teſtabatur, in Epiſcopatum advixit. Item corpus Stephani Levitæ, & corpus alterius Sancti, cujus nomen ignorabatur. Corpus quidem ipſius Joannis Epiſcopi, & Stephani Levitæ, & alterius Sancti ante prædictorum inventionem Sanctorum Martiani, & ejus ſociorum inventum eſt, juxta Altare, in quo ipſi requieſcebant. Ad quorum verò venerabilem dedicationem Archipræſul ipſe quartam partem peccatorum omnibus, qui ad Sanctorum viſitationem convenerant, condonavit; donavit id quoque omnibus aliis, qui uſque ad octavum diem Apoſtolorum Petri, & Pauli venturum, ad dedicationem hanc convenerint; item ſub excommunicationis vinculis poſuit contra omnes malè facientes illis, qui ad tantorum Sanctorum conveniſſent dedicationem.

Hoc anno Landulphus Beneventanus Archiepiſcopus obiit quarta die intrante menſis Auguſti; & Roffridus electus eſt, qui erat tunc Archipresbyter.

Hoc anno ſeptimo die ſtante menſis Februarii, Alferius Judex à Porta aurea obiit.

Anno 1120. Dominicæ Incarnationis, & ſecundo anno Pontificatus Domini Calliſti Secundi Summi Pontificis, & univerſalis Papæ menſe Martio XIII. Indictionis. Hoc anno menſe Majo tertio die ante feſtivitatem Sancti Euſtachii magna fluminis Caloris venit inundatio, quam nemo viventium tempore ipſo potuerit recordari. Per idem tempus Comes Rainulphus, cujus mentionem fecimus congregatâ militum, peditumque caterva innumerâ, unà cum Roberto de Monteſuſco, ſuper prædictum caſtellum, quod Tuſum vocatum eſt, commeavit: continuò montem quendam munitum valde conſcendunt; in quo caſtelli

Digitized by Google

ſtelli munitiones mirabiliter conſtruentes, vallo & aggere illud circumeunt, & lignorum machinis circumquaque componunt, & eo taliter munito, Tufum illud ſæpiſſimè, acriterque expugnabant. Rao autem caſtri Dominus viriliter obviabat. Comes igitur Jordanus audiens Rainulphum Comitem ſuper Tufum illud, caſtelli munitiones conſtruxiſſe, & oris omnibus belli apparatus feciſſe, abſque mora, collecta equitum, peditumque manu copioſa, ad caſtellum, quod Monisfalconis dicitur, haud longè à Rainulphi Comitis tentoriis tetendit. Deinde Cardinalem Ugonem Beneventum Regentem, & Stephanum Rectorem, Roffridumque electum accerſiri præcepit; (24) & eis advocatis ad Comitem Rainulphum illos deſtinavit, addens in mandatis, quòd libenter à Comite Rainulpho juſtitiam ſumeret, & ipſe ei juſtitiam conferret. Comes hæc audiens pollicitus eſt & accipere juſtitiam, & libenter ſectari. Quid plura? Tufum illud dimittunt, & ad pontem S. Valentini magna Procerum caterva glomerante congregantur. Confeſtim coram omnibus, data fide, & accepta, treunam à ſeptimo die ſtante menſis Maji, & uſque ad Kalendas Septembris firmiter confirmaverunt; in qua etiam treuna civitatem Beneventanam ſtatuêre.

Hoc anno quinto die ſtante menſis Maji Capuani conſtituerunt Principem Richardum filium Roberti Principis Dominum eorum, eo A quòd Princeps ipſe genitor ejus infirmabatur, & eo conſtituto, Capuanus Archiepiſcopus, convocatis Epiſcopis, aliiſque viris prudentibus, & Roffrido Beneventano Electo, die Aſcenſionis Domini, quinto die ipſius Maji ſtante, Principem illum conſecravit. Octavo autem die poſt ejuſdem filii ſui conſecrationem, Princeps ipſe Genitor ſuus ex hoc ſæculo deceſſit: Filius autem Principis illius, poſtquam conſecratus eſt, decem dies advixit, quo defuncto, Jordanum prædicti Roberti Principis fratrem conſtituerunt in Principatus honorem.

Hoc anno ſupramemoratus Papa Calliſtus ab ultramontanis partibus reverſus eſt, & nono die intrante menſis Junii Romam ingreditur. B Unde factum eſt, ut Petrus Portuenſis Epiſcopus, tunc Vicarius cum aliis Cardinalibus Romæ manentibus, aliiſque Clericorum turmis, & viris utriuſque ſexus obviam Pontifici illi properavit. Gaudium igitur populi Romani, & lætitiam, ſi lector aſpiceres, diceres, admirans, præ gaudio, tanto ſub honore, & triumpho Pontificem quempiam Urbem ingreſſum non fuiſſe. Audiens itaque Ugo Cardinalis, qui tunc Beneventanam civitatem regebat, Apoſtolici adventum, Romam feſtinus tetendit, & cum illo cives complures adierunt. Eodem anno, nono die intrante menſis Julii, Rao nomine Dominus Ceppaloni C mortuus eſt.

Hoc anno Bernardus Abbas Monaſterii Sanctæ

ipſa expoſuit; & demum proxima luce, *in craſtinum*, inquit Falco, *die videlicet decimo ſtante Menſis Maji*, hoc eſt decem ejus Menſis diebus ſuperſtitibus, ipſoque die 22. in præparato loculo collocavit. Beneventanos autem regionatim ad eorundem SS. honorem vigilias per ſingulos prædictos octo dies celebrandas conveniſſe, ſimulque in Falcone nomina deeſſe duarum regionum, alibi eſt à me obſervatum. *Peregr.*

(24) Paulò diligentiorem nunc te optaſſem, Falco; nam Cardinalem Hugonem *Regentem*, Stephanum verò *Rectorem* cùm appellas, diſcreta quidem ea fuiſſe officia innuis, alterumque altero præſtantius, quæ viri imparis conditionis obtinerent; ut etiam facis ad an. 1127. ubi de Gualterio Archiepiſcopo Tarentino Beneventum moderante, & Guilielmo tunc cum eo ſimul Rectore: ſed talium nuncupationum diſcrimen tutè confinxiſti, nec palàm ipſorum munerum aperis diſparitatem; qui promiſcuè non ſemel Rectores vocas tum eos, quos ſuprema illa poteſtate, tum quos minori præditos fuiſſe, veriſimile eſt; quin ad an. 1129. præfato Guilielmo Rectori ſubſtitutum ais Rectorem Girardum Cardinalem, haud planè eandem, ni fallor, ſed celſiorem jam dictam dignitatem obtinentem; in qua poſitus qui erat, adminiſtrum habere ſolebat Rectorem inferiorem; ut ex Falcone metipſo diſcere eſt ad an. 1137. *Priùs verò*, inquit, *quàm Apoſtolicus* Innocentius *de civitate diſcederet, Octavianum Subdiaconum, virum prudentem, & ſapientis animi, Rectorem Beneventi ordinavit; qui ſimul cum Domino Girardo* Cardinali *ſtatum civitatis, & pacis firmamentum ſtudiosè regebat*: Vel etiam Comeſtabulum, & ipſum dignitate ſe minorem: Idem noſter ad an. 1132. fautores ait Papæ Innocentii ſtatuiſſe Girardum Cardinalem Presbyterum Rectorem Beneventanorum, & alio die *tradidiſſe Comeſtabiliæ honorem, & poteſtatem Rolpotoni de Sancto Euſtaſio; qui taliter ordinatus, cœpit ſimul cum Cardinali illo Curiæ ſtatum regere, & juſtitiæ vigorem unicuique diſpartiri*. Comeſtabilia enim, ſicuti ille minor Rectoratus, proxima ſupremo Rectori poteſtas cenſebatur, omniſque alia erat iis inferior; indeque Landulfus de Græcia à ſeditioſis Beneventanis adactus eſt, ut *jurejurando firmaret* (verba ſunt Falconis ad an. 1114.) *quòd Comeſtabiliam, & Rectoraticum, aut aliquam Baliam publicam non acciperet*, quarum licèt altera militari, altera civili munere eſſet prædita, in Falcone tamen non leges, tunc apud Beneventum eas ſimul, ſed modò iſtam, modò illam obſervatam: nimirum quoniam ſi pro temporis ratione arma erant tractanda, vir præficiebatur gerendo bello aptus; qui ſub militaris magiſtratus titulo utramque obtinebat poteſtatem: unde eſt, quòd præfatus Comeſtabulus Rolpoto Curiæ ſtatum rexiſſe, & juſtitiæ vigorem unicuique diſpertiiſſe dicatur; & ad an. 1133. quòd *cum B. Petri fidelibus Curiam animosè gubernarit*. Sin autem nulla armorum aderat occaſio, non Comeſtabulus, ſed Rector inſtituebatur; qui etiam pro opportunitate milites educebat ad bellum ut de Guilielmo Rectore legitur ad an. 1127. Quæ promiſcua cùm eſſent munera, ut dictum eſt, nunc intelligimus, non incongruè Landulfum de Græcia, olim Beneventanum Comeſtabulum, literas ſuas apud Papam Gelaſium direxiſſe, *notificando Rectorem Stephanum Beneventanum, ex quo ipſe depoſitus fuerat, juſtitiam egentibus non feciſſe*. Comeſtabuli itaque, & Rectores illi minores, ſive uno, ſive altero vocabulo præfigurarentur, æquè forenſibus, & bellicis præerant concertationibus: pari ratione ac ipſis ſupremis Rectoribus utraque committi conſuebat cura. Honorius Papa, inquit Falco ad an. 1127, *Gualterio Tarentino præcepit Archiepiſcopo, ut Beneventum veniens, civitatis negotia ſtudiosè curaret, & ejus conſilio civitatem tueretur*. Et ad annum 1137. ait, Pontificem Innocentium ſic Beneventanum Populum inter alia verba allocutum. *Cardinalem Girardum vobiſcum morari permittimus, qui erga veſtras utilitates aſſiduè invigilabit, & pacem inter vos continebit*, quæ tamen publico Ordine urbis conſulto, ſive ut tunc loquebantur, conſultis *Judicibus*, ipſi Rectores curabant. *Amici*, inquit Falco ad an. 1131. *ipſius Creſcentii* Cardinalis, *& præfati Judices ad eum animosè conveniunt, & eum hortantur, ut Curiæ ſtatum ſimul cum eis obtineat*. Peregr.

Digitized by Google

ctæ Sophiæ tertio Kalendas Augusti migravit ad Dominum. Post obitum verò ipsius Abbatis quædam Monachorum pars ultimo die stante mensis Julii Monachum quendam Ademarium nomine, Abbatis Madelmi nepotem, in Abbatem elegerunt, ad cujus electionem Joannes Venerabilis Decanus, Joannes Grammaticus vir per cuncta laudabilis, Rao Sacerdos, & Monachus, aliique Monachorum sapientum non consenserunt. Unde factum est, quòd discordia ineffabilis inter eos habita est. Hoc anno Dominus noster Papa Callistus, accepto consilio, Beneventum advênit, & octavo die intrante mensis Augusti civitatem ingressus est. Audiens itaque Beneventanus populus ipsius adventum longè, latèque optatum, extra civitatem duorum millium spatio gaudio magno repletus egrediebatur. Tandem Apostolicus ipse à Clericis, & Monachorum turba, & à Presbyteris, civibusque omnibus, gloria, & gaudio magno suscipitur. Præterea Amalphitani omnes, plateas cunctas vestibus sericis, palliisque, & ornamentis pretiosis in adventu illius ornaverunt; infra ornamenta verò, thuribula aurea, & argentea cum odoribus, & cinnamomo posuerunt. Pedes verò Apostolici, & habenas equi Cives quatuor à Ponte leproso, usque ad Portam S. Laurentii ducebant: deinde quatuor alii usque ad Episcopium, ab Episcopio autem quatuor Judices Joannes, Persicus, ∴ ∴ ∴ ∴ & Landulphus usque ad sacrum Beneventanum Palatium detulerunt. In Comitatu Apostolici, Lector, si adesses, & tympana percussa, cymbala tinnientia, & lyras sonantes aspiceres, revera affirmares Apostolicum alium tali sub triumpho, & gaudio ingressum non fuisse civitatem. Diebus autem non multis decursis, complures civium, qui amici Landulphi, quondam Comestabuli, extiterant, Apostolicum precantur, quatenus ei copiam habitandi tribueret in civitate. Comestabulus verò per triennium Montemfuscum habitaverat. Apostolicus igitur fidelium suorum precibus favens, sicut postulaverant, licentiam impendit. Continuò oviam exeuntes cum Jordano Comite, qui pro eo venerat, Landulphum illum civitatem introduxere. Audiens autem Callistus Pontifex discordiam illam, quæ inter Fratres Monasterii Sanctæ Sophiæ, pro electione facta supradicti Ademarii regnabat, Monasterium advênit, & congregatis Fratribus, satis, abundèque super electione tali locutus est. Tandem cognita rei veritate, & quia electio illa canonica, & regularis non esset, à Petro Portuensi Episcopo, cæterisque Cardinalibus, qui illuc convenerant, irrita, & fracta judicata est. Confestim id à Pontifice Calliſto confirmatur. Quid multa? licentiam fratribus dedit, ut, quem vellent, Abbatem eligerent. Quo facto ad Palatium Apostolicus reversus est. In crastinum autem quartodecimo die intrante mensis Augusti, tota Fratrum collectio locum Capituli solitum ingreditur, ibique Spiritu Sancto mediante, de facienda electione pleniter tractavit. Interea prædictus Joannes venerabilis Decanus personam fratris ad tantum ferendum pondus idoneam elegit, & Fratribus in unum congregatis eam patefecit. Denique unumquemque interrogavit, si persona complaceret. At ipsi una voce, una concordia dignam fore, dignam, clamavere. Fratres verò ipsi numero ferè quinquaginta convenerant, & clamantibus illis personam illam Joannis quidem Grammatici, virum prudentem, ornatum moribus comprehenderunt, & eum invitum, & renuentem, jubilando, cathedram superfedere fecerunt. Ipse autem indignum & infelicem se coram nobis omnibus clamitabat. Deinde facta est actio venerabilis sacra, & monachus virgam in manu ejus Pastoralem posuit, & eum ad locum Abbatis in Capitulo statuerunt. Continuò Decanus primùm, postea fratres omnes pedibus ejus, ut moris est, advolvuntur, & unicuique pacis osculum ipse donavit. Electo autem eo, nuncium Calliſto Pontifici dirigit Congregatio, significans Joannem Grammaticum electum fuisse. Audiens igitur Apostolicus, quòd regulariter electio illa fieret, complacuit ei, & confirmavit. Diebus autem non multis excursis, prædictus Pontifex Callistus Monasterium Sanctæ Sophiæ advênit, & inter Missarum solemnia XIV. Kal. Septembris præfatum Joannem Grammaticum, quem Congregatio Monasterii elegerat in Abbatem, consecravit. Die verò ipsius consecrationis Dedicatio Altaris B. Mercurii celebratur in Sancta Sophia. Diebus autem non multis elapsis, prius ad Prædicti Roffridi electionem Pontifex Callistus inducias posuit, ut ad constitutum tempus jejunii mensis quidem Septembris consecraretur. Cùmque ad id ventum est, magno cum honore, & diligentia eum in Sacro Beneventano Palatio Presbyterum statuit. In crastinum autem die Dominico coram Episcopis decem numero, sedis Beneventanæ suffraganeis, illum ad Pontificalem Insulam sublimavit: inter quos Venerabilis Joannes Monasterii Sanctæ Sophiæ Abbas affuit; die verò consecrationis ipsius festivitas Sancti Januarii celebratur.

Hoc anno biduo post consecrationem prædicti Archiepiscopi Roffridi, Callistus Pontifex, consilio accepto, deposuit Stephanum, qui tunc Rector fuerat, & ordinavit Rectorem Rossemannum Diaconum filium Rossemanni Monachi.

Anno 1121. Dominicæ Incarnationis, & tertio anno Pontificatus Domini Calliſti Secundi, Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense Martio IV. Indictionis (25). Hoc anno Domina Labinia Abbatissa Monasterii S. Mariæ à Porta Summa, infirmitate valida detenta est. Videns itaque se ad mortis transitum tendere, consilio accepto, cunctas ancillas Dei sorores suas vocari præcepit, quibus vocatis, ita eas alloquitur; Credo vestram non latêre prudentiam, Sorores charissimæ, quantum erga Monasterium istud, & vestram charitatem laborum perpessa sum. Unde, Deo favente, & vestris orationibus succedentibus, status Monasterii hujus enituit, & ad perfectionis culmen attinxit. Nunc autem, sicut conspicitis, validæ infirmitatis periculo teneor, & certa sum ab hoc corpore citò dissolvi: familiaritatem igitur vestram suppliciter postulo, quatenus petitionibus meis faveatis; præsertim cùm, Deo teste, nihil præter Monasterii proficuum à vobis petiero. Prævidi enim corde post meum discessum discordiam electionis oriundam, & Monasterii causas ad detrimentum pervenire. Unde si vestræ placuerit charitati, vivente me, dissidium hoc auferatur, & personam, quam dixero, Abbatissam statuamus. Quid plura? Bethleem filiam Girardi Co-

(25) Denarii numeri notam omisit Typographus; nam hoc anno Indict. censebatur XIV. *Peregr.*

Digitized by Google

Comitis de Græcis patefecit. Audita itaque persona eis complacuit, & studium electionis laudaverunt. His actis, prædicta Domina Labinia Abbatissa migravit ad Dominum. Continuò Roffridum Beneventanum Archiepiscopum, & Rachisium S. Modesti Abbatem accersiri jubent, ut factum illud firmarent, & statuerent; qui verò petitionibus earum faventes factum illud firmaverunt. Diebus autem non multis elapsis, Archiepiscopus ipse Monasterium advênit, & Abbatissam illam secundùm ordinem regulæ nobis, & multis aliis viris consecravit aspicientibus, ad cujus sacrationem Joannes venerabilis Abbas Monasterii S. Sophiæ, & prædictus Rachisius Abbas Sancti Modesti convenerunt quarto die intrante mensis Aprilis.

Hoc anno XVIII. Kalend. Junii Robertus de Montefusco à Rogerio filio Trogisii, & fratribus suis apud Beneventum gladiis, heu miser, laceratus est; quem si, Lector, aspiceres capite horribiliter cæso, membrisque ejus divisis, & per partes diffusis, miseratione motus lacrymarum fontem super eo produceres, & de tali, tantoque homicidio mirareris. Prædictus autem Joannes Monasterii S. Sophiæ Abbas venerabilis cum quibusdam fratribus ad cadaver illud properavit, & eo viso mirabiliter horruit, mirabiliùsque lacrymatus est. Nec mora, illum taliter cruentatum ad Monasterium perduci præcepit, quem juxta ritum Christianorum occisorum sepelierunt (26). Confestim Comes Jordanus Montemfuscum properavit, & , pactis intervenientibus, suæ castellum illud obtinuit potestati.

Eodem anno supradictus Pontifex Callistus, exercitu congregato, super civitatem nomine Sutrim tetendit. Gregorius autem ille, quem prædictus Rex in Pontificem statuerat, civitatem ipsam obtinebat. Quid longiùs moror? viribus sumptis, civitatem illam comprehenderunt, & Gregorium illum, turpissimè, ultra quàm credi potest, injuriis afflictum ligaverunt. Deinde illum super camelo imponentes, Romam taliter captivum, & vestibus propriis exutum perduxere IX. Kalend. Majas. Pontifex igitur Callistus Deo, & Petro Apostolo gratias agens, gaudio magno repletus, Urbem triumphans ingressus est: deinde consilio invento, ad Monasterium S. Trinitatis, quod Cavæ dicitur, illum delegavit.

His ita peractis prædictus Pontifex Callistus, consilio invento, Salernum ivit, quinto die intrante mensis Septembris, ut pacis firmamentum cum Duce Guillelmo, & Rogerio Comite confirmaret (27).

Hoc anno IV. Kalend. Septembris Archiepiscopus Salernitanus, nomine Alfanus, defunctus est. Quo defuncto, Callistus supramemoratus Pontifex Romualdum Diaconum Cardinalem Archiepiscopum Salerni consecravit mense Septembris mediante.

Hoc anno Robertus Sclavus obiit decimo die stante mensis Decembris, & Rachisius Abbas Sancti Modesti, ad cujus obitum Joannes Venerabilis Abbas Monasterii S. Sophiæ cum quibusdam Fratribus properavit. Continuò cadaver ejus ex more paratum ad Monasterium sepeliendum perduxit: deinde peractis exequiis in tumba quadam marmorea positum est.

Aliud quoque si placuerit explicabo; septima namque die Kalendarum Martiarum Agnes Abbatissa Monasterii S. Petri Apostoli, quod situm est intra civitatem Beneventanam, in sacro Beneventano Palatio, ascendit, & super Bethleem Abbatissam Monasterii Sanctæ Mariæ, quod est constructum ad Portam Summam conquesta est, videlicet, quòd contra voluntatem suam Abbatissa effecta esset de prædicto Monasterio Sanctæ Mariæ, affirmans quidem Monasterium illud suæ ditioni positum, & Monasterio Beati Petri subditum esse. Apostolicus autem hoc audiens (28), prædictam Bethleem vocari præcepit, ut justitiam ex hoc con-

(26) Hunc paulò clariùs describit ritum Aymoinus Floriac. in vita S. Abbonis cap. 20. de ejus agens nece. *Dubitatum*, inquit, *aliquandiù est, quonam in loco poni deberet. Tunc in commune placuit, ut quando innocenter, ac pro veritate, quæ Christus est, interemptus erat, in Ecclesia poneretur*, & infra. *Matutino sanè tempore Feriæ quartæ cum ipsis, quibus indutus erat vestimentis, uti mos est sepeliri interemptos, inlotus etiam, lapideo tumulatus Sarcophago. Inlotus*, inquit; nam defunctorum hominum cadavera communiter olim lavabantur, antequam humarentur, atque vestibus, quantum licebat, decentioribus induebantur; non sic occisorum sinè causa: nimirum quoniam sanguis eorum, si dilutus non fuisset, Divinam vindictam in percussores indesinenter clamare credebatur; juxta id, quod legitur Geneseos cap. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Rex autem Chilpericus suorum temporum alter Nero, ut est apud Gregorium Turon. Histor. lib. 6. cap. ult. cùm fuisset interemptus, *ablutus, vestimentisque melioribus indutus, in Basilica S. Vincentii, quæ Parisiis est, sepelitur*. Peregr.

(27) Acta hæc dicit Falco postquam Callixtus Antipapam Mauritium ex Sutrina civitate vi extractum, *ad Monasterium S. Trinitatis, quod Cavæ dicitur, illum delegavit*: illuc, inquam, tunc primùm, ut ad Anonymum Cassin. est notatum. Et quidem etiam Baronius in Callixti potestatem Mauritium hoc an. 1121. venisse assentitur, quod non antea contigisse, ad præfatum Anonymum exposuimus. At idem Dux Guilielmus, ut perhibet Romualdus Salernitanus, quem præfatus sequitur Baronius, in Beneventano Palatio in anno antecedenti, ante captum Antipapam, ligius homo Papæ Callixti factus, Ducatum ab eo per vexillum recepit; eodemque mense illum Trojam venientem officiosissimè coluit. A quo haud dissona tradit Petrus Diac. lib. 4. cap. 68. dicens, Callixtum Benevento Trojam discendisse, ac more antecessorum suorum à Duce Guilielmo fidelitate recepta, Romam esse reversum, ac Mauritium deinde cepisse. Nec ego temerè fidem his auctoribus denegaverim; verùm id non apud Beneventum, quod non siluisset Falco, pluscula Callixti ibi gesta prolixiùs elocutus; sed primùm apud Trojam, quam causam illuc procedendi habuisse videtur Papa; & demum iterum apud Salernum in an. 1121. interventu etiam Siciliæ Comitis Rogerii, peractum reor. *Peregr.*

(28) Septima die Kalendarum Martiarum, desinente anno Falconiano 1121. inchoato autem anno communi 1122. coram Callixto Beneventi tunc degente, Falco perhibens proclamasse Agnetem Abbatissam Monasterii S. Petri Apostoli super Bethleem Abbatissam S. Mariæ, hoc quidem dicto, non alio apertiori sermone prodidit, Papam Salerno digressum se contulisse Beneventum. Cui tunc, ut puto, Sugerius Abbas S. Dionysii, quod ipse de se ait in Vita Ludovici Grossi, *in Apuliam* (sic dicit Italiam hanc omnem cis Tyberim) *apud civitatem Beneventum* (non *Botontum*, ut depravatus ejus Codex; nec *Bitontum*, ut legit Baronius, qui hæc refert in antecedentem Callixti ad nos adventum, quando verè ille in Apuliam, ac Trojam processit) *missus à Dn. Rege Ludovico pro quibusdam Regni negotiis occurrit*. Id autem in anno 1122. cùm Beneventi Callixtus iterum adesset, accidisse, ex Sugerio metipso fatendum est; qui tradit, Mauritium Antipapam pridem devictum fuis-

consequeretur. Continuò adveniens querimonias audivit, & per Advocatos suos respondit, se dictis illius fidem dare non debere, nisi rationibus scriptis, quæ dixerat, probaret. Tunc Apostolicus, quia valde infirmabatur, & curiam in conspectu suo servare non poterat, Dionysio Tusculano Episcopo, & Chrysogono Cancellario, Roberto Parienſi, & aliis Cardinalibus præcepit, ut super hoc negotio Judices existerent, & discordiam utriusque Monasterii, rationibus cognitis, sedarent; quod & factum est. His ita decursis præfata Agnes Abbatissa per Advocatum suum ostendit privilegium quoddam, per quod Leoprand olim Dux civitatis Beneventanæ concessit, & tradidit prædictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ cum omnibus suis pertinentiis sub jure, & dominio prædicti Monasterii S. Petri Apostoli. Ostendit item privilegia, quibus Pandulphus Princeps, & ejus successores confirmaverant eandem Ecclesiam S. Mariæ sub potestate jam dicti Monasterii B. Petri. Iterum protulit alia privilegia, & munimina ipsius, Monasterio pertinentia. Ad hæc jam dicta Bethleem Abbatissa Monasterii S. Mariæ per Advocatum suum produxit in medium chartas, & instrumenta ejusdem Monasterio pertinentia, in quibus continebatur, à quinquaginta annis jam præteritis, & usque ad præsens Abbatissam continuatim in Monasterio S. Mariæ præfuisse; ex quibus prior fuerat Labinia nomine; secunda Sicelgarda; & aliæ, quarum nomina in earum instrumentis legebantur. Nos autem memoriæ ducimus ex moderno tempore Abbatissam Labiniam eidem Monasterio secundam præfuisse. Similiter in ipsis muniminibus legebatur, Præpositas ipsi Monasterio per se causas, & negotia, & præfuisse, & egisse. Ostensis itaque ab utraque parte privilegiis, & munitionibus illis, & lectis, prædicti Cardinales Judices dati in partem euntes, super auditis querimoniis sententiam protulerunt: Ventilatâ igitur sententiâ ex communi consulto Domino Papæ Calliſto eam intimavere, ut ipse, quam invenerant, sententiam confirmaret. Calliſtus autem Pontifex absque mora, dicta eorum & confirmavit, & fidem attribuit; & sententia talis fuit, videlicet: Ut prædictum Monasterium S. Mariæ à modò, & perpetuò propriam habeat Abbatissam, à Romano quidem Pontifice consecrandam, ita ut Sororum congregatio apud idem Monasterium S. Mariæ degentium potestatem habeat eligendi Abbatissam, qualem voluerit, salvo tamen censu, quem pars ipsius Monasterii persolvat annualiter ad prædictum Monasterium S. Petri, quatuor oblatas scilicet, & duos cereos in Nativitate Domini, in Resurrectione totidem. in Assumptione B. Mariæ totidem. Super etiam sententiam ipsam Apostolicus ipse scribi præcepit, & à cunctis præfatis Cardinalibus constitutis super hoc Judicibus, testari mandavit. In quo verò libello judicii ipse Pontifex manu propria se subscripsit. Confirmata itaque, & sic roborata tali sententia, prædictæ Bethleem venerabili Abbatissæ illam delegavit talibus, & tantis ornatam Cardinalium testimoniis, quatenus amodo, & perpetuis temporibus pars Monasterii ipsius quieta permaneat, & sine aliqua, à parte B. Petri, perturbatione, molestiave consistat. Præterea, privilegio signato, confirmavit idem monasterium S. Mariæ cum omnibus possessionibus ei pertinentibus, quatenus omni tempore inviolatum permaneat, & sinè cujuslibet contrarietate vigorem obtineat.

Anno 1122. Dominicæ Incarnationis, & quarto anno Pontificatus prædicti Domini Calliſti Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ mense Martio XV. Indictionis. Hoc anno Dux Guillelmus filius Rogerii Ducis ad Rogerium Comitem filium Rogerii Comitis Siculorum descendit, conquerens de Jordano Comite Arianensi, ut ei auxilii manum, & virtutis militum, & divitiarum ei largiretur, quatenus ejus auxilio de Jordano Comite ultionem perciperet. Cùmque Dux ipse ad Comitem illum applicuisset, precibus multis, lacrymisque taliter exorsus est: Ad vestram Comes egregie descendi potentiam, tum pro consanguinitatis vigore, tum pro divitiarum tuarum magnitudine de Jordano Comite querimoniam facturus, & suppliciter postulans, ut vestro vallatus auxilio super illo ulciscar. Nam cùm die quadam ego civitatem Nuscum intrarem, en Comes ille Jordanus militum suorum caterva stipatus ante Portam ipsius civitatis advênit, & contumelias multas, & convicia mihi inferens minatus est, quia mantellum tùum ego curtabo. (29) Deinde civitatem ipsam Nuscum circumquaque perlustrans omnino deprædatus est. Ego verò quia prævalere in eum non poteram, invitus sustinui, & diem rogavi ultionis. Et his actis, Comes ille horis omnibus multis, variisque afflictionibus nos dehonestabat. Quid multa? Medietatem suam Palermitanæ civitatis, & Messanæ, & totius Calabriæ Dux ille eidem Comiti concessit, ut ei super his omnibus auxilium largiretur. Continuò sexcentos milites, & quingentas uncias auri ei largitus est. Nec mora: Dux ille adveniens terram Comitis Jordani aggrediens die S. Joannis Baptistæ castrum Rosetum, & alia multa ei abstulit. Inde procedens in festivitate Sanctorum Joannis, & Pauli Castellum Montis-Jovis insiliens, igne, ferroque illud consummavit; & quinquaginta milites ibi comprehendens, arma eorum, & spolia secum gaudens deportavit. Et inde procedens castellum Apicis, ubi Comes ille morabatur, obsedit. Ad Ducis namque auxilium Crescentius Cardinalis tunc Rector Beneventanus cum Beneventanorum cœtu festinavit. Quid multis? Comitem illum, & castrum Apicis suæ obtinuit potestati. Comes itaque Jordanus, Ducis pedibus, sicut ipsi vidimus, qui aderamus, prostratus, misericordiam

se, annoque sequenti ab eodem Pontifice celebratum Concilium Lateranense, quod in anno actum constat 1123. ut paulò post dicam. Quos autem raptores Italiæ, & Apuliæ tunc à Callixto perdomitos idem ibi innuat Auctor, haud novi. Cæterùm secundus iste Callixti adventus Beneventum latuit Baronium, quem non latuit Falco. *Peregr.*

(29) In Sacris literis lib. 2. Reg. 10. Hanon contumeliæ etiam causâ *præscidit vestes servorum David medias* (Septuaginta legunt. *Mantella*, quam lectionem noster imitatus videtur) *usque nates*. Sed & Regis Rogerii Cancellarius Guarinus apud Petrum Diac. lib. 4. cap. 100. paribus minis opprobria etiam paria in Cassinenses Monachos se illaturum vociferabatur; dicebatque, *se incisurum illis, & labrum, & nares, & vestes illorum medias usque ad nates*, qua contumelia, olim frequenter solita irrogari, qui afficiebantur, cùm abirent, quia utraque pudenda manibus tegere conabantur, dicterio occasionem dedere, in eos usurpari consueto, quos aliquam ignominia ad sua rediisse, vel redituros notamus. *Peregr.*

Digitized by Google

dam ei postulavit. Dux autem precibus multis coactus, præcipuè Comitis Rainulphi, qui aderat, liberum eum, & ubi vellet abire permisit: qui verò Comes Montemfuscum properavit: & his actis civitatem Ariani, & totius sui Comitatus confinia, ejus submisit potestati. Cùmque Comes ille Jordanus Montemfuscum ascendisset, dies quindecim ibi moratus est. Continuò Landulphus de Græca ejus adversarius conspiratione firmata eum de Montefusco ejecit, qui taliter ejectus castrum Morconis adivit, ibique per annum habitavit; quibus ita patratis Dux ipse Montem Corvinum Salerni proximum obsedit. Fulco itaque Dominus Castri illius, quia resistere non poterat, Castellum illud Ducis submisit potestati. Eodem tempore Richardus filius Guarini de Formari à villanis suis est trucidatus. Audiens autem Dux prænominatus taliter Richardum illum trucidatum esse, congregato exercitu Montem Vicum festinavit, & inauditam de homicidis illis accepit ultionem, & Castellum illud igne, ferroque consummavit; & duos Presbyteros, qui ad mortem illius consenserant, laqueo suspendit. His, aliisque negotiis ita decursis, Dux ille milites, quos à Comite Rogerio acceperat, ei remisit; cùmque, sicut prædiximus, Jordanus Comes exhæredatus fuisset, consilio Ugonis Infantis, & Raonis de Boscone, & Raonis de Fraineta invento, Castellum Paludis comprehendit. Audiens autem Dux prænominatus Castellum illud captum fuisse, exercitu aggregato, castrum illud obsedit mensibus tribus. Tandem Dux ille videns, quia sic citò capi non poterat, Principem Jordanum Capuanorum rogavit, ut ei auxilium præberet, & pro auxilio offerendo Castellum Apicis, & Acernum ei largitur. Continuò Princeps ipse congregato exercitu super Apicis castrum advênit, & ex hac parte in planitie castrametatus est. Præterea Dux ipse Beneventanis mandavit, ut neque sibi, neque Comiti Jordano auxilium præstarent, & dáret eis, & concederet totas fidantias, & pensiones, quæ à Castello Fenuculo, & usque ad Castellum Montisfusculi exibant de hæreditatibus Beneventanorum; quod Beneventanis complacuit, & sic pactis firmatis juratum est ab utraque parte. Cùmque Comes ille Jordanus taliter se coactum aspiciens, in manus prædicti Principis se, & Castellum Paludis summisit: & ipse cum suis prædictis consociis inde exeuntes ad propria reversi sunt, Comes verò Jordanus castrum Morconis ingressus est; & sic pace firmata Princeps ipse Capuam revertens, temporibus multis castrum Apicis, & Acernum obtinuit. Deinde Dux ille super castrum Morcone milites, & peditum catervas opposuit, cogitans & Comitem, & castellum illud suæ obtinere ditioni, quod facere minimè potuit. Deinde Dux præfatus Salernum adivit, & de multis, variisque sudoribus, quos perpessus fuerat, requiem adeptus est: sicque usque ad diem obitus sui terra sui Ducatus à bellorum turbinibus siluit, & quievit. Et ipso anno, duodecimo die intrante mensis Augusti copia piscium in Caloris flumine apparuit, ita quòd mulieres, & viri manibus tantùm, sinè retibus, capiebant.

A

Anno 1123. Dominicæ Incarnationis, & quinto anno Pontificatus Domini Callisti Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense Martio, primæ Indictionis, supradictus Callistus Pontifex consilio salutis accepto, ultramontanos omnes ferè Episcopos, & Archiepiscopos, & Abbates, & totius, ut ita dicam, Italiæ Ecclesiarum Pastores accersiri præcepit, (30) quatenus, Sancta Synodali confabulatione firmata, pactum cum Imperatore Henrico positum, perpetuò confirmaret. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Roffridus Beneventanus Antistes honestè properavit. Ordinato itaque Concilio tali, & tanto, Apostolicus ipse Sacramenti privilegium, quod prædictus Imperator constituerat pacis, in conspectu omnium, qui convenerant adduci, & legi præcepit. Continuò ab omnibus confirmatum est, & commendatum. Inter cætera verò, quæ ibi statuta sunt, treugam Dei tenendam posuerunt. Item vinculis anathematis alligavit Apostolicus ipse, si quis Beneventanam civitatem ex B. Petri potestate auferre tentaret; & multa alia, quæ huic opusculo affigere longum visum nobis est: excogitans quidem me fastidia addere, si libello tali universa componerem. Aliàs verò scripta omnia, & notata invenietis. Audivimus autem, & quod revera est comperimus, tale, tantumque pacis firmamentum infra Romanam urbem temporibus prædicti Apostolici adveniisse, quòd nemo civium, vel alienigena arma, sicut consueverat, ferre ausus est: & Concilio celebrato, Beneventum venit prædictus Apostolicus Callistus, & quædam negotia Beneventanorum tractavit.

B

C

Eodem anno Landulphus de Græca supranominatus, XII. Kalendas Decembris obiit, & ad Ecclesiam suam S Maximi sepultus est. Cùmque prædictus Pontifex Callistus Beneventum venisset, vocari fecit præfatum Roffridum Archiepiscopum, ut audiret quorumdam civium accusationes, quæ ei inferebantur. Accusatus enim fuerat, quòd simoniacè Archiepiscopatus honorem accepisset. Tunc Præsul ipse, vocatis quibusdam suffraganeis suis, & presbyteris civitatis sacrum ascendit Palatium, & accusatoribus auditis, inducias postulavit, & acceptis induciis respondit: Paratus sum, Pater Sanctissime, juxta canonica instituta ab his purgari accusationibus, & vestram sequi jussionem. Tandem juravit ipse primùm (31), cum duobus Episcopis, & tribus Presbyteris, simoniacè non fuisse ingressum.

D

Anno 1124. Dominicæ Incarnationis, & VI. anno Pontificatus Domini Callisti Papæ. Hoc anno præfatus Roffridus Beneventanus Antistes, consilio accepto, corpus Sanctissimi Patris nostri Barbati Beneventani Præsulis ex Altaris tumba, qua per multa annorum curricula quieverat, abstraxit: Altare verò illud non honestè, prout decebat, habebatur; præcipuè quia structura novi Episcopii ad locum ipsius Altaris producebatur: idcirco inde amoveri juxta fabricæ sententiam oportebat. Archiepiscopus itaque prænominatus Episcopos duos suos suffraganeos vocari præcepit, quatenus eorum consilio, & auxilio talis, tantusque

E

(30) In præsentem etiam annum hanc Lateranensem Synodum conjicit Robertus de Monte, & Chronicon Ciccanense; à qua sententia fiat quoque Rigordus in Ludovico, ut expositum est supra. Sed Baronius eam statuit ad antecedentem. *Peregr.*

(31) Canonica ea dicebatur purgatio, de qua Jureto ad Ivonem, aliisque observata, non repeto. *Peregr.*

Digitized by Google

que copioſus theſaurus inveniretur. Continuò quibuſdam civibus advocatis, & Clero, medio noctis ſilentio, Archipræſul Roffridus Eccleſiam ingrediens ad Altare ſuperiùs nominatum adivit, & coram omnibus, Epiſcoporum ſolatio, illud confregit; & Altare fracto Sanctorum reliquiæ, quorum nomina neſciuntur, inventæ ſunt; quibus eductis in altum fodi præcipitur, ut diu deſideratum pignus præfati corporis videretur. Nec mora, lapis quidam pretioſus invenitur, ex omni parte acriter, miroque laboris opere concluſus, quem vectes ferrei ſuſtentabant: & eo invento, lætitia eos invaſit immenſa, qui ad tollendum lapidem viribus omnibus conabantur: ſed quia fortiter ob duritiem operis tenebatur lapis ille, aſſenſu omnium fruſtatim confringitur. Quo ſublevato, divina gratia favente, Beatiſſimi Barbati corpus inventum eſt. Præfatus itaque Archiepiſcopus, primus omnium locum ingreditur, & oſſa, cineremque advolvens, gaudio magno, laudibuſque ſonantibus, ad medium propalavit. O quale gaudium, Lector, aſpiceres, & alacritatem, cùm longè margaritas optatas temporibus noſtris invenimus. Oſſa autem collecta ad Altare S. Sebaſtiani Clericis cantantibus Hymnos, producuntur. Mane autem facto, tota civitas catervatim prorupit, & Deum omnium conditorem laudabant, qui eis tale, tantumque B. corpus Barbati largiri dignatus eſt. De oſſibus namque ipſius vidimus quædam, & oſculati ſumus. Quibus ita peractis, præcepit Archiepiſcopus, ut primùm Presbyteri Portæ Summæ, & clerici ſimul cum laicis ad Epiſcopium deſcenderent, & coram ſacratiſſimo Barbati corpore vigilias celebrarent. Confeſtim, ex juſſu Archipræſulis Sacerdotes conveniunt, & cereis, lampadibuſque accenſis, ſimulque magno laicorum comitatu utriuſque ſexus, & ætatis, jubilando deſcendimus; ſicque unaquæque civitatis Porta diebus ſingulis uſque ad octavum diem peregit. Die itaque octavo adveniente pridie Kalend. Junii ſub Altari lapideo corpus B. Barbati præfatus Archiepiſcopus duobus ſecum Epiſcopis adhibitis, locavit, & eo taliter locato, Altare in honore B. Barbati dedicavit; ad cujus dedicationis ſolemnitatem turba multa civitatis convênit, quatenus delictis eorum Deus Omnipotens indulgeret. Archiepiſcopus itaque jam fatus loco eminentiori aſcendens, ut videri, & audiri ab omnibus poſſet, peccatorum partem, divina favente clementia, condonavit. Donavit item aliis omnibus, qui uſque ad octavum diem feſtivitatis Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ad dedicationem illam devotè concurrunt. De miraculis autem, quæ ob prædicti Patris noſtri Barbati merita honoremque Jeſus Chriſtus humani generis amator, nobis omnibus aſpicientibus oſtendere dignatus eſt, licèt ſermone inculto, Paternitati veſtræ explicabo. Cùm enim, ſicut ſupra ſcriptum eſt, B. corpus venerabile in conſpectu omnium ad Altare S. Sebaſtiani per dies octo teneretur, vir quidam, Joannes Sutor vocabulo, Epiſcopium ingreditur, & ante Sanctiſſimi Barbati corpus terratenus lacrymis rigantibus proſternitur, qui continuò à Clero, populoque aſtante, qua de cauſa defleret, interrogatur, & ille cuncta, quæ acciderant, à veſtigio patefecit. Dum ego noctis ſilentio in ſtratu quieſcerem, meo corpori ſomno debito ſoporatus, en adeſt ante oculos vir quidam canitie venerandus, veſtimentis indutus dealbatis, qui verò paulatim accedens ſtratui meo appropinquavit: Et quare, inquit, cum cæteris ad vigilias canendas coram oſſibus præterito die non adveniſti meis? Et ego, Pater, quoniam dolore gravi, uti conſtat, brachium meum cum dextera tenebatur; ſex etenim menſium ſpatio miſer ego tali languore perturbor, addidique: Dicito mihi, quo nomine Pater vocaris? & ille, Barbatus, ait, Beneventanæ quondam civitatis Epiſcopus. Subjunxit item: Brachium, & manum ipſam citò mihi oſtendas. Tandem ego, quia dolore torquebar, non citiſſimè manum extendi; extenſam tamen tetigit eam, & ita curſu rapido dolor ille dilabitur, acſi nunquam manum cum brachio dolor ipſe tenuiſſet. Protinus mane facto ſurrexi, & ſanitatem citò exortam mirabar. Adveni itaque gratias, & laudes Creatori omnium Deo, & Barbato Sanctiſſimo Præſuli, cujus meritis evaſi, redditurus. His ita actis, atque narratis, tintinnabula omnia Epiſcopii pulſari jubentur, ut civitatis populus ad audiendum, videndumque tale, tantumque miraculum convenirent. Prorupit continuò tota fere civitas, & Medicorum omnium Medicum glorioſiorem benedicendo laudavimus: manum illius cum brachio curatam ſcriptor ego palpavi: vicini namque illius teſtabantur, quòd tempore longo eum infirmari cognoviſſent. Quo viſo ad propria, lætitia referti, reverſi ſumus. Aliud quoque miraculum, quod Redemptor generis humani Chriſtus Jeſus diebus ipſis operatus eſt, ad præfati Patris noſtri Barbati gloriam enarrabo. Ruſticus quidam de Caſtello Montisfuſci habitator, tantique Viri famam Sanctitatis audiens, Beneventum venit, qui per longa annorum curricula nervis cruris, pediſque arefactis claudicaverat; tenebatur quidem jugiter dolore terribili, & quaſi pede ad clunes ligato miſer ille omnibus horis cruciabatur. Continuò ante Baſilicam Sancti Barbati proſternitur, Redemptorem omnium Deum efflagitans, quatenus ei priſtinam reſtitueret ſanitatem: & ea taliter orante, ſoporis gravitate arripitur, & ceu ſemivivus noctis unius ſpatio ibi moratus eſt. Noctis igitur ipſius ſilentio, en adeſt vir quidam ætate ſenili productus, canitie veneranda locupletatus, qui, ſicut ex ejus lingua audivimus, eum taliter expergefactus eſt: Surge, ait, feſtinus, & propera Altare nomini meo conſecratum exquirens, ibique favente Salvatoris clementia, ſanitatis gaudia longè, latèque optatæ conſequêris? Et ille: Quis es, inquit, qui mihi tanti theſauri pondus promittis? Barbatus, ait, Beneventanæ civitatis Epiſcopus. Confeſtim claudus ille audaciam ſumens loquendi: Non poſſum, ait, infelix ego ſic pergere; videſne qualiter pede ſiccato cruciatus hìc ego permaneo? tuæ namque ſanctitatis famam perſentiens curſu rapido aſello ſuperſedens adveni, ut tuis interceſſionibus ſalutis optatæ lætitiam adipiſcar. Nec mora; Pater ille Barbatus manum extendens, pedem aridum, & tibiam tangit, inquiens; Feſtina celeriter, & ſanitate accepta ante Altare te proſternito? His auditis ſurrexit ſanus qui fuerat claudus, & alta voce Deum laudat, per quem ſibi dona ſalutis talia donantur, per quem ſibi gaudia dantur. Et mane facto Eccleſiam ingreditur Deo, & Patri Barbato gratiarum actiones redditurus. Narrat itaque, qui claudus fuerat, è veſtigio cuncta, quæ ſibi accide-

Digitized by Google

derant, populo adveniенti, & qualiter longo ex tempore claudicaverat nervis contractis. Fatebatur etiam præfatum Episcopum Barbatum sibi apparuisse, & ejus interventu sanitatem accepisse desideratam. Fragor interea tanti miraculi civitatis partes, partiumque angulos invadit, & catervatim ad videndum hominem Cives properaverunt. Quo viso factorem omnium laudantes ad propria remeavimus. Diebus autem non multis elapsis, mulier quædam manus aridas, nervosque obductos ferens ad beneficia Præsulis Barbati accucurrit, quæ coram Altaris præsentia accubuit, & lacrymis manantibus Salvatoris misericordiam invocabat. Lacrymas autem ejus Omnipotens Dominus ex alto aspiciens, & confessoris sui Barbati gloriam ostendere volens, qualis, quantique apud eum triumphi consistit, coram omnibus, qui convenerant, manus sic arefactas cœpit mulier illa ad cœlum erigere; deinde voce clara prorupit sanitatis auxilium in manibus, & nervis circumflexis sensisse, digitos revera curvatos aperuit, & compages digitorum omnium gratia divina favente solutæ sunt. Ad hæc populus ferè totus festinat, & cœlorum Regem, Patremque nostrum Barbatum benedicendo magnificavimus.

Hoc anno tanta fuit fertilitas vini, quòd nobis, & multis aliis videntibus, centum saumæ pro triginta denariis vendebantur. Eodem anno supranemoratus Papa Callistus, duodecimo die stante mensis Decembris, migravit ad Dominum, post cujus obitum Cardinales omnes Ostiensem Episcopum nomine Lambertum in Pontificem Honorium elegerunt; qui verò Callistus annis quinque, & mensibus novem Pontificatus Cathedram gubernavit. Continuò Honorius ipse Pontifex ordinatus, Petrum Presbyterum Cardinalem Rectorem apud Beneventum delegavit.

Anno 1125. Dominicæ Incarnationis, & primo anno Domini Honorii, mense Martio tertiæ Indictionis: hoc anno undecima nocte mensis Octobris adveniente, novum, terribileque Beneventi advênit prodigium: & ut audivimus etiam per civitates alias, & oppida civitati Beneventanæ contigua. Nocte siquidem illa, nobis omnibus sopori debito incumbentibus, terræmotus subitò factus est inauditus, ita quòd universi nos exterriti mortem expectabamus. Continuò civitatis populus expergefactus lacrymis, singultibusque exæstuans, ad Episcopium festinavit, alii quidem civium ad Monasterium Sanctæ Sophiæ, Deum precaturi Salvatorem omnium, festinavimus. Terræmotus verò sic terribiliter accidit, quòd Turres, Palatia, & universa civitatis ædificia concussa tremebant; terra quoque, & saxa à tanti tremoris formidine in duas partes scissa sunt: muri quoque civitatis ruentes domos quorumdam terratenus prostraverunt. Regem verò testamur æternum, terram sub pedibus cerneres labefactari. Quid dicam? terræmotu tanto stupefacti, & præ timore insolito arescentes ad ima descendere cogitabamus: sicque usque ad Solis ortum, locis Sanctorum gemitibus, lacrymisque adhærentes, fletibus multis precabamur Dominum corporum, & animarum salubrem medicum, ut pietatis viscera nobis indignis largiretur. Tertiò, ut ferebant, & quartò terræmotum illum accidisse nocte illa affirmabant. Die verò insecuta circa meridiem, en adest iteratò terræmotus concutiens, quòd, si Lector adesses, oculata fide universa civitatis ædificia tremere, & palpitare videres. Præfatus igitur Pontifex Honorius, qui tunc apud Sacrum Palatium Beneventanum morabatur, tanti terræmotus concussionem nocte illa persentiens, Cameram egreditur, & S. Joannis Basilicam properavit. Continuò terratenus prosternitur, & coram Altari Salvatoris Dei misericordiam lacrymis irrigantibus invocavit. Mira res, & omnibus inaudita viventibus, quæ nusquam temporibus istis, & à quibus recordari potuerit, sic evidenter accidisset! Nocte siquidem semel terræmotus concussionem adveniisse complures memoriæ ducimus, & firmamus. Nunc verò die, noctuque sæpissimè ad quindecim usque dies terræmotus tempestas perduravit: ex cujus terræmotus formidine cives stupefacti ad Episcopium, & ad Ecclesiam S. Leonis Papæ cum Litaniis, & magno lacrymarum singultu viri, & mulieres, parvuli quoque clamantes ad Dominum festinarunt. Quin etiam præfatus Pontifex Honorius, Cardinalibus vocatis, nudis pedibus, magnas super hoc ad Deum lacrymas preces effudit.

Anno 1126. Dominicæ Incarnationis mense Martio IV. Indictionis, hoc anno Imperator Henricus obiit.

Anno 1127. Dominicæ Incarnationis, hoc anno Dux prænominatus Guillelmus, septimo Kalendas Augusti mortuus est. Continuò uxor ejus crines suos, quos pulchros, & suaves nutrierat, coram omnibus, qui aderant totondit, & lacrymis manantibus, vocibusque ad astra levatis super Ducis defuncti pectus projecit. Nec mora, totius civitatis Salernitanæ partes obitus Ducis fama perculsit; & sic catervatim cursu præcipiti populus omnis ad Palatium properavit, cupiens Ducis illius defuncti cadaver aspicere (32), & eo viso humilitatis ejus, & pietatis reminiscentes, crinibus, genisque

(32) Eodem ritu à cuncto Clero, & Populo civitatis Trojæ, per turmas scilicet dispertito, Ducem Raynulfum sepulturæ traditum narrat idem noster ad an. 1138. Nec diverso admodum modo Hugo Falcandus ait comploratum primi Regis Guilielmi obitum. *Per totum*, inquit, *triduum mulieres, nobilesque matronæ, maximè Saracenæ, quibus ex morte Regis dolor non fictus obvenerat, saccis opertæ, passis crinibus, & die, noctuque turmatim incedentes, ancillarum præeunte multitudine, totam civitatem ululatu complebant, ad pulsata tympana cantu flebili respondentes.* Sic etiam de Boni Neapolis Ducis morte, ut legitur in ejus Tumulo, Neapolitani *turmatim* condoluerunt. Nec tantùm in luctu ejusmodi mos servabatur, sed etiam in publica lætitia. Idem Falco ad an. 1139. *Audiens*, inquit, *Populus Romanus Domini Papæ Innocentii adventum, catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno, & honore suscepit.* Quin non alio ordine ad sacras tunc procedebant, conveniebantque præcipuas solemnitates, easque celebrabant. Anastasium Biblioth. sic capio in Leone III. dicentem, quòd Romæ, qua die idem Pontifex à Romanis Clericis lingua, & oculis fuit privatus, indictis majoribus Lætaniis, *omnes tam viri, quàm fœminæ devotæ mente catervatim in Ecclesia B. Christi Martyris Laurentii, quæ Lucina nuncupatur, ubi & collecta prædicta iverat, occurrerant.* Nec nisi catervatim etiam recedebant: idque est S. Paulino Nolano in Natali 7. *solvere cœtus à Templo*. Catervas autem tales regionatim collectas disco ex Gisleberto in vita S. Romani lib. 2. cap. 15. apud Biblioth. Floriac., ubi de pueri cujusdam matre, surdi, & claudi, quæ viderat per

nisque evulsis, Patrem eorum, & Dominum mirabiliter invocabant. Confestim Archiepiscopus civitatis, Clero accito ad deferendum corpus adivit, & eo in feretro gloriosè impositio, quatuor ejus, quos dilexerat, equos, ante ferretrum usque ad Episcopium Sancti Matthæi duxerunt, similiter quatuor aurea vexilla coram eo imposuerunt. Lector itaque si adesses, utriusque sexus populum deflentem aspiceres, & miratus affirmares Ducem aliquem, vel Imperatorem tali sub mœstitia nunquam sepultum fuisse. Exequiis igitur exmore celebratis, in tumba pretiosè parata Ducem illum sepelierunt. Cùmque Ducis illius mortem fama per totius Apuliæ partes ventilaret, Comes prænominatus Jordanus, quia à Duce illo exhæredatus fuerat, auxilio militum arrepto, Montemfuscum ascendit, die videlicet sepulturæ præfati Ducis, & quia ibi complures amicos habuerat, Comes ille Montemfuscum obtinuit. Deinde totius sui Comitatus compræhendit civitates, & oppida, & sic in integrum lucratur quod perdiderat. Diebus præterea quindecim evolutis, Robertus filius Richardi Comitem præfatum precatur, ut in ejus subveniret auxilio, quatenus civitatem Florentinum capere potuisset. Comes itaque Jordanus, ut erat ardentis animi, absque mora militibus sumptis, festinavit. Continuò tubis sonantibus, civitas illa ex omni parte aggreditur, & Comes ille ad portam quandam insiliens ingredi satagebat; Custodes autem turris tantam aspicientes audaciam cœperunt lapidibus, gladiisque obsistere. Tandem, divino judicio superveniente, Comes ille sub lapidum densitate oppressus vitam, & totius sui Comitatus amplitudinem, quam acquisierat morte infelici amisit. Cùmque Rogerius Comes Siculorum, mortem Ducis Guillelmi agnovit, navigiis septem paratis (in armis siquidem, & omnibus necessariis, Salernum advênit) & diebus ibi decem commoratus est, nolens revera de navi descendere, sed nocte, dieque in navigio persistens, cives vocari fecit Salernitanos, & Archiepiscopum eorum Romualdum, & eis juxta litus omnibus convenientibus taA diter Comes ille Rogerius exorsus est: Domini, & fratres, sicut vestra novit sagacitas, Robertus Guiscardus Dux olim bonæ memoriæ patruus meus, civitatem hanc, quam modò vestra tenet prudentia, in vigore animi, & prudentia multa expugnans acquisivit; deindè post discessum Rogerius Dux ejus filius, consobrinus noster, pacificè tenuit cum vestra prosperitate, inde Dux Guillelmus hæres ejus; & filius usque in præsentiarum viriliter dominatus est. Nunc verò judicio Dei adveniente Dux ipse Guillelmus sinè filio mortuus est. Ego itaque, qui ex ejus progenie productus sum, si vestræ placuerit nobilitati, vestram imploro civilitatem, quatenus consilium habeatis, & me præter quemlibet alium diligentes, dominium nostrum, & amoris vinculum consequamini. Nam, Domino auxiliante, & vita Comite, ad melioris status vigorem pervenietis, & divitias, quas sub tempore pristino habuistis. Quid multa? Cives illi, consilio communicato, civitatem Salerni ejus sub fidelitate commiserunt. Sacramentis civium omnium diligenter firmatis pollicentes suam nusquam deserere dilectionem. Juravit statim Comes ille Rogerius, quòd sinè judicio, & sinè culpa eos non capiat, neque capi permittat, neque extra dies duos in expeditione illos perducat, & castellum Turris majoris dē illorum potestate non auferat, & si quis abstulerit ejus auxilio sub eorum potestate restituat. Et his actis civitatem ingreditur, & ibi honestè commoratur. Audiens autem Beneventanus populus Comitem illum Salernitanam habuisse civitatem, quosdam civitatis sapientes ei miserunt, dilectionis vinculum, & obsequia pollicendo. At comes ille gratis, & retributionis munera remisit Beneventanis, vita comite, redditurum His, & aliis ita decursis, universum Ducatum Amalphitanorum circumquaque Comes ille suæ subjugavit potestati; & inde procedens Trojanam civitatem, & Melphitanam, & totius ferè Apuliæ partes obtinuit. Landulphum quoque de Montemarano, & Landulphum de Sancto Barbato, & Raonem de Fraineta, & Ugonem infantem; cum

per somnium, se ad Sanctorum Ecclesias illum detulisse, sanitatemque ei expostulasse. *Quibus ita visis*, inquit, *superveniente diei splendore, audivit referri à commanentibus, quòd ad S. Romanum ire, ac peculiare deberent orationum celebrare sacrificium. Quem laborem tota cum illis suscipiens industria, eorum juncta agmini, unicum detulit pignus ad limina præfati protectoris.* Sed adverte, peculiare illud fuisse sacrificium, & laboriosum; nam solebant singularum regionum incolæ in singulos cœtus adunati, unà cum Ecclesiasticis viris suæ regionis, quibus præcipua cura erat processionem ducere, habereque tum ad sui nominis, tum ad suarum Ecclesiarum decus quàm ornatissimam, statutis diebus, si Festum in plures dies producebatur, ad sacras vigilias celebrandas procedere: sacra cantica canentes, cereosque, & lampades accensas, & vexilla simul gestantes, & pegmata majoris, minorisve molis vario artificio elaborata, in Templo ejus Divi, cujus festum agebatur, aliquandiu ad devoti cultus argumentum asservanda. Cujus sacri ritus luculentum præfert exemplum noster Falco ad an. 1119. exiguumque nunc etiam à Campanis servatur vestigium in Festo Inventionis S. Stephani Protomart., qui machinulas à Sacerdotibus definitarum Ecclesiarum ad Cathedralem Ecclesiam delatas, appellant, *Fajos*: detorto vocabulo ab antiquo Langobardico, *Fara*, quod apud Leges Langobard. lib. 3. tit. 12. & Paulum Diac. lib. 2. cap. 7. sive 9. sonat idem, ac *generationes*, vel, *prosapiæ*. Nam ipsi utique singuli *Fajs* insignia quædam esse videbantur singularum regionum, quæ urbani populi convenientis ad eam synaxim stirpes complectebantur. Istamque nominis originem sequi penitùs placet: verò quamvis etiam simile videri posset, dictos esse *Phajos*, quasi *Phalas*: priscis sic appellatas *Turres*, teste Servio ad Æneid. lib. 9. & Isidoro Ethim. lib. 18. cap. 7. quibus ii formâ maximè accedunt. At ab *Fajis*, hoc est ab ejusce nominis arborum, sive aliarum arborum virentibus ramis, quos celebri etiam in solemnitate Translationis S. Matthæi Apost. regionatim Salernitanus Populus, ac Diœcesani oppidatim ad Cathedralem Ecclesiam convenientes lætitiæ, & honoris causâ antiquitùs importabant, sicut ex ejusdem Ecclesiæ vetusto libro Rituali ejusmodi imagunculis bellè depicto cognovi, minimè nostros structiles dictos credam *Fajos*. Multoque minùs, quòd tanquam, *Phari*, annexis ardentibus cannellis, lucernisve in noctu, dum procedebatur, præluceret; nam accensæ quidem faculæ in ejusmodi processionibus, ut est dictum, præferebantur; tuncque ad vigilias faciendas, celebrandasque procedi, prisco sanè verbo dicebatur: sed minimè nocturnum illud constat tunc fuisse sacrum: Gislebertus inquit verbis supra relatis; *superveniente diei splendore, audivit* mulier *referri à commanentibus, quòd ad S. Romanum ire deberent*, &c. *Peregr.*

eum omnibus eorum pertinentiis ad ſuam redegit ditionem. Quibus peractis victor, & exultans Siciliam repedavit. Continuò conſilio habito, ad Ducatus arripiendum honorem animum impulit elatum, & præcepit omnibus in terra ſua manentibus, ut Ducem Rogerium eum vocitarent, quod & factum eſt. Miſit præterea Domino Papæ Honorio munera multa auri, & argenti, pollicitando inſuper etiam civitatem Trojanam, & Montemfuſcum, ut Ducatus ei vexillum, & nomen largiretur; quod nunquam tempore illo prædictus Papa Honorius ei concedere dignatus eſt. Unde diſcordia multa, & ſanguinis effuſio orta eſt. Qualiter autem ſibi prædictus Pontifex Honorius, & quando Ducatum conceſſit, in ſubſequentibus, vita comite, deſcribam. Audiens autem prædictus Rogerius Siculorum Comes, præfatum Pontificem Honorium petitionibus ſuis circumflecti non poſſe, præfato Raoni de Fraineta, & Ugoni infanti, omnibuſque circa Beneventanam civitatem fautoribus ſuis præcepit, quatenus quot poſſent captivos, perducerent Beneventanorum, & afflictionibus multis civitatem infeſtarent. Qui verè magis quàm fuerat eis injunctum, executi ſunt; præcipuè Rao de Fraineta, qui valde civitatem ex antiquo oderat. Guillelmus igitur, qui tunc Beneventanorum præerat Rector, ferociam, & infeſtationem præfati perſentiens Raonis de Fraineta, conſilio habito, die quidem feſtivitatis S. Martini totius civitatis partes ſubmovit, ut armis acceptis ſuper Raonem illum feſtinaret, qui libentiſſimè perrexerunt, ut ultionem acciperent de acceptis. At prædictus Rao quinquaginta ferè milites, & pedites multos ſecum occultaverat. Unde ex improviſo inſiliens multos Beneventanorum in fugam converſos comprehendit, & eos turpiter in flumine Sabbati, & extra invênit. Sicque ad caſtrum Ceppaluni ſecum perduxit captivos; & eis taliter alligatis bona illorum argenti, & auri pro redemptione accepit. His taliter omnibus ſuperiùs narratis evolutis, prædictus Pontifex Honorius nihil utilitatis, & virtutis erga civitatem Beneventanam agere deprehendens, conſilio ſalutis accepto III. Kalend. Januarias Capuanam civitatem adivit. Continuò prædictus Robertus Princeps officioſiſſimè illum excipiens ad Palatium Epiſcopii Capuani gaudio magno eum caſtrametari præcepit (33). Nec mora: Præfatus Pontifex Honorius Archiepiſcopos, & Abbates accerſiri præcepit, quatenus ad Principis unctionem convenirent, qui euntes die ſtatuto exultatione ingenti ad Capuanam Eccleſiam convenere. Archiepiſcopus itaque Capuanus juxta Prædeceſſorum ſuorum privilegium, præſente tanto, ac tali Pontifice Honorio cum turba virorum Religioſorum, quæ convenerat, & Epiſcoporum conventu, prædictum Robertum in principatus honorem inunxit, & confirmavit. O quantus exultationis, & gaudii affuit affectus, cœlorum Regem teſtamur viventem, neminem Principum vetuſtorum tali jubilatione, & jucunditate nobilitatum fuiſſe. Audivimus profectò ſicut ex eorum, qui interfuere, comperimus teſtimonio, quinque millia virorum ad tanti Principis unctionem conveniſſe. Pontifex autem Honorius tantam Epiſcoporum, & proborum virorum multitudinem aſpiciens, Principe illo ſacrato, eminentiori aſcendens loco, taliter exorſus eſt: Domini, & chariſſimi fratres, ſicut veſtra cognovit charitas, diu eſt, quo Romanam Sedem relinquens, apud civitatem Beneventanam, quæ ſpecialis Romanæ attinet Sedi, pacificus venerim, & omnibus abjectis tempeſtatibus, circa convicaneos noſtros hoſpitatus ſum. Biduo autem poſt noſtri adventus præſentiam Rogerius Comes, B. Petri adverſarius. circa civitatem Beneventanam milites ferè quadringentos ob civitatis ruinam, & noſtri dedecus inauditum induxit, qui verè horis omnibus civium bona deprædati ſunt, & eorum poſſeſſiones aſſiduè inci-

(33) Nec de diſcrimine, in quo Beneventana civitas tunc erat, nec de adventu Papæ Honorii ad eam, aliiſque ejus geſtis in hoc an. 1127. quæ tamen oratio à præfato Pontifice in conventu Capuæ habita, inferiùs deſcripta, utcumque exponit; nec de Principe Roberto, eſt in antecedentibus quicquam dictum. Deficere nunc itaque ea in Falcone, nemo erit, qui non fateatur. Sed ipſe, ex induſtria fortaſſe, quamvis ſanè rudi, Honorium cùm faciat ea, quæ perpeſſus fuerat, in concione enarrantem, reliqua de Principe Roberto ex Petro Diac. lib. 4. cap. 96. & ex Anonymo Caſſin. à me caſtigato ſunt petenda: ſcilicet eodem anno 1127. quo è vivis deceſſerat Dux Apuliæ Guilielmus, in fata etiam conceſſiſſe Capuæ Principem Jordanum 2. (hujus obitus in antiquis Emortualibus notatur 14. Kal. Januarii) eique in Principatu ſucceſſiſſe præfatum Robertum ejus filium, hujus nominis ſecundum; quod utique Falco pluribus expoſuerat; ſicuti ejuſdem etiam deſcripſit inaugurationem; enarrans quo pacto *Archiepiſcopus Capuanus* (erat tunc Otho) *juxta prædeceſſorum ſuorum Privilegium*, ac juxta antiquum Principum Langobardorum ritum, *præſente tanto, ac tali Pontifice Honorio cum turba virorum Religioſorum, quæ convenerat, & Epiſcoporum conventu* (*Epiſcopos*, non *Archiepiſcopos* cum Abbatibus ad eam ſolemnitatem à Papa accerſitos in Falcone legendum eſt; ni mavis utroſque: nam ſublimationi Principis Richardi III. actæ in an. 1120., eidemque Auctori deſcriptæ, affuit etiam Roffridus electus Archiepiſcopus Beneventi) *prædictum Robertum in Principatus honorem inunxit* (oleo ſcilicet ſancto perfudit) *& confirmavit*: menſe nimirum Januarii, ineunte communi anno 1128., qui Falconi uſque ad ſequentem Martium eſt 1127. Porrò quia Campanus Archiepiſcopus præfato Privilegio non antea donatus cenſendus eſt, quàm Principatus Capuæ dignitas ab Othone I. Imperiali auctoritate fuiſſet confirmata, præſidente tunc in ea urbe Pandulfo, cognomine Caputferreo, de quo pauca libavi lib. 1. plura dicturus lib. 2. Hiſt. Langobard. ea planè prærogativa nec ab alio, quàm à Joanne XIII., qui Campanam Eccleſiam per eadem tempora, & in an. 968. in Archiepiſcopatum erexit, videtur auctus. Hanc autem noſtræ Eccleſiæ Metropoliticam dignitatem ætate minorem facere cùm nequeant, qui eam ſuæ Eccleſiæ pari decore aliquantò recentiùs præditæ anteferri dolent; mira res eſt, ad quot in dies nova ſe vertant argùmenta, ſed & diminuta etiam (non credam fraude) tanquam è ſinu, proferant priſca monumenta, & Auctores; quorum fallaciam nunc non detegam, nam ipſi ſunt ſibi invicem ſui Indices erroris. At nobis cur hanc invident noſtræ ſenectutis prærogativam, quæ recens eſt præ antiquiſſima illa ab uſque Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis enata Campanæ ſedis dignitate? Sanè qui initio præſentis ſæculi de Regionibus Suburbicariis peracutè, ſummaque cum eruditione diſputarunt, ultrò Campanam Eccleſiam, non aliam, in omni Campania per ea tempora Archiepiſcopali munere exornatam conſenſerunt, ac velut rem exploratiſſimam conſtanter aſſerere, de cætero diſcordes, non dubitarunt. Orationem autem à Papa Honorio in Campano Conventu habitam, & à Falcone deſcriptam, in multis leges apud Baronium meliorem. *Peregr.*

Digitized by Google

inciſioni poſuerunt. Nos autem univerſas illorum ſuſtinentes afflictiones, ut ab illorum deſiſterent pertinacia, excogitavimus: inſuper etiam prædictus Comes Rogerius cum Ugone Infante, & Raone de Ceppaluni pro civitatis detrimento graviſſimè conſœderatus eſt, exiſtimans nos timori ejus ſuccumbere, & nefandis ejus petitionibus operam dare. Ugo itaque & Rao conjuratione tali alligata, quotidie confinia civitatis igne, ferroque conſumere cœperunt. Nos autem omnia, quæ ingerebantur, aſpicientes, ſolam Dei Omnipotentis miſericordiam præſtolantes, cœleſtis Regis auxilium, & Beati Petri invocabamus. Deinde ne civitas prorſus turbaretur Beneventana, talibus commota afflictionibus, militum amicorum depopoſci juvamen; ſicque prout potuimus, obſiſtere cœpimus eorum pertinaciæ. Cùmque pro quibuſdam imminentibus negotiis civitatem Trojanam adiſſemus, præfatus Rao de Ceppaluni Beneventanos cives, qui ob vindicandas, quas paſſi fuerant, contumelias, die feſtivitatis B. Martini circa ejuſdem Raonis confinia exierant; ira divina, & furore cœlitus adveniente, ducentos ferè captivos tenuit, & in ima carceris, denudatis corporibus, alligavit. Deinde quoſdam captivorum civium Ugoni Infanti viro nefandæ memoriæ, & tyranno horribili, ut cruciatibus, & ſuppliciis afficerentur donavit. Qui Ugo dentibus eorum radicitus evulſis, & membratim dilaceratis, pretio eorum accepto, diſtraxit. Eos verò, quos Rao ipſe detinuit, periculo famis, & frigoris jugiter affligere non deſiſtit. Quid multa? univerſa, quæ excogitari poſſunt, convicia Beneventanis captioni poſitis inferuntur. Præterea die, noctuque minantur, ut Comitem illum Rogerium anathemati deditum ſuper civitatem inducant Beneventanam, & de B. Petri virtute eductam, ſuæ obtineant ditioni, & poteſtati. Inſuper vobis omnibus, qui civitatum dominia, & caſtrorum vigores tenetis, terroribus multis, variiſque tempeſtatibus minitatur, quatenus unicuique veſtrûm munitiones, & in quibus confiditis arces auferat, & ſecundùm ejus velle vitam veſtram diſponat, & prout vult, & quomodo vult, de civibus peregrinos faciat, & de viris locupletatis pauperes ſtatuat, & egenos. Nos itaque mentis ſuæ iniquitatem, & excogitationes quibuſdam ſignorum conjecturis, per eos, qui hactenus perpeſſi ſunt, cognoſcentes, longè, latèque vitavimus, & pollicitationes ſuas tanquam virus mortiferum fugientes, nullo modo paruimus, neque, ut ita dicam, auribus percipere dignati ſumus. Auri quippe & divitiarum ò quantas pollicitus eſt cumulationes, dumtaxat, ſi ei Ducatus honorem largiri vellemus, divitiarum ſanè illarum multimodas evitans promiſſiones, tum pro Romanæ Sedis honeſtate, quam conſervare certavi, tum pro veſtri exilii, quod horis omnibus terrore expavi, Deum omnium factorem ſæculorum, qui renes ſcrutatur, & corda, dejeci, & dedignatus ſum. Pro veſtra credatis confuſione, & expulſione divitias tantas promiſerat; excogitans ad ejus libitum me uſquequaque devolvere, & conſenſum veſtræ largiri exultationi. Ego verò dilectionis veſtræ vinculum amplexatus, mori priùs vobiſcum elegerim, quàm ejus pollicitationibus nefandis adhærere. Vitam igitur, mortiſque aſperitatem Kariſſimi Confratres, & filii in veſtra tenetis electione, & voluntate, dummodo pugnare velitis, & vigorem honeſtatis tueri adinvicem exæſtuatis: prudentiam veſtram certiſſimam expertus ſum, nihilque reſtat, niſi ut omni deſidia abjecta, & cordis torpore depoſito, Romanæ Sedis dignitatem, quæ pro vobis omnibus aſſiduè intervenit, defendatis, & vobis ipſis, quem tenetis vigorem, & filiis veſtris conſervare conemini. Subvenite itaque Viri fortiſſimi, & bellatores perſpicui, & dum tempus proſperitatis ſuccedit, viribus cunctis juſtitiæ, quam amplectimur, ſeveritatem ad ardua ſublevemus. Deus enim, qui juſtitiæ via eſt, & lux veritatis, & B. Petri Apoſtoli interventio nos quotidiè liberabit, & auxilium à ſancto ejus ſolio pietate aſſueta largietur. Hæc, & multa his ſimilia Pontifice Honorio lacrymis irrigantibus prædicante, vox militum, populique omnis, qui convenerat, efficitur, & unâ concordiâ clamavere ſe, ſuaque omnia pro B. Petri fidelitate, & ſua tradituros. Noviſſimè Robertus noviter Princeps ſtatutus coram omnibus taliter pollicetur. En Pater venerabilis, & perſonam, quam aſpicis, & totius Principatus mei, quem tradidiſti, virtutem tuæ committo ditioni, & ad tuum imperium omnia ſubjacebunt. Idipſum Rainulphus Comes, & multi alii Proceres, & Epiſcopi, qui convenerant, pollicentur. O quales, Lector, promiſſiones, ſi adeſſes, aſpiceres, & quæ ex eorum promiſſis oriebantur lacrymationes, quas ſi univerſas enarrare voluiſſem, faſtidium auditoribus oriretur! Audiens autem Apoſtolicus Honorius multitudinem illam ad ejus exorationes conſentaneam dediſſe concordiam, Salvatori omnium Deo, & Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo gratias egit, qui in ſe ſperantibus ſubvenit, & quotidianum præbet auxilium. Continuò ex auctoritate Divina, & Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum meritis talem eis impendit retributionem; eorum videlicet, qui delictorum ſuorum pœnitentiam ſumpſerint, ſi in expeditione illa morientur, peccata univerſa remiſit; illorum autem, qui ibi mortui non fuerint, & confeſſi ſunt, medietatem donavit. Audiens itaque præfatus Princeps, & Comes Rainulphus tanti beneficii gratiam ab Honorio Pontifice prolatam, alacritate ingenti locupletati, cum univerſis, qui convenerant ad eorum propria ſeceſſerunt. Nec mora: totius ſui Principatus orbem, & Comitatus, præconibus tonantibus, feriunt, ut unuſquiſque ad Pontificis paretur ſolatium. Populus autem univerſus eorum imperio conſenſit. Acceſſerunt interea prædictus Princeps, & Comes Rainulphus ad Pontificis præſentiam, & ei ſalutis conſilium inventum intimavere, priùs videlicet Ugonem Infantem à Comite illo conveniri oporteret, quoniam quidem datis inter ſe, & acceptis ſecuritatibus alligati videbantur. Apoſtolicus autem dictis illorum & aſſenſum præbuit, & eorum fidem commendavit. Confeſtim quoſdam ſuorum Procerum Comes ille accipiens ad Ugonem conveniendum, ut juſtitiam ei ſequatur, delegavit, addens in mandatis, ut obſides, & fidejuſſores acciperet, quatenus ſecuritate omni adhibita, Curiam Comitis ad juſtitiam faciendam veniret. Quid multa? neque obſides voluit, nec Curiam Comitis adivit. Comes igitur protinus omnia Pontifici Honorio patefecit, deinde præfatus Princeps, & Comes, ſicut polliciti ſunt, militum copioſam manum, & peditum innumeram multitudinem arripiens ſuper caſtellum

ipſius

ipſius Ugonis Infantis, nomine Lapilloſa commeavit. Audiens Guillelmus tunc Rector Beneventanus caſtellum illud ſic obſeſſum fuiſſe, civitatis totius partes voce præconis intonuit, quatenus armis eductis ad expeditionem illam properarent. Populus itaque paratus ad neceſſaria expeditionis citiſſimè feſtinavit. Triduo autem poſt præfatus Rector ſumptis ſecum ferè duobus millibus hominum ſuper caſtellum illud tetendit. Cùmque ſic acriter caſtrum illud obſeſſum fuiſſet, ſylva, quæ ob ipſius caſtri tuitionem longo ex tempore ſurrexerat, celeriter inciſa, & in ignem eſt converſa. Deinde Beneventanus populus unanimiter aggregatus caſtri illius aggreditur munitionem, & eo aggreſſo, viriliter expugnatum eſt: capi quidem, & comburi potuiſſet, dummodo Comitis Rainulphi auxilium ſubveniret; ſed quia Comes ille, prout poterat, auxiliari noluit, Beneventanus populus ad ſua caſtra fatigatus revertitur. Altera autem die adveniente Beneventanus aſpiciens populus Comitis auxilium, & Principis non ita viriliter adeſſe, prout polliciti ſunt Apoſtolico, pavore, tædioque correpti ſuper talibus dilationibus mirabantur. Manè autem facto prædictus Princeps tentorium ſuum, & apparatum ejus amoveri præcepit. Deinde Comes Rainulphus pro tempore nivali, & periculoſo inſtanti, manere excuſabat in tanta expeditione, ſicque unà cum Principe diſceſſit. Rector igitur illorum deprehendens excuſationes, ut populus omnis ad civitatem reverteretur, præcepit. Nec mora, juſſa ſumentes, curſu rapido repedaverunt; obſidio autem illa *IV.* Kalend. Februarii facta eſt. Præfatus itaque Pontifex, qui apud Montemſarculum morabatur, caſtrum illud ſic dimiſſum fuiſſe deprehendens, & pollicitationes Principis, & Comitis non circa eum proſperè commorari, dolore inaudito turbatus, ultra quàm credi poteſt condoluit infremendo. Continuò iter arripiens Romanos fines adivit. Princeps itaque, & Comes doloſas ſuas machinationes circa Pontificem excuſabant Honorium. Apoſtolicus autem univerſa quæ facta fuerant, & audita, cordis ſecreto conſervans, torvo, ut ita dicam, lumine eos aſpectans, ſicut mente conceperat, feſtinavit. Quibus ita peractis Gualterio Tarentino præcepit Archiepiſcopo, ut Beneventum veniens civitatis negotia ſtudiosè curaret, & ejus conſilio civitatem tueretur. Inſuper etiam Rectori præfato mandavit, ut ſolidos de regalibus acceptos Archiepiſcopo illi committeret, de quibus milites civitatis armarentur, & auxilium ſecundùm vires præberetur. Rector itaque ſolidos illos militibus largiri diſtulit, dum uſque literis propriis mandatum accepiſſet, & imperio accepto equitibus ſolidos illos largitus eſt.

Anno 1128. Dominicæ Incarnationis, & IV. anno Pontificatus Domini Honorii Papæ, menſe Martio VI. Indictionis. Hoc anno Papa Honorius venit Beneventum cum ducentis militibus Romanorum, & invênit Robertum Principem Capuanum, & Comitem Rainulphum cum exercitu magno, & civium Beneventanorum multitudine ſuper caſtellum turris Palatii, & illud valde expugnantes, & obſidentes, quod caſtellum erat Ugonis Infantis. Ugo enim ipſe contra prædictum Principem, & Comitem

A Rainulpgum inſtabat, & caſtro illo ſic obſeſſo, & mirabiliter expugnato, Dominus, qui illud obſervabat, quia illud defendere non valebat, in poteſtate Principis, & Comitis tradidit. Quibus ita peractis, prædictus Apoſtolicus Honorius audiens Comitem Rogerium Siculorum contra ejus voluntatem quotidie inſiſtere, & Apuliæ partes detinere, Robertum Principem nomine, & Comitem ſubmovit, ut exercitu congregato ſuper Comitem illum Rogerium feſtinent: Quid multa? ſimul cum Principe, & Comite illo Apuliam deſcendit prædictus Apoſtolicus, & Grimoaldum Barenſem, & Tancredum vocari præcepit, ut omnes unanimiter adversùs Comitem Siculo-
B rum inſiſtant, quod & factum eſt. Comes itaque Rogerius ſentiens Apoſtolicum cum exercitu valido militum, & peditum, & Baronibus illis adversùs ſe venientem, in montana ſeceſſit, devitans Apoſtolici virtutem, ne aliquo modo aliquid ei ſiniſtrum contingeret, & ſic per quadraginta dies Apoſtolicus ille ardenti Sole menſis Julii fatigatus Comitem illum obſedit. Interea prædictus Princeps, quia delicati corporis erat, & laborem ſuſtinere non poterat, cœpit à fidelitate Apoſtolici declinare, excogitans qualiter caſtra ejus dimitteret, & ad propria repedaret, & tentoria ſua amoveri fecit, & iter arripere conabatur. Apoſto-
C licus itaque Principis fraudem, & aliorum Baronum deprehendens, pactis intervenientibus, Ducatum prædicto Comiti Rogerio per Cancellarium Americum, & Cencium Frajapanem ſe daturum promiſit, & ut Comes ille circa Beneventum veniret, ibique Ducatus honorem ei firmaret. Et his actis, Beneventum Apoſtolicus ille revertitur, & Comes ille exercitu ſuo aggregato Beneventum venit, & in Monte Sancti Felicis caſtrametatus eſt. Inde pactis inter ſe compoſitis, & promiſſionibus adimplendis, prædictus Apoſtolicus in octavo die Aſſumptionis Sanctæ Mariæ Ducatus honorem Comiti illi in conſpectu fere viginti millium hominum largitus eſt, ad Pontem ſcilicet Majorem juxta fluminis ripam poſt Solis
D occaſum; multis enim negotiis intervenientibus dies ille totus diſputando inter ſe conſumptus eſt. Et quia Comes ille civitatem Beneventi introire dubitabat, ideo prædictus Apoſtolicus foris, ut dictum eſt, ad prædictum Pontem exivit, & Ducatus ei tribuit honorem, & Ducatu accepto, Dux illè ſacramento juravit non eſſe in facto, vel conſenſu, ut B. Petrus, & Dominus Papa Honorius, ejuſque ſucceſſores Catholici civitatem Beneventanam perdant, & Principatum Capuanum non capiat, vel permittat ad capiendum. Et his
E omnibus actis Salernum revertitur, & Siciliam repedavit. Diebus autem non multis elapſis prædictus Pontifex Honorius conſilio accepto Romam reverſus eſt. Sed priuſquam urbem Romam ingrederetur, pars quædam Beneventanorum ſecundo die ſtante menſis Septembris, Guillelmum tunc Beneventanum Rectorem in ſacro Palatio Beneventano gladiis eductis occîdit. Videlicet miſer ille Rector furorem partis illius fugere tentans poſt Altare S. Joannis de Capella Palatii fugit, & ibi ſe occultans infra pedes Joannis Presbyteri; qui ibi Miſſam tunc celebrabat, ſe abſcondit, ſed evadere non potuit. Ibi verò cultris percuſſus eſt, & foris eductus de Palatio illo projicitur, & pedibus ejus funem ligaverunt, ſicque per civitatis plateam uſque ad Carnariam Sancti

Digitized by Google

Laurentii, heu miſer, lapidibus obrutus productus eſt (34). Et eo defuncto, populus civitatis furore arreptus, domum Potonis Spitamete, & Joannis, & Guislitii Judicum, & Tranſonis, & Laurentii, & Lodoici Medici deſtruxerunt. Ipſi verò, & Dauferius Judex, populi caventes ſuperbiam ad Montemfuſcum fugiunt. Continuò communitate intra ſe ordinata, populus fere totus juravit, ut ex tunc, & ſeptem annis completis, & quadraginta diebus non eſſet habitator civitatis prædictus Poto Spitameta cum aliis ſupradictis, qui civitatem exierunt.

Eodem anno Joannes Abbas S. Sophiæ octavo die ſtante menſis Novembris mortuus eſt, & Franco, qui tunc erat Manſionarius electus eſt. Audiens autem prædictus Pontifex mortem Rectoris illius ſic contigiſſe, dolore turbatus valde, civitati Beneventanæ minatur ultionem pro tali facinore inſectari. Continuò conſilio accepto miſerunt ad prædictum Pontificem Legatos, qui dicerent mortem Rectoris per ſtultos, & viros iniquos adveniſſe, rogantes, ut Rectorem idoneum mitteret, & pacem donaret Beneventanis. Pontifex autem conſilio accepto Dominum Girardum Cardinalem Rectorem nobis mandavit.

Anno 1129. Dominicæ Incarnationis. Hoc anno prædictus Papa Honorius Beneventum venit, & menſe Auguſto prædictum Franconem Abbatem Monaſterii Sanctæ Sophiæ conſecravit, & precatur Beneventanos, qui communitatem fecerant, ut prædictum Potonem Spitametam cum jam dictis Civibus, quos de civitate ejecerant, in civitatem revocarent Beneventum, quod obtinere non potuit. Unde Apoſtolicus valde iratus de Benevento exivit, & ad vicum quendam, qui dicitur Leocabante, ſeceſſit, & rogavit prædictum Ducem Rogerium, qui ibi morabatur, ut in menſe Majo venturo cum exercitu veniret, & de Civibus Beneventanis ultionem acciperet, quod Dux ille ſacramento juravit taliter facturum. Inde Apoſtolicus ille ad caſtrum Ceppaluni adivit, & civitatem prædari fecit, & ſic valde iratus Romam repedavit. Et hoc anno corpora Sanctorum Januarii, Feſti, & Deſiderii Roffridus tunc Archipræſul foràs produxit de Altari, in quo antiquo tempore jacuerant, & revera non honeſtè, ſicut decebat loco illo manebant. Unde in Baſilicam, quam Gualterius Tarentinus Archiepiſcopus, pro Sanctorum illorum dilectione conſtrui fecerat, magno cum honore, & lætitia, prædictorum Sanctorum oſſa collocata ſunt, nobis videntibus, & de illorum oſſibus oſculantibus.

Eodem anno Dominus Papa Honorius medio menſe Februario viam univerſæ carnis ingreſſus eſt ad Dominum: Et Dominus Innocentius electus eſt, poſt quem Innocentium die ipſo ad horam tertiam Petrus Portuenſis Epiſcopus Petrum filium Petri Leonis elegit pro Anacleto. Deinde Innocentii illius electionem damnantes, Anacleti Pontificis electionem confirmabant: cùmque Leo Frangenſpanem, qui partem Innocentii ſequebatur, electionem Anacleti audiviſſet, cœpit Romanos Cives fideles ſuos, & amicos exhortari, ut ejus faverent auxilio. Inde Leo germanus præfati Anacleti, Ærario aperto, totum ferè populum Romanum rogavit, ut juxta vires fratris electionem tueretur, quod & factum eſt. Sicque ab utraque parte graviter civile bellum ſæviſſimum incœptum eſt.

Anno Dominicæ Incarnationis 1130. menſe Martio VIII. Indictionis. Cùm prædictus Anacletus electus fuiſſet, Beneventanis mandavit, qualiter ipſe electus fuiſſet, & ut Beneventani ſibi facerent fidelitatem. Præfatus igitur Innocentius conſecratus Pontifex videns Populi Romani diviſiones, & civilia bella quotidie oriri, conſilio habito, ultra montes perrexit ad Regem quidem Francorum, & ad alios Romanæ Sedis fideles, qui honeſtè, & diligenti cura ab eis ſuſceptus eſt. Continuò apud Rhemenſem civitatem Synodum celebravit; ad cujus conventus præſentiam Archiepiſcopi, & Epiſcopi ferè centum (ſicut accepimus) & quinquaginta, convenere. Ibi Anacletum illum, & ejus fautores vinculis excommunicationis alligavit.

Eodem anno prædictus Roffridus Beneventanus Archiepiſcopus mortuus eſt, & Landulphus filius Roffridi de Garderiſio electus eſt in Archiepiſcopum.

Eodem anno prædictus Anacletus venit Beneventum; deinde Abellinum civitatem ivit, & cum prædicto Duce Rogerio ſtabilivit, ut eum Regem coronaret Siciliæ. Et his ſtatutis, Anacletus ille Beneventum revertitur, & Dux ipſe Salernum, deinde Siciliam remeavit. Anno igitur ipſo prædictus Anacletus Cardinalem ſuum, Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in civitate Palermitana in Regem coronavit. Princeps verò Robertus Capuanus coronam in capite ejus poſuit (35), cui non dignam retributionem impendit. Et eodem anno

(34) *Per plateam Beneventi*, inquit, non *per plateas*: quæ tunc quoque è Sacro Beneventano Palatio, in ſumma urbis, re, & nomine regione ſito, ducebat recto, nec minori itinere, quàm omnis ejuſdem urbis extenderetur, nuncque extendatur longitudo, ad Portam Sancti Laurentii, in regione poſitam inferiori. Apud quam exteriùs de more erat *Carnaria*, fuitque etiam ad Salernitanæ urbis Portam Novam, & ad Capuæ Portam pariter Novam, ſive Caſtelli olim, nunc dictam Portam Neapolis: hoc eſt locus ſub dio, muris ſeptus, ad quem ſuſpendii morte, unde ei fortaſſe nomen: nam Latinè eſt *Carnarium* cella, ubi caro ſalſa ſuſpenditur: alterove ſupplicii genere perempti, ſed & viliſſima capita ſemihumanda comportabantur: Italicè tunc dictus, *Carnaro*, & *Carnajo*, quem Florentina Academia in ſuo Dictionario, in verbo, *Carname*, valere ait, *ſepoltura comune di Spedali, ò di ſimili luogbi*. Si itaque dicas, ad Eccleſiam Sancti Laurentii, ſitam etiamnum extra præfatam Beneventanæ urbis Portam cognominem, ubi vetuſtiſſimorum etiam operum rudera apparent, & ad ejus Noſocomion, quod inibi fuerit, ſpectaſſe id genus ſepulturæ, atque Carnariam, non repugnabo. *Peregr.*

(35) De Rogerio in Regem coronando convenerat primùm inter ipſum, & Anacletum apud Abellinum hoc anno, aliquantò ante 5. Kalendas Octobris: & deinde prædicto die Anacletus, jam Abellino Beneventum reverſus, Diploma conſcripſit de Regio titulo, ac Regno eidem impertiendo, quod proſtat apud Baronium; & tandem in Dominicæ Nativitatis proximè ſubſecuta celebritate ea coronatio peracta eſt apud Panormum, ordine, quem expoſuit ſuperioribus verbis Falco, ſed fuſiùs Alexander Teles. lib. 2. cap. 1. & ſeqq. Sed haud latet me eſſe, qui affirment, non ſemel, ſed bis, nec tunc primùm, ſed anno antecedenti, Idibus Maji, Rogerium, proprio arbitrio perſuaſum, Regia ſe corona, etiam apud Panormum, redimitum fuiſſe per manus quatuor Archiepiſcoporum; Beneventani videlicet, Campani, Salernitani, & Panormitani, adſtantibus complu-

Digitized by Google

anno ipſe Anacletus conſecravit Romæ prædictum Landulphum Archiepiſcopum. Et his omnibus actis, idem Rex Rogerius, exercitu congregato, compræhendit Amalphiam; cùmque prædictus Anacletus, ut ſupra cum Duce Rogerio apud civitatem locutus eſſet Abellinum, Beneventum revertitur, & conſilio accepto vocari fecit prædictum Joannem, & Dauferium, & Benedictum Judices, & Lodoicum Medicum, & Potonem Spitametam, & accipiens ab eis ducentos ſolidos reduxit illos in civitatem, & omnes illorum poſſeſſiones conceſſit eis, deinde cum illis, & aliis ſuis fautoribus tractavit, quomodo communitatem frangeret, quæ infra civitatem conjuraverat à tempore mortis prænominati Guillelmi Rectoris. Sæpiſſimè etenim relatum fuerat, quòd ob ejus infeſtationem, & civitatis detrimentum communitas illa fuiſſet ordinata, maximè à tempore prædicti Papæ Honorii, quatenus idem Papa eis, qui Rectorem illum interfecerant, nocere non poſſet. Item ſibi narratum fuerat, quomodo idem Pontifex Honorius Beneventum veniſſet poſt mortem prædicti Rectoris, & cum Civibus ſatis, ſatiſque fuiſſet locutus, ut Judices illos, qui ab illius morte Rectoris exulaverant, in civitatem permitterent introire, & ad domos eorum, quamvis deſtructas, remeare, quod obtinere non potuit. Unde, ut prædiximus, idem Pontifex Honorius valde iratus de Beneventana civitate exivit, & cum Duce Rogerio de civitatis tractavit deſolatione. His, & aliis multis prædicto Anacleto de communitate illa ſic ordinata relatis, continuò conſilio prædictorum Judicum, & aliorum ejus fautorum communicato, Anacletus ipſe Robertum Capuanum Principem, qui tunc ſibi favebat, vocari præcepit, ut virtute militum copioſa

A ſtipatus ad eum feſtinaret, qui nunciis acceptis, ſicut mandaverat, acceleravit. Confeſtim fractionem communitatis faciendam cum eo diſponens, precatur eum, ut ſuper hoc viriliter auxilietur. Quid multis? die conſtituto in octavis quidem Epiphaniæ, & præfato Principe cum ſuis inſiſtente, vocatur Rolpoto de S. Euſtaſio, qui præcipuus ſuper illa videbatur communitate ferventior, & Beneventus de Joanne de Rocca (36), & Roffridus de Anſelmo, & Dauferius Barbæ majoris, aliique ejuſdem Rolpotonis ſequaces, qui acciti in Palatio Dacomarii, ubi tunc Anacletus ipſe conſilio celebrato morabatur, conveniunt, ut, quid Anacletus peteret, audirent. Ex adverſò denique
B Creſcentius tunc Rector ferè quadringentos ſuos vocaverat fautores armatos, ut eos vocatos ſinè audientia caperet. Continuò Anacleti fautores ſic armati, & Principis vigorem habentes inſurgunt, armiſque eductis Rolpotonem illum, & cunctos, qui cum illo venerant, turpiter compræhendentes in Palatio illo Dacomarii vinctos tenuerunt, deinde per plateas eorum amicos inventos comprehenderunt. Joannem verò quendam, ut ita dicam, jocularium ultra quàm credi poteſt, lapidibus, gladiiſque diverſis trucidant, qui ſic trucidatus, & vulneribus multis afflictus de eorum manibus ſemivivus evaſit, qui plures poſtea advixit annos. Cùmque præfatus Rolpoto
C cum ſequacibus ſuis taliter captus fuiſſet, ſtatuit prædictus Anacletus, ut Perſicum, & Roffridum Judices caperet, qui actibus illorum conſenſerant, & quorum conſilio longo ſic tempore communitas illa regnaverat. Prædictus autem Perſicus, & Roffridus Judices hujuſmodi conſilia per amicos ſentientes, civitatem ſilentio exeuntes manus Anacleti, & inimicorum evaſerunt; ſicque per dimidium ferè

---

pluribus aliis Epiſcopis, Abbatibus, ac viris religioſis, præter Dynaſtas, nobileſque milites admodum frequentes. Qui ejuſce narrationis auctorem ſe habere contextantur inedi-
D tum Chronicon Maraldi, nec dicunt quantæ antiquitatis, Monachi Carthuſiani; quibus facilè aſſentiri non poſſum, tacentibus omnibus antiquis, & præcipuè Alexandro Teleſino, qui Rogerii benevolus, & familiaris coronationem ejus ſummo ſumptu, hominumque omnis conditionis frequentia in Dominicis Natalitiis, ac perinde in exitu anni 1130. Antipapæ Anacleti auctoritate actam, & à Falcone deſcriptam, literis cùm conſignet: haud antecedentem, vel in ipſius Rogerii gratiam, ſiluiſſet, nec pompa, nec Antiſtitum, Procerumque minori conventu, quin nullo tunc in Romana Eccleſia ſchiſmate vigente; ſed Honorio ſedente, Rogerii eo temporis momento amiciſſimo, celebratam: uni Fazello ſuperiori
E ſæculo deſcriptam Decade 2. lib. 7., ſed vah quàm inconvenientia ſimul componenti. Sanè quiſquis ille fuerit Maraldus, is quidem unius tantùm meminit coronationis, ſicut facit Fazellus; & præterea non incongruè coronam Rogerio à præfatis Archiepiſcopis impoſitam, eſt commentatus; quippe Regem, qui Siciliam, cujus Metropolis Panormus, cunctamque Cis-Tyberinam Italiam, Beneventano olim, Salernitano, & Campano Principatu ferè compræhenſam obtinebat, ab Archiepiſcopis earundem urbium condecebat coronari; quibus ſuos Principes inungere, ex antiquo more, & Privilegio competebat; atque ea ratione, velut quadruplici corona unico actu redimiri, adinſtar ſcilicet quatuor Dynaſtiarum eodem ab Rege ſub unico Regno poſſeſſarum; nam id antiquitùs exemplo, ut autumabant, petito ex Sacris literis uſurparunt: atque, ut Hincmarus Epiſcopus Remorum in Coronatione Caroli Calvi de Regno Lotharii Metis acta in an. 869., quæ extat

unà cum ejuſdem Regis Capitulis, eſt ad Populum præfatus, *Reges quando Regna obtinuerunt; ſingulorum Regnorum ſibi diademata impoſuerunt*. Et præterea non ab uno Epiſcopo, ſed à pluribus ſimul Coronam Regi imponi ſolitam, quòd in priori illa Rogerii coronatione obſervatum fuiſſe, Maraldus tradidit, ex altera ejuſdem Coronationis Caroli Calvi deſcriptione, adjecta ad finem præfatorum Capitulorum clarè patet. Sed ad veram, & à noſtro Falcone deſcriptam Regis Rogerii coronationem, ut me convertam; *Princeps Robertus Capuanus*, ait ille, *coronam in capite ejus poſuit*; quòd ſcilicet ſuæ dignitati, qua cæteros omnes Barones, ipſumque Sergium Mag. Militum Neapolitanum, ut eſt apud Teleſinum lib. 2. cap. 1. Rogerio tunc obnoxios ſupereminebat, ac ſubjectioni, qua eidem obſtrictus erat, condecens fuit: nam Roberti Patruus, & deceſſor, Princeps Richardus II., ut perhibet Gaufredus Malat. lib. 4 cap. 26. *homo* Rogerii quondam *Apuliæ Ducis factus fuerat*, cujus Ducatus jam ad præſentem Rogerium pervenerant jura; ſimillimoque exemplo legitur apud Rigordum coronatus Remis Philippus Rex Francorum à Remenſium Archiepiſcopo Romanæ Sedis Legato, *aſtante Henrico Rege Angliæ, & ex una parte ſuper caput ejus ex debita ſubjectione coronam portante*. Peregr.

(36) Rectè quidem, non, *Benevenutus*. Sicuti vir alter apud Falcandum ab nomine urbis Salerni *Salernus* eſt appellatus, ita & hìc à Benevento, *Beneventus*. Horum itaque filii ſi à genitorum nominibus fors tuliſſet, ut gentilitia traxiſſent cognomina, facilè nunc non nemo gentes ſic denominatas genus duxiſſe, ex Principibus earumdem urbium autumaret: ſcilicet quoniam pari ratione plures familias à poſſeſſis locis, & oppidis appellatas conſtat: At patrii etiam loci nuncupatio in ſtirpis nomen ſæpiùs tranſivit, quod notum. *Peregr.*

Digitized by Google

ferè annum exulaverunt. Audiens itaque prædictus Anacletus sic Persicum, & Roffridum diffugientes mirabiliter contristatus est, & mirabatur, quomodo ejus consilium esset patefactum. Excogitaverat enim, ut si Judices illi capti fuissent, in Siciliam illos captivos, Beneventum nunquam reversuros transmitteret. Et his actis à compluribus prædicti Rolpotonis amicis Anacletus ille rogatur, ut Rolpotonem illum à vinculis solvat, qui orationibus eorum favens à vinculis eum absolvit, qui sacramento firmavit jam ampliùs Communitatem illam, vel aliam nunquam tenendam. Alios verò ejus sequaces sacramentis ligatos de civitate projecit, ut finè ipsius Anacleti voluntate, vel sui Rectoris non ingrediantur Civitatem. Quibus omnibus ita peractis, prædictus Anacletus die Kalendarum Martiarum Salernum ivit, deinde consilio accepto Romam redeundi disposuit. Cùmque de captione prædicti Anacleti Rolpoto ille evaderet, cœpit mirabiliter, mirabiliùsque multas, variasque in pectore moliri machinationes, qualiter contra Anacletum, & ejus fautores, qui se turpiter comprehenderant, & quorum institutione hortum suum vendiderat sexaginta Romanatos, quos prædicto dederat Anacleto; ajebat quidem Rolpoto ille, morti se priùs velle succumbere, quàm captivitatem suam, & amicorum suorum impunitam dimittere. Cœpit itaque nova quotidie experiri consilia, & contra suos adversarios torvo semper vultu, & animo excogitare.

Anno 1131. Dominicæ Incarnationis mense Martio: Diebus non multis evolutis prædictus Beneventus cum sequacibus suis, octavo die intrante mensis Maji, armis acceptis, Beneventum ingrediuntur, & domum ipsius Dauferii Basaforte ascendunt, ibique audaci animo permanserunt. Miserunt itaque amicis suis, ut ipsis in plateam propalatis unanimiter subveniant, & de adversariis suis accipiant ultionem, quorum consilio de civitate expulsi fuerant: nec mora, prædictus Beneventus, & ejus sequaces cœperunt viriliter gladiis, lapidibusque debellare. Audiens igitur prædictus Crescentius Rector sic eos audacter civitatem fuisse ingressos, turbatus animo, & valde admirans campanam Palatii pulsari præcepit, quatenus omnes sui fautores cursu rapido ad eos ejiciendos festinent. Quid plura? armis eductis ad domum Dauferii Basaforte descendunt, & viriliter defendere conantur, ne sic civitas ab eorum invasione turbetur. Beneventus autem, & socii ejus amicorum suorum auxilium non adesse aspiciens, domum illam Dauferii ascendunt, & per domos alias diffugientes, & plateas, de civitate exeunt, & de manibus persequentium incolumes evaserunt, &, eis sic fugientibus domum prædicti Dauferii, & aliorum, qui eis consenserant, prostraverunt. Ab illo autem die discordia multa, & inaudita inter concives orta est. Persicus interea, & Roffridus Judices, timore inimicorum coacti civitatem Beneventanam ingredi non audebant, tandem cognoscentes prædictum Anacletum Capuanam civitatem applicuisse, ut Romam reverteretur, habito consilio civitatem ipsam Capuanam audacter ingrediuntur. Inde Robertum Principem tunc Anacleti fidelem supplicitèr precantur, ut ejus intercessione amorem Anacleti invenire mereantur, & licentiam ad possessiones suas remeandi. Robertus itaque Princeps absque mora, Anacletum adiit, & eum præ dilectione eorum invenienda pulsavit. Quid multis? petitionibus Principis Anacletus favens, literis datis, licentiam redeundi, & securè habitandi in civitate eis largitur; Ii verò redeuntes ad Portam Sancti Laurentii pervenerunt, disponentes ad propria, fronte libera, sicut ab Anacleto acceperant, reverti. Sed turba inimicorum copiosa simul cum prædicto Crescentio insurgens, crudeliter, ne introirent, minatur. Ipsi verò proterviam eorum, & minarum copiam sentientes, salutis consilium arripiunt, & ad prædictum sunt reversi Anacletum, qui adhuc Capuæ morabatur. Continuò pedibus ejus prostrati, omnia, quæ dicta, quæque facta super se fuerant, è vestigio retulerunt. Anacletus igitur super hoc iratus, cœpit contra Beneventanos mirabiliter minari. Tandem ex consulto Principis eos ad civitatem remisit, dans eis Cardinalem suum, ut eo viso, & audito fidem darent, eosque pacificè ad propria eorum reverti permitterent. Venerunt itaque cum prædicto Cardinali, quo audito, omnique depositio furore cum civibus cives ipsi permanserunt. Interea præfatus Rolpoto amicorum suorum fretus auxilio die, noctuque nova semper consilia, & conventicula super præfato Crescentio, & ejus conspiratoribus palàm quandoque, privatim aliquando adinveniebat. Tractabat quidem Rolpoto de Crescentio, & ejus consentaneis ultionis pœnam accipere, reminiscens doloris, & captivitatis, simulque horti sui venditionis, & qualiter sexaginta Romanatos per eos perdidisset. Prædictus autem Crescentius Rolpotonis illius, & ejus amicorum murmur, & minarum terrores deprehendens de Palatio Curiæ descendit, & apud Monasterium Sanctæ Sophiæ permansit: relatum siquidem ei fuerat, quòd sicut prædictus Guillelmus Rector, ita & ipse in Palatio trucidari disponebatur, qui quidem ferociam talem, & mortis asperitatem devitans, quasi securus infra ipsius Monasterii claustra manebat. Amici igitur ipsius Crescentii, & præfati Judices ad eum animosè conveniunt, & eum hortantur, & Curiæ statum simul cum eis obtineat. Ipse verò Crescentius hortationibus eorum, & monitis nullo voluit modo favere. Nam per amicos revera suos sæpè ei referebatur, quòd si Palatium reverteretur, membratim eum dividerent morte inopinata; unde, ut prædiximus, Crescentius ipse minas illorum, & terrores devitans, infra idem Monasterium usque ad festivitatem Sancti Angeli, quæ III. Kalend. Octobr. colitur, moratus est. Cernens præterea prædictus Crescentius Rector Rolpotonem illum, & ejus auxiliarios die, noctuque minarum terrores, & convicia super se exercere, & evidenter super eum velle insurgere, cœpit cum fautoribus suis studiosè tractare, qualiter tanti veneni mortiferi flammas posset extinguere. Prædictus interea Rolpoto horis omnibus minabatur, quòd si Crescentius ipse sexaginta Romanatos, quos Anacletus ei abstulerat, ei non reddidisset, remota omni caligine, de corpore ejus inauditam sumeret ultionem. Advocans igitur prædictus Crescentius suos omnes fautores, cœpit cum eis agere, quid super hoc esset faciendum. Pars quippe ejus amicorum diligenter, & dolo remoto, Crescentium illum hortatur, & monet, ut illos sexaginta Romanatos de Curiæ regalibus prædicto redderet Rolpotoni, quatenus vel sic à tanta ruina, & timoris tem-

Digitized by Google

tempestate securè possent permanere. Ad hæc Crescentius ipse coram eis ajebat se Romanatos ipsos ei reddere dubitare, præcipuè cùm Anacletus ille in scriniis suis pecuniam illam detulisset. Unde timens asserebat, quòd si pecuniam illam sinè Anacleti consilio redderet, proculdubio ejus incurreret furorem. Dum hæc, & alia Beneventi geruntur, Crescentius ipse legatum suum ad Anacletum direxit, notificans omnia, quæ ei acciderant, & qualiter pro pecunia Rolpotoni ablata, ipse cum amicis suis mortem quotidie expectaret. Insuper, quòd pro ipsius Rolpotonis timore de palatio descendisset, & infra Sanctæ Sophiæ Cœnobium permansisset: nunc verò & de pecuniæ illius redditione, & de cæteris, quæ ad vos misimus, quid sit agendum, nobis remittatis (37). Prædictus itaque Anacletus hujusmodi ministrum accipiens legatum, dolore cordis turbatus, vocari fecit quosdam suorum amicorum, & cum eis, quid facto opus esset, tractavit. Quædam verò pars ejus amicorum, ut redderetur pecunia, pro qua Rector ejus, & civitas turbata trepidabat, confirmavit. Sed Anacletus, ut erat viperei cordis, dejecit consilium, & Crescentio delegavit, pecuniam illam non reddere. Vita enim comite, ipse Beneventum veniret, & tempestatis hujus turbinem ad portum perduceret salutis. Reversus igitur ab Anacleto Legatus literas hæc omnia continentes præfato dedit Crescentio, qui magis, magisque confisus literarum continentias adimplevit. Audiens autem præfatus Rolpoto Anacletum sic præcipientem, & Crescentium reddere dubitantem, cœpit ferventiùs inflammari, & cum Roberto Principe Capuanorum, & Rainulpho Comite meditari, qualiter de Crescentio Rectore, & ejus amicis, qui causa perditionis ejus fuerant, ulciscatur, quod postea rei probavit eventus. His, & aliis conflictationibus inter se habitis, & pro multis antiquis inimicitiarum generibus, quæ ad memoriam ducebantur, concordia illa ad fructum tranquillitatis perduci non potuit. Præfatus igitur Princeps, & Comes Rainulphus Rolpotonis illius dulcia audientes colloquia, & aureas, argenteasque pollicitationes, sacramentis communibus juraverunt, cùm res, & tempus expostularet, sibi adinvicem subvenirent. Sed ne tempus tarditatis me apprehendat describendi, ad ea, quæ necessaria imminent, & opportuna videntur, succintè festinemus. In subsequenti igitur tractatu, vita comite, describemus, qualiter prædictus Crescentius cum prædictis judicibus, aliisque eorum amicis, & alii ferè quadringenti tali inventa occasione de civitate fuerunt exulati. Plura etenim veritate munita, & quæ ipse viderim omni remota dubietate si singillatim describere vellem, & tempus deficeret, & ego, licèt incultus, sub tanti laboris sudore defessus succumberem. Nihil etenim lectoribus, & audientibus proderit mendacia proferre, & vanitate repleta, cùm tot, ut prædixi, vera habeantur, quæ, Domino favente, ad posteritatis memoriam ducere curamus.

Anno igitur 1132. Dominicæ Incarnationis, mense Martio VIIII. Indictionis, (38) Lunæ splendorem ortus sui derelinquens in sanguinis colorem conversa est, quam nos aspicientes prodigium fore credidimus. Hoc anno prædictus Anacletus venit Salernum. Eodem anno præfatus Rex Rogerius videns Tancredum de Conversano virum utique prudentem, & animosum, rebellem sibi, & resistentem, consilio habito exercitum congregavit, & super castrum Brindisii ejusdem Tancredi festinavit, & illud terra, marique obsedit, sicque mirabiliter expugnatum suæ illud obtinuit potestati, & his actis super civitatem Barensem exercitu convocato festinavit. Nec mora; civitatem illam diversis cœpit expugnare machinationibus, per quindecim verò dies civitas illa obsessa, & expugnata est. Tandem civium Barensium traditione manifestata civitas ipsa ad Regis potestatem tradita est, (39) & civitate ipsa sic comprehensa, Grimoaldus Princeps vir valde mirabilis, & bellicosi spiritus à quibusdam concivibus captus est, & ad Regis potestatem perductus, quem Rex ipse confestim captivum cum uxore sua, & filiis ad Siciliam mandavit, sicque totam Apuliam suæ subegit potestati. His ita peractis minabatur Rex ipse Principem Robertum, & Rainulphum Comitem exhæredare. Eodem anno Rex præfatus deprehendens Comitem ipsum Rainulphum convicia multa, & afflictiones Mathildi uxori suæ inferre ejusdem Regis sorori, quam ultra, quàm credi potest, diligebat, consilio habito, ipsam suam sororem vocari mandavit, quam honestè accipiens eam dulcibus colloquiis consolatur, & eam in Siciliam mandavit. Hoc anno Rex ipse prædictum Principem, & Comitem Rainulphum cum ducentis militibus ad auxilium prædicti Anacleti Romam delegavit, & eis euntibus, sicut prædixi, uxorem jam dicti Comitis, & filium, & civitatem Abellinum ei abstulit; cùm autem Princeps, & Comes Româ reverterentur, turbati animo, & dolore immenso percussi mirabantur, qualiter Rex ipse ejus uxorem abstulisset, præcipuè tamen Comes Rainulphus, cujus uxor charissima, & filius sic ablata fuisset, palàm quandoque, aliquando privatim lacrymis conquerebatur manantibus, injustè conjugem, & filium perdidisse. Inde per se ipsos, & amicos eorum prædictum Anacletum rogaverunt, ut à Rege Rogerio impetraret reddi filium, & uxorem. Anacletus igitur Regem per nuncios pre-

(37) Dissonam qui videas eodem in contextu sermonis formam usurpari; ne deesse hîc quicquam suspiceris; sicuti nec ad annum 1137. ubi non omnino inpar legitur elocutio: non enim infrequens fuit ea variatio apud Auctores mediæ ætatis. Vide Historiam Miscell. lib. 15. ubi de Justino Imp. & Anastasium Bibl. in Silverio bis, & in Vigilio: omitto Anonymum Salernit. ineditum. *Peregr.*

(38) Scribe, *X Indictionis*. Et ad an. 1135. *Indictione XIII.* non *XII.* Nec de recta dubites annorum consignatione, quibus cæteræ omnes bene competunt à Falcone assignatæ Indictiones; & præterea apprimè eis consentiunt temporum Characteres pluribus hujus Chronici locis descripti, scilicet ad an. 1109. 1114. 1120. bis, 1122. & 1137. *Peregr.*

(39) Non igitur vi capta à Rogerio fuit Baris; sed ejus cives deditionem fecerunt, nempe post tres ferè hebdomadas obsidionis, ut ait Alexander Telesi. lib. 2. cap. 21. qui non in aliam sententiam est capiendus. Idque Falconis planè denotat sermo, usurpari solitus iis, qui in Forensibus concertationibus judicio victi manus dabant, ac manifestare se de re injustè possessa, hoc est eam legitimis dominis renuntiare, publico scripto profitebantur. Sic etiam Aymoinus lib. 5. cap. 5. de Barcinone ab Imp. Ludovico Pio recepta. *Tradita*, inquit, *& patefacta civitate* (quod idem valet, ac *manifestata*) *primo quidem die custodes illuc Rex destinavit*. Peregr.

precatur, ut uxorem Comiti redderet, & filium, quod obtinere non potuit. Unde Comes ille dolore accensus, ultionis tempora rogabat. Quid multa? cum prædicto Principe, & Magistro militum Neapolitanorum, & aliis amicis alligatus, cum duobus millibus equitum, & pedestrium multitudine propalatus exivit. Exivit quidem lætanti animo, & intrepidus, & morti primùm succumbere desiderabat, quàm exhæredatus ab illo aliena peteret, & incognitas partes adiret. Famam verò Barensis civitatis, & Grimoaldi Principis, & Tancredi, quos olim dilexerat, ante oculos ferens, & qualiter eos afflixerat malis, mori gladio orabat, & ense deficere, quàm tali, tantaque Regis potestate colla ligare. Nec mora, Princeps ille, & Comes, ut fatis sumus cum duobus millibus equitum, & peditum armatorum magnitudine innumera pugnaturus, & defensurus à Regis proposito in planitiem Montis Sardi castrametati sunt. Cœlorum quidem Regem suppliciter precantur, ut cœlesti accincti auxilio minas Regis, & timorem evadere possint. Quotidie Comes ille suos lacrymando orat, & monet, quatenus solius Dei fiduciam habentes, timorem abjiciant, & terrorem deponant; glorioſius quidem toto mundo narrabitur nos in justitia confidentes, & propria tueri, & mori primùm in ore gladii, quàm pati alienas manus nobis viventibus nostra invadere, & de civibus delicatis peregrinos efficere. Vox itaque omnium una efficitur, & ad illorum petitiones vertuntur; sicque die, noctuque invigilantes cœlestem victoriam invocabant. Cùmque, ut supra diximus, Rex Rogerius civitatem Barensem suæ subjugasset potestati, & Tancredum de Conversano à totius Apuliæ finibus expulisset, exercitu viriliter, acriùsque congregato, circa Beneventanos fines advênit. Continuò in planitiem Pontis Sancti Valentini civitati proximam, Rex ipse tertiodecimo die mensis Julii intrante castrametatus est. Deinde consilio accepto Legatos Roberto Principi Capuano, & Comiti Rainulpho mandavit, ut justitiam sibi ex multis, variisque querimoniis consequatur. Princeps autem nunciis auditis in conspectu omnium suorum taliter respondit. Sciat revera Rex vester, quem dicitis, quoniam nullo modo ei justitiam faciemus, donec Comiti Rainulpho uxorem, & filium restaurabit; super etiam civitatem Abellinum, & castrum, quod sibi abstulit, in ejus potestate largietur. (40) Et legatis illis revertentibus Princeps ille universos suos milites tria millia ferè numero, & quadraginta millia peditum armatorum, quos rogaverat congregari, mandavit, quatenus ad tale, tantumque negotium viribus totis parati invigilarent, & taliter oratio incœpta discreta, & diligenti cura alloquitur. Certissimum Domini, & fratres agnovimus vos pro libertate vestra augenda, domos, uxores, filiosque vestros, & universa bona dimisisse, & armis solummodò vestris acceptis, solam Dei Salvatoris misericordiam invocantes in medium convenisse. Audistis etenim, & nos veritate perfecta accepimus, qualiter erga civitatem Barensem gesserit, & quomodo talem, tantumque Grimoaldum Principem ab honoris gloria turpiter afflictum exulaverit catenatum. Tancredum verò, & ejus probitatem quid memorem? vos ipsi audistis, qualiter ei civitates omnes, & oppida dolo invento eripuit, & transmarinas partes eum destinavit. Giffredum quoque Comitem ad qualem afflictionem civitatum suarum perduxerit, credimus vestram non latêre probitatem: omnes namque potentes viros, & illorum divitias gutture aperto desiderat, & ne ei resistant, terratenus sternit, & in pulverem gloriam illorum finè aliqua manu pietatis inducit. Heu nefas, & morte dignissimum, sic omnium nostrûm gloriam sitibundo pectore velle consumere, & gladio evaginato sinè misericordiæ fonte nos omnes ad mortis periculum destinare. Succurrite itaque viri fortissimi, & vobis, inquam, ipsis subvenite, ut, dum tempus auxilii, & consilii nobis supereſt, à tanti viri faucibus, & potestate effrænata liberari valeamus. Sola namque salutaris Dei fiducia in omni nostra manet dispositione, & in vestris armis, quæ accepistis, omniumque bonorum amissione vestrorum consolatio vestra inflammetur. Consolandum quippe est, ut spes in victoria habeatur. Nos pro augenda libertate sanguinem volumus fundere, & in alienas manus nullo modo pervenire. Timorem itaque mortis abjiciamus hujusmodi, & justitiam defendentes unanimiter moriamur, ut toto orbe terrarum fama nostræ virtutis inveniatur. Rex cælorum Dominus, fratres, justitiam nostram inspiciat, & qui Machabæorum orationes clamantium exaudivit, nostras dignetur accipere afflictiones. Quid enim prodest, dilectissimi, turpiter in mundo isto manere, & afflictionibus subjacere, cùm post multas miserias, & pericula, quæ nobis succedunt, mors ex improviso horribilis accidit, & calamitatibus nostris, divitiisque finem, terminumque imponit? Glorioſius igitur erit pro justitia, quam speramus deficere, quàm gentis nostræ mala videre, & periculosè exulati diem claudere extremum. Notum præterea vestræ significamus fraternitati, ut pro securitate nobis adinvicem data obsides filiorum nostrorum, & consanguineorum ponamus, ponendum quippe est, & lætanti animo faciendum, ut unusquisque nostrûm securus, & timore depositò alter alteri fidem attribuat, & vigoris alacritatem. Hæc, & his similia Principe illo orante, unusquisque militum, & peditum, divina instigante clementia, petitionibus Principis consentaneam dedêre concordiam, & sic singillatim filios suos unusquisque Baronum in Principis potestate obsidis loco largitus est. Legati itaque Regis à Principe reversi, è vestigio cuncta eis injuncta narraverunt. Quibus auditis Rex. consilio iterato accepto, nuncios alios eidem Principi legavit, ita continentes: Miramur valde super his, quæ Princeps nobis destinavit; præcipuè cùm ejus suasionibus, & legatis ego in partibus istis modò advenerim, pollicens se nobis justitiam de querimoniis nostris facturum. Præstolamur itaque ejus promissiones, & die constituto in crastinum monemus illum ad justitiam nobis sequendam, deinde, vita comite, quid super his opus sit, faciendum tractabimus. Princeps verò eadem Regi remisit, quæ, & primùm mandaverat. Rex autem Rogerius dicta Principis, & Comitis audiens, dolore multo accensus, & quia quod mente conceperat, aliter fieri cognoscit, satis satisque turbatus est.

At

(40) Castrum, cujus nomen, vel Auctor, vel Librarius omisit, Alexandro Telesi. lib. 2. cap. 22. dicitur, *Merculianum*. Peregr.

At Princeps continuò Creſcentium Cardinalem, Beneventanum Rectorem, & Landulphum Beneventanum Archiepiſcopum vocari mandavit, quatenus cum quibuſdam ſapientibus civibus Beneventanis ad Regem ipſum feſtinarent, & nuncio accepto, aſſumptis ſecum Beneventanis Judicibus, & triginta aliis probis viris, ad Regem feſtinaverunt. Rex itaque diligenter eos, & honeſtè accepit, deinde cunctis longè, latèque confabulatus eſt, ut ejus amore, & Anacleti fidelitate ſecum alligati, & ſacramentis confœderati guerram adversùs Principem Capuanum, & Comitem Rainulphum facerent (41). Promittebat ideo pacem civitati Beneventanæ daturum, & Beneventanorum hæreditates à Normandorum ſervitute, & tributis liberare. Quid multa? Cardinalis exaudiens ſimul cum Archiepiſcopo, & civibus Beneventum reverſi ſunt. Nec mora; Beneventanorum non modicam partem congregari præcepit, quatenus ſuper his, quæ à Rege acceperant, conſiliarentur; pars autem populi præcepto Cardinalis favens Curiam Sacri Palatii aſcendit, deinde ordinem rei exponens, & quid civitati pollicetur nominatus Rex, è veſtigio aperiens, conſilium ab eis perſcrutatus eſt. Expoſuit etiam, quoniam ſine ſacramentorum firmatione iſtud negotium agere noluiſſet. Quid longiùs moror? petitio Regis audita curſu rapido quibuſdam complacuit Beneventanorum. Continuò in ipſo ſacro Palatio cives illi, qui convenerant, Judices primùm Joannes, Perſicus, Dauferius, Benedictus, Roffridus juraverunt, non eſſe in facto, conſilio, vel conſenſu, ut Rex ille vitam, vel corporis membra perdat, aut capiatur, & vivam, & continuam guerram Principi nominato, & Comiti faciant, & alia quæ in Capitulari facto legebantur, ſalva tamen fidelitate Petri Apoſtoli. Quibus ita peractis Cardinalis de Palatio deſcendit, & per civitatem, quot inveniri ſtuduit, ſacramento eodem alligavit. Cùmque taliter à Beneventanis juratum eſſet, fama terribilis civitatem Beneventanam perçulſit, & linguis ſolutis vociferabantur alii, quibus ſacramentum illud diſplicebat, quòd Cardinalis Creſcentius ſimul cum Archiepiſcopo Landulpho, & Judicibus nominatis, & Beneventanis quibuſdam civitatem Beneventanam Regi Rogerio dare voluiſſet, & in ejus poteſtate largiri. Affirmabant quoque uncias auri à Rege innumeras accepiſſe. Factum eſt autem, cùm taliter fama hujuſmodi per civitatem ventilaretur, en ſubitò armis acceptis maxima civitatis turba in plateas exivit, & furore arrepto ſuper Cardinalem Creſcentium, inſurgens in fugam illum perduxit. Cardinalis autem timore coactus civitatem fugiendo deſeruit, & ad Regem feſtinanter acceleravit. Nunciavit itaque omnia, quæ Beneventi acciderant, & qualiter in eum lapidibus, armiſque acceptis inſurrexiſſet turba civitatis, Landulphus autem Archiepiſcopus ſic Cardinalem fugientem aſpiciens Palatium Epiſcopii aſcendit, & ibi timore coactus morabatur. Quibus ita peractis populus in unum catervatus, armis eductis, palàm vociferabatur, quòd ſacramenta Regi Rogerio noviter facta non obſerventur. Nolumus quidem ſic Regi alligari, & ſacramentis aſtricti in expeditionibus ſuis cum Siculis, & Calabridibus, Apuliſque Sole ardenti, & ſudore fatigati anhelare. In delitiis quidem poſiti, & periculis exercitalibus nunquam aſſueti cum tali, tantoque Rege conſortia minimè habemus. His ita præmiſſis memoratus Princeps, & Comes Rainulphus, nunciis acceptis, Beneventanis miſerunt pacis verba, & ſecuritatis dilectionem. Notum ſit vobis, quoniam Princeps, & Comes, & Rao de Fraineta, & Ugo Infans ſacramentis intervenientibus dimittet in perpetuum Beneventanis omnes fidantias, & tributa, quæ nobis ſolvere ſolebatis; dum tamen neque Regi Rogerio, neque nobis auxiliamen tribuatis. Revera veſtrum auxilium tempore iſto accipere nolumus civitati providentes, ne tali occaſione civitas Beneventana contrarietatem incurrat; volumus tamen ſecuri tranſire, & timore depoſito ſecuriores manere. Quid multa? licèt Cardinali Creſcentio, Beneventano Rectori, pactum illud diſplicuiſſet, tamen Beneventanis animo libenti ſatis, ſatiſque complacuit. Princeps itaque, & Comes Rainulphus militibus accitis ad Pontem majorem venerunt, & coram Landulpho Beneventano Antiſtite, & turba multa Beneventanorum, ſicut in ſuperiori tractavimus, ſimul & Rao de Fraineta, & Ugo Infans juraverunt. Juraverunt quoque B. Petro fidelitatem, & in ſcripto ſigillato ordinem convenientiæ, & ſacramentorum firmitatem adnotari juſſerunt, per omnes civitatis portas ſcriptum ſignatum de convenientia illa ad poſteritatis memoriam diligenti cura poſitum eſt. Cùmque talium ſacramentorum, & convenientiæ cum Principe firmiter factæ Rogerii Regis aures fama tetigiſſet, ultra quàm credi poteſt, admirans obſtupuit, & dolore cordis perculſus ajebat; quomodo civitas Beneventana, cujus auxilium habere putabat, erga Principis, & Comitis Rainulphi dilectionem adhæſiſſet, revera, ſicut à multis comperimus, non alia de cauſa Regem illum circa Beneventanos fines veniſſe, niſi ut Beneventanorum auxilio, & virtute Principem invaderet, & eum in fugam duceret deſolatum. Unde à mentis propoſito decidens, cogitationibus variis frangebatur aſſiduè, & quod mente conceperat, ad effectum non poſſe perducere, oculata fide cernebat. Quid igitur dicebat, ab exteris, Siculiſque partibus huc advêni, cùm in his, quæ excogitaverim fortuna volatili, animo defeci? Et tali fractus anguſtia exercitum ſuum in partes diviſit, & quaſi ad bellandum ducturus acies diverſas exercitus, & manus

(41) Capuæ itaque Princeps Robertus Beneventanos ad Regem Rogerium ire perſuaſit, ut adversùs ſe fœdera cum illo inirent? Quid ſanè abſurdiùs? Sed adverte, ne fallax lectio ad alia à vero æquè aliena commentanda te ſeducat; nam Falco inquit; *Princeps vocari mandavit*, &c. ſcilicet *ad ſe*, & præterea, quòd Cardinalis Creſcentius, & Archiepiſcopus Landulfus *aſſumptis ſecum Beneventanis Judicibus, & triginta aliis probis viris ad Regem feſtinaverunt*: fœdera ſcilicet cum eo inituri. Non Princeps igitur, ſed Rex illos vocari mandaverat; *qui in planitiem Pontis S. Valentini, civitati Beneventanæ proximam, tertiodecimo die menſis Julii intrante caſtrametatus fuerat*; & per Legatos ſemel, & iterum Principem Robertum interpellaverat, *ut juſtitiam ſibi ex multis, variiſque querimoniis conſequeretur*; ſed illum ad debita obſequia ſibi præſtanda allicere cùm nequiviſſet, *dolore multo accenſus, & quia quod mente conceperat, aliter fieri cognovit, ſatis, ſatiſque turbatus eſt; & continuò Creſcentium Cardinalem Rectorem Beneventanum* (ſic planè legendum; non. *At Princeps continuò*) *& Landulphum Beneventanum Archiepiſcopum vocari mandavit*, &c. *Peregr.*

nus armatorum instruxit : Ipse verò Rex, ut erat providi animi, & cordis meticulosi, & ne ab inimicorum cognosceretur instantia, quasi bellandi, & resistendi adinvênit securitatem. Nocte etenim insecuta cubiculariis suis, & sapientioribus consilii ejus patefecit excessum, & qualiter inde amovere desiderat, significavit. Continuò clamari voce præconis jussit, ut vexillo ejus viso universus exercitus, qua parte duceretur, consequatur. Præconis itaque voce audita, timorem Regis sentientes, prout poterant, parantur ad proficiscendum. Nec mora, cohortibus militaribus, & peditum turmis divisis fugiendo potiùs, quàm resistendo, castra inde amovere. Deum quidem testor æternum, qui cordium occulta cognoscit; remotio illa Regis in fugam nocturnam, timoremque ascribi poterit, & memorari. Et Regem illum, cujus potentia cœlum hactenus verberabat, nocturnis umbris insilire per devia, & cursu celeri festinare. Manè autem facto circa Salernitanos fines applicuit, ibique fatigatus, & aliquantisper depositò cordis timore circa fluenta Montis Atrupaldi quievit. (42) Octo verò dies in planitiem Pontis Sancti Valentini Rex ille moratus est, & illo taliter ibi morante multa frumentorum confusio, & ruina mobilium à suis peracta est. Cùmque taliter Rex locum illum fugiendo dimisisset, ad exercitum Principis auditum est. Confestim Rao de Fraineta, catervâ militum accitâ, post eum viriliter, & animosè insequitur: insequitur eum dentibus frendens, & ultionem de eo sitibundo pectore anhelabat: Noviſſimè quosdam Sarracenorum Regis, qui eum sequebantur Rao ipse aggreditur, & eos capiens captivos secum perduxit; uni verò eorum caput abscidi præcepit, quod nomine gloriæ ad Principem delegavit. Princeps autem caput illud Capuam, ut fama laudis ejus attolleretur, mandavit. Rex autem Sarracenorum suorum stragem, & captivitatem audiens, satìs, abundèque condoluit: minabatur insuper dolore commotus, ut tempore ultionis accepto, vicem redderet pro acceptis. Inde castra amovens ad castrum Nuceriam valde munitum, quod præfati Roberti Principis erat, exercitu congregato festinavit. Continuò tubis sonantibus, & tentoriis paratis castellum illud Nuceriam prope muros, & turres obsedit, & eo acriter circumquaque vallato Rex ipse Rogerius præcepit pontem ligneum frangi, qui super flumen Sarnum positus antiquitus erat, ubi Scafati cognominatur, & fractum illum omnino de loco illo tolli, & amoveri. Dubitabat revera ne Princeps, & Comes Rainulphus hostium multimoda manu, auditâ obsidionis famâ, super eum

A

B

C

D

irruentes se se affligerent. Securus itaque Rex ipse castellum illud Nucerium obsidebat, & ex omni parte expugnatum credebat suæ obtinere voluntati. Princeps igitur Robertus, & Comes Nuceriam taliter obsessam sentientes mente confusi mirabiliter dolent, & suos omnes convocantes cursu rapido ad liberandum concurrunt, Nucerium castrum, quod obsessum audierat, festinant; citò citissimè victorem Dominum invocantes, & gladio mori desiderant priusquàm à tanto capiantur invasore; & eis sic sitienter currentibus ad præfati fluminis Sarni oram castrametati sunt. Continuò legatos explorandi destinant inquirentes, utrum obsidio castelli, sicut audierant, vera haberetur, & veritate inventa, tractare inter se cœperunt, quomodo obsidionem castri illius virili animo liberarent. Noviſſimè inuento consilio, pontem ordinari, & firmari fecerunt super prædictum fluvium Sarnum, & vigore accepto contra Regis acies ad liberandam obsidionem expediti accelerarent. Deinde, ponte illo superposito, Princeps ille, & Comes, milites cunctos armatos, & peditum suorum copiosam multitudinem transire die Dominico, qui aderat, mandavit, quinto videlicet die, postquam castrum illud obsessum fuerat, & eis trans flumen euntibus absque mora, Princeps ipse salutifero usus consilio milites suos mille rogatos in duas divisit cohortes. At Comes Rainulphus, ut erat sapientis animi, & ad quem doloris magnitudo, & uxoris amissa dulcedo spectabat, similiter equites suos mille numero & quingentos in quinque divisit catervas; ducentos verò, & quinquaginta milites ad defendendum Nuceriam transmiserant, qui viriliter contra Regem pugnabant. Cùmque, ut dictum est, ad præliandum taliter Princeps, & Comes parati instarent, subitò ad Regis aures fama eorum pervênit. Quid multa? Præconis voce pulsatur, quatenus omnis exercitus ad prælium armaretur. Confestim armis acceptis armati coram Rege apparuere; illico Rex ipse, ut audivimus, octo acies militum suorum, & peditum pugnaturus divisit: quibus ita divisis adinvicem applicuerunt. Quantas lacrymas ab utraque parte armatorum, Lector, si adesses, aspiceres, victorem Deum invocantes, ut justitiam ex alto inspiciat, & sanguinem innocentem liberaret! En subitò prima Regis acies contra Principis cohortem insilivit, qui juxta eorum potentiam defendendo pugnaverunt, & sic adinvicem aliquantulum dimicatum est. Quibus ita præliantibus, timor terribilis pedites Principis, & Comitis ex improviso invadit, & usque ad flumen nominatum terga vertentes fugierunt: multi verò

(42) De Salernitanis finibus alibi erit sermo peculiaris. Nunc adverto, Atrupaldi montem ipsos esse colles, quos amnis Sabbatus præterfluit, oppido imminentes *Atrupaldo*: quandoque etiam nuncupato *Atropaldo*; sive si ejus primitivum nomen retinere malis, *Tripaldo*, quod etiamnum obtinet, cùm dicatur. *L'Atripalda*, pro *La Tripalda*; unde oppidani *Atrium Palladis*, vel *Atram Paludem* nomini occasionem dedisse, poëtico sanè figmento, sibi persuadent. Sed re vera cùm per Langobardorum tempora in adversa Sabbati ripa civitas adhuc staret Abellinum (ibi nunc Monasterium, & Ecclesia S. Joannis Baptistæ, & rudera antiquæ urbis non obscura) speculatrix Turris à quodam Paldo in edito colle constructa fuisse videtur, dictaque perinde *Turris Paldi*, & per syncopen *Tri Paldi*, & tandem *Tripalda*; ad quam plerique Abellinates in patriæ excidio, quando ea in tutiorem paulò locum secedere coacta est, se receperint, sed tandem ad ima iterum sensim descenderint, tum aquarum ad varia opificia opportunitate, tum erga excavatum ibi antiquitùs cœmeterium S. Hippolysti Mart. devoto cultu allecti: sicuti S. Felicis apud Nolam, & apud Capuam S. Prisci Christi Discipuli cœmeteria, habitatoribus etiam ab antiquo frequentata fuisse constat. Sed hoc oppidum in Tabulis Monasterii Cavensis de an. 1174. scriptum legi *Truppoaldum*, ex Tabularii, ut reor, opinione: qui ab viri nomine ipsum appellatum audierat, nullumque *Tripaldi* vocabulo magis accedere sentiebat, quàm *Truppoaldi*, viris olim imponi consuetum. *Peregr.*

E

Digitized by Google

verò per pontem transeuntes evasere; alii namque mille, sicut nobis nunciatum est, pontem illum desiderantes in aquam fluvii ingrediuntur, evadere cogitantes animas suas in gurgite illo amiserunt, armis eorum bibulis aquis immersis. Qualis igitur stridor, luctusque morientium accidit? quem si ex toto scribere voluissem, priùs me tempus defereret, quàm copia recitandi. Sed redeamus ad causam. Secunda itaque Principis manus stragem tantam militum, peditumque persentiens, viribus, animisque acceptis ad Principis intravit auxilium. Regis quoque acies ad Regis juvamen ex adverso positæ incurrerunt; sicque spatio interposito acriter, duriterque decertaverunt. Revera, sicut ex ore narrantium, qui interfuerunt, audivimus, sic instanti animo pars Regis præliabatur, quòd Principis acies, fugâ jam inchoatâ, deficiebat ab armis; sed divina providentia gubernante, in cujus dispositione non fallitur, justitiæ partem, sicut nostræ fragilitati apparuit, ex alto prospexit. Comes enim Rainulphus, qui ex adverso positus erat, eventum pugnæ jam fallentis aspiciens, equis concitatis quingentorum militum caterva stipatus, Regem animosè invadit, vigorem illico, & constantiam Principi pugnanti attribuit, & clamoribus ad astra levatis expugnabant. Deinde secunda Comitis acies accurrit, & Regem atrociter pugnantem aliquantisper impulit. Quid longiùs morer? tertia ejusdem Comitis manus ardenti animo agitata, fatigatos suos agnoscens, ex adverso exiens, sicut Leonis triduana fames dentibus exasperata pervolat, & in medio præliantium intravit, & sic, Domino auxiliante, in fugam, & stragem Rex ille conversus est. En clamor populi pugnantis ad sidera tollitur, Regem fugientem significans, suosque adhortans, ut sequantur, quatenus victoria cælitus concessa de tali, tantoque viro ulciscatur. Rex autem volens militibus suis animositatem, constantiamque reparare, ne tali infortunio campum dimittant, cœpit hasta accepta obsistere, & suis fugientibus nomen suum manifestare: nihil tamen manifestatio nominis profuit, nihilque fugientibus auxilii accidit, cùm jam talis, tantaque victoria ab excelso Salvatoris solio Principi, & Comiti orta est. Rex igitur sic suos, ultra quàm credi potest, fugientes aspiciens, hastam projicit; de sola fuga, & vita custodienda cogitabat, & equo mirabili, quem supersedebat, concitato, ut auditum est, quatuor secum militibus adjunctis fugiendo, & mirabiliter lugendo evasit. Sicque tanta districtus angustia, & mentis calamitate circumquaque satiatus, Salernitanam civitatem ad Solis occasum introivit. Cives autem Salernitani, sic eum fugientem sentientes, Regem illum susceperе. At Comes Rainulphus milites armatos accipiens prope civitatem ipsam Regem illum fugientem insequitur. Revertitur Comes intrepidus; audierat enim Regem Salernum intravisse, & eo revertente simul cum Principe, Barones Regis viginti ferè numero, & septingentos milites præter multos alios, quos nominare silentio dedimus, comprehendit: alios verò in fugam conversos occisioni expositos crudeliter fore audivimus. Quid plura? totus Regis exercitus militum, peditumque in fugam, occisionem, captivitatem perductus est; auri verò copiam, & argenti ineffabilem multitudinem, & vasorum aureorum abundantiam, & vestimentorum infinitas varietates, & equorum congregationes, & loricarum densitatem, cunctorumque mobilium, quæ in victoria illa capta sunt, Regem regum testamur æternum, si universa, & singillatim describere vellem, priùs in scribendo deficerem, quàm universa exararem. Quid plura? universa illa mobilium glorioſa magnitudo ad potestatem Principis, & Comitis pervênit. Lætatur itaque Princeps, & Comes de tali triumpho cælitus concesso. Quibus omnibus ita peractis, fragor victoriæ, & Regis fugientis calamitas Apuliæ partes, & Siciliæ, & totius Italiæ intonuit, & super inauditis occisionibus, & Regis terroribus valdè mirabatur. Nemo quidem tempore isto viventium, recordatur talem tantamque prœliorum stragem infra Christianos accidisse. Cùm autem victoriæ fama Beneventanam civitatem tetigisset, en subitò civitatis populus gaudio magno repletus ad Episcopium, & Monasterium S. Sophiæ jubilando convênit; ibique gratias Deo, & Petro Apostolo, lacrymis manantibus, egit; deinde cereorum magnorum frequentiâ, & luminarium lignorum acceptâ, cum Clericis, & Presbyteris catervatim ad B. Bartholomæi Apostoli Basilicam, & Monasterium Sanctæ Sophiæ vigilias, & laudes persolventes lætabantur. Lætabatur quidem gaudio ineffabili totius civitatis populus, ac si omnis illa victoria à Beneventanis facta fuisset. Dies verò, quo bellum illud factum est, in vigiliis B. Jacobi Apostoli habebatur, octavo videlicet Kalend. Augusti. (43)

Hoc anno duodecimo die intrante mensis Augusti obiit Landulphus Beneventanus Archiepiscopus. His ita gestis, prædictus Rex Rogerius consilio communicato in Apuliam descendit, & apud civitatem Melphitanam diebus non multis moratus est. Continuò quosdam ex Baronibus suis vocari mandavit, quos valdè præcipiendo admonuit, quatenus in ejus permanerent fidelitate, & dilectione. Mandavit etiam, ut juxta eorum vires à Tancredi de Conversano consortio caveant; oderat enim eum Rex ipse Rogerius odio mortifero, & sicut præmisimus, à totius Apuliæ finibus eum depellere conatus est. Quibus peractis Salernum repedavit, ibique Procerum suorum frequen-

(43) Cur. 8. *Kal.* vigilias B. Jacobi celebrari dicat, quæ hoc an. 1172. verè in Dominicam incidêre; ipsumque festum infra ad an. 1139. in 7. *Kal.* conjiciat, ibi exponam. Cùm autem prædicta die ingentem victoriam de Rege Rogerio Robertum Principem obtinuisse, nuncius Beneventum perveniſſet; *en subitò*, inquit idem noster, *civitatis Populus gaudio magno repletus, in Episcopium, & Monasterium S. Sophiæ jubilando convênit, deinde cereòrum magnorum frequentiâ, & luminarium lignorum acceptâ, cum clericis, & Presbyteris catervatim ad B. Bartholomæi Apost. Ba-*

silicam, & Monasterium S. Sophiæ vigilias, & laudes persolventes lætabantur. Quod inobservatum præterire nolui, ut videres, sacras vigilias clara die, sicut superiùs notabam, non in nocte à Populo, & Clericis turmatim cereos & lignea luminaria deferentibus celebrari consuetas: quæ sanè luminaria Fais non correspondent Campanis; nam hi tanquam donaria quædam Divo oblata super Templi chorum affiguntur: illa è Templo reportabantur, ad eosdem usus, quoties accideret, adhibenda. *Peregr.*

Digitized by Google

quentia magnificatus de inimicitiis Principis Capuani, & Comitis Rainulphi satìs, abundèque tractabat. Consiliabatur quotidie, qualiter eos vincere posset; quoniam quidem, sicut prædiximus, ab eis victum, & in fugam conversum eorum virtute longè, latèque audivimus. Diebus præterea non multis evolutis, Rex præfatus Rogerius consilio Cardinalis Crescentii tunc Beneventani Rectoris, & aliorum Beneventanorum, sicut audivimus, civitatem Beneventanam deprædatus est; viros quidem, & mulieres, & animalium multitudinem captivos apud Montemfuscum perduxit. O qualem, Lector, si adesses, luctum Beneventanorum audires, & miratus lugeres! quoniam quidem civitas securitate à Rege accepta, jugiter ad possessiones eorum, & vineas, quia vindemiarum tempus inerat sine timoris aliqua dubietate exibat. Die itaque ipso, cùm talis deprædationis crudelitas acta est, civitatis ferè totus populus armis eductis apud Monasterium Sanctæ Sophiæ, ubi prædictus Cardinalis morabatur, furore accepto properavit. Confestim eum ad præfatum Regem licèt invitum transmittunt, quatenus cives à vinculis Regis absolvat, & prædam Beneventanorum innumeram reducat: ajebat siquidem, quoniam ejus consilio, & fautorum suorum talis, tantaque deprædatio facta est. Cardinalis igitur absque mora, ad Regem festinavit. Jurabat Cardinalis ille sacramentorum verbis coram omnibus consilio suo prædam ipsam factam non fuisse. Cardinalis itaque ad Regem veniens nullo modo impetrare potuit, ut multitudo illa deprædationis, & civium captivorum redderetur. His ita decursis jussit præfatus Rex, ut horis omnibus circa Beneventanam civitatem milites sui insilirent, & quos cives invenire possent, captivos ligarent. Ipse autem Rex, navigio parato, octavo die mensis Decembris intrante, mare ingrediens ad Siciliæ partes transfretavit, sed antequam Rex ipse ad navigandum pararetur, Bernardum de Fraineta, qui Dominus erat de castello Balba, suasit nunciis interjectis, ut castrum illud ejus traderet potestati, quod & factum est. Accepit itaque ab eo, sicut audivimus, centum uncias auri: ipse verò Bernardus ad Salernitanam civitatem secessit. Mandavit continuò Rex ille centum ferè viros armatos ad castellum illud muniendum. Rao igitur de Fraineta, qui erat Dominus præfati Bernardi, à quo castrum illud tenuerat dolore cordis perculsus, castelli illius perditionem deprehendens, Beneventum venit, & diligenter eos precatur, quatenus ei subveniant, & celeri cursu festinent. Deinde Principem Robertum Capuanum, & Comitem Rainulphum adivit, eosque hortatur, ut ad ejus auxilium veniant. Princeps illicò, & Comes præfati simul cum Beneventanis ad obsidendum castrum illud totis viribus festinaverunt, ibique lignorum machinis ad turrem illam destruendam citissimè utuntur, custodes autem, qui turrem illam observabant, nihil omnino eorum, quæ inferebantur, metuebant: milites verò Regis, & pedites in conspectu Principis, & Beneventanorum castrum illud securi intrabant, arma quoque & cuncta eis necessaria coram omnibus deferebant. Princeps itaque talem, tantamque eorum constantiam, & animorum alacritatem aspiciens castra sua inde amovit, & civitatem Capuanam ingressus est: Comes autem Rainulphus, & Rao de

A

B

C

D

E

Fraineta dolore cordis turbati similiter cum Beneventanorum cœtu, qui aderat, ad propria reversi sunt: machinas quidem lignorum, quas Rao de Fraineta ad obsidionem illam duci fecerat, timore interveniente, dimiserei. Confestim viri de turre illa exeuntes machinas illas coram omnibus capiunt, & lætanti animo eas introducunt: sicque castellum illud dimissum est, & sub Regis potestate magìs, magìsque alligatur.

Per idem tempus pars quædam Beneventanæ civitatis, consilio habito, Dominum Girardum Cardinalem Presbyterum, qui cum Domino Papa Innocentio aderat, in civitatem Beneventi introduxerunt; firmabat enim pars ipsa civitatis partem Innocentii Papæ tenendam fore, Anacleti verò electionem contra Canones fore & iniquam. Statuit itaque præfatum Cardinalem Rectorem Beneventanorum ad Romanæ Ecclesiæ, & ejusdem Domini Papæ fidelitatem mense Novembri mediante. Alio autem die post ejus adventum in sacro Beneventano Palatio coram Beneventanorum cœtu, qui convenerat, tradidit Comestabiliæ honorem, & potestatem Rolpotoni de Sancto Eustasio, qui verò taliter ordinatus cœpit simul cum Cardinali illo curiæ statum regere, & justitiæ vigorem unicuique dispartiri. Milites denique, & servientes rogavit, ut civitati subveniant, & contra Regis milites civitatis inimicos insurgant, sicque de guerra civitatis studiosus apparuit. Comestabulus autem Montisfusci à Rege ibi ordinatus, ut Beneventanæ civitati timorem induceret, præcepit vineas omnes, & possessiones Beneventanorum igne, ferroque devastari, quod & factum est. Præfatus igitur Rolpoto Beneventanus Comestabulus, tantam aspiciens contra civitatem adversitatem, assiduè insurgere, vicem reddens pro acceptis absque mora, civitatis partes præconis voce commovit, ut armis eductis, unusquisque ad Ecclesiam Sancti Martiani conveniat. Qui verò præceptis ejus faventes, simul cum Rainulpho Comite, qui cum trecentis advenerat militibus, super castellum Farnitum, quod erat Raonis Pinellæ, ultimo die stante mensis Januarii adivit. Quid multa? tota rusticorum habitatio igne, ferroque consumitur, deinde tota eadem manus habitantium utriusque sexus, & ætatis in timorem, fugamque conversa bona sua dimisit, sicque à civibus viri multi, & mulieres, parvulique dispoliati sunt, & deprædati; mobilia verò illorum innumera, & animalia in oppido illo inventa sunt. Dominus autem castri illius captivus perducitur: & his actis ad propria Beneventani ipso die vertuntur. Alia autem die insurgente, simul cum præfato Comite civium multitudo ad castellum, quod Plescum nominatur, properavit. Robertus itaque de la Marra, cujus castellum illud erat, viros armatos centum ferè intromisit. Præfatus autem Rolpoto Comestabulus constantiam illorum aspiciens ad civitatem Beneventanam repedavit, & sic castellum illud à Beneventanis dimittitur, deinde securiter, & illæsum permansit. His ita peractis Rogerius Comes Jordani Comitis filius, qui in captione Comitis Rainulphi tenebatur, ex quo prædictus Rex Rogerius sicut in superiori tractatu dictum est, in fugam conversus fuit, consilio amicorum suorum accepto, sacramento firmavit, ut Principis Capuani, & ipsius Comitis Rainulphi, & civitatis Beneventanæ fidelitatem

Digitized by Google

tem teneat; & contra jam dictum Regem jugiter adversetur: idipsum Robertus de la Marra, & Bartholomæus de Petrapolicina, aliique milites juraverunt.

Anno 1133. Dominicæ Incarnationis, his ita peractis Tancredus de Conversano, vir valde bellicosus, & prudentis animi simul cum Comite Rainulpho, & aliis Baronibus Apuliæ consilio salutis accepto, mille ferè milites, & peditum multitudinem copiosam rogavit, & civitatem Venusiam supersedit. Populus itaque civitatis libertatem optatam expectans gratuita voluntate sub Tancredi de Conversano fidelitate colla submisit, deinde alias civitates Apuliæ suæ obtinuit potestati.

Dum hæc, & alia in Apuliæ finibus geruntur, Innocentius Papa simul cum Lothario Imperatore Romam pervenerunt. Audivimus revera duo millia militum secum duxisse. Apostolicus itaque honestè susceptus, Palatium Lateranense ingreditur, ibique gaudio magno, & honoris copia supersedit. Imperator autem circa Monasterium S. Pauli cum exercitu suo viriliter castrametatur. Misit namque, sicut audivimus ad Anacletum, ut consilio Religiosorum virorum communicato adesset, & Spiritu Sancto mediante tanti erroris, & homicidii magnitudini finem poneret, quod Anacletus ille, sicut accepimus, facere contempsit. Audiens itaque Robertus Princeps Capuanus, & Rainulphus Comes Apostolici Innocentii, & Imperatoris Lotharii adventum longè, latèque optatum, trecentum ferè militum caterva stipati, simul cum Domino Gerardo Cardinale, qui tunc Beneventanus Rector præfuerat, & civibus quibusdam sapientibus Beneventanis, Romam festinarunt. Qui verò euntes, ordinem omnem afflictionis, quam civitas Beneventana dudum perpessa est, è vestigio intimavere, lacrymis orantes, ut civitatem Beneventanam à Comite Rogerio Siculorum jugiter oppressam liberarent, & eam libertati redderent longè, latèque desideratæ. Cùmque prædictus Girardus Cardinalis Rector præesset civitati, consilio cum prædicto Rolpotone Comestabulo accepto, & aliis civitatis sapientibus, Falconem Notarium, scribam sacri Palatii, istius opusculi factorem (44), sicut in principio legitur, Judicem civitatis ordinavit, & eo ordinato, sicut prædiximus, Romam repedavit. Continuò Cardinalis ille simul cum civibus Beneventanis, qui cum ipso inerant, civitatis negotia, & pericula multa, quæ patiebamur, intimavit prædicto Domino Papæ. Inter cætera verò annuntiant ei qualiter consilio Comestabuli, & civium, Cardinalis ille Falconem Scribam sacri Palatii Judicem statuisset. Quid multa? Apostolicus ille petitionibus eorum favens confirmavit, & privilegio signato misit civitati Beneventanæ per Gregorium Beneventanum electum, qui Romam ierat, se Falconem præfatum Judicem confirmasse Beneventanum.

Eodem anno, triginta & duo Beneventani cives, qui apud civitatem Salernum captivi tenebantur, Domino auxiliante de vinculis liberati sunt: dies verò eorum liberationis Sancti Eustachii Martyris colebatur. Princeps itaque, & Comes Romam euntes, non sicut voluerunt ab Imperatore consecuti sunt. Et eis illic morantibus, en ex improviso prædictus Rex Rogerius Siculorum, exercitu Sarracenorum congregato Pharum transivit; deinde in Apuliam cursu rapido acceleravit, & continuò civitatem Venusiam, quam Tancredus compræhenderat, & alias civitates virtute compræhendens, igne, ferroque consumavit: viros quoque & mulieres, parvulosque earum variis mortis generibus necavit, quosdam verò eorum comburi fecit. Regem testamur æternum, tanta crudelitate in Christianos illos exarsit, quòd vix, aut nunquam à sæculo est auditum. Continuò Principi, & Comiti Romæ morantibus est nuntiatum: & citissimè redeant, & tanto tyranno resistentes, Apuliam totam, & eorum bona à gutture tanti prædonis defendant. Itaque nuntio accepto celeriter redeunt, & præconis voce tonante, Principatum totum Capuanum, & civitatem Beneventanam exagitant, ut armis eductis contra perfidiam illius, & tyrannidem viriliter resistant; quod factum est, & præparatum. Comes itaque Rainulphus mille ferè milites accipiens circa Trojanos fines acceleravit; misit continuò legatos suos ad Trojanam civitatem, ut sacramenta, quæ Comiti, & Principi cives Trojani promiserant, adimplerent. Trojanus verò populus timore prædicti Regis coactus, & verbis Regis dolosè pacificis fidem attribuens, Comitis voluntati favere penitùs recusavit. Insuper etiam Episcopus civitatis populum omnem suaserat, ut Regis fidelitatem non dimitteret. Comes autem hæc audiens quadraginta dierum spatio illic commorans apud Beneventum repedavit. Dum hæc, & alia geruntur, Rex præfatus civitatem nomine Materam obsedit, quam acriter expugnans proditione populi comprehendit; ibique Giffredum filium Giffredi Comitis Dominum civitatis alligavit. Quibus ita peractis civitatem aliam nomine Ansam suæ obtinuit potestati. Revera thesaurum auri, & argenti Alexandri Comitis invênit. Quid multa? omnes civitates ejusdem Alexandri Comitis, & oppida suæ submisit ditioni. Alexander itaque Comes, sicut naufragus, apud prædictum Comitem Rainulphum, heu miser, mortuus est. Deinde civitatem Tranum, & totam Apuliam igne, ferroque Rex ipse trucidavit. Quid dicam? quod nunquam à sæculo est auditum, Rex ipse in Christianos operatus est. Deinde amoto exercitu, Rex ipse Rogerius humano nondum sanguine satiatus, Montem Pilosum, ubi Tancredus de Conversano, & Rogerius de Pleuto viri bellicosi, & strenui aderant, obsedit; quindecim verò dies ibi moratus est. Tancredus itaque, & prædictus Rogerius viriliter, & animosè Regi Rogerio, & ejus exercitui

(44) *Falco* certè dictus est hic auctor; non *Fulco*: ut alicubi legitur apud Baronium per Typographi fortè errorem. Quod nomen quia syllaba crescit in obliquis, Italicè dicitur *Falcone*; sed Beneventani cives efferunt *Falco*: quos non reprehendo; siquidem promiscuè olim vulgò dicebatur. *Falco*, & *Falcone*; *Leo*, & *Leone*; *Pando*, & *Pandone*; *Scipio*, & *Scipione*; *Ugo*, & *Ugone*; &c. unde ex iis variæ etiam gentes, & cognomina processere apud Capuam, & alibi: nempe *De Falco*, & *De Falcone*; *De Leo*, & *De Leone*; *De Pando*, & *De Pandone*; *De Scipio*, & *De Scipione*; *De Ugo*; sive *De Uvo*, & *de Ugone*, quæ una gens est, inque ea ante annos ferè 60. in Poëtices studiis emicuit Benedictus de Uva, patruo meo Camillo amicissimus. *Peregr.*

citui obsistebant. Rex autem Rogerius constantiam eorum aspiciens, machinas lignorum, & belli apparatus super Montem Piloſum fieri mandavit. Rusticorum itaque manus Montis Piloſi, ferocitatem Regis, & præliorum terrores persentiens, pugnare contra eum nolebant; clamabant etiam se minimè defendere posse. Quid longius? tubis sonantibus, & præliii apparatu circa muros inchoato, Montem Piloſum circumquaque vocibus ad astra levatis expugnat. Tancredus autem de Conversano, & prædictus Rogerius aggressionem ipsam aspiciens equos ascendunt, & cum militibus eorum secundùm vires obsistunt. Novissimè autem judicio divino superveniente, & eorum infortunio horribili, civitas ipsa Montis Piloſi capta est. Tancredus quidem, & miser ipse Rogerius armis projectis, per latebras, & loca civitatis abscondita latuerunt. Inveniuntur tamen à persequentibus, & coram Rege Rogerio perducuntur. O quantus dolor, & lacrimarum horror insolitus! quòd si lector adesses, dolore turbatus expavesceres. Continuò Rogerium ipsum laqueo suspendi præcepit. Præcepit etiam ut Tancredus ipse, manu sua funem laquei traheret (45): heu nefas, & dictu terribile! Tancredus ipse invitus Regis voluntati obtemperavit. Mirabatur omnis exercitus, & facta Regis horrebat, cœlorum Regem deposcens, ut tanto tyranno, & crudeli viro resistere dignaretur. Quo facto, Tancredum de Conversano virum mirabilem custodiri mandavit. Et sicut audivimus apud Siciliam captivus perducitur. Nec mora, civitatem ipsam Montis Piloſi, & Monasteria, viros, & mulieres, omnes habitatores cum parvulis eorum in ore ignis, & gladii trucidavit. Inde exercitu amoto, cursu rapido super Trojanam civitatem advênit. Cives autem, quia verbis ejus in dolo pacificis crediderant, securiter eum expectavere. Episcopus itaque Guillelmus nomine, civitatis Clerum omnem, civitatis & Monachos, & cives convocans, in albis vestitus, cum laudibus, & processionibus coram Rege obviavit, cogitans animi ferocitatem sedare, corpora, ut audivimus, Sanctorum ad ejus gloriam ante eum perduxit. Rex autem ipse furibundus civitatem ingressus, & securitatis datæ oblitus processionem ipsam, & gloriam aspiciens, catholicæ fidei immemor, & Christianæ Religionis expugnator, oculis ardentibus processionem illam destruxit. Nolo, inquit, nolo hujusmodi gloriam, sed vita comite, omnes destruam, & omnes exulabo. Clerus autem, & populus, qui obviam exiverant, in fugam convertuntur, &, sicut potuit, quisque absconditur. Continuò cives multos Trojanorum comprehendit, & mulieres, & eorum infantes vinculis destinavit. Judicem quoque Robertum nomine, & quatuor alios viros sapientes laqueo suspendi præcepit. Multi verò Trojanorum cum uxoribus, & filiis substantiam omnem relinquentes, ad Beneventum fugierunt. Domos insuper Trojanorum, & eorum bona igne, ferroque consummari præcepit. O quantus luctus mulierum, & Infantum per totam civitatem Trojanam surre-

A xit! Quòd si centenas voces lingua exprimeret, prius deficerem scribendo, quàm omnia singillatim enarrarem. Diebus autem non multis evolutis, exercitu congregato Rex præfatus apud Melphitanam civitatem festinavit, quam, sicut audivimus, viriliter comprehendens sua submisit potestati. Hoc anno præfatus Robertus Princeps videns ferocitatem Rogerii Regis, & Apuliam totam in confusionem, & mortis periculum pervenire, timens etiam, ne Rex ipse Principatum suum invaderet, consilio accepto, apud Pisanam civitatem, navigiis paratis festinavit, qui quidem honorificè susceptus interrogatur, qua de causa tanti laboris sudorem subiret. Princeps itaque Regis
B Rogerii ferocitatem, & minas ejus, & terrores illatos è vestigio exponens precatur suppliciter, ut civitas Pisana auxilii manum, & consilii ei largiretur, pactis eorum intervenientibus, sicut in inferiori tractatu continebitur. Octavo quidem Kalend. Julii Princeps ipse mare ingressus est, & Pisas transfretavit; qualiter autem cum Pisanis egerit, nondum plenissimè ad nostram perventum est notitiam. Sed redeamus ad causam.

Cùm præfatus Rex Rogerius Trojanam, & Melphitanam civitatem depopulatus est, sicut accepimus, exercitus sui magnitudinem per
C partes dividens apud Barensem civitatem repedavit. Hæc inter præfatus Comes Rainulphus Principatum totum Capuanum submovit, & totius terræ suæ auxilium, & Rolpotonem Beneventanum Comestabulum, & Beneventanæ civitatis partes, partiumque angulos, ut omnes armis eductis Regi tyranno resistant, qui unanimiter, & mente devota Comitis Rainulphi voluntati famulantur. Clamabant quidem priùs morti velle succumbere, quàm sub nefandi Regis imperio colla submittere. Quid longiùs moror? mille numeratos equites, & viriliter armatos, & peditum ferè viginti millia Comes ipse congregavit. Comestabulus autem Rolpoto præconis
D voce civitatem Beneventanam exagitans innumerabilem civium multitudinem secum gaudens eduxit, & eis in unum convenientibus, dum Rex ipse taliter Apuliam consummaret, consilio virtutis arrepto, super castrum, quod la Peloſa vocatur, festinavere. Castrum illud Ugonis Infantis fuerat, qui perjurio facto Comitem Rainulphum dimiserat, & Regi Rogerio adhæsit. At castrum illud obsessum per quatriduum acriter expugnatum est; machinas continuò lignorum ad muros destruendos Comes ipse ordinari præcepit, aquam verò fluminis, quod prope aderat, & fontes ibi contiguos die, noctuque custodiri, ne à rusticis hauriretur, viriliter prafatus Comes, & Comestabulus mandavere. Milites itaque castellum illud servantes terrorem machinarum, &
E domos rusticorum à lapidibus dirutas aspicientes, & sitis periculum imminentis sentientes, ne igne, ferroque caperentur, exterriti castrum illud reddiderunt ad præfati Comitis potestatem. Deinde sacramentis intervenientibus, sub fidelitate Comitis alligantur. Inde consilio accepto, prædictus Comestabulus cum

Bene-

(45) Attende quo more olim, qui suspendii morte erant plectendi, ad supplicium ducebantur; nam ex eorum collo pendentem laquei funem carnifex manu servabat, ac præibat. Petrus Diac. lib. 1. cap. 47. ab hac est mente, animam dicens cujusdam Adonis ad æternos cruciatus damnatam, visam esse Gebizoni Monacho Cassinensi *jumentorum more ligatam ad supplicium trahi*. Nec aliter capiendus Ostiensis lib. 2. cap. 2. iis verbis, *Videns*, inquit, *Adenulfus se non posse Principis manus evadere, funem in collum suum misit, & per manus conjugis suæ ad Principis pedes se trahi præcepit*: scilicet ut reus mortis. *Peregr.*

Beneventanis civitatem Beneventanam gaudens ingreditur. At Comes, ſuis omnibus congregatis, licentiam redeundi ad propria largitur, ſacramento firmantes, ut, cùm neceſſitas incumberet, omnes armis eductis convenirent; & ſic ad propria unuſquiſque repedavit.

Eodem anno Creſcentius Cardinalis, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, cum præfato Rege Rogerio conſiliatur, ut vineæ omnes Beneventanorum, & poſſeſſiones incenderentur, excogitans terrorem Beneventanæ civitati inducere, & ſic civitatem ſub nefandi Regis imperio ſubjugare. Rex itaque hujuſmodi nefando conſilio communicato præcepit, ut vineæ omnes Beneventanorum, & hæreditates igne, ferroque conſummarentur. Nec mora; pars quædam vinearum, & poſſeſſionum inciditur, pars quædam combuſta eſt. Lector quidem, ſi adeſſes, turbatus expaveſceres de tanta vinearum inciſione, & combuſtione poſſeſſionum. Vindemias dimiſimus, famis quidem penuriam, & ſitis, mortiſque genera ſuſtinentes ore vociferabamur aperto, priùs pelago, & morti terribili colla ſubmittere, quàm ejus imperio famulari. Quis unquam mortalium tanti Regis nefandi furorem audiens, ejus dominium ſubire non pertimeſcat? Regem verò teſtamur æternum, Judicemque communem, Neronem crudeliſſimum Imperatorem Paganorum in Chriſtianos ſtragem talem non legimus exercuiſſe. Cùmque, ſicut prædiximus, præfatus Rex Rogerius civitates Apuliæ, & oppida, viros, & mulieres eorum crudeli manu depopulatus eſt, conſilio accepto, Salernum venit, ibique congregari mandavit Proceres quoſdam juxta Salernitanam civitatem commorantes, & eis accitis tractavit cum eis, qualiter cives Salernitanos, & Amalphitanos, ſicut Apuliæ, feroci manu perderet. Sed quia congruum ſibi tempus non videbatur, quod corde conceperat, imperfectum dimiſit, excogitans tempore opportuno adimplere. Deinde navigio parato, mare ingrediens Siciliam transfretavit XII. Kalend. Novembris. Audivimus præterea viginti & tria navigia auro, & argento onerata, & mobilium, quæ de civitatibus Apuliæ expoliaverat, in profundo maris ſe ſubmerſiſſe, in quibus navigiis multi viri, & mulieres ex omnibus civitatibus Apuliæ, & infantes ligati exules ducebantur, patriam, parentesque ſuos nunquam viſuri; qui in eodem naufragio ſuffocati ſunt. O quantus luctus, & dolor horribilis univerſos fines Apuliæ invaſit, cœlorum tamen Regem collaudantes, quòd de variis mortis generibus, & exilii periculo, eos liberavit, & momento uno de mundi hujus voragine eos eduxit.

Dum hæc, & alia, quæ ſcripta ſunt, juxta Apuliam geruntur, prænominatus Pontifex Innocentius, & Robertus Capuanus Princeps, ſalutis accepto conſilio, menſe Septembri mediante, navem ingrediuntur, & ventis ſecundis Piſas transfretavere; nam, ſicut accepimus, exercitus navium, & armatorum virorum, & Imperatoris Lotharii virtutem quærentes cordi propoſuere, ut Domino favente civitatem Beneventanam, multis, variiſque calamitatibus oppreſſam à gutture nefandi Regis Rogerii eripiant. Iverat enim præfatus Princeps Robertus ad civitatem Piſanam, & cum Conſulibus, & ſapientibus viris civitatis ſatis, abundèque tractavit, ut auxilium navalis exercitus ei largirentur. Qui tamen ſinè populo Januenſi hoc promittere noluerunt. Tandem definito conſilio, ſacramentis intervenientibus, pactum ſtabilivere, ut circa menſem Martium futurum cum centum navigiis paratis armatorum ſuper nefandum Regem Rogerium feſtinent. Audivimus quoque Ducem Venetiarum ad ejus auxilium manum dediſſe: ideoque Princeps ipſe Romam revertitur, & omnia quæcumque cum Piſano, & Januenſi populo tractavit, Domino Papæ Innocentio è veſtigio patefecit, ſicque cum eodem Pontifice ad pactum illud firmandum Piſas feſtinavere. Cùmque ſicut prælatum eſt, Rex Rogerius Siciliam peteret, præfatus Creſcentius nomine tantùm Cardinalis, aſpiciens, quòd ſui ipſius Regis poteſtate, ſicut tractaverat, Beneventanam civitatem non poſſet ſubmittere, valdè cœpit ipſe cum aliis Beneventanis de civitate projectis contriſtari. Deinde multis, variiſque inſidiis, & conſpirationibus cœpit quoſdam eorum muneribus, quoſdam pollicitationibus, ſacramentis intervenientibus, alligare. Alligavit revera, ut Comeſtabulum Rolpotonem occiderent, & ejus ſequaces, quot invenire poſſent, & ſic armis eductis civitatis plateas invaderent, pacem nomine doloſo clamitando. Quibus ſacramento taliter alligatis, alios Beneventanos ſanioris ſenſus, & prudentiores præfatus Creſcentius decipiendo, mandavit, ut præfatis fautoribus ſuis manum conſilii, & auxilii largirentur, quibuſdam verò pecuniam tranſmiſit, quibuſdam honoris dignitatem pollicebatur. Nam, ſicut accepimus, præfatum Comeſtabulum die ſolemnitatis omnium Sanctorum trucidare diſpoſuere. Sed humani generis Salvator, qui reprobat conſilia gentium, cujus conſilium manet in æternum, diſpoſitiones eorum ſubvertit. Deinde præfatus Creſcentius per totum menſem Novembris cum prædictis fautoribus ſuis de invaſione civitatis, & deſtructione ſubtiliter, & ſtudioſiſſimè tractare non deſinit. Quid multa? peſtifero invento conſilio die feſtivitatis Sancti Andreæ Apoſtoli ſtatuerunt, ut ipſe Creſcentius, congregatis ferè ducentis militibus, & peditum multitudine copioſa, ad incidendas vineas Beneventanorum, quæ ſunt in loco, ubi dicitur Roſetum, venirent. Inciſionem illam cùm Cives Beneventani vidiſſent, ad defendendas vineas ſuas exire pugnaturi deberent, cum quibus exeuntibus prædictum Comeſtabulum Rolpotonem aggredi, & in fugam convertere diſpoſuerunt, ita quidem, ut ſimulata fide, & fraude mortifera, primùm ipſi terga vertentes quoſdam ſuorum militum, & peditum captivos in manus dimitterent Beneventanorum. Qua de re præfatus Comeſtabulus cum Civibus eos proſequi, & invadere protinus deberet, & eis ita perſequentibus, quidam Beneventanorum præfati Creſcentii fautores, & homicidio civitatis alligati, portam Sancti Laurentii clauderent, & portâ illâ viriliter clauſâ nominatus Comeſtabulus cum Beneventanis, qui ſecum exierant, civitatem ingredi non poſſent, & ſic præfatus Creſcentius cum militibus Regis Beneventanos inſequerentur uſque ad prædictam portam S. Laurentii, ad quam eum capere deſtinaverunt, & quot Civium invenire potuiſſent; ſicque omnes particulatim trucidarent. Diſpoſuerunt etiam, ut centum milites ad Eccleſiam S. Angeli ad Crucem, quæ eſt infra confinia portæ Summæ, latitarent, qui ſtragem illam, & capti-

captivitatem sentientes, Portam Summam virtute intrarent, deinde viros, & mulieres, & parvulos, & omnia civitatis bona in ore ignis, & gladii confunderent, & ita civitatem in potestate Regis, & dominio submitterent. Sed Salvator Omnipotens, qui castigat, & salvat, qui ducit ad inferos, & reducit, & post lacrimationem, & fletum exultationem inducit, mortifera eorum consilia, & nefandas dispositiones reprobavit. Ipse, inquam, qui reprobat consilia gentium, cujus consilium manet in æternum, reprobavit revera, & subvertit malignorum machinationes, & longè aliter, quàm ipse Crescentius cum hostibus tractaverat, peractum est. O dolor, & dictu terribile, sub colorato nomine Romanæ Sedis Beneventanam civitatem, quæ in vigore libertatis, & in B. Petri fidelitate longè, latèque permanserat, sub prædicti Regis Rogerii crudelitate, execrandæ, ut ita dicam, memoriæ, submittere disponebant. Regem quidem testamur æternum, quoniam per civitatis Beneventanæ libertatem viriliter custoditam, & merita Apostolorum Petri, & Pauli, & Bartholomæi, & aliorum Sanctorum, miseram Apuliam à nefando illo Rege captivatam, & usque in Romanos fines Provincias de manu ejusdem Regis, & desiderio ereptam fore, & ad gloriam perductam sine dubio sperabamus. Sperandum quippe erat, & ante oculos jugiter habendum, quoniam quidem Innocentius Pontifex cum Roberto Capuano Principe sudore multo, & periculo arrepto, pro nobis omnibus redimendis laborabant, sicut in superiori tract. præmisimus, modò verò apud hostes civitatis disponebatur, nos omnes in mortem, & deprædationem, & dispersionem subjicere. Sed redeamus ad causam.

Præfati igitur Crescentii fautores, velocitate accepta, Beneventanorum sanguinem sitientes adventum inimicorum civitatis, qui secum conjuraverant, sicut superiùs dictum est, non expectavere. Continuò in prædicta festivitate S. Andreæ Apostoli, armis acceptis, in plateas exierunt. Quid dicam? mente confusi, fideles B. Petri percutientes, pacem se velle clamabant. Roffridum quidem Judicem, & Abbatem Paroaldum gladiis percusserunt. Mira res; Quid defuncto, vel ad mortem percussis pax talis proficeret? pacem verò firmari, & consolidari, armis depositis, vidimus, & audivimus, & eis in plateas exeuntibus existimabant, ut tota ferè civitas dictis eorum, & factis obtemperarent. Comestabulus autem Rolpoto tunc in civitate non aderat; iverat enim Comitem Rainulphum alloquuturus. Confestim, spiritu fidelitatis accepto, populus omnis Beneventanus insurgens, armis celeriter assumptis, civitatem Beneventanam animosè, & studiosè obtinuimus. Quid plura? nefandos illos viros Crescentii fautores comprehendimus. Comestabulus autem prope civitatem Beneventanam adveniens, & eam turbatam, & in tali ruina positam audiens, confisus in Beati Petri fidelitate, civitatem ingreditur, mori priùs vellè desiderans, quàm sic inopinatè civitatem destructam videret. Armis itaque acceptis viriliter, & animosè cum quibusdam militibus Beneventanis secum venientibus per plateam civitatis ascendit, & ad Portam Summam acceleravit, invênit revera Portam ipsam firmiter clausam, & à fidelibus honestè custoditam. Milites interea Montisfusci cum Beneventanis, qui projecti de civitate fuerant, foris Portam Summam venerunt, ut civitatem intrarent, & desideria cordis perficerent, sicut inter se tractaverant. At ubi portam ipsam clausam aspiciunt, paulisper ibi morati sunt: fideles autem B. Petri turrim Portæ Summæ ascendentes milites illos lapidibus projectis ejiciunt, & eam fideliter defendunt. Nec mora, milites illi terga vertentes cursu præcipiti ad suos revertuntur. Confestim Comestabulus ipse Portam Summam aperiri præcipiens cum militibus armatis eos mirabiliter insequitur, qui sanè timore coacti ad Montemfuscum repedaverunt: in quorum persecutione vir quidam, nomine Joannes Benedicti, qui Beneventanus erat, quique cum præfato Crescentio exierat, captus est. Præfatus autem Comestabulus ad civitatem reversus cum B. Petri fidelibus Curiam animosè gubernavit. Quid multa? prædictum Joannem Benedicti laqueo suspendi præcepit; deinde cæteros alios proditores, quos comprehenderamus, suspendi jussit. Joannem quidem de Lepore, virum nefandæ memoriæ, præfati Crescentii fautorem capite verso in foveam mergi præcepit, & pedibus in altum levatis; heu miser, vitam inaudita morte finivit. His, & aliis ita decursis, Beneventana civitas à turbine tanto, & tempestate quievit. Quosdam præterea Beneventanos, qui in suspitione illa tenebantur, præfatus comprehendit Comestabulus, & vinculis alligari mandavit per Comitis Rainulphi municipia.

Anno Dominicæ Incarnationis 1134. mense Martio XII. Indictionis. Hoc anno præfatus Princeps Robertus cum duobus Consulibus Pisanorum Alzopardo videlicet, & Cane, viris sapientibus, & cum aliis ferè mille Pisanis ad Principatum suum Capuanum revertitur IV. Kalend. Martii (46). Qui diligenter à Magistro militum Neapolis, & Rainulpho Comite susceptus, omnia, quæ cum Pisanis, & Januensibus firmaverat coram Papa Innocentio prædicto, patefecit, & qualiter tria millia librarum argenti Pisanis in auxilium suum venientibus, sacramento mediante, dare deberet: Prædictus autem Magister militum, & Comes Rainulphus hæc audientes, gaudio magno gavisi sunt, factisque omnibus à Principe recitatis fidem attribuerunt. Nec mora, per Ecclesias Neapolitanæ civitatis, & Capuanæ discursum est, & pecuniam illam argenti cursu celeri congregavere. Quid plura? thesaurum ipsum argenti ad Pisanos transmiserunt, rogantes, ut cum festinatione ad eorum auxilium subvenirent. In quorum Comitatu Gregorium Beneventanum electum cum quibusdam Sacerdotibus suis mandaverunt, quatenus afflictionem Beneventanæ civitatis Domino Papæ, qui illic aderat, & Pisanis intimaret. Quibus ita peractis, Rex Rogerius memoratus, navigiis galearum ferè se-

(46) Si initio hujus anni Falconiani, inchoati à Martio, Robertus ad suum rediit Principatum, id utique non in 4. Kal. Martii, nam sic in exitu ejus anni contigisset, sed in 4. Nonas incidit, vel Idus. Ipse planè Princeps, ut idem noster tradit, *an.* 1133. 8. *Kal. Julii mare ingressus, Pisas transfretavit; Pactumque cum Pisanis stabilivit, ut circa mensem Martium futurum cum centum navigiis paratis armatorum super nefandum Regem Rogerium festinarent.* Peregr.

Digitized by Google

sexaginta paratis Salernum pervênit. Continuò galêas illas ad civitatem Neapolim debellandam mandavit, & eis applicantibus usque ad portum Neapolis, expugnatum est. Cives Neapolitani, armis acceptis, viriliter galêas illas pepulerunt, deinde castella Neapolitanorum ibi contigua deprædati sunt, sicque ad Regem remeaverunt. His, & aliis ita decursis, præfatus Rex Rogerius, congregato exercitu Siculorum, & Apulorum, Abellinum civitatem advênit. Inde amoto exercitu, aurora surgente, castellum quoddam nomine Prata, quod erat Guillelmi de Abinalia, insilivit. Castrum quidem ipsum putans fore securum, & à tanto exercitu imparatum fuerat. Quid dicam? momento uno captum est, & in ore ignis, & gladii consummatum: Ibi milites mortuos, vulneratos, & captivos audivimus. Eadem die castrum illud Alta cauda, & Gructa, & Submonte ad Ranem de Fraineta pertinentia, comprehendit (47). Dum hæc, & alia crudeli manu agerentur, Beneventanam civitatem, totumque Capuanum Principatum timor invasit. Rogabamus itaque Salvatorem omnium, ut nobis omnibus solita pietate subveniret. Quantas autem lacrymas, & voces in altum levatas Beneventanorum, Neapolitanorum, & Capuanorum, omniumque circumquaque habitantium, Lector si adesses, mirareris, & crinibus solutis misericordem Dominum invocabamus, & castris illis ita comprehensis Rex ipse Rogerius revertens castra Roberti Principis comprehendit, Palmam quidem & Sarnum. Audiens autem talem, tantamque stragem, & invasionem Comes prædictus Rainulphus, & Robertus Princeps, & Magister militum, mirabiliter, mirabiliùsque insiliunt, & præconis voce, tubisque sonantibus civitates suas, & oppida, & vicos submoverunt, ut unusquisque armipotens omnibus eorum armis eductis insurgeret, & tali, tantoque tyranno obviaret; Quid longiùs morer? Cœlorum Regem testamur, milites omnes, Proceres, Sacerdotes, Clerici, juvenes, & senes occurrerunt, & mirabili, & potentissimo exercitu congregato, gaudio magno festinant vocibus apertis dicentes. Melius est mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ, & Sanctorum: & eis ita congregatis apud castellum Marilianum, exercitus ipse castrametatus est. Ad auxilium verò eorum Rolpoto Beneventanorum Comestabulus quadraginta equites, & mille ferè Beneventanos transmisit. Cùmque præfatus Rex taliter Comitem Rainulphum, & Principem paratos persensisset, super castrum Nucerium festinavit, putans illud momento, sicut & cætera comprehendi, & circa flumen nomine Sarnum milites, & sagittarios posuit, ne Comes cum suis ad eum transiret. Interea castrum illud Nucerium acerrimè ab exercitu Regis expugnatum est. Rogerius autem de Surrento à Principe ibi ordinatus, cum centum quinquaginta militibus, & sagittariis multis, & armatis viris fidelibus, nihil eorum, quæ inferebantur, trepidabat, & quotidiè, & animosè castrum illud tuebatur. Quid multis? proditione quorumdam Regis amicorum, castrum illud Nucerium in potestate ipsius Regis datum est; deinde castrum Sarni, & Lauri, & universa oppida Rex ipse suæ obtinuit potestati. Cùmque castrum illud Lauri sic comprehensum esset, prædictus Princeps, & Comes Rainulphus, & Magister militum mirabiliter turbati sunt. Congregant itaque mille ferè equites, & multitudinem peditum copiosam, ut castrum illud Lauri de Regis potestate evellant, sed Proceres Principis, & Comitis Rainulphi, pecuniâ Regis acceptâ, auxilium eis, sicut juraverant, inferre distulerunt. Unde Princeps ipse dolore commotus, Neapolim properans Pisas transfretavit. Præfatus autem Comes Rainulphus Baronum suorum nequitiam comprehendens, & quia tanto Regi obsistere non poterat, sacramento interveniente sub Regis potestate colla submisit. Audiens autem Rolpoto Beneventanus Comestabulus Comitem illum Rainulphum ad Regis imperium perveniisse, animo consternatus die Kalendarum Julii de civitate Beneventana exiens Neapolim ingressus est, quem Comestabulum mille, & eo amplius Beneventanorum secuti sunt. Triduò autem post Comestabulus ipse Rolpoto timore perculsus navigio parato, ne in manus Regis traderetur, cum quibusdam fidelibus suis, & duobus filiis Pisas festinavit, & eis navigantibus, judicio Dei superveniente, navis illa confringitur, & sic ipse cum uno filio suo, & duobus fidelibus suis, inter procellas maris mortui sunt. Alter verò filius evasit. Rex autem Comite illo accepto, Capuam, & Aversam, & totum Principatum comprehendens Salernum adivit, & ibi non multis diebus commorans, victorque effectus Siciliam repedavit. Pontifex autem sub Anacleti nomine coloratus, cursu rapido Beneventum venit, & civitatem illam ipsius Regis virtute suæ obtinuit voluntati, & domos quorumdam Beneventanorum destrui præcepit Princeps præterea Capuæ à Papa Innocentio, qui Pisis aderat, honorificè suscipitur, & ibi usque ad mensem Martium permansit.

Anno 1135. Dominicæ Incarnationis, & sexto anno Pontificatus Domini Innocentii mense Martio Indictionis XII. Hoc anno Princeps ipse septimo die stante mensis Aprilis cum

(47) Scribo. *Raonem*; ut pluries illum dicit Falco, quem non confundas cum altero Raone, Ceppaluni similiter domino, jam ab anno 1120. præmortuo: nec distinguas à Radolfo, ut ipsum appellat Alexander Telesinus lib. 2. cap. 54. namque Normanni hoc nomen, *Rao*, videntur efferre etiam consuevisse, *Rayno*, *Radolfus*, sive *Raydolfus*, & *Ranolfus*, sive *Raynolfus*; de quo nunc non afferam exempla. Ipsum potiùs Telesinum præfato loco emaculandum collatione nostri Falconis obiter indicabo; qui Radolfum *de Frameto*, pro *de Fraineto*; *Grintla*, *Simonto*, & *Altacunda* habet, pro *Gructa*; *Submontum*; & *Alta*, sive *Alzacauda*. Et insuper subsequenti cap. 55. sicut etiam antecedenti cap. 25. est depravatus in vocabulo oppidi. *Tressancti*; pro quo utrobique; nunc legitur. *Cressanta*: nimirum errore nato, quòd Normanni inducta super majusculum *C* trasversa quadam lineola, facile lectorem fallebant, qui ipsum ab *T* ob consimillimam formam non distinguebant; unde ipse etiam Alexander cùm esset *Abbas Cœnobii Telesini*, reputatus est, ac dictus *Abbas Celesinus*: Sed nec præteream, eodem cap. 55. legendum esse, *suis Proceribus*, *Baronibusque instanter omnibus mittens*: non, *Principibus* (*Procerum* etiam lego apud eundem lib. eod. cap. 37. non. *Principum*) qui sanè sub magno cæteroquin Comite Raynulfo fuere nulli: Falco hac pag. 119. dicit, *milites omnes*, *& Proceres*, viroque Ecclesiasticos tunc convenisse. Sed & ipse Auctor noster pag. eadem auxilio eget, verbo diminutus, ubi legendum, *quadraginta equites*, *& mille fere pedites Beneventanos transmisit*. Nunc deest. *pedites*. Peregr.

Digitized by Google

eum viginti navigiis Neapolim venit, & compræhendit Aversam, & Cucculum, quibus compræhensis Neapolim Princeps ipse revertitur, & ibi immoratus est cum Pisanis ipsis. Eodem anno præfatus Comes Rainulphus venit Neapolim cum quadringentis militibus, & civitates suas, & oppida dimisit. His ita peractis præfatus Rex medio mense Junio venit Salernum, & exercitum congregavit, & super Aversam perrexit, & eam igne, ferroque est depopulatus, & bona eorum diripuit. Cùmque Rex ipse stragem illam fecisset, super Neapolim venit, & diebus novem eam obsedit, sed populus civitatis, & Princeps nihil ex hoc trepidabant. Rex autem civitatem illam capere non posse aspiciens, eam dimisit, & Aversam perrexit, & eam reædificari præcepit. His ita decursis præfatus populus Pisanorum cum aliis viginti navigiis, quæ supervenerunt, civitatem Amalphitanam pergunt, & eam compræhendunt, & ejus universa bona diripiunt, sicque divitiis multis locupletati Pisas redeunt simul cum Principe. Rex autem, Pisanorum exercitum reverti compræhendens, iterum Neapolim obsedit, cùmque die quodam in festivitate Nativitatis Sanctæ Mariæ, Rex ipse navale bellum cum Neapolitanis incipere vellet, en subitò tempestas affuit, & omnes naves illas divisit; ita quòd in profundum mergi putarent, & sic ad portum Puteolanum revertuntur. Tunc Rex videns neque mari, neque terra, contra civitatem agere, navigia illa reverti præcepit, & ipse Salernum repedavit, deinde Siciliam ingressus est. Cumque Robertus Princeps Pisas reverteretur, consilio Domini Papæ Innocentii simul cum Domino Girardo Cardinali, & Riccardo Comitis Rainulphi germano ad glorioſum Lotharium Imperatorem festinavit, qui honorificè ab ipso Imperatore suscipiuntur, & ei qualiter Principatum suum perdidisset, lacrymis multis intimavit. Precatur etiam, ut pro amore Domini Papæ sibi succurreret, & quod injustè perdiderat, redintegraret. Imperator itaque muneribus multis ei datis, promisit se ipso anno venturum ad Romanæ Sedis libertatem, & ejusdem Principis restitutionem, & sic Princeps ipse reversus Domino Papæ Innocentio cuncta narravit. Ipso anno Magister militum Pisas perrexit, ut auxilium ab Apostolico Innocentio, & Pisanis inveniret, qui à Pisanis diligenter susceptus est, & promiserunt libentissimè ei auxilium inferre, sed quorumdam inimicorum consilio auxilium illud promissum destructum est. Unde Magister ipse militum vehementer turbatus Neapolim revertitur, & civitatem suam viriliter tenuit.

Anno 1136. Dominicæ Incarnationis, & septimo anno Papæ Innocentii, dum hæc, & multa alia agerentur, præfatus Imperator Apostolico Innocentio mandavit, ut eum præstolaretur, quia, Domino favente, sicut promiserat, in festivitate S. Jacobi venire despondebat. Pontifex autem spirituali gaudio gavisus Magistro militum destinavit omnia, quæ Imperator ei mandaverat, deinde Princeps ipse audiens civitatem Neapolim famis periculo urgeri cum quinque navigiis ad eandem civitatem venit, & Imperatoris adventum firmiter propalavit, & cursu celeri Pisas revertitur. Continuò ad Imperatorem festinans invênit eum montes descendisse (48), & super civitatem Cremonam castra sua posuisse. Illico pedibus ejus advolvitur lacrymis rogans, ut sibi exhæredato subveniret. Interea ad tantam famis asperitatem civitas pervênit Neapolitana, quòd infantes multi, pueri, adolescentes, juvenes, senes etiam utriusque sexus per civitatis plateas, & domos spiritum exhalabant. Sed Magister militum, & ejus fideles, qui libertati invigilabant civitatis, quique antiquorum suorum sequebantur honestatem, mori priùs famis morte malebant, quàm sub nefandi Regis potestate colla submittere. Hæc inter præfatus Imperator literas suas signatas propriis legatis suis Magistro militum, & civibus suis destinavit consolationis verba describens, ut fidelitatis propositum teneat, quia, favente Domino, in proximo ad ejus liberationem festinaret. Legati verò illi coram omnibus juraverunt Imperatorem illum ad civitatem Spoletum dimisisse. Diebus autem non multis excursis, en adest Legatus alius ipsius Imperatoris literas ferens, consolationis similiter verba continentes, qui eum dimisisse apud fluvium Piscariam affirmavit. Item in subsequentibus diebus alias transmisit Imperator literas continentes se in proximo venturum in Apuliam, & Italiam à tanta perditione redempturum. Archiepiscopus præterea Marinus civitatis Neapolitanæ, & Philippus de Acerra civis Neapolitanus vir prudentis ingenii, & Rainulphus Comes, qui obviam Imperatori dudum exierant, similiter literas suas consolationis Magistro militum delegavit. Literis itaque talibus acceptis, & tali suspensi Neapolitani promissione, licèt fame coacti, Imperatoris tamen illius expectabant adventum.

Anno 1137. & anno octavo Pontificatus Domini Innocentii (49) mense Martio, XV. Indictionis præfatus Apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis morabatur, consilio communicato de civitate Pisana exivit, & apud civitatem Bitervum advênit, præfatum Imperatorem alloquuturus Imperator igitur Henricum generum suum cum tribus millibus equitum ad Pontificem destinavit Innocentium, addens se facturum, ut Romanos fines teneat, & Principi Roberto Principatum suum restituat. Ipse verò Marcas adire disposuit. Apostolicus autem continuò Romanos fines advênit, & civitatem Albanum, & Provinciam totam Campaniæ suæ obtinuit fidelitati. Romam quidem ingredi noluit, ne in Romanorum negotiis impediretur. Præfatus autem Imperator flumen Piscariæ adveniens, Pascha Domini ibi celebravit. Inde flumen illud transiens, civitatem Termulensem, & illius Provinciæ Comites obtinuit, & inde amoto exercitu, Apuliam ingreditur, & civitatem Sipontum, & Montem Sancti Angeli octavo die intrante mensis Maji compræhendit. Tantus itaque timor totam invasit Apuliam, quòd universus populus usque ad civitatem Barum, ad ejus Imperium alligatus est. Et his actis Apostolicus ipse ad civi-

(48) Scribe litera grandiuscula. *Montes*, quo absoluto nomine nobis Italis dicuntur *Alpes*; pari ratione, ac *omnes altitudines montium*, teste Servio ad Æn. lib. 10. *à Gallis Alpes vocantur; propriè tamen montium Gallicorum sunt*, illorum scilicet, quibus Gallia ab Italia separatur. *Peregr.*

(49) Descripta à Falcone hoc anno recitat ex eo Baronius verbis plerisque in locis, sed leviter, immutatis, sicuti nonnulla etiam alia anno 1138. & 1139. *Peregr.*

Digitized by Google

civitatem Sancti Germani pervênit, quam suæ submisit ditioni. Inde Capuam veniens Roberto Principi eam restituit, & his actis Beneventum vênit prædictus Apostolicus decimo Kalendas Junii, & retro montem Sancti Felicis propè Beneventum cum Henrico Duce prædicti Imperatoris genero castrametatus est. Continuò Dominum Girardum Cardinalem virum prudentem, & discretum prope civitatem misit Beneventanam, ut cum Beneventanis loqueretur, utrum cum eo pacis firmamentum ponere vellent. Venerunt itaque ad eum quidam de civibus Beneventanis, & cum illis satis, abundèque de civitatis concordia tractaverunt, & his actis ad Dominum Apostolicum omnia, quæ dicta sunt, exposuit prædictus Girardus Cardinalis. Alio autem die adveniente prædictus Apostolicus, consilio arrepto, castra inde amovit die videlicet Sabbathi, & ex hac parte prædicti Montis Sancti Felicis transivit cum exercitu prædicti Ducis Henrici, & in planitie Sancti Petri Apostoli juxta flumen Sabbathi, viriliter, & animosè castra apponi præcepit. Beneventanus autem populus horum, quæ fiebant, nihil agnoscere poterat. Cùmque taliter in prædicta planitie Sancti Petri castra Apostolici, & Ducis illius ponerent, fama talis, tantique facti civitatem percussit Beneventanam, & Rossemannus, qui tunc præerat Romanæ Sedis adversarius cives ferè universos submovit, ut contra Apostolicum venientem insurgerent, & ad eorum posse resisterent. Nec mora, prædictus Girardus Cardinalis vocari fecit Landulphum Judicem Beneventanum, & Lodoicum Medicum, & Malfridum de Grimaldo Abbate, ut de pacis fœdere loquerentur, & civitatem Domino Papæ Innocentio redderent. Exierunt itaque viri illi vocati, & petitionibus Apostolici faventes civitatem reverterunt. Præterea ad horam ferè nonam quidam Beneventanorum exeuntes cum Teutonicis pugnare cœperunt, putantes eis timorem inducere, ut eos in fugam sectari. Dux verò illorum nominatus Henricus, audiens Beneventanos ita super se insilire, armari suos omnes occultè præcepit, & catervatim eos à castris exire disponens præcepit, ut Beneventanos sic stultè, & furiosè exeuntes, insidiis positis, præoccuparent. Quid multis? en ex improviso leonum more frendentes Teutonici insiliunt, & Beneventanos illos, qui contra eos pugnabant, usque ad Pontem majorem in fugam convertunt. In fuga verò illorum quadraginta ferme capti sunt, & quidam illorum trucidati, inter quos Petrus de Populo vocatus, capite abscisso, heu miser, exhalavit. Alter verò, Priscianus nomine, civitatis Notarius, ibi mortuus est vulneribus multis afflictus. Decem verò vulneratorum, qui de captione evaserunt post dies quadraginta mortui sunt intra civitatem. Cùmque taliter cives Beneventani capti, trucidati, & morti dediti essent, timor continuò civitatem invadit Beneventi, & luctus, quòd, si lector adesses, mori cum eis putares, & afflictione multa deficere. Nocte itaque insecuta, Cives, qui capti fuerant, vinculis districti sunt, & alligati. Manè autem facto, die quidem Dominico, ad Dominum Papam veniunt quidam de civibus Beneventanis viri sapientes, & discreti, qui omnia, quæ Apostolicus exquisierat, assecuti sunt, continuò captivos cives Beneventanos, quos Teutonici comprehenderant Dominus Apostolicus absolvi jussit, & ad propria reverti. Et

A sic sacramentis firmatis, fidelitatem Domino Papæ complures civium, qui ad ipsum Pontificem exierant, juraverunt. Cùmque taliter sacramenta illa perficerentur, vir quidam Taquintus nomine, civis Beneventanus, quique per triennium exulaverat, ultionem reddere de acceptis excogitans, Teutonicos omnes submovit, ut civitatem ingredientes, quot possent, caperent, & bona eorum auferrent; qui cursu rapido armis acceptis insiliunt, & usque Portam Ruffini festinaverunt, sed quia Portam illam hi, qui intrinsecus erant, firmiter clauserunt, civitatem ingredi non potuere. Fama itaque tantæ invasionis cùm ad aures Pontificis Innocentii pervênit, prædictum Ducem Henricum
B vocari mandavit, ut exercitum illum compesceret, & à tali mortifera aggressione illum prohibeat. Confestim Dux ille pervolat, & totum illum exercitum ad castra reverti mandavit; sicque civitas ab eorum invasione evasit. Jaquintus verò ille per clavicam, quæ Sancti Renati vocatur, ingrediens, cum quibusdam consociis suis ad sacrum Palatium Curiæ festinans perrexit, & Crescentium Cardinalem Pontificis Innocentii adversarium, qui tunc ibi occultabatur comprehendit. Nec mora, per plateam illum ducentes ad Dominum Papam captivum illum transmiserunt; deinde in eadem platea, Bernardum, qui Comes Palatii vocabatur, ejusdem Pontificis con-
C trarium Jaquintus ille invênit, quem audaciâ assumptâ capere conatus est, quatenus eum in captionem prædicto Apostolico delegaret; qui Bernardus videns se sic turpiter capi, quibusdam sociis suis secum equitantibus exclamavit, ut quantocyus succurrant, & eum à tanta captione eripiant, qui statim ensibus evaginatis Jaquintum illum feriunt, & plagis crudeli manu impositis terratenus illum de equo prosternunt, & sic Bernardus ille à captione illa liberatur. Invadit igitur civitatem illam timor mirabilis, & bonis suis oblitis, cives attoniti ruinam inauditam, & deprædationem metuebant. Præfatus autem Jaquintus ita crudeliter vulneratus ad manus quorumdam ad
D sororis domum perducitur, & sic novem dies sinè sensu, & memoria advivens mortuus est. Dominus autem Apostolicus sic illum vulneratum, & mortuum, suaque sponte taliter fuisse perductum audiens, ut erat sapientis animi, & pacifici cordis, nullam cum Beneventanis, qui eum interfecerant, excitavit quæstionem. Rossemannus autem, qui tunc contra voluntatem ipsius Apostolici Episcopus fuerat, & qui civitatem violento nomine tenuerat, noctis silentio timore coactus fugiit. Quibus omnibus ita peractis, ita prædictus Falco Judex, & Falco Abbatis Falconis, & Saductus, & Pando, & Potofridus, & Adonibezet, qui per triennium exules fueramus, cum aliis Bene-
E ventanis similiter exulibus, licentiâ prædicti Pontificis ad propria reversi sumus. Cœlestis quidem Regis magnalia laudantes, qui post tribulationem, & fletum exultationem inducit. Præfatus autem Apostolicus supranominatum Girardum Cardinalem ad civitatem mandavit, ut à civibus universis fidelitatem acciperet, quod & factum est.

His omnibus ita evolutis, Pontifex Innocentius sacramentis fidelitatis acceptis, consilio habito, iter arripuit VIII. Kalend. Junii, ut ad Imperatorem nominatum festinaret; veniens autem ante Portam Summam, populum civitatis, qui eum ibi præstolaba-

Digitized by Google

tur, Pontifex ipse taliter allocutus est: Gratias vobis agimus, fratres, & Domini, quia corde hilari, & voluntate sincera fidelitatem nobis peregistis; rogo itaque fraternitatem vestram, & probitatem, ut pacem teneatis, & constantiam justitiæ inter vos; civitatem verò intrare modò non possumus pro multis, variisque negotiis, quæ cum Domino Imperatore definienda decrevi. Sed his, divina clementia definitis, ad vos revertemur, & de civitatis utilitate tractabimus; nunc verò prædictum fratrem nostrum Cardinalem Girardum vobiscum morari permittimus, qui erga vestras utilitates assiduè invigilabit, & pacem inter vos continebit. Hæc, & his similia Pontifex ipse ubi allocutus esset, iter cœptum arripiens, ad prædictum Imperatorem tetendit Lotharium, quem super civitatem Barensem eam acriter obsidentem invênit. Cardinalis igitur nominatus Girardus jussu prædicti Apostolici in Beneventana civitate moratus est, & confestim Sacrum Beneventanum Palatium ascendens, civitatis utilitates, data pace circumquaque, operabatur. Inter cæteras ejus dispositiones præcipuè pacem tenendam viribus totis, ore, & corde prædicabat. Priùs verò quàm Apostolicus de civitate discederet, Octavianum Subdiaconum, virum prudentem, & sapientis animi, Rectorem Beneventi ordinavit, qui simul cum Domino Girardo statum civitatis, & pacis firmamentum studiosè regebat. Cùmque Pontifex ipse apud Imperatorem perveniisset cum præfato Duce Henrico, honore mirabili, & gaudio ab Imperatore suscipitur. Deinde Barensis populus castellum civitatis, quod pro eorum afflictione Rex Rogerius fabricari jusserat, valde terribile, & munitum expugnaverunt, sicque per quadraginta dies illud obsidentes cum Teutonicorum auxilio, virtute multa castellum illud compræhenderunt, & terratenus prostraverunt. Custodes autem castelli, quia jam amplius illud defendere non poterant, capti, & trucidati, & in mare præcipitati sunt. Sicque de tali, tantaque victoria tota Italia, & Calabria, Siciliaque intonuit, & Regi cœlorum gratias agens de tanti tyranni gutture eripi gaudebat. Inde maritima omnis usque ad Tarentum, & Calabriam ad Imperatoris fidelitatem alligari satagebat. Cùmque castellum illud Barense taliter compræhensum est, super civitatem Melfium Apostolicus, & Imperator venerunt, & eam viriliter obsidentes, diebus non multis elapsis, compræhenderunt, & suæ obtinuerunt fidelitati. Hæc inter Pisanorum exercitus, sicut juraverat, centum navigiis armatis ad civitatem pervênit Neapolitanam. Nec mora; jussu prædicti Imperatoris super civitatem Amalphitanam festinat, excogitans igne, ferroque eam depopulari. Cives autem Amalphitani, consilio salutis invento, pecuniâ multâ datâ, ad Imperatoris, & Pisanorum permansit fidelitatem; Inde super Rebellum, & Scalam properantes eas invadunt, & universa eorum bona diripientes, in ore ignis, & gladii eas consumunt. Viros quoque, & mulieres cum eorum parvulis captivos perducunt, sicque super tali vindicta gavisi, ultra quàm credi potest, insultant. Interim præfatus Imperator, & Apostolicus civitatem dimisit Melfium, & civitatis Potentiæ fines descendit: ibique juxta fluenta de lacu Pesele per dies ferè triginta moratur. Inde universa Apuliæ oppida, & civitates ad suum Imperium alligavit. Et his actis mandavit Imperator, ut Pisanorum exercitus Salernum obsideat, præcepit quoque Roberto Principi, & Magistro militum Neapolitanorum, ut viribus totis, & armis simul cum Pisanis eandem Salernitanam obsiderent civitatem; quod & factum est XV. Kalend. Augusti. Quinetiam Raimulphum Comitem, quem affectione multa secum detinebat, mille Teutonicorum viris ei datis, super civitatem ipsam Salernum destinavit: quibus ita convenientibus prope muros obsederunt. In civitate illa revera quadringenti milites aderant, qui civitati invigilantes, Pisanos, & Principem, suosque omnes quotidie expugnabant. Quadam itaque die, sicut accepimus, certatum ad invicem validissimè est inter eos, & de militibus illis Rogerii Siculorum captivi ducti sunt, & alligati. Consules præterea Pisanorum, civitatis constantiam aspicientes, quia talis, tantaque caterva militum intererat, consilio communicato, lignorum machinam mirabiliter, mirabiliùsque excelsam, & ultra quàm credi potest, terribilem constrúi, summaque cum festinatione levari mandaverunt. Unde factum est, quòd populus civitatis mortis periculo oppressus mortem expectabat. Audiens autem Imperator civitatis Salernitanæ constantiam, & quia igne, ferroque Pisani eam obsidebant, consilio invento, simul cum Domino Apostolico ad eandem civitatem celeriter festinavit. Sequenti igitur die Sapientes civitatis ad ipsum Imperatorem venere, & pactis intervenientibus, civitatem ipsam suo Imperio submiserunt. Quidam verò militum illorum, securitate accepta, licentiam exeundi impetrarunt, quidam verò & prædicti Rogerii Proceres ad turrem majorem, quæ super civitatem erat, confugerunt. Sicque civitas ipsa in gaudium conversa, sub tali, tantoque Imperio exultabat. Audiens autem populus Pisanorum civitatem Salerni sinè eorum consilio, & voluntate ab Imperatore captam fuisse, mirabiliter contristati sunt, & furore arrepto machinam lignorum factam combusserunt, & paratis navigiis Pisas regredi disponebant, sed Apostolici Innocentii precibus, & promissionibus coacti ad Imperatoris voluntatem reversi sunt. Sicque castrum illud Turris majoris pro eorum discordia dimissum est. His ita peractis præfatus Imperator, & Apostolicus castra inde amoventes, Abellinum venerunt; deinde Beneventum, & juxta fluvium Caloris ex hac parte Ubiani, ad Ecclesiam Sancti Stephani castrametati sunt, secundo die stante mensis Augusti. Cùm autem Abellinum veniisset Apostolicus ipse Innocentius, Ducem ad defensionem Apuliæ ordinare nomine suo satagebat. Imperator verò nomine suo, contra voluntatem Apostolici ordinare volebat. Unde factum est, ut per triginta ferè dies ad invicem discordatum sit, sed sapientum consilio communicato, discordia talis destructa est. Quid multa? divina favente clementia, & ipso Imperatore favente, omnibusque suis, Apostolicus nomine suo ad B. Petri fidelitatem Comitem Rainulphum virum utique prudentem, & discretum in Ducem elegit, & eo electo vexillum ad honorem Ducatus Apostolicus, & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt, & confirmaverunt. Unde nemo tempore isto viventium recordari poterit, tali lætitia, & honore Ducem aliquem fuisse electum. Cùmque taliter in prædicto loco castrametati sunt,

Digitized by Google

sunt, triduò post, die videlicet Kalendarum Septembris Imperatrix nomine Florida, militibus ferè centum assumptis, ad Ecclesiã B. Bartholomæi Apostoli venit Portam aureã ingrediens, & Missarum solemnia ibi audiens, pallium quoddam super Altare Beati Bartholomæi, & libram unam argenti obtulit. Præ gaudio verò Beneventanus populus utriusque sexus, quia per innumera annorum curricula Imperatricem, sive Imperatorem non vidimus, cursu præcipiti ad ipsam intuendam Imperatricem ex omni parte civitatis festinavimus, & gratias Deo agentes exultavimus, quia, quod Patres, Avi, Proavi videre non potuerunt, temporibus nostris vidimus. Ea autem Basilicam ipsam B. Bartholomæi egrediens per mediam plateam civitatis ascendit, & per Portam Summam exiens ad exercitum suum remeavit. Triduo autem post Imperatricis adventum præfatus Apostolicus Beneventanam civitatem intravit, & à Clero, & populo universo honorificè susceptus est. Altera autem die adveniente in sacro Beneventano Palatio sedens in conspectu Cleri, & populi Beneventani clamavit, ut si quis contra personam, sive electionem Gregorii Beneventani electi canonicè, & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret: sed clementia divina opitulante, & quia electus ipse vitam suam religiosè custodierat, nemo civium contra ejus electionem objecit. Apostolicus itaque hoc aspiciens gratias Deo egit, & ipse de persona, & vita electi testificatus est honestè, & religiosè, & eidem electo præcepit, ut de peccatis suis confiteatur, & die Dominico adveniente, Spiritu Sancto cooperante consecrationem acciperet. Quid multis? die adveniente Dominico Apostolicus ipse Ecclesiam Episcopii descendit, quinto die videlicet intrante mensis Septembris Electum ipsum consecravit, ad cujus consecrationem Patriarcha interfuit Aquilejæ, & complures alii Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Teutonicorum viri Religiosi. Lector si interesses, revera miratus diceres Archiepiscopum quemlibet Beneventanum tanto honore, & reverentia consecratum nunquam fuisse, & eo consecrato, Apostolicus ipse Palatium revertitur. His ita peractis Judices, & sapientes civitatis eundem Dominum Papam precantur, quatenus apud Imperatorem intercederet, ut de antiqua afflictione, quam civitas longè, latèque perpessa est, Imperator ipse Beneventanos liberaret; videlicet de vinearum fidantiis, & angariis, terratico, & de omnibus redditionibus, quas Normandis reddere soliti sunt, quoniam quidem nos, & Patres nostri, Avi, & Proavi Deum oravimus, ut Imperatoris adventum partibus istis largiri dignaretur, per cujus adventum libertatis vigorem, & securitatis consequeremur. Nunc verò Pater Sanctissime, & quia voluntas, & potestas concessa est bene nobis faciendi, lacrymis omnium oramus, ut de tanto periculo tributorum civitatem B. Petri eripias. Apostolicus itaque pietate divina correptus super civitatis longa afflictione condolens Patriarcham Aquilejæ, aliosque Cardinales, & Girardum specialiter Cardinalem suum Presbyterum, virum valde venerabilem, & discretum ad Imperatorem direxit, qui foras in præfato loco castrametatus erat, expostulans, ut Comiti Rogerio de Ariano præciperet, ejusque Baronibus, ut fidantias, & omnes redditus, quos de hæreditatibus Beneventanorum habere solitus erat, quietus dimitteret. Imperator itaque precibus Apostolici acceptis, absque mora, vocari fecit præfatum Comitem, ut cum Baronibus suis veniret, & sacramento interveniente, petitionibus Apostolici obtemperaret. Comes itaque adveniens coram Imperatore confessus est, se hoc iuraviſse, & confirmaviſse tempore Comestabuli Rolpotonis, qui pro civitate hoc petierat. Denique Barones, quos secum duxit, jurare coëgit, sicut Apostolicus exigebat. In primis Alferius Draco, & Robertus de la Marra, & Bartholomæus de Petrapulcina, & Tadeus de la Græca, & Girardus de Lanzulinu, & Sarolus de lo Tufo, & sic juraverunt: Juro, & promitto, quòd ab hac hora in antea non quæram, nec quæri permittam de cunctis hæreditatibus Beneventanorum fidantias, angarias, terraticum, olivas, vinum, salutes, nec ullam dationem, scilicet de vineis, terris aspris, sylvis, castaneetis, & Ecclesiis, & liberam facultatem tribuo in hæreditatibus Beneventanorum venandi, aucupandi, & in eis, & de eis quodcumque voluerint faciendi, & per hoc mercatum civitati non disturbabo, nec disturbari consentiam. Hæc omnia attendam bona fide sinè fraude. Taliter eis jurantibus, præcepit Imperator, ut alios suos Barones Montisfufculi vocaret ad idem sacramentum faciendum. Quibus actis, præfatus Girardus Cardinalis cum sapientibus civitatis omnia hæc Domino Papæ retulerunt. Hoc sacramentum factum est sexto die intrante mensis Septembris. Altera autem die idem Girardus Cardinalis cum Judicibus ad Imperatorem tetendit, ut ab ipso Comite, & suis Baronibus sacramentum hujusmodi acciperet. Comes verò Rogerius sacramentum illud facere noluit, confitens se tempore præterito illud feciſse, suos verò Barones de Montefusco jurare præcepit, videlicet Raonem de lo Tufo, Accardum, Gemundum, Eternum, Onfridum, cæterosque, qui circa Beneventum fidantias accipiebant, & his taliter actis Salvatori Deo, & Innocentio Papæ gratias egimus, cujus virtute, & gratia tantam consecuti sumus libertatem. Quibus ita peractis præfatus Imperator de prædicto loco castra amovens, viam Romam redeundi arripuit, qui ante Portam Summam cum toto suo exercitu transivit, & prædictus Apostolicus cum illo festinavit nono die intrante mensis Septembris (50). Tunc ipse Imperator castrametatus est, ubi tres Sancti nominatur; deinde Capuam petens, Romam transierunt. Quid multa? Imperii sui altitudinem, & Palatia Imperator ille repedavit. Apostolicus autem Innocentius Palatium Lateranense adivit. Audiens itaque nominatus Rex Rogerius Imperatorem illum viam redeundi arripuisse, exercitu convocato Salernum venit; continuò super Nuceriam veniens, illud suæ obtinuit potestati, deinde castra amovens totam Terram Rainulphi Comitis obtinuit; inde procedens Capuam furore multo, & tempestate comprehendit, & eam igne, ferroque depopulatur; universa siquidem civitatis illius spolia, & divitias partim igne, partimque virtute consumi præcepit; Ecclesias quidem, & earum ornamenta diripuit, mu-

(50) Hæc omnino cum iis congruunt, quæ in Serie Abbatum Cassin. de tempore observabam, quo Innocentius, & Lotharius apud Cassinum simul fuerunt. *Peregr.*

mulieres quoque, & sanctimoniales in opprobrium conversæ sunt, & his taliter evolutis Abellinum, & usque ad confinia Beneventi obtinuit. Confestim Magister militum Sergius civitatis Neapolitanæ ad suam convertitur fidelitatem; deinde Judices Beneventanæ civitatis cum aliis civibus Regem ipsum adeuntes ad Anacleti fidelitatem, & ipsius Regis amorem civitatem submittunt Beneventanam, Innocentii Papæ fidelitatem parvipendentes, & his actis convocato exercitu civitatem Beneventanam applicuit, & ante Portam Summam medio mense Octobris transiens ad Montem Sarchum festinavit, quod suæ obtinuit potestati. Et inde procedens super civitatem Comitis Riccardi cursu volueri properavit, quam Comes ille dimittens ad Ducem confugit Rainulphum; sicque civitatem illam suæ voluntati alligavit. Inde Montem Corvinum capiens in ore ignis, & gladii illud consumi præcepit, & spolia ejus diripuit. Dux igitur Rainulphus memoratus audiens Regem illum ob ejus confusionem Apuliam fuisse ingressum, & ejus desolationem quotidie tractare, Barensem populum, & Tranensem, Trojanum, & Melphiensem, & mille quingentos milites congregavit, affirmans prius morti velle succumbere, quàm vitam ducere infelicem, & taliter Dux ille paratus prope Regis exercitum adivit. Interea Abbas de Claravalle vir valde mirabilis, & discretus, qui ad Regem illum venerat pro tanti dissidii infestatione sedanda, inter Regem illum, & Ducem pacis fœdera alligare conatur: sed pro multis, variisque negotiis, quæ inter eos quærebantur, apud Salvatoris Dei potentiam nondum complacuit concordia alligari. Quid plura? Rex ipse exercitum suum divisit, & ad bellandum illum viriliter stabilivit, similiter & Dux ille suos omnes sapienter ordinavit. Primùm quidem Regis acies ordinata aggreditur, & inter Ducis armatos intravit. Illico acies illa Regis prosternitur. Rex autem, qui cum aliis aciebus suis armatis inerat, Dei adveniente judicio, timore perculsus ipse primùm terga vertens in fugam conversus est; sicque universa Regis congregatio cursu præcipiti confugit, dimissis omnibus divitiarum suarum apparatibus, & tentoriis, auri, argentique magnitudine infinita, quorum numerare copia non est humanæ scientiæ. Quid multa? Dux ille victor effectus de Regis exercitu comprehendit, & occîdit, omnemque illam magnitudinem, divitiasque tam ipse, quàm populus Barensis, & Tranensis, cæterique quos rogaverat ad propria locupletati detulerunt. Tria millia, sicut audivimus, hominum in bello mortua sunt. Ibi Sergius Magister militum Neapolitanæ civitatis mortuus est; ibi Eternus de Montefusco, & Girardus de Luzulino, & Sarolus de lo Tufo, & complures, quorum nomina pro difficultate numerandi silentio tegimus. Secundo verò die stante mensis Octobris bellum hoc actum est. Rex itaque nominatus taliter cum sequacibus suis aufugiens noctis tempore, altera quidem die ad castrum Paludis pervênit, deinde Salernum festinavit; diebus autem non multis evolutis, Rossemannus Beneventanus Antistes, consilio accepto cum Judicibus civitatis, & sapientibus quibusdam ad Regem ipsum consolandum, & servitia civitatis offerenda festinavit. Precatur insuper, ut libertatem possessionum Beneventanorum, quam supradictus Imperator concesserat, populo Beneventano ipse largiretur. Rex igitur, precibus eorum acceptis, pro totius civitatis amore inveniendo, privilegio facto, & signato, omnes fidantias, & exactiones, quas soliti fuimus persolvere, condonavit, & privilegii paginâ acceptâ gaudio ineffabili civitatem sunt regressi Beneventanam; privilegii pagina ita est continens.

IN nomine Domini Dei Salvatoris æterni Jesu Christi; Dominicæ Incarnationis anno 1137. *mense Novembri primæ Indictionis: Ego Rogerius Dei gratia Siciliæ Italiæ Rex, Christianorum adjutor, & clypeus, Rogerii primi Comitis filius: Regalis Excellentiæ nostræ provocamur liberalitate fidelibus nostris tanquam de nobis bene promeritis beneficia ampliori manu debere impendere, ut non solùm fideliores inveniantur, sed ut cæteri spe retributionis adjutâ in nostro servitio promptiores habeantur. Ea propter Venerabilis Beneventane Rossemanne Archiepiscope, qui semper in omnibus fidelis extitisti, petitionibus tuis, & Bernardi Beneventani Comestabuli, & Beneventanorum Judicum, aliorumque plurimorum civium clementiùs annuentes, quia vos semper nostros fideles experti sumus, pro amore Summi Regis, per quem subsistimus, & regnamus, & amore, & fidelitate vestra, quam in nobis habetis, & in antea habituri estis, dimittimus, & condonamus vobis ea omnia, quæ nos, & prædecessores nostri Normandi circa Beneventanam civitatem habuerunt, fidantias subscriptas, videlicet denariorum, redditus, salutes, angarias, terraticum, herbaticum, carnaticum, Kalendaticum, vinum, olivas, relevum, postremò omnes alias exactiones tam Ecclesiarum, quàm civium, & omnia prædicta, & possessiones liberas facimus, & quietas, undecumque aliquid accipere soliti sumus; ut quamdiu in nostra permanseritis fidelitate, & nostrorum hæredum, liberi, & quieti vos, & vestri hæredes ab omnibus supradictis maneatis, & in vestris prædiis venandi, piscandi, aucupandi liberam facultatem habeatis, & ut firmiter hoc tenere valeatis privilegium istud sigillo aureo nostro signari fecimus: Siqua verò persona, quod absit, magna, humilisve hujus nostræ concessionis paginam in aliquo violare præsumpserit, viginti libras auri purissimi in misericordia nostra Palatio nostro componat, præsensque privilegium robur pristinum obtineat. At hujus concessionis judicium per manus Henrici nostri Notarii scribi præcepimus, & bulla aurea insigniri. Anno Regni nostri septimo.*

Cùmque privilegium hoc coram Beneventanorum cœtu lectum esset, Deo Salvatori omnium, præfatoque Regi, & jam dicto Antistiti gratias egimus, quia quod Avi, & Patres nostri videre non potuerunt, libertatis, & securitatis donum nobis dignatus est misericordiâ suâ Jesus Christus largiri, & meritis non nostris offerre. Quid multa? ex tanto nobis concesso beneficio, & firmato, cives universi, servitia, & honores præfato Regi polliciti sunt, & sinè offensione ad ejus præceptum famulari. (51) Dux præterea Rainulphus supra me-

(51) Fortasse: *sine offensione Romani Pontificis*. Beneventani autem liberi ab exactionibus omnibus Rogerii Privilegio redditi, sua servitia ei promiserunt; sed pridem concesserat Anacletus. *Auxilium hominum Beneventi*, inquit in Diplomate superiùs relato, *contra hostes tuos lar-*

memoratus audiens Regem illum sic devictum, & animo consternatum cum paucis Salernitanam civitatem fuisse ingressum, consilio habito, mille ferè equites, & Apulorum peditum multitudinem congregavit; nec mora, Trojam dimittens captivatam totam suæ alligavit potestati, & inde procedens super Comitis Rogerii de Ariano Comitatum advênit, qui continuò Alferium Draco, & Robertum de la Marra, & Robertum de Petramajori, & Robertum de Potofranco, aliosque Barones ipsius Comitis suæ subjugavit ditioni. Postremò eundem Comitem Rogerium ad suam coëgit voluntatem. Quibus ita peractis Dux ipse prope castellum Paludis suorum virtute stipatus castrametatur, die quidem Kalendarum Decembris. Mirabatur interea populus Beneventanus de Ducis illius Rainulphi continentia, & in prædicti Regis amore, & fidelitate, & Anacleti servitio die, noctuque simul cum Domino Rossemanno Antistite invigilabat.

Aliud quoque non tegendum silentio fraternitati vestræ explicabo. Cùm præfatus Abbas de Claravalle vir valde mirabilis, & discretus de fœdere pacis, & Ecclesiæ unitate cum nominato Rege confabularetur, assiduè Rex ipse cum Abbate illo stabilivit, ut tres Cardinales ex parte Innocentii Papæ, qui ejus interfuissent electioni ad Regem ipsum venirent, & tres ex parte Anacleti, & ordinem electionis utriusque Regi ipsi insinuarent, deinde Rex ipse ordine audito, utriusque partis sanctiorem, & justiorem eligeret electionem, & sic Spiritu Sancto favente, ad pacis perveniret cum totius sui Regni magnitudine firmamentum, quantum in sui arbitrio, & scientia contineret. Cognoverat enim, firmiterque crediderat, totius mundi Christicolas parti favere Innocentii, & ejus Pontificatum venerari; ipse verò solus cum Regni sui latitudine discordabat. Continuò ad Innocentium Papam, & Anacletum delegatum est, & cursu rapido Regis positio destinatur. Placuit itaque eis, & consilio eorum firmato ex parte Innocentii Aimericus Cancellarius, & Girardus Cardinalis vir valdè venerabilis simul cum prædicto Abbate de Claravalle Salernum super hujusmodi electione ventilanda advenerunt. Ex parte verò Anacleti Matthæus Cancellarius, & Petrus Pisanus Cardinalis, & Cardinalis alius nomine Gregorius similiter acceleravere. Quibus ita congregatis Rex ille, ut erat sagacis animi, providique consilii, priùs partem Innocentii quatriduo usque ad occasum mirabiliter, & ultra quàm credi potest, examinavit; sequenter autem Anacleti partem quatriduo similiter perscrutatus est. Studiosè igitur, & diligenter partibus utriusque electionis auditis, Rex ipse Clerum omnem, & populum civitatis Salernitanæ congregari mandavit, & Episcopos, & Abbates Monasteriorum, qui convenerant, & coram eis taliter exorsus est: Domini, & Fratres credimus vestram non latère prudentiam, qua de re Cardinales istos partes utriusque fecerim convocari; putavi etenim, quantum nostræ attinet virtuti, tali, & tanto negotio finem imponere, & justitiæ

A semitam evidenter sectari, sed quia multis quæstionibus, variisque responsionibus animus noster impeditur, solus ego super hoc tanto negotio finem impendere nequeo: unde si Dominis istis Cardinalibus videtur, ordinem, utriusque scribant electionis, & ab utraque parte unus mecum in Siciliam descendat Cardinalis, ubi, favente Domino Nativitatis Jesu Christi Salvatoris festivitatem celebraturi sumus, ibique sapientes Archiepiscopos, Episcopos, alioque inveniemus prudentis animi viros, quorum consilio Anacleti partem usque modò sectatus sum: tunc enim ipsorum, aliorumque sapientum consilio super hoc negotio, divina inspirante clementia, certissimum finem, B quantum meæ attinet potestati, imponemus. Cardinalis ad hæc Girardus respondit: Sciatis revera, quoniam ex parte nostra ordinem partis nostræ nos omnes scribemus: audistis enim ex ore nostro seriem electionis, audistis omnia, quæcumque circa nos gesta sunt: Cardinalem quidem mittemus Guidonem de Castello sapientem utique virum, & discretum, qui vobiscum, sicut petitis ad Siciliam veniat, deinde sicut sapientiæ vestræ placuerit, perficiatis, Spiritus Sanctus paraclitus cor vestrum illuminet, & corde recto ad Ecclesiam, & veritatis lumen perducat. Et his actis unusquisque ad propria remeavit. Altera die advenientc, prædictus Girardus Cardinalis cum suis reversus est: C solus autem Guido præfatus Cardinalis remansit cum Rege profecturus, sicut statutum est. Ex parte verò Anacleti similiter Cardinalis alius destinatur. Quibus patratis, navigio parato, Rex ipse ad Siciliam transfretavit. Dux præterea Rainulphus jam nominatus præfatum castellum Paludis viriliter obsedit, quod præliis multis, & machinationibus quotidie expugnabat. Videns autem Dux ipse castellum illud capere non posse, consilio habito, castellum illud dimisit, & in finibus Alisanis secessit; qui continuò civitatem illam, & munitionem castelli comprehendit, & suæ obtinuit potestati.

Hoc anno Anacletus, qui sub nomine Pontificatus advixit, septimo die stante mensis Januarii mortuus est, qui sedit annis septem, & mensibus undecim, & diebus vigintiduobus. D Innocentius Itaque Pontifex continuò viribus sumptis, & amicorum virtute accepta contra inimicos viriliter insilivit. Rossemannus igitur Episcopus totius civitatis tintinnabula Beneventanæ pulsare præcepit, mortem ipsius Anacleti significando.

Hoc anno prædictus Imperator cùm ad Imperium suum revertebatur, mortuus est in partibus Tusciæ, & eo defuncto Corradus ad Imperium unanimi voto sublimatus est.

Anno 1138. & novo anno Pontificatus Domini Innocentii Secundi Summi Pontificis, E mense Martio primæ Indictionis. Cùm prædictus Anacletus mortuus esset, Cardinales sui, consilio accepto à fratribus ipsius Anacleti, ad Regem miserunt Rogerium ipsius Anacleti mortem significantes, ut si ei placeret, Papam constituerent. Rex itaque ut Domini Papæ Innocentii partem impediret, voluntati eorum assensit, & Papam eligendi potestatem dedit; qui

surgimur, & confirmamus. Quos anno sequenti 1138. obsequii sui specimen eidem dedisse, perhibet Falco, cùm ait. *Prædictus Rex Dominum Papam Innocentium in Patrem, & Dominum accepit, & civitati Beneventanæ, & per totius Regni sui partes mandavit, eum Patrem, & Dominum accepisse.*

Nos autem literis ejus acceptis, Dominum illum, & Patrem vocavimus. Schismati sic renuntiasse videtur Rogerius, pax tamen inter illum, & Innocentium sequuta haud est, quem anno 1139. ut idem noster habet, præfatus Papa in Romana Synodo *vinculis excommunicationis alligavit*. Peregr.

Digitized by Google

qui Romam reversi fautoribus eorum congregatis, medio menſe Martio, Gregorium Cardinalem Papam ſibi, & invaſorem conſtituerunt, Victoremque eum vocaverunt. Sed Dei miſericordia auxiliante, hæreſis illa, & invaſio pauco tempore regnavit. Diebus autem non multis evolutis, fratres prædicti Anacleti, tantam cognoſcentes turbationem, in ſe reverſi, Domino favente, cum prædicto Domino Innocentio Papa pacis firmamentum compoſuerunt, & ipſi, & omnes ejus adverſarii ad ejus fidelitatem converſi ſunt, & ſceleratus ille, qui ſub Victoris nomine apparuit, veſtem, & Mitram depoſuit, & ad voluntatem Pontificis Innocentii pervênit. Sicque gaudio magno, & gloria exultationis tota Romana civitas exultavit, & Pontifex ipſe Innocentius ad unitatem Eccleſiæ, & concordiam, auxiliante Domino, perducitur. Diebus autem non multis evolutis, prædictus Apoſtolicus conſilio accepto Albanum vênit diſponens, exercitu congregato ad Ducem Rainulphum venire, ſed infirmitate percuſſus venire non potuit. Interea Rex Rogerius congregato exercitu in finibus vênit Apuliæ, cogitans civitates ſibi ab Imperatore ablatas ſuæ ſubmittere poteſtati. Dux igitur Rainulphus Regis illius ſentiens adventum, totius Apuliæ partes ſubmovit, ut contra ejus rabiem unanimiter inſiſtant. Nec mora, curſu rapido ad Ducem feſtinant nominatum, & ſic contra Regis illius ferociam menſibus ferè duobus reſiſtunt. Hæc inter, ſicut nobis eſt relatum, prædictus Rex Dominum Papam Innocentium in Patrem, & Dominum accepit, & civitati Beneventanæ, & per totius Regni ſui partes mandavit eum Patrem, & Dominum accepiſſe. Nos autem literis ejus acceptis Dominum illum, & Patrem vocavimus; quibus peractis Rao de Fraineta Beneventanæ civitati, & Regi Rogerio rebellis apparuit, & vineas Beneventanorum incîdi mandavit. Cives itaque conſilio accepto Raonis illius infeſtationes Regi nominato mandaverunt, ut citiſſimè eos ab illius adverſitatibus eripiat. Rex illico, congregato exercitu, iter arripuit, & in ipſius ſui adventus virtute Montemmaranum, & caſtella alia compræhendit, & igne comburit. Inde ſuper Ceppalunum adveniens ſimul cum Beneventanis illud obſedit, & die ipſa villam ruſticorum compræhendit, & eorum bona deprædata ſunt, & domus omnes eorum deſtructæ. Sequenti verò die turres, & munitiones caſtelli in poteſtate Regis datæ ſunt. Rao etenim de Fraineta timore Regis coactus caſtellum illud triduò ante exierat cum uxore, & ad Ducem feſtinavit Rainulphum ſimul cum Raone de lo Tufo, & Orrico de Sarno, qui ſimiliter faciem Regis fugientes caſtella ſua dimiſerunt. Cives continuò Beneventani Regem precantur ſuppliciter, ut caſtellum illud Ceppaluni civitati contrarium, ad deſtruendum largiatur. Quid multa? Rex ipſe petitionibus populi favens permiſit ad diruendum. Nec mora, catervatim Beneventanus populus feſtinat ad deſtruendum, & ſic radicitus univerſa ædificia caſtelli evulſa ſunt, & civitas tota ſuper illius gaudebat deſtructione. Nam ſi univerſas crudelitates, & pericula, quæ ab illius caſtelli Dominis paſſi ſumus, deſcribere vellem, nec lingua dicere, neque ſtylo pronunciare poſſem. Unde Deum laudantes Regi gratias egimus, qui nobis illud ad deſtruendum conceſſit. Et his actis præfatus Rex Capuanos fines adivit, & caſtellum, quod Calvum dicitur, compræhendit (52). Dux præterea Rainulphus exercitu congregato horis omnibus invigilabat, ut Regem illum virtute inſiliat, & accipiat ultionem. Rex verò, ut erat ſapientis conſilii, per montana quæque, & loca arduа caſtrametatur, & ſic Ducis vitabat prudentiam, & virtutem, unde Dux ille vehementer condolens mente, & corpore fremebat, quia cordis dolorem oſtendere non poterat. Noviſſimè apud Aliſas moratur, exiſtimans Regem illum Aliſis venire. Rex verò, ut diximus, Ducis conſtantiam fugiens à caſtello Calvo revertitur, & in finibus S. Agathes tentoria ſua poni præcepit, Beneventum venire diſponens; & inde amoto exercitu caſtrametatus eſt prope Beneventum, ubi dicitur Plancella, & ibi manſit duobus diebus. Tunc accepto conſilio inde receſſit, & diſtricto exercitu flumen tranſivit Caloris, & caſtra poſuit ſuper Pontem Valentinum, manſitque ibi duobus diebus. Dux autem nominatus Rainulphus, ut erat prudentis animi, in finibus morabatur Petræmajoris, pertractans, ut caſtellum Apicis, quod Rex minabatur obſidere, virtute, & animosè illud liberaret. Rex itaque nominatus Beneventanos precatur, ut in ejus auxilio unanimiter feſtinarent, Roſſemannus igitur, qui tunc Præſul aderat, amore Regis coactus cives univerſos rogavit, & in ejus mandavit auxilio. Audiens autem Rex ipſe caſtellum Apicis à militibus, & viris prudentibus armatum fore, conſilio accepto, caſtra amovit, & Petræpolicinæ caſtellum aggredi præcepit; & igne, ferroque illud depopulatur; & inde procedens caſtella alia compræhendit, & comburi mandavit. Pontem Landulphi, Farnitum, Campugattari, & Guardiam, & civitatem compræhendit Alipham, & igne conſumpſit, univerſam quidem ſubſtantiam civium, & Eccleſiarum ornatus, galiotæ Regis, & turba innumera prædonum, quæ eum ſequebatur, compræhendit, rapuit, diſpoliavit, & unuſquiſque, prout potuit, diſpartitur. Lector itaque, ſi adeſſes, ſuper tali, tantaque civitatis ſtrage, & confuſione turbatus deficeres, & firmares à Græcorum tempore, & Paganorum tantam in Chriſtianos ruinam, & combuſtionem non accidiſſe. Cùmque taliter civitatem illam Alipham conſumaſſet, exercitu inde amoto, in finibus feſtinavit Benafri, civitates illas ſuæ ſubmittere poteſtati. Continuò juſſu crudelitatis à Rege illo injuncto, civitatem illam Benafrum aggredi, & expugnari mandavit. Cives autem, prout poterant, & ſe, & civitatem defendebant. Rex itaque eorum conſtantiam aſpiciens, crudeli manu juſſionis minatur, ut civitatem illam inſiliant. Continuò, peccatis imminentibus, civitas illa valde munita, & divitiis plena capitur, & civium omnium

(52) Verè Calvum (ubi olim *Cales*, diutiſſimè quæ deſerta manſit) & ab ejus conſtructionis primordio in ipſo confinio fuit agri Campani: quippe in an. 879. ab Atenulfo, qui dein Comes Capuæ, & demum Princeps Beneventi evaſit, ædificari cœptum in limite Calinii, incurrente in Campanum, ex Erchempetto Num. 40. & 45. eſt intelligere; de quo offendebatur Capuæ tunc Gaſtaldus Pandonulfus. Eadem autem deſcriptio, cùm poſtea ſuus ager Calvo fuiſſet aſſignatus, immutata non eſt, quod ex Præcepto Princ. Pandulfi in Hiſt. PP. Langob. lib. 1. & ex Privilegio quodam Reginæ Joannæ 2. in Archivo Campanæ urbis aperitur; atque etiamnum manet, de quo alibi. *Peregr.*

Digitized by Google

omnium bona, & divitiarum magnitudines ab hostibus capiuntur, & divisæ per partes ad nihilum sunt conversæ. Viri itaque, & mulieres, parvulique eorum per montana fugiunt, omnibus eorum bonis in manibus rapientium, & prædonum dimissis, sicque civitas illa, & turrium ejus munitiones in potestate Regis subacta est. Et tali crudelitate audita Præsentianum castellum, & Roccaromana ad Regis voluntatem convertitur, & alia castella circumquaque contigua. Quibus actis Rex inde revertens Beneventum venit, & ad Paludis castellum castrametatur duodecimo die mensis Septembris intrante. Dux interea Rainulphus, qui tanto Regi resistere non poterat, dolore cordis concussus circa Aliphanos fines morabatur. Inde procedens Rex ipse ad civitatem Melphium ivit, putans eam suæ submittere potestati, quod obtinere non potuit, & inde reversus super castellum Toccum adivit. Continuò machinas lignorum fieri mandavit, virtute quarum turres castelli illius, & munitiones destruerentur; sicque pars quædam turrium diruta est. Dux interea Rainulpus circa eum quotidie invigilabat, ne Rex ille terras Rogerii Comitis de Ariano invaderet. Populus autem castelli, virtutem Regis, & furorem aspiciens sub ejus potestate, & ditione colla submisit, & castellum illud in ejus dominatione subactum est tertio Kalend. Octobris, octo quidem dies castellum illud Toccum obsedit. Quibus ita peractis, Rex ipse castra inde amovit, & tempore valde pluviali Beneventum vênit, & ipse intra Ecclesiam Sancti Petri Apostoli prope civitatem sitam castrametatur (53). Totus quidem ejus exercitus infra civitatem hospitatus est Beneventi, ibique mansit diebus tribus: tempus enim terribile pluviarum, & valde periculosum inerat, & pro inveniendis ad exercitum necessariis, nullo modo adire valebant; unde, sicut diximus, infra civitatem Beneventi ad refocillandum exercitum commorati sunt. Rex interea nominatus civitatem intravit Beneventanam quarto die intrante mensis Octobris, & Ecclesias, & civitatis Palatia, & Curiam Apostolici studiosè perquisivit, & exercitu refocillato, castra à civitate amovit, & prope castellum S. Severi castrametatus est. Inde procedens castellum Morcone suæ obtinuit potestati, & his actis castellum Sancti Georgii, & Petræmajoris comprehendit. Comes igitur Rogerius de Ariano hæc audiens Apicis castellum dimisit, & villanis omnibus, ut Regi obedirent, licentiam largitur, & ipse civitatem intravit Arianum; ibique confidens Ducis Rainulphi auxilium adinvênit; qua de re nullo modo ad Regis voluntatem pervenire voluit. Continuò Rex ipse castellum Apicis suæ alligavit fidelitati, & Rex ipse ad castellum Tamarum diebus quatuor moratus est. Præfatus autem Dux exercitu congregato prope civitatem Arianum vênit custodiens, ne Rex ipse quoquo modo eam invaderet, & sic Rex ipse, & Dux adinvicem laborabant. Et his decursis prædictus Rex à Tamaro illo castello discedens circa Melphitanos fines festinavit; & inde procedens castellum S. Agathes valde munitum suæ obtinuit potestati, & alia castella ibi contigua. Dux interea nominatus civitatem regebat Melphium, ne Rex ille quoquo modo ingenio eam invaderet: præfatus autem Rex cognoscens Ducem Rainulphum jugiter contra se, & suos obsistere, & Apuliæ civitates tueri, consilio communicato, castella, quæ comprehenderat, militibus, & viris armatis muniri, & observari mandavit, & ipse Rex Salernum adivit, disponens ad Siciliam reverti, quam longo tempore dimiserat. At Dux nominatus Barum descendit, & marinos fines visitavit, populum omnem hortando, ut tempore opportuno, viribus sumptis, & armis, contra Regem obsistant, qui unanimiter, & corde devoto paratos fore clamitabant.

Anno 1139. Dominicæ Incarnationis, & decimo anno Pontificatus Domini Innocentii Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ mense Martio secundæ Indictionis, hoc anno præfatus Apostolicus Innocentius, octavo die intrante mensis Aprilis, Romæ Synodum celebravit. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates innumeri convenerunt: ibique inter cætera, quæ, Spiritu sancto mediante, statuta sunt, vinculis excommunicationis alligavit Regem Rogerium prædictus Apostolicus Innocentius in præsentia omnium Catholicorum virorum, qui convenerant, & ejus omnes sequaces. Hoc anno Rainulphus Dux, de quo in superiori tractatu mentionem fecimus, ardentissimo febris sinoche, calore correptus, ultimo die instante mensis Aprilis ex hoc mundo decessit apud civitatem Trojanam, quem Ducem Guillelmus venerabilis ipsius civitatis Episcopus cum universo Clero, & populo diligenter, & honestè, lacrymisque manantibus sepulturæ infra Episcopium tradiderunt. O quantus luctus omnium, & virginum, & viduarum, puerorum, & senum utriusque sexus, & militum, civitatem illam invasit! quem si radicitus describere tentarem, nec dies sufficerent, nec copia describendi. Barensis itaque populus, & Tranensis, Melphiensis, Canusinus, & omnes, qui sub ejus dominio, & protectione confidebant, consolatione oblita, crinibus evulsis, pectoribus laniatis, & genis, ultra humanum modum lugebant. Lugebant enim Ducem piissimum, & adrem universorum, qui totius sui Ducatus habenas dulcedine, & humanitatis suavitate, furore omni deposito disponebat. Quid multa? de mortis illius compassione inimicorum etiam acerbitas, & de ejus prudentia condoles, lacrymansque compatiebatur: sicque to-

ta

(53) Manent etiamnum hujus Ecclesiæ rudera *in planitie*, ut nostri Falconis usurpem verba ad an. 1137. *juxta flumen Sabbathi*; eamque Theoderada, uxor Ducis Romualdi, qui sedit ab an. 961. ad an. 977. construxit; *qua in loco multarum ancillarum Dei Cœnobium instituit*, ut perhibet Paulus Diac. lib. 6. cap. 1. At hoc Rogerii tempore ibi non aderant Moniales, ut reor; quæ Monasterium S. Petri Apost. pariter nuncupatum, memoratumque Falconi ad an. 1121. intra urbem situm incolebant. Theoderada autem eam extra Beneventi mœnia construxisse videtur Ecclesiam, ut pio quodam affectu D. Petri in Vaticano campo extra Romam conditam Basilicam imitaretur; sicuti non assa occasione excitatas reputo extra Capuam, Tarentum, Viennam (Nolam merito aliasque urbes) Ecclesias eidem Divo, summo cultu olim habitas, quarum prima descripta habetur nostro Michaëli Monacho in suo Sanctuario Par. 3. altera Petro Diac. lib. 3. cap. 43. & 57. tertia verò in quodam Diplomate memoratur Callixti 2. apud Bibl. Floriac. qua deinde labentibus annis ignorata, vulgus, quem sequuti postea sunt doctiores, longè alias earundem constructarum excogitavit, pias quidem, rationes. *Peregr.*

ta ferè Italia de ejus probitate, & prœliis, horis omnibus recitabat. Audiens autem prænominatus Rex Rogerius Ducem Rainulphum virum bellicosum, & magnanimum ex hoc mundo obiisse, vanitatis, & elationis spiritu accensus ultra humanum modum gavisus est. Gavisus utique, & morte communi oblitus exæstuat, animoque concipiens, ut exercitu congregato Apuliæ fines insiliat, eamque suæ submittat ditioni, & fidelitati. Quid multa? septem navigiis armatorum paratis, & auri, argentique magnitudine ditatis, die septimo stante mensis Maji, Salernum transfretavit. Continuò Clerus omnis, & populus Salernitanus laudibus multis, hymnisque sonantibus Regem illum suscepit. Nec mora, Rex ipse literas omnibus suis circumquaque manentibus direxit, ut armis eductis ad eum conveniant. Literis itaque ejus acceptis ad imperium ejus obtemperaverunt; deinde Rex ipse exercitu congregato Beneventum vênit, & sic contra inimicos expugnandos festinavit.

Hoc anno IV. Kalend. Junii, mons ille, qui prope civitatem Neapolim esse videbatur, ignem validum, & flammas visibiles projecit, per dies octo, ita ut civitates ei contiguæ, & castra mortem expectabant, ex cujus incendio pulvis niger, & horribilis exivit, & usque Salernum, & Beneventum, & Capuam, & Neapolim pulvis ille à facie venti pervolavit; ignis verò ille per dies octo visus est, de quo pulvere cives multi Beneventanorum, & ego istius operis descriptor collegimus, per dies verò triginta pulvis ille super terram visus est. Cùmque, ut supra dictum est, Rex Rogerius exercitum congregasset, super Comitis civitatem festinus adivit, & civitatem illam acerrimè expugnans suæ eam alligavit ditioni. Comes autem fugam petens Trojam ingressus est. Deinde Rex ille civitates, & castra Capitanatæ suæ obtinuit potestati. Dux præterea filius præfati Regis civitates cunctas Apuliæ, & maritimas ad suum convertit imperium, pacem omnibus, & securitatem affirmans. Barum quidem civitatem valde munitam obtinere non potuit; quadringentos enim milites Princeps civitatis secum detinebat, præter cives quinquaginta millia habitantium. Dux itaque nominatus civitatem illam Barum cognoscens capere non posse, exercitu suo convocato, ad Patrem Regem Rogerium, qui in Trojanis morabatur confinibus pervênit, & eis in unum convenientibus, studiosè tractare cœperunt, qualiter civitatem Trojanam suæ submittant potestati. Quatuor quidem millibus interjectis à civitate Trojana Comes Rogerius Ariani cum septingentis militibus de morte desperatis morabantur. Cives revera Trojani cum extraneis, qui ad eos confugerant præ timore nominati Regis civitatem illam tuebantur. Rex itaque civitatem illam sic à tantorum virorum virtute munitam persentiens ad Castellum Bacharezza ibi vicinum ducentos milites dimisit pro civitatis illius infestatione, & ipse cum Duce nominato filio suo, simulque eorum exercitu advocato super civitatem Arianum Comitis Rogerii vênit. Continuò Rex ipse civitatem illam obsedit, & lignorum machinas ad expugnandum eam fieri mandavit. Cives autem, & milites, qui cum eis erant, nihil ex his, quæ ingerebantur, metuebant; ducentos enim milites, & viginti ferè millia armatorum in civitatem introduxerunt. Rex itaque sic eam paratam, & munitam aspiciens castra amoveri præcepit, & furore commotus vineas, olivas, & arbores, & sata eorum, quæ inveniri poterant, incîdi mandavit, & devastari, & sic civitatem illam dimittens biduo per confinia illius moratus est.

Eodem tempore præfatus Apostolicus Innocentius prædictum Ducem Rainulphum obiisse audiens, satìs, satìsque condoluit, & consilio communicato, urbem Romam exivit, mille equitum caterva stipatus, & peditum multitudine copiosa, deinde ad civitatem Sancti Germani pervênit. Cùmque præfatus Rex Apostolicum illum urbe egressum persensit, Legatos suos prædicto Apostolico de pace mandavit, & voluntatem Apostolici, & petitionem pollicetur perficere. Apostolicus autem Legatos Regis honestè accipiens, Cardinales duos ad Regem ipsum transmisit, pacis, & dilectionis firmamentum describens, & ut ad civitatem Sancti Germani Rex ipse festinaret. Quid multa? Cardinales illos Rex ille diligenter, & honestè accipiens, civitatem Trojanam, quam obsidebat dimisit, & cursu rapido ad prædictum Apostolicum cum Duce filio suo, & exercitibus suis festinat; continuò per Legatos suos ab utraque parte de pacis fœdere interlocuti sunt. Apostolicus itaque Principatum Capuanum à Rege petebat, quem injustè Principi Roberto abstulerat. Rex verò nullo modo Principatum illum reddere voluit, & sic per dies octo disceptatio talis inter eos habita est; & his actis præfatus Rex suo omni exercitu coacervato, ad terras, quæ filiorum Burelli vocantur, acceleravit, de quibus terris partem quandam castrorum suæ submisit potestati. Apostolicus autem, & qui cum eo erant, Regem illum in partes illas recessisse cognoscentes, castrum quoddam nomine Galluzzum aggredi præcepit, & devastari. Nec mora, præfato Regi nunciatum est, qualiter jam dictus Apostolicus castellum illud esset aggressus[1]. Quid multa? cursu rapidissimo Rex ille ad terram Sancti Germani, ubi Apostolicus ipse morabatur, pervênit. En subitò de Regis adventu fama terribilis pervolat, & continuò castra Regis confixa sunt. Apostolicus itaque, & Princeps Robertus Capuanus, & Romanorum militia Regis adventum sentiens castra eorum omnia amoveri jubent, ut in securiori parte manerent. Dux autem Regis filius, mille ferè equites accipiens sic Apostolicum discedentem deprehendens, insidiis constitutis, super Apostolici milites insilivit, qui potentiam, & insidias sentientes terga vertentes fugam petunt, & secundùm vires per loca illa diversa aufugiunt. Præfatus verò Princeps, & Riccardus de Sapacanina, (54) & Romanorum multitudo evasit, multi verò militum, & peditum in flumine mortui sunt, multos in captione Regis fore audivimus. Apostolicus autem Innocentius post suos omnes quasi securus incedebat. En ex improviso militum caterva eum

(54) Non sic: sed. *De Rupecanina*, quod oppidi est nomen in Episcopatu Allifano. Hic Richardus frater fuit Raynulfi, qui ex Abellini, aliarumque plurium civitatum, oppidorumque Comite, Dux Apuliæ ab Innocentio, & à Lothario fuit institutus; exque Comite Roberto natus erat, filio senioris Comitis Raynulfi, germani fratris Principis Capuæ Richardi I. ut alibi est dictum. *Peregr.*

Digitized by Google

eum aggreditur : heu dolor, & illum comprehendunt, omnique ſuo theſauro, & ornatu diviſo, ducunt illum ante Regis aſpectum, & ſic contumeliis ditatum, captivum illum intentorio, quod Rex illi tranſmiſit, intromittunt : & conſequenter Apoſtolici Cancellarium Aimericum, & Cardinales captivos perducunt. Decimo autem die ſtante menſis Julii, Pontifex ipſe Innocentius captus eſt. (55) O quantus luctus, & mœroris abundantia mentes fidelium, & civitates Apoſtolici invaſit! quòd ſi radicitus deſcribere vellem, nec dies, nec tempus ſufficerent. Quid multa? Continuò Rex ille per legatos ſuos Pontifici Innocentio, quem captivum tenebat, ſuppliciter, & ultra quàm credi poteſt, mandavit humiliter, ut pacis, & concordiæ manum componat. Apoſtolicus itaque ſe deſtitutum virtute, & armis, & deſolatum aſpiciens, precibus Regis, & petitionibus aſſenſit, & capitularibus, & privilegiis ab utraque parte firmatis, Rex ipſe, & Dux filius ejus, & Princeps ſeptimodecimo die ſtante menſis Julii ante ipſius Apoſtolici præſentiam veniunt, & pedibus ejus advoluti miſericordiam petunt, & ad Pontificis imperium uſquequaque flectuntur. Continuò per Evangelia firmaverunt B. Petro, & Innocentio Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus fidelitatem deferre, cæteraque, quæ conſcripta ſunt. Regi verò Rogerio ſtatim Siciliæ Regnum per vexillum donavit ejus Duci filio Ducatum Apuliæ, Principi alteri filio ejus Principatum Capuanum largitus eſt. Die verò illa, in qua prædictus Apoſtolicus pacem cum Rege firmavit, B. Jacobi Apoſtoli feſtivitas celebratur; VII. Kalendas Auguſti. Et his actis, Miſſæ ſolemnia celebravit Apoſtolicus ipſe, ubi ſatis, abundèque de pacis continentia tractavit. Lætitia igitur, & gaudii abundantia univerſos inhauſit, & cœlorum Regem magnificantes ſuper pacis firmatæ, & concordiæ dextra lætati ſunt. Beneventanus itaque populus pacem audiens firmatam, & Regem voluntati Apoſtolici alligatum, tanto gaudio, & exultatione triumphat, quòd ſi ex toto deſcriberem, deficerem in tempore, & locutione. Apoſtolicus igitur, pace firmata cum nominato Rege, Beneventum ingreſſus eſt die Kalendarum Auguſti, quem Beneventanus populus honore multo, & devotione cordis ſuſcipiens, quaſi Beatum Petrum in carne aſpiciens, lætatus valde gaudebat. Rex autem foris civitatem Beneventi caſtrametatus eſt, quia Rex uſque ad Portam Sancti Laurentii cum Domino Apoſtolico comitatur. Die verò ipſa ad Veſperam Rex ipſe civitatem ingreditur, & Curiam Domini Papæ aſcendens, cum eo aliquantum moratur, deinde ad Epiſcopium pergit, & Beatæ Mariæ Baſilicam, & Bartholomæi Apoſtoli ingrediens pro ſalute ſua oravit. Intravit quoque Monaſterium S. Sophiæ, & ante Altare S. Mercurii ſe proſtravit. Inde procedens clauſtra Monaſterii, & Dormitorium, & Refectorium perambulavit, & Monachorum orationibus ſe commendans, civitatem exivit per Portam Summam, & ad caſtra gaudens remeavit. Roſſemannus autem, qui contra voluntatem Apoſtolici quotidie pugnabat, Archiepiſcopus à Petro Leonis conſecratus, de Benevento expulſus eſt, & miſer ipſe cum Domino Rege feſtinavit. Et his actis caſtellum, quod Roſſemannus ille ad Portam Summam fabricari juſſit, Dominus Papa deſtruxit: & in his diebus cives Neapolitani venerunt Beneventum, & civitatem Neapolim ad fidelitatem Domini Regis tradentes, Ducem filium ejus duxerunt, & ejus fidelitati colla ſubmittunt. Præfatus præterea Rex, exercitu amoto, Trojam adivit, & civitatem ipſam ſuæ ſubmiſit poteſtati; Epiſcopus autem Trojanæ civitatis Guillelmus nomine, & populus civitatis Legatos præfato delegaverunt Regi, ut civitatem ingrediatur, & inter ſuos fideles, & amicos honeſtè maneat, & ſecurè. Rex verò, Legatis acceptis, Non civitatem, inquit, ingrediar, donec traditor ille, Raynulphus ſcilicet, inter vos manſerit. Continuò qui miſi fuerant, civitatem regreſſi Regis intentionem omnibus patefaciunt, & licèt dolore commoti cives ex tanta Regis reſponſione, quatuor tamen militibus præceperunt, ut ſepulchro fracto cadaver Ducis Rainulphi extraheretur, & extra civitatem educerent, ut furore Regis ſedato, ad eos pacificè ingrediatur. Juſſerunt etiam inimici Ducis præfati cuidam militi nomine Gallicano, qui Ducis illius fideliſſimus fuerat, ut

(55) Baronius non habet tò, *ſtante*, & abſolutè legit, *decimo die menſis Julii*, ac perinde id contigiſſe cenſuit 6. Id. Julii. Sed certè Innocentius captus à Rogerio fuit 11. Kalendas Auguſti, decem tantùm diebus Julii reſtantibus; nam *quarto die*, inquit Anonymus Caſſin. *pace facta confirmavit illi totam terram*: die nimirum 24. prædicti menſis; à quo noſter die tantùm diſcrepat. *Die verò illa*, ait, *in qua prædictus Apoſtolicus pacem cum Rege firmavit, B. Jacobi feſtivitas celebratur*. Quocirca in eodem Falcone paulò ante hæc verba legam. *Rex ipſe, & Dux filius ejus, & Princeps ſeptimo die ſtante menſis Julii ante ipſius Apoſtolici præſentiam veniunt*, non, *ſeptimodecimo*. Sed in antecedentibus, ut dixi, nil mutandum. Nec ubi de eodem Rogerio pag. 128., qui *die ſeptimo ſtante menſis Maji Salernum tranſfretavit*, à quo ſimul loco Baronius expunxit tò, *ſtante*. Sanè *quinto die ſtante menſis Maji* (fortaſſe *VI.* non *V.*) an. 1120. à Campanis conſtitutum Principem Richardum hujus nominis tertium, cùm idem dicit Falco, ac ſubdit, *die Aſcenſionis Domini, quinto die ipſius Maji ſtante* à Campano Archiepiſcopo illum conſecratum, utique ipſam conſecrationem 27. die Maji actam demonſtrat; in quem præfato anno feſtum contigit Dominicæ Aſcenſionis. Huncque Falconis locum familiari in ſermone, meo more, apud amicum, doctumque virum, ut ſæpè etiam pleraque alia antiqua minùs trita, ſic etiam olim enarrabam; qui applauſu tunc ſuo meam amplexatus interpretationem, neſcio cur poſtea eam ſcripto tradens, per me profeciſſe, (quod non hac tantùm vice commiſit) diſſimulavit; Baroniumque graviſſimum abſque controverſia; ſed quem ea non ſemel fugerat, ut dictum eſt, maluit ſuper hoc laudare Auctorem. Integros autem uniuſcujuſque menſis dies in tres ſectiones; hoc eſt in dies intrantis, mediantis, & exeuntis, quos ſtantes appellabant, cùm olim diſtinguerent (Syneſius epiſt. 4. in dies tantùm intrantes, & exeuntes partitur menſes) de quo exempla ſunt nimis obvia, priſcorum Latinorum Nonas, Idus, & Kalendas aliquo pacto videntur voluiſſe imitari; ſed ea præter alias adhibita exceptione; ut ſtantem diem ab ultimo menſis die diſtantem, non à Kalendis, & *à principio ſucceſſuri menſis*, ut rem, non ſicut docueram, tradidit idem amicus meus, denotarent; quam differentiam Falco vel neſciens, vel non curans, non diverſo calculo dies Kalendarum, quo dies ſtantes ſupputavit; Feſtumque D. Jacobi Apoſt. celebrari dixit 7. Kal. Auguſti, quod 8. Kal. ac ſeptimo die ſtante Julii veneratur: ad annum tamen 1131. feſtum S. Angeli figit 3. Kal. Octobris nullo errore: quippe ibi recenſitus. *Peregr.*

Digitized by Google

ut ipse Gallicanus ob injuriam Ducis defuncti, & ejusdem Gallicani dolorem, tumulum frangeret, & Ducis ossa pelli, & fœtori adhuc circumplexa manu sua extraheret; qui Gallicanus timore coactus, & ne tanti Regis furorem incurrat, (heu dolor) quasi mente hilari cum aliis, Ducis ossa involuta, ut diximus, eduxit. Continuò in collo Ducis defuncti funem ligari fecerunt, qui ejus inimici extiterant, & usque ad castellum civitatis per plateas traxerunt; deinde reversi usque ad Carbonarium foris civitatem, ubi stagnum luteum, putridumque inerat, Ducis ipsius suffocaverunt cadaver (56), heu nefas, & dictu mirabile, totam protinus civitatem, timor, & luctus invadit, quòd unusquisque mortem optabat, & amicorum Ducis ipsius, & inimicorum. (Regem quidem testor æternum, Judicemque sæculorum) tale, tantumque factum horribile in generationibus præteritis, & inter Paganorum sectam nunquam legimus accidisse. Hæc siquidem crudelitatis potentia quid Regi illi profuit? quæ victoria, vel majestatis gloria ei successit? sed ut mentis suæ furorem pacare desiderans, quod non potuit exercere in viventem, operatus est in defunctum. Revera dum Dux prædictus vixerat, licèt cum paucis adesset, ipse tamen Rex nullo modo circa Ducis ipsius aciem, etsi eum decem millibus armatorum instaret, propinquare audebat. Unde ei visum fuit, mentis suæ rabiem aliquantisper fore mitigatam. Sed redeamus ad causam Dux itaque Regis illius filius factum hujusmodi audiens ad Patrem accessit audacter, & facti illius ordinem redarguit, & precatur Patrem, ut sepulturæ Dux ille dehonestatus traderetur. Rex igitur Ducis filii favens orationi sepulturæ illum tradi mandavit; & his actis civitatis populus, ut ingrederetur ad eos, expectabat, sicut promiserat. Qui nec sic voluit civitatem Trojam introire, sed castra inde amovens civitatem Barensem adivit, quam terra, marique obsedit. Cùmque prædictus Apostolicus civitatem introisset Beneventanam, omnem ordinationem à Petro Leonis factam deposuit, & à Rossemanno: die verò Assumptionis S. Mariæ, & in passione B. Bartholomæi Episcopium descendit, & Missarum solemnia honestè celebravit; & his actis, prædictus Apostolicus à Romanis sæpe vocatus, secundo die stante mensis Septembris, iter arripuit, &, Domino favente, Romam repedavit.

Hoc anno Gregorius Beneventanus Antistes à Domino Papa Innocentio consecratus Beneventum intravit secundo die intrante mensis Septembris, & Dominus Papa Guidonem Diaconum Cardinalem Rectorem Beneventi ordinavit. Audiens autem Populus Romanus Domini Papæ Innocentii adventum catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno, & honore suscepit, deinde eum hortabatur, ut pacem, quam cum Rege Rogerio posuerat, consilio eorum confringeret. Apostolicus autem nullo modo petitionibus eorum consentire voluit; dicebat quidem sic Domino placuisse, quòd per ejus captionem pax hujusmodi facta fuisset. Cùmque, ut supra dictum est, præfatus Rex civitatem obsedisset Barensem, Innocentius Papa, cùm intra civitatem esset Beneventanam, Episcopum Ostiensem virum valde venerabilem ad civitatem Barensem delegavit, populum civitatis monendo, ut ad Regis fidelitatem colla submittant, & ejus voluntati famulentur. Populus autem Barensis, ut erat superbi animi, & elationi suppositus, Episcopum illum, ut civitatem ingrederetur nullatenus est passus, dictis quoque ejus nullo modo credere pertentavit. Quid multa? Episcopus ille revertens, Barensis populi ferociam, & elationem Domino intimabat Apostolico; inde, ut dictum est, Dominus Papa Romam reversus est. Rex igitur Rogerius populi illius Barensis aspiciens superbiam, consilio habito, machinas lignorum, & turres trigintaferè ordinari præcepit, ut civitatis muros, & munitiones prosternat; quibus peractis prope civitatis murum machinas illas appropinquari virtute multa mandavit, & continuò turres, & muri civitatis prostrati frangebantur; palatia etiam civitatis, quæ prope civitatis murum intrinsecus erant, fracta ruebant; ficque duorum mensium spatio Augusti videlicet, & Septembris ruinam illam, & timorem passi sunt, famis etiam asperitatem, & sitis sustinentes, panem unum sex romesinis emebant, carnem, ut audivimus, equorum comedebant. Novissimè autem tum pro fame, tum pro populi seditione, quæ inter eos orta erat, quosdam civium cum Rogerio de Surrento, Princeps civitatis, Jaquintus nomine, ad præfatum Regem mandavit, addens in mandatis, quia civitatem animo libenti ei redderet, dummodo securi circa eum, pace accepta, consistant; & Rex captivos civitatis, quos habebat, ei reddat, similiter homines Regis, quos civitas habebat, dimittat. Nec mora, pactio talis, & ordinatio & Regi placuit, & civitati, ficque civitatis populus, pace accepta, acquievit, &, sacramentis datis, pax constituta apparuit. His ita peractis, ecce adest miles quidam, cui præfatus civitatis Princeps oculum evelli præcepit, pedibus Regis prostratus oravit, ut justitiam sibi de Principe Barensi faciat, qui lumen oculorum sibi evulsit. Rex itaque continuò furore accensus, & ultra quàm credi potest, admirans, cursu rapido vocari fecit Judices Trojanorum, Tranensium, & Barensium, ut de pacto judicarent, quod Rex cum civitate Barensi posuerat, videlicet, ut ex utraque captivi, sani, & incolumes redderentur. Quid plura? à Judicibus Barensibus judicatum est, ut Princeps ille Jaquintus civitatis, qui ei oculum jussit evelli, & ejus Consiliarii in potestate essent Regis. Confestim Princeps ille, & Consiliarii ejus Guaiferius quidam, & Abiut, cæterique eorum consocii ante Regem confessi sunt, jussu, & consilio eorum lumen oculorum militi prædicto evelli feciisse. Nec mora; Principem illum, & prædictos viros, aliosque decem laqueo fecit suspendi præfatus Rex, & decem alios oculis, & membris truncari, civesque alios prudentes ligari, & vinculis teneri, eorumque bona auferri, ficque de civitate illa Barensi inauditam fecit ultionem. Timor itaque, & tremor tantus civitatem illam invasit, quòd

(56) Extra urbes sub ipsis muris ad excipiendas sordes omnes de more cœnosa ista, & fœtida stagna tunc deputabantur. Loci quid tale descripsit Joannes Boccacius in Fabella de Magistro Symeone iis verbis. *Erano allora per quella contrada fosse, nelle quali i lavoratori di quei campi facevan votar la Contessa a Civillari, per ingrassare i campi loro.* Et fortasse locus pridem sub muro urbis Neapolis, qui etiamnum antiquo nomine appellatur *Carbonaria*, eidem usui fuit; sed multò quidem ante Francisci Petrarchæ ætatem, qui Gladiatorum manus se spectante ibi exhibitum ait lib. 5. Famil. epist. 6. *Peregr.*

quòd nemo virorum, & mulierum per plateas, & vicos incedere palàm audebat. Lacrymis quidem, & ſuſpiriis Salvatoris miſericordiam invocabant, ut eorum afflictioni ſubvenire dignaretur. His ita geſtis, conſilio accepto, Rex ipſe exercitum dividens Salernum adivit quinto die ſtante menſis Octobris, ibique de negotiis ſuis, & actibus tractavit. Octo retro diebus intrantibus menſis Octobris civitas illa Barenſis ſic afflicta, & exagitata eſt. Cùmque Salernum Rex ipſe adveniſſet, inimicis ſuis terras omnes eorum abſtulit, & ſacramento eos perſtrinxit, ut ultra montes feſtinarent: quod & factum eſt. Comitem verò Rogerium de Ariano ejus adverſarium ſimul cum uxore ſua navigio parato in partes Siciliæ captivum mandavit, ſicque vindictam perficiens ſuper inimicis, quinto die intrante menſis Novembris navigio armato Panormum transfretavit.

Hoc anno XI. Kalend. Februarii primo pullorum cantu terremotus magnus factus eſt, ita quòd domos corruere putabamus: cùmque, ut prædiximus, Papa Innocentius civitatem Beneventanam recuperaret, Guidonem Diaconum Romanæ Sedis virum valde diſcretum, & moribus ornatum Rectorem civitatis Beneventanæ ordinavit. Qui Rector uſque ad Kalendas Martii in civitate permanſit. Deinde Apoſtolicus alium miſit Rectorem Joannem nomine, conſanguineum ſuum, Subdiaconum, & Guido ille Romam repedavit.

Anno 1140. & undecimo anno Pontificatus prædicti Domini Innocentii, menſe Martio tertiæ indictionis. Hoc anno prædictus Rex Rogerius Amphuſum filium ſuum Principem Capuanorum magno cum exercitu militum, & peditum trans civitatem Piſcariam, miſit, ut Provinciam illam ſuæ ſubjugaret poteſtati; qui verò Princeps exercitu illo accepto, ſicut Rex pater ejus juſſerat, labore multo petegit, & Piſcariam tranſiens caſtella copioſa ibi contigua, & vicos comprehendit, & ſpolia illorum prædatus eſt, & quædam eorum igne conſumpſit. Diebus autem non multis interjectis præfatus Rex Rogerium Ducem filium ſuum mille cum militibus, & peditum manu copioſa in auxilium præfati Principis delegavit. Dux itaque cum Principe fratre ſuo ſimul alligati Provinciam illam prope Romanos fines adjacentem timore multo ad eorum imperium ſubmiſerunt, unde prædictus Apoſtolicus Innocentius turbatus, conſilio accepto Romanorum, ad eos per Cardinales direxit, ne aliena invaderent, & Romanis fines non uſurparent, qui Apoſtolico reſcribentes reſponderunt, non aliena petere, ſed ſolummodo terras ad Principatum pertinentes velle redintegrare (57).

Dum hæc, & alia geruntur, nominatus Rex medio menſe Julio, navigiis paratis Salernum venit, ut filiorum Ducis, & Principis facta, quos, ut ſupra dixi, cum exercitibus miſerat, agnoſceret; inſuper cum Domino Apoſtolico Innocentio alloqui, & ſimul eſſe excogitabat. Continuò Rex ille, conſilio habito, Salernum exivit, & ducentis militibus aggregatis prope civitatem venit Beneventanam, & cum Joanne Subdiacono Romanæ Sedis tunc Beneventano Rectore, & aliis Beneventanis de pace, & civitatis utilitatibus, & Domini Apoſtolici fidelitate tenenda ſatis, abundèque locutus eſt, & inde procedens Capuam ingreſſus eſt, ibique diebus non multis commorans de quibuſdam ſuis negotiis tractavit, deinde apud Sanctum Germanum feſtinavit. Illico habito conſilio Legatos Duci, & Principi filiis ſuis mandavit, ut ad eum reverterentur; audierat enim Rex ipſe, Apoſtolicum Innocentium de Provinciæ illius invaſione valde turbatum eſſe, & contriſtatum. Dux autem, & Princeps nunciis acceptis ad Patrem eorum reverſi ſunt, univerſa verò oppida, quæ comprehenderant, neceſſariis omnibus muniverunt. Et his actis nuncios Rex ipſe præfato Apoſtolico delegavit, ſuppliciter impetrando, ut ſi fieri poſſet cum illo alloqui, & de multis, variiſque negotiis terminare deſideraret. Apoſtolicus autem conſilio habito, tum pro temporis tempeſtate, tum pro aliis negotiis inſtantibus eum alloqui non poſſe reſcripſit. Rex igitur aggregato exercitu Capuam repedavit, & ibi aliquantiſper caſtrametatus exercitum omnem dimiſit, licentiam ad propria remeandi unicuique præbens. Ipſe verò Rex quingentis acceptis militibus Piſcariam tetendit, quam ſupra diximus filios ſuos comprehendiſſe. Inde procedens totam illam regionem à prædictis filiis ejus obtentam circuivit, & eis omnibus ſtudiosè perſcrutatis, Arianum civitatem advênit, ibique de innumeris ſuis actibus Curiâ Procerum, & Epiſcoporum ordinatâ tractavit. Inter cætera etenim ſuarum diſpoſitionum, edictum terribile induxit, totius Italiæ partibus abhorrendum, & morte proximum, & egeſtati, ſcilicet, ut nemo in toto ejus Regno viventium Romeſinas accipiat, vel in mercatibus diſtribuat, & mortali conſilio accepto monetam ſuam introduxit, unam verò, cui ducatus nomen impoſuit, octo Romeſinas valentem, quæ magis, magiſque ærea, quàm argentea probata tenebatur. Induxit etiam tres follares æreos Romeſinam unam appretiatos, de quibus horribilibus monetis totus Italicus populus paupertati, & miſeriæ poſitus eſt, & oppreſſus, & de Regis illius actibus mortiferis, mortem ejus, & depoſitionem Regni optabat. Quibus ita mortalibus edictis, & monetis inductis, Rex ipſe militibus ſuis congregatis Neapolim tetendit. Archiepiſcopus itaque Neapolitanus, Marinus nomine, Clerum omnem civitatis congregari præcepit; ſimul & cives, & adventum Regis eis annuncians hortatur, ut honeſtè, & lætitia multa eum ſuſcipiant. Cives igitur ſimul cum militibus civitatis foris Portam Capuanam exierunt in campum, quem Neapolim dicunt (58), & Regem ipſum honore, & diligentia multa, ultra quàm credi poteſt, amplexati ſunt, & ſic uſque ad prædictam Portam Capuanam perductus eſt. Continuò Presbyteri, & civitatis Clerus ad eandem Portam obviam exivit, & eum Hymnis, & Laudibus ad aſtra levatis civitatem introduxerunt. Quatuor illico viri nobiles habenas equi, & pedes Regis ipſius tenentes, alii quatuor uſque ad Epiſcopum civitatis Regem illum introduxerunt. Frequentiam verò populi

(57) Ad Capuæ ne Principatum Provincia trans civitatem Piſcariam pertinebat? De hoc alibi viderimus. *Peregr.*

(58) Hunc etiam campum demonſtrabat Ignotus Caſſin. Num. 28. & Joannes Diac. de Epiſc. Neapol. in S. Athanaſio. Sed cur ipſe præcipuè dictus fuerit *de Neapoli*, ſive *Neapolis*, hoc operæ erat pretium, ut literati Neapolitani viri, omnigenæque antiquitatis periti intactum non præterirent. *Peregr.*

Digitized by Google

puli per plateam incedentis, & mulieres viduas, conjugatas, & virgines per fenestras existentes, Lector, si aspiceres, miratus affirmares, Imperatorem, aut Regem alium, sive Principem tali sub honore, & gaudio nunquam civitatem Neapolim ingressum fuisse. Quid multa? Rex ipse tali, & tanto honore ditatus ad Episcopium descendit, & in Camera Archiepiscopi hospitatur, die verò altera adveniente, totam intrinsecus civitatem, & foris Rex ipse equitavit, & palatia, & ædificia circumspexit. Inde navigio parato ad castellum Sancti Salvatoris civitati proximum ascendit, & civibus Neapolitanis ibi vocatis, negotia quædam cum illis de libertate civitatis, & utilitate tractavit (59). Donavit insuper unicuique militi quinque modia terræ, & quinque villanos (60), & promisit eis, vita comite, munera multa, & possessiones largiturum. Interea noctis silentio præfatus Rex totam civitatem Neapolim extrinsecus metiri fecit, cognoscere volens, quantæ esset circumquaque latitudinis; invênit itaque studiosè metiendo in gyrum passus duo millia tercentum, & sexaginta très. Et passibus illis ita inventis, dum populus civitatis aggregatus esset, in ejus conspectu quasi dilectionis affectu, eos interrogare cœpit, utrum scirent, quot passus civitas illorum per circuitum habuisset, qui, ultra quàm credi potest admirantes, se nescire profitentur. Rex autem sicut studiosè invenerat, mensuram passuum, quos civitas eorum tenebat, patefecit. Unde populus omnis Regem ipsum sapientiorem aliis antecessoribus, & studio-

(59) De Neapolitanæ civitatis immunitate Rex cum ejus civibus tractavit, quam Falco consueto tunc vocabulo appellat *libertatem*. Sicut ad an. 1137. *Precatur insuper*, inquit, *ut libertatem possessionum Beneventanorum, quam Imperator Lotharius concesserat, Populo Beneventano ipse* Rex Rogerius *largiretur*. Quam sanè immunitatem Siculi eripi sibi timebant apud Falcandum. *Non difficilè*, inquit, *persuaserant, Cancellarium, si diu perseveraverit in eo culmine potestatis, universis populis Siciliæ libertatem, quam hactenus habuerant, sublaturum*. Et infra. *Ut universi populi Siciliæ redditus annuos, & exactiones solvere cogerentur, juxta Galliæ consuetudinem, quæ cives liberos non haberet*. Nec diversæ rationis libertate, & immunitate Neapolitani præditi, ea participes fecerunt negotiatores Ducatus Amalfitani, degentes Neapoli; de quo in Privilegio apud Latinam Historiam Neapolitanam lib. 1. cap. 12. sic legitur. *Ut sicut ista civitas Neapolis Privilegio libertatis præfulget, ita & vos negotiatores, campsores, sive apothecarii in perpetuum gaudeatis*. Sed quanam? pergit Privilegium. *Ut nulla conditio* (scribo *conditio*) *de personis, vel rebus vestris, sive hæredum, & successorum vestrorum negotiatorum in Neapoli habitantium requiratur; sicut non requiritur de civibus Neapolitanis*. Haud igitur eo in Privilegio, ut censuit ejusdem Historiæ Auctor, *libertas Neapolitana præponitur, quæ ab ædificationis primordiis secum vixit*, quippe illam libertatem intellexisse videtur, qua municipia communiter omnia, fœderatæque civitates, ac perinde ipsi Neapolitani olim cùm fruerentur, à quibus *stipendium, & naves*, ut est apud Livium lib. 35. *Romani ex fœdere exigebant*, Magistratus sibi creabant; nec satis exploratum habetur, an ei cesserint, quando in anno urbis conditæ 663. ante Christum natum ferè 90. Sociali bello universa pæne Italia in Romanos quia conspiravit, *lege Julia civitas est sociis, & Latinis data; in quo magna contentio Heraclienſium, & Neapolitanorum fuit*, teste Cicerone pro Balbo; *cùm magna pars in iis civitatibus juris sui libertatem civitati anteferrent*. Sed sanè ei tandem renunciarunt, ut indicio est idem Cicero cont. Rull. 2., qui enumeratis Coloniis, & Municipiis Campaniæ, quæ Rullus suis colonis occupare destinaverat, haud Neapolim, sed Puteolos in sua potestate tunc fuisse perhibet. *Calenum*, inquit, *municipium complebunt. Teanum oppriment. Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam suis præsidiis devincient. Puteolos verò, qui nunc in sua potestate sunt, suo jure, libertateque utuntur, totos novo populo, atque adventitiis copiis occupabunt*. Porrò dein & ipsum *vetus oppidum Puteoli*, ut ait Tacitus Annal. lib. 14. *jus Coloniæ, & cognomentum à Nerone adipiscuntur*, cùm scilicet primitivæ Coloniæ illuc deductæ, de qua Livius lib. 34. & Velejus noster lib. 1. jam exolevissent jura; recentisque, de qua Frontinus in Catal. Coloniarum; abolita fuissent. Sed eidem Tacito lib. 3. Hist. adhuc inter municipia collocari judico Puteolos; qui ait, ab Claudiis, Faventino, & Apollinari, & ab Apinio Tirone *Municipia, Coloniasque impulsas, præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capuam Vitellio fida* (erat hæc certè Colonia) *municipalem æmulationem bellis civilibus miscuisse*: quippe jus Coloniæ adeptos fuisse, non Coloniam missam prædixerat. Sic Pompejus, ut tradit Asconius Pedian. ad Orat. in Pison. Transpadanas Colonias deducens, *non novis colonis eas constituit; sed veteribus incolis manentibus, jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cætera Latina Colonia*: *ideſt, ut petendi magistratus gratiâ civitatem Romanam adipiscerentur*. Qualem etiam coloniam fuisse Neapolim, valde suspicor, quæ patrios Græcanicos ritus nunquam dimisit. Hæc autem civitas, *quæ, mirabile dictu, post Romanum Imperium*, ut cum Alexandro Teles. dicam lib. 2. cap. 12. & 66. cujus sententiam rigidè nunc non examino, *vix unquam à quoquam subdita fuit, nunc verò Rogerio, solo verbo præmisso, submittitur*. Græcia namque Impp. non armis domita, sed ex antiquissima subjectione; ut reliqua multo etiam tempore Italia: longo annorum curriculo obediverat; de quo dicam lib. 2. Hist. Langob. *Peregr.*

(60) *Unicuique Militi*, inquit, non *Comiti*, non *Magnati*, in feudum dedit exiguum terræ modium cum glebæ adscriptis colonis; ut præstito sibi perinde ab iis fidelitatis juramento, urbem in officio strictiori, velut nexu devinctam detineret. Alexandrum Teles. lib. 2. cap. 37. huc advoco, ubi de eodem Rege. *Eo quòd*, inquit, *suprædictorum adversùm se Principum* (lego. *Procerum*, ut monui supra) *compererat cum perjurio factam conspirationem, tanta quidem contra eos rapitur indignatione, tantoque mentis erupit furore, ut non Comiti, non Magnati, non etiam cuilibet Militi, qui ita perjurantes, in eum colla erexerant, penitùs parceret*. Sed attende temporum vices. Rullus olim, ut Cicero perhibet de lege Agrar. 2. quinque millia colonorum Capuam scribi, quos è rusticis Tribubus sortiri decreverat, & in singulos tum dena, tum duodena jugera dispertiri jusserat, hoc est nostros terræ modios plus minus octo. Porrò Fazellus Poster. Decad. lib. 7. non contentus res plures, tempora, & personas perperam immiscuisse, hoc etiam addidit; quòd postquam inter Innocentium, & Rogerium convênit, ipse *Rex Neapolim ingreditur, magno tum suorum, tum civium applausu; quo die centum quinquaginta milites instituit, duosque menses ibidem festos egit*. Noster sanè nil habet tale, quem pro hoc dicto ab viris parùm cordatis (tales enim nuperrimo experimento contra spem se prodiderunt meam) citari video. Et præterea ipse Falco disertè declarat, hoc anno *Rogerium medio mense Julio Salernum* è Sicilia *venisse, & quarto die intrante mensis Octobris mare ingressum, Panormum festinasse*; variis interim negotiis, itineribusque distentum. *Peregr.*

Digitized by Google

dioſiorem prædicabat, & quod nunquam factum fuerat, ſuper civitatis menſura mirabantur, quomodo Rex ille fieri contra[illegible]. Et his omnibus ita peractis ipſe Sa[illegible]m properavit, & ibi diebus non multis moratus, quarto die intrante menſis Octobris navigio parato mare ingreſſus eſt, deinde Panormum feſtinavit. Dux verò filius ejus in Apuliæ partibus remanſit, & Princeps alter ejus filius apud civitatem Capuam manſitavit. Cùmque ut prædiximus, prædictus Rex Rogerius monetas illas ſuperiùs dictas introduceret, Domino Joanni Subdiacono Sanctæ Romanæ Sedis Beneventano Rectori, & civibus Beneventanis delegavit, ut monetas illas infra civitatem ſuſcipiat, quod prædictus Rector audiens mirabiliter contriſtatur. Ajebat quidem Rector ipſe, quoniam ſinè Domini Papæ licentia monetas illas recipere non poſſet, præcipuè cùm ad totius Italiæ mortem monetarum illarum introductio ſpectaret. Tandem communicato conſilio Rector præfatus prædicto Pontifici

A Regis edicta mandavit, ut quid ſuper his negotiis eſſet agendum mittere dignaretur. Pontifex itaque Innocentius his auditis, ultra quàm credi poteſt, condoluit, ſuper Regis Rogerii execrandis actibus mirabatur. Confeſtim Beneventanis mandavit literas ſuas ita continentes: *Facta Regis, & monetarum ſuarum inventiones, & à vobis accepimus, & ab aliis nobis in veritate referentibus; unde mandamus, ut non terreamini; neque jam mentes veſtras moveatis, quoniam tranſitura ſunt, & citò poſſunt emendari. Nos autem circa utilitates veſtras quotidie invigilamus.* Literis talibus acceptis, & lectis, gratiarum egimus actiones, & aliquantulum roborati reſpiravimus; & his

B actis præfatus Pontifex Innocentius ad Regem tranſmiſit Rogerium ſignificando, qualiter totus populus Italiæ, & extra de introductione monetarum iſtarum doluiſſet, & quomodo ad famis afflictionem deveniſſet. . . . . .

Hactenus Codex Benevent. papyraceus.

Finit Chronicon Falconis Beneventani.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON
ANONYMI CASINENSIS

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX MS. CODICE

BIBLIOTHECÆ

EJUSDEM MONASTERII

Signato num. 62. aliàs 1020.



Digitized by Google

Digitized by Google

IN ANONYMI CASINENSIS CHRONICON.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CHronicon hoc jam dedimus a Caracciolo editum. Nunc mihi ſtatutum eſt primam illius partem iterum producere: quod Lectoribus minime grave, & fortaſſe non injucundum fuerit. Quare haec pauca praefabor. Ejus Auctorem *Anonymum* cenſuit Caracciolus, quippe nullum nomen ipſius referebant duo MSti Codices Bibliothecae Caſinenſis, quibus ad ſuam editionem eſt uſus. Sed hoc idem Chronicon ab Anno Domini 1000. ad 1153. deductum ex ſchedis MStis Conſtantini Cajetani Abbatis olim Benedictini deſcribebam & ego. In fronte vero literis rotundis Cajetanus ſcripſerat: *Auctore Domno Alberico, Monacho ſacri Monaſterii Caſinenſis, & Praepoſito S. Mariae de Albaneta.* Monebat etiam, ſe illam accepiſſe ex Codice *manu exarato literis Langobardicis, & ſignato in Bibliotheca Caſinenſi num.* 62., *alias* 1020. Cum Codice iſto revera non congruunt duo illi, quos Caracciolus memorat ſibi adhibitos; ac proinde fieri poteſt, ut Codex a Cajetano inſpectus aperuerit, quod reliqui omiſerant, & Caracciolo minime notum fuit. Et revera in ipſius Chronologiae contextu invenies Albericum de ſe nonnulla loquentem. Scilicet ad Annum 1123. monet, ſe ad Sacerdotii munus evectum; Anno vero 1149. conſtitutum fuiſſe Praepoſitum S. Mariae de Albaneta, cujus Monaſterii fundationem habes apud Leonem Oſtienſem Chron. Caſin. Lib. 2. Cap. 30. De Alberico iſto nihil aliud compertum habemus. Seculo quidem Chriſti XI., & praecipue Gregorii VII. Papae temporibus floruit Albericus Monachus, & Diaconus Caſinenſis, poſtmodum Cardinalis S. R. E. creatus, ſi Ciaconio credimus: quod tamen laudatus Oſtienſis Lib. 3. Cap. 35., ubi varia de illo habet, non memorat, uti neque Petrus Diaconus in Lib. de Viris illuſtribus, enarraturi, ut puto, ſi noviſſent. Verum nil rei cum Alberico iſto habet Auctor brevis hujus Chronici. Alter Albericus Monachus itidem Caſinenſis Anno 1123. claruit, & Librum *de Viſione ſua* ſcripſit. Utrumque Albericum commemorat Caveus in Hiſt. Script. Eccleſ. ad Annum 1057. ubi etiam Poſſevinum, Wionium, Bollandum, & alios arguit, quod duos Scriptores in unum perperam confuderint. Poſtremi hujus aetas non abludit ab aetate Alberici, cui hoc Chronicon tribuitur: attamen an unus idemque cum illo fuerit, divinare non auſim. Imo ne praeſtare quidem eſt animus, Albericum quempiam Chronici hujus Auctorem fuiſſe. Nam, ut ne quid diſſimulem, ubi mentionem in editione noſtra reperies *Alberici*, ſcito, me ex margine, ubi legebantur, paucas illas notas (diverſo tamen charactere) in textum intuliſſe. Ac proinde ſuſpicari poſſumus, Albericum non haec ſcripſiſſe, ſed quidem alieno textui poſt Annum 1153. notulas illas ad oram libri addidiſſe.

Antea vero animadverterat Conſtantinus Cajetanus, animadvertit ſubinde & Camillus Peregrinius, pleraque facta in hocce Chronico non ſine prochroniſmis adnotari, hoc eſt Anno uno anticipari, uti exempli cauſa ad Annum 1098. Urbani II. Papae mors refertur, quae tamen inſequenti ſolum anno contigit. Eodem gradu, nempe luxatis pedibus, fere ſemper Chronologia iſta procedit, ita ut *foediſſimam, ac fere perpetuam unius anni anticipationem* Camillus Peregrinius hanc vocet. Verum aut Librariis notas numericas annorum male deſcribentibus, ſive collocantibus, tribuendus hic error; aut nullus heic error, quum nonnulli a Nativitate, alii a Conceptione Domini Annos olim Epochae Vulgaris numerare conſueverint; ex quo diverſa Chronologiae facies emerſit. Ipſe Petrus Diaconus Leonis Oſtienſis Continuator diverſa interdum deprehenditur Epocha uſus. Profecto Auctorem Chronici erraſſe tam ſupine vix credam; nam etſi in rebus ſuperioris aetatis falli potuerit, difficile in iis potuit, quae identidem aevo ſuo contingebant, ac ſub oculis ſuis. Chronicon autem ad Annum uſque 1153. perductum, aut ab Alberico Monacho, qui ſe tunc Praepoſitum Albanetae appellat, aut ab ejus aequali ſcriptum, negari vix poteſt, notulis Alberici id evincentibus.

Digitized by Google

Poſt hanc partem Chronici, ſecunda ſubſequitur a Caracciolo addita ex Codice Caſinenſi 199., quae procedit uſque ad Annum 1195. Tamdem ex alio Codice (ubi ad Chronicon Caſinenſe Leonis Oſtienſis additamenta habebantur) Caracciolus reliquam Chronici partem ad Annum uſque 1212. deduxit. Ex quibus intelligas, breve hoc Chronicon uni *Anonymo Caſinenſi Monacho* tributum a Caracciolo, pluribus tamen eſſe tribuendum, & *Anonymorum Caſinenſium Chronicon* potius fuiſſe appellandum. Attamen vulgatum titulum retinere mihi quoque placuit, ne eruditis ad *Anonymi Caſinenſis* nomen jam aſſuetis confuſio aliqua crearetur.

Eam igitur brevem partem, quæ ab Anno milleſimo ad Annum uſque 1154. narrationem perducit, iterum edere conſtitui, qualem nobis exhibet Caſinenſis Codex 62. a Conſtantino Cajetano laudatus; non quod hic annos omnes ſuo reddat loco, ſed quod aliqua habeat, quae in Caracciolana editione aut deſiderantur, aut corrupta appareant. Placuit etiam ex Adverſariis MStis Cajetani ejuſdem partem Chronici hujus apponere ab Anno 1191. ad 1195. qualis legitur in Caſinenſi Codice, ab editis per Caracciolum longe diverſa. Tamdem ad Annum 1208. lacunam ab eodem Caracciolo relictam ope MStorum ſupplevi.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGIA

Ab Anno Domini milleſimo ad milleſimum centeſimum quinquageſimum quartum ex manu exarato literis Langobard. Codice Bibliothecæ Caſinenſis ſignato hoc numero 62. aliàs autem 1020.

AUCTORE

DOMNO ALBERICO

MONACHO SACRI MONASTERII CASINENSIS, ET PRÆPOSITO S. MARIÆ DE ALBANETA.

A. D.

M. OTto Imperator puer Beneventum vênit.

MI. Obiit Otto Tertius Imperator Sutri, & Heinricus filius Patrui ſui fit Rex.

MII. Hoc anno venerunt Saraceni ſuper Capuam.

MIIII. Terræmotus ingens per quindecim, & eo ampliùs dies hunc Montem exagitavit, ita ut in nonnullis locis Eccleſiam ſcinderet.

MVII. Obiit Landulfus Princeps Capuanus.

MX. Obiit Joannes Abbas Beneventanus.

MXI. Sol defecit, & fames valida fuit.

MXIIII. Henricus Rex venit Romam, & coronatus eſt à Papa Benedicto. Obiit Pandulfus Princeps.

MXVI. Luna verſa eſt in ſanguinem.

MXVII. Normanni Melo Duce cœperunt expugnare Apuliam.

MXXI. Dattus captus eſt à Græcis in Turre de Gariliano.

MXXII. Henricus Imperator vênit Italiam, & ſuper Trojam. Theobaldum ordinavit Abbatem. Pandulfum fecit Principem, qui fuit Comes Trianenſis. Pandulfum Principem vinctum ſecum aſportavit. Obiit Atenulfus Abbas.

MXXV. Obiit Dominus Heinricus Imperator, & Pandulfus Princeps ſolutus vinculis anno uno obſedit Capuam cum Græcis, & tamdem vi recepit eam.

MXXVII. Idem Pandulfus Princeps ingreſſus eſt Neapolim, & obtinuit eam anno uno, & menſibus quinque.

MXXIX. Luna quintadecima obſcurata eſt.

MXXXIII. Solis pars maxima obſcurata eſt in ipſa Feſtivitate S. Petri.

MXXXIIII. Obiit Theobaldus Abbas.

MXXXV. Baſilius fit Abbas.

MXXXVI. Sexto Kal. Febr. Mons Veſuvius eructavit incendium, itaut uſque ad mare diſcurreret.

MXXXVII. Conradus Imperator ingreſſus eſt Capuam in vigilia Pentecoſtes, & in Pentecoſte coronatus eſt. Adenulfus Epiſcopus reconciliatur. Pandulfus Princeps exiliatur. Guaimarius fit Princeps, & Richerius Abbas.

MXXXVIII. Obiit Conradus Imperator. Heinricus filius ejus imperat.

MXLI. Luna XIII. obſcurata eſt per quinque horas V. Id. Jan. cùm nulla nubes appareret in Cœlo.

MXLIIII. Richerius Abbas ejecit Normannos de terra S. Benedicti.

MXLVI. Henricus Imperator vênit Capuam, & reddidit eam Pandulfo Principi juniori.

MXLIX. Hoc anno Leo Papa ordinatus eſt.

MLI. Guaimarius Princeps interficitur, & Bonifacius Marchio.

MLII. Leo Papa cum Normannis in Apulia dimicavit.
Leo Papa obiit.

MLIIII. Victor Papa fit. Richerius Abbas defungitur, & Petrus Abbas ordinatur.

MLVI. Fredericus fit Abbas, qui & poſtmodum Stephanus Papa.

MLVII. Hoc anno defuncto Stephano Papa, & hujus Monaſterii Abbate, Domnus Deſiderius omnium Fratrum unanimitate Abbas eſt ordinatus.

MLVIII. Nicolaus Papa ordinatur.

MLX. Obiit Nicolaus Papa.

MLXI. Alexander Papa ordinatus eſt. Richardus introivit Capuam, & factus eſt Princeps XII. Kal. Junii.

MLXII. Luna XV. eclipſim paſſa eſt V. Id. Novembris.

MLXV. Hoc anno Domnus Deſiderius Abbas cœpit ædificare Eccleſiam S. Benedicti in hoc monte Caſinenſi.

MLXVI. Stella Cometes apparuit. Gotfridus Dux cum exercitu vênit in Campaniam uſque Aquinum. Ricardus Princeps terram Marſorum intravit.

MLXX. Eccleſia nova S. Benedicti dedicata eſt ab Alexandro Papa die Kalendarum Octobrium cum quinque Altaribus ſuis.

MLXXII. Alexander Papa defungitur, & Ildeprandus Archidiaconus in Papam Gregorium ordinatur menſe Aprili.

MLXXIIII. Nocte Natalis Domini captus eſt prædictus Papa ſupra ſacrum Altare à quibuſdam Romanis, ſed vi, & conſtantia omnium Romanorum eodem die receptus eſt.

MLXXV. Hoc anno vênit Robertus Dux ſuper Salernum pridie Non. Maji, & obſedit eam terra, marique, & cepit eam die Id. Decembris.

MLXXVI. Hoc anno Richardus Princeps cœpit obſidere Neapolim principio menſis Maji.

MLXXVII. Richardus Princeps obiit Capuæ quintâ Feriâ Cœnâ Domini, & Neapolis

Digitized by Google

polis obsidione soluta est, & Jordanus sit Princeps.

MLXXX. Henricus Rex valida manu venit Romam, sed obsistentibus Romanis cum Papa Gregorio, sinè effectu reversus est. Robertus Dux Romaniam debellaturus ingreditur.

MLXXXII. Henricus Rex iterum Romam veniens, porticum S. Petri vi captam ex parte destruxit. Archiepiscopum Ravennatem invasorem Ecclesiæ constituit.

MLXXXIII. Idem Rex Romam à quibusdam Romanis intromissus, post duos menses à Roberto Duce fugatus est. Idem Dux Papam Gregorium de Urbe erutum Salernum perduxit.

MLXXXIIII. Fames, & mortalitas maxima fuit. Gregorius Papa apud Salernum moritur. Obiit Robertus Dux.

MLXXXV. Tertio decimo Kal. Mar. noctis initio stella clarissima in circulum primæ Lunæ ingressa est. Desiderius Abbas Romæ in PP. Victorem eligitur die Pentecostes.

MLXXXVII. Desiderius Abbas Papa ordinatur VII. Id. Maji, qui postea, in hoc Monasterio ordinato Abbate Oderisio, post tertium diem moritur. Pisani apud Africam certantes Saracenos vicerunt.

MLXXXVIII. Otto Ostiensis Episcopus in Papam Urbanum eligitur IIII. Idus Martii.

MLXXXIX. Ecclesia S. Martini dedicata est à Joanne Tusculano Episcopo die Octavarum ejusdem B. Martini.

Obiit Jordanus Princeps.

MXC. Castrum Fractæ à Normannis, agentibus Rainerio Ridellus, & Riccardo Despiniu, furatum, & à nostris, agente Comite Atenulfo, duodecimo die magna Dei virtute receptum est: Capuani rebellaverunt. Hoc anno fuit tanta siccitas, quòd non pluit usque ad festum S. Nicolai.

MXCI. Jonathas appræhendit Adenulfum Comitem Atini.

MXCIII. Ecclesia S. Andreæ Apostoli dedicata est à Rainaldo Episcopo Cajetano III. Kal. Feb. Solis maxima pars obscurata est 8. Kal. Octobris.

MXCIIII. Stellæ de Cœlo innumerabiles quasi pluere visæ sunt mense Aprili, prope diem versùs Occidentalem plagam cœli ubique terrarum. Pandulfus Comes interficitur IV. Id. Junii.

MXCV. Innumera Francorum, & Ultramontanorum multitudo mare transivit. Lunæ maxima pars obscurata est in Cathedra S. Petri.

MXCVI. Stella Cometes apparuit. Hoc anno urbs Antiochena à Christianis capta est Non. Junii, V. Feria. Luna tota obscurata est in Transfiguratione Domini.

MXCVII. Civitas Hierusalem capta est à Christianis. Idibus Julii Dux Rogerius cum Comite Rogerio Capuam per XL. dies obsidentes receperunt, & Richardo Jordanis filio Principi in die S. Petri ingredientes Capuam restituerunt. Eo anno via ignea, per totam noctem in cœlo apparuit V. Kal. Octob. Ugo de Molisi appræhendit Pandulfum Comitem, & tenuit in vinculis.

MXCVIII. Luna XII. in ortu suo defectum passa paulatim redintegrata est Non. Jun. Obiit Urbanus Papa. Paschalis sit Papa. 1103. & 1104. *fames maxima, & hoc an.* 14. *Kal. Oct. Luna* 14. *obscurata est.*

MXCVIIII. Guibertus Hæresiarcha Invasor Romanæ Ecclesiæ moritur.

MC. Obiit Rogerius Comes. *Albericus Auctor hujus Catalogi nascitur.*

MCIIII. Domnus Oderisius Abbas acquisivit oppidum pontis Curvi, & castellum Vitecosi. Obiit Oderisius Abbas. Otto fit Abbas.

MCV. Stella Cometes apparuit. Henricus Rex defungitur. Henricus filius ejus imperat. Obiit Richardus Secundus filius Jordani Princeps. Robertus filius ejus fit Princeps. Obiit Oderisius Abbas. Otto Abbas ordinatus est.

MCVI. Luna XIIII. obscurata est. Obiit Otto Abbas. Bruno Signinus Episcopus Abbatiam suscipit. Post 40. dies ordinatus est.

MCVII. Castrum Teramæ à Comitibus Aquinensibus invasum & furatum est III. Kal. Aug., sed à nostris post XV. dies receptum est. S. Angelus in Theodici incensus est.

MCIX. Stella Cometes apparuit.

MCX. Henricus prædictus Rex cum magno exercitu Romam veniens Paschalem PP. cum multis aliis capit; ad ultimum finem facit, & coronatus abscedit. Bruno Episcopus Abbatiam dimittit. Girardus fit Abbas. Obiit Rogerius Dux, & Boamundus frater ejus.

MCXIIII. Girardus Abbas oppidum Sujum, vulgo Sugio, acquisivit. Pisani Majoricam, & Minoricam Insulas debellantes ceperunt.

MCXVI. Terræmotus magni fuerunt, ita quòd multa ædificia per diversa loca corruerunt. Homines mortui sunt. Aquæ turbidatæ sunt. Lampades Ecclesiarum moveri visæ sunt. Luna XIV. obscurata est.

MCXVIII. Obiit Paschalis PP. Joannes Cancellarius eligitur in Papam Gelasium. Tunc & Rex Romam occurrens Burdinum Invasorem submittit.

MCXIX. Obiit Gelasius PP. apud Cluniacum, & Guido Viennensis Archiepiscopus à Cardinalibus in eodem loco in Papam Calistum eligitur III. Non. Januarii.

Idem Papa Romam veniens honorificè excipitur. Obiit Robertus Princeps, & Richardus filius ejus ungitur. Quo paulò post mortuo Jordanus Patruus ejus fit Princeps. Terræmotus magni per plures dies in terra S. Benedicti, & circumquaque fuerunt, ita ut ædificia multa ruerent.

MCXX. Calistus PP. Burdinum apud Suriam cap-

captum, apud Cavas custodiæ mancipavit.

MCXXI. Idem PP. eundem Burdinum de Cava extractum in Lanula custodiendum tradidit.

MCXXII. Obiit Girardus Abbas, & Oderisius fit Abbas. Stellæ innumeræ quasi pluere visæ sunt Prid. Nonas Apr. hora matutina. *Hic Alberisius sublevatur in Sacerdotem.*

MCXXIII. Castrum Pica ab Oderisio Abbate acquiritur, & à Calisto PP. & Jordano Principe Sancto Benedicto confirmatur. Obiit Calistus PP., & Lambertus Ostiensis Episcopus in Papam eligitur Honorium.

MCXXIIII. Richardus de Caleno terram S. Benedicti hostiliter ingressus, castella ejus incendit, prædictum Papam Burdinum de Lanula tractum in Fumonem relegavit. Henricus Rex obiit. Lotharius fit Rex. V. die Decemb. fuit capta Rocca de Archi à Gregorio Pagano, & Comitissa, & filio ejus Thoma.

MCXXV. Oderisio à Papa excommunicato, homines Sancti Germani Monasterium istud fraudulenter invadunt, ipsoque depulso, Nicolaus ingreditur. Rocca de Lanula destruitur. Castellum Sujum à filio Richardi de Aquila occupatur.

MCXXVI. Castellum novum ab Adenulfo de Spinio capitur. Castrum Pica redditur. Castrum novum recuperatur. Oderisius Abbatiam foris jurat. Castrum Terellæ ædificatur. Nicolaus expellitur. Seniorellus fit Abbas. Dux Guilielmus, & Jordanus Princeps obierunt. Robertus filius fit Princeps. Dedicatio Ecclesiæ Sanctæ Crucis Aripensis.

MCXXVIII. Papa in Apuliam contra Comitem Rogerium, qui Ducatum occupaverat, cum expeditione properat. Ad ultimum facta concordia Ducatum ei confirmavit.

MCXXVIII. Rogerius Dux cepit Trojam, & ferè totam Apuliam, & Capuanus Princeps illi hominium fecit.

MCXXIX. Obiit Honorius PP., & eo die sunt electi Gregorius Sancti Angeli in Papam Innocentium, qui vênit in Monasterium Sancti Benedicti; postea secessit Caeosam, & ibi fecit Synodum, & Petrus Cardinalis Sanctæ Mariæ Transtiberim in Anacletum; & Innocentius ultra montes perrexit; Anacletus in Apuliam, qui Ducem Rogerium Regem concitavit.

MCXXX. Rex Rogerius expugnat, & capit Amalfim.

MCXXXI. Rogerius Rex expugnavit Barim; Grimoaldum Principem in maris Insula clausit, & cum Principe, & Comite pugnans apud Nuceriam superatur, maxima strage utrorumque die Dominico in S. Jacobo 9. Kal. Aug. Rex Lotharius Italiam ingressus est.

MCXXXII. Lotharius Rex vênit Romam, & accipiens Coronam ab Innocentio reversus est. Sol ferè totus obscurus est à sexta hora usque ad nonam IV. Non. Augusti.

Rogerius Rex ingressus est Apuliam, & Comites Conversanenses, & Condrenses exhæredavit.

MCXXXIII. Robertus Princeps abiit Pisas, & Rex Rogerius vênit super Principatum, & Comitem Rainonem, & Principatum cepit. Comiti dimisit terram, & reddidit ei Comitissam.

MCXXXIV. Princeps à Pisis stipatus navali exercitu Neapolim vênit. Aversani reddiderunt se ei, contra quem Rogerius Rex veniens fugavit, & Aversam in cinerem redegit. Rainoni, & Ugoni Comitatum abstulit. Raino Comes Neapolim fugit.

MCXXXV. Rex Rogerius Alfuso filio Capuanum Principatum tradidit. Imperator Lotharius Liguriam ingreditur. Terræmotus magni in hoc loco fiunt.

MCXXXVI. Obiit Seniorettus Abbas. Rainaldus Tuscus fit Abbas. Imperator Barim usque pervênit, cui pæne se tota Apulia tradidit. Innocentius PP. cum Duce Bajoariæ per totam Tusciam iter agens, omnibus ei se præter Romam usque Beneventum tradentibus, apud Barim Imperatori jungitur. Papa, & Imperator, tradito Ducatu Comiti Rainulfo, revertuntur. Rainaldus hujus loci electus deponitur. Guibaldus ordinatur, qui post XLIV. dies recedit. Rainaldus Colimentaqus fit Abbas. Obiit Lotharius Imp.

MCXXXVII. Conradus fit Imperator. Obiit Petrus Leonis, qui & Anacletus; sed ferè post duos menses fratres ejus cum suis elegerunt pro eo quemdam Gregorium Hæresiarcham, qui post tres menses à Papa Innocentio deponitur. Rex Rogerius vênit contra Rainulfum Ducem Apuliæ, & exhæredavit Alexandrum de Claromonte. Alisas redegit in cinerem, sicque in Siciliam reversus est.

MCXXXVIII. Innocentius PP. facta Synodo, Anacleti partem damnavit. Obiit Rainulfus Dux. Mons Vesuvius per XL. dies eructavit incendium. Rogerius Rex vênit Apuliam, & cepit eam, præter Barim, & Trojam. Deinde vênit Minianum, contra quem Papa cum exercitu veniens juxta Gallucium in fugam versus comprænditur; & IV. die pace facta, confirmat illi totam terram à fluvio Carnello, & infra, filiisque Principatum, atque Ducatum. Castellum S. Angeli igne crematur, & Mortule cum S. Salvatore, & S. Victore, & S. Petro in Fia.

MCXXXIX. Idem Rex ad hoc Monasterium veniens III. Kal. Apr. cui per chartam Rocca de Pantra traditur pro Pontecurvo, quem dicebat à nobis injustè detineri. Castrum, quod Pes-montis dicitur cum Cardito, & Camino tollitur.

MCXL. Terræmotus factus est valde magnus. Adenulfus Comes dimisit Atinam ad Re-

Regem menſe Junio. Qui Rex eodem an. 1140. Atinenſibus privilegium conceſſit.

MCXLI. Hoc iterum anno Rex ad hoc Monaſterium vênit. IV. Non. Novembris, cùm Fratres ſigno facto ad veſperam orationi inſtarent, ſubitò fulgur unum Fratrem ſenem ante Crucem ſiniſtri Chori ſtantem perculſt, & occîdit, & locum hunc multis in locis diſſipavit.

MCXLII. Luna XIV. tota obſcurata eſt à prima hora noctis uſque quartam. IV. Non. Aprilis. Eccleſia S. Mariæ, & S. Adalberti dedicantur. Obiit Innocentius Papa. Cœleſtinus fit Papa. Rex iterum ad hunc locum vênit. Terra Marſorum ſe ei tradidit. Theſaurus hujus loci omnis cum tabulis ante Altare tollitur præter Crucem majorem cum ciborio, & tribus tabulis Altaris.

MCXLIII. Cœleſtinus Papa moritur, & Girardus Cardinalis S. Crucis in Papam Lucium eligitur. Rex iterum ad hunc locum veniens Ceperanum abiit, ubi cum Papa loquitur, & diſcordantibus Papa recedit. Rex partem Campaniæ cum Terracina cepit. Verulas obſedit: deinde quodam pacto facto, quæ ceperat, reddidit. Siciliam abiit. Obiit Alfuſus Princeps, & Frater ejus Guilielmus ſit Princeps. Mare dulce factum eſt à Cajeta uſque Neapolim. Jordanus filius Petri Leonis cum Senatoribus, & parte totius Populi minoris contra Papam rebellat.

MCXLIV. Obiit Lucius Papa, & Eugenius ordinatur, qui tertio die ſuæ electionis nocte cum omnibus Cardinalibus, & Epiſcopis Romam egreſſus fugit, & apud Farſenſem Abbatiam Pontifex conſecratur, & apud Viterbum Paſcha celebrans, ibique per octo menſes remoratus, demum verò cum Romanis paciſcens Romam reverſus eſt. Stella Cometes apparuit.

MCXLV. Eugenius Papa per Tranſtiberim exiens, Viterbum devênit, & pacem cum Romanis reformans, muros Tiburtinæ civitatis deſtrui præcepit, & civitatem Lucenſem abiit. Rex Rogerius cepit Tripolim. *Hìc fuit Domnus Albericus ordinatus in Præpoſitum Sanctæ Mariæ III. Septembris.*

MCXLVI. Idem Papa Burgundiam ingreſſus à Ludovico Rege Francorum apud Divionem honorificè ſuſceptus eſt. Cum quo Paſcha apud Pariſium celebravit, ejuſque tutelæ Regno Francorum dimiſſo, idem Rex cum magno exercitu Jeroſolymam perrexit. Quo etiam anno Conradus Rex Secundus Alemanniæ cum ingenti exercitu per Ungariam Jeroſolymam profectus, Conſtantinopolim devênit, ibique Ludovico Regi ſociatus, & ab Imperatore Emanuele cognato ſuo honorificè ſuſcepti per Iconium deſertum ingreſſi, quamplures de exercitu fame perierunt, alii à Turcis occiſi ſunt. Sol obſcuratus eſt IIII. Kal. Novembris. Eugenius Papa Antiſiodorum veniens Monaſterium S. Mauri ſub obedientia Cœnobii Caſinenſis manere confirmavit, Abbate priùs ab obedientia Epiſcopi Andegavenſis ſoluto, indeque Treverim veniens, ab Archiepiſcopis, & Principibus Alemanniæ honorificè ſuſceptus eſt. Rex Rogerius cepit Africam.

MCXLVII. Idem Papa Remis Concilium celebrans Eum Hæreſiarcham Hiſpaniæ, qui ſe Chriſtum eſſe dicebat, perpetua cuſtodia damnavit, ſicque per Liguriam regreſſus eſt Viterbum. Conradus Rex Alemanniæ cum Ludovico Rege Jeroſolymam ingreſſus, & per aliquot dies ibi remoratus, congregato exercitu Damaſcum obſedit, ſed fraude incolarum deceptus per Conſtantinopolim, & Venetiam in Alemanniam rediit. Ludovicus verò Rex Antiochiam reverſus eſt. Obiit Rogerius Dux, Wilielmus frater ejus fit Dux.

MCXLVIII. Eugenius Papa Tuſculanum ingreſſus, fultus auxilio Rogerii Regis Romanos ſibi rebelles expugnat. Ludovicus Rex à partibus Jeroſolymitanis reverſus, & à Rege Rogerio apud Potentiam cum honore ſuſceptus, IIII. Non. Octobris ad hoc Monaſterium vênit, ſuſceptuſque honorificè, poſt diem tertium recedens, & apud Tuſculanum cum Apoſtolico colloquens Franciam rediit.

Eugenius Papa pacem cum Romanis reformans, Romam reverſus eſt.

MCXLIX. Eugenius Papa Urbem egreſſus Campaniæ moratus eſt. Aqua turbida pluit prid. Id. Martii. Luna obſcurata eſt Idibus Martii. Sanguis pluit in feſtivitate Sancti Joannis Baptiſtæ.

MCL. Obiit Sybilla Regina. Rex Rogerius conſtituit Guilielmum filium ſuum Ducem Apuliæ Regem.

MCLII. Obiit Conradus Rex. Fredericus fit Rex. Naſſamoni gens Mauritaniæ Regem ſuum ejuſdem Provinciæ laqueo ſuſpenderunt. Deinde iter agentes nobiliſſimam urbem Buceam, & multas alias civitates tum vi, tum dolo ceperunt, Rege ejus fugato. Eugenius Papa cum Romanis paciſcens, Romam reverſus eſt V. Id. Decembris. Terræmotus magni & multi fuerunt. Naaſſamonitæ Regem Buceæ in Conſtantina urbe captum ſuſpenderunt.

MCLIII. Sol paſſus eſt eclipſim. Obiit Eugenius Papa, & Conradus Epiſcopus Sabinenſis conſecratur in Papam Anaſtaſium. Rex Jeroſolymitanus cepit civitatem Aſcalonam. Rex Rogerius cepit civitatem, quæ quondam Ippone Regium dicebatur. Abbas Monaſterii S. Mauri ad hoc Monaſterium S. Benedicti veniens coram Altare B. Benedicti obedientiam

Digitized by Google

tiam Abbati Casinensi promisit, & pro more ab Abbate Casinensi petita benedictione, & Abbatiæ confirmatione percepta, ad propria remeavit.

MCLIV. Obiit Rogerius Excellentissimus Rex 3. Kal. Martii.

Hactenus ex Codice 62. Bibliothecæ Casinensis. Sequentia omitto, utpote supra edita. In altero autem Codice Casinensi hæc ita describuntur.

MCXCI. Clemens Papa moritur Romæ mense Martio, & Jaquintus Diaconus Cardinalis in Papam Cœlestinum consecratur, à quo supradictus Henricus apud Sanctum Petrum in Imperatorem Romanorum, & Constantia ejus Uxor in Imperatricem inunguntur. Qui descendens ad Regnum, eodem Papa contradicente, Roccam Arcis vi cepisse visus est: unde & multæ aliæ munitiones stupificatæ se dicto Imperatori reddiderunt. Vênit etiam ad Montem Casinum, ubi juraverunt ei homines Sancti Germani de mandato Decani & Conventus, quia dictus Abbas ægrotus non poterat in talibus occupari. Inde descendit & in Terram Laboris, nullo sibi obstante. Sed infirmatus ipse, & ejus exercitus apud Neapolim, quam obsidebat, cum multo timore, & suorum mortibus, de Regno exeuntes in Alemanniam redierunt, ducens secum dictum Abbatem mense Septembri, & multos obsides, quos fraudulenter de Sancto Germano receperat, apud Diopuldum Castellanum Roccæ Arcis, & Castellanum Torellæ relinquens. Constantia verò Imperatrix detinetur Salerni, & ad Regem Tancredum mittitur in Siciliam. Comes autem Riccardus de Accerra egrediens de Neapoli cum exercitu dicti Regis, ingreditur Capuam, perimens ibi nonnullos Teutonicos, & inde veniens ad Sanctum Germanum, obsedit Ecclesiam Casinensem. Sed resistente sibi Adenulpho Decano, & Conventu, nihil inde habuit. Unde & à Cœlestino Papa excommunicati sunt, quia dicti Regis partem, & justitiam diligebat. Sed postmodum studio, & solicitudine Magistri Johannis de Salerno Cardinalis Monachi Casinensis ab eodem sunt absoluti.

MCXCII. Dictus Decanus Casinensis advocans in auxilium Monasterii præfatum Diopuldum, & multos alios, de Monasterio egreditur, & recuperat castrum Sancti Petri, & de Sancto Germano usque ad Ecclesiam omnium Sanctorum non sinè malo habitantium, clamantibus ab utraque parte Pax Pax, cùm nec servata fuerit à prædicto Diopuldo. Civitatem Sancti Germani, & totam terram Sancti Benedicti per Sanctum Angelum ad opus Monasterii recuperavit.

Dictus Abbas Casinum rediit de Alemannia mense Junio cum multis Teutonicis, cum quibus & Gallinarium cepit, & Atinum ex parte bonis propriis exspoliavit.

Inopia frumenti tanta efficitur, ut coscina pro XL. tar. venderetur apud S. Germanum.

Bertholdus Legatus Imperii subitò in Regno comparens mense Novembris Venafrum cepit, & tradidit militibus suis in prædam, dissipans & consumens quæque poterat more gentis suæ barbaræ.

Rex Angliæ ab Hierosolyma rediens capitur in Alemannia, & traditur præfato Imperatori, & non nisi multâ pecuniâ datâ liberatus est.

MCXCIII. Bertholdus castellum Montis Rodonis obsedit, ibique lapide Manganelli in cerebro percussus occubuit.

Rex Tancredus in Apuliam veniens vi cepit Roccham S. Agathæ, & castrum Sabiniani. Deinde in terram Laboris accedens, Comitem Casertæ, & adversarios ad suam recepit fidelitatem.

MCXCIV. Rex Tancredus obiit Panormi, & Guillielmus filius ejus in Regem coronatur.

Dictus Imperator de Alemannia rediens, Regnum ingreditur, & Salernum properans; totaliter illud & habitatores ejus spoliavit bonis omnibus. Quidam enim eorum, sed pauci fuerant, quorum causâ capta fuerat, & detenta, sicut dictum est, Uxor ejus. Indeque in Siciliam vadens, facientibus sibi fidelitatem universis, cepit Panormum; diripuit cunctum apparatum Palatii; & ostensis sibi fictitiis literis, & mendosis contra Sibiliam Reginam, & dictum Guilielmum Regem filium ejus, atque alios, qui se reddiderant ei, & quibus ipse, & Principes ejus omnes juraverant servare fidem, subitò cepit omnes, quos in Alemanniam duxit, & eorum plurimos exorbavit.

Imperatrix jam dicta filium Fredericum nomine parit in Marchia Anconæ.

MCXCV. Roffridus dictus Casinensis Abbas Atinum obtinet, & privilegium ab Imperatore recepit.

MCXCVI. Dictus Imperator de Alemannia rediens &c. *ut in jam editis.*

MCCVIII. Mense Octobri Riccardus Fundanus Comes Capuam ingreditur, & castellum obsidet, Teutonicis factus ex tunc manifestus amicus. Comes Petrus Celanus in odium Teutonicorum castellum occupat, dante sibi illud Johanne de Andrea Regio Castellano, & ipsum castellum conservat ad Regis fidelitatem.

MCCIX. Mense Septembri &c. *ut in jam editis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON
IGNOTI
CIVIS BARENSIS,
SIVE
LUPI PROTOSPATÆ,
CUM NOTIS
CAMILLI PEREGRINII.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK

Digitized by Google

MONITUM
CAMILLI PEREGRINII.

CHronicon nunc adjiciam Anonymi Barensis, superiùs promissum; quod nuper in exitu antecacti Autumni, cùm Salernum me contulissem, ut ejus urbis Archiva lustrarem, antiquæ vir nobilitatis, sed & excellenti judicio, nec minori eruditione præditus Pyrrhus Aloysius Castellomata ex vetusto in membranis exarato exemplari, ut exscriberem, atque Typis inde committerem, libentissimè assensus est.

Digitized by Google

IGNOTI CIVIS BARENSIS, SIVE LUPI PROTOSPATÆ CHRONICON AB ANONYMO AUCTORE BARENSI (1)

QUA AUCTUM, QUA DECURTATUM

Nunc primùm prodit curâ CAMILLI PEREGRINII
è membranaceo Salernitano Codice

V. C. PYRRHI ALOYSII CASTELLOMATA;

In quo antiqui exemplaris facies eſt ſcrupolosè expreſſa.

*Additi autem aſteriſci * denotant caſtigata ea loca in Lupo.*

A Tranſitu Sancti Gregorii uſque nunc an. CCLII. Anni Domini Noſtri Jeſu Chriſti DCCCLV. Ind. III.

An. Domini DCCCLX. Indict. VIII. Compræhenſa eſt ab Imp. Vari.

DCCCLXI. Ind. IX. (2) Mortuus eſt Michayl. Imp. Et ſurrexit Baſilius * ParaKimumeno ejus, regnavit an. XXI.

DCCCLXVII. Ind. XV. Incenſa eſt Materia à Lodyco Imp. Intravit in civitatem Orie idem Imp.

DCCCLXVIII. Ind. I. Exierunt Sarraceni de Vari per Francos.

DCCCLXXV. Ind. VIII. Intravit in Bari * Bajulo Stratigo.

DCCCLXXX. Ind. XIII. Exierunt Sarraceni de Taranto.

DCCCLXXXV. Ind. III. Mortuus eſt Baſilius Imp. Et regnavit Leo, & Alexander filius ejus ann. XXVI.

DCCCXCI. Ind. IX. Intraverunt Græci Benevento.

DCCCXCIV. Ind. XII. Exierunt Græci de Benevento per Francos. *

An. Dom. DCCCCXII. Ind. XV. * Ab obitu Sancti Martini uſque nunc ann. D.

DCCCCXIII. Ind. I. * (3) Coronatus eſt Conſtan. filius jam dicti Leonis; qui regnavit an. XLVII.

DCCCCXVI. Ind. IV. (4) Exierunt, volente Deo, Agareni de Gareliano. * Et ſunt an. CCCL., quo intraverunt Langobardi in Italiam.

B DCCCCXX. Ind. VIII. Intraverunt Ungri in Italia.

DCCCCXXIIII. Ind. XII. Capta eſt Orie à Saraceni.

DCCCCXXVI.

---

(1) Præſtat nunc quoque, levi ſaltem manu, præſens Ignoti Barenſis Chronicon percurrere, & adnotare: quantum ſcilicet ſit ſatis ad Auctoris ejus fidem, & diligentiam declarandam. Qui cæteroquin Latini ſermonis haud iis peritior, qui per ea tempora in Foro verſabantur, quique Tabellionum munere fungebantur, civem ſe Barenſem eſſe clarè prodit ad an. 1064. & 1087. (vide etiam Notas ad an. 1088.) rebuſque poſtremis in annis ejuſdem Chronici deſcriptis æqualem. Græciſſat etiam quandoque, ſed ex patrio nimirum more; ſicuti de Lupo eſt pariter dictum. At ignaviſſimus præterea librarius ſuis ineptiis Chronicon metipſum in Codice, è quo eſt à me exceptum, fœdiùs conſpurcavit; quæ patentes ſunt adeò, atque craſſæ, ut peculiari admonitione, paucis detractis, certè non egeant.

(2) Quod primum occurrit, & in Lupo quoque inſidet, prætereundum non eſt haud leve tum Auctoris, tum Librarii ſphalma. Nam Baſilius in filium adoptatus, & Imperator creatus eſt à Michaële in an 866. die Pentecoſtes, 26. Maji, Indict. 14. idemque Michaël peremptus in an. 867. die 24. Septemb. Indict. 1. ſed Auctor utraque in unum cùm retuliſſet annum DCCCLXVI. & in Indictionem XIV. ignavus poſtea Librarius malè confuſa tempora reddidit ſua oſcitantia inconvenientiora: notam nimirum X. in deſcribenda Indictione mutans in V: hancque eandem notam in anno omnino omittens. Qui nec majori diligentia obitum deinde Baſilii deſcripſit ad an. 885. & Indict. 3. Vide hîc ad finem.

C (3) De anno coronationis Conſtantini vide infra ad an. 960. & Notas ad finem.

(4) Noſter, & Lupus quoque, quoniam annos ducunt ab Kal. Septembris, ut poſtea aperietur, quod ad ipſum Lupum non adverti, reputans annos incuriâ Librarii, ſicut pleraque alia, malè conſignatos: referunt ejectionem Saracenorum de Gariliano ad an. 916. & ad Indict. 4. quippe quòd, ut reor, non in Auguſto, ut tradit Oſtienſis relatus ſupra (p. 275. tom. II. collectionis noſtræ), ſed in ſubſequente Septembri conceperant id contigiſſe.

Digitized by Google

DCCCCXXVI. Ind. XIV. Compræhendit Michayl Clavos Sipontus.

DCCCCXXVII. Ind. XV. Capta est Tarantus à Saracenis in mensis Augustus. *

DCCCCXXXVI. Ind. IX. Venerunt Ungri in Capua.

DCCCCXLVII. Ind. V. Jecerunt Ungri usque Otrantus.

DCCCCLII. Ind. X. Obiit Petrus Episcopus, & electus est Johannes.

DCCCCLVI. Ind. XIV. Incensi sunt Marancius Scellula. *

DCCCCLX. Ind. III. (5) Obiit Constan. Imp. ann. qui reg. XLVII. Et surrexit Imp. Romano filius ejus.

DCCCCLXIII. Ind. VI. Obiit Romano Imp. Et reg. NiKyforo an. VII.

DCCCCLXX. Ind. XIII. (6) Interfectus est NiKiforo à SimisKi. & reg. SimisKi Imp. an. IV.

DCCCCLXXVI. Ind. IV. Obiit SimisKi Imp. Et reg. Basilius, & Constañ. germani.

DCCCCLXXVIII. Ind. VI. Inchoatum est Monasterium Sancti Benedicti in Bari à Dom. Hieronymo Abb. Et obiit Johannes Episcopus, & Pau electus est.

DCCCCLXXXI. Ind. IX. Fecit prælium Otto Rex cum Saracenis in Calabria; & mortui fuerunt ibi XL. millia Saraceni cum Rege eorum.

DCCCCLXXXVII. Ind. XV. Occisus est Sergius Protospata à Barensibus. Et Adralistus, an. ipso interfectus est à Nicolao Calabriti. *

DCCCCLXXXIX. Ind. II. Descendit Johannes Patricius, qui & Ammiropolo; & interfecit Leonem Icannato, & Nicolao Criti, & Porfirium.

DCCCCLXXXX. Ind. III. Descendit Tubali. Et interfectus est Petrus Excubitus.

DCCCCLXXXXI. Ind. IV. Fecit bellum Atto Comes cum Saracenis in Tarantum; & ibi interfectus est cum multis Barensis.

DCCCCLXXXXIII. Ind. VI. Defunctus est Pau Archiepiscopus, & Chrisostomus electus est.

A

B

C

D

E

DCCCCLXXXXIIII. Ind. VII. * Obsessa est Materies à Saraceni; & in quatuor menses compræhensa est.

DCCCCLXXXXVII. Ind. X. * Occisus est Macro Theodoro Excubitus à Maraldo, & Petro germani in Orie.

DCCCCLXXXXVIIII. Ind. XII. * Descendit Trachamonti (7), qui & Gregorius Catap. Et obsedit Gravina, & compræhendit Theofilacto.

MIII. an. ab Incarnatione Domini Ind. XIII. Hoc anno Trachamoti compræhendit Maracdo.

Mill. I. Ind. XIV.

Mill. II. Ind. XV. * Hoc anno descendit Fasi Apostata mense Magio, & obsedit Bari usque in Sancti Lucæ Apostoli; & liberata est per Sancta Maria, & Petro Dux Veneticorum.

Mill. III. Ind. I.

Mill. IV. Ind. II.

Mill. V. Ind. III.

Mill. VI. Ind. IV. * Descendit Xifea Catepano; & Chanioti perrexit.

Mill. VII. Ind. V. Obiit Xifea in Bari.

Mill. VIII. Ind. VI. * Descendit Curcua.

Mill. IX. Ind. VII.

Mill. X. Ind. VIII. Obiit Curcua. Et descendit Basilius Mesardoniti (8). Et Sellittus, & aliis homines incensi sunt ab ipsi Traniſi in una Turre.

Mill. XI. Ind. IX. Mesardoniti laboravit Castello Domnico.

Mill. XII. Ind. X. Obiit Hieronymus Abbate Sancti Benedicti Barense, mense Octub.

Mill. XIII. Ind. XI.

Mill. XIV. Ind. XII.

Mill. XV. Ind. XIII. Obiit Samuil Rex, Reg. post filius ejus.

Mill. XVI. Ind. XIV. Obsederunt Saraceni Salerno per mare, & terra.

Mill. XVII. Ind. XV. Descendit AdroniKi Cap. & fecit prælium cum Mel, & vicit Mel (9).

Mill. XVIII. Ind. I. * Descendit Basilius Bugiano Catp. & Abalanti Patricio. Et factum pro-

(5) Noster Cedrenum sequutus, qui pag. 500. coronationem Constantini, ætate septennis, actam perhibet post patrui Alexandri, ne dum post patris Leonis obitum, eam ad annum retulit 913. sibique nunc constans mortuum illum dicit in 960. cui Imperii annos 47. imputat ibi, hîc, & infra ad finem. Sed in anno, inquam, 960. inchoato à Septembri communis anni 959. (sic etiam dicendum de coronationis ejus anno 913.) quippe obiit Constantinus, ut ipse notat, Indict. 3. & ut notat Cedrenus, die 9. Novembris: scilicet desinente jam dicto communi anno 959. quo planè calculo uti hîc noster solet. Cedrenus verò pag. 529. & post illum Zonaras Tomo 3. ea ratione tradere videntur, Constantinum imperasse cum patre, patruo, & matre an. 13. nimirum usque ad 919. quoniam vixisse illum asserunt an. 54. (menses duos addit Zonaras) annos scilicet vitæ, & Imperii ejus confundentes.

(6) Minimè annos IV. sed annos VI. regnavit SimisKi, sive Joannes Tzimisces; qui occiso Nicephoro in anno, & Indictione prænotata (ei Zonaras dat anhos sex cum dimidio) eodem tempore Imperium inivit, & in anno obiit 976. Indict. 4. ut idem noster habet. Cedrenus quidem pag. 545. ab eadem stat sententia, referens Nicephori necem ad annum Mundi 6478. diemque 11. Decembris, & 13. Indictionem, pag. verò 563. sublimationem Basilii, & Constantini fratrum, qui regnarunt post Tzimisscem, conjiciens in annum Mundi 6484. mensemque Decembrem & Indict. 4. At cùm ibidem dicat, idemque etiam affirmet Zonaras, imperasse Tzimiscem an. VI. totidemque menses; & paulò ampliùs, hæreo an Librariorum id sit imputandum errori. Cæterùm apud nostrum more suo jam indicato annus 970. elevationis Tzimisces, annusque 976. depositionis ejus numeratus est ab antecedente Septembri, quod ex mensibus, & Indictionibus, quibus ea contigisse dicuntur, demonstratur.

(7) Nomen Trachamoti incorruptum in Lupo probat nunc noster; sed ex hujus nihilominus collatione complura in illo vocabula, quin & annos perplures, depravatos haberi aperitur.

(8) *Basilius Mesardonites*, non *Basilius cum Macedonibus*, ut perperam præfert Lupi textus, descendit: hoc est advênit; qui ab eodem Lupo asseritur obiisse Butunti in 1017.

(9) Melus Barensis civis Langobardos, hoc est suos Apulos sic Græcis nuncupatos, ut alibi dixi, ad deficiendum à Romanis, videlicet Græcis absolutum nomen Romanorum usurpantibus, cùm solicitasset ex causa Ostiensi exposita l. 2. c. 37. illustri etiam eos prælio vicit Indict. 9. (anno nimirum 1012.) ut perhibet Cedrenus pag. 582. & 583. qui Græcorum Duces, tunc profligatos, appellat, alterum Basilium Argyrum, alterum Contoleonem; quocirca minimè capiendus ille erit de conflictu ad præsentem annum à nostro relato: vel ob id præcipuè, quòd eapse Indictione 9. hyemem asserit fuisse gravissimam, quæ à Lupo conjicitur in an. 1009. quando, juxta ejusdem Auctoris

Digitized by Google

prœlium in Trane mortuus eſt ..... Johannacium Protoſp. & Romoalt captus eſt Conſtantinopoli.

Mill. XIX. Ind. II. Fecit prœlium Bugiano Catp. cum Franci (10) in Canni, & vicit. Mel fugiit, & ibit ad Enrico Imp.

Mill. XX. Ind. III. (11) Mortuus eſt Mel Dux. Et deſcendit Raica.

Mill. XXI. Ind. IV. Dattus captus eſt, intravit in Bari in Aſiano ſuper.

Mill. XXII. Ind. V.

Mill. XXIII. Ind. VI. Rayca compræhenſit Palajano. Et fabricata eſt Mutule.

Mill. XXIV. Ind. VII. Barchavit Bugiano in Corbatia cum Barenſes, & compræhen. ipſam Patriciſſa uxor Coſmizi, & adduxit illam in Bari; miſitque eam cum filio ſuo in Conſtantinopoli.

Mill. XXV. Ind. VIII. (12) Deſcendit Oreſti Kytoniti cum exercitu, ut iret Sicilia. Et mortuus eſt Johannes Epiſcopus in menſe Junii. Et elevatus eſt Biſantius Archiepiſcopus. Et Bugiano cum Barenſes barcavit Meſſinum.

Mill. XXVI. Ind. VIII. Obiit Baſilius Imp. Et reg. Conſtant. frater ejus.

Mill. XXVII. Ind. X. Factus eſt Sanctus Nicolaus de monte menſe Septembr.

Mill. XXVIII. Ind. XI. Vênit Andronicus proxim.

Mill. XXIX. Ind. XII. (13) Ebſtaſius..... thi adduxit Catepanatum Chriſtoforo. Oreſti verò, & Bugiano barcaverunt. Et obiit Conſtant. Imp. Surrexit Romano gener ejus. Et incenſi ſunt duo Hæbrei, pro quo fregerunt onorandam Crucem. Et vênit Patho Catp., & prœliavit cum Rayca in Bari. Et mortuus eſt Johannes Monopolitano. Argiro ſenex vênit de ipſo exilio cum ſua familia.

Mill. XXX. Ind. XIII. * (14) Mortuus eſt Guaimarius Princeps Salernetano.

Mill. XXXI. Ind. XIV. Compræh. eſt Caſſanum à Saraceni. Et Potho Catp. cecidit ab eis.

Mill. XXXII. Ind. XV. (15) Deſcendit Michail Protoſpata eriti tu Bilu, Ke tu Ypodromu. Et adduxit AnatoliKi epi tu y Kyacon Catp.

Mill. XXXIII. Ind. I. * Vênit Conſtant. Protoſpata, qui Opo vocatur, Catap.

Mill. XXXIV. Ind. II. (16) Obiit Romano Imp. Et ſurrexit Michail. Et Biſantius Archiepiſcopus dirupavit Epiſcopum Barinum, & cœpit laborare. Et Argiro Barenſis obiit in Conſtantinop. id. Argiro veterano.

Mill. XXXV. Ind. III. Obiit Biſantius Archiepiſcopus. Et electus eſt Romoalt Protoſpata. Poſtmodum miſſus eſt cum Petro fratre ſuo Conſtantinopoli; & poſtea electus eſt à cuncto populo Nicolaus, intronizatus eſt.

Mill. XXXVI. Ind. IV. Zalate ſunt caſe Johannes Ycanato.

Mill. XXXVII. Ind. V.

Mill. XXXVIII. Ind. VI. * Deſcendit Michail Patricio, & Dux, qui & Sfondili; & barcavit cum ManiaKi in Sicilia. Et interfecti ſunt in Curte Domnica Capozzati, & filius ejus, & Juda Proto. & zalavit dom. Maracdi Trumar. & de Adraliſto, & Leo conſobrino ejus.

Mill. XXXVIIII. Ind. VII. Dirutæ ſunt domus Maraldi, & Adraliſto. Et deſcendit * Niciforo Catapanus, qui & DoKino (17).

Mill. XL. Ind VIII. Obiit NiKiforo Katap. in civitate Aſculo. Et ipſi Conterati (18) interfecerunt Chiros facti criti, & Romano ſub Mutule, & venerunt in Bari cum Argiro, & diſperſi ſunt. *

Mill.

---

ris ſententiam, incœpta eſt rebellio menſe Maji. Uter igitur tempora rectiùs conſignarit, inquirendum. Oſtienſis præterea loco jam dicto prodit, Melum, & ejus Barenſes haud tunc Græcis prævaluiſſe; ſed fortaſsè poſt ſuſceptam ab Melo victoriam, deſcriptam Cedreno, victus ipſe eſt hoc anno 1017. quod noſter ambiguo, ſed Lupus aperto magis expoſuit ſermone ad annum denotatum.

(10) Communi Francorum vocabulo Nortmannos appellat noſter, quos Melus duxit adversùs Græcos, eorundemque armis fulctus ter eos vicit (unius tantùm, ideſt prioris pugnæ meminit Guilielmus Apul. l. 1.) nempe ad Arenolam menſe Majo, apud civitatem, & apud Vaccariciam. Sed tandem circa Kal. Octobris anni inſequentis, ut ait idem Guilielmus, à Bugiano Catapano, qui Baſilius Bugianus à noſtro in anno antecedenti, & à præfato Guilielmo ibid: ſed Bojoannes dicitur à Cedreno pag. 623. victus ingenti ſuorum clade fuit apud Cannas, Vide Oſtienſem l. 2. c. 37.

(11) Obiit Melus ultra Montes, regioque more ejus funus curavit Imp. Henricus. Oſtienſis l. 2. c. 39. & Guilielmus Apul. l. 1.

(12) Imp. Baſilius in Siciliam præmiſerat Oreſtem, quem ſubſequi deſtinaverat; ſed morte præoccupatus nequivit: obiit enim prædicto communi anno 1025. menſe Decembri, Indict. 9. qui annus noſtro eſt 1026. jam à Septembri inchoatus. Cedrenum vide pag. 593. *Vixit, & regnavit*, inquit Zonaras, *an. 72.* (eſto annos vitæ, & regni habuerit pares, utique deſcriptis fuere pauciores) *ſolus an. 50. & amplius, reliquo tempore collega fuit primùm patris, deinde Phocæ, & poſt illum Tzimiſces.*

(13) Nono die Novembris Indict. 12. Imp. Conſtantinus ſubito morbo correptus, triduo poſt deceſſit, ſeptuagenario major. Cedrenus pag. 596. & Zonaras. Obiit itaque ſub exitum communis anni 1028. ſed juxta calculum noſtri Auctoris in an. 1029. jam inchoato, cùm regnaſſet an. 3. minus menſe uno. Ex Cedreno, & Zonara.

(14) Igitur verè depravatus erat Lupi textus ad annum 1029. ut ibi monebam; qui obitum Guaimarii Pr. Salerni eo anno contigiſſe repræſentabat. Sed planè (antiquæ ni me fallunt Tabulæ) advixit etiam Guaimarius uſque ad an. 1031. quod fortaſſe non negat noſter; cùm non ducat annos à Januario, ſed à Septembri: & præterea inconſtanti tenore communem annorum computum ſæpiùs quidem præveniat per menſes quatuor; nonnunquam autem etiam prætereat per menſes octo, communes annos extendens uſque ad Septembrem. Vide infra ad an. 1052.

(15) Supplendus, & emaculandus eſt ex noſtro auctore Lupus ad hunc annum. Sed & ipſe à Typographo leviter hîc commaculatus; namque eſt viri nomen *Ykiacon*: non, *y Kiacon*, legendum.

(16) *Obiit Romanus Imp.* ut inquit Cedrenus pag. 605. *die 15. Aprilis, Indict. 2. quo die Sanctæ Magnæ quintæ Feriæ erat ſolemnitas, cùm imperaſſet an. 5. m. 6.* Porrò eo anno, & Indictione nos Latini cùm celebraverimus Paſcha die 14. Aprilis; quinta feria magnæ hebdomadæ incidit in diem 11. prædicti menſis: non 15.

(17) Dixi ad Lupum diſtinguendum Nicephorum à Dulchiano, ſive DuKiano; & verum eſt: nam eos diſtinguit noſter. Nicephorus ſanè dicebatur etiam *DoKinus*: non *DoKianus*, unde in Lupo error.

(18) Præſenti, & ſubſequenti anno dici à noſtro videntur *Conterati*, qui erant oppidani Aſculanenſes, quaſi ejus oppidi *Conterranei*: Italicè *Terrazzani*. In Lupo mendosè nuncupantur *Contracti*, nec de iis quicquam certi ibi ſtatuebam.

Digitized by Google

Mill. XLI. Ind. IX. (19) Vênit Michail Catap; qui & DuKiano, à parte Siciliæ; & pro homicidio, quod fecerunt ipsi Conterati, ibit in Asculo, & appendit unum hominem ibi propter homicidium, quod fecerunt. Et vênit Botunte ipse Catepanus, & appendit ibi homines tres, & cœcavit quatuor. * Et Arduino Sanbardo intravit in Melfi, erat Tepoteriti de ipso Cap. & coadunavit ubicumque potuit Francos, & rebellium exegit contra ipsum Catap. & ceciderunt de ipsis Græcis, & adeò ipse Catapanus fugiit in Bari.

Mill. XLII. Ind. X. (20) Descendit Exagusto Catapanus filius Bugiano. Iterum fecit prœlium

(19) Michaëli Duchiano, sive Ducaliano, vel Doceano, commissum bellum Siculum ab Imp. Michaële 4. qui Paphlagonus appellatus, tradit Guilielmus Apul. lib. 1. E qua Insula in Apuliam illum hoc anno advenisse ait noster. Ostiensis l. 2. c. 67. tacet utrumque, ac tantùm perhibet, *transmissum in Apuliam ab Imperatore Ducalianum Catapanum, trucidato jam Moniaco, eo quòd ad Imperium aspiraſſet*; qui ea in Insula strenuè se gesserat contra Saracenos. At Georgius hic Maniaces, seu Moniacus, per summam calumniam, quasi novarum rerum auctor, è subacta à se Sicilia captivus tunc Constantinopolim, quod perhibet tum Cedrenus pag. 613. tum Zonaras Tomo 3. perductus fuit; cui succesſor datus Michaël Doceanus, homo ineptus, Græcorum res in Italia perdidit, easque ad recuperandas præfatus Maniaces jam liber rediit ut constabit ad annum sequentem. Cæterùm Arduinus Lombardus versa vice falsò à Cedreno dicitur *Dominus cujusdam regionis, ac nemini subjectus*; namque *aurum non modicum Moniaco offerens* (ei inquam, non Ducaliano, quæ est Ostiensis relato loco quamvis implexo in sermone mens) *Candidati ab illo honore donatus, & nonnullis Apuliæ civitatibus prælatus est*: atque ut noster ait, *erat Tepoteriti de ipso Catapano*: ideſt consueto tunc Locumtenentis, sive Vicarii Catapani munere in civitatibus ab Ostiensi indicatis fungebatur: quo apud Lupum ad an. 1018. functus etiam legitur Ligorius quidam. Glossæ Græco Latinæ. Τοποτηρητὴς. Idem etiam *Adjutor*, & *Loci Servator* dicebatur. Capitularia Caroli Mag. l. 2. c. 6. *Vos metipsos coram Deo, & hominibus tales exhibebatis* (Comites alloquitur) *ut & nostri veri Adjutores* (S. Paulinus Nolan. ep. 39. Adjutores ad civium juvamen nuncupatos refert) *& populi conservatores juste dici, & vocari possitis*. Et in Addit. 2. cap. 25. *Sed & hoc obsecramus, ut in eligendis Adjutoribus vestris, & Reipublicæ ministris, qui vice vestra Populum Dei regere, & gubernare, atque judicare debent, solertissimam providentiam adhibeatis*. Leges quoque Langobardorum lib. 1. tit. 25. l. 78. *Siquis furem, vel latronem ad præsentiam Judicis, aut Comitis, qui in loco præest, vel Loci Servatoris, qui missus est Comitis* (& propterea ejus Vicarius) *adduxerit*, &c. Clarè etiam in Auth. Justiniani Collat. 2. tit. 2. Novel. 8. cap. 3. & Collat. 9. tit. 14. Novel. 128. cap. 4. est Servator Loci qui Præsidis agit vices. Inde apud Paulum Diac. l. 6. c. 1. sive 3. & c. 8. sive 24. quidam Ado Ducatum Forojulienſem *sub nomine Loci Servatoris*, cùm Dux ipse non esset, dicitur aliquandiu gubernasse: sub nomine scilicet Vicarii Ducis. Sed redeo ad Arduinum, quem post Siculum bellum, in quo pro Græcis militaverat, à Moniaco fustibus per contumeliam cæsum, perhibet Gaufredus Malat. l. 1. c. 8. eaque de causa in Græcos exarsisse; à cujus dicto non abit Ostiensis l. 2. c. 67. Verùm Guilielmus Apul. l. 1. & Cedrenus pag. 623. non à Maniace, sed à Doceano verberibus illum dehonestatum produnt, quod rerum postea sequutarum ordini consonat sanè magis.

(20) Postquam DuKianus, seu Doceanus à Francis, vel dicas Nortmannis ad Oliventum primùm in an. 1041. ut perhibet Ostiensis l. 2. c. 67. & Gaufredus Malat. l. 1. c. 9. (*juxta rapidas Lebenti fluminis undas*, ait Guilielmus Apulus l. 1.) iterum ad Cannas, & ad Ausidum bello fusus fuerat, de quo idem Ostiensis ibidem, Guilielmus Apul. l. 1. & Cedrenus pag. 623. atque in Siciliam recesserat, ut notat noster, & præfatus attestatur Guilielmus, missus fuit ejus loco Exaugustus, illius Bugiani filius, qui Imperante Basilio egregiè se gesserat contra Melum, sicuti præfatus Guilielmus, & Cedrenus citatis locis contestantur: etsi Cedreno tum pater, tum filius nomine appelletur *Bojoannes*. Hic itaque nil meliori quàm Doceanus usus fortuna, conflixit cum Nortmannis (diem 3. Septembris præfert Lupus) sub Monte Pelusio (apud Monopolim ait Cedrenus pag. 624.) vivusque in hostium manus devênit, cùm esset Dux Nortmannorum Atenulfus, frater Principis Beneventi: quod à memoratis Guilielmo, & Ostiensi ubi supra enarratur. Sed Ostiensis præfuisse Atenulfum Nortmannis etiam in conflictu ad Cannas, & Ausidum tradit. Gaufredus insuper Malat. l. 1. c. 10. Græcorum Ducem ad M. Pilosum devictum nomine appellat *Annonem*, nec scio quid depravato in illo textu submurmuret de eo tunc interfecto, qui certè vivus à Nortmannis captus est, vel Cedreno adstipulante ubi supra. Cum Guilielmo itaque dicam Apulo „ *Ter Gallis illo victoria contigit anno*: nimirum an. 1041. jam ab Ostiensi denotato. Nortmanni autem præter spem Græcum Ducem ab Atenulfo liberum dimissum, *non parvâ pecuniâ ab eo acceptâ*, ut tradit Ostiensis, cùm conspexissent, Ducem, Principemque sibi constituerunt Argyrum, Meli superiùs dicti filium, quod Auctores nuper laudati Ostiensis, & Guilielmus affirmant. At mortuo inter hæc Imp. Michaële Paphlagono die 10. Decembris Indict. 10. cùm regnasset, ut inquit Cedrenus pag. 618. an. 7. & mens. 8. (Zonaras ait, an. 7. vel paulò diutiùs.) & perinde in communi anno 1041. exeunte, qui nostro est ab anteacto Septembri annus 1042. ita ut antecedentia sub hoc anno descripta, peracta intelligamus ab Kal. præfati mensis: excepta tantummodo præfata sublimatione Argyri, quæ à Lupo facta asseritur mense Februarii, atqueadeò initio communis anni 1042. mortuo, inquam, inter hæc præfato Michaële, nepos ejus ex sorore, qui ei succesſit, Michaël pariter appellatus, cognomineque Calæphatus, Maniacem bello jam clarum è carcere eductum misit adversùs Nortmannos, idque nostro in omnibus concors superior Guilielmus testatur: etsi Cedrenus pag. 621. 623. & 624. à Calæphato quidem illum dimissum è custodia affirmat, sed transmissum in Italiam ab Imperatrice Zoë, demortui Paphlagoni uxore, postquam ea in filium adoptaverat præfatum Michaëlem ejus nepotem (Zonaras adoptatum ait vivente Paphlagono, & Cæsarem quoque institutum) evexeratque ad Imperialem dignitatem, & post menses 4. (quinque numerat noster) è solio dejiciens etiam excœcaverat. Qui præterea addit, à Maniace Francos ex Italia pulsos apud Capuam, Beneventum, & Neapolim, resque mediocri in quiete constitutas; at hoc postremum minimè verum est, nam res ei cum Nortmannis juxta Monopolim, & Materam tantùm fuit nec admodum sanè illustris, ut noster, & Guilielmus tradidere. Zoës itaque, deturbato Calæphato, nupsit Constantino Monomacho, eumque Imperii simul consortem fecit, quod idem Guilielmus, sed fusiùs explicat Cedrenus pag. 619. & seqq. Maniaces autem hos rerum casus cùm accepisset (jam enim appulerat in Italiam, ac de Tyrannide etiam conceperat, ut ait Zonaras) ab Monomacho, & ab Zoë rebellavit ex occasione modò dictis Auctoribus exposita; tuncque per Monopolis, & Materæ campos diriùs quàm clariùs se exercuit. Argyrus interea Juvenacium ceperat, obsederatque deinde Tranum, quam inexpugnatam reliquit, causam dimissæ ejus obsidionis tradentibus eodem nostro, & Guilielmo l. 1. ad finem.

Qui

Digitized by Google

sium cum Normanni, & cum Atinolfo Dux eorum de Venebento sub Monte Pelusio; & ceciderunt Græci, & captus est Catapanus in Benevento. Et DuKiano ibit Siciliam. Et Adargiro factus est Princeps. Et Michail Imp. defunctus est. Et surrexit Michail Cæsar nepus ejus, qui direxit in Apulia ManiaKi. Post mens. V. cœcaverunt illum ipsum puditi, qui exiliavit Zoy. Et surrexit Constanti Monomacho. Et Argiro ibit super Juvenaciem, & comprænsit ea per fraudis ab intus. Et ManiaKi se fecit Imp. in Italia, & vênit super civit. Monopoli; & comprænsus per ipsa campora plures homines: fecit illos decollare ante Porta. Similiter in civitate Materie truncavit homines CC. Argiro perrexit in Trane per mare, & terrâ obsedit eam, fecit ibi Turrem excelsam ligneam, & Tractareas manculas, & Berbices, ut comprænderet eam. Inter hæc vênit missо ab Imp. Theodorito Monomacho cum Basiliſco, mandatora referentes parcentia; & patricato eidem Argiro illico fecit incendere omne artificium, quod ibi factum habuit, reversus est in Bari.

Mill. XLIII. Ind. XI. (21) Descendit Pardus Patricius cum TubaKi Protospata, & Malg. cum thesauro, & dona Dargiro, & comprænsus illi ManiaKi in civitate Odronto. Pardus occîdit TubaKi necare fam, & ven super Bari cum suo exercitū ad sumilandum se Imperatore; sed non fuit, qui ei obediret, confusus reversus est in Taranto. Et vênit Guaimari Princeps Salernitanus cum Franci, & obsedit Bari dies V. Postea descendit Theodoro Cano Catap. in Bari, & ibit cum Argiro: ille per mare, & Argiro cum exercitu per terra Normanni, & Longobardi super Idrontus ad capiendum ManiaKi; & non invenerunt eum, eo quòd transmeavit Bulgariæ. Et fecit prœlium cum ipse Sevastoforo, & cecidit ibi, tollentes caput ejus optulerunt Imperatori Monomacho.

Mill. XLIV. Ind. XII. (22) Venerunt Russi per mare sinè numerum super Constantinopoli; sed ante obviavit eis Monomacho, & superavit illos, Deo volente, plurimi religati adduxerunt, reliqui fugiunt. Et Argiro direxit Stolum ad ipsa Asta, ubi occisus est Alesantus Nacteri.

Mill XLV. Ind. XIII. Periit nave Maraldi, filius Joannis Icananti, ubi Ygio pelago dicitur (23), veniebat de Tharso. Et in Taranto descendit ignis de cœlo, & incendit maxima pars civitatis. Et vênit Chagea, & Catapanus Palatino in Bari. Et Argiro ibit cum Chagea Constantinopolim cum suis, & ipse Catapanus remansit Bari.

Mill. XLVI. Ind. XIV. Perrexit Imp. Palatino in Taranto, & fecit prœlium cum Normani, & ciderunt Græci, & multi Antopii per gladio, & in mare. Et reversu Ip. Catap. in Bari. Et fecit Bari cum Umfreida Comite. Et descendit Rafayl Catap. cum Guaranci, & comprænderet .... stum.

Mill. XLVII. Ind. XV. Vênit Johannes Catapanus, qui & Rafayl, cum ipsis Guarangi in Bari. Intravit in Curte Domnica, & mansit ibi hunum diem; & deinde ibit, & sedit in ipsa Pinna dies 11. cum ip. Guarangi. Et postea iterum venerunt in ipso porto, & pacem firmaverunt cum Bari, & dimisit Eustathium Catap. & reversi sunt in Ydrontum. Adralisto prœliavit cum Alfaraniti, & comprænhendi illos, & diruerunt domos Johannis Ycanati.

Mill. XLVIII. Ind. I. (24) Rebellavit Tornibey cum MaKedonis, & Botazzi consocruneo suo perrexit Constantinopolim; ut faceret se Imperatorem. Argiro Magistro exivit sub nocte cum aliquanti Franci, & Græci, & fecit ei damnum maximum. Postea comprænsus est ipse TorniKi à Monomacho, & jussit eum cœcare, & Batazzi cœcati sunt ambos. Et comprænsa est Licce ab ipsi Guarangi.

Mill. XLVIIII. Ind. XI. Comprænditur iterum uno Castello de Monte garño.

Mill. L. Ind. III. (25) Vênit Leo Papa in Siponto. Fecit Sinodo. Obiit Tioy Imperati.

Mill. LI. Ind. IV. (26) Vênit Argiro Magistri in Idronto, mense Martii cum thesauro, & dona, & honores à Monomacho Imp Et in mense Aprilis intravit in Bari. Et occisus est Mel Malapezza, & Liboni; & zalavit ipse Iudeam, & dom. Adralisto, & ille fugiit foràs civitatem ad Umfreda Comitem, & comprænsa est Rodia uxor sua, & filius, & Ramoaldo, & Petro fratre ejus, & aliis, misitque illos Chelandiis, & direxit Constantinopolim ad Monomacho. Et usta est navis in ipsa Penna, honerata oleo, pro ut hire in Constantinopolim. Et occisus est Drogo Comes in monte Ylari ab incolis ejusdem. Et Argiro comprænsus Barbocca.

Mill.

Qui Apulus scriptor cùm enarrasset, Barium, Monopolim, Juvenacium, urbesque alias complures injisse fœdera cum Nortmannis, subjicit electum postea Argyrum in ipsorum Ducem.

(21) Etiam Cedrenus pag. 624. & Guilielmus l. 1. habent de adveniente in Apuliam Pardo, atque à Maniace occiso: idemque Guilielmus de thesauris ab eo secum ductis, deque susceptis à Maniace Imperii insignibus, ac Bario frustra tentata; qui Tarentum recessit, ac ab Argyro, & Nortmannis irrito conatu circumobsessus, Hydruntum postea se contulit, denuoque ab Argyro, & insuper ab Catapano Theodorocano (Basilius hic ille videtur Theodorocanus memoratus Cedreno pag. 613. & 626. & Zonaræ Tomo 3.) frustra impugnatus, in Bulgariam transfretavit, ubi cum Stephano Sebastophoro congressus (ista ex Cedreno pag. 624. & 625. & ex Zonara) victus occubuit, ejusque caput est ad Imperatorem delatum. De Guaimario Principe Salerni, qui Barium obsedit, habens secum Francos jam ab Argyro dimissos, postquam Maniaces Hydrunto recesserat, idem Guilielmus l. 2. initio.

(22) De Russis, qui obsederunt Constantinopolim, latè Cedrenus pag. 625. & seq.

(23) *Ygio Pelago* videtur *Ægeum mare*. Constantinus Chages vir est bello clarus apud Cedrenum pag. 609. De Argyro Constantinopolim accito ab Imperatore Guilielmus l. 2. initio.

(24) De Tornibei, qui in mense Septembri Indict. 1. salutatus est Imperator adversùs Monomachum Cedrenus pag. 630. & 631. sed ab eo appellatur *Leo Tornica*, & *Tornicius*. Idem Cedrenus insuper ibidem habet de Argyro Magistro Italo, qui se Tornicio opposuit pro Imperatore, & pag. 632. de Joanne Botaza, deque eo, & Tornicio excœcatis, cui consentit Zonaras.

(25) Eodem anno, quo ordinatus est Leo 9. Garganum adiit, ut tradidit Ostiensis lib. 2. cap. 89. Vide supra pag. 106. *Tioy* est Zoës Imperatrix, quam Cedrenus pag. 650. defunctam dicit jam pridem ante Indictionem 7. & 8., hoc est ante annos 1054., & 1055. Zonaras autem notat, excessisse annum vitæ 70.

(26) De adventu Argyri cum thesauris Guilielmus lib. 2. initio. De occiso Comite Drogone in monte Ylari (*Pontilari* habet præfatus Guilelmus ibidem) sive in *Monte Olei*, vel *Montolio*, Gaufredus Malat. lib. 1. cap. 13.

Digitized by Google

Mill. LII. Ind. V. (27) Occiſus eſt Guaimarius Princeps Salernitanus. Et Argiro ibit in Siponto per mare. Deinde Umfreda, & Petrone cum exercitu Normannorum ſuper eum, & fecerunt bellum, & ceciderunt de Longobardi ibidem. Ipſe Argiro ſemivivus exiliit plagatus, & ibit in civitate Veſti. Et vênit ipſe Leo Papa cum Alamanni, & fecit prœlium cum Normanni in civitate, & cecidit. Compræhenſerunt illum, & portaverunt Benevento, tamen cum honoribus.

Mill. LIII. Ind. VI. Argiro direxit ipſo Epiſcopus Tranenſe Conſtantinopoli meſſatico.

Mill. LIIII. Ind. VII. Obiit Domino Leo Papa. Et capta eſt Cuperſano. Et ſurrexit Victorino Papa.

Mill. LV. Ind. VIII. (28) Obiit Conſtantinop†. Impr. Et ſurrexit Theodora. Et mat. Argiro cum Nicolaus Archiepiſcopus perrexit Conſtantinopol.

Mill. LVI. Ind. VIIII. (29) Elevatus eſt Michail Impr. nobicio.

Mill. LVII. Ind. X. Obiit Umfreda: & ſurrexit Guiſcardus frater ejus. Obiit Victorinus, & ſurrexit Stephanus Papa, qui fuit Cancellerius.

Mill. LVIII. Ind. XI. (30) Surrexit Commiano Impr. Michail verò Impr. induerat Monachicum. Obiit Stephanus Papa; & ſurrexit Benedicto. Et Argiro in Vigilia S. Petri perrexit Conſtantinopoli, & dimiſit in Bari ſcinuri. Et obiit Adraliſto.

Mill. LVIIII. Ind. XII. Occiſus eſt in Monopoli Leo de Garſaſi.

Mill. LX. Ind. XIII. (31) Comminiano voluntarie dedit Domino ſuo Conſtantino Du-Kizzi, & induit ſibi habitum Monachicum.

Mill. LXI. Ind. XIIII. (32) Mortuus eſt Nicolaus Archiepiſcopus; & à quibuſdam electus eſt Andreas. Defunctus eſt Nicolaus Papa, & conſecratus eſt Domnus Alexander. Et Robertus Dux barcavit Sicilia. Et Maruli Catapanus vênit in Bari.

Mill. LXII. Ind. XV. Perierunt tres naves, que pergebant carricate Conſtantinopol; in qua obiit Kiria Maria, mater Ranno, in Malea. Et Siriano venit Catap. in Bari.

Mill. LXIII. Ind. I. Vênit Arnolfus Archiepiſcopus Vicarium Pape Alexander; & fecit Sinodum foràs in S. Nicolao, qui vocitatur de Epiſcopis. Et capta eſt Taranto à filio Petrone in menſe Magii.

Mill. LXIIII. Ind. II. Fecit Andreas Sinodum in ipſo Epiſcopio. Et Apochara venit Catap. & capta eſt Idrontum à Gosfreida ſuo Comite. Et capta eſt Materia à Robberto Comite ſuo. Et multi nobiles perrexerunt Perino in Durrachio pro tollendum honores. Et Robbertus Dux vênit in Bari, & fecimus ei ſacramentum, & ille nobis. Et Gozolino perilavit cum ſuis at Perino. Et Chelandie incenderunt nave, que veniebat de Calabria.

Mill. LXV. Ind. III.

Mill.

(27) De anno occiſi Guaimarii Princ. Salerni vide ſupra pag. 106. Sed quæ præſenti loco narrat noſter de Argyro, ea omnino ſilet Guilielmus, alia de illo exponens noſtro prætermiſſa. Conflictum verò Papæ Leonis 9. cum Nortmannis ad civitatem, quem omnes ad annum figunt 1053. idem noſter ob id retuliſſe videtur in ann. 1052. quoniam annos quamvis anticipare ſoleat per menſes quatuor, ut dictum eſt, & pleniùs conſtabit paulò poſt; præſentem nihilominus annum 1052. extendiſſe videtur per menſes octo uſque ad Septembrem anni 1053., quandoquidem ejus conflictus dies fuit 18. Junii, ejuſdemque Pontificis obitum cæteris concordans Auctoribus ad annum ipſe figit 1054., qui utique communi etiam omnium dicto deceſſit 13. Kal. Maji, ſequenti anno ab accepta clade. Nec Malaterra lib. 1. cap. 14. dicens, Leonem fœdera iniiſſe cum Nortmannis circa annos 1052., quod ſanè non poſt multos ab pugna contigit dies; nec Guilielmus Apulus, qui l. 2. continenti narratione prodit, occiſum Comitem Drogonem, & ſuperatum à Nortmannis Papam, communi ſententiæ præjudicio eſſe poſſunt, qui neo annum pugnæ definitè deſignant.

(28) Obitum Conſtantini Monomachi, & ſublimationem Theodoræ etiam ad Indictionem 8., ſed nullo expoſito menſe, refert Cedrenus pag. 650. Theodora verò, ut idem auctor ſubjicit, advixit per totam Indictionem 9. uſque ad exitum menſis Auguſti, ſcilicet anni 1056. cùm imperaſſet, ait Zonaras, ann. 1. menſ. 9. ex quo intelligimus defeciſſe Monomachum, cœpiſſeque Theodoram initio Decembris, communi anno 1054., qui noſtro numeratur 1055. ab anteacto Septembri. De Magiſtro Argyro, qui Conſtantinopolim abiit, ſed illuc pervênit vivente adhuc Monomacho, cui non ſicut olim carus, reliquam in exilio duxit vitam, Guilielmus Apul. l. 2.

(29) Die ultimo Auguſti Indict. 9. declaratus eſt Imperator præſens Michaël, defunctâ Theodorâ ſub exitum ejuſdem menſis: Cedrenus pag. 651. diciturque à noſtro *novitius*: hoc eſt recentior, qui aliis ſenior: nam ſenex erat, ut Zonaras tradit. At de Theodora iterum hîc ad finem.

(30) Iſaacium Comnenum priùs per factionem ſalutatum Imperatorem octava die Junii, Indict. 10. anno Mundi 6565 publicè autem, & ſolemniter poſtea in magno Templo coronatum in ſubſequentibus Kalendis Septembris Indictione II., anno mundi 6566. cùm dicat Cedrenus pag. 656. & pag. 662. quæ eſt univerſi ejus operis poſtrema, clarè hinc, præter alia plura rei indicia, aperitur, etiam annos æquè ac Indictiones ab eo duci à menſe Septembri. Noſter itaque ſurrexiſſe dicens Commianum, ideſt præfatum Comnenum, in an. 1058. Indict. II. de legitima ejus inauguratione, peracta Kal. Septembris, Indictione præſcripta, eſt intelligendus: & præterea annos Chriſti pari paſſu ac Cedrenus annos Mundi, auſpicari ab eodem menſe: quamvis ad annum Chriſti milleſimum diſertis verbis numeratum ipſum dicat ab Incarnatione, ac perinde cæteros quoque annos ab eodem termino ſubindicet deductos; namque eam inaugurationem, celebratam Kal. Septembris Indict. II. communi ann. 1057., in annum refert 1058., inchoatum juxta ſuum hunc calculum ab ipſis Kal. Septembris. Nec Imp. Michaëlem, quem dixerat elevatum in 1056., quemque ad finem Chronici ait per annum imperaſſe, ut etiam habet Zonaras, pronunciaſſet abdicaſſe in an. 1058. niſi annos duceret à Septembri; quippe Michaël die ultima Auguſti Indict. 9. anno ſibi 1056. exeunte, Imperium ſuſceperat, depoſuerat verò ineunte anno ſibi 1058. Sed præter ſuperiùs obſervata, manifeſtiſſimè prodit ſe pluribus etiam locis infra. Cæterùm de Argyro in hoc ſanè anno 1058 Conſtantinopolim navigaturo verba facit Oſtienſis l. 3. cap. 10. juxta traditum à me Canonem annorum vitæ & geſtorum Deſiderii Abb. Caſſinenſis.

(31) Comnenus Imperium inivit Kal. Septembris communi anno 1057., ſed juxta noſtri Auctoris computum ineunte ann. 1058. Idem poſt an. 2. & menſ. 3. ut notat Zonaras, ſe abdicavit: nimirum in Decembri communis anni 1059., qui noſtro eſt annus 1060. jam inchoatus.

(32) Trajecit in Siciliam Dux Robertus poſt Majum in 1060. ut perhibet Gaufredus Malat. lib. 2. cap. 10. & 12.

Digitized by Google

Mill. LXVI. Ind. IV. Perrexit Andreas Archiepiſcopus Conſtantinopl. Et Mabrica cum Chelandiis vênit Bari cum Guarangi.

Mill. LXVII. Ind. V. Capta eſt galêa Petri de Gira à Saraceni in Malea. Et galêa quatuor Barenſes compræhenſæ ſunt à ſtolo Imp†re.

Mill. LXVIII. Ind. VI. (33) Obiit Conſtantino Duchizzi. Et ſurrexit Imp. Romano Diogeni. Obiit Argiro pro edro, & Apochara_ Catap. Et Amicetta intravit Juvenacie. Et die quinto aſtante Auguſti vênit Dux Robberto, & obſedit Bari per terra, & mare. *

Mill. LXIX. Ind. VII. (34) Vênit Stepha. Patriano cum ſtolo. Et perierunt naves XII. in pertinentia civitatis Monopoli onerate victo, omnique bono. Et multi homines necati ſunt, & alii compræhenſerunt Franci, & truncaverunt.

Mill. LXX. Ind. VIII. (35) Octabodecimo die menſis Julius, die Dominica interfectus eſt Biſantius Patritius ab iniquis homines, & proinde zalate ſunt caſe Meli Pezzi, & obrute.

Mill. LXXI. Ind. VIIII. (36) In menſe Febr. vênit Stephano Patriano, & Gozolino cum_ ſtolio, & compræhenſa eſt chelandia, in qua erat Gozolino cum auro, & beſtimenta à ſtolo Robb. Dux; & alium gata Imp†e demerſit in mare, & mortui ſunt ibi CL. homines. Et in menſe Martii cattus, qui pergebat Durracchio, ubi erat Kyri Depiſani cum aliis multis, orta tempeſtas, periit in pelago, nec unum hominem inde exivit. * Et in medio mens Aprilis fecit Bari cum ipſo Duca. & in mens Magi exivit, & perrexit Palermo cum_ nabali exercitus, & obſedit eam per mare, & terram.

Mill. LXXII. (37) Ind. X. Capta eſt Palermo ab ipſo Duca. X. die intrant. menſ. Jan. Et in menſe Julii cattus Diogenes Imp. & mortuus eſt.

Mill. LXXIII. Ind. XI. (38) Ibit ipſe Dux, & obſedit Trane per terra, & mare in menſe Jan. Et ſecundo die intrante Febr. fecit cum_ ipſo Duce. Et die VII. intrante Febr. capta_ eſt Juvenacie.

Mill. LXXIIII. Ind. XII.

Mill. LXXV. Ind. XIII.

Mill. LXXVI. Ind. XIIII.

Mill. LXXVII. Ind. XV.

Mill. LXXVIII. Ind. I. (39) Elevatus eſt Imp. NiKyforo Botaniati menſe Martii; & depoſuit Michail Imperatori; & tulit uxor ejus ſibi uxorem, fecitque eum Monachus, & fecit vocare Baſilahy, & Brioni.

Mill. LXXVIIII. Ind. II. (40) Menſe Febr. die III. ſtante, rebellavit Bari ab ipſo Duce, & dirutum caſtello de Portanova. Paſſarizzi, & Stinizzi interfecerunt Baſilium Meli Pezi intus Sancti Nicolaus de Monte, & eodem die cœcati ſunt ambo in feſta Sancti Marci.

Mill. LXXX. Ind. III. (41) Ipſe Dux fecit fine cum Bari, & menſe Aprili fecit Taranto cum illo, & Trane. Et fumilare fecit ibi Michaël Imp. Et Urſo Archiepiſcopus intran. in ſede Barina die III. intrante menſe Auguſti.

Mill. LXXXI. Ind. IV. (42) Menſe Martio ipſe Dux Robbertus direxit navigia, & obſedit Corſo; & poſtea ibit ille cum multis; & decimo die ſtante Magi compræhenſit Corſò, & Bothrontò, & in menſe Junii perrexit per mare, & terra ſuper Durracchio, & congiravit eam per mare, & terram; pugnavitque ea cum multis machinis. Inter hæc venerunt ipſi Venetici, & continebant eam. Et elevatus Alexius Imp. & intravit per vim in Con-

(33) Conſtantinus Ducas, qui ab Decembri communis anni 1059. ſeu dicas cum noſtro à præfato menſe inchoati anni 1060. regnavit, ut notat Zonaras, ann. 7. & menſ. 6. utique in omnium ſententia deceſſit in ann. 1067. menſe Junii, Indict. 5. ſed noſter continenti ſermone complexus eſt tum ejus obitum, tum_ ſucceſſoris Romani Diogenis elevationem, qui poſt ſeptem menſes, & dies aliquos, atque_ adeò ineunte communi anno 1068. ab Eudocia præmortui Conſtantini uxore in conjugem, & in Imperatorem eſt delectus. De cætero quamvis Argyrus, cujus mors à noſtro notatur anno præſenti, Barenſium *Proedrus* fuiſſe videatur; quod Latinè valet, *Præſes*, vel *Anteſignanus*, haud tamen reputandus ille eſt Argyrus Dux Nortmannorum, quem Guilielmus Apulus l. 2. ærumnoſam vitam in exilio clauſiſſe tradit. Sed nec ille erit, qui eodem hoc anno obſeſſæ Barii à Duce Roberto, quique eodem anno, quo Dux ille eam obtinuit, ipſi urbi principabatur, ut loquitur Malaterra l. 2. c. 43. ſive primus habebatur inter Barenſes, ut præfatus ait Guilielmus l. 3. ſed tertius fuit Argyrus inter hos medius, de quo hîc ad an. 1058. ni tamen vel noſter, vel laudati nos fallant Auctores.

(34) Præſens Stephanus cognomine appellatur *Pateranus* à Guilielmo l. 2. Edictoque Imperiali datus dicitur Barenſibus Prætor: quem Dux Robertus capta Bario, canitiem ejus miſertus, benignè tractavit, & cum ſuis Græcis liberum dimiſit, ut idem Auctor tradit l. 3.

(35) Dies 18. Julii verè in hoc anno fuit Dominica die, qui literam Dominicalem habuit C.

(36) De Gocelino transfuga Nortmanno, qui Stolium Græcorum, hoc eſt claſſem, ad ſubſidium Barenſium ductabat, loquitur etiam Guilielmus Apul. l. 3. & Gaufredus Malat. l. 2. c. 43. qui perhibet, Ducem Robertum, recepta Bario in 1070. fuiſſe apud Hydruntum Junio, & Julio menſe.

(37) Romanus Diogenes cùm imperaſſet, ut auctor eſt Zonaras, an. 3. & menſ. 8. captus, excœcatus, & mortuus eſt: quod contigiſſe oportet menſe Septembri, decurrente communi anno 1071. ineunte Indict. 10. ſed juxta noſtrum Auctorem, ineunte an. 1072. captum_ tamen, ex eodem noſtro affirmandum, in antecedente Julio.

(38) Obſeſſos Tranenſes ait Guilielmus l. 3. *decies jam quinque diebus*, de capta tunc Juvenacio loquens ſimul.

(39) Juſſu Imp. Botoniatis, qui anno, & menſe ab noſtro deſcripto Imperium adeptus eſt, depoſito Michaële Parapinacio (hic regnaverat, ut ait Zonaras, an. 6. & m. 6.) excœcatos Nicephorum Bryennium priùs, & dein Nicephorum Baſilacium, qui unus poſt alium Dyrrachium cùm regerent, tyrannidem affectarunt, idem Auctor tradit.

(40) Guilielmus quoque Apul. l. 3. Barium per hos fermè annos ab Duce Roberto rebellaſſe prodit.

(41) De recepta Bario, Tarento, & Trano à Duce Roberto Guilielmus Apul. l. 3. fine; deque_ Imp. Michaële, quem Botoniates dejecerat, ſed Dux præfatus per duos fermè, & ampliùs annos, expeditionem interea in Græcos parans, ſecum detinuit, idem Auctor l. 4. & Malaterra l. 3. c. 13.

(42) Hoc anno, ut inquit Gaufredus Malat. l. 3. c. 24. *Menſe Majo Dux Robertus Hydruntum vênit, versùs Romaniam animum intendens, & quindecim naves trans mare aliquam urbem præoccupatûm mittit.* Subdit Guilielmus lib. 4. *Gens, quæ præceſſerat, Botrontinam urbem* (*Buthrotum* Strabon. l. 7. aliiſque memoratam) *capit.* Uterque etiam auctor de capta tunc ſimul Inſula *Corfò*: ideſt *Corcyra*, & obſeſſa Dyrrachio, Venetiſque advenientibus ad obſeſſorum ſubſidium pluribus; deque depoſito Botoniate ab Alexio; qui, ut perhibet Zonaras, Conſtantinopolim occupavit in quinta feria magnæ hebdomadæ: ea hoc anno fuit die 1. Aprilis.

Digitized by Google

Constantinopl. & depoſuit Botoniati Imp. & induit eum Monachus.

Mill. LXXXII. Ind. V. (43) Vênit Alexius Imp. & commiſit bellum cum Robb. Dux fer. III. in die S. Luce Apoſtoli, & Evangeliſte; & terga vertit ipſe Imp. vicitque ipſe Dux. Et octabo die ſtante Febr. ipſe Dux cepit in Durrachi, & ibi comprædendit Dux Veneticorum, & navigie eorum cum multi homines.

Mill. LXXXIII. Ind. VI. (44) Tulit ipſe Dux multa millia ſolidorum ab ipſis Barenſes, & fecit eis pro exinde magna tribulatio, & capſiones; & perrexit ſuper civit. Canni, & pugnavit eam, & X. die intrante Julii comprædendit eam per vim.

Mill LXXXIIII. Ind. VII. (45) Diruit Canni; & iterum tulit multos ſolidis in Bari, & perrexit Roma, & ingreſſus eſt in urbm̃, tulitque inde Papa Idelpdo, & adduxit ſecum.

Mill. LXXXV. Ind. VIII. (46) Tranſiit ipſe Robb. in Romania in menſe Octubr. In menſe Januarii commiſit bellum in mare cum ipſi Benetici, & vicit. Ildeprando Papa mortuus eſt in Salerno. Et in menſe Julii, in die S. Alexii, obiit Robb. Dux in Kefalonia.

Mill. LXXXVI. Ind. IX

Mill. LXXXVII. Ind. X. Nono die intrante Magii adduxerunt noſtri Barenſes Beatiſſimi S. Nicolai corpus.

Mill. LXXXVIII. Ind. XI. *(47) In menſe Sept. X. die intrante, feriâ VI. magnus Terremotus factus eſt per omnem terram noſtram, ut fundamenta moveret.

Mill. LXXXVIIII. (48) Ind. XII. Mortuus eſt Urſo Archiepiſcopus * & electus eſt Helias. Et fecit Bari cum Boamonte.

Mill. LXXXX. Ind. XIII. (49) Menſe Sept. intravit Urbanus Papa in civitate Bari, & conſecravit Helias Archiepiſcopus in civitate Bari prid. Kal. Octubr. Et in Kal. Octubr. edificavit confeſſionem Sancti Nicolai.

Mill. LXXXXV. Menſe Januar. Ind. III. Juraverunt Barenſes à Domino Helia Archiepiſcopus obſcultandum illum, quod jufſerit pro communi ſalvatione.

Mill. LXXXXVI. Indict. IIII.

Mill. LXXXXVII. Ind. V. Inſpirati à Deo multi occidentales, Regib., Comitibus, Princib. cum ſuis multis exercitibus equeſtres, & pedeſtres, magni, & parvi, divites, & pauperes, ſenibus, & juvenibus, infantibus; etiam multe mulieres cum illis, & Epiſcopis, Preſbiteri, Abbatibus, Monachis, & Heremites cum maxima virtutes per conſenſum Pape Urbano; & fecerunt ſibi omnes ſignum Sancte Crucis in veſtimentis ſuis; & alii perrexerunt per terram Ungarie uſque Conſtantinopoli: alii intraverunt in navibus. Barenſes ſimiliter per omnes civitates maritime noſtre totius Provincie intraverunt dandum naulum, paſſando cum magnis, vel infinitis navibus majores, & minores; quatinus Deo auxiliante irent, & expugnarent, & contererent omnes Sarracenos Deo revelles, & per vim intrarent Hieroſolimis, expellendum inde omnes Paganos, regnandum ibi Xriſticolas omni tempore uſque in perpetuum. Amen. Tandem ipſe Imp. Conſtantinopoli Alexius occupavit illum pro eis magnus timor, vel tremor; ne fortè illum à ſuo Regno eicerent. Cœpit illi abſconſe, & callide impedire, & per montibus, vel clauſuriis Vulgariæ, ſimiliter Ungarie multi ſunt occiſi, & necati fame, quia non erant conjuncti. Poſtquam fuerunt adonti magna multitudo Conſtanpl, & concordaverunt ſe cum Ipſo Imperatori, & fecerunt ei de ſuo Regno ſecuritatem, tandem obtulit eis dona magna, & navigie, cum quo transfretaverunt quaſi ſexcenta milia; & protinus perrexerunt NiKyam; commiſeruntque bellum cum Sarracenis, qui ibi erant; & Deo auxiliante, miſerunt eos in ore

(43) De bello inter Imp. Alexium, & Ducem Robertum Petrus Diac. l. 3. c. 48. Gaufredus Malat. l. 3. c. 27. & Guilielmus Apul. l. 4. At eo anno, qui à noſtro ſuo more ad Kal. Septembris numeratur annus 1082. ſed jam dictis Auctoribus eſt communis 1081. quo nimirum Alexius, ut tradit Zonaras, recens potitus rerum, nunciata Ducis Roberti expeditione contra Epidamnum (hoc etiam nomine dictum eſt Dyrrachium) & ipſe illuc profectus eſt, commiſſoque prœlio, victus turpiter fûgit: eo, inquam, anno 1081. dies S. Lucæ 18. Octobris incidit in feriam II. non III. quo anno litera Dominicalis fuit C. De capta autem Dyrrachio præfati etiam Auctores. Sed Guilielmus captum tunc dicit filium Ducis, non ipſum Ducem Venetorum, ut a noſtro perhibetur. Cæterùm idem noſter hoc loco uni, eidemque anno contribuit menſem Octobrem, & ſubſequentem Februarium, quippe annos exorditur à Septembri.

(44) De Cannis obſeſſis, & expugnatis à Duce Roberto Guilielmus Apul. l. 4.

(45) Dirutas à Roberto Cannas Guilielmus quoque narrat l. 4. quam hoc anno Romualdus Salern. ex noſtratibus: ex exteris Bertoldus Conſtant. aliique Romam profectum affirmant; ſed Malaterra l. 3. c. 33. & 37. accerſitum à Papa ait in 1082. & 1083. iter intendiſſe.

(46) Adeſſe jam cœperat Autumni tempus, cùm Dux Robertus iterum in Romaniam transfretavit, ut habet Guilielmus l. 5. ſed Malaterra l. 3. c. 40. magis ſignatè, congregaſſe ait naves apud Hydruntum menſe Septembri, & dein trajeciſſe. Trajecit itaque, ut perhibet noſter, menſe Octobri, conflixitque cum Venetis in Januario proximè ſubſequuto, victorque evaſit, quod ab eodem Apulo auctore ibidem affirmatur. Liquidiſſimè hinc etiam patet, annos à noſtro inchoari à Septembri, qui eodem an. 1085. adſcribit menſem Octobrem, & proximum Januarium. Sanè obitum Ildeprandi, ſeù dicas Gregorii 7. & Ducis Roberti omnes referunt ad unicum communem jam dictum an. 1085. & Malaterra, qui l. 3. c. 41. figit ad antecedentem, quo Solis maximam Eclipſim factam die 6. Februarii, inter Sextam, & Nonam per ſpatium trium horarum notat, Aſtronomi dijudicent, an tempora rectè conſignarit.

(47) Haud in an. 1088. ſed in 1087. dies 10. Septembris incidit in feriam 6. qui annus habuit literam Dominicalem C. Eſt tamen hæc conſueta noſtro Auctori annorum anticipatio, qui eos antevertit, ac exorditur ab Septembri, ut pluries dixi; quo etiam calculo Lupus Protoſp. uſus, præſentem Terræmotum in annum pariter refert 1088. dicens factum *per totam Apuliam*: Sed Barenſis iſte ait, *per omnem terram noſtram*: quippe Barium, ut Petrus Diac. affirmat l. 3. c. 44. & l. 4. c. 106. caput fuit Apuliæ. Lupus autem Canonem annorum à noſtro uſurpatum obſervaſſe deprehenditur; cùm ad an. 1017. 1042. 1043. 1047. & 1081. diſparatorum annorum menſes in unum confert annum.

(48) Barium obtinuit Boamundus poſt initam cum fratre Rogerio concordiam, de qua Malaterra l. 4. c. 4. & 10. Confer Joannem Archid. Barenſ. relatum.

(49) Si Helias in Archiepiſcopum Barii eſt conſecratus Prid. Kal. Octobris, ut perhibet noſter, utique conſecrationis ejus Diploma exaratum die 9. Octobris, atque, ut ibi aſſeritur, in an. 1089. qui noſtro eſſe cœperat ann. 1090. non ipſam conſecrationem eo die actam, dicendum eſt.

Digitized by Google

ore gladii, & intraverunt civitate: ipsa in sua potestate tenuerunt. Et inde recedentes, totam Romaniam, atque Armeniam peragrantes cum multimodis periculis, & prœliis perrexerunt Antiochia; & obsessa est igitur ab exercitu Domini viriliter; quam mirabiliter illos expugnantes, & multi ex utraque parte cecidebant. Transactis paucis diebus nuntiatum est eis, ut Corbarann Principem militie Regis Persarum in eorum mortem conjurasse; & cum innumerabili exercitu ad eos veniret, & flumen Eufratem præterisse. Deus qui perseverantes in se non deserit.

MLXXXXVIII. Ind. VI. * Tradita est eis Antiochia à civibus in Nonis Junii. Occiderunt omnes Paganos. Sequenti ergo die adveniens Corbaran cum plure Regibus, & obsedit civitate, & compulsi sunt commedere carnes equorum, & asinorum. Inimici autem cupientes compellere eos inopia victus; sed Deus revelavit eis Lancea, qua perforatum est corpus Christi, sub pavimento quasi duo statura homines inuenta est; & vigilii Apostolorum Petri, & Pauli miserunt nuntios ad Corbaran: Hæc dicit exercitus Domini. Recede à nobis, & ab hereditate B. Petri, alioquin armis fugaveris. Quo audito Corbaran, evaginato gladio juravit per Regnum, & Thronum suum, quia defenderet se de omnibus Francis, & terram ipsam possideret, & nec verbum av illo jam audirent, donec derelicta Antiochia Christum denegarent, & Regem Persarum profiterentur. His auditis Christiani, confessione mundari, perceptione corporis, & sanguinis Christi firmiter armati, porta egressis, Lancea Domini præeunte, & ligno Dominico, cœperunt prœliari, Deoque inuante, predictos Principes Turcorum confusos, & omnino victos in fugam verterunt, & numeros eorum occiderunt feliciter. Igitur cum lætitia maxima celebrantes.

MLXXXXVIIII. Ind. VII. * (50) Tertia die intrante mense Octubr. vênit Papa Urbanus cum plures Archiepiscopi, & Episcopi, Abbatibus, & Commitibus, intraverunt in Bari, & suscepti sunt cum magna reverentia, & præparavit Domino Helia nostro Archiepiscopo mirificam sedem intus in Ecclesia Beatissimi Nicolay confessoris Christi. Et fecit ibi Synodum per unam ebdomada. Post completis dies octo perrexit in pace; & in mense Julii obiit ipse Papa Urbanus, & surrexit Pascalis Papa. Et in ipso mense capta est Hierusalem per vim ab ipsis Christianis, qui ob amore sanctis Sepulchri perrexerant ibi, & miserunt omnes Paganos in ore gladii.

MCV. Ind. XIII. Vênit Boamundo ab Anthiocia in mense Janu. Et X. Kal. Junii obiit Helias Archiepiscopus.

MCVI. Ind. XIIII. (51) Mense Septembr. perrexit Boamundus in occiduas partes auxilium exinde milites quærere; & factum est, cum multitudine Francorum insuper, & filia Philippi Regis, Constantinam nomine, in conjugio accepit; & in eodem anno mense Augusti reversus est.

MCVII. Ind. XV. Perduravit hac in Provincia, præparandum navigie magne, & parve.

MCVIII. Ind. I. Mense Septembr. celebravit sanctam Missam super sanctum Altare, ubi Beatissimi Sancti Nicolai corpus deget, & deinde perrexit ad portum Brindisinum cum XXXIIII. millia inter equestres simul, & pedestres; & naves magne, vel parve CC. & XXX. galêe.

Decimo die intrante Octuber transfretavit pelagus, devenitque in ipsa Velona: intravit in ea pacificè: similiter & ipsa canina. Deinde perrexit Durachio, & obsedit ea, nec potuit capere, fecit pacem cum Imperatore.

MCVIIII. Ind. II. Mense Octubri Boamundus transfretavit Idrontum.

MCXI. Ind. IIII. (52) Mense Feb. obiit Roggerius Dux. Et eodem an. mense Martii obiit frater ejusdem Ducis Boamundus.

MCXII. Ind. V. (53) XIIII. die intrante mense Aprili, Dominico die in Palmis Domnus Risus intravit in Barinam sedem. In mense Junio, in festa Sanctorum Petri, & Pauli obiit Leo Abbas Sancti Benedicti.

MCXIII. VI. Ind. VII. die intrante mense Martii Abbas Vincentius intravit Monasterium Sancti Benedicti.

MCXIIII. Ind. VII.

MCXV. Ind. VIII.

Concinniori aliquantulum forma isthæc alia in exemplari statim post vacuum annum MCXV. Indict. VIII. *exarata, styloque minus deformi descripta, haud eidem ascribenda, sed alteri, Barensi nihilominus, videntur Anonymo.*

PAschalius filius Passari, & Nicolaus Tirra nepos ejus, filius Sergii, qui & Ungruli, noctis hora miserunt duos homines, qui positâ scalâ ligneâ super domum Nicolai Garzonis ascenderunt occultè, & leviter in Turrem filiorum Melis Joannis Patricii; nam vigil Turri manebat sub eo orreo, in quo illi ascenderunt; & clam descendentes intus per scalam Turris, apprenderunt vigilem, & comprehensam Turrem diruerunt usque ad tria orrea; unde multa bella sunt commissa inter cives utriusque partis, in quibus nonnulli juvenes occisi sunt.

MIII. CXVII. Ind. X. Petrus Joannizzi, & Nicolaus Joannis Usure cum societate sua diruerunt Turrim B. Nicolay, quæ erat prope Turrim Nicolai Melis Pezie; sub cujus ruina mortuus est præfatus Nicolaus Joannis Usure cum maxima manu nobilium Barensium. Eodem quoque anno per afurnarium sororis Grimoaldi de Guaragna tradita est Turris Majonis Polinianensis præmemorato Petro Johannizzi; qui & proditorem à summo Turris

(50) Dixi ad Lupum Synodum Barensem ab Urbano 2. actam in ann. 1098. mense Octobris: eamdem quamsolidissimè nunc firmat sententiam noster; cui more suo celebrata ea asseritur in an. 1099. inchoato à Kal. Septembris: nec Lupus, qui eundem calculum est professus, ut hîc dixi ad an. 1088. quid diversum prodit.

(51) Annum à Septembri ductum extendit ad subsequentem Augustum, ut solet, noster; nam Boamundum communi ann. 1106. ad Gallias profectum, Chronicon notat S. Albini apud Sirmondum in Notis ad Goffridum Vindocinens. Guilielmus autem Tyrius l. 11. c. 1. Boamundum dicens Gallias petiisse in an. 1104. capiendus est de discessu ejus è Syria; quandoquidem in Apuliam ille pervênit mense Januario, anno 1105. ut tradit noster. Itaque jam dicto communi anno 1105. mense Septembri susceptum prosequutus iter, in Galliis aderat ann. 1106. estque in Apuliam reversus eodem anno, mense Augusti.

(52) De anno obitus Ducis Rogerii, & fratris ejus Boamundi dixi ad Falconem.

(53) In hoc anno Bisextili, quo literæ Dominicales fuerunt G. F. estque Pascha celebratum die 21. April. verè Dominica Palmarum incidit in 14. prædicti mensis.

Digitized by Google

vis deorsum prohici fecit : impulerat enim ipse prædictæ Turris vigilem Sarracenum à summa altitudine ad terram, quando prodidit eam; atque octavo die post captam Turrim eam subverti fecit.

MCXVIII. Ind. XI. Mense Septemb. post factas utrimque sicut dicebatur, securitates, Grimoaldus filius Guaragne sub consiliandi specie vocatum ad se Argiro, nepotem Danihelis, in captione posuit. Post triduum de captione fugit, sicque magnum bellum inter eos exortum est; atque post tertium diem belli Riso Archiepiscopo cum monitionibus B. Nicolay, proibente per omnia Grimoaldo, cum servientibus B. Nicolay pecunia & victu, capte sunt due Turres prædictæ, Argiro cum curia, & omnibus domibus suis: ipse verò fugiens, declinavit ad domum consobrini sui Petri Johannitii. Post aliquot autem dies prememoratus Archiepiscopus ibit Canusium ad Ecclesiam B. Sabini. Ibit & predictus Argiro Tranum; ibique communicato consilio amicorum expectabat reditum Archiepiscopi, & paucis decursis diebus, paratis insidiis prope Ecclesiam B. Quirici infra Cannas, & Barolum, interfecit eum. Revertenti Argiro Tranum, milites Andrensis Comitis Joffredi redeuntes à vigilia obviaverunt, & captum Barolum duxerunt, & nocte delapsa, die Dominico manè suspendio interiit Grimoaldus, cujus supra memini, & Joannes frater Archiepiscopi prenominati diruerunt Turres ejus, & domos omnes funditus subverterunt.

Quæ subsequitur notula ex variantis antiquæ scripturæ, & adnotati anni apertissimo indicio, tribuenda certè est Librario, simulque Auctori antedictis recentiori.

Mill. CXLIX. Luna Mar. XII. Eclypsim passa est, nocte Sabbati ante Palmas, quippe cùm esset plena, siquidem sexta feria XXV. die ejusdem mensis, octavo videlicet Kal. Aprilis extiterat XII. sequenti nocte Sabbato illucescente, & clarè lucente nona hora noctis subitò obscurate sunt ferè due ejus partes inferiores, & tertia ejus parte clarè fulgente superiùs.

Et Græcorum hæc Imperatorum Series ex præcedenti Chronico, paucis tantùm mutatis, excerpta, post binas vacuas paginas manu anterioris Librarii fuerat exarata, quas idem ille per otium erat, fortè, post descripturus. Sed re non præstita, Librarii posteriores suis notulis, ut dictum est, eas nec totas occuparunt.

Michayl cœpit regnare cum prima Ind. Anno IIIX. regnavit, & post ipsum Basilio. Basili ParaKymomeno Ind. quartadecima. XX. annos jam expletos migravit à seculo. Filii ejus regnaverunt Leo, & Alexandro. Isti acceperunt Regnum cum quarta Ind. XXVI. annos regnantes, sua vita finiunt. Successit Regnum Constant., jam dicto Leo filius. Constant., qui successit Ind. XV. XXXXVII. annos vixit, & defecerat. Romano filius ejus Regno ascenderat. Romano ascendit Regnum secunda Ind. Septuaginta annos Rex cum Constans, & Basilio, NiKyforo, & SimisKy balos suos filios. Romano gener Constant. Ind. XII. Postquam regnavit annos quinque, Michail surrexerat. Michail, qui & Calafati, secunda Ind. cœperat: octo annos cùm regnasset, de hac vita discesserat. Michaëli, qui dicitur Cesar, surrexit cum decima. Primo anno cùm regnasset, deinde postpositum, pro qua Theodora exiliavit, evulserat ejus oculos. Const. Monomacho Ind. XI. annos XIII. regnavit Theodora. Surrexerat Theodora jam cum nona, annos duos vixerat. Michaëli Utringa cum undena, uno anno stiterat. IsaKy Conniano ascendit in ipsa undecima, & regnavit annos duos. Et post DuKyza cœperat Const. Qui DuKyzi Ind. III. XVIII. annos cùm regnasset, Romano ascenderat. Romano, qui & Diogeni, Ind. sexta, annos quinque. Post regnavit Michail. Ascenderat Michail ParapinaKy Ind. XI. annos quinque cùm regnasset, NiKyforo ascenderat. Nisori. Botaniati cum prima Ind. per vim intravit, & comprehensit ParapinaKy miserum: uxor ejus sibi vi tulit in lecto sue proprio, & ille egecit à regno, induitque eum monachum. annos tertio regnavit, progectus est à solio. Alexius per vim intravit cum IIII. Ind. deposuit Botaniati, & devênit miserum, induitque Monachilem, & perrexit irritum. Regna. . . .

Nec plura Historica in Codice Salernitano: annosque Alexii non adnotavit hic Auctor, quem defunctum non vidit.

Finis Chronicon Anonymi Barensis.

CA-

Digitized by Google

CAMILLUS PEREGRINIUS.

IMperatorum eodem Chronico descriptorum Epilogum ad finem ejus adjectum sic exponо.

Michaël Theophili Imp. filius, qui sub tutela matris imperavit an. 14. solus an. 11. ut Cedrenus, & Zonaras produnt, Basilium adoptavit in filium die 26. Maji, Indict. 14. an. 866. Primus itaque annus postremorum XIII. annorum Imperii ejus ante Basilium adoptatum (hæc enim videtur nostri Auctoris lectio, & mens sincera) incidit in Indictionem 1.

Basilius Macedo ab Indict. 14. an. 866. regnavit an. 20. expletos, inchoatos 21. Cum Michaële an. 1. solus 19. (sic ejus tempora distinguunt laudati superiùs Auctores) usque ad Indict. 4. an. 886.

Leo, & Alexander filii Basilii acceperunt Regnum Indict. 4. an. 886. Regnavit Leo an. 26. præcisè 25. & mens. 3. auctore Zonara, ac pervênit ad an. 911. Alexander advixit per alium annum, & mensem, ut idem Zonaras tradit. obiit Ind. 15. an. 912.

Constantinus Porphyrog. filius Leonis successit patruo Alexandro vita functo Indict. 15. sed coronatur proxima Indict. 1. an. 912. sive 913. inchoato à Kal. Septembris. Regnavit an. 47. usque ad Indict. 2. & an. 959.

Romanus filius superioris Constantini, dictus junior, successit in Regnum Indict. III. non Indict. II. an. 959. vel dicas 960. inchoato à Kal. Septembris, cujus, & filiorum ejus Basilii, & Constantini tempora, qui cum eo, & post eum, imparibus tamen annis simul regnarunt (coronatus est Basilius à patre, ut ait Cedrenus, in festo Paschæ, eadem Indict. 3. an. 960. Constantinus natu posterior triennio post) anni in solidum fuerunt 70. sed cavi, inclusis in ea summa annis interjectorum Impp. Nicephori, & Tzimiscæ. Porrò annus 41. horum fratrum mihi ex antiquis Tabulis descriptus in Prima parte Historiæ PP. Langobard. erat, fortasse, juxta hunc calculum, secus ac ibi feci, exponendus, discrepantibus quamvis, ut aliàs sæpe, nostris calculis Græcorum (mitto Tabulariorum multimodas subducendorum annorum rationes, sed & hallucinationes) de qua discrepantia nonnihil supra.

Romanus Argyrus surrexit Indict. 12. an. 1028. sive an. 1029. inchoato à Kal. Septemb. quo obiit præfatus Constantinus. Regnavit an. 5. & insuper menses ferè 6. Librario omissos: usque ad Aprilem Indictionis 2. & an. 1034.

Michaël Paphlago, non Calæphatus, surrexit dicta Indict. 2. an. 1034. Regnavit an. 4. (non integros ait Zonaras) usque ad Decembrem Indictionis 10. an. 1041. sive dicas 1042.

Michaël Calæphatus ex sorore nepos Paphlagonis, à quo adhuc vivo in Cæsarem, ut perhibet Zonaras, asoitus, cœpit regnare Indict. 10. mense Decembris, anno dicto. Regnavit per annum, sed non exactum; nam post mens. 4. vel. 5. excœcatus est mense Majo, Indictione, & anno prænotato. Zoës superioris Constantini filia, uxor primùm Romani Argyri, dein Paphlagonis, regnavit cum sorore Theodora post Calæphatum per mens. 3. teste Zonara: nempe usque ad indict. 11. ac Septembrem commmunis anni 1042. sive inchoati 1043.

Constantinus Monomachus tertius Zoes maritus regnavit ab Indict. 11. & anno jam dicto per an. 13. (præcisè an. 12. mens. 8. ait Zonaras, qui computasse simul in hac summa videtur tres menses solius Zoes) usque ad mensem Decembrem, Indict. 8. an. 1054. sive 1055. jam inchoatum.

Theodora superiùs dicta, soror Zoes, non surrexit, sed obiit Indict. 9. quæ post Monomachum regnavit an. 2. non exactos: hoc est, ut perhibet Zonaras, an. 1. mens. 9. nempe usque ad exitum mensis Augusti Indictionis prædictæ, elabentis anni 1056.

Michael Stratioticus, à nostro dictus Utringa, à Lupo detracta litera *t*, ac mutata *V.* in *B. Bringa*, non surrexit, sed abdicavit se ineunte Indict. 11. qui post Theodoram regnavit per annum usque ad præfatam Indict. & an. 1057. sive ineuntem 1058.

Isaacius Comnenus ascendit Kal. Septembr. ineunte Indict. 11. communi an. 1057. sive 1058. Regnavit an. 2. &, ut prodit Zonaras, per alios mens. 3. usque ad Decembr. Indict. 13. & exeuntem communem an. 1059. sive dicas inchoatum 1060.

Constantinus Ducas cœpit regnare Indict. XIII. non III. regnavit an. VIII. non XVIII. (Librarius per summam inertiam denarii notam ab Indictione traduxit ad annos) & pervênit ad Indict. 5. & mensem Junium; atque adeò ad an. 1067. Zonaras definitè ei imputat an. 7. & menses 6.

Eudocia uxor antecedentis Constantini cùm imperasset per mens. 7. & dies aliquos, usque ad ineuntem communem an. 1068. & Indict. 6. Romano nupsit Diogeni.

Romanus Diogenes Eudociæ maritus ascendit in Regnum Ind. 6. ineunte communi an. 1068. Regnavit an. 5. non integros; quibuscum simul computantur mens. 7. & dies Eudociæ. Itaque ipse regnavit an. 3. & mens. 8. quot ei adjudicat Zonaras; ac pervênit ad Septembr. Indictionis 10. communis anni 1071. sive ineuntis 1072.

Michaël Parapinacius Constantini Ducæ filius in Regnum ascendit inchoata Indict. X. communis an. 1071. qui nostro est exoriens an. 1072. non autem ascendit Indict. XI. qui annus nostro esset 1073. communis 1072. annusque vacuus inter eum, & Diogenem supereresset. Verùm idem noster quia assignat Parapinacio an. 5. quos Zonaras facit 6. & mens. 6. jam tempora sic exæquantur, regnasseque Parapinacium constat usque ad Martium Indict. 1. an. 1078.

Nicephorus Botoniates, deturbato Parapinacio, Imperium adeptus, ejusque uxore abusus est ab Martio, Indict. 1. an. 1078. ad April. Indict. 4. an. 1081. imperavit an. 3.

Alexius Comnenus intravit Ind. 4. die 1. April. an. 1081. *Regnavit an. 37. mens. 4. & dies aliquos. Vix an. 70. aut circiter. Obiit an. Mundi 6626.* Christi 1118. (*mense Augusti*): quæ addo ex Zonara, nostro Auctori non descripta, quia nec visa, ut reor. Imperatorum itaque hoc Chronico descriptorum tempora sic dirigenda, ac sicubi alium Canonem secutus secus commiserim, ad hanc normam exponenda dijudico, denuncioque.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIÆ
PRINCIPUM LANGOBARDORUM
LIBER SECUNDUS,

Qui continet Dissertationes de Institutione, Finibus, & Descriptione antiqui Ducatus Beneventani,

CUI ADJICITUR

SERIES ABBATUM CASINENSIUM
A PETRONACIO BRIXIANO,

Et ab anno DCCXX.

AD ABBATEM RAINALDUM CALAMENTANUM,

Et ad annum MCXXXVII.

Demum Dissertationes tres, nempe de Colimentana Familia, de significatione nominis PORTA, & de antiquo situ urbis Capuæ.

AUCTORE

CAMILLO PEREGRINIO
ALEX. FIL. CAMPANO.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI MONITUM.

Hiſtoriam Principum Langobardorum, cui ab Erchemperto illuſtrato initium fecit Camillus Peregrinius, in tres libros partitus fuerat doctiſſimus Auctor. Ac primum quidem integrum, ſecundi verò partem primam typis Neapolitanis edidit, & duas alias in poſterùm ſe daturum ſpopondit, eæque ſequentes diſſertationes ab eodem Auctore indicatas continebant:

IN SECUNDA PARTE.

I. DUcatus Beneventanus tranſibat ne ad hæredem.
II. Dux Beneventi cur poſtea dictus eſt Princeps.
III. Principatus Salerni fines, qui inſtitutus fuit ex diviſo Principatu Beneventano in ann. DCCCLI.
IV. Principatus Capuæ ab Langobardis quando inſtitutus.
V. Principatus Capuæ fines, etiam per tempora Principum Nortmannorum.
VI. Langobardorum Italiæ Cis-Tyberinæ occaſus.
VII. Italia Cis-Tyberina ex quibus Dynaſtiis in Regnum coaluit.

IN TERTIA PARTE.

Erant Canones Chronici infra deſcripti.

I. DUcum Beneventi intervalla annorum ab primo Duce Zottone ad primum Principem Arichim, & ad an. DCCLIIX. fuſiùs expoſita, quàm fecerim Libro primo.
II. Canon Chronicus Principum Beneventi ab primo Principe Arichi ad Princ. Atenulfum I. Hoc eſt ab anno Chriſti DCCLVIII. ad an. DCCCC.
III. Canon Chronicus Principum Beneventi ab Atenulfo I. ad omnium poſtremum Principem Landulfum VI. Hoc eſt ab anno Chriſti DCCCC. ad annum MLXXVII.
IV. Canon Chronicus Principum Salerni ab ejuſdem Principatus origine, atque ab primo Principe Siconolfo ad poſtremum Principem Giſulfum II. Hoc eſt ab an. DCCCXXXIX. ad an. MLXXV.
V. Canon Chronicus Principum Capuæ Langobardorum ab ejuſdem Principatus inſtitutione, & ab Princ. Pandulfo I. uſque ad ejus Principum Langobardorum ultimum Landulfum V. hoc eſt ad an. MLIIX.
VI. IN APPENDICE. Canon Chronicus Principum Capuæ Nortmannorum ab omnium primo, Richardo Averſæ olim Comite ad Princ. Henricum, filium Guilielmi I. Regis Siciliæ. Hoc eſt ab an. MLVIII. ad annum MCLXXII in quo Campanorum Principum conſtans defecit ſucceſſio, ſervato nihilominus deinceps in Actis publicis nomine Principatus ad obitum uſque Reginæ Joannæ II hoc eſt ad annum MCCCCXXXV.

De tertio tandem Hiſtoriæ ſuæ libro ita lectores monuit, cùm indicem operis concinnaret:

Res autem memoratu dignas in ipſis antiquis opuſculis primi libri deſcriptas, ſub hoc indice non colligo, eas daturus, & ſimul expoſiturus alia vice in alio peculiari unà cum indice barbararum dictionum iiſdem in opuſculis compræhenſarum, qui juſti Commentarii, ac tertii libri meæ Hiſtoriæ Langobardicæ loco erunt.

Incertum an morbo, quo ſe vexatum dolebat cùm libros eos edidit, impeditus, an morte ſublatus id minimè præſtitit, non ſine Langobardicarum, & Nortmannicarum rerum averſa fortuna, quæ ab acris ingenii viro maximam lucem erant accepturæ. Nos anxiæ curæ minimè pepercimus, ut ſi quid adhuc ea de re ſupereſſet, amicorum opera nanciſceremur, & quamvis D. Franciſci Vallettæ J. C. Neapolitani bonarum literarum cultoris, aliorumque in ea urbe doctorum Virorum diligentiam adhibuerimus, nil invenire potuimus, quod acceſſione ſua Peregrinii opus abſolveret. Hiat itaque in editione noſtra lacuna eadem, quæ in prima ipſius Auctoris, tunc nobis implenda cùm è tenebris emerſerint poſthumæ diſſertationes, quas recitavimus, & ille fortaſſis paraverat. Eas verò ſi adhuc alicubi lateant, & amator quis antiquitatum feliciori fortuna in lucem revocaverit, ſi ad nos, ut rogamus, remittat, Socios omnes officio gratiſſimo ſibi devinxiſſe re ipſa cognoſcet.

In hac præterea editione conſilium Clariſs. Muratorii ſequuti fuimus, & primum quidem librum ejuſdem Peregrinii dedimus tomo ſecundo collectionis noſtræ, quòd ea omnia, quæ ad Langobardos Beneventanos Principes pertinent, complectatur, atque ad eam ætatem ſint referenda, quæ aſſignatum in ſerie locum expetebant. Alterum nunc librum damus ob eamdem rationem, quòd res in eo contentæ propiùs accedant ad poſteriora hæc tempora, & hiſtorias Quatuor Chronologorum, quibus Peregrinii notas ſubtexuimus, ut plurimum ſubſequantur. Et ne quid deſiderandum ſupereſſet è ſcriptis laudatiſſimi Auctoris, diſſertationes eas recudimus, quas illa vernaculè conſcripſerat, quaſque in ſua præfatione ad primum librum Muratorius noſter promiſerat ſe infra daturum. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATORIA

CAMILLI PEREGRINII.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

CAMILLO MELZIO

CAPUÆ ARCHIEPISCOPO

NUNTIOQUE APOSTOLICO APUD CÆSAREAM MAJESTATEM.

QUi patriæ amor humanis insidere pectoribus, scriptoresque vexare admodum solet, ILLUSTRISSIME DOMINE, haud sua dulcedine animum adeò perfudit meum, ut suavissimo veri etiam amore non tenear, optemque præclararum urbium hujus Regni laudes silentio premi, oblivionique tradi; quoniam iis Capuæ decus, quæ natale mihi solum, offuscari, vel minui videatur: Tuo nimirum exemplo edoctus, qui unus cunctis excultissimi, præstantissimique viri ornamentis redimitus, in præclarorum virorum, gestorumque laudibus continuè, & cum voluptate versaris, excellentis id esse virtutis peculiare munus quamconvenientissimè ratus. Namque cur aliis suas invideam laudes, minimè quidem habeo; vel si meæ urbis spectem uberis soli, benignique cœli, & naturæ dona; vel si humanas quasvis mente concipiam prærogativas, quibus affatim ea redundat, meritissimèque gloriatur. Est enim Capua singulari Dei beneficio hoc dignata munere, ut ab ejus incunabulis & ante annos plus minùs bis mille quingentos circumpositarum urbium obtinuerit principatum, pluresque postea passa calamitates, & excidia ad primitivam semper redierit dignitatem, aliisque vel præesse, vel præferri, interruptis licèt vicibus, perque temporum intervalla bis, & tertiùm suorum civium virtute freta, minimè verò ex supremi alicujus Regis arbitrio, obtinuerit; nec nostra hac ætate super cæteras omnes Regni civitates præsigni non etiam fulget decore; quippe quæ post clarissimam Neapolim Metropolim primas in generalibus Regiis Comitiis facilè obtineat, ac tueatur. Alienæ itaque gloriæ cùm non sit mihi invidendum; nec Campanos meos magnopere de hoc, sed de præcellenti illa Avorum nostrorum dignitate recentibus meritis, clarisque operibus conservanda, augendaque sollicitos esse velim, communem nostratium Langobardorum Historiam, qua præcipuarum urbium hujus Regni patefient primævi honores, carptim exponendam suscepi, ut per quos rerum casus Cis-Tyberina hæc Italia in præsentem post Romani Imperii occasum devenerit statum, liquidò cognoscatur; vicinissimoque exemplo moneantur, qui nunc vel prospera, vel adversa utuntur fortuna, nec insolentia ferri, nec desperatione dejici: sed alteram sortem vel cautè timeant, vel sperent tandem non defuturam. Et Capua quidem Te Archiepiscopum cùm obtinuit, à benigniori quodam sydere aspici visa est; qui acri ingenio, miraque dexteritate, & quod præstantissimæ Tuæ virtutis specimen est, eximia morum gravitate, & innocentia, atque animi in primis moderatione, multimodaque doctrina, & Juris præsertim prudentia præditus (Tua nunc mitto Historicæ, ac cæterarum amœnarum studia facultatum) sola Tui nominis majestate, quod totius Romanæ Curiæ favor ex diutino, nec uno experimento concelebrabat, collabentes mores erexisti, ordinesque Ecclesiasticos suæ dignitatis memores reddidisti, spemque fecisti, cætera quoque omnia in lætiorem, decentioremque faciem brevî esse reditura. Sed & tu, ILLUSTRISSIME DOMINE, postquam digniſſimo isto munere Pontificiæ Legationis ad Cæsaream Majestatem felicissimè fueris functus, ad nos lætus redeas, & incolumis, quod unanimi bonorum omnium voto à D. O. M. summis precibus efflagito; meumque juge obsequium, devotionisque in Te meæ exiguum hoc monumentum benignè excipe, atque si tanti est, ipsum etiam fove. Vale.

Illustris. & Reverendis. Dominationis Tuæ

Deditissimus Servus
Camillus Peregrinius Alex. Fil.

CAMILLUS PEREGRINUS
A MUNICIPALE CIVIS AD LECTOREM.

HAud magnam de meis me hisce studiis confidentiam alere, Langobardorumque antiquitatem, aliis neglectam, minimè ad vulgi gustum exponentem, falli etiam potuisse, cur modò negabo, Amice Lector, qui priorem Librum, cùm ejus editionem aggrederer, nimia festinatione congestum, ac procusum fuisse, non ignoraverim, nec tacuerim? At in ipsius operis limine perquam deformiter me offendisse, vanaque jactantia, atque ut autumant, assentandi studio angustos terminos antiquæ Provinciæ, seu Ducatus Beneventani, quem cum Carolo Sigonio de Regno Italiæ Lib 7. persuasum habent, antiquo fermè Samnio inclusum, finibus præstantissimi hujus Regni Neapolitani æquiparasse, hoc sanè elaboratissimi scientia, maturaque observatione cum pronuncaverim, nullo equidem modo animo ferre possum. Et quis meus in Beneventanos cives amor, apud quos antehac ne notus quidem fueram, valuisset immeritam genti laudem, in hac præsertim curiosissima, peritissimaque omnis eruditionis ætate, impellere, ut adscriberem, cùm in pangendis carissimæ, nobilissimæque meæ Patriæ laudibus, ubi locus fuit, durior, nimisque sobrius, quinimmo & injustus, meis municipibus sim visus; susceperimque non urbium, vel populorum encomia in Declamatorum morem congerere; sed penitissimam verè & severè exponere antiquitatem; quam fucis, & coloribus artificiosè obumbratam, nec gratiam, nec fidem ullam apud solidæ doctrinæ peritos demereri me posse non ignorabam? Secundum itaque Langobardicæ meæ Historiæ Librum, cujus editionem maturabam, cùm de prioris Epigraphe iniquum, quod dixi judicium, accepi, in vices dispertiendum partes est visum; primamque à Typographo oppartunè jam absolutam, quæ Ducatus Beneventani institutionem, priscosque latissimos ejus fines, observatamque in eo à Langobardis Dynastis descriptionem exponit, nulla mora evulgandam, inustamque mihi maculam festinato diluendam esse constitui: ne scilicet dilata aliquandiu defensio majori mihi esset præjudicio futuræ; censorque meus ex Libri titulo feliciter, ut sibi persuasurus foret, prosternato audentior factus, pari fiducia in reliquum opus acriùs desævirèt, putaretque cætera quoque omnia simplici hoc dicendi genere ibi, vel alibi à me enunciata, ex animi simul levitate, & imperitè fuisse conficta. Cui laus etiam omnis, quæ urbis non sit suæ, dolere quoniam solet, haud dubito, quin visurus sim etiam ei immodicè in præmissa nuncupatoria Epistola Capuæ extulisse dignitatem, quam vel ipse ignoret, vel aliis summopere expetat ignorari. Sed sciat profectò, neminemque latére simul debet, me patriæ meæ encomia quamsobriissimè, & summatim eo loco delibasse, quæ ab omnis ævi scriptoribus honorificentissimis fuerit titulis celebrata; dictaque Alta *Sillio Ital. lib. 12. & Prudentio in Hymno 11.* Amplissima *Ciceroni cont. Rull. 2.* Ἀρχαῖον κάστρον, Antiqua urbs *Constantino Porphyrog. de Adm. Imp. cap. 27.* Aurea *Anonymo Historico Salern. à me edito.* Caput urbium *Floro lib. 1. cap. 16. Eutropio lib. 2. & Isidoro Etym. lib. 15. cap. 1.* (Κεφαλὴ ἡ οὐσα κατὰ τὴν ἰτυμότητα τοῦ ὀνόματος, Caput existens juxta proprietatem vocabuli, *inquit Strabo lib. 5.*) Circumpositarum primaria *Leoni Ostien. lib. 1. cap. 52.* Clarissima *Livio lib. 26.* Colonia Julia Felix *Frontino de Coloniis*; *idque idem Strabo ibidem de Campanis sui temporis loquutus innuebat*; Νυνὶ inquit, μὲν τοι μετ' εὐτραγίας διάγουσι, Nunc autem cum felicitate vitam agunt. Dives *Virgilio Georg. lib. 2. & S. Paulino Nolano in Nat. S. Felicis 3.* Florens *Ciceroni Philipp. 2.* Florentissima *Plutharco in Hannib. si tamen ejus.* (1) Illustrissima *Alexandro Telesino lib. 2.* Τὴν μεγίστην, Ingens *Constantino Porphyr. loco jam dicto.* Maxima *Livio lib. 7. & Floro lib. 1.* Πασῶν ποτὲ μακαρίστης Omnium olim felicissima *Polybio l. 3. in Catalogo clararum urbium Campaniæ.* Μέγα κάστρον, Magna urbs *præfato Constantino ubi supra.* Μίγιστη Amplissima *Suidæ in* Καπύη. Nobilis *Livio lib. 26.* Nobilissima *eidem ibi, Paulo Diac. Hist. Romanæ lib. 15. & Sabellico Hist. Ennead. 11. lib. 1.* Nobilissima urbs Campaniæ *Pandulfo Collenucio lib. 1.* Opibus valens *Ausonio in Catal. urbium.* Opima *Sidonio Carm. 5.* Opulenta *Livio lib. 25. & Bartholomæo Fatio de gest. Alfonsi lib. 4.* Opulentissima *Livio lib. 7. & 26. & Paulo Diac. de gest. Langob. lib. 2. cap. 11. sive 17.* Opulentissima omnium, quæ procul à mari habitantur ad dexteram Italiæ, Româ exceptâ *Pomponio Melæ lib. 2. cap. 2.* Ornatissima *Ciceroni cont. Rull. 2.* Pervetusta *prædicto Fatio lib. 2.* Pinguis *Columellæ lib. 10.* Potens *Livio lib. 26.* Potens Pelago, Cultu, Penu, Delitiis, Opibus, Fama *Ausonio ubi supra.* Præclara *Ciceroni cont. Rull. 3.* Prævalida *Livio lib. 26.* Πρώτων κάστρον, Prima urbs (*omnium scilicet Italiæ cis Romam*) *Constantino Porph. loco laudato.* Pulchra *Beniamino Tudelen. in Itinerar.* Pulcherrima *Livio lib. 7.* Pulcherrima ex Italia *eidem, & Ciceroni cont. Rull. 2.* Regia urbs *Joanni Antonio Campano in Vitâ Brachii lib. 5.* Romæ æmula *Ausonio in Catal. sæpiùs dicto.* Roma altera *eidem ibi.* (2) Speciosa *in Bullis, quibus Campani Principes Nortmanni sua Diplomata muniebant.* Sublimis *Sillio lib. 17.* Validissima *Plutharco in Hannibale*; *& ut majora ejus etiam elogia prolixioribus verbis pleriisque auctoribus concepta præteream*, Uberrima *Alexandro Telesino lib. 2. Desinat itaque censor meus molestius mihi esse, deque alienis prærogativis contristari; Tuque, Amice Lector, ex tui animi in laudabilia omnia propensione, exque præclaro etiam monito sapientis viri Plinii Cæcilii lib. 8. epist. 24.* Reverere gloriam veterem, & hanc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus sacra est. *Et insuper*: Recordare quid quæque civitas fuerit, non ut despicias, quod esse desierit. *Vale.*

Dissertationes, quæ hac prima parte continentur.

I. Ducatus Beneventanus quando institutus.
II. Ducatus Beneventanus cur institutus.
III. Ducatus Beneventanus quàm latè patuit.
IV. Fines Ducatus Beneventi ad Occidentem.
V. Fines Ducatus Beneventi ad Meridiem.
VI. Fines Ducatus Beneventi ad Orientem.
VII. Fines Ducatus Beneventi ad Septemtrionem.
IIX. Ducatus Beneventi in antiquas Provincias an tributus.

DIS-

(1) Tu te, Lector, hos Auctores, eorumque hæc dicta per ætates congruè dispone; quod absque prolixo, & importuno admodum sermone mihi non licuisset.

(2) Omitto Ciceronem cont. Rull. 2. & Philipp. 12. Capuam dicentem *Alteram Romam*, qui non huc aspexit: sicque Ausonius Ciceronem sit sequutus, & ipse hinc abeat, qui præterea nec ejus mentem fuisset assequutus.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google



alia pro arbitrio
tanum pariter
ura, disjunctaque,
varios postremum
puliæ; qui hunc
iciliæ Insula ei
nus seruatis,
rdorum monumentis
tus et interuallo
esse aduerte, nam

DISSERTATIO I.

Ducatus Beneventanus quando institutus.

ITaliam olim haud humani consilii arbitrium, sed ipsamet inhabitantium populorum multiplex varietas; congenita veluti designatione, varias discriminabat in partes, quam tandem universam cùm prisci obtinuissent Romani, ante omnes Augustus Cæsar, qua magis libuit, usus descriptione, in undecim regiones distribuit: quod prodit Plinius lib. 3. cap. 5. Augustique placitum adeò subsecutis Imperatoribus sedit, ut quamvis plerique eorum nova ratione, ut hominum varia sunt ingenia, eandem iterum, iterumque duxerint describendam, nullatenus tamen primigeniam illam restituerunt unquam Topographiam. Post quos haud secus gessere se Langobardi, qui è Pannonia in anno Christiano 568. egressi, Gentium hanc Dominam Romano Imperio adimentes, diuturnaque possidentes ætate, sicut insolentem ut plurimum invexerunt Politiam; sic pariter novam describendarum regionum normam usurparunt: ditiones scilicet, ac Dynastias non antea observatas, interque eas cis Tyberim Ducatum instituentes Beneventanum. Cujus ad præsens longam, integramque Dynastarum seriem, eorundemque per spatia quingentorum annorum explanandam cùm susceperim Chronologiam, congruas planè tum alias, tum De Instituti ejus Ducatus Tempore, & Causa, deque Finibus præmittere statui Dissertationes, etsi non omni, qua potuisset, diligentia elucubratas; siquidem res acta maximopere eas deposcit, Teque, Langobardarum rerum Studiose Lector, non prorsus inutili excepturum confido lectione.

PAulus igitur Diaconus, quo nec antiquior, nec de his, quæ Langobardorum facta tractamus, disertior habetur auctor, in Historia ejus gentis lib. 3. cap. 16. Editionis Forbenianæ: capite autem 33. Editionis Plantini, & Lugdunensis, Beneventanum Ducatum institutum fuisse à Rege Langobardorum Authari, sive Anthari his verbis demonstrasse videtur. *Circa hæc tempora*, inquit, *putatur esse factum, quod de Authari Rege refertur; fama est enim, tunc eundem Regem per Spoletium Beneventum perveniſſe, eandemque regionem cepisse, & usque etiam Rhegium, extremam Italiæ civitatem, vicinam Siciliæ perambulasse. Et quia ibidem intra maris undas columna quædam esse posita dicitur, usque ad eam, equo sedens, accessisse, eamque de hastæ suæ cuspide tetigisse, dicens. Usque hìc erunt Langobardorum fines. Quæ columna usque hodie dicitur persistere, & columna Antharis appellari.* Hæc Paulus, qui statim post ista capite sequenti, cùm non alio antea loco Beneventani Ducatus meminisset, Zottum dicit, sive Zottonem *primum fuisse Ducem in Benevento annis viginti*. Quæ ejus dicti interpretatio placuit tum aliis, tum Vulfgango Lazio lib. 12. De migrat. gent. qui ex producto Pauli, quem laudat, loco, ait Zottonem ab Rege Authari constitutum ibi Ducem. At Rex ille firma omnium adsertione Regnum inivit non ante annum 583. obiitque anno 590. Ergo per intermedios annos Ducatus exortus est iste, quod Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ subscribit, figitque ad annum 589. ea, fortè, ductus ratione; quoniam Paulus adventum Regis Beneventum recenset inter novissima ejus gesta. Ab Sigonii verò, & à Latii pronunciato longè abiere plerique, ac præcipuè Antonius Caracciolus in Propylæo ad Quatuor Chronologos à se editos, qui primus hanc ex proposito exagitavit controversiam; creditque doctus vir, ne dum Paulum eis non favere, sed rerum actarum seriem, & Chronologiam ejusmodi adsertioni firmissimè refragari. Verba sunt Caracciodi: *Non dicit Paulus Autharim cepisse Beneventum, sed Beneventanam regionem: aliàquin si ex eo, quòd Beneventum venisse dicitur, colligi debet eam civitatem expugnasse, & occupasse, profectò & Spoletium expugnasse, & cepisse intelligere oporteret, quia Spoletium Antharis venit, & per Spoletium Beneventum. Atqui Spoletium diu antea à Langobardis fuerat occupatum, & Ducis sedes factum*, &c. Alterum, quod Caracciolus in eandem sententiam contorsit argumentum, ex ipsa, ut dixi, rerum, & annorum serie, atque ex subsequenti Ducum pendet Chronologia. Zottonem igitur voluit factum Ducem, Ducatumque Beneventanum jam pridem institutum ante Regis adventum, & in anno 571. quod à Leone Ostiensi lib. 1. cap. 48. editionis Neapolitanæ demonstrari persuasum habuit, tradente à Zottone ad annum Domini 891. quando Græci Beneventum Langobardis ademerunt, trecentos viginti annos transiisse: sensitque, ni huic adsentiatur dicto, omnem corruere temporum rationem ab ipsomet Paulo traditam, aliisque prisois scriptoribus consonam. Sed hanc, quam Caracciolus adverterat inconvenientiam, forsan quoque viderat Scipio Ammiratus in Dissertationibus Ducum, & Principum Beneventi, eamque ut declinaret, indicatum Ostiensis locum sollicitavit, estque opinatus à Zottone, quem Ducem factum tradit in anno 573. ad præscriptum annum 891. revolutos fuisse annos 318. ac adventum Autharis postmodum contigisse, cùm Regnum ille obtinuerat Langobardorum. Quod extremum ejus pronunciatum Caraccioli adsertioni quàm maximè congruit, atque placuisse oportet cuivis Chronologo, qui Zottonem velit ante adventum Regis obtinuisse Beneventum. Inter quos censendus Ignotus quidem, sed non admodum novitius auctor Indicis Ducum, & Principum ejusdem urbis, qui præfixus adest scriptis Codicibus Historiæ Anonymi Salernitani, de quo dixi, cùm de eodem Salernitano differui; initio illo enim sic habet: *Anno ab Incarnatione Domini quingentesimo sexagesimo octavo Principes cœperunt principari in Principatu Beneventano, quorum primus vocabatur Zotto*. Opinatus igitur est Ignotus ille, eodem anno Langobardos Benevento, & circumposita regione petitos, quo eos è Pannonia egressos, Italiamque per Venetiam intrasse, obtinuisseque adfirmat idem Paulus Diac. lib. 2. cap. 6. sive 7. atque recentiorum omnium [illegible] ma est adtestatio. Nec Horatius Turse[illegible] qui in Epitome Historiarum lib. [illegible] constitutum Beneventi Ducatum

lulfo, ſucceſſore ſcilicet Autharis, ac proinde in anno circiter 591. aliam ab antedictis tulit opinionem; nam vel à Caracciolo re non diſcrepat, Zottonis Ducatum connumerare oblitus, qui, ut dictum eſt, viginti annis Dynaſtiam tenuit, primuſque qui poſt illum Dux eſt ſubſecutus, anno exorſus certè eſt 591. vel Agilulfum dixit pro Authari, atque Sigonio, & Lazio adhæſit, ad illorum exemplum Pauli textum interpretatus. Verumtamen hoc quolibet ſeſe habeat modo, haud magni credimus faciendam Turſellini adſertionem, rati illum, ut ipſe initio lib. 1. de ſe fatetur, *non aurificis ſtatera, ſed popularí trutina tempora examinare.* Atque hæc ſunt de anno inſtituti Ducatus Beneventani ſcriptorum ſententiæ, quę mihi ad hanc diem innotuerunt. Quarum diſcrepantiis etſi valde crucior, magis tamen angit me, quod Paulus omnium antiquiſſimus (iiſdem quamvis rebus biſcentum, & eo ampliùs annis ætate minor) non ſuam, hoc eſt quam veriorem reputaverit, ſed vulgi expoſuerit opinionem; quam, ni fallor, à Beneventanis Beneventi aliquando poſitus didicerat, utpote qui Langobardica ſcripſit Monachus in Caſſino, ſicut intelligere eſt ex ejus Hiſtoria lib. 1. cap. 26. & lib. 6. cap. 1. ſive 2. & cap. 13. ſive 40. Monachuſque redditus eſt poſtquam Benevento diſceſſit, ut Oſtienſis tradit lib. 1. cap. 15. Et quidem non eſt qui neſciat, ſcriptores ſi quando res parùm, aut nil ſibi exploratas enarrare contingat, famæ tunc illas tribuere, ſuamque ſolere deponere fidem; quem morem à Paulo ſervatum (ut interim alterum ejus conſilium diſſimulem, de quo paulò poſt) haud difficili divino conjectura; certò enim certiùs noluit ille conſtanti ſententia adfirmare, quod de columna Autharis vulgo blaterabant Beneventani figmentum, quæ quovis alio caſu, ſive à Regis, ſive ab alterius viri nomine cùm tale obtinuiſſet cognomen, ejuſmodi fabulam ſomniarunt, anſam nacti opportunam, quoniam Langobardi univerſam ferè poſſidentes Italiam, ultra fretum in Siciliam non trajecerunt unquam, atque ſuarum Dynaſtiarum terminos defixis demonſtrare conſueverunt columnis; aliquandoque ad Rhegium poſita columna fines præſcripſit regionis, ſicut multò priùs factum tradit Strabo lib. 3. Nec pariter deperagrata omni Cis-Tyberina Italia ab Authari Paulus ſuo probare potuit adſenſu, qui probè noviſſe potuit Langobardos diu cum Græcis de ea decertaſſe: quam ſenſim, nec tamen omnem, obtinuiſſe proprio ediſſeram loco. In hæc igitut abſurda ex incompoſita Beneventana vulgi narratione deveniendum eſſe haud ille ignorans, eam peritè quidem auctori adſcribendam cenſuit ſuo, deque inſtituti Ducatus tempore exploratiorem, ſive non callens, ſive callidè celans ſententiam, primum Ducem Zottonem ſub eo Rege factum non ex alio, quàm ex eodem hauſit rumore, ac definitè in annum rejecit 585. à quo, licèt immani temporum perturbatione, ſubſequentium Ducum ſeriem videtur per annos duxiſſe, ſicut patebit in expoſitione Chronologiæ. Cùm ergo vetuſtus adeò auctor hujus Ducatus exordia, tum infirma, tum inrationabili expoſuerit fide, quis recentior de re admodum ardua, & antiqua poterit præ illo eſſe nobis ſatis luculentus teſtis? Et Leonis ſanè Oſtienſis teſtimonium, qui tercentum annis Paulo tardiùs vixit, admitterem tamen; ſed vah quantum ejus Antigraphum in Archivo Caſſinenſi ſervatum ab Neapolitana diſſonat editione, quam ſecutus eſt Carracciolus, & ab Ammirati commento! ſiquidem à Zottone ad annum 981. non 320. nec 318., ſed trecentum triginta interceſſiſſe annos habet; qualem quoque annorum collectionem Veneta ejus operis editio, & ex ea Pariſienſis, utraque in annis conſignandis ſemper Neapolitana melior, atque Archetypo conſonantior, præferunt. Quæ ſincera Leonis adſertio ſicut Caraccioli dicto minimè favet, ita nec alio quovis pacto conſiſtere poteſt; nam juxta talem ſupputationem Zotto Ducatum accepiſſet in anno 561. hoc eſt ſeptennio priuſquam Langobardi è Pannonia fuiſſent egreſſi; Italiamque adveniſſent. Neque fas eſt eam calamo exarati Codicis lectionem ſolicitare, traditamque annorum ſummam cenſere depravatam, quam pridem intuliſſe ſcimus Anonymum Beneventanum in Fragmento Hiſtoriæ modo à me edito Num. 1. ex quo eandem mutuatus nec aliis eſt verbis Anonymus auctor, qui Catalogum Ducum Beneventi in Caſſinenſi Codice ſignato Num. 353. deſcripſit, & ex utroque Oſtienſis, pariterque Anonymus Chronologus Ducum, & Principum par. 2. Num. 14. Quem quidem Oſtienſem haud Fragmentum illud, præſcriptuſque latuit Ducum Catalogus; alterum enim in Codice antiquæ Hiſtoræ Principum Langobardorum, ſive dicas Hiſtoriæ Erchemperti inſpicere valuit, ut ex dictis ad Anonymum Salernit. eſt manifeſtum: alterum certè vidit in demonſtrato Codice Caſſinenſi, quo Hiſtoriolam Ignoti Caſſinenſis deflorans, præter omnem dubietatem eſt uſus. Ejus igitur germana adteſtatione cùm inſtituti Ducatus Beneventani Epocha fiat magis implexa, nec aliud præſtò ſit vetuſtum documentum, quo res ſinè errore explicari queat, jam nos de ea ex multis retro ſæculis ſive ignorata, ſive fabellis immixta, inutili labore eſſe ſolicitos, videtur inferendum. Quocirca non temerè crediderim, auctorem Indicis Ducum, & Principum Beneventi nulla exploratiori notitia inſtitutum Ducatum tradidiſſe in anno 568. quàm quòd ſuo arbitrio communem in annum, atque æram Italici Regni Langobardorum, depoſitis ambiguitatibus, id referre delegerit. Cujus dicto nec pluris faciendas putabo conſimilium minutorum Chronologorum ſupputationes, qui obſcura hujus Dynaſtiæ primordia ſubtiliori diligentia minimè indagantes, ſimplicem, nudamque Dynaſtarum Beneventi ſeriem, & Chronologiam unus poſt alium, velut per manus traditam, non diſſono adnotarunt tenore. At nullatenus prætereundus erit mihi Conſtantinus Porphyrogenneta ab annis ferè ſeptingentis antiquus, etſi parùm cautus auctor, qui libro de Admin. Imper. c. 27. de Langobardis Beneventum invadentibus indictam aliis habet narrationem, probatiſque, ac receptis Hiſtoriis oppidò quàm pugnantem. Sunt ejus verba ad rem noſtram ex interpretatione Meurſii. *His auditis*, inquit, *à Narſete, qui eos ad Italiam invitabat, perſuaſi Langobardi cum familiis Beneventum venerunt; cùmque intra urbem illam illos admittere cives nollent, extra eam propè murum ad flumen habitarunt, ædificata urbe parva, quæ* Τζιτὰ ῥόβα: hoc eſt. Città nuova, *appellatur, extatque etiam hodie. Intrabant vero etiam urbem, & Eccleſiam, doloque ſuperiores facti, habitatoribus omnibus occiſis, urbem tenuerunt: gladiis enim intra fuſtes occultatis, Eccleſiam ingreſſi, pugnâ excitatâ, uni-*

universos interemerunt; & inde excursione in omnem ditionem facta, subjecerunt eam Thematı Langobardiæ, & Calabriæ usque Papiam excepta Hydrunte, Callipoli, Rusiano, Neapoli, Cajeta, Surrento, & Amalphe. Hactenus ille anilem, ut videtur, secutus fabellam, qua nil excogitari posse fabulosius quisquis levi licèt historica lectione imbutus facilè adfirmabit. Namque Langobardi ex Paulo Diac. lib. 2. cap. 7. sive 8. & seqq. hoc est ex germanissimo rerum Langobardicarum auctore, Italiam è Pannonia, *cum omni exercitu, vulgique promiscui multitudine* per Venetiam advenere, solâque exceptâ Papiâ, quæ trium annorum, & aliquot mensium obsidionem passa est, cæteras SubAlpinas urbes haud magna armorum vi primo impetu invasere, in reliquam post regionem usque Tusciam excurrentes, *atque obtinentes omnia, præter Romam, & Ravennam, vel aliqua Castella, quæ erant in littore Tyrrheni maris constituta*. At Constantinus eos, velut de cœlo lapsos, Beneventum perhibet primùm perveniisse, ac ne virtute quidem, nec numero admodum validos: & Benevento Papiam progressos, solasque CisTyberinas ad mare positas septem numero urbes, non obtinuisse. Nec quod ille de Civitate-Nova ad mœnia Beneventi condita habet, ex alio mutuatus videtur auctore, quam ex vulgi, sive Græculi, sive Beneventani rumore; quandoquidem, ut adfirmat ex nostratibus de re nostra utique doctior Ostiensis lib. 1. cap. 12. eam *Princeps Arichis Francorum*, hoc est Caroli Magni, *metu perterritus Benevento addidit*, post annos scilicet ab communi Langobardorum in Italiam adventu plus minus biscentum; idemque innuit Erchempertus Num. 3. eidem Arichi ab annis centum ætate proximus, tradens eum Principem à Carolo sibi præcaventem *Beneventum sic* (nempe ut Erchemperti habebatur ævo) *fortificasse*. Quocirca haud priscis illis Langobardis, sed Arichi opus Novæ urbis est contradendum, qui amplioribus, firmioribusque muris Beneventum munivit, & loca novo concluса septo *Novæ urbis* nomine adpellavit. Quod ne dum ad Constantini tempora, ut ipse declarat, sed ad Falconis Judicis Beneventani, & quod excurrit, mansit ætatem, sicut observare licet in ejusdem Chronico ad annum 1119. Perspicuè igitur liquet quod ingerebam, majores nostros parum explorata notitia calluisse, tradidisseque primordia Ducatus Beneventani, atque ex hoc vulgus interim in varios, ac fabulosos abiisse sermones. Verumenimvero cùm fabellæ sæpenumero aniles nihilo secius, ac Poëtarum figmenta ex non fabulosis emerserint, succreverintque seminibus, operæ erit pretium in hac Constantini enarratione adhuc subsistere, ac pervestigare, an veri aliquid in ea latêre possit, quod somniantis vulgi deliramentis obfuscatum fuerit, aliôque detortum. Et quidem non immerito interpretari possemus, *Arichim Novam urbem Benevento addidisse*, quam non ipse exstruxisset, sed novo, simplicique murorum ambitu utramque concluсisset. A qua explanatione videtur stare Erchempertus, tradens *Beneventum ab eodem Principe sic fortificatam*: idest ab hostium incursu securiorem redditam, quibus gemina cùm esset urbs, pervia certè fuisset magis. At si isthæc interpretatio congruè rei quadrare censebitur, jam Novam urbem à Langobardis conditam, qui primùm illuc pervenere, cæteraque ea ratione contigisse, qua Constantinus facta perhibet, cur negem, non habere me argumenta profiteor; uno illo excepto, Beneventanos Langobardos inde in reliquam Italiam usque Papiam excurrisse, quod stare nulla potest ratione. Verumtamen hoc quoque si apta pariter explicatione exciperetur, integram rem gestam multa hactenus caligine obductam lucidè nobis declarare posse non diffido. Namque opinari quid prohibet, verè aliquam Langobardorum centuriam ad Beneventum coivisse, atque invasisse urbem aliquanto priùs quàm gens illa omnis à Narsete advocata adveniisset, ex quo emersisset sermo, factam hinc excursionem in reliquam ad Occidentem Italiam? Profectò talis expositio perbellè congruit annorum supputationi ab Ostiensi, aliisque productæ, quos alioquin in re clara perquam fœdè cœcutisse foret asserendum, atque nesciviisse ab anno 891. si tercentum triginta anni detrahantur, annos remanere 561. quam ejusmodi calculi ducendi rationem eos latuisse, nullum sanæ mentis hominem admissurum puto. Langobardos autem ante communem in Italiam transmigrationem, ac annum 568. quo è Pannonia discessêrunt, cis Alpes visos haud indicta, novaque est enarratio; Procopius enim tradit in Historiis Gothicæ libro extremo, cui accinit Historia Miscella lib. 16. Paulus Diac. lib. 2. cap. 1. & Ignotus Cassinensis à me editus num. 2. Narsetem Græcum Patritium ad delendos in Italia Gothos auxiliares eos adsciviisse, habuisseque complures, quos ille non dum omni confecto bello dimisit, anno scilicet, ut ex eodem Procopio variè computant recentiores vel 552. vel 553. (1) Eodem igitur tempore accidisse opinandum est ex militari illo cœtu palantes aliquot Langobardos regionis amœnitate detentos, ad patriam redire recusasse, atque aliquandiu prædonum more hàc illac oberrantes tandem sive sponte, sive Narsetis imperio coërcitos, ejusdemque permissione ad Beneventum confediisse (2), & in anno postmodum 761. eam urbem occupasse, atque ad annum usque 891 indesinenter detinuisse; perpetuis scilicet annis tercentum triginta, ut Ostiensis, ejusque tradunt collegæ. Quo pacto Langobardos Beneventani Ducatus auctores utique à Narsete fuisse accitos, urbemque obtinuisse Beneventum ante communem gentis transmigrationem & Ostiensi, & Porphyrogennetæ concedendum esset: etsi iste priorem hunc adventum ab altero ineptè non discriminavit; ille verò non ab pervasa Beneventana urbe, sed à Zottone instituto Duce, quod interjecto aliquo temporis spatio accidisse putandum videtur, ut mox dicam, annos enumeravit 330. At eam Constantini narrationem præ-

(1) Gregorius Turon. Histor. l. 4. c. 35. Alboinum dicens cum 4. mill. Langobardis petiisse Italiam, ni sit in numeris depravatus, hæc auxilia Narsetı præstita, totiusque gentis adventum in unum fœdè miscuit.

(2) Quid si dicas; nomine *Civitatis-Novæ* appellata olim civitatum suburbia novis muris cincta, vel omnino de novo excitata ad sustinendos primos hostium impetus, distinendosque? Nam Panormus etiam apud Gaufredum Mal. lib. 2. c. 45. ex consimili civitate constabat exteriori, quæ à Guilielmo Apulo l. 3. *Nova-Civitas* nuncupatur: & Salernum quoque duplex fuit, aliæque urbes perplures. Quid, inquam, si Beneventi *Nova-Civitas* ejusmodi etiam fuit? Ipse viderit Porphyrogenneta, & qui annos 330. à Zottone ad annum 891. supputarunt.

Digitized by Google

præscripto expositam modo actis tunc rebus mirificè consonare, ejusdem Procopii testimonium satis opportunè demonstrat, scribentis Langobardos festinatò à Narsete dimissos, quoniam sociorum tum ædificia incenderent, tum mulieres ad Templa refugientes constuprarent. Qua quidem ratione Beneventani Langobardi ab eo anno 561. aliquandiu obtemperantes Græco Imperatori, qui Italiam obtinebat, eisque ex antiquo erat fœderatus, sub proprio non fuissent Duce; sed tunc sibi ex propria gente Zottonem præfecissent, cùm Langobardi omnes ad Italiam advenerunt: atque tunc quoque sinè numero plures, sive audentiores redditi à Græcis rebellassent, & in conterminam excurrere cœpissent regionem; hoc est in exitu anni 570. nam Paulus Diac. cui de singulorum Beneventanorum Ducum intervallis standum esse non ambigo, non ex vulgi rumore Zottonem perhibuit omnium primum Dynastiam hanc tenuisse annis viginti, quos enumerandos esse ab exordiente anno 571. subsecutorum Ducum exigit Chronologia. At sermo iste si rationabili reputabitur inniti conjectura, consentiendum quoque erit Regem Autharim in extremam, Cis-Tyberinamque Italiam advenisse (nam advenisse haud quidem video cur negem) ut cum Zottone, qui suæ tunc Dynastiæ plures transegerat annos, dissolvendo sibi censu componeret, quem cæteri omnes Duces ei pendere tunc cœperant, atque instituerant: & quidem Langobardorum Reges etiam post longa annorum spatia vectigales habuisse Beneventanos Dynastas, vel unus, ut alios præteream, abundè probat Erchempertus Num. 6. Autharim verò, nec incongruum est, tunc Beneventum sibi adserere, vel novo contradere Duci renuisse, morem nempe suæ gentis, opportunumque sanè consilium secutum, namque eodem Paulo auctore lib. 2. cap. 6. Langobardi Italiam possessuri socios advocarunt, habueruntque aliquatisper Saxones, quibus demum, ut idem perhibet lib. 3. cap. 3 sive 6. cujus do verba: *Quoniam permissum non est in proprio jure subsistere, ideo æstimantur ad suam patriam repedasse.* Itemque idem Paulus lib 5. cap. 11. sive 29. tradit, Bulgaros Langobardorum *Regi Grimoaldo se servituros promittentes, in Beneventanam regionem ab eo directos fuisse, locaque ad habitandum spatiosa, sed tunc deserta, ab Duce ejus filio Romualdo obtinuisse: scilicet Sepianum, Bovianum, & Iserniam, & alias cum suis territoriis civitates.* Cùm igitur Langobardi peregrinos in societatem adscire, modò eos haberent obnoxios, consueverint; utique Autharis lege Zottoni, ejusque Populo, nec quidem alienigenis, de more indicta, ne dum utrisque partam propria virtute Dynastiam permisisse videtur, sed auxiliares quoque copias contradidisse, putandus est, ut instituti scilicet Ducatus æquè tueri, ac propagare valerent fines. Verumtamen an hoc pacto conciliari, exponique non ineptè possint discordes invicem, receptisque historiis pugnantes Pauli Diaconi, Ostiensis, & Porphyrogennetæ sententiæ, judicare erit peritiorum; quorum judicare erit pariter, num Paulus censeri debeat ista sic peracta consultò reticuisse, confictamque à Beneventanis fabulam subposuisse; idque eo persuaderi valeat argumento, quoniam, teste Erchemperto Num. 1. ille putaverit, *Historiographi doctoris esse, maximè de sua stirpe disputantis, ea tantummodo retexere, quæ ad laudis cumulum pertinere noscuntur.* Quem sane ignominiosa suæ gentis facinora præteriisse, & olim Erchempertus ibi, & recentissimè Bernardus Saccus in Historiæ Ticinensis lib. 10. cap. 17. qui Erchempertum haud vidit, atque Baronius ad annum 585. num. 2. peritè observarunt. Nec alio ille quidem consilio persuasus, quàm ut Beneventanis Langobardis placeret, quos suæ Dynastiæ parum decora senserat pudere principia, Ducum, ac Zottonis Epocham deformissimo Metachronismo, sicut patebit in Chronologia, in anno fixit 585. namque hac ratione visus haud dubiè sibi est, omnem actæ rei ordinem obfuscasse, nullumque tam præcocis institutionis vestigium reliquisse, quod nihilominus, sed non advertentes, auctores prodiderunt recentiores. Verùm sin minus hæc mea probabitur divinatio, haud iniquo id feram animo, qui rationabiliori interpretationi subscripturus sum non invitus, nil antiquius habens, quàm in nullum meæ mentis sensum jurare. Nam egometipse jam olim credidi Ostiensem, cæterosque assertæ ab eo supputationis Chronologos, ab Zottonis Ducatu ad annum Christi 891 annos quidem 330. computasse, nec tamen sensisse Beneventanæ Dynastiæ primordia fuisse exorta in anno 561. atque priusquam Langobardorum gens universa ad Italiam perveniisset; quippequi eam annorum summam ex singulorum Dynastarum intervallis collegissent, qui multoties annos habuere communes, nec eos, ut decebat, advertissent intercalare; atque hac ratione contigisse, ut qui 320. computandi fuerant, 330. dinumerati sint anni. Sed postmodum opinionem abjeci, judicans nequivisse eos omnes deformi adeò oscitantia in re hallucinatos esse tam clara, alteramque præmonstratam concordandarum discrepantium opinionum viam ingrediendam esse duxi, sique tuus adsit favor, minimè pœnitendam.

DISSERTATIO II.

Ducatus Beneventanus cur institutus.

DUcatus nomen à ducendo quòd sumat etymon, ipsum ductandi actum primitiva significatione designat; sicut pari ratione Dux dicitur is, atque ductor, qui alios ducit, arbitrioque suo regit, ac moderatur. Sed id quoque quodcunque, sive animatum, sive sit inanime, quod regitur, & ducitur, Ducatus pariter nomine demonstrari, adeò clara res est, ut probatione non egeat ulla: itemque Ducem dici, qui alios ducendi, regendique collatum sibi munus firmiter obtinet, ac velut jus quoddam proprium ex gentium consensu, vel ex majoris Dynastæ concessione transfert in filios. Ducatus igitur Beneventani vocabulo dum quæro, Cur ille fuerit institutus, hoc volo: Qua scilicet de causa Langobardorum Reges omnem gentem suam Italiam incolentem Cis-Tyberinam, eandemque latissimam regionem uni Beneventano Duci regendam, ducendamque permiserint? Itemque cur Beneventanæ potiùs urbi, quàm alteri talis fuerit dignitas adtributa? Quæ scitu digna, nec dum à quopiam decertata quæstio unico illo, eodemque pronunciato solvi facilè posse arbitror, quo altera de tempore instituti Ducatus est resoluta: casu scilicet paucos numero Langobardos ad Beneventum convenientes, æquè casu exi-

Digitized by Google

exigua magnæ Dynaſtiæ, qualis poſt fuit, primordia ſtraviſſe, nullo tunc nec ſapientiori ſuo conſilio, nec alterius celſioris poteſtatis arbitrio ductos, ſicut haud diſparibus initiis primariæ urbes multæ, ipſaque domina gentium Roma, ſua exordia ex parvis habuere. Super exigua autem iſta fundamenta ſenſim dein extructam fuiſſe Politiam, ac rationem regendi Ducatus, qui in dies amplior redditus fuerit, quiſquis facilè conſentiet, qui antedictis conſentiendum putaverit; idemque haud invitus adfirmabit, magnæ Dynaſtiæ ſedem in eadem urbe poſtmodum firmatam, quod ſic perſuaſerit, tum ejus loci amor, & conſuetudo, tum ubertas, atque opportunitas ad circumpoſitam pervadendam, adminiſtrandamque regionem. Quod ſanè tunc firmiùs ſediſſe arbitror conſilium, cùm ex Sub-Alpina in Cis-Tyberinam Italiam per Spoletium novi advenerunt Langobardi, regnante Authari, ut apud Paulum Diac. relato lib. 3. cap. 16. ſive 33. verus in hoc populi rumor teſtatur. At cùm iſta eo ordine, quo dictum eſt ſuſpicer contigiſſe, longè aliter alios ſenſiſſe comperio recentiores, qui vel ſtatum, vel conſuetudinem ſuorum temporum contemplantes, relatam, rejectamque jampridem Pauli narrationem non ancipiti adſenſu excepere, quinimmo eam Paraphraſi quadam ſunt interpretati in hanc, quam Caroli Sigonii verbis de Regno Italiæ lib. 1. ſententiam reddo. *Rex Autharis*, inquit, *exercitu ad has regiones ex improviſo adducto, eum alia oppida, tum caput ipſum Provinciæ Beneventum ad deditionem adduxit; ubi Zottonem Ducem inſtituit, ac reliquâ omiſſâ Italiâ, Samnium in formam Ducatus redegit; ſicque ad duos Ducatus inſignes Foro-Julienſem, & Spoletanum, tertius Beneventanus eſt additus.* Hæc ille, Beneventum perhibens ſedem Ducatus inſtitutam à Rege, quoniam eadem urbs olim quoque fuiſſet Provinciæ caput. Cujus dicto idem Paulus lib. 2. cap. 11. ſive 20. favere videtur, Italiam deſcribens in decem & octo Provincias ex antiquiori inſtitutione, quàm adventus contigerit Langobardorum, tributam, Beneventanamque urbem in Samnio locans, quam *circumpoſitarum Provinciarum caput ditiſſimam* adpellat. Verumtamen hujus præclaræ quidem urbis dignitati cùm ego haud detractum quidquam velim; quin potiùs hiſce meis lucubrationibus celebriorem eam reddere cùm pro virili coner: æqui, bonique faciant Beneventanos cives exoro, qui ſuum in cæteras Cis-Tyberinas urbes primatum non ab antiquiori, quàm ab Langobardorum inſtitutione deducere me comperient. Quod planè ſic ſe habere non Pauli auctoritas inficiatur, qui Italiam relato loco ad eam ferè normam deſcripſit, qua in Notitia utriuſque Imperii, & ſub Theodoſio juniore, hoc eſt circa annum Chriſti 440. habebatur; nam de Benevento quod prodidit, non ad alia, niſi ad ſua certum eſt convenire tempora, quando Ducatus ſedes ampliſſima, ditiſſimaque ea erat urbs, atque non unius, ſed, ut Paulus habet, circumpoſitarum Provinciarum caput exiſtebat: nempe Samnii, Campaniæ, Apuliæ, Lucaniæ, & Brutiorum, ſive ex toto, ſive ex parte, quod in ſubſequenti Diſſertatione conſtabit. Samnio autem dum ille eam tribuit, haud ex cœva Langobardis, ſed ex antiquiori id facit, & à priſcis Samnitibus obſervata deſcriptione; ſiquidem Plinius auctor eſt lib. 3. cap. 11. Auguſtum Apuliæ contribuiſſe Beneventum, quam urbem à recentiori alio Imperatore, qui Italiam iterum deſcripſerit, idque non ſemel contigit, Campaniæ contraditam fuiſſe ambigendum non eſt; quippe quæ in Actis S. Januarii ejus Epiſcopi, qui paſſus eſt ſub Diocletiano, ad Præſidis Campaniæ regimen ſpectaſſe deprehenditur: Nec non ab Auſonio in De his, qui ſexum mutarint, *Campana urbs* dicta reperitur:

„ *Nec ſatis antiquum, quod Campana in Benevento*
„ *Unus ephœborum virgo repentè fuit.*

Qua etiam ratione in Itinerario, quod tribuitur Antonino, Campaniæ Limes figitur ad Equum Tuticum, vulgo nunc *Ariano*, ex Philippi Cluverii obſervatione in Antiq. Ital. lib. 4. cap. 8. hoc eſt ad urbem Benevento ulteriorem. Verba ſunt Itinerarii. *A Capua Equo Tutico* (1) *M. P. LIIII. ubi Campania limitem habet. Caudis M. P. XXI. Benevento M. P. XI. Equo Tutico M. P. XXI.* Nec alia mente antiquus Horatii Scholiaſtes Porphyrio ad Satyr. 5. lib. 1. Trivicum eodem tractu ſitum in fine dicit eſſe Campaniæ. Atque huc etiam referendum eſt Beneventanos ſua in urbe complura in lapidibus Elogia Conſularibus Campaniæ poſuiſſe, ſicut pari modo conſimilia monumenta iiſdem Præſidibus Campani, Neapolitani, aliique ejuſdem regionis municipes dicaverunt, quæ videre eſt in operoſiſſimo Inſcriptionum totius Orbis verè Theſauro. Ex quibus documentis apertè etiam conſtat, cur Januarius Beneventanus Epiſcopus, qui Concilio interfuit Sardicenſi in anno celebrato 347. ibi ſubſcripſerit, ſicut nonnulli habent editi Codices, hac forma. *Januarius à Campania de Benevento*; namque Epiſcopis ea tunc fuit ſubſcribendi conſuetudo, nomen ſcilicet propriæ urbis, & Provinciæ profitendo; qua eidem ſubſignaſſe Concilio comperiuntur *Maximus à Tuſcia de Luca. Lucius ab Italia de Verona. Fortunatus ab Italia de Aquileja. Stercorius ab Apulia de Canuſio. Severus ab Italia de Ravenna. Urſacius ab Italia de Brixia. Protaſius ab Italia de Mediolano* &c. Quibus in ſubſcriptionibus, ut hoc obiter notem, Italiæ adpellatione non omnis demonſtratur Italia, Supero, Inferoque mari, & Alpibus circumcluſa, ut eſt manifeſtum; ſed ejus quædam Provinciæ, quæ Magiſtratui parebant Vicario Italiæ nuncupato; qua ſpeciali acceptione id vocabulum extat etiam apud Erchempertum initio Num. 2. atque apud Anaſtaſium Bibl. in Zacharia, in Stephano 2. & in Stephano 3. alioſque, licèt non ſemper omnimodè eadem locorum deſignatione. Sed his omiſſis, iterum ad Sigonium, ac ad Beneventi redeo primatum, qui planè ad Langobardorum inſtitutionem referendus ob id quoque videtur? quoniam ea urbs ſub illorum adventu, haud priſcam tuebatur dignitatem, cujus muros à Gothorum Rege Totila dirutos fuiſſe teſtatur Procopius libro extremo. At reliquam Sigonii in præſcriptis verbis ſententiam de tri-

(1) Itinerarium etiam Hieroſol. fines Apul. & Campaniæ notat *ad Equum Magnum*, dictum *Tuticum* Antonino. Atque hoc pacto Pelagianus ille *Julianus Epiſcopus Eclanenſis* depravatè aliis dictus *Atelanenſis* utique *Campanus* fuit: hoc eſt, *ex Campania*, nam *Eclanum*, ſivè *Æculanum*, modò *Frequentum*, in eodem Ariani, & Trivici eſt tractu ſitum. Eſtque ad Frequentum *Ampſancti vallis*, quam Servius *in latere Camp. & Apulia, ubi Hirp. ſunt*, locat.

triplici insigni Ducatu à Langobardis constituto, cùm nullius noverim, nec antiqui, nec idonei auctoris auctoritate fulciri, eam tamen pleroſque recentiores, quos præterire juvat, amplexatos eſſe, comperio: quibus ſanè peritiùs, ſicut ætate prior Matthæus Palmerius in Chron. ad ann. 776. de Langobardorum imperio, & Ducatibus hiſce tribus ſic habet: *Regia eorum*, inquit, *apud Ticinum conſtituta, varios præterea Principatus per Italiam habebant, quibus gentium ſuarum præponebant Duces: inter quos præcipui, & per ſucceſſiones obſervati ſunt, unus apud Forum-Julii in ipſo Italiæ ingreſſu: alius apud Spoletium, & in media pænè Italia: tertius Beneventi ad inferiorem Italiæ partem regendam*. Hæc Palmerius, & quidem congruè *hos præcipuos, ac per ſucceſſiones obſervatos* dicit, non autem eos ſolos inſtitutos: quoniam in ipſis Langobardorum primordiis multò plures fuerant Duces, & Ducatus, hoc eſt numerum complentes Ducum triginta ſex, totidem, quas pervaſerant, obtinentes urbes, ut auctor eſt Paulus Diac. lib. 2. cap. ult. quippe quòd æquè in totidem Tribus, ſive turmas gens illa omnis diſtributa, haud dubiè tunc habebatur. Verba ſunt Pauli: *Poſt mortem*, inquit, *Regis Cleph Langobardi per annos decem Regem non habentes, ſub Ducibus fuerunt; unuſquiſque enim Ducum ſuam civitatem obtinebat: Zabam Ticinum, Wallari Bergomum, Alachis Brixiam, Evin Tridentum, Giſulfus Forum-Julii, ſed & alii extra hos in ſuis urbibus triginta Duces fuerunt*. Hæc ille. Ex hoc habes ampliùs, non triginta ſolummodo, nec tunc primùm, mortuo Cleph, fuiſſe ordinatos Duces, quòd Langobardi Regiam abominarentur poteſtatem, ſicut recentiores, ferè omnes, perſuaſum habuere; ſed extra præſcriptos ſex Duces, alios triginta, quos olim Rex Alboinus, atque Cleph pervaſis præfecerant urbibus, ad Comitia pro novo Rege eligendo convenire differentes, ſingulos interim ſingulas moderaſſe attributas ſibi Langobardorum turmas, *Regem*, ut Paulus tradit, *per annos decem non habentes*: quibus tandem tranſactis, Autharim communi omnium voto Regem eſſe ſalutatum, idem habet auctor lib. 3. cap. 8. ſive 16. qui addit *ad ejus, & ſucceſſorum Regum uſus Duces, qui tunc erant, omnem ſubſtantiarum ſuarum medietatem tribuiſſe*. At *qui tunc erant*, dixit; namque ad præſcriptum numerum haud diu permanſere, ſicut agnoſcere eſt ex eodem Paulo nullos alios Duces, nec Ducatus per ſubſecutos annos in reliqua Hiſtoria commemorante, præter Tridentinum, Taurinenſem, Bergomenſem, Brixianum, Spoletanum, Foro-Julienſem, atque hunc ipſum Beneventanum, quos nec omnes perennaſſe, certum eſt, ita ut verum probetur Palmerii dictum, poſtremos hos tres ſolos *inter plures Langobardorum Ducatus præcipuos, & per ſucceſſiones eſſe obſervatos*. At ille ſubmurmuraſſe quoque videtur, eos non caſu, ſed à Regibus, qui cæteros, ut par eſt credere, deſueviſſe voluerunt, præcipuo quodam conſilio fuiſſe ſervatos; nempe quòd iis univerſæ Langobardorum Reipublicæ benè iretur conſultum; quandoquidem ſic per Italiæ longitudinem diſtributi haberentur, ut tum ad hoſtes repellendos, tum ad Regni fines producendos opportuniſſima futura eſſent propugnacula: hoc eſt Foro-Julienſis ad externos repellendos incurſus: Spoletanus ad Romanos, atque Græcos ex Ravenna: Beneventanus autem ad eoſdem Romanos, & ad Græcos Cis-Tyberinos, quibuſcum perpetua Langobardi exercuere bella, eorumdemque aſſiduè incurſavere, perſtrinxereque regiones. A qua Palmerii ſententia recedendum minimè puto; ſiquidem præſcriptum triplicem Ducatum obnoxium iiſdem Regibus ſemper fuiſſe, notum eſt ſatis, atque adeò rationi maximè congruit, & Duces eos, & Reges, dum avita libuit fœdera, & leges ſervare, in unam pariter conſenſiſſe Rempublicam, eaſdemque Dynaſtias hoc pacto magis, magiſque in dies firmatas, redditaſque eſſe celebriores, quas præterea ſuos fines ſenſim dilataſſe, certa eſt Hiſtoria: noſque de Beneventana ſtatim aperiemus, ſecus ac Sigonius exiſtimaſſe videtur, ſubmurmurans eas ab incunabulis, & ex inſtitutione præclaras ſemper fuiſſe, atque inſignes. Verumtamen illæ ſuæ inſiſtens opinioni aptiùs dixiſſet. *Inſigniores*, qui noverat ex Paulo Diacono plurimos in ipſo Langobardici Regni exordio ordinatos Duces, tradideratque eodem lib. 1. *in omnibus receptis oppidis Duces, & valida præſidia Langobardorum impoſita*. Ni, fortè, hos voluit militaris tantummodo, ac temporanei muneris honore fuiſſe decoratos, Foro-Julienſi excepto, atque Spoletano, & Beneventano; quorum *Foro-Julienſem perpetuam in Italia ditionem primum eſſe adeptum*, peritè obſervavit. Sed triginta ſex omnes illos primitivos Duces, inter quos Beneventanus perperam à multis ponitur, & quidem Pauli Chronologia repugnante, perpetuas pariter, & in diem vitæ ſemel ſibi adtributas retinuiſſe Dynaſtias, nec ratio ſanè, nec auctor ſuppetit, qui magnopere ſuadeat negandum. Pares igitur dignitate, ac ditione ferè pares, ſicut munere omnino haud diſpares, à primis Langobardorum Regibus triginta ſex fuere inſtituti perpetui Duces, qui gentem omnem, velut in totidem Tribus diviſam, perque pervaſas Italas urbes diſtributam, ducerent, regerentque; quorum præcipui lapſu temporis obſervati ſunt Foro-Julienſis, & Spoletanus, & qui ſeorſim ab omnibus ſua habuit initia, Beneventanus, ut eſt dictum.

DISSERTATIO III.

Ducatus Beneventanus quàm latè patuit.

TErminos Ducatus Beneventani vel ab ejus primordiis latè protenſos, haud pauciores duodecim, ſive urbes, ſive oppida concluſiſſe, eopſe Ducatus, & Ducis vocabulo norit qui Duces novit, velut ex lege quadam, totidem urbibus præfici conſueviſſe; quod præclarè Petrus Pithœus ex Appendice ad Aimoinum obſervavit in Adverſ. ſubſec. lib. 1. cap. 8. verba auctoris ab eo laudati hæc ſunt libr. 4. cap. 61. *Pipinus*, inquit, *domum reverſus Griſonem more Ducum duodecim Comitatibus donavit*, & lib. 5. cap. 11. *Baldrico Duci Foro-Julienſi dum objiceretur, & probatum eſſet ejus ignaviâ, & incuriâ vaſtatam à Barbaris regionem noſtram fuiſſe, pulſus eſt Ducatu, & inter quatuor* (hoc eſt duodecim) *Comitatus eſt ejuſdem poteſtas diviſa*. Atque hoc adeò eſt verum, ut Robertus Guiſcardus, qui Apuliæ, dum eam ſolam obtinebat, dicebatur Comes, poſtquam Brutiis, ſive Calabria potitus quoque eſt, amplioriſque Dynaſtiæ factus eſt compos, appellari voluerit Dux, ut tradit Oſtienſis lib. 3. c. 10. & 16. licèt jam pri-

pridem potuiſſet hoc nomine decorari, quippe qui ſub ſe duodecim ad minus Dynaſtas habebat, quot pariter habuerant ejus deceſſores Comites, teſte eodem Oſtienſi lib. 2. cap. 63. ſed haud Duces nuncupati ſunt: quoniam, ut reor, ſive ejus nominis invidiam declinare elegerunt, minoris dignitatis alterum ſuſcipientes: ſive olim uſurpatum dimittere nefas putarunt, quòd illorum primus Gulielmus acceperat à duodecim ſibi ſubjectis, at non magnarum copiarum Capitaneis, qui tercentos in ſolidum, nec plures milites, vel dicas equites ſub ſe habebant, (1) ut eodem loco idem habet auctor: viginti quinque ſcilicet militibus cuilibet Capitaneo tributis; idque ex conſueto apud eam gentem more, ſi probè capio tum Leonem ibi iterum eundem militum numerum alia occaſione enunciantem, tum ejus continuatorem Petrum Diaconum lib. 4. c. 39. & 61. Atqui Duces quoque nil minus pluribus oppidis, quàm pluribus Comitibus præpoſitos fuiſſe, qui ſingulas ſinguli adminiſtrarent; obtinerentque urbes, multis etiam probari poteſt exemplis; quorum unum Gregorii Turonenſis, ſive ejus Appendicis lib. 11. c. 78. dare ſat erit; qui innominatus auctor Dagoberti Regis Francorum exercitum recenſens, in eo conveniſſe ait decem Duces, *exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem ſuper ſe non habebant*. Ita ut congruè obſervaſſe quis dixerit Gulielmum Durandum in Ration. Divin. offic. lib. 2. cap. 1. num. 15. Duces Archiepiſcopis, Comites Epiſcopis reſpondere; atque Aimoinum in vita S. Abbonis Floriacenſis cap. 16. juxta eandem hanc legem adpellaſſe *Guillelmum Sanctionis filium Burdegalenſem Comitem, ac totius Guaſconiæ Ducem*, à qua planè interpretatione ſtat Jacobus Sirmondus in Notis ad Sidonii epiſt. 17. lib. 7. eamque aliis firmat exemplis: tu illum vide. Non igitur primus Beneventanus Dynaſta, qui ſub Ducis nomine, munere, & dignitate fuit inſtitutus, hac oportuiſſet adpellatione, atque titulo decorari, ni quæ propria erant Ducum, hoc eſt duodecim ad minus urbes, obtinuiſſet. Verùm cùm ſatis conſtet, quod adnotavit T. Livius lib. 1. *urbes quoque ut cætera ex infimo naſci, deinde quas ſua virtus, ac Dii juvent magnas opes, magnumque nomen ſibi facere*, etſi omnis ſileret Hiſtoria, ex hoc ſolo communi rerum univerſarum ordine inferendum videretur, Beneventanum Ducatum ex aliis, quàm ab exiguis primordiis in magnam excreviſſe dictionem. At Hiſtoriæ non deſunt multæ, quibus poſt parva incunabula in dies majora incrementa eum ſuſcepiſſe docemur, ut poſt dicam. Nec ſanè Ducis, & Ducatus vocabulo multarum ſemper urbium demonſtrari conſuevit Dynaſta, nec Dynaſtia; ſicut in re noſtra clarè eſt videre apud Paulum Diacon. enumerantem, ut dictum eſt, triginta ſex Langobardorum Duces, & Ducatus totidem utique urbibus attributos, tuncque non ultra Tuſciam porrectos, qui quidem ſinguli alias urbes ad duodenarium uſque numerum ſub ſe habere haud potuerunt; (2) nam quadringentarum triginta duarum civitatum ſummam, quæ ex 36. per 12. ductis conſurgit, nec ſcimus, nec putamus in ea unquam fuiſſe Italia. Qui igitur ſingulas urbes, gentiumque turmas regendas tunc obtinuiſſent, Ducis nomine adpellati primitus fuere; ſique Blondo eſt fides Hiſtoriarum lib. 8. id inſtituit Longinus Italiæ Exarchus, eodem propemodum tempore, quo advenere Langobardi; namque, ut allegatus ait auctor, *in adminiſtratione urbium, quæ in Juſtini Imperatoris partibus cum Roma, & Ravenna duraverant, hunc primus ſervavit morem, ut non provinciæ, aut regioni præeſſet Præſes, ſive quiſpiam Magiſtratus; ſed ſingulæ urbes, ſingula oppida à ſingulis cuſtodirentur, regerenturque Magiſtratibus, quos appellavit Duces; paremque faciens urbem Romam aliis Italiæ urbibus, vel oppidis, hac una in re illam honoravit, quòd impoſitum tunc Magiſtratum Præſidem appellavit, ſed qui ſucceſſerunt appellati ſunt Duces, ut poſtea per multos annos ſic Romanus appellaretur Ducatus, ſicut Narnienſis, &c.* Hæc Blondus. Verumtamen ſive Langobardi hunc acceperint morem à Græcis, ſive hi ab illis, ſive altiùs ſit rei origo ducenda, planè conſtat poſterioribus quoque temporibus, quando uſus invaluerat, ut Duces dicerentur, qui pluribus præeſſent Comitibus, urbes tunc apud nos pleraſque haud admodum amplam ditionem obtinentes; Dynaſtis tamen paruiſſe Ducum nomine inſignitis: nempe Amalfim, Surrentum, Cajetam, & ipſam modo caput rerum Neapolim. Et Romani quidem Ducatus plurima eſt mentio in Anaſtaſio Bibl. qui & Firmani, & Auximani, & Anconitani in Hadriani vita; & Arimenenſis, & Ferrarienſis, & Nepeſini, & Peruſini, & Cluſini, & Firmanni, & Ravennatis, aliorumque meminit aliis in locis; quos manifeſta res eſt, nec omnes duodecim ſub ſe, ſive plures, ſive pauciores habuiſſe urbes; ut hinc dilucidè jam agnoſcere valeamus ſatis fuiſſe, ut quis Ducis nomine inſigniretur, ejuſque ſedes adpellaretur Ducatus, modò alios ducendi, regendique jus obtineret. Etſi, ut nihil diſſimulem, hoc quoque accedere oportebat amplius, ne in annum, vel ad nutum, ſive Populi, ſive majoris Dynaſtæ, qua lege tunc Comitibus civitates committi conſueverunt, præficeretur Ducatui: ſed illum firmiter obtineret, pro quo alteri deſerviret quidem, ſed laxiori quodam imperio adſtrictus: Nomine autem Ducatus aliquando etiam dictam cogita cujuſque urbis ditionem, quæ licèt minimè ab ejuſmodi Duce poſſideretur, iſtud tamen vocabulum proportione quadam aptè ei conveniret; ſicut Comitatus quoque dici conſueverunt tum civitates, earumque territoria, quibus Comites præeſſent, tum cæteræ omnes paris nempe conditionis, quæ nullis Comitibus obedirent. At de his commodus præſens non eſt latiùs diſſerendi locus, cumque iis alia, quæ huc faciunt, omitto. Sed noſcant hinc opus eſt, qui aliter credidere, Ducis adpellatione non liberæ tantummodo, ſed cujuſcumque urbis Præſidem olim demonſtratum, quem Italicus vulgus ex affinitate litterarum, dialecto variante, de quo aliquid adnotavi ad Stemmata Principum Beneventi lib. 1. dixit, *Duca*, & *Doge*. At Beneventanæ Dynaſtiæ terminos in dies, ut prædixi, nova circummanentium urbium adjectione à ſuis Ducibus fuiſſe diſtentos, quibus tamen fuerit aliquando detractum, ex ſubſequentibus licebit obſervare; namque ſingillatim ejus adnotatum imus fines ut quàm latiſſimos unquam extitiſſe arbitramur.

DIS-

(1) Nec olim quælibet legio plures habuit equites in decem turmas tributos.

(2) Rex Alboin non ulteriùs pervenit, ut conſtat ex eodem Paulo lib. 2. c. 12. ſive 26.

DISSERTATIO IV.

Fines Ducatus Beneventi ad Occidentem.

BEneventani Ducatus quadrifariam diſpartientes deſcriptionem (ad cœleſtis aſpectus ſcilicet normam, nec tamen exactam, nam illa cui eſſet bono?) ut Geographorum more ab occidentali plaga ducamus exordium, explorata conſtat obſervatione, illum ex hoc latere cum Romanæ urbis ditione, cumque altero Langobardorum inſigni Ducatu concurriſſe, hoc eſt Spoletano, qui & ipſe Romanum, ſed à Meridie Ducatum contingebat. Quocirca Anaſtaſius Bibl. in Gregorio 2. utroſque Langobardos Dynaſtas haud dubiè demonſtravit verbis illis. *Hinc inde Duces*, inquit, *Langobardorum circumdantes Romanorum fines*, & infra iterum. *Munera tunc hinc inde Ducibus Langobardorum, & Regi pollicentes plurima*. Quem quoque finem ad Occidentem inuiſſe videtur Conſtantinus Porphyr. De Admin. Imp. c. 29. *Saracenos*, dicens, *à Bario Langobardiam omnem Romam uſque annos quadraginta*. (an caſtigandum, *triginta*?) *tenuiſſe*, ſiquidem ille Cis-Tyberinam Italiam adpellavit *Langobardiam* ab incolentibus Beneventanis Langobardis, latèque regionem obtinentibus, de qua nominis uſurpatione infra uberior erit diſſerendi occaſio. At quàm prope Romam hi ſuos protenderint fines, non ſatìs conſtat. Nicolaus Alamannus in Diſſertatione de Parietinis Lateranenſibus reſtitutis cap. 15. non abnuit ad quatuor, & viginti ſtadia juxta eam urbem productos, hoc eſt ad milliaria tria: ad ſubnotata enim verba Romani Pontificis Gregorii 2. ſcribentis Imperatori Leoni Iſaurico, quæ in priori ejus ſunt epiſtola græcè, & latinè edita à Baronio ad ann. 726. *Scis*, inquit Gregorius, *Romam Imperium tuum ulciſci non poſſe, niſi fortè ſolam urbem propter adjacens illi mare, & navigia. Sed ſi ad quatuor & viginti ſtadia Româ fuerit egreſſus Papa, nihil tuas minas extimeſcit*. Ad hæc inquam verba ſic ille commentatur. *Hoc non de Cœmeteriorum latebris, ut docti viri opinantur, Gregorius dixit, ſed de Beneventani Ducis præſidio, de quo in epiſtola meminit, quam ad Carolum Martellum dedit, & in hac ipſa ad Leonem declarat. Ad quatuor, inquit, & viginti ſtadia ſecedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex, tum tu vade ventos perſequere*. Hæc Alamanus. Et quidem ut Pontificem locutum credamus de Beneventani Ducis præſidio, qui eo tempore erat Romualdus 2. ſi Pauli Diac. ſtat ſupputatio, ſin mea, quam ſuo loco aperiam, Gregorius Dux erat Papæ cognominis, validè facit Campaniæ, ſcilicet Romanæ deſignatio, ad quam manifeſtum eſt Beneventanum pervenìſſe Ducatum. Atqui tam rectè perſtrictam tunc Romam, quis credet? quæ conſentit Hiſtoria? Numerum tamen ſtadiorum bis intentè repetitum haud putare nobis licet à librariis corruptum, ſive à Pontifice per quendam exceſſum prolatum. Nodum tamen facilè ſolvens, ſi 24. ſtadia non ab Roma, ſed ab Romanæ ditionis finibus ad eam, quæ primo occurrebat loco, munitaque habebatur hujus Ducatus urbs, dinumeranda eſſe cenſeas, namque Romam pro Romano agro idem Pontifex uſurpavit in præſcriptis verbis. *Scis*, inquit, *Romam Imperium tuum ulciſci non poſſe, niſi fortè ſolam urbem propter adjacens illi mare, & navigia*, ſicut Salernum pro Salernitano, Beneventum pro Beneventano, Capuam pro Campano, Neapolim pro Neapolitano, & ſimilia, tum Erchempertum Num. 20. & 35. tum alios communi loquendi more dixiſſe, certa obſervatione eſt manifeſtum. Verumtamen quæ tunc noſtratium Langobardorum ea fuerit urbs, quæ præ aliis ad Romanam adceſſerit ditionem, me nondum comperiſſe, ingenuè fateor; nam, ſilentibus antiquis, temerè Soram fuiſſe adfirmarem; tametſi Beneventanum Ducatum non alibi legerim, nec Principis Radelchiſi Capitulare Num. 9. conſentiat ulteriùs unquam productum; certèque Sora, & confinia nonnulla oppida, ut idem Erchempertus perhibet Num. 21. & 25. Ignotuſque Caſſinenſis Num. 23. aliquando à Campanis Langobardis adminiſtrata fuerint, quod perinde eſt, ac dicere ad Beneventanam ſpectaſſe regionem, à qua tandem ſubtracta, tranſierunt ad Spoletii Ducem genere tunc Francum: eaque jam olim invaſerat, ut Paulus Diacon. tradit lib. 6. cap. 9. ſive 27. Beneventanus Dux Giſulfus deceſſor præmemorati Romualdi. Sunt ejus verba, ſicut excerpta habentur in ſcripto quodam, & antiquo membranaceo Codice Monaſterii Monialium S. Mariæ Campanæ urbis, atque ut ea recenſuit Philippus Cluverius in Antiq. Ital. libr. 3. c. 8. ubi de oppido Arce, ſive Arcano. *Hac denique ætate*, inquit Paulus, *Giſulfus Beneventanorum Ductor Soram, Romanorum civitatem, Arpinum, Arcem, atque Aquinum* (deficit *Aquinum* in præfato antiquo Codice) *pari modo oppida cepit*. Sed proceſſerant quoque jam pridem Langobardi: ac, ni fallor, himetipſi Beneventani ad loca circa Soram poſita pervadenda, quod S. Gregorius Magnus Dialog. lib. 4. cap. 22. his verbis demonſtrat. *Hoc Langobardorum tempore*, inquit, *in hac Provincia, quæ Sora nominatur, quidam Monaſterii Pater vitæ venerabilis Soranus nomine fuit, qui captivis advenientibus, atque à Langobardorum depræda tione fugientibus, cuncta, quæ in Monaſterio videbatur habere, largitus eſt*, & infra: *Expenſis verò rebus omnibus, Langobardi ad eum ſubitò venerunt, eumque tenuerunt, & aurum ab eo petere cœperunt*. Hæc Sanctus Pontifex, qui tunc quoque Aquinenſem urbem eò deveniſſe tradit Dialog. lib. 3. cap. 8. ut poſt mortem Epiſcopi Jovini in ea, *nec quis Epiſcopus fieret, nec quibus fieret inveniretur*, immani tunc quoque lue in ejus populum graſſante, quæ eodem Paulo Diac. auctore lib. 2. cap. 4. & 12. ſive 26. univerſam delevit Italiam. Per quæ etiam tempora, & ſub Romano Pontifice Pelagio, qui diem obiit anno 590. Langobardi non admodum inde diſſitum *Cœnobium B. Benedicti Patris* (verba ſunt præfati Pauli lib. 4. cap. 6. ſive 18.) *quod in Caſſino Caſtro ſitum eſt, noctu invaſerant, ac diripuerant*; ſicut rectè tempora adnotavit Oſtienſis lib. 1. cap. 2. quamvis Sigebertus in Chronico id factum ponat in anno 596. ejuſdemque Pauli ſupputatio poſt annum ſexcenteſimum contigiſſe expetat, de quo dicam in Chronologia par. 1. num. 2. Devaſtationem verò tam præclari Cœnobii à ſancto viro conſtructore adhuc inter vivos agente præviſam, ibique direpta tunc omnia, ſed ne unum quidem hominem detentum fuiſſe, prædictus Gregorius Magnus teſtatur Dialog lib. 2. c. 17. ſuper quam amariſſimè illum fleviſſe tradit: etſi, ut eventus docuit, ea futura erat minor alterâ, qua idem Monaſterium à Petronace repa-

reparatum iterum *invasum, destructum, atque incensum est à Saracenis Prid. Non. Septembris anno Incarnationis Dom.* 884. *Abbate quoque Berthario juxta Altarium B. Martini gladio tunc trucidato*, ut Ostiensis habet lib. 1. c. 43. revelata namque cœlesti viro fuit calamitas loco inferenda à se constructo, non altera, qua Petronacis opus erat periturum, deque ea indolendum illi esse haud congruum duxit Divina Sapientia. At Langobardi, ut unde discesseram me reducam, ea fortè tunc non retinuerunt, sed populârunt tantùm loca, utpote suam exuperantia non habendi cupidinem, sed facultatem servandi, dum gens deficiebat, nec adhuc succreverat, ut post fuit, quæ amplissimas regiones custodire, atque incolere sat esset. Immania autem ista in Cassinense Monasterium, in Aquinensem Urbem, & in Soranam Provinciam nostratibus Langobardis ea ratione adscribere me cogita, ut si quis à Spoletanis potiùs, sive docuerit, sive putaverit fuisse commissa, haud valde sim pugnaturus: etsi recentiores nonnulli direptum Cassinense Cœnobium à Beneventanis firmiter crediderunt, hac, ni fallor, conjectura persuasi, quoniam illud intra hujus Ducatus fuit confinia. At id utcumque se habeat, certè Gisulfus Beneventanus Dux centesimo post anno ab Zottone Soram usque & ad proxima oppida terminos suæ Dynastiæ promovit; *qui tempore Joannis Papæ* ulteriùs quoque eos producere est aggressus, & *cum omni sua virtute* (verba sunt Pauli Diac. lib. 6. cap. 9. sive 27) *Campaniam venit, incendia, & depræda tiones faciens, & usque locum, qui Horea dicitur, castrametatus est, nullusque ei resistere potuit. Ad quem Pontifex missis Sacerdotibus cum Apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redemit, ipsumque Ducem cum suo exercitu ad propria repedare fecit*: Nempe obtinuit, ne Gisulfus, cui nullus obsistere valebat, ulteriùs progrederetur, sed Beneventanos teneret, servaretque fines. Post quæ damna Romanos Pontifices, Beneventanosque Duces, qui Joannem, & Gisulfum subsecuti sunt, mutuam coluisse amicitiam, inferendum videtur ex Cassinensis Cœnobii restauratione, de qua Paulus Diaconus lib. 6. cap. 13. sive 40. & Ostiensis lib. 1. c. 4.; namque eam curavit Petronax Brixianus civis suasu Gregorii 2. ab anno Christi 720. ut constabit in Chronologia par. 1. num. 2. sacerque ille locus intra fines erat Beneventanos, ut dixi. Quo etiam fœdere, & amoris vinculo idem Pontifex fretus, securum se fore confidebat ab Imperatore Leone Isaurico, ut in Epistola ad eum data post annum 726. de qua actum est paulò ante. Quocirca censendum videtur, hujus Dynastiæ terminum cis Hoream constitisse, quæ trans Soram certè fuit, ut ex eo intelligimus, quòd hanc nostrates Langobardi, ut superiùs observatum est, longa ætate obtinuerunt, qua novissimè amissa sub Ludovico Lotharii filio, fines retrocesserunt ad proximam Aquinum, urbem sub jure adhuc perseverantem Capuæ Comitum, sicut apertè docemur ab Ignoto Cassinensi num. 26. Atque huc referendum putatus, apud Erchempertum num. 32. præfatum Imperatorem *Beneventi fines per Suram*, hoc est Soram, non autem *ad Soram* intrasse. Sed hîc quoque nobis claudetur terminus iste Romanos contingens fines.

DISSERTATIO V.

Fines Ducatus Benevent. ad Meridiem.

MEridionale Beneventani Ducatus è finibus Cajetanis ad Orientem longè porrectum latus, ac velut pectinatim Tyrrheno finitum mari, ordine nunc describam ejusdem maritimæ oræ servato. Cajetam sanè nostratibus Langobardis nunquam cessisse, Constantinus Porphyr. tradit de Admin. Imp. cap. 27. verbis aliàs relatis: *Langobardi*, inquit, *è Beneventa exursione in omnem ditionem facta, subjecerunt eam Themati Langobardiæ, & Calabriæ usque Papiam: excepta Hydrunte, Callipoli, Rusiano, Neapoli, Cajeta, Surrento, & Amalphe*. Ejusque dictum verum arguit Auctor Itinerarii S. Willibaldi apud Surium die 7. Julii; qui Sanctum illum virum Roma digressum *Tarraciniam* (1) *in Oriente*, deinde ad *urbem Cajetanam*, & illinc marino itinere *Neapolim* perveniisse dicens, addit: *Istæ civitates sunt Romanorum; in Beneventanis sunt, sed tamen Romanis sunt subditæ*. Græcis nempe, quos Græcorum more ob novam Romam, Constantinopolim, appellat Romanos. Et sanè Tarracinam, ad quam Procopius de bello Goth. lib. 1. ex observata ante Langobardorum tempora Provinciarum Italiæ descriptione fines statuit Campaniæ, & Romanorum, quorum urbem tunc etiam Tusciæ adscriptam scimus, Græcis à Carolo Mag. ademptam, Romanæque Ecclesiæ contributam; iterumque ab iis consilio Arichis Princ. Beneventi receptam (2), ex Hadriani Papæ ad eundem Carolum constat epist. 64. Qui insuper tum eam, tum Cajetam Græcæ partis disertè facit Epist. 73. *Et hoc*, inquit, Carolum similiter alloquens, *cognoscat à Deo protecta Excellentia Vestra; quia aliquantas civitates nostras Campaniæ* (Romanæ) *operantes æmuli vestri, atque nostri nefandissimi Beneventani, ipsi nostro Populo persuadentes subtrahere à nostra ditione decertant, una cum habitatoribus Castri Cajetani, seu Terracinensium: obligantes se validis sacramentis cum ipso Patritio Siciliæ, qui in prædicto Castro Cajetano residet; & decertant à potestate, & ditione B. Petri, & nostra eosdem Campanos usurpare, & Patritio Siciliæ subjugare* &c. Patritio nimirum Siciliæ; qui unus tum Siciliam, tum pleraque alia citra Farum loca, ut aliunde constat, sub potestate tunc habebat. At Cajetam, & periude adjacentia ei oppida (ad ostia scilicet Liris usque & Trajectum, quod Joannis 8. aperitur Epist. 69. & 74.) labentibus annis, nec sanè multis, Romano Pontifici plenè, ac firmiter accessisse, ex Erchemperto dignoscimus Num. 65. Sed clarissimè ex Ostiensi lib. 1. cap. 42. perhibente, Pandenolfum Capuæ Comitem, sive Gastaldum, rogasse modò dictum Joannem 8. ut

(1) Sic ibi legendum: non *Daterinam*, ut modò habet: ubi vel ipse exterus Auctor, vel imperitus librarius in *Nebulem* etiam detorsit *Neapolis* nomen.

(2) His ne pures obstare; quòd Francorum Rex Pippinus Paulo Romn. Pontif. denunciarit, se *Desiderium admovisse Regem, Neapolitanos, ac Cajetanos subjugeret ob restituenda patrimonia*, &c. (sic lege in Ep. 15. Pauli ad Pipp. non *Reges Neapolitanos, ac Cajetanos*; qui planè nulli) Nam Langobardorum demonstrabat Regem Desiderium, amicitia tunc apud Græcos pollentem, ut ex ejusdem Papæ liquet ep. 4. Qui etiam vi, & armis Arichis Ducis Benev. non ita pridem à se instituti, compellere illos potuisset, si renuissent.

Digitized by Google

ut ſubderet dominatui ſuo Cajetam ; nam Cajetani eo tempore Romano tantùm Pontifici ſerviebant : Ducem tamen habentes quendam Docibilem ; quem Joannes, ut Pandenolfum voti compotem faceret, è ſuo munere, ni fallor, haud amovit ; Quandoquidem Arichim quoque Princ. Beneventi non abſimili exemplo ab Imp. Conſtantino Irenis filio petiiſſe, obtinuiſſeque Ducatum Neapolitanum (ſed rem mors ejus turbavit) laudatus exponit Papa Hadrianus Epiſt. 44. etſi eundem tunc detineret Ducatum Stephanus Epiſcopus, & ſimul Dux, conſiliorum Arichis conſcius, quin etiam conſors, eique, ut ex præfata Hadriani Epiſtola eſt intelligere, arctiſſimè fœderatus. Sed Cajetam, haud prorſus amiſſam tunc Græcis fuiſſe Impp. antiquæ docent chartulæ, eorundem nominibus poſtea inſcriptæ, quam tandem Duces alii poſſederunt Campanis Dynaſtis conſimili ratione obnoxii, de quo opportuniùs alibi dicendum erit. Sequens verò littus importuoſum Cumas uſque quod *in Capuana fine*, ut Capitulare habet Princ. Sicardi Num. 13. flumina accipit *Minturnum*, ideſt Lirim ad oppidum olim Minturnas, *Volturnam, & Patriam*, priſcis *Clanium*, Beneventanos manifeſtum eſt obtinuiſſe Duces ; Siquidem ii & Capuam tenuere, perque Comites adminiſtrarunt, vel ab tempore Ducis Grimoaldi : illius nimirum, qui ad Regnum Langobardorum ope, & opera Campanorum Comitum obtinendum eſt uſus, exercitumque Imp Conſtantii attrivit. Quorum etiam facinore, ni fallor, *Cumanum* proximè poſt Patriam ſequens *Caſtrum à Langobardis Beneventanis, ſuperſtite adhuc D. Papa Gregorio Romanæ Sedis, pervaſum eſt* ; quod perhibet Paulus Diac. lib. 6. cap. 13. ſive 40. Beneventanorum ſanè Langobardorum nomine eos, qui proximam Cumis Capuam tenebant, haud ambiguè demonſtrans ; quandoquidem Beneventanos frequenter etiam dictos fuiſſe quoſcunque in Beneventano Ducatu degentes, ſive indigenas, ſive Langobardos, certum eſt. Qua mente ſunt Anonymo Salernitano Par. 1. Num. 1. *Beneventani Epiſcopi, & Antiſtites*. Sed Cumas Anaſtaſius Bibl. in Gregorio 2. pervaſas ait *per Indictionem quintamdecimam*, atque adeò in anno ſive 3 ſive 4. præfati Pontificis, qui ad ineuntem advixit annum Chriſti 731. Ex cujus dicto Paulus haud rectam videtur ſervaſſe temporum rationem, tradens id patratum *ſuperſtite adhuc B. Gregorio* : quod eſt, extremis ejus vitæ diebus. Nam tametſi ad annum ille perveniſſet 732., quo novo Indictionum Cyclo revoluto, quintadecima rurſus Indictio cenſebatur, minimè quidem paucorum dierum ſpatio peragere ea potuiſſet, quæ pro memorati caſtri recuperatione Anaſtaſius in hæc verba fuſiùs ibidem narrat. *Cumanum* (3), inquit, *etiam caſtrum ipſo fuerat tempore à Langobardis pacis dolo pervaſum. Quo audito, omnes ſunt redditi triſtes. Adhortans etiam Sanctiſſimus Pontifex, & commonens Langobardos, ut redderent, qui ſi non acquieſcerent, in iram ſe Divinam incidere pro dolo, quem fecerant, ſuis ſcriptis deteſtabatur ; nam & munera eis dare, ut reſtituerent, voluit multa ; ſed illi turgida mente, neque monitis audire, neque reddere ſunt paſſi.*

A *Unde nimis idem ſanctus indoluit Pontifex, ſeſeque ſpei contulerat Divinæ, atque in munitione Ducis Neapolitani, & Populi vacans, Ducatum eis qualiter agerent, quotidie ſcribendo præſentabat. Cujus mandato obedientes, conſilio inito, mœnia ipſius Caſtri virtute ſub nocturno ingreſſi ſunt ſilentio ; Joannes ſcilicet Dux cum Theodino Subdiacono, & Rectore, atque exercitu ; & Langobardos pæne trecentos cum eorum Caſtaldione interfecerunt, vivos etiam ampliùs quingentos compræhenderunt, captos Neapolim duxerunt, ſic Caſtrum recipere potuerunt ; pro cujus redemptione ſeptuaginta auri libras ipſe Sanctiſſimus Papa, ſicut promiſerat antea, dedit.* Hactenus Anaſtaſius. At B Langobardi nec proximum Miſenate Caſtellum à Sicardo Principe Langobardorum (verbis dicam Joannis Diac. Neapolitani de Transl. S. Soſii apud Surium) *poſt innumera mala, quibus urbes noſtratium afflixit*, oppugnatione ſubverſum, tenuerunt. In quo notandum *noſtrates* dictos à Joanne urbium incolas, quæ in Campaniæ littore ſub Neapolitano Ducatu diu permanſerunt. Neapolitani autem, ad quos tranſeo, quamvis nec Beneventanis Dynaſtis, nec Campanis Comitibus, unquam ceſſerint, Beneventano tamen Principi, jam dicto Sicardo *Collatam, & Priſtinam* (hoc eſt tributi quoddam genus) *conſueti fuerunt dare*, & perſolvere, ſicut ejuſdem Principis aperitur Capitulari N. 2. ſolviſſeque tributa Impp. C Occidentis Ludovico Pio, Lothario ejus filio, ejuſque nepoti Ludovico II. Erchempertus auctor eſt Num. 10. ipſeque prodit junior Ludovicus in Epiſt. ad Imp. Baſilium, quæ ab uno ſervata inedito Anon. Salern. publici juris facta eſt à Baronio ad an. 871. N. 54 & ſequentibus ejuſque verba, quæ huc faciunt, dabo infra. Neapolitanos autem Græcis Impp. per hæc, quæ tractamus Langobardorum tempora, ex directo, & antiquo jure ſubjectos fuiſſe, diuque ſic manſiſſe, teſtis eſt luculentus Conſtantinus Porphyr. De Admin. Imper. verbis ſupra relatis, (verba nec nunc repetam Itinerarii S. Willibaldi ibidem producta, rem quæ iſtam etiam juvant) inſuperque his D aliis. *Neapolis*, inquit, *Amalphe*, & *Surrentum, ad Romanorum Imperatorem* (Græcorum ſcilicet, ut jam expoſui) *ſemper pertinuerunt*. Sed hoc libet minutiùs demonſtrare à Blondo malè traditum, qui Dec. 1. Hiſt. lib. & ait, *ſe ſcire Langobardos haud multò poſt tempora trigintaſex Ducum in ſuis partibus habuiſſe Neapolim*. Atqui non ne ipſum nomen : *Magiſter Militum*, ut hinc exordiar, quo Neapolitanos Præſides per omne Langobardorum ævum nuncupatos obſervamus, urbem eam probat Langobardis non ceſſiſſe unquam, quos nunquam, ſive inter militares, ſive inter civiles Magiſtratus Magiſtros E Militum habuiſſe, firmiter tenemus ? idque ſanè vocabulum frequentiùs audiri cœpiſſe poſt Imperii declinationem, & ab Imperialibus potiſſimè exercituum Ducibus uſurparum, quando *& Magiſtri Peditum* quoque, & *Magiſtri utriuſque Militiæ* apud eoſque invaluere nomina ? Equidem haud vereor ex hac Neapolitani Præſidis nomenclatura conji ere me poſſe Neapolitanæ urbis Duces perpetuos fuiſſe

in

(3) Etſi Neapolitani Ducatus urbs erant Cumæ, Langobardorum tamen progreſſibus contriſtatus Gregorius, ſuæque etiam timens Romæ, preces, & præmia multa fudit. Quem exemplo præivit Gregorius Magnus, de quo infra. Eſtque etiam ſubſecutus Joannes VIII. qui aliena commiſeratus damna, inſtantiſſimis literis, donariis pluribus, præſentiaque ſua de Saracenis hinc depellendis apud Dynaſtas Ciſ-Tyberim omnes vehementer egit.

Digitized by Google

in his maritimis Campaniæ locis Græci Imperii propugnatores, quos non *Magiſtros Militum Neapolis*, ut recentiores ferè omnes credunt, ſed abſolutè, *Magiſtros Militum*, à priſcis, probatiſque auctoribus nuncupatos ſcimus. Erchempertum vide Num. 26. 27. 39., & 44. Capitulare Principis Sicardi, Num. 1. Epiſtolas Sancti Gregorii Magni, & Joannis Papæ 8. pluribus in locis, alioſque multos. Hoc autem de Græcorum Imperatorum in Neapolitana urbe dominatu adhuc firmat, ſed, ut ſolet, vera falſis admiſcens, temporumque & rerum ordinem perturbans, idem qui ſupra Porphyrogenneta, tradens loco jam dicto, *poſt translatam Conſtantinopolim Imperii ſedem, ad Italiam miſſos ab Imperatore Conſtantinopolitano Patricios duos; quorum unus Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphæ præerat: alter verò Benevento, Capuæ, Papiæ cum reliquis; & tributa quotannis Fiſco Imperatoris pendebant*: & infra iterum: *Neapolis antiquum Prætorium erat Patriciorum, qui mittebantur: & illam, qui tenebat, idem in poteſtate Siciliam quoque habebat. Cùmque Patricius Neapolim appelleret, Dux Neapoleos in Siciliam abibat*. Hæc Conſtantinus. Cui in his, quæ probamus, conſentit Sanctus Gregorius Magnus lib. 2. Indict. 10. epiſt. 32. ad Joannem ſcribens Epiſcopum Ravennæ; apud quam urbem Imperialis Exarchus, hoc eſt primarius tunc Græci Imperatoris in Italia Magiſtratus, ſedem habebat. Verba ſunt Gregorii: *De Neapolitana verò urbe*, inquit, *Excellentiſſimo viro Exarcho inſtanter imminente vobis indicamus, quia Arechis* (Dux ſcilicet Beneventi hujus nominis primus) *ut cognovimus, cum Arnulfo* (Duce Spoleti) *ſe fecit, & Reipublicæ contra fidem venit, & valde inſidiatus eſt eidem civitati; in quam ſi celeriter Dux non mittatur, omnino jam inter perditas habetur*. Sic Gregorii epiſtola, quæ data cùm fuerit Indictione decima, anno convenit 592. quo Neapolim Duce deſtitutam manſiſſe docemur; ſed ex altera, quæ eſt 74. lib. 7. Indict. 2. in anno ſcilicet data 599. intelligimus haud multò poſt in id muneris fuiſſe miſſum Maurentium, quem Pontifex ſcribit, adeò urbis cuſtodiæ invigilaſſe, ut etiam *Theodoſium Abbatem in murorum vigiliis ultra vires ſuas vehementer afflixerit*; adeòque eandem pariter urbem, ut ex epiſtola habetur 107. præfati libri 7. Indict. 2. armatis militibus muniiſſe, ut eos in Monaſterio etiam hoſpitaretur Angelæ Abbatiſſæ. Neque hunc Ducem ab alio dices miſſum, quàm ab Græco tunc Imperatore Mauritio, qui Neapolitanorum jurà ſuper poſſeſſione adjacentium Inſularum *elicita juſſione poſt alios retrò Principes ita ſtrictè manſerat, ut ii non haberent, unde juſtè poſſent formidare*; quod certò ſe noſſe aſſerit idem Sanctus Pontifex libr. 9. Indict. 4. epiſt. 53. Firmiter igitur tenendum eſt, Duces à Græcis Imperatoribus Neapoli datos; ad quorum utilitatem eam ſervatam ex eodem intelligimus Gregorio lib. 12. Indict. 7. epiſtola 24. qui pro communi tunc temporis ſtudio, quo Romani Pontificatus curam gerens ſibi quoque invigilandum eſſe ſentiebat, ne reliqua Græci Imperii in Italia portio, ac ipſa tandem Roma Langobardis accederet, *Conſtantinum Tribunum cuſtodiæ inibi cùm deputaſſet, Epiſcopis* ſcripſit *Neapolitanis, ut prædicto Magnifico viro Tribuno omnem deberent pro Sereniſſimorum Dominorum utilitate, vel conſervanda civitate obedientiam præſtare*. Quo loco *Neapolitanos Epiſcopos* dictos putamus Antiſtites urbium Campani litoris, quas Dux Neapolis in unam velut Provinciam redactas, vulgò appellatam, *Campaniam*, pro Græco Imperatore curabat: qua ſignificatione eidem Pontifici lib. 2. Ind. 11. Epiſt. 1. 2. & 15. dicitur *Scholaſticus Judex Campaniæ*, & lib. 8. Indict. 3. Epiſt. 12. *Gudiſcalcus Dux Campaniæ*, nec alio ſenſu Paulo Diacon. lib. 5. cap. 6. ſive 12. ſunt *Partes Campaniæ* (4), neſcioque an eodem in Epigraphe Epiſtolæ 3. Papæ Pelagii ſcriptæ, *Dilectiſſimis, atque clariſſimis fratribus univerſis Epiſcopis, & cunctis ſpecialiter per Campaniæ, & Italiæ Provincias militantibus*: atque apud Acta Sancti Antonini Surrentini, de quibus infra. Sed Neapolis etſi poſt Divi Gregorii Magni tempora Græco Imperio eſt aliquando amiſſa, tandemque omnino deperdita, eam planè non alii, niſi quibus ejus adminiſtratio demandata, ac concredita ab ipſis Imperatoribus fuerat, uſurparunt; de quo ſat eſſe poteſt unicum ex præmembrati Pauli Hiſtoria libr. 4. cap. 10. ſive 35. depromptum exemplum, quod verbis referam Anaſtaſii Bibl. in Deuſdedit, ut ea è mendo expurgem, & explanem: *Eleutherius*, inquit, *Patricius, & Cubicularius egreſſus Roma, venit Neapolim, quæ tenebatur à Joanne Compſino intarta* (ſcribo, *antarta*, ut habet Abbo Floriacenſis: quæ vox, aliis non intellecta, ſonat *rebellem*; unde apud eundem Anaſtaſium in Theodoro, *intartizare*.) (5) *Qui Eleutherius pugnando ingreſſus eſt Neapolim, & interfecit Tyrannum*. Ejus autem rebellis vindicem haud ſibi, ſed Græco Imperatori, tunc Heraclio, apud quem Patriciali dignitate, & Cubicularii munere ille erat decoratus, eam adſeruiſſe urbem, opus non eſt, ut aliis probem documentis, quàm hac una Hadriani Romani Pontificis Epiſtola 44. ad Carolum Magnum data, editaque à Greterio, qua aperitur Neapolim adhuc ſub Græcorum Imperio manſiſſe, expetitamque eſſe à Beneventano Duce Arichi 2. vel poſt annos biscentum ab triginta ſex Langobardorum Ducum tempore, ſecus ac Blondus opinatus, certòque ſe ſcire eſt profeſſus. Epiſtola verò Hadriani, qua Regi Carolo occultam conſpirationem ſibi proditam à Gregorio quodam Capuæ Presbytero enarrat, ſic habet: *Cùm à nobis*, inquit, *enucleatiùs ſciſcitatas fuiſſet* Presbyter ille Gregorius, *retulit nobis dicens; quòd dum Domnus Carolus Magnus Rex præterito anno à Capuana urbe reverſus fuiſſet* (hoc eſt in anno 787.) (6) *Arichis Dux ſuos ad Imperatorem, Deo ſibi contrario, emiſit Miſſos, petens auxilium, & honorem Patritiatus unà cum Ducatu Neapolitano ſub integritate* (cum omnibus nempe integris locis ad eundem Ducatum ſpectantibus, ſive integrè, atque omnimodà tradita poteſtate, ut non ſemel id verbi eſt apud Hugonem Falcandum) *ſimul & ſuum cognatum Athalgiſum* (filium Regis olim Italiæ Deſiderii, qui capto ejus patre à Carolo Con-

(4) Sic quidem, nam laxior illa Equum Tut. pertingens, ac Trivicum, haud jam manebat Campania, quæ tum Langobardis ceſſerat, tum retrocefferat ad mare, quò regionis incolæ, tanquam in loca tutiora ſecefferant, eamque (ſeriò dicam) contraxerant.

(5) Vide Feſtum in verbo, *Antarium*, & ibi Scalig. Gloſſas quoque editas ab Henrico Steph.

(6) Vide laudatos Auctores ad Anonym. Salernit. Part. 1.

Constantinopolim confugerat) *cum manu valida in adjutorium sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura, quàm in vestibus usu Græcorum perfrui sub ejusdem Imperatoris ditione. Hæc audiens autem Imperator, emisit illi suos Legatos, scilicet Spatarios duos in ditionem Siciliæ ad Patritium eum constituendum, ferentes secum vestes auro textas, simul & spatam, vel pectinem, & forcipes, sicut illi prædictus Arichisius indui, & tonderi pollicitus fuerat: petentes Romualdum ejusdem Arichisi filium in obsidiatum*: & cætera digna quidem scitu, sed à nostro instituto aliena; ex quibus unum illud excerpere est visum, Neapolitanos in suam urbem suscepisse Græci Imperatoris Legatos, ac duos præscriptos Spatarios *cum Bandis, & Signis*: hoc est procedentes obviam eis solemnissimo apparatu, qui postulata Arichis adimplere nequiverunt, nam ille in fata concesserat eodem anno. Sed ne in Neapolitanorum, ac perinde Græcorum rebus diutiùs, quàm par est, dum Langobardorum tracto Historiam, immorari videar, en tandem promissa Epistolæ portio Ludovici 2. ad Basilium Macedonem, quæ velut prædictorum epilogus est, atque confirmatio. *Postremò*, inquit Ludovicus, *de Neapoli nobis in Christo fraternitas tua monuit, quasi miserimus populum nostrum ad incidendas arbores, & messes igne cremandas, & hanc ditioni nostræ subdendam; cùm licèt ab olim nostra fuerit, & parentibus nostris piis Imperatoribus tributa persolverit. Verùm nos, præter solitas functiones, nihil exegimus, nisi salutem ipsorum*, &c. Hæc Ludovicus ad Basilium. Sed ex iis dijudicare facile quoque est, proximè post Neapolim ejusdem Tyrrheni maris urbes, Stabias, Surrentum, & Amalfim nec Langobardis in eorum primordiis, nec per plures alios annos cessisse; siquidem eas sub regimine Neapolitani Ducis diu fuisse, Pontifices Gregorius Magnus, & Hadrianus suis in Epistolis, quas recitavimus, innuunt, & palàm aperit Capitulare Principis Sicardi initio. Et Stabias quidem *cùm Langobardorum feritas omnia ferè Campaniæ oppida igne succenderet, ferroque devastaret, S. Antoninus* cognomine dictus nunc *Surrentinus*, tanquam in securiorem, nec obvium hostibus locum, qualis maritimus ille tunc habitus est omnis tractus, secessit; *ac Parthenopes*, ut ejusdem S. habent Acta, *ingressus agros* (nempe ejus Ducatum) *amplissimo Stabiensis Ecclesiæ Præsuli, nomine Catello adhæsit*, quod contigisse non admodum post Langobardorum adventum, jure me opinari posse existimo; quandoquidem ex ingenti illa clade, quæ in universàm ferè Campaniam est ab eis illata, nempe in mediterraneam, fugisse Antoninum oportet ad littoralem à bello tunc immunem, & à Græcis servatam: Ni velimus in iis Actis eadem supra expositа acceptione Campaniam demonstrari littoralem, quam Princeps Sicardus planè omnem iteratis vicibus tum solus, tum unà cum patre Sicone divexavit, à qua interpretatione libens quoque starem. At Sanctum virum è direpto à Langobardis Cassinensi Cœnobio sub Duce Zottone fuisse digressum, si quis potiùs judicandum duxerit (modò non majus obstet impedimentum) ab opinione seduci non debet sua ex hoc, quòd Latii, non Campaniæ, urbs olim fuit Cassinum; namque *hæc regio à Tyberi prima Italiæ servata est ex descriptione Augusti*, ut perhibet Plinius lib. 3. cap. 5. qui Cassinum in ea manifestò locat. Verumtamen ejusmodi pugnat sanè magìs adsertioni, quòd Cassinenses tunc Romam unanimi voto, ac fuga, omnes se receperunt, ut subindicat Ostiensis lib. 1. cap. 2. quòdque laudata Antonini Acta Monachum eum, haud produnt tempore Stabinensis secessus (7), sed in clericali munere apud Episcopum Catellum primùm mansisse, testantur: quæ nihilominus tollit obstacula Martyrologii Romani sacra auctoritas ad diem 16. Kal. Martii: Antoninum adpellans Monachum Cassinensem: cui subscribendum, adque ejus normam Sancti hujus viri gesta exponenda esse dijudico. Surrentum autem, quod proximè Stabias subsequitur, & post Surrentum in adverso Promontorii latere Amalfim, sub Græcis mansisse, ex Constantino Porphyrogenneta verbis supra relatis intellectum est; certèque ante ejus ætatem in Langobardorum jura concessisse, haud proditum habetur; nam utramque ab iis olim, sed frustra expetitam, novissimè Salerni Princeps Guaimarius IV. armis subegit anno ferè 1040. quod Ostiensis adnotavit lib. 2. cap. 64. atque in Chartis complura testantur monumenta: Surrentinamque sanè urbem à Principe Sicardo nullo profectu obsidione cinctam præscripta declarant Acta S. Antonini: nec non Amalfi ab Langobardo hoste Sanctum Gregorium Magnum timuisse, sed timuisse tantùm, Epistola ejus docet 23. lib. 5. Indict. 14. Adversùs quam nec pariter profeciisse Arechim II. ex altera Epist. 18. Hadriani Papæ ad Carolum Magnum aperitur, cujus verba sunt. *Porrò*, inquit, *vestræ Regali potentiæ innotescimus, quia Arichis Beneventanus Dux justitias de hominibus suis quærens, exercitum duxit super Amalfitanos Ducatus Neapolitani, & undique eos circumvallans incendit omnes possessiones eorum, atque habitacula foris posita. Quo audito Neapolitani direxerunt in adjutorium ipsorum plures homines, vincentes eos, interfecerunt plurimam multitudinem Ducatus Beneventani; unde cùm cæteros plures, tum optimates captivos apud se habent*, &c. Ista Hadrianus. Ex quibus firmari insuper vides quod nec multò superiùs observabam de Neapolitanorum Ducum diuturna prærogativa super Amalfim, Surrentum, adjacentesque alias hinc inde in ejusdem maris ora sitas urbes; quæ nihilominus singulæ peculiares interim obtinebant Præsides, à quibus regebantur, sed Neapolitanis Ducibus, dum antiqui juris norma custodita est, haud dubiè obnoxios, quos Amalfitani annuos habuerunt, Comitesque dixerunt (8) (cur non sic quoque Surrentini, ac cæteri?) si Anonymo Salernitano in Historia nondum edita habetur fides. Per Sicardi autem Principis ævum, & quod excurrit, talem Politiæ ordinem servatum adhuc fuisse ejusdem Sicardi declaratur Capitulari, à quo stat etiam Erchempertus num. 26. & 27. tradens Magistrum Militum, atque Neapolis Ducem Amalfitanos in bellum misisse in Campanos, illorumque Marinum Præfectum, ac filium in vinculis detinuisse, ut fœderato sibi Principi Salernitano gereret morem. Nec ducendus aliò est ineditus præfatus Anonymus, qui Sicardum tradit ex Amalfi ab

(7) Equidem ex S. Greg. M. aliisque novi, Monachos ad clericalia munia aliquando transiisse: at id de S. Antonino Acta sua non perhibent.

(8) Comitis Miseni, sive Messenæ utique meminit S. Greg. M. lib. 11. Ind. 6, ep. 31.

Digitized by Google

ab incolis sibi prodita, ac *sinè humani sanguinis effusione populata*, multos tum per vim captivos, tum volentes traduxisse Salernum; qui ejus donis corrupti reliquos populares suos ad transfugiendum sollicitarunt, sed tandem à Langobardis apud Principem delati fuerunt, quòd *Duci Parthenopensi quidam eorum flecterent caput*: veritos namque Langobardos subindicat Anonymus ille parum ibi constans, nec apertus auctor, ne Amalfitani Salernum proderent Neapolitano Duci, cui ex congenita subjectione animo adhuc faverent. Sed de his satis. Cur verò tum præscripta, tum alia loca Langobardorum valuerint manus diutius, vel effugere, vel repellere, non inepta ea videtur ratio reddi posse; nempe quòd antiquissimo more cæterarum urbium ad mare sitarum, quæ expositæ alioquin fuissent ad obvios, subitosque pyratarum incursus, arduis in locis, validisque propugnaculis munitæ habebantur; cùm cæterùm nostrates Langobardos haud admodum validam aluisse, sive comparasse classem putandum sit, qui nihilominus eam qualemcumque habuerunt, sicut ex Erchemperto constat num. 8. & 9. At eis ad invadendas mediterraneas urbes, & loca promptiorem fuisse facultatem, par est credere; quandoquidem eorum omnium ferè muri, vel jam pridem à Gothis consultò diruti, ac disjecti nulli extabant, vel ævitate senescentes, ac ærumnosorum temporum infortuniis quassati tantùm non deciderant: quorum quoque possessio cùm longè laxior, fructuosiorque maritima ora censeretur, potuit sanè hostes quantumvis habendi cupidos abundè in illis rerum primordiis explere, nec numero adhuc, sicut postquam apud nos succreverunt innumeros. Et quidem gens illa ab suo ferè adventu interiorem Campaniam omnem, Capuamque metipsam totius regionis olim caput, præclarosque ejus, ac latos campos, vel solo adcessu obtinere valuerat, cùm hîc præter Neapolim, Cumasque non alia urbs, teste Procopio Gothicæ Historiæ lib. 1. muris tunc munita esset. Sed Capuam, quam modò dixi, nam ad eam ex Amalfi recedo, Beneventani postquam occuparunt Langobardi (consona enim auctorum voce utique occuparunt) haud eam transactis ab Narsetis ætate annis centum sub triginta Ducibus destruxerunt, ut nostracium rerum, penè dixerim, prorsus ignarus Blondus, & qui eum secutus est Leander Albertus suis in Italiis, ubi de Campania, tradiderunt: Nec abusque Vandalorum, sive Afrorum incendio penitùs desolatam frequentare cœperunt, (9) sicut perhibet Constantinus Porphyrogenneta de admin. Imper. cap. 27. Sed illam minùs quidem felici tunc sorte utentem, eorundemque irruentium Langobardorum primis populationibus, nec negaverim, maximè attritam, novis paulopost inductis habitatoribus restaurarunt, validioremque reddiderunt, nempe aliquantò priùs quam Grimoaldus Beneventi Dux Regnum usurpasset in anno 663. qui præsignes Capuæ Comites dedit, eosque administros habuit validos, ac prudentes, sicut declarat Paulus Diac. lib. 4. cap. 18. sive 53. & lib. 5. cap. 4. sive 9. quos de more ex cæteris selectos libet credere, tanquam ad proximos Græcos repellendos, debellandosque destinatos. Quibuscum quotidianas ferè Campani Langobardi conferentes pugnas, adeò præclaram ex armorum studiis gloriam reportasse censeo, ut manente adhuc antiqua urbe, Autchar ejus Episcopus suo in Tumulo non admodum nuper deperdito, cujus tamen integrum, quod susceptum indè fuit exemplum, apud me extat, dictus jure merito sit:

„ *Antistes Populi multa virtute potentis.*

Atqui eodem pervasæ Capuæ tempore reliqua hinc inde mediterranea Campaniæ loca nec ullis tunc munita muris, Langobardis etiam cessisse, ambigendum non est: nempe ad Occidentem Teanum: ad Orientem verò Caudium (dictum alio nomine *Furculum*) Sarnum, & Cimiterium, idest Nolam, hoc etiam celebriori tunc vocabulo demonstrari consuetam. Quarum urbium, & Capuæ simul adpellatione omnem in Capitulari Principis Radelchisi Numer. 9. venire existimo antiquam Campaniam cum Latii parte usque Aquinum, Liri, & Sarno fluminibus definitam, quæ tandem, ut alio loco dicam, longè post præfatum Capitulare anno exaratum 851. atque sub nostris Regibus Nortmannis, nomen Terræ Laboris obtinuit, quo ex vulgi consuetudine modò indigitatur. Quod noto, ne quis S. Martini Romani Pontificis malesanam ad Elitherium Epistolam, qualem editi hactenus Codices præseferunt, objiciat his, quæ modò de universis antiquæ Campaniæ mediterraneis locis à Langobardis pervasis, pronuntiavi: nam ille enarrans quæ passus sit, cùm Roma captivus jussu Græci Imperatoris Constantii marino itinere in anno 650. in Orientem duceretur, per Terram quidem Laboris tunc subditam magnæ Romanorum urbi, hoc est Constantinopoli, se transisse declarat; verumtamen omnem aliam, quam hanc inter Latium, & Picentinos regionem certo certiùs animo concepit. Sunt ejus verba. *Pervenimus*, inquit, *Kalendis Julii Messenam, in qua erat navis, ideſt carcer: non autem Messenæ tantùm, sed in Terra Laboris, & non tantùm in Terra Laboris, quæ subdita est magnæ Urbi Romanorum, sed & in pluribus Insularum, in quibus nos vel transmisissemus, peccata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum, excepto dumtaxat in Insula Naxia, quoniam ibi annum fecimus*, &c. Hæc Martinus; qui apertè cùm separet *Messenam*, ideſt *Misenum*, sive dicas *Misenatem urbem*, à Terra Laboris, seque ex illa ad hanc dicat perveniſſe, ac Insulas tantummodo ea navigatione transmisisse, ad quas descendere veritum ei fuit, nulla ambiguitate laborat, *Terræ Laboris* nomen in præscriptis ejus verbis haberi depravatum: quo non continens terra, qualis hæc est, sed consimilis adpellationis Insula demonstrari deprehenditur, per quam ex Miseno Pontificem solventem, Naxumque ductum oportuit pertransire? Siquidem *Messenæ*, ut dixi, vocabulo, efferendi tunc recepto more, *Misenum* indigitatum, discere est ex S. Gregorio Magno lib. 7. Indict. 2. epist. 26. & 27. & lib. 11. Indict. 6. epist. 30. & 31. quo etiam, sed per simplex S dicta ea urbs reperitur in ejusdem Sancti Martini Actis apud antiquum Membranaceum Codicem Monasterii Monialium S. Joannis Baptistæ Campanæ urbis; sed afferam textum, in quo etiam est non obvia nominis Calabriæ usurpatio. *Non autem*, inquit, *Messenæ tantùm, quæ in Calabria est, impedierunt*

(9) Vacuæ urbi certè dicendum non est Episcopos clari adhuc nominis unum post unum præsedisse: *Tiburtium, Constantinum, Alexandrum, Germanum, Victorem, & Probinum.*

runt Beatum Epiſcopum, ſed & in aliis Inſularum civitatibus ſine humano ſolatio tribus menſibus eum retinuerunt, nullam compaſſionem ei adhibentes, &c. Quibus verbis noluit auctor *Miſenum*, ſive dicas *Meſenam*, vel *Meſſanam*, Campaniæ urbem, eſſe *Meſſanam* Siciliæ, Calabriæque oppoſitam: nec Siciliam credidit aliquando Calabriam nuncupatam; ſed quoniam Calabriæ nomine omnia quandoque adpellata fuerant, quæ à Græcis in Cis-Tyberina Italia detinebantur loca, ut pleniùs dicam infra, littoralem Campaniam, & Miſenum à Græcis utique ſervatas, conſueto more *Calabriam* nominavit. Sed, ut redeam ad Martini Epiſtolam, nomen ibi, *Terra Laboris*, ex, *Terra Liparis*, depravatum eſſe, non prorſus futili perſuadeor conjectura; namque Pontifex è Romano digreſſus portu; ac per Miſenum vectus Naxum, neceſſaria, & conſueta transfretatione ad Lipareas Inſulas haud dubiè divertit, ſicut obſervare eſt, nedum ex locorum poſitu, ſed ex pari apud D. Gregorium M. navigatione Dial. l. 4. c. 30. Verùm ex *Miſeni* genuino vocabulo cùm *Meſſina*, & *Meſena*. *I.* in *E.* commutato, dicta ſit urbs; pari ratione Terra quoque, ſive Inſulæ, olim, atque nunc *Liparis* dictæ, (10.) *Leporis* etiam, varianteque dialecto, *Laporis*, videntur fuiſſe nuncupatæ; quod ſanè imperiti librarii cùm ignorarent, notiſſimum, quod jam increbuerat *Terræ Laboris* nomen ſubrogarunt, vel ex hoc etiam non aliam putantes Terram ibi indicari, quòd ſcilicet Miſeni eſſet mentio in contextu. Nec diſpari à Narciſſi Medici hallucinatione, qui apud Sebaſtianum Munſterum in Coſmographia lib. 2. ubi de Campania, *Terram Laboris* perhibet aliquando dictam fuiſſe *Terram Leporis*, neſcius in antiquis à ſe inſpectis monumentis hoc vocabulo non Terram, quæ olim Campania fuit, ſed Lipareas Inſulas demonſtratas: & ſanè haud offendiſſe in hoc videtur, qui ex Græco Latinam fecit Epiſtolam, Anaſtaſius. Sed de Terræ Laboris nomine, ejuſque origine, quàm abſurdas alias plerique recentiores, & præ aliis Blondus, quique illius perpetuus eſt Comes Leander Albertus, tulerint ſententias, abſtineo nunc aperire: ſuſcepta enim Beneventani Ducatus peragenda eſt deſcriptio: nec de Salerno, quæ proximè poſt Amalfim in interiori ejus maris ſinu occurrit, eſt ſermo longiùs differendus. Quæ quidem urbs, ſive quòd in mediterraneis olim, & à mari nonnihil recederet, ſicut deſcribitur à Strabone lib. 5. itemque à Plinio lib. 3. cap. 5. ideoque minori ſtudio munita haberetur: ſive quòd ex antiquiori clade minùs frequens eſſet, haud ferò, ſicut proximam Amalfim, & Surrentum, ſed, ni fallor, eodem, quo mediterranea alia loca, exiguo labore eam Langobardi pervaſere: quam Caroli Magni ætate *Princeps Arichis*, ut auctor eſt Erchempertus Num. 3. & ex eo Oſtienſis lib. 1. cap. 12. *in modum tutiſſimi caſtri, opere mirifico munivit, & nova fabrica reparavit, ut eſſet ſcilicet futurum præſidium Principibus, ſuperveniente exercitu Beneventum*: hoc eſt in ipſo maris littore urbem refecit, ut evadendi hoſtis, ſi quando neceſſitas urgeret, marino itinere patêret via; qua eodem fermè tempore Deſiderius Rex Italiæ, Arichis ſocer, cùm à præfato Carolo Ticini obſideretur, deſtitutus, captus fuerat, vitamque exilio finierat; exemplo etiam ille doctus anteceſſoris Ducis, qui ab perſequente eodem Deſiderio Hydruntum ſe receperat, ac vitæ diſcrimen evaſerat, ut alibi dicam. Ex quibus declaratur, cur Principes Arichi poſteriores ſummo ſtudio Salernum colere perſeverarunt; nempe quoniam in omni Beneventana ditione non alia habebatur opportunior navigiis ſtatio, Beneventoque vicinior Græcis ad Inferum, quod propinquius erat mare, ſola importuoſa Campaniæ littora non poſſidentibus. Arichis autem, ut hoc obiter notem, ſive reſtaurans, ſive univerſam denuo condens Salernum, non ab alio ſibi præcavebat hoſte, quàm à terreſtri, qualem ſenſit Carolum, à quo, & ab ejus filiis, ut Erchempertus perhibet Num. 2. 5. & 6. pluries tum ipſe, tum Grimoaldus ſubſequens Princeps, nunquam tamen claſſe, fuerunt laceſſiti: qua Gallorum Reges, ut hinc intelligere eſt, non admodum valuere, ſed ea Græci tunc præpollebant, & qui pyraticam exercebant Saraceni. Ludovicus ſanè Lotharii filius, ut Barim obſidione magis arctaret, à Baſilio Macedone *Stolium* (ſic claſſem adpellat) anxiè expetiit eâdem Epiſtolâ, cujus ſupra meminimus, & obtinuit: Sed poſt Salernum cæteras quoque ad Orientem Conſentiam uſque longo, continuoque tractu poſitas urbes Langobardis aliquando ceſſiſſe, non uno conſtare poteſt documento (11), Acropoli tamen in excurrente Promontorio, vulgo dicto (*Capo della Licoſa*) excepta, & ſi qua alia illic ad mare, & Rhegium uſque ſita: quam Græci ejuſdem Arichis, & Caroli Magni ætate, adhuc ſervarunt, ſicut ex Romani Pontificis Hadriani diſcimus collatis invicem Epiſtolis 44. & 48. ad eundem Carolum datis, quibus Hadrianus iteratò habet de tranſmiſſis Legatis ab Imperatore Conſtantino ad dictum modò Principem: verba ſunt prioris Epiſtolæ. *Dum*, inquit, *ibidem Salerni Atto fideliſſimus veſter miſſus fuiſſet, Beneventani ipſos Græcos minimè recipere voluerunt; ſed poſt reverſionem prædicti Attonis Diaconi tunc eos terreno itinere à finibus Græcorum deſerentes, Salerno receperunt, & cum Athalberga* (Oſtienſi dicitur *Adelperga* lib. 1. cap. 15. ſicut etiam inedito Anonymo Salernitano) *relicta Arichis, ſeu optimatibus Beneventanis tribus diebus perſiſtentes conſiliati ſunt*, &c. Poſterior autem Epiſtola ſic habet. *Dum Atto Diaconus ad veſtram reverſus eſt Excellentiam, ſtatim Miſſi Græcorum duo Spatarii cum Ducibus, quod latinè Diſpoſitor Siciliæ dicitur in Lucaniæ Acropoli deſcendentes, terreno itinere Salernum ad relictam Arichis Ducis, peragrantes* 13. *Kal. Februarii pervenerant, qui ibidem cum ipſis tres dies conſiliantes Beneventani, poſt tertium diem uſque Neapolim deduxerunt*. &c. Hæc Hadrianus. Græci igitur, non ſecus ac littorales Campaniæ urbes, Acropolim quoque, à Langobardis licèt circumſuſi, retinuerunt, quos æquè loci ſitus, & munitio eximiè protegebat: namque idem hoc *Acropolis* nomen Græco fonte cadens probat manifeſtò. *Sed citra*

Acro-

(10) Ex primaria Æoliarum ejs Inſulas omnes dixit *Terram Liparis*, parti acceptione, qua Erchempertus N. 29. *Barium tellus*, & Nu. 81. *Rhegium tellus*, noſque dicimus, *Terra di Bari*, *Terra di Otranto* &c.

(11) Eccleſias, ſive Epiſcopatus *Velia Buxenti*, ſive *Uxenti*, & *Blandæ* littorales uni Epiſcopo Acropolitano Sanctus Gregorius Magnus lib. 2. Indict. 10. epiſt. 29. commendavit, quod æquè, ni fallor, urbes illæ, ac Acropolis in Græcorum manerent ditione.

Digitized by Google

Acropolim poſt Salernum in eodem ſinu Langobardi Pæſtum poſſedere, vulgo nunc *Pieſti*. quam ex totius regionis nomine *Lucaniam* quandoque etiam dictam, Erchemperti declarat auctoritas Num. 3. nam *Arichim inter Lucaniam, & Nuceriam Salernum inſtauraſſe* perhibet. Sed manifeſtiùs probat Capitulare Radelchiſi Num. 9. in quo inter urbes, quæ Principi Siconolfo ex Beneventanæ Dynaſtiæ diviſione ceſſerunt (urbes inquam, non autem Provincias, nec regiones, nullas ibi priſcis nominibus deſignatas) eſt Lucania: hoc ſcilicet ordine. *Caſſanum, Cuſentia, Lainus, Lucania*. &c. Et ſanè Lucaniæ adpellationem non aliam, quæ Salerno Orientalior fuerit urbs, utrobique demonſtrari Paulus Diacon. prædicto Capitulari collatus perſuadet; qui lib. 2. cap. 11. ſive 17. univerſam Italiam deſcribens in plures Provincias diſtributam, *Lucaniæ, & Brutiæ* dinumerat eſſe urbes. *Pæſtum, Lainum* (malè alia editio, *Lanium*) *Caſſianum, Conſentiam, & Rhegium*. easque ſolas, utpote inſigniores, enumerat, nec alias addit ullas; quarum antecedentes quatuor iis deſcriptis in Capitulari, Lucaniamque Pæſto perſpicuum eſt reſpondere; deque earum dignitate pariter conſtat Paulo, & Capitulari convenire; in quo nimirum earundem adpellatione omnis ad Orientem Lucanus, & Brutius Conſentiam uſque, & Caſſianum venit ager, ut mox patebit. Lucania igitur urbs fuit alio nomine etiam dicta Pæſtum (12), de qua capiendus ſanè eſt Dionyſii Scholiaſtes Euſtathius injuſtè à Philippo Cluverio in Antiq. Ital. lib. 4. cap. 14. reprehenſus, quòd aliquam urbem vocabulo *Lucaniæ* nominaverit. Nec mirum debet eſſe, Pæſti nomen in novum vocabulum tranſiiſſe, iterumque fuiſſe reſtitutum, ſicut præſens ejus aperit uſus; ſiquidem nec aliter priſca Prætutiorum, ſive Prægutiorum Interamnia dicta labentibus annis quoque eſt. *Aprutium*, quod, præteritis aliis, diſcere eſt ex Oſtienſi lib. 1. cap. 36. & lib. 2. cap. 26. quæ tandem ex paulùm detorta priori nuncupatione eſt modo *Teramus*; Eſtque nunc Nola, quæ haud alio, quàm hoc nomine dicta olim fuit; ſed media ætate *Cimiterium* nuncupata reperitur in præſcripto Capitulari Num. 9. & in Erchemperto Numero 2. Volturnus quoque Flumen adpellationem hodie retinet antiquam, & primitivam, etiamſi aliquando *Caſilinus* fuerit dictus, ſicut in Agathiæ Hiſtoria lib. 2. eodemque in Erchemperto Num. 25. inque aliis eſt manifeſtum. Ex quo haud conſentienda antedicto Cluverio eſt ejuſmodi argumentatio, qua utitur libr. 4. cap. 13. præfati operis, negans priſcam Callipolim dici dein potuiſſe *Anxam, & plurali numero Ancas, quod ea etiam nunc vocetur Gallipoli*; cui cæteroqui de Anxæ Livianæ poſitu nil ſum moleſtus. Pæſtum autem ulteriùs, ſive urbem dicas Lucaniam, omnem Lucaniam regionem in mediterraneis, itemque Calabriæ partem eam, quæ per Lainum Conſentiam uſque porrigebatur, ipſamque Conſentiam in partibus Beneventanorum Ducum fuiſſe, ex præfato Radelchiſi intellectum eſt Capitulari; in quo ſingularum urbium deſignatione adjacentia etiam, eiſque ſubjecta, ac minora complura alia oppida certum eſt demonſtrari. Sed de hac Calabriæ portione haud aliter perhibuit Conſtantinus Porphyrogenneta. De Admin. Imper. cap. 27. tradens Principem Siconolfum, quem facili lapſu de fratris nomine adpellavit Sicardum, ex diviſa Beneventana Dynaſtia *obtinuiſſe Salernum, Capuam, & partes Calabriæ* (13), nimirum mediterraneas, nec Conſentia ulteriores, ſicut exponenda quoque ſunt Erchemperti verba Num. 15. *Fretus*, inquit, *ille Siconolfus Landulfi Capuæ Gaſtaldei, ac liberorum ejus auxilio, totam Calabriam ſuo ſubdidit famulatui, maximamque partem Apuliæ*, ſiquidem totius Calabriæ adpellatione haud ibi ea etiam venit Calabria, quæ trans Conſentiam ad Siculum uſque porrigitur fretum, etſi eodem hoc nomine tunc dicebatur, ſed citerior Calabria omnis mediterranea à Langobardis detenta, quam ſupra non ii ditionem ſuam dilatarunt, ſicut ex ſubſequenti Diſſertatione conſtabit. De qua pariter accipi debet Hiſtoria Miſcella lib. 21. habens Sergium quendam Protoſpatarium, Imperatoris Leonis Iſaurici perduellem *è Sicilia confugiſſe ad propinquos Calabriæ Langobardos in anno ejus Imperii ſecundo*, qui fuit Chriſti 718. Eo uſque autem pervenerat Beneventanus Ducatus ab ipſis ferè ſuis primordiis, & ab Sancti Gregorii Magni ætate quando Brutium agrum, *Brittios* tunc, poſtmodum Calabriam nuncupatum, obtinebat Dux Arichis, quod ejuſdem Pontificis Epiſtola 25. lib. 10. Indict. 5. ad eum ſcripta declarat hoc tenore. *Indicamus*, inquit, *propter Eccleſias Beatorum Petri, & Pauli aliquantas nobis trabes neceſſarias eſſe, & ideo Sabino Subdiacono noſtro injunximus de partibus Brittiorum aliquantas incidere, & ut uſque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re ſolatiis indiget, gloriam veſtram paterna charitate petimus, ut Actionariis veſtris, qui in loco ſunt, deputetis, ut homines, qui ſub eis ſunt, cum bobus ſuis in ejus tranſmittere ſolatium debeant.* &c. deque eadem hac re alias Neapolim ad Maurentium Magiſtrum Militum, & ad præfatum Sabinum dedit ille Epiſtolas. Actionarios igitur ſi Arichis in Brutiorum tunc habebat agro, utique procurrentem ab Lao amne, nunc *Laino*, regionem detinebat, quam illi curabant. Cæterùm verò aliis vicibus trabes ex Calabria Romam poſt fuiſſe ductas ad S. Petri, & S. Pauli Eccleſiarum uſus, Anaſtaſius tradit Bibliothecarius in Sergio, & in Gregorio Secundo.

DISSERTATIO VI.

Fines Ducatus Beneventi ad Orientem.

LAngobardi, ſi verbis ſtandum eſt Pauli Diacon. lib. 3. cap. 15. ſive 23. quæ de inſtituti hujus Ducatus tempore cùm inquirebamus ſunt relata, Brutiorum reliquam regionem trans Conſentiam Rhegium uſque, & Columnam, atque ad fretum Siculum, Regis Autharis auſpiciis obtinuerunt. Cujus dicto conſentire videtur Erchempertus Num. 81. Siciliam ab Regno diviſam tradens intermedio Pharo; nam ibi Regni nomine quid aliud eum voluiſſe cenſendum erit, niſi Cis-Tyberinam Italiam omnem in unam coactam Dyna-

(12) Sic contigiſſe putandum eſt, quoniam æquè primum nomen, ac recens promiſcuè in uſu fuit; ſed priſco tandem manente, novum deſuevit.

(13) *In Græco eſt* καὶ τὸ μέρη τῆς καλαβρίας; quod, niſi in meam ſententiam, duci non poteſt, ut dicam in Differt. de Finib. Principatus Salerni.

Digitized by Google

nastiam, quæ Ducatus fuit Beneventanus? sicuti apud Ignotum quoque Cassinensem Num. 4. hoc Regni vocabulum apertissimè ditionem sonat nostratium Langobardorum, etsi impropriè; quandoquidem longè post apud nos Regalis est dignitas instituta. At Pauli, sive vulgi, ut superiùs observabam, ejusmodi opinioni firmiter cætera antiquorum omnia adversantur monumenta, quibus tantum abest, quòd productus obstet Erchempertus, ut ille nil minùs quàm manifestissimè, nec uno in loco, ulteriorem Calabriam concesserit Græcis, quos prædicto Num. 81. *à Constantinopoli ad Rhegium tellurem*, hoc est ad Rheginum agrum, sive Diœcesim, Calabriam eam omnem tunc complectentem, adventasse, atque à Saracenis devictos perhibet, ac *civitates utriusque* nempe Rheginæ telluris, & Siciliæ, quas utrobique retinebant, ingenti metu perterritos deseruisse. Sed & Num. 51. firmat idem apertissimè, Græcos tradens cum Saracenis in extima illa Calabria decertasse, victoriaque potitos, *Amanteum castrum, & Sanctæ Severinæ oppidum* recepisse, quod contigit vivente adhuc Basilio Macedone, sicut adfirmat Cedrenus. De Erchemperti igitur sententia cùm satis certi esse possimus, nonne apud eum nomine Regni, haud quæ sub unius Beneventanæ Dynastiæ continebantur loca, sed aliud quidvis potiùs demonstrari meritò est suspicandum? (1) Equidem virum religiosum, ac sacræ paginæ frequenti lectione imbutum, qualem se tum aliis experimentis, tum præcipuè aperit stylo, Regnum dixisse Italiam universam, maximè probo; ea nempe ratione, quòd hæc non Insula, ut Sicilia, cui Regnum opponit, sed continens sit terra: qua acceptione id vocabulum usurpatum habetur Machabæorum lib. 1. cap. 8. ubi de Romanis dicitur, quòd *Regna, & Insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminarunt, & in potestatem redegerunt*. Adsertum itaque à Paulo popularem rumorem de Calabria à Beneventanis Langobardis ad Pharum usque possessa testimonio quidem Erchemperti minimè fulcitur, quem nec alterius idonei Scriptoris, quod sciam, sustentat auctoritas, nec planè Ignoti Cass. locus huc referri valet. Verùm de antiquo illo rumore cùm sic censendum putem, cæterùm haud negaverim, Langobardos aliquando transgressos populationibus esse trans Consentiam, à quibus in anno 596. *ex capta Crotoniensi civitate, quæ super Hadriaticum mare in terra Italiæ posita est, multos viros, multasque mulieres nobiles in prædam ductos fuisse, & ex iis aliquibus intra sequentem annum redemptis, multos apud illos aliquandiu mansisse*, his ipsis ferè verbis doluit Sanctus Gregorius Magnus lib. 6. Indict. 15. Epist. 23. perhibens quoque lib. 1. Indict. 9. Epist. 39. eadem tempestate *Monachos Paulini Episcopi Tauri civitatis* (2), *Provinciæ Brittiorum* (nempe Episcopi *Taurianensis*, ut idem alibi) *occasione dispersos barbaricè per totam vagasse Siciliam* Qui & lib. 2. Indict. 10. Epist. 38. Liparitanam Ecclesiam *in locis inimicis* constitutam adpellavit, & lib 9. Indict. 4. Epist. 45. Siciliæ ab inimicis timuit, scilicet Langobardis, quos admodum proclivi credere est conjectura omnia rapinis, incendiis, perpetuaque etiam incursione fœdasse, ut suos promoverent constitutos semel fines, sicut ab Occidentali commiseeunt plaga, de qua loco suo est dictum. At, inquam, inruptionem fecerunt, nec tamen loca trans Consentiam valuerunt, voluerunt ve retinere, de quo præsto est productum modò Crotonis exemplum, unde præda quidem abacta, non urbs fuit præsidio firmata; i lemque probari potest auctoritate ejusdem Sancti Pontificis, qui lib. 2. Indict. 10. Epist. 25. *Joannem Lisitanæ Ecclesiæ Episcopum* (aliter *Lusitanæ*) *ab hostibus captivatum in Squilatina Ecclesia Cardinalem duxit constituere Sacerdotem*, hoc est Antistitem; quòd scilicet urbs Squilacium in extima illa Italia à Langobardorum populationibus haberetur immunis. A me autem nedum Græcum auctorem Constantinum Porphyrogennetam stare comperio, qui de Thematibus lib. 2. Them. 10. adfirmat Siciliam à Saracenis ademptam Græcis, nempe in anno 820. ut Ostiensis perhibet lib. 1. cap. 20. *solamque Calabriam à Christianis retentam: in qua Rhegium erat, & oppidulum Sanctæ Cyriacæ* (idest nunc *Giraci*) *& Sanctæ Severinæ, & Croto, & alia quædam oppida, quibus Prætor Calabriæ dominabatur*: sed idem firmant Latina monumenta complura, & in primis Anastasii Bibliothecarii auctoritas, qui in Vitaliano sic habet de Constantio Imperatore Syracusis in anno 663. & seqq. commorante. *Talem*, inquit, *afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus Provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ per Diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales à sæculo nunquam fuerunt*. Sic Anastasius. Cui accedit testimonium Historiæ Miscellæ lib. 21. quo declaratur Leonem Isauricum in anno sui Imperii 16. (fuit hic Christi 732.) *tributa Capitalia Siciliæ, seu Calabriæ superimposuisse*. Nec horum auctorum pronunciata de extima illa, quam dico Calabriam, accipienda esse habeo cur dubitem: cùm videam eos eximiè hoc pacto concordare præclaris aliis auctoribus, qui Calabriam cis Consentiam, ut dictum est, contradiderunt Langobardis. Qua etiam interpretatione Pontificem Hadrianum capio in Epist. 46. ad Carolum Magnum. *Sic enim*, inquit, *de nequissimo jam dicto Adelgiso* (filio Regis quondam Italiæ Desiderii, qui Constantinopolim se receperat) *nobis nunciatum est, quia in veritate, Deo sibi contrario, cum Missis Imperatoris in partibus scilicet Calabriæ residet juxta confinium Ducatus Beneventani*. Quæ tamen si quis exponenda putaret de locis ad Acropolim à Græcis servatis, quæ eadem origine dicta fuissent *Calabria*, qua Misenum quoque Calabriæ noscitur contributum in Actis S. Romani Pontificis Martini, equidem non abnuerem; tum quòd hæc interpretatio novam, obscuramque ejus vocabuli expositionem mox à me tradendam foveret; tum quòd nil minus ex relatis aliis documentis datur scire, Græcos retinuisse aliquam Calabriæ partem, quandoquidem reliqua pars cesserat Langobardis. Et sanè præter laudatos auctores, ab hac quoque mente est synchronus Papæ Hadriano Eginhardus, Caroli Magni gener, qui in ejus Imperatoris vita de longitudine Italiæ juxta traditam ab antiquis dimensionem, deque hoc limite sic. *Italia*, inquit, *tota ab Augusta Præ-*

(1) An in Psal. etiam 71. *Insulæ* ab *Regibus*; & in Esaia cap. 40. ab *Gentibus*, juxta vulgatam, hoc sensu distinguuntur?

(2) Fuit Tauriana ad mare, ubi nunc *Palma* prope Seminaram.

Digitized by Google

Prætoria usque ad Calabriam inferiorem, in qua Græcorum, ac Beneventanorum constat esse confinia, decies centum, & eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur. Hæc ille, manifestò declarans Calabriam ex parte à Græcis, ex parte à Langobardis fuisse possessam: quem tamen hæc statuentem confinia ad Calabriam inferiorem, ne puta eam dixisse, quæ trans Consentiam modò adpellatur ulterior; siquidem nondum ista ulterioris, citeriorisque cognomina tunc prodierant; sed Calabriam cogita universam ad Inferum mare sitam, sive Agrum dicas Brutium, demonstrasse; vir enim minimè ineruditus, qualem eum consensu prædico Gerardi Joannis Vossii de Historicis Latinis libr. 2. cap. 33. non ignoravit alteram, antiquioremque Calabriam ad Superum mare à priscis auctoribus memorari, à qua recentiorem Brutii Agri nomine, sive *Brittiorum*, ad ætatem usque Sancti Gregorii Magni, sicut ex ejus constat Epistolis, adpellatam, peculiari nota aptè discriminavit. Atqui antiquissimæ regionis Calabriæ, quæ ad alteram Italiæ oram, Tarentino interposito sinu, ab hac distat: quæque nunc ferè est *Terra di Otranto*, ac *Terra di Bari*, ut remotioris ævi omittam testimonia, Ptolemæi scilicet Geogr. libr. 3 cap. 1. Strabonis lib. 6. Plinii libr. 3. cap. 11. Dionysii Afri de situ Orbis, aliorumque, mentio est à S. Athanasio Apologia 2. quo loco habet convenisse Episcopos ad Concilium Sardicense sub anno celebratum 347. tum ex aliis, tum ex *Provinciis Italiæ*, *Piceni*, *Tusciæ*, *Campaniæ*, *Calabriæ*, *Apuliæ*, *Brutiorum*, *Siciliæ*, *&c.* ejusdemque meminit notitia utriusque Imperii, quam docti viri exaratam decernunt in extremo Theodosii junioris Imperio, hoc est prope annum 450. siquidem ibi describitur Italia in decem, & septem Provincias tributa, ac nono loco adnumeratur *Provincia Apuliæ, & Calabriæ*: (3) decimo autem *Lucaniæ, & Brutiorum*. Verumtamen quo pacto hoc Calabriæ nomen ex una ad alteram transierit regionem, fueritque Brutiorum Agro impertitum, auctores hactenus nulli exposuerunt, resque sub magno admodum silentio inobservata manet vel iis, qui in recentiori hac Calabria nati, ejus sive Historiam, sive Commentaria doctè quidem scripserunt. Quorum, ac præcipuè Gabrielis Barrii in Campanos meos nulla nec sibi, nec suæ genti injuria notos, mentem parum amicam, æquè cùm doleam, ac demirer, haud tamen desistam, quin honestissimi hujus nominis aperiam, quem reor, fontem, etiamsi id habeam à proposito longè alienum. Mea est igitur de hoc conjectura, sub Langobardorum ætate, non tamen ab illis, sed à Græcis novum Brutio Agro vocabulum fuisse inditum. Nam Græci (sic inquam conjicio) integram retinentes Siciliam, proximamque Brutiorum Consentiam ultra haud magnam partem, necnon litoralia Acropolim usque multa, & Campaniæ quoque maritimas urbes: atque etiam servantes, ut mox, & in subsequenti Dissertatione palàm fiet, ad Superum marè *regionem latissimam*, qualem eam dicit Paulus Diacon. lib. 6. cap. 1. antiquissimè Calabriam nuncupatam: hæc loca, inquam, omnia sub duplici Themate descripserunt, ac in duas Provincias contribuerunt, Sicilia pro una, reliquis verò quamvis admodum disjunctis ditionibus, pro altera computatis, atque his Italicis omnibus sub unius antiquæ Calabriæ nomine, quæ tunc amplior, fructuosiorque cæteris erat portio, designatis. Qui rerum ordo ad tempora cùm mansisset Imperatoris Constantii, postque ejus necem cùm primæva illa Calabria à Duce Beneventi Romualdo Seniore, quod Paulus ibidem perhibet, admodum fuisset imminuta, Imperatores, qui Constantium sunt subsecuti, eodem Calabriæ vocabulo adpellare perseverarunt, quæ adhuc in Cis-Tyberina Italia servabant loca, tum ex consueto Græcorum fastu, ac ne sui Imperii Themata minora deveniisse viderentur; tum quòd reliquam ad Orientem trans Brundusium, ac Tarentum Provinciam, nunc ferè *Terra di Otranto*, olim verò antiquæ Calabriæ partem, nunquam amiserunt, ut post dicam: quo pacto novum hoc nomen Brutio Agro, etsi nec omni, nec soli impertiri cœptum, ei tamen uni firmiùs inhæsit; quandoquidem Calabri Thematis Prætores, sive cum Porphyrogenneta dicas, *Patritii*, vel *Strategi*, amissa Græcis Tarento, quæ regionis fuerat caput, ad inferiorem Calabriam suam detulerunt Sedem, ubi ditionis portio remanserat cæteris major; (4) Græcorumque ad exemplum Langobardi, ut assolet inter finitimos, mediterranea illic sua eodem vocabulo adpellarunt, qui loca Tarentum, ac Brundusium usque recentiùs pervasa haud antiquo nomine *Calabriam*, sed ex adjacenti à se possessa regione dixerunt *Apuliam*, Græci autem quidquid erat ad Superum mare dein nominarunt *Langobardiam*, de quo post; sicque omnino desiit primitivæ Calabriæ nomenclatura. Et mea de abditissima quidem re talis est divinatio, sed ad institutam modò revertar descriptionem. Tertium igitur Ducatus Beneventani latus Orientem aspiciens Solem cùm minimè Cosentiam ultra progrederetur, Tarentum usque ad Septemtrionem per Cassanum pervênit, quod tum his, quæ observavimus, concordat, tum ex Capitulari probatur Principis Radelchisi Num. 9. nam ille integram Beneventanam Dynastiam cum Principe Siconolfo dispertitus, urbes ei ante alias contradidit *Tarentum*, *Latinianum*, *Cassanum*, *Consentiam*, &c. atque hac ratione verum esse deprehenditur, quod Constantinus perhibuit Porphyrogenneta verbis supra relatis, urbem Rhegium, oppidulum Sanctæ Cyriacæ, & Sanctæ Severinæ, Crotonem, & alia Oppida à Christianis, hoc est Græcis, indesinenter fuisse possessa, quibus in lib. De Admin. Imper. cap. 27. addit Rusianum, quæ loca omnia in extima illa sunt Calabria, atque Consentia, & Cassiano orientaliora. Sed Tarentum, de quo dicebam (nam de Latiniano in mediterraneis posito alibi opportuniùs) aliquantò post quàm Brutius ager, nostratibus Langobardis adcessit, atque post obitum Græci Imperatoris Constantii, à quo detinebatur, in anno 663. cùm ille ad eam appulit urbem, tunc planè totius ditionis primariam, (5) à qua

(3) Hinc est quòd mediæ ætatis auctores à Cluverio laudari Ant. Ital. lib. 4. cap. 13. absoluto nomine Calabriæ Apuliam quoque denotarunt.

(4) Sanè posteriora hæc tempora adspiciebat Jo: Curop. tradens Græcos Duces Rhegii commorari consuevisse priusquam eam Robertus Guisc. obtinuisset. Qua subacta dici ille Dux cœpit, ut Ostiens. perhibet l. 2. c. 16. nempe, quòd regionis caput pervasisset.

(5) Jure hanc prærogativam Tarento tribuo, nam secus Constantius non eam portui præposuisset Brundusino. Hydruntinus autem Portus post hæc inclaruit.

Digitized by Google

qua digreſſus, ut Paulus Diacon. tradit lib. 5. cap. 4. ſive 7. *Beneventanorum fines invaſit, omneſque per quas venerat Langobardorum civitates cepit, cùm tamen Agerentiam* (ſive *Acherentiam*, malè alia editio, *Arentiam*) *propter munitiſſimam loci poſitionem capere minimè potuiſſet*. At poſt iſta, ut ejuſdem Pauli dicam verbis lib. 6. cap. 1. *Dux Romualdus congregata exercitus multitudine Tarentum expugnavit, & cepit*, tuncque Græci antiquiſſimæ Calabriæ maximam amiſerunt partem; nam idem Dux (pergit Paulus) *pari modo Brunduſium, & omnem illam, quæ in circuitu eſt, latiſſimam regionem ſuæ ditioni ſubjugavit*, qui utique progreſſus ad Conſtantii obeuntis tempora ſunt referendi; quo perempto in anno 668. perturbatoque Imperio ab invaſore Mecetio, ſive Mezentio, commodam ille eſt nactus occaſionem ditionis augendæ, damnaque ſibi illata ulciſcendi; cùm interim *Italiæ Militiæ Milites* (verba ſunt ejuſdem Pauli lib. 5. cap. 6. ſive 12.) *alii per Hiſtriam, alii per partes Campaniæ, alii verò à partibus Africæ, & Sardiniæ venientes, in Tyrannum irruiſſent, quem vita privarunt*; eaque etiam opportunitate uſi Saraceni Syracuſas diripuerunt, ſicut eodem loco idem tradit auctor. Qui ſanè demonſtrare videtur, arces regionis pervaſæ tunc à Romualdo fuiſſe Tarentum, & Brunduſium, quas nominatim, præteritis aliis, captas dicit: itemque dat ſuſpicari ei adſtitiſſe aliquammultos Bulgaros ſub eorum quodam Duce Alczeco nuncupato, perhibens lib. 5. c. 11. ſive 29. illos eadem tempeſtate pacificè Italiam intraſſe (credam ego à Beneventi Duce, atque ab ejus patre Rege Grimoaldo in ſubſidium accerſitos adversùs Græcos, quod Paulus de more erubuit exponere) iiſque loca ad Bojanum, & Æſerniam ad habitandum fuiſſe conceſſa. Nec alia ratione Ignotus Caſs. Num. 3. etſi cæterùm res ſui temporis lacinioſo ſtylo, nulloque digerens ordine, in unum locum contulit Alczeci adventum, & Langobardorum de Græcis, deque Romanis, nempe genuinis Italis, ingentem victoriam, qua ſcilicet ii latiſſimam regionem obtinuerunt. At Brunduſium, quò ex Tarento jam pervenimus, cùm ab altero fuerit Beneventani Ducatus latere, atque ad Septemtrionem, finitus mihi modò eſt terminus iſte ad Orientem.

DISSERTATIO VII.

Fines Ducatus Beneventi ad Septemtrionem.

EXtima, ac orientalior Beneventani Ducatus ab hoc latere urbs fuit Brunduſium, ſicut ex non ſemel producto Conſtantini Porphyrogennetæ loco De Adm. Imper. cap. 27. facile eſt intelligere. *Langobardi*, inquit, *ex Benevento excurſione in omnem ditionem facta, ſubjecerunt eam Themati Langobardiæ, & Calabriæ, excepta Hydrunte, & Callipoli*, &c. hæ namque urbes ſingulæ ab utroque Salentini Promontorii latere, & quod Septemtrionem, & quod Meridiem reſpicit, ſitæ, Brunduſio quidem ſunt orientaliores; quibuſcum detentam quoque fuiſſe à Græcis intermediam Oriam, docet Erchempertus Num. 48. eam dicens ab Græco Imperatore Baſilio dono datam *ad convivendum* Gaideri, qui Beneventano Principatu exutus Conſtantinopolim profugus ſe receperat. Sicut Græcorum quoque, ut reor, colens amicitiam Beneventi Dux alter, qui proximè Arichim 2. præceſſit, Hydrunti, ſive Otrantina dicas in civitate, aliquando manſit., ad quam ab inſequente Langobardorum Rege Deſiderio confugerat, utpote ſociorum, vel ex fœdere, aliove conſimili pacto ſibi commendatam (1): nam ſic exponenda cenſeo Pauli Romani Pontificis verba, quæ in Epiſt. 4. ad Pipinum Regem Galliæ de eodem habentur Deſiderio. *Appropinquante autem*, inquit, *eo Benevento, ilico Dux Beneventanus fugam arripuit in Otrantinam Civitatem; & dum diu immineret, ut ex ipſa ſua civitate exire eundem Ducem ſuaderet, & nequaquam in eo ſuam adimplens voluntatem, conſtituit Ducem alium in eodem Beneventano Ducatu, nomine Argis*, &c. Et quidem innominatum hunc Ducem nullum præſentius habuiſſe perfugium, quàm Græcorum urbem, aptiſſimè convenit eorum temporum, & Beneventani Ducatus, quæ tunc manebat, conditioni, quando Dux Godeſcalchus, ni Paulus Diacon. falſus eſt lib 6. cap. 17. ſive 57. de quo dicam in Prima Parte Chronol. Num. 12. ante annos haud multos ab perſequente Rege Luitprando ad Græcos pariter tranſire diſpoſuerat: necdum Salernum, ut poſtea, inſtauratum, eximièque munitum fuerat ab Arichi. Cùm igitur Hydruntum Græci detinuerint, deque hoc Pontifex Paulus minimè diſcrepet ab Porphyrogenneta, extimam utique urbem ex orientali plaga hujus lateris Septemtrionalis Brunduſium Beneventani Duces habuerunt. Sed Porphyrogenneta Langobardos ait, pervaſam ditionem *ſubjeciſſe Themati Langobardiæ, & Calabriæ*: hujus nomine Calabriam recepto more demonſtrans ad mare Inferum, de qua ſuperiùs: Langobardiæ autem novitio vocabulo Apuliam deſignans ad mare Superum, quam planè latè obtinuerunt, ut qui Tarentum, & Brunduſium uſque ſuos fines, ſicut notavimus, dilatarunt. Verumtamen cur ſic Apuliam adpellarit, Beneventanumque Ducatum in bina Themata, ſive dicas Provincias tradiderit diſtributum, cùm neutrum hoc è noſtratium fecerit conſuetudine, utrumque ſanè exponendum, ſed loco erit aptiori. At Beneventanos unà cum mediterranea Apulia, quam *latiſſimæ regionis* adpellatione Paulus Diaconus in antecedentibus demonſtrabat (2), litoralia etiam omnia Brunduſium citra, non poſſediſſe, non adhuc novi cur adfirmem; quandoquidem ſatis conſtat, eis ceſſiſſe Barium, ut ex Erchemperto Num. 16. quin & Siponтum, ſed aliquanto poſt ætatem Sancti Gregorii Magni, qui ejus urbis *Tribunum ab hoſtibus prædatum*, pretioque redemptum perhibet libr. 3. Indict. 12. Epiſt. 17. nam idem Paulus libr. 4. cap. 14. ſive 41. rem enarrans actam ante an. 640. ut alibi dicendum erit; proximum Siponto litus in Beneventi locat fine. *Radoaldus*, inquit, *& Grimoaldus Giſulfi Foro Julienſis Ducis filii deſpectui ducentes ſub patrui ſui Graſulfi poteſtate degere, cùm eſſent jam prope juvenilem ætatem, adſcensá naviculá, remigantes ad Beneventi fines pervenerunt*: hoc eſt ex interiori Hadriatici maris ſinu ſolventes non aliò quàm ad Siponti litora appulerunt, quod facilè dabunt locorum periti. Verumtamen quid conjecturis

(1) Cur aliter Pontificis verba capiam, qui addit Deſiderium Regem ſolo Duce illo, & ejus nutritore Joanne contentum, Græcis expugnatam urbem fuiſſe dimiſſurum?

(2) Sic Varro de RR. l. 1. cap. 6. Apuliam infert æſtuoſam, quòd ſit latiſſima,

Digitized by Google

rò opus eſt in rè clara, quæ ex altera ejuſdem Pauli narratione aperitur lib. 4. cap. 15. ſive qſ.) *Venientes Scabis*, inquit, *cum multitudine navium, longè à civitate Sepontò caſtra poſuerunt* (in anno ſcilicet 642. de quo in Chronologia) *ſuper quos Ajo Dux Beneventi cùm veniſſet, ſimul cum aliquantis viris extinctus eſt.* Et capite ſequenti. *Eo tempore*, ait, *venientibus Græcis, ut Oraculum Sancti Michaëlis Archangeli in Monte Gargano* (eſt ad Garganum Sipontum) *deprædarentur, Grimoaldus Dux ſuper eos cum exercitu veniens, ultima eos cæde proſtravit*; quod ſanè mox poſt annum contigit 647. Sed Græcis ſacrilega iſta cùm adſcribit, vereor ne imponat nobis Paulus, ſuſpectæ mihi ſemper fidei auctor in his, quæ ſuorum Langobardorum officere poſſunt decori, cur enim potius non credam talia ab iis commiſſa, quos conſtat Caſſinenſe Monaſterium ſuperioribus annis diripuiſſe, ac Idololatriam, ſive Arianam hæreſim (3), nam diſcrepant de hoc auctores, ad annum uſque 663. fuiſſe ſectatos, nempe Langobardos Ducatus Beneventani? cùm cæterùm ſit manifeſtum, Græcos ex antiquo ritu impenſo ſtudio Sancti Michaëlis nomen coluiſſe, cui (ut penè ſupparem primis hiſce Langobardorum temporibus dem exemplum) unus Magnus Juſtinianus Imperator plures Conſtantinopoli ædes tum refecit, tum novo opere excitavit, quod Procopius teſtatur libro primo de ejus Imperatoris Ædificiis; eidemque Angelorum Principi Græci Neapolitani ſua in urbe Templum avito haud dubiè ritu conſtruxerunt, quod S. Gregorii Magni ætate dedicarunt, ſicut idem Pontifex declarat lib. 7. Indic. 2. Epiſt. 15. Credam igitur verè tunc Græcos cum Langobardis ad Garganum pro ejus loci poſſeſſione, ſicut pro aliis alibi frequenter, confixiſſe, atque hos victoria potitos ſacram Archangeli ſpecum diripuiſſe. Namque ex ineditis Actis S. Barbati Epiſcopi Beneventani in Monialium Monaſterio Sancti Joannis Baptiſtæ Campanæ urbis adſervatis, cùm conſtet eam in anno 663. adeò cultoribus manſiſſe deſtitutam, *ut nec ſedulum illic officium perſolvi poſſet*; necnon Beneventanos Langobardos Divinæ opis præſidio ſua ab urbe Imperatorem Conſtantium abegiſſe, atque vix tandem ad meliorem converſos frugem, Catholicamque fidem ſuaſu ejuſdem Sancti Epiſcopi amplexatos, ei permiſiſſe, ut inferma ibi ſolemnia reſtitueret, haud quidem ex aliâ, quàm ex illata ab ipſiſmet Langobardis direptione, venerandam Cryptam eò perveniſſe non eſt ambigendum. Sacrilegæ igitur rapacitatis opprobrium à Langobardis Paulus convertit in æmulos Græcos, quem nimirum ſuæ genti amore complura alia omnino contraria iis, quæ facta ſunt, enarraſſe, magnus vir judicii Baronius ad annum 581. Num. 2. peritiſſimè obſervavit. Atqui (ſi tamen receptam in Sacris paginis Hiſtoriam ad conjecturæ lancem expendere fas eſt) an etiam ſatis certi eſſe poſſumus, non ſic quoque commiſſum in Actis Angelicæ Adparitionis, quæ perhibent Neapolitanos à Sipontinis devictos (hoc eſt à Beneventanis Langobardis Græcos, de quo alibi dictum eſt) Paganitatem exuiſſe, Chriſtique ſuſcepiſſe fidem? quandoquidem, ut opportunè nunc aperiam, quod libro priori diſſimulandum duxi, oppoſitum verius, atque non Græcos, ſed Langobardos ea occaſione ſacro Baptiſmate initiatos ex hoc aliquis dixerit; quoniam eorum Actorum Auctor Langobardus & ipſe fuit, fueruntque tum Græci, tum Neapolitani antiquiſſimi Chriſti cultores, Langobardi autem ſero, & in anno 663. Idololatriæ renunciárunt. Et quidem iſta cum ſimul confero, videre mihi videor, tunc Sipontinos, ac Beneventanos in eam, quæ in præfata Adparitione enarratur, à Neapolitanis, & Græcis redactos fuiſſe anguſtiam, nimirum cùm Imperator Conſtantius, ſicut eſt in præſcriptis Actis Sancti Barbati, necnon in Paulo Diac. lib. 5. c. 4. ſive 7. pervaſas Apuliæ civitates eis ademit, Luceriamque à Sipontо non admodum disjunctam ad ſolum proſtravit, ac ipſam tandem Beneventum arctiſſima obſidione tamdiu coërcitam diverſavit, dum ejus cives divinam opem invocantes, extremam evaſerunt cladem; quod præfata S. Barbati Acta, ſincera illa quidem vel ex Baronii cenſura in Notis ad Martyrol. XI. Kal. Martii, his verbis declarant. *Conſtantinus* (ſic etiam dixere Conſtantium) *qui uſque ad internicionem molliebatur urbem cum ſuis habitatoribus perdere, & quem nequibant ad miſericordiam flectere immenſi ponderis argentum, vel aurum, atque innumera multitudo prætioſorum lapidum, & Margaritarum, accepta ſolummodò ſorore Ducis Romualdi, Beneventum deſerens, Neapolim eſt ingreſſus.* Hæc ibi, poſt quæ ſubjicitur Ducem, & Langobardos incolumitatis ſuæ vota Deo perſolventes, omnem Paganitatis ritum, ut paulò ante dicebam, exuiſſe, ordinatoque ſibi in Epiſcopum Barbato, quo monitore ſacra vota nuncupaverant, Chriſtique fidem ſuſceperant, munera ei magna obtuliſſe; quibus ſpretis, in hæc ſanctum virum verba eſſe Romualdum adlocutum. *Si munus*, inquit, *tuæ ſalutis vis offerre, ſtude unum impendere ſacrificium, ut B. Michaëlis domum, quæ in Gargano ſita eſt, & omnia, quæ ſub ditione Sipontini Epiſcopatus ſunt, ſedi Beatiſſimæ Genitricis Dei, cui nunc indignè præſum, in omnibus ſubdas; & quoniam abſque cultoribus omnia depravantur, unde nec ſedulum illic ſacrificium perſolvi poteſt, meliùs à nobis diſpoſita tibi proficiant in ſalutem.* Hactenus Barbatus; cique, ut ipſe petierat, demandatam fuiſſe Angelicas ſacras cryptæ, & Sipontini Epiſcopatus curam, eadem perhibent Acta, literiſque probatur adventis tunc Romani Pontificis Vitaliani, datis eidem Barbato, quas recitat Matius Vipera lib. 1. Chronologiæ Epiſcoporum, & Archiepp. Beneventi, etſi in multis adeò corruptas, ut de illarum ſinceritate ſuſpicari merito quis poſſet, niſi ex pluribus aliis fidelioribus monumentis ab eodem Vipera relatis pag. 62. 63. 70. 74. 76. 81. & 85. aperiretur, Gargani montis ſpecum, & Sipontinam Eccleſiam diu etiam poſt Vitaliani tempora Præſulibus Beneventanis commendatas manſiſſe, ſuoſque ſedò Archiepiſcopos, & collabente Beneventano Principatu, obtinuiſſe, de quo in Diſſertatione dicam, quæ inſcribitur: *Noſtrarium Langobardorum occaſus*: Hoc igitur pacto Beneventanis Langobardis poſt deplorata humana omnia præſidia divinitus conceſſa ſalus, abnegatâque tunc ab eis Idololatriâ, atque Archangelo Michaëli religioſior, & cultior veneratio reſtituta, quamaptiſſimè cum his convenire videntur, quæ de Sipontinis, ac Beneventanis è Neapolita-

(3) Rom. Martyr. XI. Kal. Mart. & inedita Acta S. Barbati Epiſc. Benev. Langobardos Idolis dudum perhibent: Acta S. Joannis Epiſc. Bergom. Arianiſmo.

litanorum, hoc est Græcorum, & Constantii obsidione evasis, in Actis Adparitionis Archangeli exponuntur, doctisque viris minus probata, secretiori alia interpretatione excipienda esse censentur. Sed mihi de semita semel digresso permittat, velim, Lector, rem nec de nihilo, nec prorsus injucundam minutiùs exponam, aliisque insuper ratiunculis confirmem. Quamvis haud puto, omnia à Paulo Diac. & in Actis S. Barbati de Imp. Constantio enarrata, gestaque illa omnia in Adparitione S. Michaëlis descripta, adamussim posse inter se æquari, & conferri; quandoquidem neutra nec sincerè, nec integrè cùm fuerint literis consignata, utique ad omnimodam concordiam duci nequeunt, ut est manifestum. Et quidem traditam de Sipontinis, Neapolitanisque inimicantibus Historiam, deque ab his tam serò suscepto Baptismate, explanatione indigere omnes consentiunt eruditiores, ut dixi: in Actis verò S. Barbati satis jejunè exponi, immo non exponi, cur Sancto illi Episcopo maximè sederit, ac præ cæteris Ecclesiis cordi fuerit Angelicæ cryptæ reparatio, ipsa Actorum lectione adparet: & Paulum tandem quis non consentiet mancum, studiosèque mendacem, qui Episcopatus Barbati, abjuratæque à Langobardis gentilitatis nec per somnium ibi meminisse deprehenditur? Ut igitur opinor, cùm Beneventani Langobardi statuissent diuturni sui Ethnicismi memoriam prorsus omnem abolere, eodem utique consilio Auctor Angelicæ Adparitionis talem maculam è sua gente convertit in æmulos Neapolitanos, & Græcos, nomenque penitùs siluit Langobardorum. Cujus perturbatæ narrationis Paulus, & ipse suis favens, cùm duceret funem, tum sacram specum à Langobardis adversùs impiam Græcorum rapacitatem propugnatam, secus ac res acta est, ut supra observabamus: tum ultimum excidium, nulla Divini subsidii facta mentione, eos evasisse adfirmat; nempe vestigium, indiciumque omne celans, atque corrumpens observatæ diutiùs gentilitatis. Quam nihilominus ipsemet, velit nolit, ibidem manifestat, Constantium dicens Italicam expeditionem adornantem, quendam consuluisse Solitarium, qui Prophetiæ spiritum habere dicebatur: *Utrum ipse gentem Langobardorum superare, & obtinere posset:* atque ab eo responsum obtinuisse (sicut editio Frobeniana in hoc melior, & plenior duabus aliis præfert) haud tunc vinci posse, quos S. Joannes Baptista impenso ab eis studio in Sub-Alpina Italia cultus protegebat. In hac enim narratione nonnihil subodorare mihi videor de soluta non absque Dei nutu obsidione Beneventi. Quam sanè urbem Angelica custodia munitam Imperatori non succubuisse, ex hoc etiam intelligi posse arbitror, quòd idem Paulus tradat, Solitarium ab Archangelo, & ab Christi Præcursore, unâque ab Apostolorum Principe per visum de irrito conatu Imperatoris fuisse admonitum (4), etsi unus Joannes ab unis Sub-Alpinis Langobardis, ut idem habet Auctor, veneraretur: nempe hoc pacto declarans, præfatam triadem, sublato Græcorum terrore, tutelam gentis suscepisse Beneventanæ. Quò pariter referam, quæ in sæpè dictis Angelicæ Adparitionis Actis de Templo habentur D. Petro apud Gargani Montis specum excitato à Christifidelibus, obsidionis periculum evasis; binisque ibi Aris, altera communi Christianorum omnium patronæ Dei Genitrici Mariæ, altera verò D. Joanni Baptistæ dicatis. Ex his itaque cùm jam constet, Scriptores Langobardos alios alias semitas ingressos, horum gestorum seriem tamquam ex industria obscurasse, intelligi hinc quoque valebit, cur eorundem dicta non admodum aptè simul possint componi. Atqui de Paulo aliter credendum non est, qui de præfata Constantii expeditione invicem pugnantia exposuit: vel cùm à Duce Romualdo obsidem Imperatori perhibuit traditam sororem Gisam post acceptum nuncium præstò jam sibi adesse cum valido exercitu patrem, Regemque Grimoaldum: vel cùm scripsit, Constantii copias Neapolim post inita fœdera recedentes bis fuisse à Langobardis cæsas: primùm à Campano Comite Mitola apud Calorem Fluvium (5) in loco, cui ex eo conflictu *Pugnæ* nomen mansit: iterum ab Duce metipso in loco *Forino* (aliter *Forma*, aliter *Formiis*, quod magis placet) nuncupato: vel tandem cùm securè, & quietè Imperatorem post hæc Roma Rhegium facit per Beneventani Ducatus loca recedentem. Equidem minimè crediderim, absurdam adeò narrationem ex alio manasse fonte, quàm ex pravo hoc studio celandi abjuratam serò à suis paganitatem; quem semel è recto rerum ordine digresso; utique oportuit in dissonum, inconstantemque labi sermonem. At præter jam dicta, haud minora alia rei, ut gestam puto, signa remansere in Adone Viennensi; qui in Martyrologio Archangelum scribens subsidio fuisse Sipontinis, & Beneventanis adversùs Neapolitanos 8. Idus Maji, quod etiam demonstrabat Erchempertus num. 27., Sipontum designavit in finibus Campaniæ; ejusmodi scilicet locorum confusione subindicans, id competere Langobardis, quos ad Campaniam cum Constantio, & Neapolitanis bis conflixisse, fuisseque superiores, est ex Paulo jam dictum. Et planè ea bella in mense Maji gesta, ex Anastasio Bibl. intelligimus, qui Vitaliani temporibus Constantium perhibet de Regia urbe venisse *Tarantum, inde Beneventum, & Neapolim per Indict. 6.* (in anno nimirum Christi 663) ac subdit. *Postmodum venit Romam., idest quinta die mensis Julii, feria 4. Indict. suprascripta.* Sed rem prorsùs omnem evulgatus nuper à me detegit, etsi invitus, Ignotus Cassinensis Num. 3. continentem sermonem habens de Græcis, & Romanis devictis à Cis-Tyberinis Langobardis, deque Alczeco Bulgaro ad habitandum ab eis suscepto, ac de Archangeli protectione, simulque de Neapolitanis ad Christi fidem conversis, in hæc verba: *Post hæc*, ait, *dominantes Italiam, Beneventum* (properantes) *introeunt ad habitandum. Horum autem * Princeps militiæ cœlestis exercitus Michael extitit Archangelus. Neapolites ad fidem Christi perducti. Alzecus Vulgarius cum hominibus ad habitandum susci-*

(4) Cis-Tyberinos Langobardos sub hujus Sancti Triumviratus tutela manssisse, Templa sunt documento frequentisi. & præclara, quæ eis ubique excitarunt. Et Sancti quidem Michaëlis patrocinium cæteris præcipuum fuisse, nummis declaratur aureis, & argenteis cum ejus nomine à Beneventanis Dynastis excusis.

(5) Fluvium Calorem à Paulo pro Sabato dictum non dubito; quem prope Petrus Diac. in Auct. ad Ostien. l. 4. c. 16. agnoscit hunc locum appellatum, *Pugna*. Sed eò Constantium rectà, & festinatò, ut Paulus perhibet, Neapolim recedentem è recta via divertisse, locorum, & gestorum consueta est confusio.

Digitized by Google

ſcipitur . Græcorum , Romanorumque Langobardi gentes ſuperantes , totam ſimul Beneventi poſſident patriam . Sic ille ſtrictim , ſed palàm hæc omnia continenti eo tempore acta fuiſſe exponens , quo infructuosè Conſtantius Langobardos aggreſſus fuerat ; quando etiam Alczecum Bulgarum ſive ab eis accitum , ut ſuperiùs obſervabam , ſive ſponte novas ſedes cum ſuis quærentem, certum eſt in Cis-Tyberinam Italiam perveniſſe . Perſpicuum itaque ex his eſſe poteſt, quæ in Actis Adparitionis Archangeli perhibentur de Neapolitanis bello prementibus Sipontinos , aptiſſimè convenire Græcis , non ſolos Sipontinos , ſed Langobardos cis-Tyberim univerſos perdere molientibus; quos planè ſecum habuiſſe Neapolitanos, plauſibile admodum videtur ; atque adeò ad Chriſti fidem Langobardos, ut D. Barbati Actis proditum eſt , tunc converſos, conceptumque ſolventes votum , B. Micaëlis Cryptam ſacris deſtitutam , impenſo ſtudio excolere cœpiſſe ; quandoquidem primam illam in Gargano Monte D. Archangeli manifeſtationem , atque Sipontinorum pericula ad eadem , conjunctaque tempora referre non oportet , vel Actis metipſis præfatæ Adparitionis conſentientibus , quæ tute vide . Eſt autem advertendum , vocabulo Romanorum ab Ignoto Caſſin. nec Græcos , nec urbis Romæ demonſtrari cives ; ſed juxta tertiam quandam acceptionem Auctoribus mediæ ætatis uſurpatam , ſic dictos Italiæ primitivos incolas , & indigenas ; quia etiam nomenclatura appellatos quandoque conſtat reliquos populos omnes extra Italiam poſitos, Romanoque olim Imperio ſubjectos ; ad Barbarorum nimirum diſcrimen, de quo alibi pluribus (6) . Sed cur tandem rem non expedio , apertiſſimumque ejuſdem Ignoti non præfero teſtimonium, qui Num. 25. præclaram de Neapolitanis victoriam à Campanis Langobardis 8. Id. Maji , anno 860. reportatam cùm illa comparans , quam pariter Sipontinos de Neapolitanis eadem olim die retuliſſe , proditum in præfatis Angelicæ Adparitionis habetur Actis , utramque diſertè adſcribit Langobardis his verbis ? *Secunda* , inquit , *Neapolitis hæc ruina extitit ſimilis , qua olim in Gargano cùm Beato Michaëli Archangelo ageretur feſtivitas, corruerunt* . Cui quamſimillimo , quinetiam clariori ſermone accinit Erchempertus Num. 27. de eodem Campanorum cum Neapolitanis conflictu ſic habens . *Qua etiam die*, inquit, *priſcis temporibus à Beneventanorum populis* (non igitur ab ſolis Sipontinis) *Neapolites fortiter cæſos fuiſſe legimus* (7) . Porrò Beneventanæ Provinciæ incolas promiſcuè omnes recepto more dictos quandoque fuiſſe *Sipontinos* , obſervare eſt in Conſtitutione ab Imp. Lothario 1. edita *tempore Eugenii Papæ ante Januam B. Petri Apoſt. in civitate Romana* ; hoc eſt in anno 824. (pace dixerim viri magni Jacobi Cujacii , qui ſanctionem illam ad Lotharium refert juniorem) cujus mentio exſtat Feud. lib. 1. tit. 19. factaque adſeritur *ad laudamentum ſapientum Mediolani atque Papiæ, ſeu Cremonæ , atque Mantuæ , & Veronæ , quæ vulgo Berna vocatur , & Terviſii , & Paduæ , atque Vincentiæ , & Parmæ , Lucæ , & Siponti* . Sapientum enim *Siponti* appellatione (quæ lectio , nec cenſori Cujacio , nec ulli unquam ſuſpecta fuit) ni univerſæ Beneventanæ regionis venerint Jureconſulti, cur in eo Conventu Sipontini potiùs , quàm reliqui ex Cis-Tyberina Italia accerſiti fuerint, minimè capiemus. Et verò eam Conſtitutionem ad juniorem referendam non eſſe Lotharium , hinc patet ; quòd bis ille Romam advenerit , ſed ne accedere quidem ad B. Petri Januam valuerit . Non in an. 1133. *quando in Eccleſia S. Salvatoris* , ut inquit Otho Friſing. lib. 7. cap. 18 *quæ Conſtantiniana dicitur , à Summo Pontifice Innocentio coronatus* (eadem dicta . *Lateranenſis* . In cujus Palatio Innocentium tunc habitaſſe , tradit Falco Beneventan.) *Imperatoris, & Auguſti adeptus eſt nomen : nempe Eccleſiam B. Petri , ubi mos coronari eſt Imperatoribus , Petrus* (qui & *Anacletus*, Antipapa) *eo tempore occupaverat* . Nec in an. 1137. Vaticanam adhuc detinente Eccleſiam Anacleto ; quandoquidem Innocentius una cum ipſo Lothario Romam tunc ex Apulia recedens , *Lateranenſe Palatium* (ſic idem Falco) *adivit* . Angelicam itaque Adparitionem, qua Sipontinos à clade ſervatos, Neapolitanoſque ad Chriſti fidem converſos , perhibetur , in hujuſmodi ſententiam aptè exponi poſſe, exiſtimo ; quam , ut ſuperiùs monui, longè poſt primam ſacræ Cryptæ ſub Papa Gelaſio , ut volunt , manifeſtationem contigiſſe , vulgata de eadem Adparitione Acta , ſi ritè exponantur , declarant ; quibus perhibetur , non ante ſervatos Sipontinos ab extrema illa clade ſpecum conſueviſſe penetrari , quod convenit cum S. Barbati Actis tradentibus, antequam Beneventani Langobardi ab imminenti ſervati fuiſſent excidio, Chriſtique fidem ſuſcepiſſent , locum incultum , deſertumque manſiſſe , quia , ut dicebam , ipſi illum ante 15. ferè annos diripuerant , nec priùs adiverant ob impietatem ; nam piorum hominum donariis haud tunc primùm cœpiſſe frequentari , ipſa direptio à Paulo Diac. deſcripta , è qua digreſſi ſumus , manifeſtat . Ad quam non dicam , ſed ad aliam ſanè D. Michaëlis Baſilicam recentiùs , ſive antiquiùs excitatam , poſt depulſum ex Italia Conſtantium, ſuſceptumque Archangelum in tutelarem confugiſſe Hunulfum credam (8) , iram caventem Regis Grimoaldi ob ſervatum à comminata nece Bertaridum Regni Langobardici hæredem , ſecus ac præfatus Paulus lib. 5. cap. 1. & ſeqq. callidè rem antèvertens , ante ſuſceptam ab Imperatore Italicam expeditionem id actum ponit , quem ipſa expoſitorum à ſe geſtorum ſeries Prochroniſmi convincit, minimè tantum temporis admittens ſpatium inter pervaſum in exordio anni 663. à Grimoaldo Regnum, & Conſtantii in Vere ejuſdem anni adventum , ut eo medio valuerit Bertaridus ad Caca-

(6) Nec alia de cauſa Gothi Arianæ ſectæ , ut eſt apud Gregor. Turon. Mirac. l. 1. c. 25. *Romanos vocabant homines noſtræ religionis* : nempe quòd Catholicam qui ſervabant fidem, de ſua non eſſent gente , ſed indigenæ locorum, quæ Imperio ſubjecta olim fuerant Romano . Salvianus etiam in Libb. de Gubernat. Romanos hoc ſenſu ab impiis Barbaris pluries diſtinguit .

(7) An etiam bellum à Duce Romualdo adversùs Conſtantii copias apud Formias geſtum , de quo Paulus Diacon. l. 5. c. 5. ſive 10. acciſſe credam *ad Montem Garganum* , ideſt, *ad Montem Garilianum* à Formiis parum diſſitum ; ſicuti ex eorundem nominum commutatione plerique recentiores decepti tradiderunt , Saracenos ad Garganum diu inſedíſſe , qui ibi nunquam , ſed ad Garilianum ſua aliquando domicilia habuerunt ?

(8) Ad eandem etiam Baſilicam longè poſt, cùm ſe recepiſſet Herſemar ſub Rege Luitprando, impunitatem quoque meruit, teſte Paulo l. 6. c. 15. ſive 51.

Cacanum Hunnorum Regem profugus pervenire, Grimoaldus apud Cacanum per Legatos agere de dimittendo à se Bertarido, ipse Bertaridus ad Grimoaldum redire, atque iterum fuga salutem quærere, ejusque fugæ Hunulfus auctor è Sacro Asylo sub fide eductus in honore aliquandiu apud Grimoaldum manere, tandemque ejusdem permissu ad Bertaridum in Galliam se conferre: quæ omnia juxta Pauli narrationem completa fuissent duorum, triumve mensium, ut dictum est, intervallo. At post Sipontum, adjacentemque Gargano Promontorio regionem, ad ulteriora ad Septentrionem loca Beneventanos aliquando suam produxisse ditionem, certum est ex Erchemperto Num. 5. & 6. qui tradit ob denegata tributa ademptas eis armorum vi à Gallis fuisse, à Carolo scilicet Magno, ejusque filiis, & à Spoletano Duce, *tellures Theathensium, & urbes*, quod alii., & ipsi antiqui, confirmant Auctores, Anonymus in Vita prædicti Caroli, Anonymus alter in Annalibus Francorum, Adelmus, sive Adhemarus Benedictinus, & Ado, uterque in Chronicis, nec non Aimoinus lib. 4. cap. 90. adserentes, id contigisse in anno 801. ac addentes, Luceriam, & Ortonam (extremam, fortè, in eo Hadriatici maris litore nostratium Langobardorum urbem) eadem tempestate amissas, sed Luceriam illico recuperatam; quod Erchempertus quoque perhibet loco relato. Post hæc igitur Beneventanus finis ad Luceriam, *opulentam Apuliæ civitatem*, ut eam dicit Paulus Diac. diu substitit; cujus ager (certè Beneventana ditio) ad Tiferni fluminis ostia, & in mediterraneis ad fluvium Trinium perveniisse videtur (9): siquidem ad hujus fluenta Princeps Grimoaldus eodem hoc bello, quo Theathensium tellures, & urbes amisit, Pipino Italiæ Regi, Caroli M. filio, fortiter restitit, ut Anonymus Salernitanus tradit in Historia nondum edita; ibique situm Tribentense castrum, utpote in confinio, amissum, receptumque varia fortuna legimus in Erchemperto Num. 39. Theathina autem Marchia, quo absoluto nomine, labentibus annis Theathensium urbes dictæ sunt, estque modò sub iisdem ferè finibus Aprutium citerius, ad Tifernum, ni fallor, olim pervênit, à qua mente Falco ad annum 1137. de Lothario 2. Imper. scribens, *Præfatus*, inquit, *Imperator flumen Piscariæ adveniens, Pascha Domini ibi celebravit: inde flumen illud transiens, civitatem Termulensem, & illius Provinciæ Comites obtinuit, & inde amoto exercitu, Apuliam ingreditur*, civitas enim Termulensis Tiferni ostio citerior est non sanè multùm. Hæc verò loca à Magno Carolo nostratibus adempta Langobardis, Ducatui, sive adjacentibus Ducibus Spoletanis, perpetuò commissa fuisse, vel committi consuevisse, complura declarant antiqua monumenta; de quibus, etsi hujus non est operis plenius disserere, haud tamen omittam, videri Francorum Reges, & qui post illos Italiæ Regnum obtinuerunt; ipsumque Carolum strictiori quodam

A

B

C

D

E

jure Spoletanum Ducatum, cæteraque postmodum contributa eidem loca obnoxia habuisse præ Beneventano, qui memoratis Regibus vectigalis tantùm fuit. Quò referendum existimo, præfatum Carolum Magnum Regna suis filiis suo in testamento distribuentem, Pipino legasse Regnum Italiæ, unàque Ducatum Spoletanum, cui ab eo institutus tunc præerat Dux Guinichisus, scriptoribus gestorum Caroli memoratus (10): de Beneventano autem ne verbum quidem submurmurasse; quippe qui, ut in ejus vita Anonymus auctor prodit, *in potestate sua omnem terram tenuit de Monte Gargano* (est Garganus paulò orientalior urbe Termulensi, eademque longè celebrior) *usque Cordubam, civitatem Hispaniæ*; tributariam, verò reliquam omnem habuit Italiam (verba sunt Eginhardi) *usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum, ac Beneventanorum, constat esse confinia*, ac perinde ipsum Ducatum Beneventanum. Et rursus haud aliò ducendum arbitror, designari ab Ostiensi lib. 1. cap. 44. *Regalia* (jura scilicet) & *Regales pertinentias* in Comitatu, seu dicas agro Theathino; itemque ibi, & lib. 2. cap. 31. aliisque in locis tradi, plerosque Imperatores, Regesque Italiæ perplura bona Marchiæ Theathinæ finibus comprehensa, quæ post Termulensem urbem ad Piscariam usque ulterioremque regionem, & in mediterraneis ad Valeriam, ut reor, pertingebat, & Marsos, locisque aliis posita, Ducibus Spoletanis subjecta, Cœnobio Casinensi, ejusque Cellis, ac Monasteriis donasse, alienasque de ejusmodi rebus confirmasse donationes; quam quidem potestatem super loca Beneventani Ducatus illos exercuisse ante Othonum Impp. tempora, non apud Ostiensem, nec alium memini me adhuc legisse Auctorem. Sed de his nunc satis. Nostratium autem Langobardorum ab Septemtrionali hoc eodem latere in mediterraneis, atque citra Ortonam, telluresque Theathensium, urbes fuere *Sepianum, Bovianum, Æsernia*, & aliæ, quas tempore Constantii Imp., ut superiùs dictum est, ubi De Finibus ad Orientem, à Duce Romualdo ad habitandum traditas fuisse Alczeco Bulgaro, & suis, Paulus Diac. perhibet lib. 5. cap. 11. sive 19. idemque Auctor vestigia Bulgaricæ linguæ ad suam usque ætatem apud prædictorum locorum incolas mansisse testatur, quamvis ii Latinè, hoc est communi, popularique tunc Italico sermone, etiam loquerentur (11). Quo rei manifesto indicio persuadeor, ni falsus, sive mancus ipse sit Paulus, erroris arguendum Auctorem Historiæ Miscellæ lib. 19. tradentem, *tempore Constantini* (scilicet Constantii jam dicti, nam hæc nomina passim olim confusa) *qui in Occidente regnavit* (ita quidem, nam post eum Græci Impp. exiguam Italiæ partem retinuerunt) filium Orbati Bulgari, qui regionis Bulgariæ, seu Contragorum dominus fuerat, natu minimum, nullòque nomine ea in Historia denotatum, ex patrio solo intra Danubium, & Tanaim posito paulò post mortem patris Danubium

(9) Ad Trinii sanè, & ad Sagri, vulgò *Sangro* amnium ripas Comitatum Æsernienſem sub posterioribus Langobardis ex antiquiori etiam institutione productum scimus, defixisque marmoreis columnis ab ulteriore regione diremptum; post quem ad Occidentem Comitatus fuit Venafranus, dein Casinensis ditio, & tandem Sorani.

(10) Huc etiam facit, quòd Otho. I. Imper. in Diplomate apud Baron. ad ann. 962. *de propria Regno* tradere se dixit Ecclesiæ Romanæ *Balvam, Marsim*, &c.

(11) Sic *Latinè* loqui apud Dantem Aldigherium, Petrarcham, & Boccacium dicti sunt, qui haud prisca, & Latiari, sed usurpata nunc nobis Italis lingua utebantur. Otho etiam Frising. de gest. Frider. l. 2. c. 13. eadem verbi usus est acceptione, cùm Langobardos Italos sui temporis ab *Latini sermonis elegantia* laudat.

Digitized by Google

bium transmeasse, atque *haud procul ab urbe Ravenna in Pentapolim advenientem sub Christianorum imperio se subjecisse*: Ravenna enim non exiguo terrarum intervallo ab descriptis à Paulo distat locis, ut est manifestum. At si dixerimus è Ravennæ agro Bulgaros ad novas sedes transisse, atque ab Rege Grimoaldo spe quæstus abductos, ut filium adversùs Græcos protegerent, quod laudato loco innuebam, minimè repugnaverim: ob id maximè, quoniam Paulum Miscellæ Historiæ admovisse manum, sunt qui opinantur. Post verò superiùs dictas Theathensium tellures ad occiduum Solem Valva urbs fuit, quam Pontifex Hadrianus epist. 92. ad Carolum Mag. statuit in finibus Spoletanis: Anastasius autem Bibliothecarius in Zacharia ejus oppidanos, proximosque Pinnenses, ac Forconinos eidem assignat Ducatui, & insuper Marsicanos, urbem incolentes Marsicam; ni gentile, quod ab ea idem Auctor, atque Ostiensis lib. 2. cap. 7. ducunt, me fallit nomen; quæ nihilominus *Marsis* Ignoto Cassin. Num. 2. *Marsia* præfato Ostiensi libro eodem cap. 35. alibique *Marsi*, numero multitudinis videtur dicta; unde Marsorum tum Comitatus, tum Comes, tum Gastaldus, tum Episcopus, &c. eidem sæpè: sicuti Fundorum Comitatus, Comes, & reliqua dicerentur. Ea verò urbs in Orientali Fucini lacus ripa olim sita, ingentis terræmotus vi absorta, aquisque obruta, suæ etiamnum servat, clarisque diebus indicia etiam prodit calamitatis. At Marsi, ut initio exposui, nostris contermini fuere Soranis, ad quos jam post omnem ferè Cis-Tyberinam Italiam stylo peragratam iterum cùm pervenerim, universus simul est mihi Beneventani Ducatus descriptus orbis. Hunc autem à notiori, etsi nonnihil laxo limite, non tamen absque aliquo antiquiorum exemplo, appellare sæpiùs libuit *Italiam Cis-Tyberinam* (12); nimirum ne novissimum ejus nomen incongruè, neve desuetam importunè usurparem nomenclaturam, illumque cum Ostiensi lib. 1. cap. 19. appellarem *Beneventi Provinciam*, vel cum Erchemperto Num. 1. eodemque Ostiensi lib. 1. cap. 12. aliisque absolutè *Beneventum*, vel cum Ignoto Cassin. num. 3. *Beneventi patriam*: quippe quòd olim fuit *harum Provinciarum caput* (verba usurpo Pauli Diac. lib. 2. cap. 11. sive 20.) *ditissima civitas Beneventum*. Italiam itaque Cis-Tyberim Supero, Inferoque mari definitam, nisi quà tum Romani, tum Spoletani Ducatus, atque Græcorum oppida in Tyrrheni, & Hadriatici maris littoribus nunquam iis amissa patuere, Beneventani Langobardi (cum præfato dicam Ignoto) *Romanorum, Græcorumque gentes superantes, totam simul possederunt*: hoc est non in duos divisam Principatus, Beneventanum nimirum, & Salernitanum, sicuti ipsius Auctoris ætate, & ab anno ferè 840. cœperat observari. Quæ iterum ab Langobardis metipsis novissimum Capuæ Principatum instituentibus dispertita, quingentesimoque post anno ab eorum adventu aliàs à Nortmannis sectiones passa, ad quos deletis Langobardis devenerat, quingentis tandem abhinc annis, & quod excurrit, in unam denuo coacta est Dynastiam, vulgò tunc dictam *Regnum Apuliæ*, nunc verò ab annis plus minùs biscentum appellatam *Regnum Neapolitanum*: ab præclarissima scilicet urbe Neapoli, quæ aliquantò ante fuerat ejus Metropolis instituta.

(12) Græci sanè, ac plerique etiam Latini mediæ ætatis Auctores binas per Langobardorum tempora Italias fecere, fuereque qui tres quoque statuerunt; nimirum Roma alteram citeriorem, alteram ulteriorem.

DISSERTATIO VIII.

Ducatus Beneventanus in antiquas Provincias an Tributus.

PLuriformem Italia suarum Regionum, ac Provinciarum ab Augusti ævo experta divisionem, Langobardi tandem eam ferè universam obtinentes, nulla priscorum finium servata ratione, inauditoque antea descriptionis genere in Regnum, pluresque Ducatus omnium primi, quod satis constat, dispertivere. Idque committentes, peculiaria quoque singularum Provinciarum longissimo usu recepta nomina prorsus antiquarunt; & insuper singulas à se institutas Dynastias, quæ exoletarum Provinciarum loco successisse videbantur, haud quidem Provinciæ nuncupatione, ni fallor, per ea initia dignarunt; sed cunctam suis Regibus subjectam, eorundemque dicto obtemperantem ditionem unicam esse Provinciam voluere, uniusque absoluto, communique Provinciæ vocabulo eam quandoque denominarunt; sicuti Regis Rotharis lex, ut alias plures omittam, Legum Langobardarum lib. 2. tit. 3. documento esse potest. Verumtamen labentibus annis novæ, ut solet, priscas consuetudines excepere, singulisque Ducatibus peculiarem Provinciæ appellationem fuisse impertitam, ex unius Beneventani Ducatus exemplo, de quo nunc est mihi differendum, poterit dijudicari. Is namque ab Principis Arichis ætate tum exteris, tum nostratibus antiquis sanè Auctoribus frequentissima Provinciæ nuncupatione comperitur designatus: quos inter Anonymus est Auctor Vitæ Ludovici Pii, qui meminit Beneventanæ Provinciæ ab eo, unàque ab ejus fratre Pippino in anno 793. junctis viribus populatæ, estque eandem sermonis consuetudinem observare non semel in Erchemperto, numero nimirum 18. 19. 20. & alibi; nec non apud Capitulare Princ. Radelchisi Num. 1. aliosque nostrates complures. Quæ sanè ad recentissima etiam tempora, atque ad novissimas Langobardorum perseveravit Dynastias; eaque gente deleta, Capuæ Principatus sub Nortmannis Provincia dici consuevit, ut est apud Gaufredum Malaterram lib. 1. cap. 6. & lib. 3. cap. 35. nec non apud Edinerum in Vita S. Anselmi lib. 2. cap. 35. licèt vir doctus Edineri mentem nec de reliquo assecutus, de Ecclesiastica Capuæ Provincia locutum illum putarit, ac prodiderit; *Capuam* (ejus dò verba) *juxta suum statum laicum nunquam habuisse nomen Provinciæ, sed tantùm nomen Principatus*. Ea igitur Italiæ pars, quæ à Langobardis in unius Provinciæ formam, inque Beneventanum Ducatum redacta, plures, ut ex superioribus Dissertationibus liquet, complexa est sive integras, sive diminutas primitivas illas Provincias, Campaniam nimirum, Samnium, Apuliam, Calabriam, Brutios, ac Lucaniam (has autem cùm dico, præ oculis habeo Constantini Magni, sive posteriorum Impp. Italicarum Provinciarum descriptionem) an & ipsa dum uni adhuc parebat Beneventano Dynastæ, in antiquas

quas illas, & minores fuerit Provincias distributa, operæ nunc erit pretium perscrutari. Quandoquidem haud aliter fieri debuisse, tum consueta Principatibus omnibus Politia, tum moderandæ adeò amplæ ditionis opportunitas persuadet; quæ sanè distinctio rei etiam videtur ex naturæ quodam instinctu convenientissima; nam quidquid Beneventani Ducatus finibus olim claudebatur, novissimis his sæculis sub novem Neapolitani Regni Provinciis consetur; quarum sunt nomina *Terra Laboris*, *Comitatus Molisii*, *Aprutium citerius*, *Capitanata*, *Terra Barii*, *Basilicata*, *Calabria inferior*, *& uterque tum citerior*, *tum ulterior Principatus*. Et verò haud ego his sum adversa admodum dissertaturus, qui pro hac sententia Erchempertum Num. 14. de Radelchisi Principis sublimatione loquentem stare videam. *In cujus*, inquit, *electione omnis*, *ut ita dicam*, *Beneventi Provincia consensit*, itemque ipsum Principem Radelchisum in suo Capitulari Num. 24. ubi de Saracenis à se non advocandis. *Et à modò*, inquit, *nullum Saracenum in meum*, *vel Populi*, *vel terræ meæ adjutorium*, *seu amicitiam habere quærimus*; *tam de his*, *qui in omni Provincia Beneventani Principatus sunt*, *quàm etiam de illis*, *qui extra omnem Beneventanam Provinciam sunt*; Radelchisus enim iste, cujus verba sunt minùs clara, non collectivè, *omnem Provinciam* dixit pro, *universa Provincia*, sed distributivè, ut loquuntur, atque pro quacunque Provincia, ut res ipsa docet. Erit igitur, quod potissimè nunc quæramus, an plures hæ Beneventani Ducatus Provinciæ sive nomine, sive re fuerint illæ, quas Imperatores olim instituerant Romani, Langobardi verò in unam, recentemque coagularunt Dynastiam, de quo quidem haud admodum expeditum haberi posse video sermonem. Antiquarum itaque Provinciarum nomina, & ut consequens est, limites etiam, & modos, vigentibus Langobardis, perque subsecuta tempora mansisse, erit fortè non nemo, qui sibi persuadendum duxerit, auctoritate nimirum doctus Petri Diac. qui in Auctar. ad Ostiens. lib. 4. c. 100 perhibet, Guarinum Regis Rogerii Cancellarium vi Monasterium Cassinense capere molientem, *literas habitantibus in Campania*, *Samnio*, *Apulia*, *Lucania*, *& Calabria direxisse*, *ut quàm citissimè possent eum diversis bellorum machinis ad illud obsidendum*, *& capiendum venirent*. Et capite subsequenti tradit; eadem persecutione Monachos divexante, *omnes Obedientias per Campaniam*, *Picenum*, *Samnium*, *Lucaniam*, *atque Calabriam captas*, *atque à jure Cœnobii Casinensis fuisse subductas*; Cœnobia nimirum, & Ecclesias Cassinensi obnoxias, prædiisque, & redditibus divites, quas Cassinenses Monachi ad Abbatis nutum, & imperium incolebant, atque curabant, unde sæpiùs iidem fuere dicti *Obedientiales*. Verumtamen Petrum utrobique minimè ad sui, vel antecedentis sæculi morem, sed ad eruditionis ostentationem priscæ ea usurpasse vocabula, certum est; namque esto nec antiqua Provinciarum nomina, nec vetustos earum fines Langobardi initio abolevissent, ab ævo nihilominus instituti Beneventani Ducatus usque ad se haud unam Cis-Tyberina hæc Italia servaverat faciem; sed plures novos experta Principatus, Ducatum nimirum Neapolitanum, Amalfitanum, Cajetanum, atque Apuliæ; itemque Principatum Salernitanum, Campanum, Barensem, Tarentinum, & Surrentinum, novam, multiplicemque passa etiam certo certiùs fuerat descriptionem, atque divisionem: Quòd si qualis sub Petri, ac præcedenti ætate fuerit Italiæ Cis-Tyberinæ forma sit tibi sciendi cupido, ab eodem discere poteris Auctore lib. 4. cap. 37. 96. & 97. pariterque ab Ostiensi lib. 3. cap. 13. quibus, Apuliâ exceptâ, & Calabriâ, reliquæ omnes antiquæ Provinciæ novis aliis nominibus designantur, ex novis protectò, atque insignioribus Dynastiis supra memoratis exortis. Sed fusiùs de his in Dissertatione: Ex quibus Dynastiis Italia Cis-Tyberina exactis Langobardis in Regnum coaluit, agam. Dices tamen, Apuliæ, & Calabriæ saltem vocabula, Provinciasque per Langobardorum ævum nunquam desisse, quæ ad Petri, ut planè admitto, manserint ætatem. Quin ditionem etiam omnem Beneventanam in modò dicta bina, nec plura Themata, ut Constantini Porphyrogennetæ Græcam usurpem dictionem, fuisse distributam, quod idem auctor diserte prodit de Admin. Imp. cap. 27. verbis non semel superiùs relatis, inquiens: *Langobardi à Benevento excursione in omnem ditionem facta*, *subjecerunt eam Themati Langobardiæ*, *& Calabriæ*, &c. Etenim idem aliquando fuit Græcis *Langobardia*, quod nobis *Apulia*, ut pluribus infra in Dissertatione De occasu nostratium Langobardorum, & alibi aperiam. Nihilo tamen minus ab exposita sententia discedendum non puto, exteroque scriptori Constantino fidem de hoc adhibendam esse pernego; qui res nostras vel parum doctus, ut ex iis, quæ in contextu habet, aperitur: vel sermone minus proprio usus, falsò prodidit de Langobardis, quod ipsi non ita pridem usurpaverant Græci, cùm Apuliam, sive dicas Langobardiam ferè totam, partemque non exiguam Brutiorum, qui recentiùs Calabri dici cœperant, illis ademerant, ut declarabitur in Chronologia (1). Quam etiam horum Thematum institutionem idem Constantinus loco eodem mira temporum, rerumque confusione ad remotiora retulit initia, perhibens, quòd *postquam Constantinopolim translata fuit Imperii sedes*, *omnis Italiæ ditio in duos Principatus* (in Græco est. εἰς ἄρχας δύο) *fuit divisa*; *& ex eo tempore missi sunt ab Imp. Constantinopolitano Patritii duo*; *quorum unus Siciliæ*, *Calabriæ*, *Neapoli*, *& Amalphæ præerat*: *alter verò Benevento*, *Capuæ*, *Papiæ cum reliquis*. miscet namque quæ erant distinguenda; Siciliæ enim Thema initio discretum à Themate fuit Calabriæ antiquioris ad Superum mare sitæ, sub quo quidem Calabriæ Themate erat Neapolis, Amalphe, & loca omnia minutiora; subque Siciliæ erant eximi Brutii ad mare Inferum, Magnæque Græciæ cultores. Calabri tandem dicti; postmodum verò cùm inferior hæc nova Calabria Siciliæ Themati adhuc maneret contributa, prisca illa superior mutato nomine appellata est *Langobardia*, paruitque Græcis, qui eam magna ex parte subtraxerant Lan-

(1) An latêre in Porphyrogennetæ verbis aliquod etiam veri semen potest de Brutiis, & M. Græcia, sive aliquibus maritimis oppidis adjudicatis aliquando Siciliæ post Mag. Constantinum; ex quo aperiretur, cur ea loca tributa Siciliæ fuerint ab Auctoribus post dictum Imper.? quod viros doctos torsit: Ortelium in Theat. Juvenem in Hist. Tarent. alioque.

Langobardis. At minimè tunc Benevento, & Capuæ, nisi trium ferè annorum perexiguo curriculo, Papiæ autem nunquam imperarunt; qui à me harum rerum descriptus ordo ex dictis in Dissertatione de Finibus Ducatus Beneventani ad Meridiem, dicendisque in De occasu nostratium Langobardorum dilucidiùs aperitur. Verumenimvero domesticos, nec minùs antiquos, quàm graves contra me adhuc stare video Auctores, Erchempertum, Ignotum Auctorem Fragmenti Historiæ Langobardorum, Leonemque Ostiensem; quorum primus Num. 15. de Beneventana ditione à Princ. Siconolfo, ope Campani Comitis Landulfi, filiorumque ejus universa ferè adempta Principi Radelchiso sic loquutus est, ut in tres omnino descriptam illam fuisse Provincias manifestet; quarum duæ fuerint Apulia, & Calabria, tertia autem reliqua regio sub absoluto Beneventi nomine comprehensa. *Fretus itaque*, inquit, *Siconolfus hujus* (Landulfi Campani) *ac filiorum ejus auxilio, totam Calabriam suo subdidit famulatui, maximamque partem Apuliæ. Deinde adversùs Beneventum præliis insurgere nititur.* Quam etiam adstruere videtur sententiam Num. 20. factam à Saracenis describens in Beneventana regione vastitatem, postquam integra ea Dynastia in duos dispertita fuerat Principatus, hoc est Beneventanum, & Salernitanum. *Per idem tempus*, inquit, *Agareni Barim insidentes, cœperunt devastantes Sirpitus deprædare totam Apuliam, Calabriam, & pedetentim Salernum, & Beneventum depopulari initiarunt.* Salerni enim, & Beneventi appellatione tertia jam dicta illa denotatur Provincia, quæ post divisum Principatum non unico vocabulo, sed discretorum Principatuum instar, cœperat nuncupari. Eandemque Ostiensis lib. 1. cap. 29. adnotans cladem, primitivam nihilominus antedictæ triplicis Provinciæ nuncupationem maluit retinere, dicens. *Iterum Saracenis Bari degentibus, Calabriam totam, omnemque Apuliam, universamque Provinciam Beneventanam affligere, ac devastare nitentibus* (2); *rogatus à primoribus patriæ Bassacius Abbas* (Cassinensis) *una cum Jacobo Abbate S. Vincentii Francham adiit* &c. Hanc autem tertiam Provinciam quandoque antiquo vocabulo *Samnium*, sed finibus planè mutatis, ac amplioribus, etiam dictam constat, ut in supra laudato Fragmento Historiæ Langobard. Num. 2. iis verbis. *Ingens Lobustarum multitudo invasit Calabriam, Apuliamque, & Samnium*, quibus eadem prorsus statuitur trias Provinciarum, Beneventanæque regioni Samnium æquiparatur; quippe Beneventum Samnitium urbs olim fuit; idque adeò obtinuit, ut ejus etiam Dynastæ *Samnitium Duces, & Principes*, ipsaque urbs proprio nomine *Samnium*, eidemque Analogia, qua Pæsto nomen *Lucaniæ*, Interamnæ *Aprutii* est inditum; Beneventanique cives *Samnites* fuerint scriptoribus non semel (iis inquam, non promiscuè omni vulgo) appellati: sic nimirum sibi blandientibus Langobardis, & patrem priscis Samnitibus affectantibus laudem ob indefinentes, atque quamdiutissimè exercitas contentiones in Romanos, Romanique nominis socios, & consortes. At quod dixi, Beneventanos Dynastas fuisse Samnitium appellatos tum Principes, tum Duces, observare id erit apud Paulum Diac. lib. 4. cap. 15. sive 46. simulque apud Anonymum Salern. Par. 4. num. 6. Ipsosque Beneventanos nuncupatos *Samnites*, apud Anonymum etiam habetur Auctorem Translationis S. Mercurii Mart. in antiquis membranis metricè descriptæ, atque apud Guilielmum Apulum lib. 2. rerum Normannicarum. Verumtamen quòd urbs Beneventum dicta nonnunquam fuerit *Samnium*, in aliis sermone soluto, nec ambiguo ejusdem Translationis manu exaratis legitur Actis (3); cùm de cætero alia à Benevento longè diversa fuerit antiqua urbs *Samnium*, Paulo Diacono memorata lib. 2. cap. 11. sive 20. extitisseque credita ad S. Vincentii Mart. juxta ortum fluminis Volturni celeberrimum olim Cœnobium Monachorum, quod *in loco Samniæ, finibus Beneventanis* constructum quamsepissimè repetitur in Chronico ejusdem Monasterii, ab Joanne Monacho elaborato: licèt Philippus Cluverius in Antiquæ Italiæ lib. 3. cap. 7. ex vetustarum Italicarum urbium albo eam expungit, hoc argumento; quoniam soli Paulo memoratur, qui suum hausit errorem ex Floro lib. 1. cap. 16. de Samnitibus à Romanis ita domitis, ac subactis, ipsorumque urbibus dirutis perhibente, *ut Samnium* (Flori sunt verba) *in ipso Samnio requireretur*. Ad quæ ait Cluverius. *En hic de regione loquitur, ille, autem oppidum intellexit*. Pace tamen dixerim viri in re antiqua sanè oculatissimi, Paulus suæ sententiæ fundum haud habuit Florum, qui non armorum vi, ut ille, Samnii regionem, & urbes, sed *antiquitate consumptam Samnium urbem* pronunciavit: quod perinde fuit, ac dicere, ad sua prope tempora eam perveniisse, nulla hostili clade deletam; idque, cum præfato Chronico S. Vincentii convenientissimè congruit, in quo excitatum traditur memoratum Monasterium initio ejus sæculi, quo desinente Paulum vixisse constat. Sed ista obiter pro Paulo sint dicta, quem alias non semel laxavi; nec modò in re præsenti inreprehensum dimittam. Siquidem ipse dicto lib. 2. cap. 11. sive 20. cùm decem & octo priscas Italiæ Provincias describeret, ac Samnium inter eas decimumquartum locum obtinere traderet, his verbis. *Quartadecima* (Provincia) *Samnium intra Campaniam, & mare Adriaticum, Apuliamque à Piscaria insipiens habetur*: statim subdidit. *In hac sunt urbes Theathe, Ausidena, Hisernia, & antiquitate consumpta Samnium, à qua tota Provincia nominatur; & ipsa* (editio Frobeniana, & est) *harum* (4) *Provinciarum caput, divisima Beneventus*. Quibus verbis primatum, super plures Provincias ex Langobardorum institutione urbi cùm adscribat Beneventanæ, ut ipsiden est expositum; id de iis Provinciis ab eo ante enarratis capi certè haud valet, sed de præfatis tantùm urbibus Samnio assignatis: nomen enim Provinciæ, ut post dicam, tributum quandoque etiam singulis fuit urbibus, agrum paulò ampliorem, atque oppida pluriscula sub se habentibus: quod plane à vera Be-

(2) Sic quoque Luitprandus Ticin. de re eadem loquutus pridem fuerat Hist. l. 2. c. 12. Saracenos dicens *Calabriam, Apuliam, Beneventum, & Romanorum etiam civitates* occupasse, &c.

(3) Hinc Aimoino l. 4. c. 49. integer Ducatus dictus *Provincia Samnia* ubi de Rege Carolomanno, qui *ad Monasterium S. Benedicti in Samnia Provincia juxta Cassinum Castrum constitutum Deo serviturus, venit*.

(4) At si Paulus tò *harum* non ad antedictas, sed ad Provincias retulit Beneventanam urbem cingentes, non ego ei, sed nec mihi, qui aliter sentient, erunt molesti.

Beneventani Ducatus amplitudine admodum abit; quandoquidem ex superioribus Dissertationibus liquidissimè patet, Beneventanos Duces ne dum antiquo Samnio, ejusque urbibus, sed Apuliæ, Lucaniæ, maximæque parti primitivæ Calabriæ, Brutiorumque, & Campaniæ imperasse; quod vel unius Erchemperti testimonio Num. 15., ubi de Siconolfo Radelchisum bello premente, valuissem probare. Ni fortè quis dicat, quod plerisque recentioribus placuisse video, Beneventanum Ducatum solam Provinciam Samnii complexum esse, eundemque idcirco ab Ostiensi, & ab Erchemperto locis pridem relatis appellari *Provinciam Beneventi*, & absolutè, *Beneventum*; quem Ignotus Auctor Fragmenti Historiæ Langobardorum, ut observabam, *Samnium* nuncuparit; eademque de causa Beneventanos Dynastas *Samnitium Duces* passim dictos; quas quidem minimè rejicerem expositiones, ni de priori sententia plenissimè jam constaret. Non solis itaque Provinciis, seu dicas urbibus Samnii, ut Paulus statuisse videtur, Beneventana urbs, suorum Langobardorum cùm vigeret imperium, præfuit; sed longè ampliorem multa ætate obtinuit ditionem, seque latissimis illis Provinciis leges diutissimè dedisse, est lætata. Quæ, ut ad rem nostram redeam, ad tres omnino, juxta laudatos jam auctores, Apuliam nimirum, Calabriam, & Samnium, promotis ipsarum antiquis finibus, redactæ videbantur. Verumtamen secus dicendum esse, alia Langobardorum suadent monumenta, plusculasque Provincias ab eis institutas dictant: totidem scilicet, quot in universa ditione præclariores habebantur urbes, sub quibus minores in Provinciæ formam censebantur. Et sanè eas, quas rectiùs, & magìs latinè dixeris Præfecturas, Paulus denotabat lib 5 cap. 7. sive 16. de Langobardorum scribens Rege Grimoaldo, qui *ereptis Beneventanis, & eorum Provinciis à Græcis* (ab Imp. nimirum Constantio, à quo omnes captas dixerat Langobardorum civitates Tarento Beneventum usque sitas: de aliis verò Provinciis minimè ibi loquutus) *apud Ticinum ad Palatium suum repedavit*. Nec ab alia mente id verbi eidem est l 6 cap. 8. sive 24. *Subsecutus est*, inquit, *eos Rector illius Provinciæ* (vim hujus vocabuli qui non percepit, frustra lectionem vexavit, ac substituit in altera editione. *Rector illius loci*) *quem Schuldais lingua propria dicunt*. Gregorio etiam Magno Dial. lib. 4. cap. 22. eadem acceptione est *Provincia Sorana*; suntque Anastasio Biblioth. in Zacharia pag. 109. *Provinciæ Romanorum*; & Gaufredo Malaterræ lib. 2. cap. 37. & lib. 4. cap. 16. *Provincia Cusentii*: hoc est, *Consentiæ*, lib. 3. cap. 34. *Provincia Tarentina*, lib 4. cap. 4. item *Tarentina*, & *Hydruntina*. In Actis quoque S. Castrensis Episcopi, evulgatis in suo Sanctuario à nostro Michaële Monacho, consimili ratione sunt interpretanda verba illa. *Ut catervatim ab unaquaque Provincia Sanctos Dei vinctos adduci præciperent*. Quippe postea ibi legatur, eosdem Sanctos *ab uno solo translatos* Divinam exorasse Majestatem, *ut infra unius patriæ terminos eorum corpora sepelirentur*. (5) Et in libris tandem Feudalibus, libro præsertim 2. tit. 27. id verbi pluries idem denotat; quibus addendus est auctoribus Ostiensis lib. 1. cap. 31. de Cassinensibus Monachis loquens, *qui ordinabantur, & describebantur, atque destinabantur in Obedientias per singulas, prout opportunum erat, Provincias*, & lib. 2. cap. 33. ubi meminit *Provinciæ Marsorum*; quam alibi tum regionem, tum appellat Pagum. *Confirmans*, inquit lib. 1. cap. 36. *omnia, quæ in Pago Marsorum possedisse antiquitus videbatur*. Est enim Pagus Transalpinis Gallis, quibus ab Caroli Mag. ætate Marsorum cessit Comitatus, Spoletano Ducatui subjectus, idem quod nobis, *Regio*, sive *Provincia*, ut omissis antiquioribus re nostra scriptorum exemplis: Cæsaris nimirum lib. 1. de bello Gall. Plinii lib. 12. cap. 14., aliorumque, ab uno discere sat erit præfati Caroli Magni testamento; in quo Transmontana ejus Regna per Pagos distributa recensentur; pluresque civitates ad singulos Pagos spectare dicuntur. Indeque Scaliger non incongruè ad Ausonium lib. 1. cap. 13. à *Pago* dictum vult Gallis, *Payſ. qui g. ante vocalem non pronunciant*; & ab iis certè nobis venit *Paese*. Et Beneventanorum quidem Provincias Paulo Diacono verbis supra allegatis memoratas, atque Principi Radelchiso in suo Capitulari, & Erchemperto locis pridem productis descriptas hujuscemodi omnino fuisse rationis, non ambigo; quamvis, ut hoc non taceam, eas communissimè dictas putem genuino, barbaroque Langobardorum sermone *Gastaldatus*, & *Gastaldata*; namque præfatus Radelchisus per jam dictum Capitulare cum Salerni Principe Siconolfo de Beneventani Principatus divisione ineunda contrahens, pacem se ei concedere promisit *de integra parte prædicti Principatus per singularia, & integra Gastaldata, seu ministeria*; quæ deinde in hæc verba descripsit num. 9. *In parte vestra*, inquit, *quorum supra Siconolfo Principi, & qui prædicti estis, sint ista Gastaldata, & loca integra cum omnibus habitatoribus suis*. Et infra. *Et si in istis Gastaldatibus, & locis subscriptis sunt aliqua Castella, ubi vestri homines habitant, ego vos ibi mittam sinè irrationabili dilatione* Hisque statim subjecit nomina Gastaldatuum, & locorum; quæ in duplici posuit differentia, nam Gastaldatus non fuere pleraque recensita ibi loca; sed tamen ea adnotavit ex causa postea aperienda. *Tarantum*, inquit, *Latinianum, Cassanum, Cusentia, Lainus, Lucania, Consia, Montalla, Rota, Salernum, Sarnum, Cimiterium, Furculum, Capua, Teanus, Sora, & medius Gastaldatus Acerentinus, qua parte conjunctus est cum Latiniano, & Consia*. Et tandem num. 24. definitè *Gastaldatum Montellam cum omnibus Castellis ejus* spondet se ei daturum. Quibus locis quid nam per illos Gastaldatus, præclararum sanè urbium nominibus demonstratos, Castella sub se hominibus habitata habentes; perque Acherontini Gastaldatus medietatem dividendam, ut Gromaticæ artis periti loquuntur, *limite decumano*, hoc est ab orientali ad occidentalem plagam ducto: Acherontia enim occidentem Solem per Compsiam, orientem verò per oppidum adspicit Latinianum, Ostiensi lib. 1. cap. 14. & inedito Anonymo Salernitano memoratum: nunc *Alvojanni*,

(5) *Unius patriæ* dicit, hoc est *Provinciæ*, primitivo modo acceptæ, ut Ignoto Cass. N. 3. *Beneventi Patria* Paulo Diac. lib. 5. cap. 2. *ad Francorum Patriam*, ubi alia editio, *ad regionem*. Gaufredo Malat. l. 1. c. 11. *omnem patriam armis domantes*. Et Ducatus olim Foro-Julienſis, vulgo nunc. *La patria del Frioli*.

Digitized by Google

ni, intermortui prope loci nomen: quid, inquam, per tales Gastaldatus denotari censendum est, nisi plurium oppidorum quasdam dixeris collectiones, & societates, singulis præsignioribus illis urbibus contributas, atque adscriptas; Satrapias quasdam, ac Provincias expositæ superiùs rationis constituentes, ex quibus Siconolfo concessus Principatus constabat Salernitanus? Sanè haud aliud valet apud Petrum Diac. in Auct. ad Ostiensem lib. 4. cap. 22. *Gastaldatus Teramnensis*: cujus primaria urbs Teramus, olim dicta *Interamnia*, cùm promiscuè etiam appellaretur *Aprutium*, (6) quoniam Præguttiorum fuerat Metropolis, Gastaldatui nomen dedit; unde tandem Aprutii Provincia duplex instituta est, quia priscos fines in conterminam regionem ea est denominatio supergressa. Nec Ostiensis, cui lib. 2. c. 26. non *Gastaldatus*, sed *Comitatus* dicitur *Aprutinus*, his adversatur; quandoquidem nec ipse sibi idem pugnat Auctor, laudato pridem loco appellans *Marsorum Pagum*, quem lib. 1. cap. 6. dicit *Comitatum*: nam præter laxiorem illam Provinciam Aprutinam, seu Gastaldatum, fuit suus eidem urbi, sicuti cuivis aliæ, ager suburbanus peculiaris, olim dictus *Comitatus*, nunc autem detorto vocabulo *il Contado*; ut apud præfatum Petrum lib. 3. cap. 30. *Comitatus Lucensis, Lunensis, Pisanensis, Pistoriensis, Florentinensis, Volaterrensis, Populoniensis, & Rosellensis*; quamvis etiam fuere olim Comitatus haud angustiores ditiones, quàm Gastaldatus: nimirum cùm nondum Comites ex Gastaldatibus in Dynastiolas, tanquam ex proscissis campis in minutos sulcos ad subjectorum populorum decus simul & perniciem in maximam segetem succrevissent; post quæ tempora non unus, nec constans in his servatus est modus; sed ad supremi alicujus Dynastæ, sortisve etiam cujusdam arbitrium, institutis tum majoribus, tum minoribus novis Comitatibus, vetustisque corruptis, quorum sunt obvia exempla, remque non juvant nostram, unus quandoque est pluribus, disjunctisque loco urbibus præpositus, ac datus Comes; cujus universa ditio abusivè, & populari sermone unius Comitatus nomine, quia erat Comitis unius, consuevit demonstrari. Qua usus videtur usurpatione Falco Beneventanus recentem præ his, quæ nunc tractamus rem in anno actam 1143. enarrans. *Qui verò*, inquit, *Comes Jordanus Montemfuscum properavit, & his actis, civitatem Ariani, & totius sui Comitatus confinia ejus submisit potestati*; & in anno 1127. *Comes*, inquit, *ille Jordanus Montemfuscum ascendit, deinde totius sui Comitatus comprehendit civitates, & oppida*. Qui quidem Jordanus tum Montemfuscum, tum Morconium, tum præcipuè Arianum, ac alia invicem, nimisque disjuncta obtinebat loca. Circumspectiorem itaque sermonem posse in Falcone desiderari suspicor: in Petro autem Diacono non ita. Quod hoc præterea alio argumento persuadeor; nam potuerat Provincia Teramnensis acceptum ab Gastaldis, quos ibi Spoletii Duces Langobardi constituere consueverant, nomen servare Gastaldatus, quamvis ab illis regi, obtinerique desuevisset; non dispari ratione, ac nomen Comitatus Molisii etiamnum manet Provincia, quæ minimè à proprio, peculiarique Comite, ut olim, obtinetur: Comitatus enim à Comite, & Gastaldatus à Gastaldo manavit planè denominatio; sicuti ex Regum Normannorum consuetudine Provinciæ hujus Regni appellatæ etiam aliquando fuere à *Justitiariis*, quibus regendæ committebantur, *Justitiariatus*. At dicitur mihi latina inflexione Gastaldus, qui priscis Auctoribus consimili modo, estque pariter latinè dictus *Gastaldius*, *Gastaldio*, & *Gastaldeus*; & nonnunquam per C. *Castaldus*, &c. (recentiores nonnulli scribunt, vocabuli etymon sequentes, *Guastaldus*) nempe cùm id nomen ore Langobardorum exierit in consonantem, efferreturque, *Gastald*, ut apud Ignotum Cassin. Num. 6. & 28. & apud alios alibi; conversum aliis aliter in latinam fuit formam. Gastaldorum autem cognatæ quamvis sit diligentiæ nosse quæ dignitas, quodve fuerit munus, non tamen utrumque æquè facili exponi valet sermone; nam Gastaldos nulla ambiguitate minores, & sub Ducibus fuisse, ex ipsa plurium Gastaldatuum in uno Beneventano Ducatu patet distinctione; quin Comitibus eos ferè pares fecisse videtur Auctor Historiæ Miscellæ lib. 19. collatus cum S. Gregorio Magno lib. 2. Ind. 1. epist. 1. de pace loquens inita inter Imp. Constantinum Pogonatum, & cunctos occidentis Dynastas. *Cùm autem*, inquit, *hæc didicissent hi, qui Hesperias partes inhabitant, tam videlicet Chajanus Avarus, & ulteriores Reges, quàm Exarchi, & Castaldi, necnon & Principes nationum ad occidentem sitarum, per legatos muneribus Imperatori transmissis, pacificam erga se dilectionem popposcere firmandam*; quas enim recenseri hîc vides Exarchorum, Gastaldorumque nominibus dignitates, Regibus inferiores, eas apud Gregorium potestatibus Ducum, Comitumque respondere, sat est manifestum, cùm ait: *Si ego in morte Langobardorum miscere me voluissem, hodie Langobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet; atque in summa confusione esset divisa*. At Gastaldorum, sicut etiam Comitum, quorum nec unum, nec simplex, ut dicebam, fuit munus, de iis sanè diligentiori observatione erit differendum. Singulorum autem Gastaldatuum curam, administrationemque penès singulos Gastaldos fuisse, ita certum est, quàm quod certissimum; unde Erchemperto sermo est ille usurpatus num. 69. *Quando Atenulfus*, inquit, *Gastaldatus regendi jura adeptus est*; illeque Pando, qui *Barium regebat*, ut loquitur Ostiensis lib. 1. cap. 24. dicitur, *Barensis Gastaldeus* Ignoto Cassinen. num. 8. Quæ potestas ipsis Gastaldis quia erat decori, sæpè ob eam turbæ, vel inter propinquos per fas, perque nefas fuere excitatæ; ac Pando, & Landolfus Episcopus, ut est apud eundem Erchempertum num. 28. *subdolè pro cupiditate Gastaldatus* Capuæ *& Landonem* nepotem eorum, *& cæteros fratres urbe repulerunt*: ejusmodique dira ambitio Campanos præcipuè Langobardos Proceres vexavit, quod universa propemodum præfati Auctoris Historia declaratur. Namque Gastaldorum auctoritas haud sortis tantùm illius fuit, qua in Legibus Langobardorum lib. 1. tit. 34. & lib. 2. tit. 17. aliisque in locis Gastaldi dicuntur circa *Regias casas, & curtes*, seu dicas villas, & prædia versari: Ecclesiasticarumque rerum administratores ab Urbano 2. nominantur causa 1. quæst. 3. Can. 8. Salvator; unde Monasteria Monialium suos etiam habuere Gastaldos,

(6) Inde Ostiensi lib. 2. cap. 26. sermo ille usurpatus, *Res in toto Aprutio*: & Ugoni Falc. sæpiùs, *Terra Aprutii*: ut *Terra Laboris*, &c. de quo fusè alibi.

Digitized by Google

dos, alio quandoque nomine, ut in Tabulario Monialium S. Blasii urbis Aversanæ, dictos *Vicecomites*; sed Gastaldi sunt quoque appellati, qui in singulis civilem publicâ auctoritate gerentes Magistratum, res curabant publicas, jurisque publici erant defensores; quorum specimen præfert antiqua chartula in Archivo Monasterii S. Sophiæ urbis Beneventanæ mihi inspecta, in anno exarata 41. *Imperii Basilii, & cum eo regnante Constantino fratre ejus, mense Februario, II. Indictione, Luceriæ*, hoc est in anno Christi 1013., quæ his verbis exorditur: *Castald Polcari, Joannes, Iduini, & Optabiano ordinati à Theodoro Imperiali Excubito Langobardiæ, & sumus residentes in ista civitate Luceriæ ad seniorandum, judicandum, & regendum (7), tunc ad nostræ potestatis Palatium cecidit una casa*, &c. Ex qua insuper ad Gastaldorum quoque munus aliquando accessisse cognoscimus, ut ipsorum fuerit, judicijs præesse; quod in Cajetana quoque urbe obtinuisse, municipales ejus leges typis jam pridem editæ manifestant; iisque pro ejusmodi publici muneris salario, vel dicas mercede certos statutos fuisse publicos reditus, quod etiamnum aliquibus in locis observatur, ex ingenti illa in membranis exarata Apographe Archiepiscopalis Ecclesiæ Campanæ, sive ut vocant Inventario, Archiepiscopi Ingeranni Stellæ cura in anno 1316. compilato, disci posse judico; in quo describitur *Curtis in Villa Volturni* (ipsum est Volturni Castrum ad ostia fluminis cognominis, quod adhuc extat) *conjuncta terræ servitii Gastaldiæ*: hoc est terræ, ac fundo proxima, cujus fructus Gastaldis illius loci cedebant pro publico servitio. Quò etiam referam leges Feudales, quæ sanciunt, *auferri posse transacto anno quod datur nomine Gastaldiæ, vel Guardiæ, & pro mercede alicujus rei*. Gastaldorum autem munus cùm fuerit subjectis populis jura reddere, judiciisque præesse; quod præterea ex Pipini Regis constitutione aperitur legum Langob. lib. 2. tit. 52. l. 19. quæ sancit, *ut de universali populo, qui ubicumque justitiam quæsierint, suscipiat tam à Comitibus suis, quàm etiam à Gastaldiis*; non tamen id absque unius, sive plurium Jurisperitorum, ut alibi exponam, consilio exercebant. Ab his verò Gastaldis non diversæ admodùm rationis fuerit Lando ille junior, quem Atenulfus ejus frater, ut est apud Erchempertum Num. 62. *cum cæteris fratribus Gastaldum in his, quæ ad eos pertinebant, instituerat*, sicuti pridem post divisam trifariam omnem Campanam ditionem inter cunctos Senioris Landulfi nepotes, Capua urbe excepta, quæ sub sorte non venerat, sed communis iis omnibus remanserat sedes, eam Pandenolfus superioris Atenulfi patruelis regendam, hoc est sub Gastaldi quidem munere, accepisse videtur; quam non multò post sibi adseruit, ejectis inde præfatis consortibus; *nolensque eos recipere intra urbem*, infandarum calamitatum fuit auctor; sed tandem eò ventum est, *ut pacifici, & sinè ulla molestia dicti viri intrarent* Capuam *ad commorandum*: quæ omnia fusiùs, strictiùs implexo, ac lacinioso stylo Erchempertus descripsit ab Num. 40. ad Num. 50. Nortmanni quoque duodecim illi armis strenui, & potentes viri ex Aversana urbe delecti, qui cæterorum ductores Apuliam multò post ista Græcis ereptam subegerunt (eam enim Langobardis Græci sensim antea subtraxerant) non absimili ab hoc Campanorum Procerum exemplo, ut Ostiensis perhibet lib. 2. cap. 67. *Guilielmo Tancredi filio comitatus honorem tradentes* (hunc dixeris Langobardorum vocabulo *Gastaldum*) ac singuli singulas Apuliæ pervasas urbes sibi adjudicantes, *Melfim primam illorum sedem*, idest ubi primùm confederant, *communiter possidere decernunt*; & ut verbis dicam Guilielmi Apuli lib. 1.

„ *Pro numero Comitum bis sex statuere plateas.*
„ *Atque domus Comitum totidem fabricantur in urbe.*

Quæ quidem non dum aliis observata Gastaldorum differentia, vera omnino esse probatur; nam præmemoratus Atenolfus (verba sunt Erchemperti Num. 65.) *Gastaldatum Capuanum singulariter suscipiens* (hoc est sibi soli usurpans ejectis patruelibus, spretisque germanis fratribus) *continuò se Comitem appellari jussit*: quippe qui, eodem tradente Auctore Num. 62. ab Athanasio Episcopo, & Duce Neapolis auxilium enixè petierat, *ut adjuvaretur singulariter fieri Comes in Capua*. Idque sonat apud Ostiensem lib. 1. cap. 48. eundem Atenulfum *ex Capuano Gastaldato factum Comitem*: quod perplures diu fatigavit doctos viros. Præiverat autem Atenolfum suo exemplo Avus ejus Landolfus, quem ut ipse imitaretur, persuasus hujusmodi sermone apud Erchempertum Num. 53. ab præfato Athanasio fuerat: *Cape*, inquit, *filios Landonis, & esto tu solus imperans Capuæ, sicut progenitor tuus singulariter imperasse dignoscitur*. Hujus quippe Atenulfi progenitor, qui *Capuæ præerat Gastaldeus*, ut idem Auctor perhibet Num. 15. *vetustè exercens inimicitiam cum quibusdam de genere Saductorum* (de genere videlicet viri communi sermone appellati *Saducti*, sicut *Adelgisi*, *Winegisi*, &c.) *anima, & gente par crudelibus viperis, interfici fecit ex primis eorum septem viros, unius eorum manibus abscissis*, post quæ ipse Landulfus, pari modo ac fecerat jam dictus Atenulfus, videtur Comitis nomen suscepisse; quo ab eodem Erchemperto, ejus notante obitum Num. 21. est appellatus. *Subtracto*, inquit, *ex hac luce Landulfo Capuano Comite, quatuor reliquit liberos*. Eaque hujus viri, & posterorum ejus immanis dominandi libido ex sæculi planè mani vit more; quando urbes haud sub unius absoluta degebant potestate, sed quandam liberæ communitatis speciem præseferentes, agebantur potiùs, quàm regebantur illa cæteroquin laudabili Politia. Nam Sergius quoque Dux Neapolis, qui sub nomine majoris dignitatis: utpote non Duci, sed Græco subditus erat Imperatori, non admodum in hoc absimile ab Capuæ Gastaldis suâ in urbe obtinebat imperium, ab socru sua stimulatus perhibetur in Actis S. Athanasii Episcopi præfatæ urbis manu exaratis; *ut si vellet Monarchiam solus obtinere, non solùm prædicto Episcopo* suo patruo *nullam exhiberet obedientiam, verùm hunc à latere suo, vel procul eliminaret*: sive, ut disertiùs nescio è quo alio antiquo Auctore, expressum habetur in latina Historia Neapolitana lib. 1. cap. 12. *ut solus vir Principem locum in civitate obtineret, alios non haberet in administranda republica consortes*.

At

(7) Qui nunc tales, Græco plerumque vocabulo dicuntur Σωστικοι *Syndici*; quoniam communi causæ patrocinantur.

Digitized by Google

At Gastaldos præter civilem, obtinuisse aliquando potestatem etiam militarem, lex declarat Regis Rhotaris lib. 1. tit. 14. statuens, quòd *si Gastaldius exercitalem suum contra rationem molestaverit, Dux eum solatiet, quousque veritatem suam inveniat*. Idemque ex Anastasio Bibl. in Gregorio 2. intelligi posse arbitror, perhibente, *Langobardos pene trecentos cum eorum Castaldione interfectos* à Neapolitano Duce in Cumani Castri recuperatione: milites nimirum illos, qui præsidio eidem Castro sub militari Tribuno fuerant, non ita pridem ab iisdem pervaso; quocirca conjuncta sunt munera Erchemperto Num. 15. Gastaldum esse, & bella exercere; diciturque *Landulfus, qui Capuæ præerat Gastaldeus, vir ad bella promptissimus*; & Num. 62. *Suabilus Gastaldus Marsorum cum aliis sociis Bassis* (8), *quasi ad trecentos armatos, Capuam advectus* ab Atenolfo. Dux quoque Alczecus, qui sua cum Bulgarorum gente, vel ut Paulus Diac. loquitur lib. 5. cap. 11. sive 29. *cum exercitu* in Italiam vênit, & spaciosa loca in Beneventana ditione sibi, suisque inhabitanda, Gastaldique suscepit nomen: potestatem planè militarem sub minoris dignitatis nomine retinuisse, credendus est; de quo ejus munere haud consentiam Jacobo Cujacio, qui in Comment. super libros Feudorum illam solam, quam initio dicebam, contemplatus Gastaldorum acceptionem, in legibus Langobardorum descriptam lib. 1. tit. 34. & lib. 2. tit. 17. & in libris quoque Feudorum, opinatus est, *Gastaldum propriè feudatarium non esse; quia quodammodo in præsens tantùm constituitur; non ut perpetuo eo munere fungatur*; itaque Paulum Diac. scribentem, *jussu Grimoaldi Langobardorum Regis in Italia certas possessiones datas Alzeconi Duci Bulgarorum* (*civitates* Paulus dixerat *cum suis territoriis*) *ita tamen, ut non Dux, sed Gastaldus vocaretur, hoc significare* ait, *jure Gastaldiæ datas, non perpetuo, proprioque feudi jure*. Haud, inquam, viro sanè doctissimo consentiam; nam minimè simplex, & una dumtaxat, sed multiplex, ac mista, ut dictum est, fuit Gastaldorum prærogativa. Et insuper nec Alczecus, sicut Ducis dignitatem, & nomen deposuerat, ita vel acceptas ad incolendum urbes, & oppida, vel suæ gentis, transacto sui Gastaldatus anno, dimisisse videtur curam: cùm Paulus apertè affirmet, Bulgaros susceptas sedes ad suam usque ætatem incoluisse, qui *in iis locis habitantes, quamquam etiam latinè loquerentur, linguæ tamen propriæ usum minimè amiserunt*: nec amiserunt, ego addam, peculiarem habere ex propria gente Gastaldum. Renuit itaque, me arbitro, Rex Grimoaldus nomen Ducis permittere Alczeco, non quòd perpetuum ei nollet dare Gastaldatum: sed quòd ille sub Beneventano Duce constituendus, primitivam retinere non posset dignitatem; qui namque cùm esset advena, temporaneam in locis perpetuò sibi, suisque inhabitandis accipere debuisset Dynastiam? Quam nec tempore definitam accepisse censendus est *Sico Agerentinus Gastaldeus* (Erchemperti sunt verba num. 8.) *quem Grimoalt Princeps Beneventi proselytum recepit; honoribus plurimis deferens*. Haud igitur actores tantummodo extitere Gastaldi, quorum munus quà pace, quà bello populis, militibusque præesse fuit. Et sanè nec Comites, quoniam eos Pontifex Hadrianus epist. 18. ad Carolum Magnum appellavit *actores*: *Obnixè petimus*, inquit, *ut per Comites vestros, qui in Italia sunt actores, ipsum jam dictum stannum dirigere jubeatis per unumquemque Comitem libras centum*: nullam aliam exercuisse functionem, reputandi sunt; nam publica etiam judicia tractavere, quod commune habuere cum Gastaldis, ut patet ex lege Langobardorum lib. 2. tit. 52. superiùs laudata; idque adeò fuit eis peculiare, ut putarit Otho Frisingensis lib. 2. cap. 12. de Imp. Friderico, singularum urbium territoria nuncupata *Comitatus à comminandi*, quod ipse interpretatur *in jus vocandi potestate*. Et præterea peculiarissimum, idemque antiquissimum fuit Comitum munus, Comitivæ, hoc est alicui hominum cœtui, vel muneri cuicumque præsidere; unde quos supra dixi duodecim Nortmannos viros, Apuliæ expugnatores, Ostiensis tradit l. 2. c. 67. ab Rainulfo Comite Aversæ electos *Capitaneos*: Guilielmus verò Apulus lib. 1. dicit *Comites*; inquit enim:

„ *Omnes conveniunt, & bis sex nobiliores,*
„ *Quos genus, & gravitas morum decorabat, & ætas,*
„ *Elegere duces: provectis ad Comitatum*
„ *His alii parent: Comitatus nomen honoris,*
„ *Quo donantur, erat &c.*

Quocirca eidem Ostiensi propriissimè est sermo ille usurpatus in allegato lib. 2. cap. 30. *Comes illorum Rodulfus*. cap. 72. *unà cum Dracone Normannorum Comite*. lib. 3. cap. 10. *Normannorum tantùm Apuliæ Comitem*: & præterea tum ipsi, tum aliis alibi idem frequenter: Comitis videlicet dignitatem, & nomen non ad loci, sed ad virorum quòd referat Præfecturam. Atque hoc tandem denotat, si quando in antiquis chartulis Nortmannorum ævo exaratis legitur quis appellatus alicujus civitatis *Comes simul, & dominus*: quandoquidem ejus verbi vis non dominii, sed Comitivæ tantùm denotabat prærogativam. Qualis an ea fuerit, quam Sergius Dux Neapolis præfato Rainulfo concessit, cùm illum Aversæ Comitem fecit, ut finitimos Campanos assiduo bello premeret, ac vexaret, velim cogitent, non qui innata quadam dulcedine amplificandarum rerum patriæ detenti in antiquis historiis exponendis versantur, & verè dixeris monumenta sibi, suisque condunt; sed qui per hasce antiquitatum syrtes velificantes, soloque veri studio, tanquam magnete fidissimo instructi, vel nulla, vel rara, & quàm levissima naufragia facere posse creduntur. Et quidem creduntur: namque etsi abstrusa ista circumspectè qui tractant, haud aperti mendacii argui facilè queant, vel erroris: eos tamen nunquam omnino allucinari, sentiet vir prudens nemo; tum quia minimè id permittit communis conditio humanitatis: tum etiam quia auctores, quos ad ea explicanda adhibere est opus, rudi simplicitate, ac summa verborum inopia laborantes, multiplices, inconstantesque plurium populorum per longa annorum intervalla peractos casus, servatos ritus, & receptos mores non admodum apertè, nec sinè tricis, & ambagibus exponunt:

(8) *Bassi*, sive *Vassi* idem prorsus hoc loco sunt, ac in Capitulis, quæ Episcopi Rhemorum diœceseos, & Rothomagensis miserunt Ludovico Regi. *Quando* (sic ibi) *anima vestra de corpore exierit*, &c. *& sinè solatio, & comitatu Drudorum, atque Vassorum nuda, & desolata exibit*.

sunt: qualem in re, de quâ nunc agimus, præter propriam nostram imbecillitatem, experti illorum sumus imperitiam, & negligentiam; qui multimoda Comitum, Gastaldorumque munia mutua quadam affinitate invicem conjuncta, sæpissimè uni concessa, vel usurpata viro, vocabulum vocabulo substituentes, ac si nullius esset momenti illa distinguere, appellavere aliquando Gastaldos, quos Comitum nomine, sive auctores metipsi, sive alii decorarunt: & è converso, Comitibus nonnunquam Gastaldorum nomen tribuerunt. Quo quidem pacto non unicam dignitatem Pandenolfus Comes Capuæ cùm obtineret, tum hâc, tum Gastaldi, tum Judicis nuncupatione non nemini antiquo auctori est demonstratus. Quam etiam omnimodam in universo Campano Gastaldatu potestatem usurpaverat ejus decessor, & patruus Landulfus; qui, ut inquit Ignotus Cassin. Num. 32. *extitit suis civibus non solùm Episcopus, sed & Comes, & Judex: non solùm Præsul, verùm etiam Gastaldius: neque tantùm Pontifex, quin & velut Miles super cunctos præerat*, ejusmodique sermone hic auctor singula Landulfi officia, vel juxta suum captum, vel juxta Campani populi consuetudinem singulis vocabulis expressit; illumque ut Militem, bella struxisse; ut Comitem, & Judicem, lites subjectorum diremisse; ut verò Gastaldum, res cæteras publicas curasse, visus est denotare. Et verò præcipuum Gastaldorum munus, ad quos redeo, hoc ipsum modò dictum fuisse, etymon vocabuli manifestat; quod ex Viti Amerpachii observatione in Notis ad Capitula Caroli Magni ductum, est *à Guast* (9), *idest Hospitium veteri Germanica, & Gallica lingua* (Germanico planè, seu Theutisco sermone Langobardos usos ex eorundem lege 15. tit. 14. lib. 1. atque ex inedito Anonymo Salernitano constat) *& Halden, idest: tenere, sic enim in quibusdam Germaniæ locis adhuc verbum pronunciatur*; nam Hospitium, vel dicas Palatium haud communes, quas incolimus, ædes; sed tum publici Magistratus, tum summi Dynastæ denotat Prætorium, & per usurpationem publica quæque jura: unde in Chartula Ecclesiæ S. Sophiæ superiùs producta *casam ad Palatium urbis Luceriæ cecidisse*: & apud Ostiensem lib. 1. cap. 50. partem Fluminis Volturni à Princ. Atenulfo concessam fuisse Monasterio Cassinensi, *quemadmodum ad jus Palatii pertinuit*, & consimilia sexcenta alia apud Auctores loca hoc idem significant, atque res illas vel nuper factas, vel olim fuisse publici juris. Quam germanissimam hujus etymi ab Amerpachio non minùs verè quàm acutè excogitati vim, si ipse ritè percepisset, minimè pronunciasset, *Gastaldum significare Oeconomum, idest Procuratorem domus, & rei familiaris*, cui subscripsere viri ingenio, & doctrina clarissimi, Cujacius, aliique feudistici juris primarii interpretes. Gastaldos itaque, sicut probandum susceperam, ambiguum non est, multimodæ fuisse rationis, quorum nec omnes me exposuisse differentias, asserenti non negaverim, neganti non assenserim; etenim ad quam illorum acceptionem superiori sermone exposi-

A tam ii sint referendi, ex quibus nomen Gastaldatus Provinciis Ducatus Beneventani fuit impositum latère me, non dissimulo: sicuti nec quâ lege, & conditione ipsi Gastaldatus initio concederentur: quæ utique, manente quamvis eorum nomine, non semper unimoda mansit, nec quot numero censerentur, audeo nunc definire. Qui hoc sanè non ignorem, haud quaslibet urbes Gastaldis aliquando subjectas, consimili omnino institutione, atque usu Gastaldatuum nuncupatione fuisse insignitas; quandoquidem ipsum Gastaldi vocabulum inter Analoga censeri debere, est jam manifestum. Ducatum autem Beneventanum in plures Gastaldatus, tanquam in Provincias
B distributum, ut pridem exposui, ex Principis Radelchisi cùm constet Capitulari; ex illo nihilominus certus eorum numerus minimè quidem poterit deprehendi; nam Princeps ille non dimidios, nec dimidiatos integræ suæ Dynastiæ Gastaldatus, sed dimidiam eam cùm concesserit Siconolfo Principi Salernitano, disci haud inde valet, totidem ne, an plures ipse sibi reservaverit, vel pauciores. Quò referendum putassem, in jam dicta Siconolfi portione nonnulla etiam minorum oppidorum, locorumque nomina simul cum Gastaldatuum nominibus fuisse adnotata: videlicet quòd ex primæva institutione ii Gastaldatus minimè illa complecterentur loca; verumtamen
C rationabilius dicendum judico, ideo seorsim memorari, quoniam reliquam Radelchisi partem proximè contingebant; habendaque erant velut expositissimi, firmissimique Salernitani Principatus fines. Gastaldatus tamen integri Ducatus Beneventani censendi sunt, præter paulò post describendos, Tarentum (urbs nimirum ne dum antiqua origine, factisque clarissima, perque tempora Nortmannorum *Apuliæ civitas nobilissima*, ut eam dicit Petrus Diac. in Auct. ad Ostiens. lib. 3. cap. 43. sed Langobardorum etiam ætate præsignis: *ubi Adelberga relicta Principis Arichis*, ipseque planè Arichis, *Thesauros suos reconditos habuit*, (quod Carolo Magno revelavit Papa Hadrianus epist. 46.) Cassanum, Consentia,
D Lainum, Lucania, sive Pæstum, Montella, Salernum, & Capua; disjunctissimarum scilicet urbium præclara nomina, sub quibus nisi perplura alia minora oppida ultro, citroque sita comprehensa simul fuissent, haud illa Radelchisus, Salernitanum certis limitibus definiens Principatum, prætermisisset. Etenim, ut de reliquis nunc taceam, Capuæ Gastaldatus usque Soram ad Occidentem pervenisse, ex Erchemperto Num. 25. & ex Ignoto Cassin. Num 23. clarè liquet (10). Et Consentiam quoque magni, & antiqui decoris urbem, ex adverso latere ad oppidum S. Euphemiæ, &
E Portum Fici, ubi ni fallor, Græcorum, Beneventanorumque antiqua confinia fuere, Eginhardo memorata, & nobis pridem in loco exposita, fines suos Orientem versùs porrexisse conjector; quò Gaufredus Malat. lib. 3. cap. 2. Principatum Salernitanum ex antiquo productum subindicat, suntque ibidem etiamnum limites Provinciæ Calabriæ citerioris, cujus eadem urbs sibi vendicat primatum. Sed

&

(9) Hinc sanè *Vuast Aymonis*: nunc *il Vasto*: *Vuast Algisii*, *Vuast Girardi*, & alia consimili nomine in Provincia Aprutii citerioris loca dicta fuere, quod valebat *Prætoria Aymonis* &c. nam Populi *in Judiciaria*, ut tunc loquebantur, distributi, iis Prætoriis invicem discernebantur, unde locis ejusmodi accessit nomen.

(10) Rhegium usque productum hunc limitem quòd dicat Alfanus Archiepisc. Salern. in Carmine ad Guidonem filium Princ. Guaimarii 4. nondum edito, ea ipsa aspiciens priora tempora Nortmannorum, Gaufredo indicata, hujus non est loci minutiùs examinare.

Digitized by Google

& Gaſtaldatus fuit Theathe, ſub qua Erchempertus Num. 5. plures ſtatuit tellures, & urbes; exque iis; labentibus annis, Marchia conſtitit Theathina. Et Bovianum præterea ab Alczeco Bulgaro ſub Gaſtaldi nomine cum adjacentibus locis poſſeſſum, poſtque annos biſcentum à Guandelperto, cujus meminit Erchempertus Num. 29. in Gaſtaldatuum album referendum (tranſivit poſtmodum hæc prærogativa ad proximum Moliſium, unde Comitatus primùm, & tandem Provincia Comitatus Moliſii dicta eſt) nemo inficiabitur. Itemque Teleſiam, atque Sanctam Agatham: eſt enim apud eundem Auctorem ibidem mentio Majelpoti Gaſtaldi Teleſini; & Num. 66. & 71. Marini Gaſtaldi SanctAgathenſis, qui fortè ſucceſſerat Hiſembardo, Bertharii Abb. Caſſin. ut perhibet Ignotus ejuſdem Monaſterii Monachus Num. 22. conſanguineo. His inſuper addendus eſt tum Gaſtaldatus Abellinenſis, aliquando ſubjectus Adelferio Gaſtaldo, quo titulo vir iſte decoratus legitur in Fragm. Hiſtoriæ Langobard. Num. 5. tum Gaſtaldatus Agerentinus, ſive dicas Acherontinus, in Capitulari Radelchiſi Num. 9. 24. & 25. expreſsè demonſtratus; tum quoque Gaſtaldatus Barenſis: quam ſanè urbem ex hac diutiùs obſervata Langobardorum antiqua inſtitutione primatum totius Apuliæ per tempora Nortmannorum obtinuiſſe, ejuſdemque caput extitiſſe, ſicut eam celebrat Petrus Diac. in Auctar. ad Oſtienſ. l. 3. cap. 44. & lib. 4. cap. 106. par eſt credere; cujus Gaſtaldus fuit Lando illic memoratus præfato Ignoto Caſſin. Num. 8. Et tandem Luceriam, & Sipontum non infimi nominis civitates, & ſi quas alias tales, Gaſtaldatus pariter exiſtimandas non abnuerim; quibus quidquid terrarum inter Barenſem & Theathinum continebatur, fuerit contributum. In hanc itaque, aut parum abſimilem formam Langobardos Beneventanum aliquando Ducatum deſcripſiſſe, dijudico; qui antiqua nomina Provinciarum Calabriæ, Apuliæ, & Samnii populari tantùm ſermone, non ipſas Provincias uſu conſervarunt: haud ſecus atque Apuliæ etiamnum vulgò manet antiquum vocabulum, quamvis nulla ex duodecim hujus Regni Provinciis eo cenſeatur.

Finis Primæ Partis.

BIBLIOTECA

Digitized by Google



Digitized by Google

SERIES
ABBATUM CASSINENSIUM
PER ANNOS
AB ABBATE PETRONACE BRIXIANO,
Et ab anno DCCXX.
AD ABB. RAINALDUM CALAMENTANUM,
Et ad annum MCXXXVII.

IN QUA OMNIS TEMPORUM RATIO DE IIS TRADITA
A LEONE CARD. OSTIENSI,
A PETRO DIAC. CASSINENSI,
Et ab aliis Antiquis expenditur: illaque ſtatuitur,
quæ ordine procedit imperturbato

AUCTORE

CAMILLO PEREGRINIO
ALEX. FIL. CAMPANO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATORIA

CAMILLI PEREGRINII.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI

ET VICECANCELLARIO.

SPinoſam, horridamque Hiſtoriæ Langobardorum ſylvam, ſylvam, inquam, EMINENTISSIME PRINCEPS, ob difficilem temporum confuſionem, ac denſiſſimam rerum obſcuritatem aliis hactenus inacceſſam, aliis non plenè (neſcio an etiam dicam, non bene) luſtratam, nec illuſtratam, hac etiam adhibita providentia ſtylo excolendam, è ſentibus errorum expurgandam, atque Lectoribus magis perviam, facilioremque reddendam eſſe ſemper dijudicavi: nempe ſi ei conjunctiſſima minùs culta, captuque aſpera quæque antiqua literis tradita monumenta, uno, eodemque in tempore tum congenitis, tum ſuperinductis tricis, ac fallaciis omnibus emendentur; quibus niſi longiſſimè depulſis, ac funditus extirpatis, nunquam non in ipſa, ſicut in confinibus ſolet locis, noxiarum opinionum aliena ſemina, alienæque radices eſſent defuturæ, immenſam planè, inextricabilem, indeficientemque ambagum novam ſylvam germinaturæ. Quo ego conſilio Caſſinenſis Monaſterii Chronicon, quod Leo Cardinalis Oſtienſis ab Abbate Petronace Brixiano deſcribere exorſus, Petrus ejuſdem Cœnobii Monachus, & Diaconus ad Abbatem uſque Rainaldum Calamentanum perduxit, ac noſtratium Langobardicarum rerum maximè refertum, commixtumque eſſe conſtat, ſedula opera cùm obſervaſſem, diſpunxiſſemque permulta inibi in temporum deſcriptione à ſuis Auctoribus, atque ab his, qui ipſum iteratò edendum curarunt (utrorumque pace dixerim) tum minùs diligenter, tum minùs ſincerè, vel deſcripta, vel repræſentata, operæ pretium facturum me putavi, ſi unà cum Principum Langobardorum Hiſtoria, Tibi jure dicata, eorundem Abbatum Seriem per annos ductam in vulgus emitterem, Tuo ſimul nomini etiam quamjuſtiſſimè conſecratam: es enim, & omnis antiquitatis, & Caſſinenſis Congregationis præcipuus, & beneficentiſſimus Patronus, mihique conſtantiſſimè ſuſpiciendus. Quam ſanè eo libentiùs in hoc temporis inſtanti publicis Typis committendam conſtitui, ne quæ è Caſſinenſibus ſcriniis ad eandem Hiſtoriam acceperam, non facilè dictu, quàm proficua, adjumenta, diutiùs irremunerata, quantum mea mihi præſens res permittit, manerent; quin meæ non vulgaris reverentiæ, qua religioſiſſimos, nobiliſſimoſque Caſſinenſes Monachos colo, hanc ſcriptiunculam teſtem eſſe perpetuum apud Te, EMINENTISSIME PRINCEPS, ante omnes ſtatuo. Cui Deus Opt. Max. cæteros omnes perpetua antecedere fœlicitate donet, perpetuò ut bonis artibus ſuus decor, & honor maneat, & bonis.

Eminentiæ Tuæ Reverendiſſimæ

Humillimus & deditiſſimus Servus
Camillus Peregrinius Alex. Fil.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES
ABBATUM CASSINENSIUM
PER ANNOS
AB ABBATE PETRONACE BRIXIANO,
Et ab anno DCCXX.
AD ABB. RAINALDUM CALAMENTANUM,
Et ad annum MCXXXVII.

Cassinensis Monasterii constructio.

CAssinense Monasterium antiquitate, rerumque ibi gestarum magnitudine, &, quod præstantius est, ejus Conditoris, Cœnobitarumque sanctitate, ac dignitate clarissimum, ab occidentalium Monachorum instauratore Divo Benedicto primitus fuisse constructum, exploratissima, receptissimaque Scriptorum omnium attestatione constat. Cujus tamen constructionis definitus annus levicula quadam Auctorum discrepantia traditus cùm habeatur, antequam Cassinensium Abbatum Seriem ab Abbate Petronace Brixiano ad Abbatem Rainaldum Calamentanum per tempora, ut est animus, ducam, abs re non erit de eo paucis differere, remque, quantum sat esse potest, minutiùs explicare. Et quidem tanti Monasterii initia, Divique Benedicti discessum è Sublacensi Monasterio, & ad castrum Cassinum adcessum alii in annum Christi retulerunt 527. alii in annum 528. alii tandem in annum 529. Quam postremam sententiam apertis expositi verbis Gordianus, sivè quisquis ille Gordiano longè recentior, idemque Cassinensis sanè Monachus Actorum S. Placidi, Gordiani tamen nomine, auctor apud Surium die 5. Octobris; cujus textus nescio ex librarii ne errore, qui apud alios alibi non infrequens, an ex falsa supputatione incongruè habet, Sancti Patris profectionem contigisse in anno prænotato, *temporibus verò Justini Monocratoris*: ubi legendum *Justiniani*; qui certè tunc imperabat. A quo PseudoGordiani dicto stetisse etiam Petrum Diaconum censeo in Auctario ad Ostiensem lib. 3. c. 71. perhibentem, Abbatem Desiderium, qui Victor fuit Papa 3., obiisse in anno Christi 1087. *à Patris autem Benedicti anno DLXXIX.* quæ annorum summa, etsi ex fide sit Cassinensis manu exarati exemplaris (illius nempe, quod simul continet Ostiensis, & Petri utrumque Chronicon, exque eo quoniam processerunt ejusce operis variæ editiones, erit mihi præ altero ibidem adservato magis attendendum, & frequentiùs laudandum) nullo sanè stare potest modo; verumtamen binos ex ea si demas denarios numeros, optimè consistet; namque à suscepta à D. Benedicto Cassinensis Monasterii constructione, & ab anno Christi 529. ad annum 1087. dinumerantur anni DLIX. ipso videlicet anno incœptæ ædificationis unà adnumerato; qua sola ratione corrupti restitui poterunt numeri, atque Petri mens capi, ut facilè intelligent peritiores. At constructionem illam rursus in annum 528. Notulæ quædam conjiciunt ad calcem positæ Chronici Cassinensis Venetæ Editionis pag. 191. à tergo his verbis: *Anno Domini DXXVIII. fundatum fuit Monasterium Cassinense à Beato Benedicto*. In annum verò 527, eam retulisse videtur antiquus Chronologus Siconi Beneventano Principi æqualis, qui collectiones annorum descriptas in quarta parte Chronici Anonymi S. Sophiæ subduxit; tradens Num. 5. *A B. Benedicto usque ad Gregorium Papam* (his ille nominibus tempus constructi Cassinensis Monasterii, & obitus S. Gregorii Magni designabat) *annos fluxisse* 78. nam Sanctum Pontificem, manifestum est, decessisse in anno 604. à quo anni planè sunt 78. ad quem dixi annum 527. ipso nempe primo constructionis simul connumerato. Estque ab eadem hac mente idem Auctor ibid. num. 9. qui supputavit *à B. Benedicto ad 15. annum Siconis Principis* (is fuit Christi 833.) *annos* 307. etsi num. 8. annos dinumerans 205. *à B. Benedicto ad Gisulfum juniorem*, hoc est ad annum Christi 732. videri possit Epocham constructi Monasterii retulisse in annum 528. Sed inconstantem ei sententiam temerè non affigam, qui, fortassis, non annos CCV. sed CCVI. adnotaverat, librarii autem ex incuria notam detraxerunt unitatis. Ejusdem tamen Auctoris comparationem num. 10. descriptam, qua D. Benedictus æqualis fit Justiniano Majori, Joanni Papæ, scilicet primo, & Regi Theodorico, nullo pacto sustineri posse, minimè inficior: Verùm si textum dixerimus detruncatum, quem planè mancum esse, adnotata ibi ad oram varians, sed nec ipsa integra, probat lectio, utique Auctor ille imperitiæ accusandus non erit; nam plenam ejus sententiam fuisse, non est dubitandum, quam Ostiensis lib. 1. cap. 1. expressit verbis illis. *Claruit*, inquit, *D. Benedictus temporibus Imperatorum Justini Senioris, & Justiniani. Romanorum verò Pontificum Joannis 1. & quarti Felicis: Theodorico apud Italiam Ariano regnante*, quam etiam Pseudo idem ille Gordianus in præscripta S. Placidi Vita, paucis tantummodo syllabis immutatis, exposuit; qua non annus constructi Cassinensis Monasterii, sed ætas constructoris designatur, ut patet. Cœnobium autem à D. Benedicto conditum, cùm stetisset per annos ferè 60. subversum post fuit à Langobardis tempore Papæ Pelagii, hoc est non multò ante annum Christi 590., sed si Paulum Diac. attendis, in anno id contigit 605. de qua discrepantia in Historia Principum Langobardorum, ubi de Comparatione Ducum Beneventi cum Æra Christi, est dictum.

Digitized by Google

PETRONAX

Ab an. 720. ad an. 751.

CIvis Brexianæ urbis (verba sunt è Pauli Diac. Historia Langobardorum libro 6. cap. 13. sive 40., quæ huc faciunt, excerpta) *Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apostolicæ Sedis Papæ Cassinum castrum petiit, atque ad sacrum corpus Beati Patris Benedicti perveniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris jam ante residentibus habitare cœpit; qui eundem venerabilem virum Petronacem sibi Seniorem statuerunt. Hic non post multum tempus, jamque evolutis ferè centum & decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat, multorum ibi Monachorum, nobilium, & mediocrium ad se concurrentium Pater effectus, sub sanctæ regulæ jugo, & B. Benedicti institutione, reparatis habitaculis, vivere cœpit, atque sanctum Cœnobium in priorem statum erexit.* Sic quidem Paulus, qui Monasterii desolationem quoniam in annum retulerat 605., certòque noverat ipsius instaurationem peractam hortatu Gregorii 2., qui sedit ab anno 714. ad an. 731., ejus solitudini non plures, quàm 110. annos imputavit: quot etiam Ostiensis, à Paulo aliàs quoque seductus, adscripsit in Prologo sui Chronici, ut Cassinense manu exaratum exemplar, ejusdemque operis Veneta, & Parisiensis habent editiones; qui sanè fuerunt 130., nam Langobardi Sacrum devastarunt locum paulò ante quàm D. Gregorius Magnus Dialogorum libros scripsisset, hoc est ante annum 593. de quo alibi dixi. Idem verò Ostiensis dum lib. 1. cap. 2. Monasterium destructum permansisse perhibet, non per annos 110. sicut priùs exposuerat, sed per 130., ut in præfatis est editionibus, & in MS. Codice, valde vereor, ne illius continuator Petrus Diac., sive quisquis alter, ad Petri tamen mentem, talem de suo Ostiensi affixerit sententiam, quam idem Petrus lib. 4. c. 91. juxta earundem Editionum, & scripti Codicis lectionem deprehenditur amplexatus: Nec sanè præsens Cassinense exemplar reputandum videtur ipsum esse Ostiensis Autographum, quòd Petri simul Auctarium, haud nuper quidem, sed unica manu descriptum continet, quòdque indicia complura tum alibi servat commixtæ alienæ dictionis inseriùs opportuniùs denotanda, tum lib. 3. cap. 16. quo loco de Roberto Guiscardo iterum scribendum, ac latiùs esse promittitur. Quin nec Petri esse Autographum adparet, in quo annorum summam à B. Benedicto ad obitum Abbatis Desiderii, sive Victoris Papæ 3. superiùs descriptam, nisi ex librarii non credam culpa haberi depravatam. Ostiensem igitur expositæ modò inconstantis sententiæ, minimè reputo auctorem, quem tamen annos vastitatis Cassinensis Monasterii non plures, quàm centum & decem cum Paulo Diac. supputantem non defendo; sed Petronacem centesimo decimoque post anno ab Christi 605., in quo Paulus statuit ipsius Monasterii direptionem, ut alibi est dictum, ad Cassinum castrum perveniisse, tempore Papæ Gregorii, videlicet secundi, constantissimè ab illo proditum, non dubito; qui eundē Petronacem *Anno Domini 720. à Fratribus in Abbatem fuisse prælatum* his ipsis palam testatus est verbis in sæpe laudatis scripto, & Editis Codd. Idque simul ibidem adstruit; perhibens Monasterium S. Vincentii juxta ortum Volturni construi cœptum ante Cassinensis instaurationem, annis circiter 15. nempe in an. 705. quod à Saracenis devastatum anno ab ejus ædificatione 165. & in anno Christi 870. inferiùs exponam in Abb. Berthario. Nec ab alia mente fuisse videtur Auctor Chronici Langobardorum, seu Monachorum S. Benedicti, pares faciens Epochas Abb. Petronacis, & Beneventani Ducis Gregorii, quem ipse Duci Romualdo 2. nullo alio intermedio Duce, successisse putavit, atque in anno 720. de quo alibi disserui. Idipsum etiam persuadet S. Willibaldi Itinerarium apud Surium die 7. Julii; *Is* (strictim do verba Itinerarii) *veniens ad S. Benedictum*, hoc est ad Monasterium Cassinense, *ibi reperit paucos Monachos, & Abbatem nomine Petronacem, apud quem per decem annos mansit; quibus exactis, perrexit Romam, sedente Summo Pontifice Gregorio* 3. Hic Romanam rexit Ecclesiam ab anno Christi 731. ad annum 741. scilicet undecim non integris annis. Willibaldum igitur ad Cassinense Cœnobium à Petronace jam renovatum accessisse oportet, tempore Gregorii 2. proximè Gregorii 3. antecessoris, atque non dum à magna Monachorum frequentia, ut procedente ætate sub eodem fuit Petronace, inhabitatum; quem virum etsi in ipsis initiis Gregorii 3. illuc perveniisse, indeque excessisse sub finem ejus Pontificatus consentirem, sub Gregorio tamen secundo, ejusdemque suasu Petronacem opus aggressum, non esset ambigendum; quocirca in universis Ostiensis Editionibus, ipsoque in MS. exemplari lib. 1. c. 4. non temerè dixerim, Cassinensem instaurationem haud ex Auctoris mente perhiberi peractam tempore Gregorii 3. eodem sanè Leone factam sibi vim altis, apertisque vocibus conclamante, ac Petronacis Abbatiam, ut expositum est supra, disertis verbis in annum referente 720., atque adeò ad sedentem Gregorium 2. Nam quamvis ille cap. 8. præfati libri 1. inter æquales Petronacis binos tantùm recenseat Romanos Pontifices, Gregorium, & Zachariam; Gregoriique nomine non secundum, sed tertium, qui Zachariam proximè præcessit, videatur demonstrasse, Gregorium certè secundum minimè ex proposito, sed compendiofo, parumque attento cum uteretur sermone, omisit; quem Auctorem nec suppares omnes Petronaci Reges Langobardorum, nec Duces Beneventi omnes adnumerasse constat; prætermissis nempe Rege Ratchis, & Duce Godescalcho, sibi, ut ibidem cap. 5. & 8. alia manifestat occasione, non ignotis. Restituti itaque Cassinensis Cœnobii, restitutorisque Petronacis Epocha in annum referenda firmiter est 720. Cui Leo annos imputans 32. (scilicet rotundos) ut ejus scriptus Codex, & Editiones præseferunt Veneta, & Parisiensis, pervenisse illum subindicat ad Prid. Non. Maji, anno 751. qua die vita functum idem Auctor loco relato, ac MS. Cassinense Emortuale perhibent. Sed accipe verba Leonis. *Fuit*, inquit, *prædictus Abbas sextus à B. Benedicto* (prædixerat cap. 2. quinque Abbates ad Monasterii usque devastationem regimen ejus tenuisse) *temporibus Imperatorum Leonis, & Constantini, & Luitprandi Regis Langobardorum: Romanorum verò Pontificum, Gregorii, & Zachariæ, & Gregorii Beneventani Ducis, atque Gisulfi junioris. Qui cùm præfuisset huic Monasterio annis XXXII.*

XXXII. defunctus est Prid. Non. Maji. Hactenus ille. Nec plures, paucioresve annos eidem assignat Chronicon Langobardorum, seu Monachorum S. Benedicti, Indexque Abbatum Cassinensium, præfixus qui adest alteri scripto, sed recentiori exemplari solius Chronici Ostiensis in Bibliotheca Cassinensis Monasterii adservato, signatoque num. 202. Indexque item alter eorundem Abbatum in antiquis membranis descriptum apud amicum, plurimæque patriæ antiquitatis peritum Camillum Tutinum Neapolitanum. Sed præstat Petronacis annos cum annis Christi, & cum Indictionum cyclis comparatos in Tabula describere, eandemque normam deinde in aliorum Abbatum periodis perpetuò observare, ut inita à me temporum ratio imperturbato ordine per annos quatuorcentum, & eo ampliùs ducenda, magis pateat. Tu attente omnia expende, ficque tanti erit, meam diligentiam ama.

Petronax sedit à Kal. Januarii ad Prid. Non. Maji per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Petr.	An. Chr.	Ind.	Petr.
720	3	1	737	5	18
721	4	2	738	6	19
722	5	3	739	7	20
723	6	4	740	8	21
724	7	5	741	9	22
725	8	6	742	10	23
726	9	7	743	11	24
727	10	8	744	12	25
728	11	9	745	13	26
729	12	10	746	14	27
730	13	11	747	15	28
731	14	12	748	1	29
732	15	13	749	2	30
733	1	14	750	3	31
734	2	15	751	4	32
735	3	16	An. 32. non exactus.		
736	4	17			

OPTATUS

Ab ann. 751. ad ann. 760.

HUic Ostiensis lib. 1. cap. 9. ex fide scripti Codicis, & antiquiorum Editionum, itemque Index Abbatum in Codice 202. tribuit annos decem. Chronicon verò Langob. seù Monach. S. Benedicti, Indexque alter dat annos novem: nempe utrique numeris usi rotundis; quoniam Optatus expleto anno suæ sedis nono, decimum inchoaverat, qui electus fuerat mense Maji, anno 751. diemque obierat mense Junii, anno 760. ut ex subjecta constabit Tabula. Sunt verba Ostiensis. *Optatus Abbas septimo loco à B. Benedicto ordinatus, sedit annis decem. Hic fuit temporibus prædicti Constantini Imp. & Leonis filii ejus, & præfati Ducis Gisulfi, & Stephani 2. Papæ* (hic aliis est tertius). *Quo videlicet tempore Aistulfus Langobardorum Rex, & Ravennam cepit, & Romam per tres menses obsedit; qua de causa prædictus Pontifex Franciam ire compulsus est ad Excellentissimum Regem Pipinum*, & cætera, tum aliis, tum Erchemperto in Descriptione Postremorum quinque Regum Langobardorum Italiæ Num. 4. descripta. Sed observandum est, Ostiensem parem fecisse Optatum Beneventano Duci Gisulfo juniori, qui illum potiùs comparare debuisset, sicut Auctor fecit Chronici Langob. seu Monachor. cum Duce Luitprando, Gisulfi successore; verùm ipse vestigiis inhærens Pauli Diaconi, nullum videtur admisisse Luitprandum inter hunc Gisulfum, & Arichim secundum, sicuti alibi exposui; quod sanè demiror; namque etsi cætera de hoc omnia documenta eum fugissent, præfatum certè non latuit Chronicon, ut non uno doceor argumento. *Sed Abbas Optatus* (verba sunt Ostiensis ibidem) *completo sui temporis cursu defunctus est Prid. Non. Junii*: scilicet in anno 760.

Optatus sedit à Prid. Non. Maji ad Prid. Non. Jun. per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Opt.	An. Chr.	Ind.	Opt.
751	4	1	757	10	7
752	5	2	758	11	8
753	6	3	759	12	9
754	7	4	760	13	10
755	8	5	Annus 10. non exactus.		
756	9	6			

HERMERIS

In ann. 760.

QUi Ostiensi lib. 1. cap. 8. & Indici apud Codicem 202. hoc nomine appellatur, alteroque in Indice dicitur *Hermerius*, est *Ermerich* in Chron. Langob. seu Monach. S. Benedicti: eidemque solidum omnes imputant annum, cui dies, ut summum, adscribendi erant quadraginta quatuor; nam in Abbatia ille vixit à Prid. Non. Junii, quo decesserat Optatus, ad 15. Kal. Augusti, eodem an. 760. En verba Ostiensis. *Hermeris*, inquit, *Abbas octavus, sedit anno uno: temporibus supradicti Constantini Imp. & Leonis filii ejus, & Stephani Papæ 2. obiit autem 15. Kal. Augusti*. Iis autem omnibus unus imposuit Auctor præfati Chronici Langob. seu Monach. qui Ermerich parem fecit anno quarto Ducis, & Principis Arichis 2. (minus malè comparasset cum tertio) nimiaque verborum parcitate, ac rotundis dumtaxat annorum numeris pessimo consilio inæqualia tempora composuit, unde etiam in sequentibus nec unus, nec simplex ejus error manavit.

GRATIANUS

Ab ann. 760. ad ann. 764.

CÆteris omnibus dictus est, qui in Chronico Langob. seu Monach. nominatur. *Stephanus*; eique anni ibidem adscribuntur absolutè quatuor: quot etiam imputant ambo Indices, nec non Ostiensis in exemplari Cassinensi, & in Editionibus Veneta, & Parisiensi lib. 1. cap. 10. sed annis superaddentes alios menses quinque. Et quidem Gratianum quintum in Abbatia inchoasse annum, inficiari haud potest; quem defunctum 11. Kal. Septembris, idem tradit Auctor. Ad quam tamen diem à 15. Kal. Augusti, quo Hermeris ejus antecessor obiit, nisi mensis unus, & dies quinque cùm non dinumerentur, hinc intelligere est, apud Ostiensem, unde natus aliis error, ex librarii festinatione numerum, qui erat dierum, redditum fuisse mensium, intermediis vocibus prætermissis. Ipse verò æqualem faciens hunc Abbatem Regi Langobardorum Aistulfo, vitâ functo, omnium scriptorum consensu, in anno 756. memoriâ lapsus videtur; ait enim: *Gratianus Abbas à B. Benedicto nonus, sedit annis quatuor, mensibus quinque; temporibus Impe-*

Digitized by Google

ratorum, quos supradiximus, & prædicti Aistulfi Langobardorum Regis: Arichis quoque Beneventani Ducis, & Principis. Sanè Arichis institutus Dux fuit à Rege Langobardorum Desiderio, ut ex Pontificis Pauli I. epistola 4. declaratur; qui Regnum obtinuit ab antedicto anno 756. ad annum 774.

Gratianus sedit à 15. Kal. Aug. ad 11. Kal. Septembris per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Grat.	An. Chr.	Ind.	Grat.
760	13	1	763	1	4
761	14	2	764	2	5
762	15	3	Ann. 5. inchoatus.		

TOMICHIS

Ab an. 764. ad ann. 771.

ROtundos sex annos huic dat Chronicon Langobardorum, seu Monachorum, suo scilicet more; quibus Ostiensis lib. 1. cap. 10. exactiori calculo, summaque concordia omnium ejus Editionum, & scripti exemplaris, atque utriusque Indicis, addit menses 5. & dies 21. Sunt ejus verba: *Tomichis decimus Abbas, sedit annis sex, mensibus quinque, diebus viginti uno: obiit 8. Kal. Februarii.* Hoc pacto vixit ille ad Januarium usque, & annum 771.

Tomichis sedit ab 11. Kal. Septemb. ad 8. Kal. Febr. per subscriptos annos.

An. Ch.	Ind.	Tom.	An. Ch.	Ind.	Tom.
764	2	1	769	7	6
765	3	2	770	8	7
766	4	3	771	9	Continuat annus 7.
767	5	4			
768	6	5			

POTO

Ab ann. 771. ad ann. 778.

HUic etiam rotundè annos septem assignat Chronicon Langobardorum, seu Monachorum, sed Ostiensis subtiliori ratiocinio, ex fide scripti exemplaris, & antiquiorum Editionum, quibus concordat uterque Index, imputat supra annos septem, menses quinque; defunctumque perhibet 3. Kal. Julii (quarto habent editiones antedictæ) anno videlicet 778.

Poto sedit ab 8. Kal. Febr. ad 3. Kal. Julii per subscriptos annos.

An. Ch.	Ind.	Poto.	An. Ch.	Ind.	Poto.
771	9	1	776	14	6
772	10	2	777	15	7
773	11	3	778	1	8
774	12	4	An. 8. non exactus.		
775	13	5			

THEODEMAR

Ab an. 778. ad an. 797.

ABbatiam administravit solidis annis 19., consentientibus omnibus præfatis Chronologis; quibus insuper accedit Chronicon S. Vincentii ad Fontes Volturni lib. 1. his verbis. *Theodemar*, inquit, *decem & novem annis peractis, Gisulfus præficitur Abbas.* Index tamen apud amicum virum Camillum Tutinum minutiùs tempora supputans, ei dat *annos XIX* (certè restituendum *XIIX.*) *menses XI.* cujus quidem computus est tenendus; nam electus Theodemar fuit extrema die Junii, anno 778. obiit verò Nonis ejusdem mensis, ut perhibet Ostiensis lib. 1. cap. 15. & in anno 797. Ejus ævum cap. 11. his verbis ritè describit: *Theodemar*, inquit, *undecimo loco à B. Benedicto Abbatiam sortitus, sedit annis decem & novem. Fuit autem temporibus Imperatoris Leonis, qui & Zacharis* (dictus etiam *Isauricus, Conon*, & *Iconomachus*) *& Constantini, & Hirenæ matris ejus, atque Hadriani Papæ: Principum autem Beneventanorum, Arichis, & Grimoaldi filii ejus.* Hoc præsidente Abbate, Carolus Magnus apud Capuam cum præfato Beneventi Principe Arichi fœdere concordatus est; Romamque inde *revertens* (verba sunt ejusdem Ostiensis cap. 12. prædicti l. 1.) *causâ orationis ad B. Patrem Benedictum ascendit*: hoc est ad Monasterium Cassinense. *Tuncque* (pergit idem Auctor) *ab hoc primum Rege præfatus Abbas præceptum confirmationis de tota hac Terra recepit.* Eadem etiam repetuntur in superiùs laudato Chronico S. Vincentii loco prædicto, hac sententia: *Carolus Magnus inito fœdere cum Principe Arichi apud Capuam, redienſque Romam, adiit Cassinum, ubi plurima dona largitus, etiam quæ possidebant confirmavit.* Utrobique autem nullus rei gestæ denotatur annus. Sed Carolum Italicam expeditionem adversùs Arichim, sive dicas *Aragisum*, qui idem suscepisse in anno 786., Christique Natalibus Florentiæ celebratis, Romam citò cursu petiisse, indeque nullâ positâ morâ digressum, nempe in novo anno 787. Capuam processisse, initoque fœdere cum præfato Principe, atque exportato ejus filio Grimoaldo, Romam recessisse, ibique Paschia Domini celebrasse, differtè in Annalibus antiqui Poëtæ Saxonici de Gestis Caroli Magni, metricè descriptis, lib. 2. proditum est. In quam sententiam capiendus quoque est Petrus Bibliothecarius in abbreviata Historia Francorum, ab anno ducta 715. ad annum 898. perhibens expugnatam à Carolo Beneventum in anno 786. *victo*, inquit, (restituo *ducto*, sive *abducto*) *Grimualdo filio Aragisi.* Nec ab his aliena tradidere Auctores à me laudati ad primam partem Anonymi Salernitani, & præcipuè Auctor Annalium Francorum, quos Pithœus edidit; cùm ad annum jam dictum post consignatam Solis Eclypsim, factam 15. Kal. Octobris (an ritè eam notaverit, Astronomi judicabunt) mox subdit, Carolum ingressum Beneventum, hoc est in Provinciam Beneventanam, simulque Capuam venisse. Istaque scrupulosiùs noto, ne inobservatum præteream ejusdem Regis, qui diu post in Imperatorem à Pontifice Leone 3. fuit coronatus, Diploma, sive dicas Præceptum de confirmatione cujusdam concessionis factæ Monasterio Cassinensi à Spoletano Duce Hildebrando, exaratum in libro Privilegiorum ejusdem Monasterii pag. 60. à tergo, seu dicas in Registro elaborato à Petro Diacono, ut ipse de se testatur lib. 4. cap. 66. Auctarii ad Chronicon Ostiensis; quod datum asseritur 8. *Kal. Majas anno* 10. (*an.* 20.) *&* 14. *Regni Caroli Francorum, & Langobardorum Regis, & Romanorum Patritii. Indictione* 11. *in civitate Capua*, cum hujusmodi subscriptione Regis. *Carolus gratiâ Dei Imperator Augustus.* Quæ temporum designatio anno Christi competit 788. nomenque *Imperatoris Augusti* in multò posteriores referendum est annos. Carolus verò, ut ex Diplomate constat relato in Chronico S. Vincentii ad fon-

fontes Volturni lib. 1. Capuæ aderat 9. Kal. Aprilis anno 19. & 24. Regni sui, Francorum scilicet, & Langobardorum, qui fuit Christi 787. quo anno Pascha incidit in 6. Idus Aprilis; nec iterum in anno sequenti ad hæc loca illum se contulisse, tacentibus cæteris omnibus antiquis, facilè credam. Pro Diplomate stare tamen videtur Auctor Chronici Langobardorum, seu Monachorum S. Benedicti, perhibens advenisse *Carolum ad Monasterium Indictione XI.* quæ Indict. cum anno congruit 788. Verumtamen quoniam ab eodem Auctore adventus ille cum postremo anno comparatur Principis Arichis, qui certè ipse fuit Christi annus 787., ut alibi erit exponendum; itemque cum anno componitur nono hujus Abbatis Theodemaris, quem 3. Kal. Julii anno prædicto finitum constat, facilè hinc inferri potest, Indictionem eo in Chronico malè fuisse consignatam, quæ describenda fuerat X. Ex quo errore antiquus alter Cassinensis Monachus seductus, majoremque fidem adhibens depravatæ Indictioni, quam ibi consignato anno Principatus Arichis & Abbatiæ Theodemaris, Caroli præscriptum adventum in primum annum retulit Principatus Grimoaldi, filii præfati Arichis, qui planè fuit Christi 788. sed quàm absurdè, non est hujus loci aperire. Notula autem ejusce Ignoti Monachi in Codice 353. sic habet. *Primo anno Principatus Grimoaldi, qui post Arichis Principem extitit Princeps, venit Carolus Rex Beneventum.* Verùm tempore, quo Theodemar Cassinensi præsidebat Monasterio, *pulchro satis opere* (verba sunt Ostiensis lib. 1. cap. 15.) *constructa est Ecclesia S. Vincentii, quæ appellatur major, juxta ostium Volturni fluminis, à Josue Abbate ejusdem loci.* Quod tamen opus Joannes Diac. in Chronico ejusdem Monasterii initio Libri 1. ab Josue quidem excitatum perhibet, sed tunc minimè superstite Abbate Theodemari, cujus obitum, electionemque successoris Abbatis Gisulfi ad finem antecedentis libri exposuerat, qui sanè Prochronismus nisi ad ipsius Chronici consuetum in annis denotandis errorem, frequenterque ibi perturbatum rerum ordinem non sit adscribendus, utique in Ostiensis, sive in ejus librarii, & censoris imperitiam, quod magis sedet, erit referendus, qui hæc reddiderit loco non suo. Cæterùm hanc ipsam S. Vincentii majorem Ecclesiam constructam fuisse super triginta marmoreas columnas è Capua exportatas, nempe ex antiqua nondum in ultimos cineres versa, nec aliò traducta; idem prodit Joannes ibidem his verbis. *Pater Josue*, inquit, *simul cum universis Fratribus supplices se exhibentes Ludovico Imperatori, eum obnixè deposcunt, ut illis concederet Templum antiquissimum in territorio Capuano, quod maximis columnis, & diversis lapidibus ab antiquis fuerat institutum in loco ubi Sedes Imperatoris* (fortè, quòd in ea regione Carolus Magnus in anno 787. consedisset, de quo supra, & nonnihil ad Primam Partem Anonymi Salernitani Num. 2. adnotavi ad oram) *vel Cryptæ dicebantur*, &c. Dedicatam quoque illam addit Joannes à Romano Pontifice Paschali, præsente Ludovico metipso, ejusque uxore, haud multò ante conventum ab eodem Imperatore actum Aquisgrani; in quo, plurimis totius Franciæ Abbatibus, & Monachis convenientibus, septuagintaduo capitula sancita fuere Benedictini Ordinis observationi valde proficua. De qua temporum convenientia ipse viderit Joannes: de numero verò columnarum plures eas, ac quinquaginta fuisse, desumptasque è Templo Jovis, pridem in ejusdem Chronici antiquissimo exemplari legit Campanus Archiepiscopus Cæsar Costa Maceratensis, testatusque est in Notulis in muro Aulæ Archiepiscopalis Palatii una cum invento à se veteris urbis situ depictis *in ann. Christi* 1595. *suæ ætat.* 65. *Pontif.* 23. hoc quoque beneficio, post multa, ac præclara alia, universis civibus, & præcipuè antiquitatis studiosis, gratificatus.

Theodemar sedit à 3. Kal. Julii ad Non. Junii per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Theod.	An. Chr.	Ind.	Theod.
778	1	1	789	12	12
779	2	2	790	13	13
780	3	3	791	14	14
781	4	4	792	15	15
782	5	5	793	1	16
783	6	6	794	2	17
784	7	7	795	3	18
785	8	8	796	4	19
786	9	9	797	5	Continuat annus cavus 19
787	10	10			
788	11	11			

GISULFUS

Ab ann. 797. ad ann. 817.

NEmine ex antiquis discrepante, sedit annos 21. sed censendos non integros; siquidem electus fuit mense Junii (certè non ante) decessit autem 9. Kal. Januarii, ut Ostiensis tradit lib. 1. cap. 17. ex fide Neapolitanæ Editionis, & scripti Codicis; qua etiam die ejus obitus in antiquo Cassinensi Emortuali adnotatur. De anno tamen electionis haud eidem standum est Editioni, sed Venetæ, & Parisiensi: quæ conveniunt cum scripto exemplari, in quo hæc leguntur. *Gisulfus Abbas tentiusdecimus à B. Benedicto, ordinatus tempore Hadriani* 1. *anno Domini septingentesimo nonagesimo septimo, præfuit annis* 21. Ipse autem Ostiensis eo loci memoria, ut puto, lapsus, æqualem Gisulfo fecit Hadrianum pro Leone 3. & cap. seq. utrumque Pontificem cum Gisulfo comparavit, illum sedisse perhibens *tempore Beneventanorum Principum, præfati Grimoaldi, filii Arichis; & alterius Grimoaldi, cognomine Thesaurarii* (idem dictus est. *Storesaiz*) *Romanorum autem Pontificum Hadriani, & Leonis* 3. *Imperatorum verò suprædictorum Constantini, & Hirenæ.* Omnia rectè, si unum expunxisset Hadrianum. *Ultimo autem hujus Abbatis anno* (verba sunt Ostiensis) anno videlicet Christi 817. *Ludovicus Imperator, qui cognominatus est Almus, vel sanctus, filius Caroli Magni, quarto anno Imperii sui* (hic idem est Christi prænotatus annus 817.) *in Aquisgrani Palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus, Monachisque religiosis Conventum faciens, valde utilissima nostri ordinis observationi septuaginta & duo generalia Capitula constituit.* Hunc Conventum ad Christi annum jam dictum, & diem 6. Id. Julii cæteri Chronologi omnes cùm referant, ambigendum sanè non est, ab Ostiensi ad extremum annum Abbatis Gisulfi, ut repræsentavi, relatum recto ordine fuisse: minimè verò ad novissimum annum Abbatis Theodemaris, sicuti luxatus textus editionis Venetæ, & Parisiensis præsefert: nec ad quartum annum Abbatis Apollinaris,

naris, ut editio habet Neapolitana, sui scilicet perpetui ferè erroris in annis denotandis funem ducens; quem tamen Conventum in Notula ibi descripta ad oram libri, rectè, quo ad hoc, componit cum demonstrato jam anno 817.

Gisulfus sedit à Non. Junii ad 9. Kal. Januarii per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Gis.	An. Chr.	Ind.	Gis.
797	5	1	808	1	12
798	6	2	809	2	13
799	7	3	810	3	14
800	8	4	811	4	15
801	9	5	812	5	16
802	10	6	813	6	17
803	11	7	814	7	18
804	12	8	815	8	19
805	13	9	816	9	20
806	14	10	817	10	21
807	15	11			

APOLLINARIS

Ab ann. 817. *ad ann.* 828.

HIc, ut in antiquis omnibus monumentis (una Ostiensis Neapolitana editione excepta, quæ ei imputat annos 17. & à sincera scripti exemplaris lectione fœdiùs discrepans, profert *in anno Domini creatum octingentesimo decimotertio*) præfuit annis undecim, sunt verba Ostiensis. *Apollinaris Abbas quartodecimo loco, in Abbatiam prælatus sedit annis undecim: fuit autem temporibus Romanorum Pontificum Paschalis, & Eugenii, & Siconis, qui eodem anno Beneventi Princeps effectus est.* Hæc ille; qui æquiparavit Epocham Apollinaris Epochæ Principis Siconis, Chronicon secutus Langob. seu Monachor. S. Benedicti: quod sanè tenendum esse, chartula demonstrat in Registro Petri Diac. descripta pag. 185. quæ data habetur *Principatus Siconis anno primo, mense Novembrio, Indictione undecima*; hoc est Christi anno 817. quo Apollinaris Gisulfo fuit substitutus. Verumtamen ex ea dicendum cùm sit, sublimationem Siconis electionem præcessisse Apollinaris, quæ post diem 9. Kal. Januarii, & exeunte ipso anno 817. acta est, quid adversùs alteram Chartulam opponam, non habeo, in eodem Registro exaratam pag. 109. à tergo: atque tempore datam Principis Grimoaldi, ejusdemque Abbatis Apollinaris; nulla tamen adnotata nec die, nec Indictione, nec anno Principis; quæ de donatione est Cassinensi Monasterio facta *à quodam Dachenaldo, Capuano genere, de sua substantia in loco Canneto, & per alia diversa loca, Comitatu Cajazzano*: nisi dixerim, Notarium ex supina oscitantia nomen Principis haud multò ante demortui, pluriumque annorum spatio observatum, loco nominis novi Principis ex consuetudine ibi descripsisse; quo etiam errore, parique negligentia ni alias antiquas Chartulas crediderimus exaratas, & in iis exactos jam annos Principum, & Indictiones fuisse negligentissimè repetitas, nullam planè poterimus constantem ducere temporum, quæ ex Chartulis formetur, supputationem. Nec priscos Tabelliones tantam alere valuisse incuriam, negabunt, quibus ipsorum, non dicam ruditas morum, & imperitia linguæ latinæ (etsi munus illud excultioribus viris, & etiam Clericis demandari consuevit) sed crassa, & incauta simplicitas est bene cognita. Ostiensis autem præfatæ Chartulæ inconvenientiam cùm non advertisset, donationem Dachenaldi ad tempora retulit Abbatis Apollinaris, cujus nomen minimè ibi suppositum libet credere, sed nomen Principis; quoniam, ut ex hactenus ducta Chronologia constat, Abbatiam ipse suscepit exeunte anno 817. annumque suæ sedis agebat tertium, quando *Saraceni* (eodem perhibente Ostiensi lib. 1. c. 23. ex fide scripti Codicis, & editionis Venetæ, & Parisiensis) *à Babilonia, & Africa venientes, Siciliam ingressi sunt, & Panhormum ceperunt anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo vigesimo*. Nec te Neapolitana seducat editio, quæ id accidisse in anno septimo Apollinaris, eundemque Abbatem obiisse profert 5. *Kal. Decembris, anno Domini* 828. nullus cùm descriptus habeatur in præfato exemplari, nec in laudatis antiquioribus editionibus Christi annus, sed dies tantummodo ejus obitus, jam dictus.

Apollinaris sedit à 9. Kal. Januar. ad 5. Kal. Decembr. per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Apoll.	An. Chr.	Ind.	Apoll.
817	10	1	824	2	8
818	11	2	825	3	9
819	12	3	826	4	10
820	13	4	827	5	11
821	14	5	828	6	Continuat annus 11.
822	15	6			
823	1	7			

DEUSDEDIT

Ab an. 828. *ad an.* 834.

QUintusdecimus *Abbas, præfuit annis sex.* Ostiensis lib. 1. cap. 21. summa concordia editionum omnium, & scripti exemplaris; cui antiqua etiam alia monumenta favent. Hunc idem Auctor causâ pecuniæ à Beneventi Principe Sicardo (hic paulò ante patri Siconi successerat) captum, & custodiæ mancipatum tradit, Erchemperto inhærens Num. 13. Cujus obitum in diem referens septimum Idus Octobris, sedisse demonstrat incompletis annis sex, numerandis, ut citiùs, à 5. Kal. Decembris.

Deusdedit sedit à 5. Kal. Decembris ad 7. Id. Octobris per subscriptos annos

An. Chr.	Ind.	Deusd.	An. Chr.	Ind.	Deusd.
828	6	1	832	10	5
829	7	2	833	11	6
830	8	3	834	12	Continuat annus 6.
831	9	4			

HILDERICUS

In an. 834.

VEl eodem mense, quo electus, vel sequenti obiit hic Abbas, cùm sedisset diebus decem & septem; nam Ostiensis in exemplari Cassinensi, & in antiquioribus editionibus nec diem ejus obitus, nec annum, sed prædictum tantummodo administratæ Abbatiæ spatium adnotavit; cui Index concordat in Codice 202. necnon alter; qui tamen depravatè non dies, sed annos notat 17. Adeò autem brevem præfecturam omittendam censuit Auctor Chronici Langob. seu Monach. S. Benedicti, nomenque simul ejusdem Abbatis præteriit, qui Novembrem utique non excessit.

AUTH-

Digitized by Google

AUTHPERTUS

Ab an. 834. *ad an.* 837.

ORdine septimusdecimus Abbas, sedit annis tribus. Sic Ostiensis lib. 1. cap. 22. nulla editionum omnium, nec aliorum Auctorum discrepantia. Neapolitana tamen de suo addit, electum in anno 834., quod tamen verum. *Obiit* 10. *Kal. Martii*, ut idem Ostiensis perhibet, atque in anno 837. cùm sedisset quidem annis tribus, sed non integris.

Authpertus sedit à mense Novembri ad 10. Kal. Martii per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Auth.	An. Chr.	Ind.	Auth.
834	12	1	837	15	Continuat annus 3.
835	13	2			
836	14	3			

BASSACIUS

Ab an. 837. *ad an.* 856.

QUem ducta hactenus Chronologia, omnesque Ostiensis editiones, nec non Cassinense exemplar in annum conjiciunt 837. summa etiam monumentorum omnium concordia præsedit annis 19. (rotundo scilicet numero, nam aliis insuper sedit diebus 25.) testimonio etiam accedente Ignoti Cassinensis Num. 19. ex quo corrigas oportet in Chronico S. Vincentii ad fontes Volturni lib. 2. Bassacii sedem fuisse annorum XVIII. Ostiensis sunt verba l. 1. c. 23. *Bassacius Abbas à B. Benedicto octavusdecimus, ordinatus anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo septimo, sedit annis decem & novem*. Idemque Auctor statim. *Hujus tertio ordinationis anno, superstite adhuc præfato Principe Sicardo* (obiit Sicardus in anno 839. nec audiendus Sigebertus hæc gesta in annum referens 832.) *Corpus B. Apostoli Bartholomæi de Lyparitana Insula Beneventum translatum est*. Et iterum infra. *Fuit autem hic Abbas temporibus Romanorum Pontificum Sergii II. Leonis IV. Benedicti III., & Nicolai I. Principum verò Radelchis, & Siconulfi; sub quibus Principatus Beneventanus Capuanorum factione divisus est*. Omnia perite, sed unum Gregorii IV. nomen, Sergio II. præponendum, Ostiensi est omissum; qui cap. 25. sic pergit. *Septimo autem prædicti Abbatis anno* (scilicet anno decurrente 843. post Februarium) *præfatus Siconolfus ad B. Benedicti Monasterium veniens, sub præstationis nomine, Hispanis tribuendum Agarenis, universum ferè thesaurum, quem plures seu Reges, seu Principes religiosi ibidem contulerant, abstulit*. Baronius in annum hæc retulit 844. pro se hunc eundem Ostiensis locum laudans ad finem anni 843. *Decimo autem hujus Abbatis anno* (verba sunt Ostiensis lib. 1. cap. 26.) *Sergio Papa II. in Sede Apostolica Præsidente, à quo Ludovicus Imperator est coronatus; ingens Saracenorum multitudo ab Africa, classe Romam devecta, Ecclesiam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ex integro deprædati sunt*: hoc est in anno 846. in quem etiam impia ista facinora conferunt Annales Francorum editi à Pithœo, Ignoto simul Cassinensi descripta Num. 9. sed nulla addita anni nota. *Prædictus verò Abbas*, inquit idem Ostiensis lib. 1. cap. 31. *defunctus est* 18. *Kal. Aprilis*: nempe anno 856.

Bassacius sedit ab 16. Kal. Martii ad 16. Kal. Aprilis per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Bass.	847	10	11
837	15	1	848	11	12
838	1	2	849	12	13
839	2	3	850	13	14
840	3	4	851	14	15
841	4	5	852	15	16
842	5	6	853	1	17
843	6	7	854	2	18
844	7	8	855	3	19
845	8	9	856	4	Continuat annus 19.
846	9	10			

BERTHARIUS

Ab an. 856. *ad ann.* 883.

SAcerdos Bassacio successit, cujus fuerat discipulus; ut Ignotus Cassinensis tradit Num. 19. nec post multos ab Magistri obitu dies; namque supra annos 27. mensibus sedit 7. à Saracenis cæsus 11. Kal. Novembris, qui Monasterium tunc quoque devastarunt; quocirca electum dicendum est 12. Kal. Aprilis, cæsum verò in anno 883. mense antedicto. Nec de ejus sedis spatio variant Indices Abbatum ab Ostiensi, vel ab Ostiensis editionibus scriptum exemplar. ad cujus annum 19. substitit Chronicon Langob. seu Monachorum S. Benedicti. Verùm idem Ostiensis rem turbare, omnemque à se hactenus traditam Chronologiam, nisi aptè explicetur, videtur subvertere; libro enim 1. cap. 43. mutuo consensu omnium Codicum, Bertharii necem in annum 884. apertis refert verbis; hoc excepto, quòd Veneta, & Parisiensis editiones exactos notant *à Petronace usque in illud tempus* (obitus nempe Bertharii) *annos* 166. nam ejusmodi annorum collectio minimè legitur in calamo exarato exemplari, nec in novissima editione Neapolitana: quot sanè anni à primo anno Petronacis, qui fuit Christi 726. non ad antedictum 884. sed ad annum 885. dinumerantur. Eadem verò annorum summa descripta olim quoque fuit in quodam membranaceo antiquo Codice Monasterii S. Mariæ Monialium Campanæ urbis, subductaque adseritur *juxta computum Abbatum*. Hæc nihilominus facilè removebimus impedimenta, si Bertharii mortem relatam fuisse observabimus in annum 884. dinumeratosque annos 166. ab Petronacis Æra ad ejus obitum, haud ex alia rei gestæ majori scientia, quàm ex prædicto calculo, ducto per annos Abbatum, atque juxta ordinem in Chronico Langob. seu Monachorum S. Benedicti observatum; in quo à primo anno Petronacis ad annum decimumnonum Bertharii supputantur anni, certè cavi, pro solidis, 157. quibus si addantur alii anni novem, nam Bertharius ad annum suæ sedis 28. non exactum pervenit, prædictam habebimus summam annorum 166. sicut ex ducta hactenus Chronologia, & ex Abbatum intervallis ritè digestis apparet. Bertharii verò cædes ad improbæ præfatæ summæ normam in annum referenda cùm fuisset 885. relata nihilominus apud Ostiensem videtur in annum 884. quoniam annus Abbatiæ Hermeris, qui non solidus, sed paucorum fuit dierum, diligentiori ratiocinio detractus ex ea est, istaque summa reputata annorum 165. qui, ut dixi, computandi fuerant 164. illaque clades in annum rejicienda 883. A qua nec ipse abhorret sententia Ostiensis in Proœmio lib. 1. & lib. 2. cap. 1. annos dinumerans 67. ab hac Monasterii eversione

sione ad Abbatem Aligernum, quem electum constat 8. Kal. Novembris: nempe anno 949., ut ibi dicam; à quo retrocedendo ad annum 883. numerantur sanè jam dicti anni 67. ipso scilicet anno patratæ cladis in eadem summa collecto. Hanc autem, quam dico, germanam fuisse Ostiensis mentem, hinc etiam liquet, quòd ipse peremptum à Saracenis Bertharium dicat 11. *Kal. Novembris, Indictione secunda*, quæ Indictio ab antecedente mense Septembri numerari cœpta, annum 883. adeò certo argumento demonstrat, ut nullus jam de hoc dubitandi restet locus; sitque firmiter tenendum, annum ibi 884. ab recentiori aliquo, munus censoris non semel sibi usurpatum obeunte, fuisse suppositum; qui à præfata collectione annorum 166. à se ad annos redacta 165. fuerat malè persuasus. Quæ etiam censura olim quoque recognitam non dubito Historiam Erchemperti in omnium antiquissimo Vaticano Codice num. mihi 61. quo loco idipsum de Monasterio S. Benedicti à Saracenis devastato in anno 884. perhibetur: talenamque Erchemperti exemplar minimè Auctoris esse Autographum in Historia expositum est Principum Langobardorum, rem autem, ut opportuna hac occasione magis confirmem, ex verbis demonstro ejusdem Erchemperti num. 27. *Non multum post*, inquit, *Lando dira Paralysi percutitur*, &c. quæ Vaticanus, & ex illo cæteri Codices omnes, non hac forma, quam Latini sermonis lex dictat, sed legunt *post Landonem*, ex errore utique hinc nato, quod quisquis ille censor *ω post*, putaverit ad Landonis mortem spectare, non autem ad mortem Landenulfi enarratam numero præcedenti: locum vide, & expende. Cæso itaque à Saracenis Berthario, atque direpto, succensoque Monasterio, ut Ostiensis verba usurpem loco jam relato, 11. *Kal. Novembris, Indictione secunda, Monachi quidquid supellectilis, vel thesauri, seu & muniminum* (Privilegiorum scilicet, & Chartularum) *Monasterii surripere potuerunt, assumentes, unà cum Donno Angelario tunc temporis eorum Præposito Teanum habitaturi proficiscuntur; eundemque Angelarium sibi constituunt Abbatem in Cella* (Monasteriola, quæ proprios, ac peculiares Abbates non habebant, sed juris erant alterius Monasterii, vel etiam prædia cum adjunctis Ecclesiis, hoc nomine demonstrabantur) *quæ ad Patris Benedicti honorem dudum ibi constructa fuerat, manere cœpere*. Hæc ille. Latêre autem Lectorem non debet, in Chronico Sancti Vincentii ad fontes Volturni lib. 3. Bertharii obitum referri ad ann. 882., & ad Indictionem 15. *residente in Sede Apostolica Joanne: apud Constantinopolim imperante Basilio; Italiæ verò Hludovico filio Lotharii*, quæ temporum comparatio, reique gestæ consignatio est prorsus respuenda; nam mense Octobri, quo Bertharium cæsum non ambigitur, annoque jam descripto, haud Indictio 15., sed censebatur 1. nec tunc Ludovicus in vivis agebat: talisque planè assertio nec alium habet inter antiquos ullum Auctorem. Eodem autem in Chronico pari etiam negligentia asseritur, Cassinense tunc simul Monasterium devastatum, peremptumque Bertharium, *ac Monachorum præfati Monasterii S. Vincentii cædem factam à Saracenis die* 10. *mensis Octobris, Feria* 3. *ab ædificatione ipsius Monasterii anno* 165. (in Petronace monui primitus constructum fuisse hoc Monasterium in anno 705.) Qui characteres anno competunt 870. minimè verò consignato ibi anno 882., nec 883. nec 884. In quo sanè anno 870. Basilius Orientale, Ludovicus 2. Lotharii filius, Occidentale obtinebant Imperium: Hadrianus autem, non Joannes Petri Cathedram tenebat, qui Hadriano suffectus est in anno 872. Et quidem de anno eversi Monasterii S. Vincentii video antiquos parum apertè, nec concorditer loquutos; nam Ostiensis lib. 1. c. 34. Ignoto Cassinensi num. 30. inhærens, devastatum illud tradit à Saracenorum Rege Seodamo; nempe ante novissimum in hanc Cis-Tyberinam Italiam præfati Imperatoris Ludovici adventum, & annum 766. Erchempertus autem num. 44. id adscripsit Saracenis, qui ab Athanasio Episcopo Neapolis, *exulato fratre proprio, Duce Sergio*, acciti fuere, hoc est non ante annum 879. ni magis placeat, Erchempertum universa illa immania facinora à Saracenis vel recentiùs, vel antiquiùs patrata in unum sermonem contulisse; quod facilè cùm admittam, Ostiensis tamen pronunciatum cum S. Vincentii Chronico manifestè etiam pugnat. Sed de his satis.

Bertharius sedit ab 16. Kal. Aprilis ad 11. Kal. Novembris per subscriptos annos.

An.	Ch.	Ind.	Berth.	An.	Ch.	Ind.	Berth.
856		4	1	871		4	16
857		5	2	872		5	17
858	C	6	3	873		6	18
859		7	4	874		7	19
860		8	5	875		8	20
861		9	6	876		9	21
862		10	7	877		10	22
863		11	8	878		11	23
864		12	9	879		12	24
865		13	10	880		13	25
866		14	11	881		14	26
867		15	12	882		15	27
868		1	13	883		1	28
869		2	14	Annus 28. non exara-			
870		3	15	tus, inchoata Ind. 2.			

ANGELARIUS

Ab ann. 883. *ad ann.* 889.

Abbas à B. Benedicto vicesimus, sedit annis sex. Ostiensis lib. 1. cap. 45. omnium ejus Codicum, & utriusque Indicis consensu. De hoc Abbate idem Ostiensis paulò post. *Fuit*, inquit, *temporibus Ajonis Principis Beneventani, & Stephani 5. Papæ, & successoris ejus Formosi*, sic quidem, non autem, *prædecessoris*, ut habent priores editiones ab scripto exemplari variantes. Et planè Angelarius ad Formosi minimè pervênit sedem, æqualis cùm fuerit Principi Beneventano Ajoni, & Stephano 5 ejusque etiam antecessori Hadriano 3. Principisque Radelchis 2., qui in anno ejectus est 884., extremum tantummodo attigerit annum. *Post biennium autem* (nempe, inchoato tertio anno ab everso Monasterio, & à suscepta ab Angelario Abbatia: hoc est in anno 886. ut Erchempertus quoque perhibet Num. 61.) *hic Abbas cœpit paulatim restaurare Monasterium Domini Salvatoris, quod à Saracenis incensum superiùs diximus*. Hæc Ostiensis loco ante relato; sed planè oblitus quæ dixerat lib. 1. cap. 43. *Domini Salvatoris Ecclesiam diversis in locis igne submisso exurere Saracenos molitos, Dei judicio, id perficere nequivisse; eamque solùm de tanto Monasterio eorum*

rum flammis fuisse ereptam. Erchempertus quidem ubi supra, *Monasterium S. Benedicti cœptum reædificari mense Augusti* tradit, à quo Ostiensis ista videtur mutuatus, qui diem obitus Angelarii sic consignat. *Prædictus*, inquit, *Abbas defuncto his diebus Episcopo Teanensis Ecclesiæ, in eadem civitate à Clero, & Populo electus, & ordinatus est; ubi etiam defunctus est, & sepultus Nonis Decembris*, anno videlicet 889. deque die ejus obitus concordat antiquum Cassinense Emortuale.

Angelarius sedit ab 11. Kal. Septembris ad Non. Decembris per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Angel.	An. Chr.	Ind.	Angel.
883	1	1	888	6	6
884	2	2	889	7	Continuat annus 6. Abb. Angelarii.
885	3	3			
886	4	4			
887	5	5			

RAGEMPRANDUS

Ab ann. 890. *ad ann.* 899.

Primo & vicesimo loco Abbas electus, in eodem Monasterio Teanensi sedit annis novem, mensibus decem. Sic Ostiensis lib. 1. cap. 46. nulla Codicum ejus varietate; à cujus dicto nec discrepat Index in Codice 202., verùm alter addit alios dies quinque; ut hinc intelligamus hujus Abbatis annos numerandos à Kal. Januarii, & ab anno 890. ad 8. Idus Novembris, & ad annum 899. qua die defunctum illum, sedemque vacasse spatio ferè duorum mensium perhibet idem Ostiensis lib. 1. cap. 49. *Hujus autem Abbatis septimo anno* (præfati quoque Auctoris sunt verba lib. 1. cap. 47. invicem consentientibus scripto, & editis codicibus) *Indictione decimaquarta* (Christi scilicet anno 896.) *Monasterium, quo in Teano Fratres degere cœperant, occulto Dei judicio, ab igne crematum est*. Quæ temporis consignatio cùm optimè consistat, exque ea cùm constet, Ragemprandum in anno, ut dictum est, electum 890., annum minimè esse supergressum 899., dilucidissimè hinc quoque fit manifestum, deformissimam in omnibus Ostiensis Codicibus luxationem insidere lib. 1. cap. 46., quo loco inconvenientissimè nunc legitur, Erchempertum, qui post Paulum Diac. Historiam scripsit Langobardorum, Monachum induisse apud Teanum sub hoc Ragemprando; quod, ut seriùs, sedente Abb. Angelario contigisse pluribus ad ejusdem Erchemperti Historiam est probatum. Eodemque sanè vitio laborare videtur, quod ibidem de Privilegio dicitur à Papa Joanne 9. indulto Monasterio Cassinensi, petente præfato Ragemprando; quorum disparitas est perquam clara; nam Joannes in Petri Cathedra sedit ab anno 901., quo Benedicti sedem tenebat Leo, Ragemprandi successor.

Ragemprandus sedit à Kal. Januarii ad 8. Idus Novembris per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Rag.	An. Chr.	Ind.	Rag.
890	8	1	896	14	7
891	9	2	897	15	8
892	10	3	898	1	9
893	11	4	899	2	10
894	12	5	Annus Ragemprandi 10. non exactus.		
895	13	6			

LEO

Ab ann. 900. *ad ann.* 915.

Hujus etiam anni computantur à Kal. Januarii, & ab ineunte anno, qui proximè subsequutus est obitum Ragemprandi; quos numero quindecim, additis insuper mensibus septem, fecit Ostiensis lib. 1. c. 50. & Index in Codice 202. sed Index alter alios dies cumulat decem & septem: quot planè in solidum computantur anni, menses, & dies à prædicta die Kalendarum Januarii, & ab anno 900. ad diem 16. Kal. Septembris, qua illum defunctum idem Auctor tradit ex fide scripti exemplaris, & priorum editionum, & ad annum 915. Sunt ejus verba loco relato. *Leo vicesimus secundus Abbas, similiter apud Teanum sedit annis quindecim, mensibus septem: temporibus Leonis Imperatoris, & Papæ Christophori, qui de Papatu expulsus, & monachus factus est; nec non & Sergii 3. Papæ*. Idem post. *Defunctus verò est prædictus Abbas 16. Kal. Septembris. Uterque autem, Ragemprandus videlicet, atque Leo, in ipso Teanensi Cœnobio, ubi commorati sunt, ibi & defuncti, & sepulti sunt*. Hæc Ostiensis, cujus indiligentiæ minimè adscribendum puto, Abbatem Leonem Papæ dumtaxat Christophoro, & Sergio 3. æquiparari, omissis Joanne 9., Benedicto 4., Joanne 10., aliisque; sed ejus sæpiùs dicto censori potiùs tribuo; ad cujus culpam nec refero, perhiberi loco jam dicto, *Leonem quinto anno ordinationis suæ* (scilicet Christi 904.) *cœpisse reædificare Monasterium Cassinense, quod per XXVII. annos penitùs fuerat destitutum*, sicut scriptus Codex, & editio Veneta, & Parisiensis præseferunt; nam anni ejusce vastitatis, qui non plures fuerunt, quàm XXII. quot ab anno dinumerantur 883. ad modò dictum annum 904. ex librarii firmiter culpa in eam summam excessere, numerali nota V. importunè superaddita. E qua mendosa, & antiquitus corrupta scriptura similis annorum collectio in Codicem aliàs dictum S. Mariæ Monialium urbis Capuæ manavit, ipsum quidem sub ætate exaratum ejusdem Monasterii Abbatissæ SiKelgardæ de Petruro, quæ ab anno sedit 1123.

Leo sedit à Kal. Januarii ad 16. Kal. Septembris per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Leo.	An. Chr.	Ind.	Leo.
900.	3	1	909	12	10
901	4	2	910	13	11
902	5	3	911	14	12
903	6	4	912	15	13
904	7	5	913	1	14
905	8	6	914	2	15
906	9	7	915	3	16
907	10	8	Annus Leonis 16. non exactus.		
908	11	9			

JOANNES

Ab ann. 915. *ad ann.* 934.

Cum esset Capuæ Archidiaconus, & ut alibi exposui, Principum Landulfi 1. & Atenulfi 2. consanguineus, *cùmque aliquanto tempore* (dicam cum Ostiensi lib. 1. cap. 52.) *Congregatio Monachorum, quæ Teani consistebat, pastore esset proprio destituta, nec inveniretur inter eos aliquis hujusmodi, qui tantæ*

Prælationi esset idoneus, tunc prædicti Capuani Principes ineuntes consilium, illum adierunt, ac tam monitis, quàm precibus, ut ejusdem Congregationis regimen reciperet, compulere. Quo tandem annuente, mox Monachus factus, nec multò post à Fratribus universis juxta morem electus, atque à Donno Joanne Papa 10. *honorificè consecratus est*. Hactenus Ostiensis; hoc sermone non ambiguè declarans à Leonis obitu ad Joannis electionem sedem vacasse aliquanto tempore; cui tamen Joanni annos imputans *decem & novem, & menses septem*, quot pariter illi assignat Index in Codice 202. nec non Index alter, alios superaddens dies decem; ejusque successorem Adelpertum ordinatum tradens, ut in MS. est exemplari, & in editionibus Veneta, & Parisiensi, *anno Domini* 934. *die sexto post ipsius depositionem*, seu dicas obitum, qui in diem incidit Prid. Kal. Aprilis, eodem testante Auctore lib. 1. cap. 53. tantum abest, ut Joannis electionem aliquandiu dilatam fuisse consentiat, ut nec ipsos quidem annos *XIX*. & menses septem, à se ei assignatos, sed annos tantùm *XIIX*. (quæ sincera ejus loci erit lectio) & menses, diesque jam dictos illum sedisse admittat: numerandos ab 11. Kal. Septembris; diebus scilicet quinque à Leonis morte delapsis. Quo propemodum tempore Saraceni ad flumen Garilianum, olim Lyrim, ingenti nostratium victoria cæsi, *& funditus*, ut idem perhibet Auctor, *de partibus istis eliminati sunt, anno Incarnationis Dominicæ* 915. *Indictione* 3. *mense Augusto*. Hujus autem Abbatis intervallum cum anno electionis successoris ejus Adelperti superiùs descripto cùm aptissimè congruat, pugnat sibi Ostiensis perhibens, *circa dies obitus Abbatis Joannis expulsum fuisse à Romanis supradictum Papam Joannem, invasorem Apostolicæ Sedis, & Leonem sextum ordinatum*: quod in annum 928. rejiciunt Ecclesiasticorum Annalium scriptores. At istam inconvenientiam in caput etiam referendam esse pluries dicti censoris, pro certo habeo. *Joannes autem factus Abbas* (inquit idem Auctor) *cœpit monere Fratres, ut relicto Teano CAPUAM habitaturi secum pariter pergerent: Quæ videlicet civitas, & circumpositarum civitatum primaria esset, & in ipsa Domini ejusdem patriæ, Principes habitarent. Qui obsecundantes ejus imperio, Capuam omnes simul habitaturi profecti sunt*. Hanc sanè transmigrationem haud ad Monachorum dumtaxat, sed ad Principum simul commodum, & utilitatem factam, epistola declaratur Papæ Agapeti 2. ad Principem Landulfum 2. in Registro exarata Petri Diac. pag. 7. à tergo; qua ei exprobrat Agapetus, *Monasterium à Principe Landulfo* (scilicet jam dicto, ipsiusque Landulfi 2. patre) *intra Capuanam civitatem ædificatum, non ob Dei reverentiam, sed ob temporalis gloriæ cupiditatem: & ut ipse Princeps totius possessionem jam dicti Monasterii suis, quasi hæreditario jure relinqueret*, & cætera plura in eandem sententiam.

Joannes sedit ab 11. Kal. Septembris ad Prid. Kal. Aprilis per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Joann.	An. Chr.	Ind.	Joann.
915	3	1	921	9	7
916	4	2	922	10	8
917	5	3	923	11	9
918	6	4	924	12	10
919	7	5	925	13	11
920	8	6	926	14	12
927	15	13	932	5	18
928	1	14	933	6	19
929	2	15	934	7	Continuat ann. 19. non exact.
930	3	16			
931	4	17			

ADELPERTUS

Ab ann. 934. *ad ann.* 943.

Vicesimusquartus Abbas anno Domini nongentesimo trigesimoquarto, die sexto post depositionem sui prædecessoris ab universis Fratribus ordinatus, sedit annis novem, ibique apud Capuam commoratus est, & defunctus. Fuit autem temporibus Stephani 7. *Papæ, & Joannis Papæ* 11. *qui fuit filius Sergii Papæ*. Hæc Ostiensis lib. 1. cap. 58. ex Editione Veneta, & Parisiensi, & ex fide scripti exemplaris; deque tempore sedis Adelperti concordat etiam Neapolitana editio, & uterque Index. Pergit autem idem Auctor. *Quarto*, inquit, *ejusdem Abbatis anno, Indictione decima* (sic habet scriptus Codex, & priores editiones) *venientes innumerabiles Hungari super Capuam, omnia in circuitu ipsius deprædati sunt*. Qui characteres anno competunt 937. estque idem annus restituendus in Chronico Lupi Protospatæ, aliis multis, variisque etiam mendis depravato, in quo Capuæ hæc clades ad annum notatur antecedentem. At Ostiensis æqualem faciens Adelpertum Pontificibus Stephano 7. & Joanni 11. ex eadem supputatione videtur seductus (si modò ei hæc sint tribuenda) qua sibi persuaserat prædecessorem Joannem obiisse circa dies, quibus Papa Joannes 10. expulsus è Romana sede fuerat. Abbatiam igitur tenuit Adelpertus ab 8. Idus Aprilis anni 934. ad exeuntem annum 942. annis videlicet novem non integris, nam annum 943. non attigit, ut dicam infra.

Adelpertus sedit ab 8. Id. April. ad extremum Decembrem per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Adel.	An. Chr.	Ind.	Adel.
934	7	1	940	13	7
935	8	2	941	14	8
936	9	3	942	15	9
937	10	4	Annus 9. non exactus, exacto tamen anno Christi 942.		
938	11	5			
939	12	6			

BALDOINUS

Ab ann. 943. *ad ann.* 944.

ABbatiæ præsidebat 3. *Kal. Februarii, anno* 43. *Principatus Landulfi.* 10. *anno Princ. Atenulfi filii ejus.* 4. *anno Landulfi filii prædicti Landulfi. Indictione.* 1. (hic est annus Christi 943. ut alibi) qua die à præfato Principe Landulfo, patre, bonorum Monasterii possessionem, & Abbatiam confirmatam ei fuisse, ac simul restitutam Ecclesiam S. Sophiæ, positam in urbe Beneventi, bina declarant Diplomata in Registro Petri Diaconi descripta: alterum pag. 172. alterum pag. 116. à tergo. De qua restitutione habet etiam Ostiensis lib. 1. c. 57. initio; ibidemque & capite antecedenti Baldoinum appositè æqualem facit Papæ Marino: verùm sedisse illum cùm dicit temporibus prædictorum à se Principum, *Landulfi, & Atenulfi*; illorum scilicet fratrum, sub quibus vixisse Abbatem Joannem, pridem adnotaverat, auctoritate refellitur præfatorum

Di-

Digitized by Google

Diplomatum, aliorumque monumentorum; ex quibus conſtat, Principem hunc Atenulfum, Baldoino parem, minimè fratrem, ſed filium fuiſſe præmemorati à ſe Landulfi, hujus nominis primi. Quinimmo errore ſanè majori eodem cap. 57. (ni ejus cenſori & hæc ſint imputanda) perhibet, Pontificem Agapetum, qui in anno, ut volunt, 946. ſucceſſit Papæ Marino, ob hujus Abbatis Baldoini conqueſtus, literas dediſſe *prædictis Principibus* (eoſdem germanos fratres deſignans, præter quos non alios meminerat) de reſtituenda iterum Caſſinenſibus præfata Eccleſia, ab ipſis rurſus pervaſa, *in anno videlicet 32. Imp. Conſtantini; anno 6. Principatus Landulfi; & 2. Principatus Paldulfi filii ejus* (hic fuit Chriſti 945.) etiam cum cauſæ cognitione, quæ in Libello Judicii ſcripta, in Archivo prædictæ Eccleſiæ S. Sophiæ adſervatur; quandoquidem in ſuperiùs dicta Epiſtola præmemorati Pontificis de ea re data ad Principem Landulfum, ipſe Landulfus dicitur filius ejuſdem Principis Landulfi, quo auctore Monachorum Caſſinenſium Congregatio Capuam migravit. Et ſanè tempore Papæ Agapeti, haud primus, ſed ſecundus Landulfus, hoc eſt primi filius extitit Princeps, de quo ſuo loco fuſiùs: Abbas autem Baldoinus ſub Agapeto minimè jam Caſſinenſi præſedit Abbatiæ, ut paulò poſt dicam. Diſſimulandum tamen non eſt, Petrum Diac. ſuo in Regiſtro pag. 31. pro hac à me expoſita ſententia aperto ſermone ſtare, quam nihilominus nullo alio, niſi ſimplicis ſuæ aſſertionis, demonſtrat argumento. Sed Oſtienſis, vel ejus dicas antiquus cenſor, iterum lapſus videtur cap. 58. dicens, *Papam Agapetum per ſuggeſtionem Abbatis* (de Baldoino erat ſermo) *mandaſſe præfatis Principibus* (nec dum alios, quàm germanos illos fratres Landulfum 1. & Atenulfum 2. demonſtraverat) *ut nullam in Caſſinenſi Monaſterio dominationem exercere præſumerent: Monachis verò tunc Capuæ degentibus, ut ad proprium Cœnobium univerſi redirent*. Et inſuper perhibens, *præfatum Abbatem* (Baldoinum quoque indicans) *Privilegium acquiſiviſſe ab eodem Pontifice de Monaſterio juxta Terracinam*. Nam Agapetum Monachos ad Caſſinum revocaſſe, literaſque de ea re dediſſe ad Principem Landulfum 2. filium Landulfi 1. defuncto patre, atque ſedente Abb. Majelpoto, Balduini ſucceſſore, eorumdem Principum ritè depoſita convincit Chronologia: ſimulque annorum Romanorum Pontificum ordo cum ordine collatus Abbatum Caſſinenſium, manifeſtè probat; æqualis cùm fuerit Agapetus non Baldoino, ſed Majelpoto, qui ab anno 946. in Petri Cathedra ſedit; Baldoinus autem in anno, ut ſummum, 944. à Pontifice Marino è Caſſinenſi Abbatia ad Abbatiam S. Pauli, ac Romam fuerit translatus: duobus enim annis Caſſinenſem Baldoinus rexit Abbatiam, ut prodit Neapolitana Oſtienſis editio, ſcriptum exemplar ſincerè repræſentans (priores editiones nullum illius notant tempus, nec Index in Codice 202.) ſed iis annis non integris, ut conſtabit in Majelpoto; qui in præſcripto anno 944. menſe Auguſto Abbatiam adminiſtrabat. Verùm ſi Baldoini ſpatium ſex tantummodo menſium fuiſſe cum altero Abbatum Indice dixerimus, utique nec annum ille tranſgreſſus fuiſſet 943. atque ab Agapeti Æra longiùs diſceſſiſſet, vacante interim Abbatia ad ſequentem uſque annum, ob res, fortè, Principum inſolentia, & avara ambitione perturbatas.

A Siquis autem Baldoinum putaverit ſex tantùm menſibus Abbatiæ munus præſentem exercuiſſe, at reliquo tempore, ad electionem uſque Majelpoti, abſentem, degentemque Romæ, donec eam omnino dimiſit, non equidem repugnabo.

Baldoinus ſedit à menſe ferè Januario ad menſem ferè Auguſtum per ſubſcriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Bald.	
943	1	1	
944	2	2	annus 2. non exactus.

MAJELPOTUS

Ab ann. 944. ad ann. 949.

B Sive *Magelpotus*, ut pleriſque etiam in antiquis Chartulis dictus reperitur, confirmationem bonorum Abbatiæ ſuſcepit, quod ex Diplomate apparet exarato in Regiſtro Petri Diac. pag. 117. *à Principibus Landulfo* (ſcilicet 2.) *& à Paldulfo ejus filio*, (idem poſtea appellatus eſt *Caputferreus*) *intervenientе Adelperto Capuæ Epiſcopo, ſub die 3. Kal. Septembris, anno 5. Principatus Landulfi: 2. anno Princ. Paldulfi filii ejus, Indictione 2.* Hic fuit annus Chriſti 944. deceſſerat enim Landulfus primus in anno 943. in quam ſententiam reſtituendum eſt Chronicon Lupi Protoſpatæ ad annum 942. eodemque vivente C Principe, cœperat Landulfus iſte ſecundus ſimul appellari Princeps. Ex hoc autem redarguas oportet Oſtienſem lib. 1. cap. 59. Editionis Neapolitanæ, ſed cap. 63. Editionis Venetæ, & Pariſienſis, ſive ejus potiùs dicam cenſorem in MS. etiam exemplari perhibentem, Principem hunc Landulfum, qui Majelpoto Abbatiam confirmavit, illum metipſum fuiſſe alia occaſione ſibi priùs memoratum, nempe hujus nominis primum, ſecundi Landulfi patrem, Atenulfi primi fratrem, filiumque Atenulfi primi. Quæ ſanè inconvenientia adſcribenda minimè videtur Oſtienſi, qui loco prædicto Landulfum hunc, Majelpoto æqualem, fecit quoque parem Abbati Aligerno, atque hac ratione non à primo, ſed à ſecundo Landulfo Abbatiam Majelpoto confirmatam demonſtravit: ſecundus enim fuit Aligerno coævus, ut dicetur infra, non primus. Cæterùm ſit ne eidem Auctori imputandum, quòd in Caſſinenſi Codice vitioſè legatur, ſediſſe Majelpotum tempore Imperatorum Conſtantini, & Nicephori (ſolius Nicephori habent Veneta, & Pariſienſis Editiones: Neapolitana ſolius Conſtantini: bene) conſtanter non dicam; cui tamen Abbati cum eodem Oſtienſi annos do ſex, quot pariter ei aſſignat uterque Index, ſed cenſendos non integros, ſic Aligerni Epocha dictante, qui in Abbatem electus fuit 8. Kal. Novembris, anno 949. ut mox demonſtrabitur. Qua autem die præſens Abbas vita diſceſſerit, nullus ex antiquis teſtatum reliquit. E

Majelpotus ſedit à menſe ferè Auguſto ad menſem ferè Octobrem per ſubſcriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Majel.	An. Chr.	Ind.	Majel.
944	2	1	948	6	5
945	3	2	949	7	6
946	4	3	annus 6. non exactus.		
947	5	4			

Digitized by Google

ALIGERNUS

Ab ann. 949. ad ann. 986.

Post transitum supradicti Abbatis Majelpoti, cùm convenissent in Capitulo Monasterii Capuani Donnus Aldebertus egregius Præsul Ecclesiæ Capuanæ, & Donnus Arderícus Episcopus, Leo quoque venerabilis Abbas S. Martyris Christi Vincentii, nec non & nobilissimi Judices prædictæ civitatis, Arechis, & Saldefrid, & Adenulfus Castaldeus, 8. Kal. Novembris, omnibus unanimiter annuentibus, atque laudantibus, electus est ab universis Fratribus cum maximo gaudio, atque lætitia in Abbatem. Sic Ostiensis lib. 1. cap. 59. qui dein lib. 2. cap. 1. illius spatium his verbis consignat. *Aligernus Abbas*, inquit, *septimo ac viceſimo loco à B. Benedicto in hoc Monasterio feliciter ordinatus, sedit annis triginta septem* (lectio hæc est è MS. Codice, & ex Veneto, & Parisiensi) *Fuit autem temporibus primi, & Magni Ottonis Imperatoris, & filii ejus secundi Ottonis. Principum verò Capuanorum Landulfi* (nempe 2.) *& Pandulfi filii ejus, cui cognomen Caputferreum fuit, & fratris ejus Landulfi* (scilicet 3. qui cum prædicto Pandulfo communi nomine, ut alibi dixi, sed divisis sortibus, videtur regnasse) *& item filii Landulfi* (hujus nominis 4.) *Romanorum quoque Pontificum à Joanne 12. usque ad Joannem 15.* unus deest Pr. Landenulfus: cætera bene; deque tempore sedis Aligerni consentit Index in Cod. 202. sed alter addit dies *XII.* qui fuerunt *XXIX.* nam eodem tradente Ostiensi lib. 2 cap. 11. *depositus est prædictus Abbas 9. Kal. Decembris. Qui* (sic idem Auctor loco paulò superiùs relato) *super id, quod Leo, atque Joannes Monasterii hujus Abbates olim incœperant, restaurare cœpit hunc locum: qui nimirum à tempore Abb. Bertharii, quo à Saracenis incensus est, per septem & sexaginta circiter annos usque ad se neglectus, ac destitutus, ac quasi desolatus penitùs fuerat.* Hæc annorum summa ductæ à me Chronologiæ aptissimè quadrat. *Quinto autem hujus Abbatis anno*, inquit idem Ostiensis lib. 2. cap. 5. juxta editionem Venetam, & Parisiensem, atque scriptum Codicem) *qui est à Nativitate Domini nongentesimus quinquagesimus quartus, Beatissimi Apostoli & Evangelistæ Matthæi corpus Salernum translatum est*, die scilicet 6. Maji, ut in ejusdem Translationis Actis legitur. Iterum idem Auctor lib. 2. cap. 9. *Hujus etiam Abbatis*, inquit, *nonodecimo anno* (hoc est Christi 968.) *Joannes Papa* (scilicet 13.) *de Roma exiliatus venit Capuam, & rogatus à præfato Principe Pandulfo, tunc primum in eadem civitate Archiepiscopatum constituit, consecrato ibi Joanne, fratre ejusdem Principis, Archiepiscopo.* Ad hæc Baronius in Annal. ad an. 968. num. 67. sic commentatur. *Porrò*, inquit, *consignatum tempus non ad Joannis exilium, quod longè ante contigit, sed ad collatam illi Ecclesiæ Archiepiscopatus dignitatem, referri necessariò debet.* Joannem verò è Romana Sede depulsum in anno 965. idem Baronius ad annum modò dictum ritè observavit. Et quidem Pontifex ille ante annum Christi 967. exeuntem, subsequentemque annum 968., qui numeratus est decimusnonus Abb. Aligerni, hoc est in sui Pontificatus primordiis (prædicto electus est Joannes anno 965.) *cùm majores Romanorum elatiore animo, quàm oporteret, insequeretur, eos in brevi inimicissimos, & infestos est passus; nam ab Urbis Præfecto, & à quodam Rotfredo comprehensus, & Urbe expulsus, in Campaniæ custodiæ est mancipatus*: ut Auctor Appendicis ad Rheginonem, antiquus sanè, & rebus à se descriptis æqualis, his ipsis ferè verbis exposuit; simul addens, quòd post hæc *Romani, Imperatoris metuentes adventum* (primi scilicet Othonis, qui Italiam ingressus in anno 966. Romæ Natalem Domini celebravit) *Rotfredo Urbis Præfecto, qui ab urbe Joannem ejecerat, mortuo: à custodia, qua tenebatur, Joannem Apostolicum absolverunt, & veniam pro malis, quæ ei ingesserant, poscentes, in locum, & sedem suam illum restituerunt.* Hæc ille. Ex quibus Baronius bene persuasus, exilium Joannis ante annum contigisse dixit 968. cui tum antiqui, tum recentiores, qui de his scripsere, adstipulantur omnes; iisque minimè equidem obsto; cùm nec putem, Ostiensem verbis superiùs relatis sermonem fecisse de Joanne Capuam profecto tempore sui exilii; quò illum se tunc recepisse, ab omnibus adfirmari observo, nullum tamen alium, nisi eundem Ostiensem, & quos ipsius verbis scimus inhæsisse, suæ sententiæ habentibus Auctorem: cujus verba in confesso jam est, aliter capienda esse, ac sonant: sed de iis, inquam, quæ anno 968. acciderunt, quo Joannes cum præfato Othone Capuæ commorans, nempe mense Januario, ut ex ejusdem Imperatoris Epistola quadam ad Germaniæ Principes apud Witichindum lib. 3. constat, Campanam Ecclesiam in Metropolitanam sublimavit. Quandoquidem Roma, propriaque sede illum deturbatum (*exulare* enim, ut sexcenta alia, prolixiora omnis ævi exempla missa faciam, Servio ad Æneid. lib. 11. *propriè dicuntur, qui extra solum eunt*) in vinculis apud Campaniam, scilicet Romanam, indesinenter mansisse, ex laudato prædictæ Appendicis Auctore liquidissimè apparet. A Pandulfo tamen Campano Principe, sive ab Joanne dicas ejus fratre, qui postea in primum Capuæ Archiepiscopum consecratus est (ipsi namque à plerisque id adscribitur) Rotfredum peremptum, non abnuerim; quem Romani factionis suæ cùm amisissent antesignanum, simulque adventantis Imp. Othonis timore essent perculsi, Pontificem in gradum suum vel inviti restituisse videntur; quo solo pacto Appendicis antedictæ, ceterosque alterius sententiæ Auctores conciliari invicem posse, est manifestum. A Joanne autem non Romæ, in Othonis 2. coronationis celebritate, ut Blondus nuperus scriptor tradit Dec. 2. lib. 3. sed Capuæ constituto, ampliſſima ea dignitate Campanam Ecclesiam decoratam, Ostiensi adfirmanti credendum existimo. Verùm de his non est præsentis loci uberiùs differere; Sicuti nec de futili nunc dicam quorundam recentiorum argumentatione, qui nescio quas etiam nullius, vel minimi momenti chartulas, nec sibi quidem visas, alicubi servari testantur, quibus se demonstrasse jactant, Campanam Ecclesiam non omnium antiquissimè in Regno Neapolitano fuisse Archiepiscopali honore exornatam, quod fortè verum: sed integras illas, solemnique pariter approbatione roboratas ad rem tantam, contradictoribus non vacuam, stabiliendam, produci oportuisse, negabit nemo; cùm interim Campana Metropolis luculentissimo, gravissimoque testimonio ingentis sanè

lectio-

lectionis viri, Cardinalis Baronii ad tuendam suæ antiquitatis prærogativam solidissimè sulciatur; cujus sunt verba in Annalibus loco jam pridem relato. *Et quidem*, inquit, *prima omnium, quod invenerim, Ecclesia Capuana ea Archiepiscopatus dignitate in Regno Neapolitano fuit illustrata*, &c. Sed redeo ad Ostiensem, qui Joanni omnium primo Archiepiscopo successisse perhibet *Leonem*: huic verò post quatuor annos cum dimidio *Gelbertum*, sive *Gerbertum*, sive *Gerebertum*: utrumque Monachum Cassinensem; continentique sermone, sed parum circumspectè, ut superiùs exilium Papæ Joannis implexis etiam descripserat verbis, sic habet. *Sequenti autem anno* (post ejusdem scilicet Gerberti obitum, qui in Emortuali Cassinensi, & in altero Monasterii Monialium S. Joannis Capuæ, notatur 12. Kal. Februarii, anno videlicet 980. atque integro ferè anno ante Principis Pandulfi Caputferrei mortem) *defuncto primo Ottone, Otto 2. Imp. filius ejus, cognomento Rufus, venit Capuam, & abiit Tarentum, ac Metapontum, & deinde Calabriam; unde prosperè ad sua reversus*, & cætera de ejusdem Othonis 2. ad nos reditu, & re infeliciter cum Saracenis gesta in Calabria; de quorum temporum ordine in Historia dixi Langobardorum Principum. Nunc verò addam, præter laudatos ibi Auctores, in Chronico etiam Hildensheimense perhiberi, *Othonem Imp.* hoc est secundum, *in anno* 980. *firmata pace, in Italiam intrasse, & in anno* 981. *Pascha Romæ celebrasse. In anno autem* 982. *periculosissimè pugnasse contra Saracenos in Calabrorum partibus, ibique non paucos de suis optimatibus occubuisse*. Qui annus 982. restituendus est in Annalibus Hepidanni Monachi; nam malè clades illa ad annum ibi notatur 988. in Tomo 3. Annalium Francorum. Et verò Landulfo Capuæ Principi, qui tunc simul cum cæteris aliis, & fratre Atenulfo occubuit, successor Principatus datus ab Othone est frater ejus Landenulfus, mense, ferè, Septembris, jam dicto anno 982. quod ex antiquis Chartulis est discere, alibi producendis.

Aligernus sedit ab. 8. Kal. Novembris ad 9. Kal. Decembris per subscriptos annos.

An.	Chr.	Ind.	Alig.	An.	Chr.	Ind.	Alig.
949		7	1	969		12	21
950		8	2	970		13	22
951		9	3	971		14	23
952		10	4	972		15	24
953		11	5	973		1	25
954		12	6	974		2	26
955		13	7	975		3	27
956		14	8	976		4	28
957		15	9	977		5	29
958		1	10	978		6	30
959		2	11	979		7	31
960		3	12	980		8	32
961		4	13	981		9	33
962		5	14	982		10	34
963		6	15	983		11	35
964		7	16	984		12	36
965		8	17	985		13	37
966		9	18	986		14	Continuat annus 37.
967		10	19				
968		11	20				

MANSO

Ab ann. 986. *ad ann.* 996.

Vicesimusoctavus Abbas, sedit annis undecim. Ostiensis lib. 2. cap. 12. ex fide scripti exemplaris; nam in editione Neapolitana decem ei imputantur anni: in Veneta autem, & Parisiensi vacat integrum istud capitulum. Index verò uterque à præfata Ostiensis lectione non discedit, quæ tamen ejusmodi excipienda est interpretatione, ut Mansonem undecimum in Abbatia annum inchoasse, haud absolvisse, intelligamus; qui sacrilega Campanorum proditione excœcatus 18. Kal. Decembris, anno videlicet 996. obiit 8. Idus Martii, anno sequenti, ut idem perhibet Ostiensis lib. 2. cap. 16. & 19. *Huic nono ejus Abbatiæ anno* (hic fuit Christi 994.) *Laidulfus Princeps Capuæ Præceptum*, sive Privilegium, *fecit de Castrocœli cum toto monte, qui dicitur S. Angeli in Asprano*, &c. eodem testante Auctore lib. 2. cap. 19. ac rem describente ex Præcepto metipso dato 4. *Idus Decembris Indictione* 8. (videlicet inchoata à Septembri dicti anni 994) *anno* 2. *Principatus Laidulfi*, cujus exemplum extat in Registro Petri Diac. pag. 134. à tergo. Idem autem Abbas, ut Ostiensis etiam prodit lib. 2. cap. 17. iis sedebat diebus, *quibus Imperialem coronam de manu Romani Pontificis* (Gregorii 5.) *tertius Otto suscepit*: hoc est in anno 996.

Manso sedit à 9. Kal. Decembris ad 18. Kal. ejusdem mensis per subscriptos annos.

An.	Chr.	Ind.	Manso.	An.	Chr.	Ind.	Manso.
986		14	1	992		5	7
987		15	2	993		6	8
988		1	3	994		7	9
989		2	4	995		8	10
990		3	5	996		9	11
991		4	6	An. 11. inchoatus.			

JOANNES II.

Ab ann. 996. *ad ann.* 997.

HUjus nominis secundus, *Abbas vicesimus nonus, sedit anno uno*. Ostiensis l. 2. c. 20. & uterque Index, qui annus unus supputandus est ab excœcatione prædecessoris Mansonis. *Qui videlicet venerabilis Abbas Joannes* (pergit Ostiensis) *cùm jam senectute pariter, & infirmitate gravatus tanti regiminis pondus se ferre non posse perspiceret, consensu, atque electione cunctorum Fratrum Abbatem sibi substituit*, &c. Abbatia igitur se abdicavit in anno 997. mense, ferè, Septembri, ut ex sequentibus constabit. Longè autem post, ac tempore Theubaldi Abbatis defunctus est *Prid. Idus Martii cùm decrepitæ esset ætatis*, eodem tradente Auctore lib. 2. cap. 21. & 42. hoc est post annum Christi 1022.

Joannes II. sedit à 18. Kal. Decemb. ad mensem, ferè Septembrem per hos annos.

An.	Chr.	Ind.	Joan.	An.	Chr.	Ind.	Joan.
996		9	1	997		10	Continuat an. 1. non exactus.

JOANNES III.

Ab an. 997. *ad an.* 1010.

TErtius hujus nominis, *sed tricesimus à B. Benedicto Abbas effectus, sedit annis duodecim, mensibus sex*. Ostiensis lib. 2. cap. 22. A quo variant Indices; nam qui in Codice est 202. illi imputat annos XI. & menses VI. sed vicino errore, pro annis XII. &c. alter verò subtiliori, ut solet calculo, dat annos quidem XII. sed menses IV. & dies XXVIII. quæ nihilo-

Digitized by Google

hilominus discrepantia nil nostram remoratur Chronologiam, quin rectè procedat ; nam sive dicas, Joannem hunc tertium suscepisse Abbatiam 14. Kal. Octobris, anno 997., à qua die ad 15. Kal. Aprilis, & annum 1010. qua ipse obiit, anni computantur cum Ostiensi 12. & menses 6. sive Abbatem electum putes 7. Kal. Novembris, prædicto anno 997., & cum Indice præfato imputes ejus sedi, usque ad dictam diem 15. Kal. Aprilis, annos 12., menses 4., dies 22. in idem recurrit. Et verò Joannem jam descripto anno obiisse, testatus etiam est Anonymus Cassinensis in Chronico Neapoli edito, ad quem annum sic habet. *Obiit Joannes Abbas Beneventi*, nec de alio, quàm de hoc nostro sermonem ibi haberi verearis, quòd videas ab Ostiensi lib. 2. cap. 28. affirmari, ipsum apud Cassinense Monasterium præmemorata die 15. Kal. Aprilis à vivis discessisse ; siquidem in Anonymo tò *Beneventi*, non locus decumbentis Joannis, sed patriæ demonstratur, *qui ex illustri Beneventanorum civium prosapia genus duxerat*, ut Ostiensis tradit, simulque innominatus ille Chronologus, qui nec alios, quàm Cassinensis Monasterii Abbates suo admiscuit operi. *Hic verò Joannes* (Ostiensis etiam sunt verba lib. 2. cap. 22.) *primo anno ordinationis suæ recepit Præceptum confirmationis totius Abbatiæ ab Ottone Imperatore* (videlicet tertio) *quo etiam tempore idem Imperator in Cassinensi Monasterio per aliquot dies remoratus, duas coronas argenteas B. Benedicto obtulit* : in anno scilicet Christi 998., quo Otho in Italia adfuit, ac Beneventum se contulit, ut perhibet Robertus Tuitensis apud Baronium : quique primus fuit annus Joannis, inchoatus ab anno antecedenti. *Hujus anno tertio* (verbis dicam ejusdem Auctoris lib. 2. cap. 24.) *qui est Millesimus ab Incarnatione Domini, supradictus Imperator Beneventum venit, & causa pœnitentiæ, quam illi Beatus Romualdus injunxerat, abiit ad Montem Garganum ; reversusque consequenter Beneventum, petiit ab eis corpus S. Bartholomæi Apostoli ; qui nihil tunc illi negare audentes, callidè illi pro corpore Apostoli, corpus B. Paulini Nolani Episcopi, quod satìs decenter apud Episcopium ipsius civitatis erat reconditum, ostenderunt ; & eo sublato, recessit, tali fraude deceptus : Quod postquam rescivit, nimium indignatus, sequenti tempore perrexit iterum super Beneventum, & obsedit eam undique per dies multos : sed nihil adversùs eam prævalens, Romam reversus est*. Hactenus ille, rem enarrans apud antiquos ambigui sermonis ; nam Otho Frisingensis lib. 6 cap. 26. Gotfridus Viterbiensis Par. 17. ubi de Othone 2., & ex iis Blondus in Hist. Rom. Dec. 2. lib. 3. & Sigonius de Regno Italiæ lib. 7. aliique recentiores verum corpus Sancti Bartholomæi Romam quidem absportatum scribunt, sed ab Othone 2., & in anno 983. cùm Imperator ille ex causa alibi minutiùs exponenda in Beneventanos indignatus, eam urbem vi cepit, ac diruit ; quibus subscribit Martinus Polonus in Chron. lib. 4. nec tamen ab Ostiensis narratione prorsus abit, & ipse perhibens, Othonem 3. è Monte Gargano redeuntem corpus S. Paulini Nolani à Beneventanis, sed nullo deceptum dolo, accepisse ; hoc scilicet pacto discordes sententias concilians, atque Romanis obsecundans, quibus cum Beneventanis de Ostiensis dicto nec dum constat. His autem sic dissidentibus, de quo in præsentiarum nil quæro, consistit tamen Abbatum Cassinensium nostra Chronologia, annusque Christi millesimus cum tertio anno Abbatis Joannis aptissimè ab Ostiensi est comparatus. Qui Abbas, ut idem perhibet Auctor lib. 2. cap. 29. *eo quòd defunctus est anno* (nempe 1010.) *quendam nepotem suum Joannem, cognomento Rotundulum, quem ante dies non plurimos Monachum fecerat, ad mortem veniens, in Abbatem substituit, paucis admodum super hoc sibi consentientibus, vel potiùs coactè id sufferentibus Monachis. Quorum autem pars potior, ac sanior erat, nimis hæc indignè ferentes, & Neophytum tantæ Congregationi præesse minimè congruum judicantes, post menses aliquot mandaverunt Pandulfo Principi Beneventano* (frustra viri docti hanc lectionem uno, alteroque modo solicitant, quæ ex omnibus editionibus, & ex MS. est exemplari, atque ex Beneventanorum etiam Principum Genealogia, & Chronologia quamsolidissimè firmatur) *ut veniret, filiumque suum Atenulfum illis in Abbatem ordinandum adduceret*. Quibus ad votum peractis (pergit Ostiensis) *Rotundulus tali ordine pulsus, Beneventum rediit, atque patrocinio propinquorum, & consensu, ac concessione præfati Principis, Monasterii Sancti Modesti in eadem urbe Abbatiam recepit*. Per residuos igitur menses prædicti anni 1010., quo decesserat Abbas Joannes 3., perque menses aliquot alios insequentis anni 1011. præsedisse Joannem hunc Rotundulum, dicendum est, Monachis interim se ei subesse indignantibus, ac Principem Beneventanum occulta primum conspiratione, dein etiam legatione advocantibus, reque haud dubiè sermonibus ultro, citroque habitis aliquantisper, & ad exitum ferè Veris anni 1011. dilata ; quo tempore Atenulfum suffectum fuisse, statim exponam. Silent autem tum Ostiensis, tum ambo Indices definitum Rotunduli spatium ; cujus nec nomen quidem in iis legitur, deque eo ad utrorumque exemplum nullus mihi peculiaris habendus est sermo.

Joannes 3. sedit à 14. ferè Kal. Octob. ad 15. Kal Aprilis per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Joan.	An. Chr.	Ind.	Joan.
997	10	1	1005	3	9
998	11	2	1006	4	10
999	12	3	1007	5	11
1000	13	4	1008	6	12
1001	14	5	1009	7	13
1002	15	6	1010	8	Continuat an. 13. non exactus.
1003	1	7			
1004	2	8			

JOANNES Rotundulus sedit à 15. Kalend. Aprilis anni 1010. ad exitum ferè Veris anni 1011.

ATENULFUS

Ab ann. 1011. ad ann. 1022.

PAndulfi 2. Principis Beneventani filius, quem Otho Imperator (secundus videlicet) puerum à patre obsidem, ut Ostiensis perhibet lib. 2. cap. 29. susceperat, ab Imperatoris custodia cùm evasisset, Beneventum rediit ; atque cucullam, sub qua fugiens latitaverat, ex concepto in infirmitate, dum ad suos remeat, voto, abjicere nolens, Monachus factus, degebat Beneventi, quo tempore ad suscipiendam Cassinensem Abbatiam fuit à Monachis invitatus. Illum fortè, Pandulfus pater, ut Othonis arma in anno 982. à se repel-

Digitized by Google

pelleret, ac patrium Principatum Beneventanorum in anno antecedenti, expulso Landulfo filio Pandulfi Caputferrei, adeptum retineret, in pignus promissæ fidelitatis ei tradiderat. Qui jam dicto ordine *Abbas electus tricesimus septimus, sedit annis undecim*, Ostiensi perhibente lib. 2. cap. 31. & utroque Indice. *Hujus anno ordinationis tertio* (verba sunt ejusdem Auctoris ibid.) *Domini verò millesimo quarto decimo, quo tempore Paschalis festivitas ipsa die S. Marci juxta calculi rationem extitit, Henricus Rex venit Romam, & Coronam Romani Imperii de manu Benedicti 8. Papæ recepit*. Quæ Henrici coronatio, ut ex aliis constat monumentis, peracta cùm fuerit 6. Kal. Martii; dicendum certè est, primum annum Atenulfi numerari cœptum post Februarium anni 1011. & sanè ante Æstatem; quandoquidem idem Ostiensis lib. eod. cap. 37. tradit, *hujus Abbatis anno septimo* (nempe inchoato) *cœpisse Normannos, Melo Duce, expugnare Apuliam*; quod Anonymus Cassinensis in annum refert 1017., simulque Lupus Protospata, hic per menses Æstivos id gestum indicans, ambo autem Ostiensi concordes; qui *ante hos circiter sexdecim annos*, scilicet vergente anno Christi millesimo, Nortmannos numero quadraginta Salernum ab Saracenis obsessam liberasse prodit, idque nec in alium annum retulit præfatus Anonymus. Leo autem cautè addidit *ut circiter*, aperiens, se eam summam annorum sexdecim ad exactissimi calculi rationem minimè supputasse. Atenulfi itaque Epocha statuenda erit in Vere jam dicti anni 1011. vel ad exitum Veris. Qui iram cavens prædicti Henrici, ex causis Ostiensi descriptis lib. 2. cap. 39. *cupiensque Constantinopolim ad Imperatorem confugere, Hydruntum, mare ingressurus, perrexit; conscensaque navi, naufragium passus, atque demersus est*: in anno videlicet 1022. sicut ejusdem sedis spatium annorum undecim exigit, ac Anonymus Cassinensis, recentioresque omnes unà simul adfirmant. Ipse quidem in vivis agebat, Abbatiam retinens mense Majo, anno dicto; quando data reperitur Chartula in Registro Petri Diaconi exarata pag. 157. à tergo, in qua ejus fit mentio, scilicet *anno septimo Principatus Paldulfi* (in Registro est *anno tertio*, sed manifesto errore, ex repetitione anni 3. Paldulfi filii) *& tertio anno Principatus Paldulfi filii ejus, mense Madio, Indictione quinta*. Sanè Atenulfi tempore quinta Indictio haud in alium annum incidit, quam in 1022. Dies verò ejus obitus nemini adnotata, conjicienda videtur in mensem Junium, nam successor Theobaldus in exitu ejusdem mensis electus est, de quo statim.

Atenulfus sedit ab exitu ferè Veris ad mensem Junium per subscriptos annos.

An. Ch.	Ind.	Aten.	An. Ch.	Ind.	Aten.
1011	9	1	1018	1	8
1012	10	2	1019	2	9
1013	11	3	1020	3	10
1014	12	4	1021	4	11
1015	13	5	1022	5	Continuat annus 11. Atenulfi.
1016	14	6			
1017	15	7			

THEOBALDUS

Ab ann. 1022. ad ann. 1035.

IN Abbatem sublimatus est 4. Kal. Julii, eodem anno, quo Atenulfus transmarinum iter susceperat, decesseratque, cùm in Monasterio Cassinensi adesset superiùs dictus Imper. Henricus, & Romanus Pontifex Benedictus 8. à quo *die altera Nativitatis Apostolorum Petri, & Pauli honorabiliter est consecratus*; ut Ostiensis lib. 2. cap. 42. & ejus deflorator Anonymus Cassinensis testantur. Quo etiam tempore Odilo Cluniacensis Abbas, eodem adfirmante Ostiensi lib. 2. cap. 52. ad Cassinum veniens, de B. Mauri Sacris reliquiis Cassinensibus se transmissurum promisit; quod *post septem annorum* vertigines re complevit (hoc est exacto Christi anno 1029.) sed jam Theobaldo in Marchias digresso, persecutionem Pandulfi Principis Capuæ declinante. *Hic verò secundus & tricesimus hujus Cœnobii Abbas* (verba sunt Ostiensis lib. 2. cap. 51.) *sedit annis tredecim*, sicut etiam habent ambo sæpiùs laudati Indices. *Primo autem anno ejus Abbatiæ* (nempe non dum exacto) *anno Dominicæ Incarnationis 1023. præfatus Pontifex Benedictus duo argentea scrinia, plurima Sanctorum pignora continentia, ad Ecclesiam Cassinensem direxit*, quod ab eodem Auctore adnotatur lib. 3. cap. 30. Sed cùm Pandulfus hujus nominis quartus Capuæ Princeps, qui in anno 1022. ab Imp. Henrico carceri mancipatus, ipsoque Imp. in anno 1025. defuncto, vinculis solutus, Capuam per annum integrum, atque dimidium, ut perhibet Ostiensis lib. 2. cap. 57. (per annum habet Anonymus Cassinensis) obsessam, & expugnatam iterum obtinuisset, nempe ante mensem Majum, Indictione nona, anno videlicet 1026., quod ex antiquis Chartulis constat à Michaële Monacho in suo Sanctuario pag. 640., & à Constantino Cajetano in Commentario in Vitam Papæ Gelasii 2. pag. 29. relatis, cum, inquam, Princeps ille Pandulfus Capuam jam dicto anno denuo recepisset (dicam cum Ostiensi) *Theobaldum Abbatem, simulatâ benivolentiâ secum apud Capuam, quasi pro utriusque securitate, remorari rogavit: immo coëgit. Quod ille* (pergit idem Auctor lib. 2. cap. 59.) *cùm per annos ferme quatuor sustinuisset* (ad annum usque 1030.) *clam mandavit Sergio Duci Neapolitano, ut constituto condicto die cum militibus ad locum designatum veniret, seque reciperet, quod & factum est*. Atque hoc pacto Neapolim incolumis ductus, *inde post dies aliquot in Marchias est profectus* (tunc S. Mauri reliquiæ Cassinum allatæ fuerunt) *ubi in Monasterio S. Liberatoris per quinque circiter annos, usque ad obitum, est honestissimè conversatus*. Defunctus verò est 3. Non. Junii, ut idem Ostiensis perhibet lib. 2. cap. 62. decurrente scilicet anno Christi 1035. quod nulla hæsitatione affirmo; nec auctoritate moveor editi Chronici Anonymi Cassinensis; in quo maxima illa, celebrisque Solis defectio in anno facta 1033., in festivitate S. Petri, cæteraque superioribus annis gesta, in suos annos recto ordine cùm fuerint relata, Theobaldi tamen obitus incongruè cum anno comparatus est 1034. Qui anticipationis perpetuus est in eodem Chronico error ab anno jam dicto 1034. ad annum 1152. ex errore scilicet olim commisso in exemplari Cassinensi, signato num. 47. ex quo illa ejusce Chronici pars fuit deprompta. Quem simul errorem in alio Cassinensi exemplari, qui adsutus scripto est Chronico Ostiensis, & Petri Diaconi, pariter insidere observavi, & ad annum usque custoditum 1188. ad quem annum librarius commissi à se errati his verbis monen-

nendum lectorem duxit. *Usque modò*, inquit, *anni Dominicæ Incarnationis, & Indictiones, & cætera, quæ debuerant nigræ scripturæ præponi, fuerunt postpositа* (singulæ enim annorum, cæterorumque temporum Notæ singulas lineas occupantes, ex consueto tunc more rubrica fuerant depictæ) *de hinc verò præponuntur anni Domini, & cætera*: quod servavit. At in Codice signato num. 199. tempora cùm fuissent bene digesta; seu, ut verius dicam, in Codice illo perpetuus ejusmodi error cùm fuisset congruè recensitus, hinc accidit, ut cætera pars editi Anonymi, quæ ab anno 1154. ex eodem Cod. exscripta fuit, nullo tali vitio laboret. Sed de his nunc satis.

Theobaldus sedit à Nativitate Apostolorum, hoc est à 3. Kal. Julii ad 3. Non. Junii per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Theo.	An. Chr.	Ind.	Theo.
1022	5	1	1030	13	9
1023	6	2	1031	14	10
1024	7	3	1032	15	11
1025	8	4	1033	1	12
1026	9	5	1034	2	13
1027	10	6	1035	3	Continuat annus. 13.
1028	11	7			
1029	12	8			

SEDES VACAT

Ab an. 1035. *ad an.* 1036.

DEfuncto *Abbate Theobaldo*, inquit Ostiensis lib. 2. cap. 62. *Monachi quidem nullam electionem absque Principis* (Capuæ scilicet) *nutu facere præsumebant: cùmque jam ferè annus evolveretur, præfatus Princeps quendam Monachum tunc in Capuano Monasterio Præpositum, Basilium nomine, genere Calabrum, qui olim, non dum Monachus apud Episcopium S. Stephani Ministerialis officium gesserat* (redditus curaverat Ecclesiæ Cathedralis) *eligere complacet*, &c.

Sedes igitur vacavit à 3. Kal. Junii anni 1035. ad eundem Mensem anni sequentis 1036.

BASILIUS

Ab ann. 1036. *ad ann.* 1038.

ABbas *tricesimus tertius, sedit annis duobus.* Ostiensis, cui concordant Indices, lib. 2. cap. 63. scilicet supputandis ab anno 1036. mense Junio ad Prid. Idus Maji anno 1038. quo Richerius ejus successor est electus. Sed Anonymus Cassinensis in impresso Cod. ex errore superiùs dicto, Basilium figit ad annum 1035. anno videlicet citiùs, eademque anticipatione Richerium ad annum 1037. nec non cætera omnia concurrenti tempore gesta perversè notat. Chartula autem in Registro Petri Diac. exarata pag. 143. quæ data habetur, *anno* 19. *Principatus Paldulfi* (scilicet 4) *& 16. Paldulfi* (scilicet 5) *ejus filii, mense Augusto, Indictione* 2. (hic est annus Christi 1034.) *in Sancto Germano*, nec depravatæ Anonymi favet editioni, ut patet: nec ipsa per se consistit; ni velimus ex unius negligentissimi Notarii notula omnem damnare Abbatum Cassinensium ex firmissimis documentis ductam hactenus constantissimam Chronologiam. *Anno autem Dominicæ Incarnationis millesimo tricesimo octavo Conradus Imperator* (carptim Ostiensis verba ex ipsius libro 2. cap. 64. excerpo) *cum valido nimis exercitu transitis Alpibus, Italiam cùm intrasset, venissetque Mediolanum, ibi de hujus Monasterii Prioribus aliquot illum adeuntes, universa, quæ per tot annos à Principe Pandulfo mala pertulerant, retulerunt, orantes, ut tandem dignaretur venire, ac B. Benedicti Cœnobium de tanti Tyranni manibus dignaretur eripere.* Sic ille, de his, quæ ad tempus expulsi Basilii spectant, nam aliquantò post subdit. *Imperator Capuam est profectus, ut B. Benedicti Cœnobium de servitute nequissimi Principis liberaret; quem Pandulfus præstolare minimè ausus, unà cum prædicto Abbate suo in Roccam Sanctæ Agathæ, arreptâ fugâ se contulit; cum quo demum Constantinopolim adiit ad Imperatorem, causâ adjutorii, sive pecuniæ.*

Basilius sedit à mense Junio ad Kal. ejusdem mensis per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Basil.	An. Chr.	Ind.	Basil.
1036	4	1	1038	6	Continuat ann. 2.
1037	5	2			

RICHERIUS

Ab ann. 1038. *ad ann.* 1055.

ABbas Leodiensis Imperatorem Conradum in Italiam sequutus, ad Abbatiam Cassinensem translatus est hoc ordine. Capuam intraverat Imperator in ipsis vigiliis Sanctæ Pentecostes, quæ eo anno 1038. celebrata est Prid. Idus Maji; alteraque die civitatem egressus, apud Capuam veterem tentoria fixerat; eodemque in loco manens, eum Monachi Cassinenses adierunt, rogantes, ut opere compleret, quæ verbis promiserat: Abbatem sibi ante omnia constitui postulantes; quo annuente, Richerium elegerunt, ut pluribus tradit Ostiensis lib. 2. cap. 64. Ipse igitur *natione Bavarus* (verba sunt ejusdem Auctoris cap. 66.) *tricesimoquarto ordine Abbatiam hujus loci sortitus, sedit annis decem & septem, mensibus sex. Cui Conradus Imp. anno, quo Abbas ordinatus est, apud Beneventum Præceptum aureo sigillo bullatum de universis Monasterii pertinentiis fecit*, &c. De spatio illius sedis concordat Index in Codice 202. sed alter addit dies decem; atque hoc pacto electum demonstrat Kal. Junii; nam apud Aternum decessisse 3. *Idus Decembris, anno millesimo quinquagesimoquinto*, idem perhibet Ostiensis lib. 2. cap. 90. Editus Anonymus Cassinensis consueto errore obitum Richerii notat ad annum 1054. Sed nec Ostiensis absque culpa (ni luxatus sit ejus textus) dum tradit lib. 2. cap. 76. Laidulfum Teanensem Comitem aliquantò post Nortmannos ejectos è Terra Cassinensis Monasterii in an. 1045. de quo ibidem cap. 70. fraude captum fuisse à quodam Ardemanno, propinquo Abbatis Richerii. Nam Chartula apud Registrum Petri Diaconi pag. 202. Laidulfum ex ea captivitate dimissum manifestat in *anno 22. Principatus Guaimarii, Principatus Capuæ anno 3. Ducatus Amalfiæ anno 2. Ducatus Surrenti anno 1. mense Augusto; Indictione octava*: hoc est in anno Christi 1040., qui tertius sanè fuit annus ab anno 1038., quo Guaimarius Princeps Salerni, eodem adfirmante Ostiensi lib. 2. cap. 64. Capuæ Principatum ab Imp. Conrado obtinuit, de quo fusiùs alibi. Omittendum autem hoc loco non est, B. Benedictum, ut apud eundem habetur Auctorem lib. 2. cap. 71. ipsa nocte, quæ diem memoratæ expulsionis Nortmannorum

Digitized by Google

rum præceſſit, per viſum dicentem cuidam ruſtico viro, ſe in Caſſinenſi Monaſterio diu cum Fratribus habitaſſe, ſed ab illis ingratis ſibi exiſtentibus dein receſſiſſe, ac Jeroſolymam abiiſſe; ibique per XL., & ampliùs annos cum B. Stephano commoratum (an per annos LX. ab obitu ſcilicet Abb. Aligerni, & ab anno 986. ad annum jam dictum 1045. poſt cujus ætatem res Caſſinenſium frequentibus actæ fuerunt infortuniis?) ipſa tandem die ad illos redire: prædictum, inquam, Divum videri ejuſmodi ſermone exponere ſimul voluiſſe, ob parem per eoſdem annos B. Protomartyris ab Capua diſceſſum, cujus ipſe antiquiſſimus habebatur, eſtque nunc etiam Patronus, ac præcipuus tutelaris, eandem urbem poſt mortem Principis Pandulfi Caputferrei, & ab anno 981. ad eandem uſque diem ærumnoſas ſibi ſuorum Principum mutationes, aptiori loco enarrandas, pertuliſſe: illaſque præ omnibus aliis acerbiores, quibus ob impietatem Pandulfi IV. ſæpiùs, & acriter divexatam fuiſſe conſtat. Qui Princeps ſuorum tandem impiorum facinorum luctuoſiſſimas luit pœnas, ad Infernales damnatus cruciatus; ſicuti viſione cujuſdam Pythagoræ ab Abb. Deſiderio Dialogorum lib. 1. deſcripta declaratur; quam etiam teſtatus eſt Oſtienſis lib. 2. cap. 60. ſe illam accepiſſe perhibens à quodam Pandulfo, qui eam ab Pythagora metipſo acceperat. Nec eſt, quòd à Pandulfo illo talem hic Auctor audire nequiverit narrationem; quam vir doctus altero etiam parum firmo perſuaſus argumento minimè ab illo deſcriptam, ſed in ejus Chronicon ab aliis inſertam putavit (utinam ſic feciſſet de ea viſione Solitarii, de qua dixi in Hiſtoria PP. Langobardorum pag. 222. nec à Petri Damiani vel fide, vel diligentia iterato, longoque ſermone recedendum eſſe contendiſſet) Nàm Oſtienſis ibi verbis illis, *cujus ſuperiùs memoriam feci, qui non longo ante tempore defunctus fuit*, &c. de Principe Pandulfo 4. loquebatur; cui ſi Deſiderius fuit æqualis: & ipſe, qui Deſiderio Chronicon ſuum dicavit, ætate ſimul propinquus haud dubiè fuit.

Richerius ſedit à Kal. Junii ad 3. Idus Decembris per ſubſcriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Rich.	An. Chr.	Ind.	Rich.
1038	6	1	1048	1	11
1039	7	2	1049	2	12
1040	8	3	1050	3	13
1041	9	4	1051	4	14
1042	10	5	1052	5	15
1043	11	6	1053	6	16
1044	12	7	1054	7	17
1045	13	8	1055	8	18
1046	14	9	An. 18. non exactus.		
1047	15	10			

PETRUS

Ab ann. 1055. ad ann. 1057.

Quintus & trigeſimus hujus Monaſterii Abbas, ſedit anno uno, menſibus quinque. Oſtienſis lib. 2. cap. 92. & Index in Codice 202. Minutiori autem calculo ſedit aliis diebus XII. ſupputandis à die obitus prædeceſſoris ejus Richerii ad electionem uſque ſucceſſoris Friderici. Nec dubito, hanc dierum ſummam reſtituendam eſſe in altero Indice Abbatum, in quo ſupra antedictos annum, & menſes Petro imputantur dies XVII. Ille verò electus cùm fuiſſet, ut idem habet Oſtienſis lib. 3. cap. 7. per eos dies, quibus Victor Papa Secundus Florentiæ commorans pergere ultra montes ad Imperatorem diſponebat Henricum II. ad quem perhibent illum perveniſſe in anno 1056. cùmque ipſius electio celebrata fuiſſet inſcio præfato Pontifice, idque *ille nimis indignè*, ut Oſtienſis uſurpem verba lib. 2. cap. 93. *tuliſſet*, eò tandem deventum eſt, ut Petrus Abbatia ſe abdicarit, *in quinta Feria poſt Pentecoſten anno 1057.* hoc eſt 11. Kal. Junii; nam dicto anno Feſtum illud incidit in 15. Kal. prædicti menſis, eodemque anno Pontifex Victor II. in Italiam reverſus fuerat.

Petrus ſedit à 3. Idus Decembris ad 11. Kal. Junii per ſubſcriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Pet.	An. Chr.	Ind.	Pet.
1055	8	1	1057	10	Continuat an. 2. non exactus.
1056	9	2			

FRIDERICUS

Ab an. 1057. ad an. 1058.

EX Oſtienſis dicto lib. 2. cap. 94. *altera die poſt abdicationem Petri, ideſt ſexta Feria poſt Pentecoſten, ingenti gaudio, & exultatione cunctorum de more Monaſterii Abbas electus eſt, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptimo. Qui natione Lotharingus* (ſic pergit idem Auctor cap. 95.) *trigeſimus ſextus Abbas hujus Cœnobii, ſedit menſibus decem*; quod etiam ſpatium ei imputat Index in Cod. 202. ſed alter addit dies VIII. quos VII. fuiſſe meus me docet calculus: verùm minutiora iſta minus curo. Cùm autem Fridericus Abbatiam Caſſinenſem regendam ſuſcepiſſet, qua dictum eſt, die; nec multò poſt ab antedicto Pontifice Victore II. Presbyter Cardinalis, titulo S. Chryſogoni fuiſſet ordinatus, eodem Papa defuncto 5. Kal. Auguſti ejuſdem anni 1057. in Papam electus ipſe eſt, atque appellatus Stephanus X. *quoniam Feſtum S. Stephani Papæ* (inquit Oſtienſis lib. 2. cap. 96.) *eo die celebrabatur*, hoc eſt 4. Non. ejuſdem menſis. Advixit verò Abbas ſimul, & Pontifex ad diem 4. Kal. Aprilis inſequentis anni 1058., cùm jamdudum circa Natalis Domini Feſtivitatem, anni ſcilicet antecedentis, gravi languore detentus, in Monaſterio degens Caſſinenſi, poteſtatem feciſſet Prioribus novi Abbatis eligendi; qui Deſiderium præficiendum eſſe conſtituerunt, ipſomet Stephano electionem comprobante; ſed tali conditione, ut ille Abbatiam non antea ſuſciperet, quàm è Conſtantinopolitana legatione eodem tempore ei commiſſa, fuiſſet reverſus. Pontifice autem poſt tres menſes vita functo, Deſiderius, qui ex Italia nondum diſceſſerat, à ſuſcepto deſiſtens itinere, deſignatam Præfecturam ſtatim adivit, ut mox declarabo.

Fridericus ſedit ab 10. Kal. Junii ad 4. Kal. Aprilis per ſubſcriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Frid.	An. Chr.	Ind.	Frid.
1057	10	1	1058	11	Continuat an. 1. non exactus.

DESIDERIUS

Ab an. 1058. ad an. 1087.

UT Oſtienſis perhibet lib. 3. cap. 1. & ſeqq. *ex Nobiliſſima Beneventanorum Principum origine ſanguinis lineam ducens*, juxta inferiùs deſcriptum annorum ordinem, primùm

mùm Monachus, dein Abbas Caſſinenſis, ac tandem Romanus factus eſt Pontifex, nomine dictus Victor 3. Hic natus in anno ferè 1027. vocatuſque Dauferius, atque *in anno circiter vigeſimo ſuæ ætatis*, Chriſti 1046., patre à Nortmannis perempto orbatus, è ſolitaria, quam eodem tempore delegerat, vita à matre vi abductus, *perque annum penè integrum*: nempe 1047. ſub arcta cuſtodia ſervatus, exque ea in anno dilapſus 1048. ætatis ſuæ 22. *Salernitanumque ad Principem Guaimarium, conſanguinitate ſibi propinquum, accedens, petenſque, ut quoniam in patria vivere Monachus non ſibi permittebatur, Deo quietè ſervire apud illum liceret*, voti compos, ad Monaſterium Sanctæ Trinitatis, quod ad Cavam nuncupatur, ſe volente, ab eodem Principe tranſmiſſus fuerat: cùm mater filium à propoſito dimovere non valens, ab illo impetravit, patrocinio etiam falcta Beneventani Principis Landulfi, ſcilicet 6. (mallem, *Pandulfi*: nempe 3. patris ejus) ut ſaltem Beneventum rediret, atque apud Monaſterium S. Sophiæ ſub Monaſtica, ut expetebat, profeſſione degeret; quod ipſe non recuſavit; *ſicque tunc primùm mutato nomine Deſiderius appellari cœpit, nam uſque ad id tempus Dauferius vocabatur*. Ibi autem *per aliquot annos* commoratus (puta, tres, & ad annum uſque ætatis ſuæ 25. Chriſti 1051.) ad Monaſterium Tremitenſe, in Inſulis Diomedis ſitum, ſe contulit; ubi *non parvum tempus* (haud quidem diuturnius ſeſquianno, vel circa) exegit; unde abiens in exitu ferè anni 1052. ætatis ſuæ 26., *& aliquandiu apud Traſimundum Comitem*, Theathinum videlicet, ejuſque uxorem *ſibi affinem* hoſpitatus: hoc eſt uſque ad initium menſis Februarii anni 1053. ætatis ſuæ 27., *ab eo die ad tertiam Dominicam poſt Paſcha per tres circiter menſes* apud montis Majellæ Solitarios manſit; ac tandem iterum ad S. Sophiæ Monaſterium rediit. *Poſt verò non multos dies*, Papa Leone 9. è partibus ultramontanis regreſſo, ac Beneventi degente, eidem factus valde familiaris, *in Altaris etiam officia illis adhæſit, & Evangelium ad ejus Miſſas legit*: eopſe ſcilicet anno 1053., quo idem Pontifex menſe Junii à Nortmannis in Apulia bello victus, poſt novem circiter menſes Romam repedavit, & in anno obiit 1054. At Deſiderius deinde in languorem decidens, Salernum petiit, ibique aliquantiſper commoratus, Beneventum ad S. Sophiam remeavit, *& aliquantulo tempore exacto*, quoniam rumor increbuerat, Victorem Papam 2. ab ultramontanis partibus Romam adveniſſe (advênit Victor in anno 1055. ætatis Deſiderii 29.) ad illum Florentiæ tunc degentem acceſſit, eodem ſcilicet anno Synodum celebrantem Florentinam; ibique *per aliquantulum tempus manens*, ad Petrum non ante multos dies, ideſt in exitu præfati anni 1055. electum Abbatem Caſſinenſem, literis ejuſdem Papæ illi commendatus, receſſit, ineunte videlicet anno 1056. ætatis ſuæ 30. *à quo decenter ſuſceptus, ac Monaſticam conſecrationem adeptus, in eodem Monaſterio aliquandiu honeſtè eſt converſatus; nec multò poſt ad Capuanum Monaſterium eſt tranſmiſſus Præpoſitus. Sed cùm Pandulfus ipſius civitatis Princeps* (nempe quintus, quem hinc adparet non antea defunctum) *indigna quædam, juxta priorum temporum conſuetudinem, ei vellet injungere*, ipſe Capua ſecedens, ad Richardum ſe contulit, Averſanum Comitem, *tunc præfatam urbem obſidione expugnantem; ſicque in Obedientiis*, ſeu dicas Eccleſiis, ac prædiis ſitis extra urbem, eidemque Campano S. Benedicti Monaſterio ſubjectis, *aliquandiu* ſe continuit. Verùm Friderico Caſſinenſem Abbatiam obtinente in anno 1057. atque in Summum Pontificem eodem anno ordinato, ad illum *in menſe Auguſto* præfati anni, ætatis verò ſuæ 31. perrexit; à quo *paucis diebus elapſis* infirmus Caſſinum rediit; quo *poſt quatuor circiter menſes* idem Pontifex ſe contulit, deque novo Abbate eligendo circa ipſam Natalis Domini feſtivitatem Monachis poteſtatem fecit, qui Deſiderium conclamarunt, ipſi Pontifici jampridem apud Beneventum, tempore Leonis 9. & nuper in Caſſinenſi Monaſterio *ante non plenum biennium*, tempore Abbatis Petri, etiam familiariùs notum. Abbatiæ tamen adminiſtrationem haud ille ante obitum præfati Papæ ſuſcepit ex cauſa ſuperiùs in Friderico expoſita; cœpitque ſedere à die Paſchatis, anni 1058. quæ tunc incidit in 13. Kalend. Maji. Romanum poſtea Pontificatum, cùm in Pentecoſte anni 1086. hoc eſt 9. Kal. Junii: recuſaſſet, ſuſcepiſſet autem, fuiſſetque conſecratus *anno 1087. 13. Kal. Aprilis, die Dominico in Ramis Palmarum*, nomen ſortitus Victoris 3. Abbatiam nihilominus ad prædeceſſoris exemplum non dimiſit, ſed ad obitum uſque retinuit; qui, ſi Petro Diacono in Auctario ad Oſtienſem lib. 3. cap. 71. juxta fidem ſcripti exemplaris, & editionis Neapolitanæ ſteterimus, *migravit ad Dominum 16. Kal. Octobris, anno Domini* 1087. *à Patris autem Benedicti anno DLXXIX.* (reſtituo *DLIX.*, ut declaratum eſt, ubi de Conſtructione Monaſterii Caſſinenſis) *cùm præfuiſſet in hujus Monaſterii regimine annis 29. menſibus 4. diebus 16. In ſede verò Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio., anno uno, ſacrationis menſibus quatuor, diebus ſeptem*: Sin autem diligentiorem ſequemur calculum, deſcriptum in Indice præfixo Codici 202. ſedit Abbas (tempora ipſius Pontificatus præterita ibi fuere, quæ nec Petrus diligenter admodum computavit) ſupra jam dictos annos 29. integris menſibus quinque. Sed omnium diligentiſſimè auctor alterius Indicis illi dat *annos XXIX., menſes IV., dies XXIIX.* (ſic enim ibi dierum numerus reſtituendus eſt, qui modò habet dies *XXII.*) quod ſanè annorum, menſium, & dierum intervallum defluxiſſe deprehenditur à 13. Kal. Maji, & à Paſchate anni 1058. ad 16. Kal. Octobris antedicti anni 1087. Editus Anonymus Caſſinenſis ex conſueto errore annum ſuſceptæ à Deſiderio Abbatiæ anticipat, ac pariter dimiſſæ; ſicuti intermedia etiam tempora, & geſta omnia antevertit, excepto anno Dedicationis majoris Eccleſiæ Caſſinenſis, in anno celebratæ 1071., in quo cum Oſtienſi bene convenit, hoc ipſo anno illam actam perhibens: ſic nempe eo loci ab ejuſdem editionis Auctore recenſitus, qui præfatæ celeberrimæ conſecrationis annum memoriter, ac promptè retinebat; ſcriptumquæ exemplar, numero ſignatum 47. ex quo, ut in Theobaldo dixi, natus eſt ejuſmodi anticipationis error, ibi ſolummodo in Chriſti annis haberi adverterat depravatum. Sed præſtat nunc nonnullos Abb. Deſiderii Actus, deſcriptos ab Oſtienſi, ad ejuſdem Auctoris normam, ſeriatim, & per tempora exponere. Qui lib. 3. cap. 12. inter priora ejus geſta notat, quòd *ille Adenulfo Cajetano Duci gratiam Principis conciliaverit*:

nem-

nempe Richardi primi; qui ex Comite Aversæ Campanum Principatum limitata quadam potestate in anno obtinuit 1058. plenissimè autem in anno 1062. post quem annum, in anno videlicet 1063. atque exacto mense Majo, qui Desiderii fuit annus 6. Richardum cum Adenulfo concordasse, eique Ducatum Cajetanum retinere, ignotis nunc conditionibus, permisisse, intelligere est ex innumeris antiquis Chartulis; in quibus ipse unà cum filio Jordano, æque Principatus dignitate insignito, Dux etiam Cajetæ ab anno jam dicto 1063. appellari cœpit: quo simul tempore Romanam Campaniam pervaserat, de quo fusè alio loco. *At Desiderius*, inquit Ostiensis lib. 3. cap. 28. *anno ordinationis suæ nono, Divinæ Incarnationis millesimo sexagesimo sexto, mense Martio, Indictione quarta, Beati Benedicti Ecclesiam tam parvitate, quàm deformitate thesauro tanto, tantæque Fratrum congregationi incongruam, evertere à fundamentis aggressus* (editus Anonymus Cassinensis hæc figat ad annum 1065. suo more) ipsam magnificentiùs instaurandam suscepit; quam *intra quinquennii spatium absolutam*, ut idem perhibet Auctor cap. 30. solemnitate maxima dedicandam à Summo Pontifice Alexandro 2. curavit, *die Kalendarum Octobrium, anno Incarnationis Divinæ* 1071. *Indictione* 9. *die Sabbathi. Transactis verò* (verba pariter sunt Ostiensis, sed in Descriptione consecrationum Ecclesiarum Cassinensium unà cum Quatuor antiquis Chronologis Neapoli sub Ignoti Auctoris nomine edita) *à præfata Dedicatione tribus annis, totidemque mensibus, anno videlicet à Salvatoris Nativitate* 1075. *incipiente, tertio Nonas Januarii Ecclesiam B. Bartholomæi Apostoli, quæ ad Occidentalem partem Majoris Ecclesiæ satis decenter sita erat, cum grandi iterum lætitia dedicari fecit à Joanne Episcopo Sorano* (hic fuerat ejusdem Cœnobii Monachus, ut Petrus Diaconus habet in Auctario ad Ostiensem lib. 3. cap. 34. eandem describens consecrationem) *Quo etiam anno* (nempe 1075.) *post octo circiter menses, reliquæ duæ Basilicæ in extremis exterioris Atrii, Turrium modo, hinc inde locatæ, pari studio, & honore sacratæ fuerunt* 4. *Idus Septembris*, &c. quæ etiam repetit idem Petrus loco prædicto. Atque hæc de Desiderio. Cæterùm idem Petrus injustè à viro docto reprehenditur, quod lib. 3. cap. 42. præpostero ordine quandam à Campanis Clericis, seu dicas Canonicis cum Monachis Cassinensibus disceptationem Capuæ habitam coram Gregorio 7. in *anno*, ut ipse putat, *sui Pontificatus primo*, Christi scilicet 1093. quo sanè anno fuit Capuæ Gregorius, retulerit post Synodum ab eodem Summo Pontifice Romæ coactam. Nam Petrus de ea Romana Synodo est ibi locutus, in qua statutum est (ejusdem Auctoris sunt verba) *ut si quis à Laico Ecclesiæ investituram acciperet, dans, & accipiens anathemate plecteretur*. At illam in anno Christi 1078. 6. Pontificatus Gregorii, 13. Kal. Decembris, Indictione 2. celebratam constat; cujus Acta habentur lib. 6. Epistolarum ejusdem Papæ post Epist. 5. Quo simul anno, Kal. Junii, Indictione 1. Gregorius Capuæ adstitit, ut ex ipsius Epist. 1. prædicti lib. 6. aperitur: nempe, ni fallor, cum Principe tunc agens Jordano de comprimendo Duce Roberto Guisc. bonorum Romanæ Ecclesiæ invasore; in quem eodem tempora etiam conjuraverunt plurimi ejus Comites; nam dicto anno 1078. Jordani pater Richardus, & ipse Pontifici olim infensus, ab excommunicatione solutus decesserat 8. Id. Aprilis, quintâ Feriâ in Cœna Domini. Petrus verò post descriptam Romanam Synodum statim de Clericis, & Monachis invicem altercantibus verba fecit; nempe tempus non motæ, sed decisæ litis attendens, quæ definita videtur in eadem Synodo; extat enim in ipsius Petri Registro pag. 21. Gregorii 7. Privilegium, *datum Romæ anno 6. sui Pontificatus, 7. Idus Decemb. Indictione 2. quo censuit præfatus Apostolicus* (verbis etiam dicam Petri) *tam Archiepiscopum, quàm & Capuanos Clericos in perpetuum ab illa quæstione quiescere*, &c.

Desider. sed. à 13. Kal. Maji ad 16. Kal. Octob. per hos ann.

An. Chr.	Ind.	Desid.	An. Chr.	Ind.	Desid.
1058	11	1	1074	12	17
1059	12	2	1075	13	18
1060	13	3	1076	14	19
1061	14	4	1077	15	20
1062	15	5	1078	1	21
1063	1	6	1079	2	22
1064	2	7	1080	3	23
1065	3	8	1081	4	24
1066	4	9	1082	5	25
1067	5	10	1083	6	26
1068	6	11	1084	7	27
1069	7	12	1085	8	28
1070	8	13	1086	9	29
1071	9	14	1087	10	30
1072	10	15	An. 30. non exactus.		
1073	11	16			

ODERISIUS.

Ab ann. 1087. *ad ann.* 1105.

TRiduo antequam Desiderius, qui & Victor 3. vita decessisset, omnium Monachorum unanimi voto, ut Petrus Diaconus tradit lib. 3. cap. 71. Abbas ab eodem Pontifice fuit constitutus, sive, ut minutiori sermone idem habet Auctor lib. 4. cap. 1. *Cùm Papa graviter infirmaretur, in Capitulo Fratrum se deferri in lecto præcepit; ibique admonuit Fratres, ut juxta quod B. Benedicti Regula præcipit, Abbatem sibi de ipsa Congregatione eligerent. Inter Fratres verò habito consilio, omnes pari consensu prædictum Oderisium, qui ex Marsorum Comitum origine lineam sanguinis ducebat, ad tantum ordinem recipiendum dignum proclamantes, elegere. Quod cùm prædicto Papæ Victori retulissent, ipse voluntatem eorum, & electionem valde laudavit, eundemque protinus vocari faciens, omnino invitum per Virgam, & Regulam de Abbatia investituit; in qua sedit annis decem & octo, mensibus duobus, diebus decem & octo*. Sic Petrus ibi. Sed index in Codice 202. præscriptos quidem annos, & menses Oderisio adsignat, nullos tamen addit dies, ex librarii forte incuria; quos alter Index levi varietate notat 17. nam hic Abbas obiit, eodem testante Petro lib. 4. c. 24. quarto Nonas Decembris, scilicet anno 1105. Etsi Anonymus Cassinensis in Codice edito annum electionis ipsius, æquè ac obitus, non suo, sed alieno ut solet, anticipat, errore. *Porrò cùm ab hac Dedicatione* (sic pergit Ostiensis in superiùs laudata Descriptione post expositam consecrationem binarum Ecclesiarum novissimè actam, curante Abbate Desiderio in anno 1075.) *annus jam quartusdecimus, & ab Incarnatione Dominica millesimus & nonagesimus*,

mus, volveretur (annos supputat 14. nescio qua deceptus fallacia, qui ex ipsiusmet calculo fuerunt quindecim, menses duo, & dies octo) *tribus jam annis, & tribus ac sexaginta diebus à transitu Reverendæ memoriæ Desiderii Abbatis elapsis, præsidente, atque jubente Domno Oderisio Reverentissimo successore ipsius, dedicata est Ecclesia S. Confessoris Christi Martini, quam prædictus Abbas Desiderius mirificè, ac pulcherrimè in sexdecim marmoreis columnis erexerat* (totidem columnas numerat Petrus Diac. lib 4. cap. 8. qui lib. 3. cap. 34. decem & octo fuisse declarat) *Dedicata est autem 14. Kal. Decembris: ipsa videlicet die Octavarum ejusdem Confessoris Christi Martini, Feria secunda.* Hæc ille, ipsissimisque verbis Petrus l. 4. c. 8. ex fide MS. Codicis, & utriusque antiquioris Editionis; hoc tamen excepto, quòd *annos 14. à Dedicatione Majoris Ecclesiæ*, hoc est ab anno 1071. elapsos tradit; quos Ostiensis, ut dictum est, supputaverat ab recentiori consecratione minorum Ecclesiarum in exteriori Atrio sitarum, atque ab anno 1075. Ex quo manifestè intelligimus, haud hunc ipsum Petrum, ut alii sibi persuaserunt, ejusmodi Descriptionis fuisse Auctorem; sed quem dixi Ostiensem, qui palàm id testatur, cùm ibidem spondet, se *alio loco*, nempe in gradiori Chronico, quod re complevit lib. 3. cap. 28. & seqq. *cum reliquis operibus prædicti Domni Abbatis Desiderii latiùs expositurum, quantâ gloriâ, quantâque frequentiâ major illa Ecclesia fuerit consecrata.* Et verò quisquis ejusce descriptionis putandus sit Auctor, ille quidem *propriis oculis visa* scribere se adfirmat, haud cum Petri ævo comparanda; qui in anno Christi 1115. primum suæ ætatis agebat lustrum, eodemque tempore B. Benedicto fuit oblatus: de quo dicam infra in Abb. Girardo. *At annis post ista tribus* (sic Ostiensis vbi supra post descriptam consecrationem Ecclesiæ S. Martini, in anno actam 1090.) *& tribus insuper ac septuaginta diebus exactis, anno scilicet Incarnationis Dominicæ* 1094. *Ind. secunda, Mensis Januarii die trigesima, secunda Feria* (Characteres hi omnes jam dicto competunt Christi anno) *dedicata est Ecclesia B. Andreæ Apostoli, præsidente Abbate Oderisio: eà nimirum die* (hoc est recurrente) *qua Castrum, quod Frattæ dicitur, recepimus; quod videlicet triennio ante* (in anno 1091.) *à vicinis Normanis furatum nobis fuerat, atque pervasum, sed die* ..... (suppleo. 3. *Kal. Februarii*) *Domino auxiliante, receptum, atque ob sempiternam illius triumphi memoriam in eadem die* (anniversaria, ut dixi, ac transacto triennio) *consecrationis hoc solemne statutum.* Sic ibi. Nec in alium annum hanc Dedicationem retulisse videtur editus Anonymus Cassinensis, consueto anticipationis errore eam notans ad annum 1093. ad quem etiam & ad Indictionem nihilominus secundam, diemque Januarii trigesimam eam refert Petrus Diaconus lib. 4. cap. 9 in universis Editionibus, & in manu exarato exemplari; sed mente certè lapsus; nec advertens Indictionem secundam haud competere anno à se descripto, sed anno 1094. cui ritè assignat Ostiensis; ipseque suo se gladio confodit Petrus, consecrationem actam consentiens triennio postquam Castrum Frattarum fuerat recuperatum; ipsius autem amissionem, & recuperationem certis temporum characteribus circumscriptam, in annum rejiciens 1091. perhibet enim Castrum deperditum *in Festivitate S. Priscæ*, hoc est 15. Kal. Februarii, *perque integram hebdomadam*, ad diem scilicet 7. Kal. ejusdem mensis; invasorem commonitum ab Abbate, ut illud redderet, *& quarta tandem die*, tertio videlicet Kal. mensis antedicti, fuisse à Monachis receptum; *septima verò die*, nempe ab transacta hebdomada illa, hoc est 4. Non. Februarii, *dum præfatus Abbas cum Papâ Urbano Capuæ esset, Rainaldum Ridellum Castri usurpatorem publicè eidem Abbati satisfeciisse*; qua die Purificationis B. Mariæ festum colebatur: Urbanus autem Beneventum tunc pergebat ad Synodum ibi jam dicto anno 1091. celebrandam. Cæterùm *hoc præsidente Abbate* (Petri sunt quoque verba lib. 4. cap. 23.) *anno Dominicæ millesimo centesimo tertio, septimodecimo anno promotionis suæ, dedicata est Ecclesia S. Stephani, Nonis Decembris, &c.*

Oderisius sedit à 16. Kal. Octobris ad 4. Non. Decembris per subscriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Odor.	An. Chr.	Ind.	Odor.
1087	10	1	1097	5	11
1088	11	2	1098	6	12
1089	12	3	1099	7	13
1090	13	4	1100	8	14
1091	14	5	1101	9	15
1092	15	6	1102	10	16
1093	1	7	1103	11	17
1094	2	8	1104	12	18
1095	3	9	1105	13	19
1096	4	10	An. 19. non exactus.		

OTTO

Ab ann. 1105. *ad ann.* 1107.

EX nobilissima Fundensium Consulum prosapia ortus, Abbas hujus Monasterii tricesimus nonus, sedit anno uno, mensibus decem; electus eodem tempore, quo Princeps Capuæ Richardus (scilicet 2.) *infirmitate gravissima laborabat: qua ingravescente, vitâ decessit. Quo etiam tempore defuncto quarto Imp. Henrico, Henricus quintus, filius ejus Romani Imperii gubernacula regenda suscepit.* Sic Petrus Diaconus lib. 4. cap. 26. Epocham, & spatium Abbatiæ Othonis probè consignat, quem dein cap. 30. perhibet obiisse Kal. Octobr. nempe anno 1107. exactis, quos ei imputaverat, anno uno, & mensibus decem, ab 4. Nonas Decembris, anni scilicet 1105. quot etiam illi imputat uterque Abbatum Index. At cùm vides à Petro Othonis electionem comparari cum anno obitus Principis Richardi, & Imperatoris Henrici quarti, qui aliis dicitur tertius, sic ejus verba accipienda esse adverte: ut Richardum intelligas tempore prædictæ electionis, atque initio mensis Decembris, anno 1105. infirmitate detentum, diem obiisse in exordio sequentis anni 1106. sicut aptiori loco declarabitur, quo etiam anno, mense Augusti Henricum vita decessisse, Auctores adfirmant omnes. Refellas hinc oportet editionem Anonymi Cassinensis, in qua consueto errore Othonis electio notatur ad annum 1106. Principisque Richardi 2. obitus ad annum 1105.

Otho sedit ab 4. Nonas Decembris ad Kal. Octobris per subscriptos annos:

An. Chr.	Ind.	Oth.	An. Chr.	Ind.	Oth.
1105	13	1	1107	15	Continuat an. 2. non exactus.
1106	14	2			

BRU-

A

BRUNO

Ab an. 1107. *ad ann.* 1111.

EX illustri Astensium civium prosapia ortus, & ex Episcopo Signino Monachus factus Cassinensis, est tandem electus Abbas ejusdem Monasterii quadragesimus, quadragesimo quarto die ab Ottonis Abbatis depositione extante; seditque annis tribus, mensibus decem. Petrus Diaconus lib. 4. cap. 31. Abbatiam igitur suscepit Bruno Idibus Novembris, anno 1107. vel die sequenti; à qua die computatis ejus sedis annis & mensibus antedictis, illam ad Idus usque Septembris retinuisse videtur. Verùm Indices supra tres annos ei adsignant menses undecim, ita ut Brunonem Abbatia se abdicasse innuant mense Octobri: ad Pontificis enim Paschalis 2. imperium ipsam dimisit, ut pluribus tradit idem Petrus lib. 4. cap. 42. qui diem silet abdicationis. De hoc autem quidquid sentias, edito Anonymo Cassinensi haud adsentiri poteris; exordium hujus Abbatis in anno statuenti 1108. exitum verò in anno 1110. qui suo more hæc tempora antevertit.

Bruno sedit ab Idibus Novembris ad Idus vel Septembris, vel Octobris per subscriptos annos:

An. Chr.	Ind.	Bru	An. Chr.	Ind.	Bru.
1107	15	1	1110	3	4
1108	1	2	1111	4	Continuat an. 4. non exactus.
1109	2	3			

B

GIRARDUS

Ab ann. 1111. *ad ann.* 1113.

EX nobilissima Marsorum Comitum progenie originem ducens, hujus Monasterii Abbas quadragesimusprimus, sedit annis undecim, mensibus tribus. Petrus Diac. lib. 4. cap. 43. Index verò in Codice 202. nudum hujus, & sequentis Abbatis nomen exhibet, nec ulterius progreditur. At alter levi à Petro discrepantia ei assignat annos undecim, menses duos, dies viginti octo; quem obiisse 16. Kal. Februarii, anno videlicet 1123. idem Petrus scribit lib. 4. cap. 77. quo pacto electum demonstrat 16. Kal. Novembris, anno 1111. ; quando prædecessorem Brunonem Abbatia se abdicasse, expositum est suprà. *His porrò temporibus* (verba sunt præfati Auctoris lib. 4. cap. 66. Monachatus sui initia enarrantis) *Petrus Diaconus anno Dominicæ Incarnationis quintodecimo centesimo atque millesimo, primo ætatis suæ lustro* (restitue, *secundo*, ut constabit in subsequenti Oderisio) *à parentibus suis B. Benedicto oblatus, & à jam dicto Girardo susceptus, sub eodem per annos bis quatuor eruditus est*: scilicet ad exitum usque prædicti Abbatis; & ad annum 1123. Ex quo etiam apparet consuetus in editione Anonymi Cassinensis error, ubi Girardi electio, & obitus integro anno citius figitur.

Girardus sedit ab 16. Kal. Novembris ad 16. Kal. Februarii per subscriptos annos.

Ann. Chr.	Ind.	Gir.	Ann. Chr.	Ind.	Gir.
1111	4	1	1119	12	9
1112	5	2	1120	13	10
1113	6	3	1121	14	11
1114	7	4	1122	15	12
1115	8	5	1123	1	Continuat an. 12. non exactus.
1116	9	6			
1117	10	7			
1118	11	8			

C

ODERISIUS II.

Ab ann. 1123. *ad ann.* 1126.

HUjus nominis secundus, atque *à B. Benedicto quadragesimus & secundus Abbas, ex Sangrorum Comitum prosapia suæ originis lineam ducens, sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quindecim.* Petrus Diaconus lib. 4. cap. 78. A quo nonnihil discrepat Index, qui reliquam Abbatum seriem repræsentat, dans Oderisio 2. supra annos, & menses prædictos, alios dies viginti sex. Sed hæc discrepantia paucos dies, non annos proturbat illius sedis; quem de Abbatia expulsum aliquantò post Pascha, in anno scilicet 1126., eo anno celebratum 3. Idus Aprilis, idem Petrus tradit lib. 4. cap. 83., parumque refert; an ille ad Prid. Kal., an ad 3. Idus Junii sederit; vel ob id præcipuè, quòd varia hæc supputatio ad concordiam redit in subsequenti Abbate Nicolao; exque ea nullum sanè procedit incommodum. Idem autem Petrus designatam à me Oderisii 2. Epocham demonstrabat, Meteora illa in anno visa 1123. Prid. Non. Aprilis (in Chronico Anonymi Cassin. consueto errore notantur ad annum antecedentem) & à se descripta lib. 4. cap. 79. ad ipsius Abbatis tempus referens, haud quidem multò ante electi; quandoquidem addit, *tunc temporis Pandulfum Comitem de Sexto jurejurando firmasse eidem Oderisio totam ex integro Abbatiam*, &c. quæ confirmatio, ex consueto more, in exordio susceptæ muneris acta videtur. Pariqne ratione idem Auctor cap. 92. ea, quæ gesta fuerant in anno 1124. ad ætatem retulit ejusdem Abbatis; unde nec ejus electionem apud editum Anonymum Cassinensem ad annum 1122.: expulsionem verò ad annum 1125. congruè repræsentatam intelligimus, nec ipsum Petrum lib. 4. cap. 66. sinè mendo esse, dicentem, se in anno 1115. *primo suæ ætatis lustro*, hoc est quinquennem, B. Benedicto fuisse oblatum; & in *vigesimo primo anno* suæ vitæ scripsisse Passionem B. Martyris Marci, & Sociorum ad Abb. Oderisium; nam sic ille, sibi pugnans, Oderisii sedem produxisset ad annum Christi decimum sextum supra millesimum centesimum decimum quintum: hoc est ad annum 1131., quo, ut manifestum est, vigesimum primum suæ ætatis egisset annum; in ipsis etiam Actis S. Marci manu exaratis iterum à se inculcatum. Restituas igitur oportet loco jam dicto, *secundum* lustrum agentem, ac decennem, Petrum Sacro Monachorum cœtui aggregatum, cessabitque omnis inconvenientia, ut consideranti patet.

D

Oderisius 2. sedit à 16. Kal. Februarii ad Prid. Kal. sive ad 3. Idus Junii per subscriptos annos.

E

An. Chr.	Ind.	Oder.	An. Chr.	Ind.	Oder.
1123	1	1	1126	4	4
1124	2	2	Non exactus.		
1125	3	3			

NICOLAUS

Ab ann. 1126. *ad ann.* 1127.

NAtione *Tusculanus sedit anno uno, mense uno, diebus sexdecim.* Petrus Diac. lib. 4. c. 89. Hujus sedem, sive cum eodem Auctore, ut superiùs indicabam, supputes à

Prid.

Prid. Kal. ſive cum Indice Abbatum, à 3. Idus Junii, anni 1126., diem planè 17. Kal. Auguſti anni 1127. non eſt tranſgreſſus, nam Index ille ad Petri rediens concordiam, imputat ei poſt annum, & menſem dies non plures, quàm ſex. Dies tamen electionis ſucceſſoris ejus Senioreti ſi attendatur, ceſſiſſe Abbatiæ dicendum erit Nicolaum 4. Idus Julii; ſed his nimis ſcrupulosè non inſiſto. De Anonymi autem Caſſinenſis malè curata editione magis curo, de qua nil addam nunc ampliùs: cùm ex hactenus dictis, annorum errorem in Theobaldo expoſitum, perpetuò in ea inſidere, jam facilè deprehendi poſſit. Sed utinam nec uno modo, nec frequentiſſimè ibi quoque peccatum.

Nicolaus ſedit à Prid. Kal. ſeu à 3. Idus Junii ad 4. Idus Julii per ſubſcriptos annos.

An. Chr.	Ind.	Nic.	An. Chr.	Ind.	Nic.
1126	4	1	1127	5	2
			non exactus.		

SENIORETUS

Ab an. 1127. ad an. 1137.

HUjus Cœnobii *Abbas à B. Benedicto Quadrageſimusquartus, ſedit annis novem, menſibus ſex, diebus decem & novem: electus 4. Idus Julias*. Petrus Diac. lib. 4. cap. 94. cui concordat Index Abbatum. Sed ſemetipſum refellit Petrus lib. 4 cap. 104. in Caſſinenſi exemplari, & in antiquioribus editionibus tradens, Senioretum deceſſiſſe *quinta Feria, Idus Februarii*, anno videlicet 1137., à qua die retrocedendo ad 4. Idus Julias anni 1127. dinumerantur anni 9. menſes 7. dies 4. Sique contra fidem ſcripti Codicis cum editione Neapolitana prædicto cap. 104. ſive 103. pro *Idus* legas. *Nonis Februarii, Feria quinta*, ſex quidem ille poſt novem annos ſediſſet menſibus, ſed diebus inſuper vigintiquatuor; ut ratiocinanti patet. Cujus nihilominus noviſſimæ editionis lectionem ad Petri mentem magis accedere, non inficior; qui electum ſucceſſorem Rainaldum poſt ſex dies ab obitu Senioreti, cùm Feſtum S. Scholaſticæ celebraretur, ſcilicet 4. Idus Februarii, diſertè docet lib. 4 cap. 104. ſive 105. Verùm anno 1137. quo obiit Senioretus, haud dies Nonarum, ſed Pridie Nonas Februarii in quintam incidit Feriam; ad quam planè diem adnotatur ejus mors in Emortuali Caſſinenſi omnibus Auctoribus præferendo; nec idem Petrus in alium annum Senioreti obitum retulit, tradens cap. 100. ſive 101. tunc tertium diem poſt Feſtivitatem Epiphaniæ, hoc eſt 6. Idus Januarii, in ſextam Feriam incurriſſe.

Senioret. ſed à 4. Id. Jul. ad Pr. Non. Januar. per hos annos.

An. Chr.	Ind.	Gir.	An. Chr.	Ind.	Gir.
1127	5	1	1134	12	8
1128	6	2	1135	13	9
1129	7	3	1136	14	10
1130	8	4	1137	15	Continuat ann. 12. non exactus.
1131	9	5			
1132	10	6			
1133	11	7			

Rainaldus Etruſcus per ſchiſma in ann. 1137.

DEfuncto Senioreto, inquit Petrus Diac. lib. 4. cap. 104. *jam ſex dies tranſierant, cùm ad Feſtum S. Virginis Chriſti Scholaſticæ Fratres undique ad Monaſterium convenientes, & de electione Abbatis inter ſe tractantes, dividuntur in partes: & una quidem Rainaldum Calamentanum, qui poſt Abbas extitit, alia Rainaldum Etrurienſem eligere diſponebant.* Sic Petrus, qui poſt hæc alterum ex his duobus à ſe dictis Rainaldis tandem electum, ſed adeò implexo expoſuit ſermone, ut qui ejus Chronici Venetam, omniumque primam editionem curavit, minùs bene Auctoris mentem aſſecutus, Calamentano tunc per ſchiſma commiſſam Abbatiam, ſibi perſuaſerit; in quam ſententiam Petri etiam textum reformavit; ſed illum Editio Neapolitana in primitivam, ſcriptoque exemplari concordiorem reſtituit lectionem, nullatenus tamen ab iis, qui Seriem Abbatum Caſſinenſium poſtea deſcripſerunt, attentiùs examinatam. En Petri germana verba. *Cùm inter ſe*, inquit, *Fratres plurima conferrent, viſum demum Prioribus eſt, ut electio differretur, uſquequo ad Regem Rogerium, Romanumque Pontificem, tunc Piſis remorantem, Nuntios deſtinarent; per quos Caſſinenſis Cœnobii fortunam notificare, & ſuper tali negotio illorum conſilium præſtolari valerent. Sed cùm ad hoc alteram partem flectere nullo modo poſſent (contradicentibus, & renuentibus aliis, qui ſupradictum Rainaldum Calamentanum eligere diſpoſuerant) eundem Rainaldum appræhendentes, in Patris Benedicti Cathedra illum locantes, ſibi in Abbatem conſtituunt.* Docti itaque viri perſuaſum habentes, tò *eundem Rainaldum*, ad Calamentanum proximè quidem, ſed in Parentheſi haud ſibi obſervata, deſcriptum referri, non autem ad antecedentem Etrurienſem, non hunc, ſed illum tunc per ſchiſma Abbatem conſtitutum putaverunt, quorum interprætationem à Petri mente, & à vero quàm longiſſimè aberrare, manifeſta auctoritate probatur editi Anonymi Caſſinenſis; qui ad annum 1136., (jam noſti reſtituendum eſſe 1137.) defuncto Abb. Senioreto, ſubrogatum in ejus locum ait Rainaldum Tuſcum: iſtoque eodem anno depoſito, ſuffectum Guibaldum: ac Guibaldo ſe abdicante, Rainaldum alterum fuiſſe ſubſtitutum; quod etiam perhibet in binis ſcriptis exemplaribus: quin ſententia clariori Rainaldum Tuſcum, ſive Etrurienſem, Guibaldi anteceſſorem, ſucceſſorem verò Rainaldum facit Calamentanum, in Codice ſcilicet 47. his verbis. *Obiit Senioretus Abbas. Rainaldus Tuſcus ſit Abbas*, &c. *Rainaldus hujus loci electus deponitur. Guibaldus ordinatur, qui poſt XLIV. dies recedit. Rainaldus Co†im. ſit Abbas*: In Cod. autem 199. eadem ſic. *Rainaldus hujus loci electus deponitur; Guibaldus ordinatur, qui poſt XL. dies recedit. Rainaldus Colemt. ſit Abbas*. Nec compendianda illa verba. *Co†im. Colemt.* aliud exprimunt vocabulum, quàm, *Colimentanus*, ſicut in Italica Diſſertatione de Colimentanæ familiæ origine à me ante triennium habita expoſitum eſt: qua Auctores alterius opinionis perſuaſos ſententiam mutaſſe, ac per me profeciſſe (ſuntque de hoc mihi tum Neapoli, tum alibi teſtes plurimi, & locupletiſſimi) non poſſum non lætari. Sed redeo ad Rainaldum, qui in ſchiſmate electus, ipſeque Anacletiani ſchiſmatis fautor, à Pontifice Innocentio 2. eodem anno 1137. Caſſinenſi in Monaſterio unà cum Imp. Lothario 3. commorante, canonicè depoſitus eſt, ut Petrus Diac. prodit lib. 4. cap. 123. Venetæ, & Pariſienſis Edi-

Digitized by Google

Editionis : ſequenti ſcilicet die poſt ſextam Feriam quatuor temporum , menſe Septembri ; cùm per Cardinales , eodem tradente Auctore cap. 121. & 122. ipſius cauſa examinata fuiſſet *per quartam , & quintam Feriam tertiæ hebdomadis , menſis prædicti , ſecundo poſt Feſtum S. Crucis die , & per ſextam quoque Feriam quatuor temporum*, hoc eſt 17. 16. & 15. Kal. Octobris, in quos dies præfatæ Feriæ anno jam dicto inciderunt. Sedit igitur Rainaldus Tuſcus à 4. Idus Februarii ad 14. Kal. Octobris: menſibus ſcilicet ſeptem, & diebus ſeptem. Nec his contraria habet editio Neapolitana , licèt in multis extremo hoc loco contra fidem ſcripti exemplaris manca , quæ plenè exhibent priores editiones ; illaque ſi cum Baronio Apocrypha judicabis , non Petro , ſed ejuſce univerſi Chronici ſæpè dicto cenſori adſcribas par eſt ; nam continenti textu, eademque manu , qua ſuperiora , nec non poſteriora , & quidem antiqua , exarata fuiſſe , apparet . Sed in præfata etiam Neapolitana editione multa alia poſt hæc deſunt , nulla cenſura à Baronio notata, nullumque in ſcripto exemplari aſſertæ novitatis indicium præferentia.

GUIBALDUS

In ann. 1137.

EX Abbate Stabulenſi Abbas Caſſinenſis poſt depoſitionem Rainaldi Etruſci electus eſt, commorantibus adhuc in Caſſinenſi Monaſterio Innocentio , & Lothario prædictis ; qui illinc diſceſſerunt octavo poſtquam advenerant die, ac Feſtum Sancti Martyris Mauritii, quod agitur 10. Kal. Octobris , in Eccleſia Sancti Petri Apoſtoli apud Aquinum celebrarunt . Iſta pluribus Petrus Diac. lib. 4. cap. 125. & 126. juxta priores editiones , & ſcriptum exemplar ; quæ, & plura alia his conjuncta deſunt in Editione Neapolitana. Abbatiam igitur Guibaldus ſuſcepit 13. Kal. prædicti menſis, quam ſponte dimiſit 4. Non. Novembris ejuſdem anni, ut idem Auctor perhibet lib. 4. cap. 110. ſive 128. , cùm ſediſſet diebus 44., quot etiam dies ei aſſignat Anonymus Caſſinenſis in MS. Codice 47. , ſed in Codice 199. diminutè ſolos dies 40. verbis ſuperiùs relatis in Rainaldo Tuſco.

RAINALDUS CALAMENTANUS.

Ab ann. 1137.

CUm jam duodecim dies à Guibaldi diſceſſu tranſiſſent , à Monachis in Abbatem eſt electus, die videlicet Iduum Novembris, Petro Diacono referente lib. 4. cap. 111. ſive cap. 129., Abbatiamque ad obitum uſque , cùm eſſet ſimul Cardinalis , perpetuis tenuit annis 29., nam anno Chriſti deceſſit 1166. ut in Chronico habetur Anonymi Caſſinenſis, eo loci minimè depravato , ut dixi in Abbate Theobaldo. *Hic autem Rainaldus* (ejuſdem Petri ſunt verba) *è nobiliſſimo Marſorum Comitum genere , in Valeria ſcilicet Provincia ſanguinis ſui lineam ducens , tertio ætatis ſuæ luſtro ſub Oderiſio 2. Beato Benedicto fuerat oblatus*, &c. Fuit igitur ordinatus Abbas in anno ſuæ vitæ, ferè, viceſimo octavo ; gentilitio nomine appellatus *Colimentanus* , ut ſuperiùs expoſui. Ex cujus gente quatuorcentum quinquaginta abhinc annis præſignis familia *Barilis* , nuncupata , Neapoli antehac, & etiamnum multijugi dignitate clara prodiit . Atque hæc de Abbatibus Caſſinenſibus ſatìs ; namque nec Petrus Diacon. Chronicon ipſius Monaſterii poſt Leonem Cardinalem Oſtienſem ulteriùs produxit ; ad cujus facem hic Chronologicus Canon eſt à me inſtitutus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DELL'

ORIGINE

DELL' ANTICA FAMIGLIA

DETTA

DI COLIMENTA

DISCORSO

DI CAMILLO PELLEGRINO

FIGLIO DI ALESSANDRO.

Digitized by Google

Digitized by Google

DI CUNITO LEGISLATIVO

DELLA

ORIGINE

DELLE

LETTERA DEDICATORIA

DI FRANCESCO ORIGLIA

ALL' ILLUSTRISSIMO, ED ECCELLENTISSIMO SIGNORE

IL SIGNOR

DON FRANCESCO BARILE

DUCA DI CAIVANO, SECRETARIO DEL REGNO DI NAPOLI, CAPITANO DI GENTE D'ARME, BARONE DI S. ARCANGELO &c.

CRedo di farle cosa grata, se divolgherò per le Stampe il presente Discorso, già son tre anni composto dall' Autor suo in grazia di V. Eccellenza, e del vero, che poi le piacque comunicarlo con molti Letterati Professori di antichità quì in Napoli, e fuori, a' quali tal parere non dispiacque. Perciocchè potrà Ella per questo modo più facilmente risaper anche il giudizio, che ne verrà fatto dal resto de gl' Intendenti; ne devrà esserle discaro, che si risappia da tutti, l'opinione in esso sostenuta essersi da Lui prima, che da ogni altro pensata. Della cui lezione Uom per se certamente valoroso in così fatto modo si è approfittato, che in questi medesimi giorni, per le Stampe similmente di questa Città, si è disdetto del suo primo dire, ancorchè abbia tacciuto un tal fatto. E di ciò chiamo in testimonio V. Eccellenza medesima, alla quale riverente m'inchino. In Napoli il dì 15. di Aprile 1643.

Di V. Eccellenza

Divotissimo servidore
Francesco Origlia.

Digitized by Google

Digitized by Google

DELL' ORIGINE
DELL' ANTICA FAMIGLIA
DETTA
DI COLIMENTA
DISCORSO
DI CAMILLO PELLEGRINO
FIGLIO DI ALESSANDRO.

DEll' antica Famiglia detta *Di Colimenta* si leggono queſte memorie nel Calendario de' Morti, ſcritto in pergameno, ch' è nel nobil Monaſtero della Chieſa di S. Maria delle Monache in Capua riedificato dove è al preſente, ſecondo, che afferma Leone Cardinale Oſtienſe al cap. 2. del lib. 2. della ſua Cronica, fin dal tempo del Caſineſe Abbate Aligerno, e delli Principi Longobardi, Pandolfo, detto per ſopranome Capodiferro, e Landolfo ſuo figliuolo, cioè frà gli anni di Criſto 969. e gli anni 981.

III. Non. Febr. Dña Petrucia de Coliñta.
VII. Kal. Apr. Dñs Todinus Colimentanus.
V. Kal. Jun. Dñs Beraldus Coleñtanus.
IX. Aug. Dña Gaitelgrima Colleñte.
VII. Id. Aug. Dña Mathia de Coliñta Venerabilis Abbatiſſa de Caleno.
II. Kal. Sept. Lavenia de Coleñta M.
III. Kal. Octob. Philippa de Coliñta.

Ritrovaſi ancor memoria di Rainaldo Colimentano, che fù Abbate Caſineſe, e Cardinale a tempo del Sommo Pontefice Innocenzo II. benche Pietro Diacono al cap. 104. del lib. 4. della Cronica di quel Moniſtero, dove di lui ſcrive, il chiama *Calamentano*, e non già *Colimentano*, ne *Colementano*, come vengon detti Todino, e Beraldo nel recato Calendario. Ma queſto nacque, o per errore del Copiſta di quella Cronica, overo per difetto dello Stampator ſuo, o pure, come io più toſto credo, per la varietà uſata dal volgo nel proferir quel nome, che perciò ancor ſi legge in varii altri modi ſcritto nello ſteſſo ſudetto Calendario.

Del che ſiaſi pur quel che ſi voglia, io poi hò per coſa aſſai ſicura, che queſta Famiglia uſcì della nobiliſſima ſtirpe degli Antichi Conti di Marſi, come fù con ferma ſentenza dichiarato dal medeſimo Pietro, ma in parole alquanto ravviluppate. Percioche egli nel cap. 104. ch' io diſſi, e negli altri ſeguenti racconta, ch' eſſendo venuto a morte l'Abbate Caſineſe Senioreto, e che trattandoſi tra Monaci di dargli il ſucceſſore, una parte di eſſi volle Rainaldo Colimentano, ed un' altra volle un' altro Rainaldo, appellato Hetrurieſe, o dicaſi Toſcano; e che un di eſſi due Rainaldi eſſendo ſtato intronizzato, ed avendo ottenuta la Badia in gara tuttavia dell' altro, ricorſe al favore delli Miniſtri del Rè Ruggiero, favorendo egli all' incontro le parti di quel Rè, e dell' Antipapa Anacleto, di cui era Sodiacono; e ſoggiugne, che li fautori del Rainaldo eſcluſo nello ſteſſo tempo mandarono Lettere all' Imperador Lotario II. per ſignificargli la illegittima, e ſeditioſa elezione fatta dell' altro; e che appreſſo a pochi meſi lo Sciſmatico Abbate fù dal Pontefice Innocenzo II. depoſto, e fù eletto Guibaldo, uomo dell' Imperadore; il quale dopo traſcorſi pochi giorni, volontariamente rinunciò la Badia, e fù ſenza alcuna diſcrepanza acclamato in luogo ſuo Rainaldo, ch' era della ſtirpe de' Conti di Marſi. Queſto adunque eſſendo il riſtretto dell' intiero racconto diſteſo dal predetto Autore in molti Capitoli, io mi perſuado, che il Rainaldo, il quale nello ſciſma non ottenne la Badia, fù il Colimentano, e ch' egli ancora fù quel Rainaldo, il quale fù eletto appreſſo alla rinunzia di Guibaldo; talche il Colimentano parimente fù quello, che uſcì della famiglia de' mentovati Conti.

Al qual mio credere sò ben' io, che non conſentiran molti, li quali queſto Diſcorſo leggeranno, come parimente molti moderni, e gravi Scrittori han diverſamente da queſta mia opinione interpretato il dire di Pietro; altri ingannati dalla prima impreſſione di quel libro, che non eſpreſſe le ſincere parole di lui; ed altri, dopo la ſeconda impreſſione in ciò più fedele, ingannati dal credere de' primi. Percioche il Cardinal Baronio negli Annali Eccleſiaſtici all' anno 1136. Arnaldo Wion nel lib. 2. della prima parte del *Lignum Vitæ*, il Laureto nelle poſtille marginali al ſudetto cap. 104. del lib. 4. della Cronica Caſineſe, e nel Catalogo degli Abbati di quel Monaſtero, e finalmente Marco Antonio Scipione negli Elogj de' medeſimi Abbati: tutti han creduto, che il Rainaldo, il qual prevalſe nello ſciſma, e ch' eſſendo Sodiacono di Anacleto, e ſuo fautore, fù poi depoſto da Innocenzo, egli fù il Colimentano, e non già il Toſcano. E quantunque in queſto ſentire eſſi conſentan tutti concordemente, ſon nel reſto in diſparere, alcuni ſtimando, che il Toſcano fù altra volta eletto dopo Guibaldo; talche conviene, che riputin lui diſceſo da' Conti di Marſi, del che gli altri non fanno alcun motto, ma dicon ſolamente, che il Toſcano nello ſciſma non rimaſe egli l'Abbate.

Ma, ſia detto con pace degli uni, e degli altri,

altri, io hò per fermo, ch' eſſi ſcambiarono queſti due Rainaldi l'un per l'altro vicendevolmente; e che altri ſi gabbarono nel fallace teſto; ed altri ancorche di menti chiariſſime, s'abbagliarono nell' oſcuro, e fin' ora male interpunto dire di Pietro; il quale nel citato cap. 104. avendo raccontato, che dopo la diviſa elezione delli due Rainaldi, li Priori del Monaſtero, cioè coloro, ch' avean grado trà gli altri Monaci, fecero deliberazione di ſoſpendere il trattarne, per far in tanto conſapevole di ciò, ch' era ſeguito, così il Re Ruggiero, come il Romano Pontefice Innocenzo, ſoggiugne poi queſte parole. *Sed cùm ad hoc alteram partem flectere nullo modo poſſent (contradicentibus, & renuentibus aliis, qui ſupradictum Rainaldum Calamentanum eligere diſpoſuerant) eundem Rainaldum appræhendentes, in Patris Benedicti Cathedram illum locantes, ſibi in Abbatem conſtituunt.* Intendendo eſſi adunque per quelle parole. *Eundem Rainaldum appræhendentes*, il poco innanzi, e nel chiuſo della non prima da altri oſſervata parenteſi mentovato Colimentano, frà quali fù colui, ch' ebbe cura della prima impreſſione ſudetta; laonde non le recate, ma queſte altre parole di ſuo arbitrio vi ripoſe. *Rainaldum Calamentanum fautores ſui raptum in P. Benedicti ſede conſtituunt*: credettero lui eſſer il fatto così ſedizioſamente Abbate, e conſeguentemente lui il Sodiacono di Anacleto, ed il depoſto; per le quali parole anzi dinotavaſi il Rainaldo Toſcano, di cui era ſtato da Pietro ancor non molto prima nella continuazione di quel teſto dimoſtrato il nome.

E certamente ſe frà coloro, ch' han creduto il Colimentano eſſere ſtato l'eletto Abbate ſciſmatico, vi ſono ſtati alcuni di opinione, che il Rainaldo eſcluſo ottenne poi altra volta la Badia dopo la rinuncia fattane da Guibaldo, eſſi opponendoſi agli altri, che in tal ſentenza non caddero, ſi ſon dichiarati per queſta parte tener col mio parere; concioſia coſa che ancor io affermo, che l'eſcluſo Colimentano fù il ſucceſſore di Guibaldo. E nel reſto mi maraviglio, ch' eſſi ſianſi partiti dalla prima opinione già divolgata dagli altri, e non abbiano inſieme conoſciuto il fatto ſcambio; poſciache nel racconto di Pietro non è alcuno indizio, per cui poſſa crederſi, che l'eſcluſo Rainaldo fù di nuovo eletto poi in altro tempo appreſſo, ſe ancor non ſi acconſente, ch' egli fù il Colimentano, del quale quel Croniſta diſſe. *Qui poſt Abbas extitit.*

Ed in vero, che Pietro non diverſamente aveſſe avuto in animo di ſcrivere, deeſi tener per certo in vigor delle ſue parole pur ora prodotte, le quali intiere ſon queſte, ragionando egli dello ſciſma de' Monaci. *Una quidem pars elegit Rainaldum Calamentanum, qui poſt Abbas extitit.* E non poſſono riconoſcerſi vere, ſe il Colimentano non fù egli medeſimamente quel Rainaldo della ſtirpe de' Conti di Marſi, che ſeguì a Guibaldo: non eſſendo poi ſtato fin' all' età di quello ſteſſo Scrittore altro Rainaldo Abbate Caſineſe dopo quello ſciſma, che il Marſicano, il quale fù colui, a chi pur egli dedicò la medeſima Cronica, dove di queſto ragiona.

E mi avveggio ben io, che coloro, i quali ſon dell' altra opinione, inteſe per quelle parole. *Qui poſt Abbas extitit*, che il Colimentano fù delli due Rainaldi colui, che rimaſe Abbate in sì fatte diſcordie; ma eſſi averebber dovuto più toſto apprenderne, che il Colimentano non allora fù Abbate, ma poi: *Poſt*, dopo lo ſciſma in altra occaſione, come ſi devono propriamente interpretare. Ed in vero per qual modo Pietro potè in tal dire dimoſtrarlo ſciſmatico, s' egli quante volte ebbe appreſſo occaſione di mentovarlo, ſempre il chiamò *Eletto*; come appunto far conveniva, poſciache non era ſtato, ne fù mai più nella Badial dignità conſecrato?

Ma per rimuovere affatto ogni dubbietà, che d'intorno ciò rimaner poteſſe, io produrrò un' aſſai grave, ed antico teſtimonio, ò dicaſi interprete della mente di Pietro, il quale è quel Croniſta Caſineſe, che ſcriſſe appreſſo à lui, e per eſſer il ſuo nome ignoto, viene comunemente detto l'Anonimo. Egli riſtrettamente deſcrivendo la ſucceſſione di queſti Abbati, colloca con chiare parole dopo Senioreto il Rainaldo Toſcano, e dice, che queſti fù poi depoſto, & che fù eletto in ſuo luogo Guibaldo, al quale ſeguì un'altro Rainaldo. Sono le ſue parole nell'anno 1136. *Obiit Senioretus Abbas. Rainaldus Tuſcus fit Abbas.* Ed appreſſo. *Rainaldus hujus loci Electus deponitur. Guibaldus ordinatur, qui poſt XLIV. dies recedit. Rainaldus fit Abbas.* Adunque riconoſcaſi il Rainaldo Toſcano eſſere ſtato l'Abbate ſciſmatico, ſucceſſore di Senioreto, ed il depoſto; e perciò il Colimentano eſſere ſtato il Rainaldo eſcluſo, il quale come io diceva, fù poi Abbate appreſſo à Guibaldo, e conſeguentemente egli il nato della ſtirpe de' Conti di Marſi.

Ma dirà ancor queſto ſteſſo ſenza alcuna ambiguità, anzi più chiaramente il medeſimo Anonimo Croniſta nello ſteſſo luogo, che ſi è recato, ſe le ſue parole ſi leggeranno ne' Codici, che ſono à penna nella Libreria Caſineſe; ne' quali, non come negli ſtampati diminutamente, ma intieramente ſi trova ſcritto in queſta forma: cioè nel Codice ſegnato del nu. 47. *Guibaldus ordinatur, qui* &c. *Rainaldus Co†. fit Abbas.* E nel ſegnato del nu. 199. *Guibaldus ordinatur*, &c. *Rainaldus Colem̃t. fit Abbas.* Il qual ſopranome aggiunto à quello di Rainaldo, e così variamente raccorciato. *Co†. Colem̃t.* dinota à diſteſo, *Colimentanus*, ſenza molto difficile interpretazione, o pure, *Calamentanus*, come il medeſimo Rainaldo ſi trova appellato da Pietro ne' ſuoi ſtampati Codici.

Ma nondimeno chi pur ſeguir voleſſe più toſto la molta autorità di coloro, che nel contrario ſentimento han preſo le parole del ſudetto ſcrittore, dir potrebbe, che quando da lui ſi fè menzione del Colimentano la prima volta, ſe pur quelli foſſe ſtato il Rainaldo della ſtirpe de' Conti di Marſi, egli l'avrebbe ivi medeſimamente dichiarato, e non già poi.

Ed in oltre potrebbe ancor dire, che al Colimentano non acclamarono tutti li Monaci nel trattarſi del nuovo Abbate appreſſo alla morte di Senioreto, come fecero al Marſicano dopo la rinuncia di Guibaldo; e che in tal guiſa l'uno, e l'altro Rainaldo non dovettero eſſere ſtati un ſolo; ma due diverſi, così come diverſi furono gli affetti de gli elettori.

Ma à chiunque la fin'hora creduta opinione per queſti, ò per altri argomenti perſuaſo ſoſtener piaceſſe, io non facendo forza alcuna, riſponder in ogni modo ſon tenuto alli loro argo-

Digitized by Google

argomenti, secondo il costume usato ne' discorsi. E perciò dico, che Pietro non descrisse nella prima occasione, nella quale ebbe à mentovar il Colimentano, la sua nobile stirpe; percioch' egli non all' hora, ma (per dirlo con le sue parole) *post Abbas extitit*. Essendo stata sua usanza, e di Leone Hostiense ancora, la cui Cronica egli distese fin' à suoi tempi, di appalesare le condizioni, e li costumi degli Abbati, all'hor che prendevasi à scrivere della loro elezione, e di ciò, che ad essi posti in tal dignità era occorso, appartenente alle cose di quel Monastero; e non già altrove, come è facile ad osservarsi nella medesima Cronica.

E se il Colimentano fù la prima volta da pochi voti favoreggiato, e poi concordemente da tutti, deesi questo accrescimento attribuire al disfacimento, che patì il suo competitore deposto, ed al rassetto dato alle cose di quella Badia dal Pontefice Innocentio, e dall' Imperator Lotario; li quali in quello incontro di tempo vi erano più obediti, che il Re Ruggiero, e che l'Antipapa Anacleto, come dal medesimo corso degli accidenti seguiti in quel Monastero, secondo che furon descritti da Pietro, si raccoglie. Il quale inoltre ragionando al c. 107. delli partegiani del Rainaldo escluso nello scisma, non per altra cagione dovette dire, ch' essi delle angustie, nelle quali l'Eletto Scismatico poi cadde, *latabantur, sperantes, meliora sibi rerum mutatione ventura, quod postea rei probavit eventus*: se non perche deposto lo Eletto, fù sublimato Guibaldo, e finalmente il lor favorito Colimentano.

Ma potrebbe parer alli più semplici farmisi grave intoppo dalla Cronica di Frà Maraldo, della quale si legge per le Stampe nel Libro della Maestà di Palermo, descritto da Francesco Baronio, e Manfredi, quella parte, in cui si fà il racconto delli Personaggi di stima, che intervennero alla Coronazione del Re Ruggiero; percioche ivi frà gli altri si hà il nome di Rainaldo Colimentano corrottamente scritto così. *Rainaldus Colomontarius, Abbas Cassinensis*. Et ferma cosa è, che quel Re prese la Corona prima che l'Abbate Guibaldo fosse stato eletto, e che poi avesse rinonciata la Badia. Talche forza parrebbe à dirsi, che il Rainaldo predecessor di Guibaldo fù il Colimentano, e non già l'Hetrurieše; e perciò egli ancora il deposto, ed altri dal nato della stirpe de' Conti di Marsi.

Ma da questa invero non difficile opposizione parmi, che venga più tosto dichiarato, che il Rainaldo Colimentano era per cagione al sicuro della sua nobile stirpe, & di altri suoi preggi in molto honore ancor prima, che alla Badia avesse preteso, & vivendo tuttavia l'Abbate Senioreto; in compagnia del quale da Frà Maraldo ivi appellato non col nome proprio, ma con quello della dignità, egli all' ora communal Monaco à tanta solennità debbe intervenire; manifesta cosa essendo, che si fatta Coronazione non seguì dopo dell' anno 1130. & che Senioreto morì nell' anno 1136. ò pure al mio conto nell' anno 1137. Certamente Rainaldo tiene in quel Catalogo il luogo frà Prelati Ecclesiastici, qual egli all' or non era; talche io m' induco nell' animo, che non vi sarebbe nè anco stato annoverato il suo nome, se altra honorevolezza, come io diceva, non l'avesse reso illustre: ciò è quella della sua nascita. Et questa senza alcun fallo fù la mente di quel Cronista (qualunque fede per altro gli si convenga) à cui anche la interpuntione fatta nelli stampati Codici del suo prodotto Testo con chiarezza acconsente.

Nè mi si dica, che al tempo della Coronatione di Ruggiero non Senioreto, ma Rainaldo era Abbate, portandomisi contro la molta autorità del Card. Baronio; il quale par che espressamente ciò affermi ne' suoi Annali all' anno 1130. in quelle parole. *Sed & Cassinenses Monachi cum ipsorum Abbate Rainaldo fœdere juncti sunt eidem Rogerio adversus Innocentium legitimum S. R. E. Pontificem, quem execrationibus plurimis devoverunt, Anacletumque Pseudo-Papam sacrilegè susceperunt, prout constat ex concertatione cum eis postea habita coram Innocentio Papa, & Lothario Imp. à Petro Diac. conscripta*. Percioche convien credere, che quell' accortissimo Scrittore in quel luogo non volle far, che un racconto di tutti coloro, i quali ò più per tempo, ò più tardi all'Antipapa haveyano aderito, frà quali non in quell'anno, ma alquanto dopò fù l'Eletto Abbate Casinese Rainaldo Toscano, che perciò in argomento del suo dire cita la disputa havuta à tempo del sudetto per doppia ragione scismatico Abbate: essendo stato à lui per altro molto ben noto, che Senioreto pervenne à morte alcun tempo appresso alla Coronazion di Ruggiero, ed alla elezione di Anacleto, come si comprende da quel che ne scrisse nell'anno 1136. Dove riconobbe à quel desonto Abbate essere stato dato scismaticamente per successore nel medesimo punto il Rainaldo da lui riputato il Colimentano, come si disse à dietro. Benche à dire il vero, egli pare, che ivi per un certo scambio fermamente intenda, che il Rainaldo scismatico nel predetto anno 1130. sedeva Abbate, quando di certo sappiamo, che era Senioreto; di cui non si legge (certamente non si hà dalla Cronica Cassinese) un tal errore. Percioche di questi poi à dir seguitando nel 1136. nè avvedutosi del già fatto scambio, gli carica il vitio di aver aderito per sette anni continui allo scisma come ancor prima fatto avea il Sigonio al lib. 11. de Reg. Ital.

Ma di grazia come potrem noi dire, il Toscano Rainaldo essere stato quello stesso, che il Marsicano, il che fù creduto dal Laureto, & dallo Scipioni; mentre che pur troppo conosciuta cosa è, che la Toscana fù sempre mai quell'ampia regione, che per lunghezza si distende di là del Tevere per la riviera del mar Tirreno fino alla Liguria, ch' oggi si appella *Il Genovesato*: Et la Marsia fù sempre da tutti riconosciuta di quà del medesimo fiume frà terra, ancorche in varii tempi con varii confini? Certamente questa ripugnanza è manifesta. Come ancor manifesto raffronto può farsi per riconoscere, che il Rainaldo disceso da quelli Conti fù il medesimo, che il Colimentano, considerandosi ciò che di lui scrisse il sudetto Pietro al cap. 111. del lib. 4. *Hic itaque* (dice egli) *Nobilissimo Marsorum Comitum genere, in Valeria scilicet Provincia, sanguinis sui lineam ducens tertio ætatis suæ lustro*, &c. Se adunque questi nato nella Provincia Valeria discese da' Conti di Marsi, egli sicuramente fù il Rainaldo appellato *Di Colimento*, & *Colimentano*, che fù il nome della sua Famiglia; posciache *Colimento* fù quel Castello, ch'oggi, come intendo,

Digitized by Google

do, dicesi *Collemezzo*, appresso l'antico Furcone; dalla cui Signoria il sudetto ramo, ò linea della stirpe di quei Conti senza alcun fallo prese il sopranome, & una parte debbe essere stata del loro intiero dominio, & già compresa nella Provincia appellata Valeria, nella quale furon compresi li Marsi, come ce ne fà certi Paolo Diacono nell' Istoria de' Longobardi al cap. 11. ò pure 20. del lib. 2. dove scrive, che la Valeria fù la decimaterzi Regione dell'Italia, & che racchiudeva frà i suoi confini Tibure, Carseoli, Reate, Forcone, Amiterno, li Marsi, & il Lago Fucino. Della qual Provincia non trovandosi mentione frà gli Scrittori più antichi, vengo persuaso, ch' ella, cadendo l'Imperio Romano, e confondendosi da per tutto le leggi, & gli usi di prima, & similmente ogni altra cosa, prese questo nuovo nome da quello dell' antica Via pur detta Valeria, la qual di Tivoli piegando ad Oriente, distendevasi per la stessa Regione verso il mare Hadriatico, secondo che venne descritta da Strabone al lib. 5. in parole così di Greco rese Latine. *Valeria via à Tibure incipit, ducitque in Marsos, & Corfinium, Pelignorum Metropolim*. Benche per altro, al parer del medesimo Paolo, l'occidental parte della Valeria fù già compresa nella Toscana molto prima de' suoi tempi, ilche non fà contrasto al mio dire.

E di questo avendo, come io penso, ragionato à bastanza, aggiugner solamente voglio, che se dissi Colimento essere stato del dominio de' Conti di Marsi, & che la Famiglia dell'Abbate Rainaldo Colimentano fù un ramo à quel tempo distaccato dal ceppo, & da gli altri rami discesi da que' Conti, il dissi, percioche Pietro Diacono nell' ultime sue recate parole mi parve, che l'havesse accennato; non dicendo egli ristrettamente, che Rainaldo nacque in Marsia da' suoi Conti, e che perciò fù della loro dritta Linea, ma che da quel ceppo nacque nella Valeria, in cui la Marsia si racchiudeva. Il qual ceppo di quanto antica, ed illustre nobiltà si fosse preggiato, non è mio intento dimostrare in questo luogo; ma potrassi in parte scorgere da quel che ne fù notato da Leone Ostiense al cap. 60. ch' è l'ultimo del lib. 1. ed io di riferir lascio, e scriveressene da altri distesamente; de' quali farà ancor fatica far palese, come dalla medesima Famiglia *Di Colimento*, son d'intorno a quattrocento cinquant'anni, uscì la Famiglia *Barile*, così detta dal Castello dello stesso nome, già compreso nel dominio del sudetto Castello di *Colimento*, ò dicasi *Collemezzo*, la qual tuttavia al pari, che per gli antichi, è per nuovi onori chiarissima. Ma non lascerò di avvertire, che insegnandomisi essersi da me in tutto, ò in parte di questo Discorso deviato dal vero, mi sarà sempre caro l'imparare. In Napoli il dì 20. di Gennaro 1640.

IL FINE.

Digitized by Google

D U E

DISCORSI

D I

CAMILLO PELLEGRINO

FIGLIO DI ALESSANDRO.

Si tratta nel primo

D'un antico ſignificato del nome

P O R T A.

Nel ſecondo

DELL' ANTICO SITO DI CAPUA.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

FRANCESCO SAVIO

Stampatore della Corte Arcivescovale in Napoli

AL LETTORE

STrana promessa parrà farsi nel Titolo del primo di queste due Discorsi: e più strano sarà ciò che per dentro ci si leggerà osservato. Ma stranissimo sia, che poi da una parte di esso, e da un' altra parte di quel che si contiene nel secondo, si prenda remoto invero, ma saldo argomento fra gli altri a dimostrar, che la nobil famiglia, detta per nome Capuana, *estinta in Capua nella prossima trascorsa età, son più di seicento anni uscì di quella delli Principi Longobardi, che dominarono la Città suddetta, come più distesamente vien dichiarato nel primo libro dell' Istoria Longobarda, raccolta dallo stesso Autore di ambedue queste Scritture. Le quali da molti con qualche compiacimento lette, non doueano restar sepolte, uscendo già fuori quel Libro; e convenevolmente ancora accompagneranno l'altro Discorso pur suo, ch' è intorno l'origine dell'antica famiglia detta* Di Colimenta; *il quale altra maggior necessità ha portato di darsi alle Stampe. E vivete lieti.*

Digitized by Google

D' UN ANTICO SIGNIFICATO DEL NOME PORTA

DISCORSO

DI CAMILLO PELLEGRINO

FIGLIO DI ALESSANDRO.

L'Antico, e tuttavia giornal coſtume di diſtinguerſi le Città in molte parti, così per quel Capo, che rimira il luogo, e le abitazioni, come per quello, che rimira il Popolo, e gli abitatori, è così noto, che non biſogna darne chiarezza con molte parole. Il luogo ſi ſoleva, e ſi ſuol dividere in Regioni, ed in Contrade, e bene ſpeſſo in Piazze, ed in Parochie, ed il Popolo diſtinguevaſi in Generationi, ed in Tribu, o che una, o che più famiglie, e proſapie ſi foſſer compreſe in ciaſcuna di eſſe. E queſto eſſendo aſſai vero, nondimeno furono l'une, e l'altre parti ſcambiate, e confuſe bene ſpeſſo, e col nome di Regioni, di Contrade, di Piazze, e di Parochie furono alle volte dimoſtrate le Generationi, e le Tribu ancora; poſcia che ancor molte volte ciaſcheduna Tribu, o Generatione occupar, ed abitar ſoleva una intiera Regione. E di queſto parimente penſo, che non poſſa dubitarſi.

Or queſte Regioni, e Tribu preſe in queſto lor comune ſentimento, furono per alcun tempo appellate, PORTE. ancorche per tal nome ſi foſſer congiontamente dimoſtrati gli aditi delle Città, e di ogni altro luogo chiuſo. Il che come ſia vero, e qual ne fù la cagione, ſcriverò quì riſtrettamente, e con ordine.

Falcone Beneventano, ch' a me fù il primo Autore di queſta notizia, ſarà ancora il primo teſtimonio, ed aſſai ſincero, ch' io ne produrrò. Egli nella ſua Cronica dopo avere ſcritto dello ſcoprimento fatto nell'anno 1124. del Corpo del Santo Beneventano Veſcovo Barbato per opera dell' Arciveſcovo della ſteſſa Città Roffrido, ſoggiugne, che prima, che quel Sacro Teſoro foſſe ſtato ripoſto nel nuovo Altare della nuovamente ampliata Chieſa Catedrale, fù per otto continui giorni ſollennemente viſitato, e riverito da ciaſcuna Porta di quella Città ſucceſſivamente: nel qual dire egli per queſta voce *Porta* non altro inteſe, che le Regioni, e le Contrade di Benevento, ed inſieme gli abitatori loro: ſono le parole ſue. *Quibus ita peractis, præcepit idem Archiepiſcopus, ut primùm Presbyteri Portæ Summæ, & Clerici ſimul cum Laicis ad Epiſcopium deſcenderent, & coram Sacratiſſimi Barbati Corpore vigilias celebrarent.* Ed appreſſo. *Sicque unaquæque Civitatis Porta diebus ſingulis uſque ad octavam diem peregit.* E queſto Scrittore non ſolamente nel recato luogo, ma altrove ancora, e nell' anno 1133. è chiaro interprete d'un sì fatto ſentimento di queſta voce, dove ha queſte parole. *Diſpoſuerunt etiam, ut centum Milites ad Eccleſiam S. Angeli ad Crucem, quæ eſt intra confinia Portæ Summæ, latitarent.* Nè poſſono li confini della mentovata Porta dimoſtrar altro, che quelli della Regione in quella Città appellata *Somma*, e così detta anche al preſente per cagione del ſuo ſito più che nell' altre Contrade ſue alto. Del che in oltre per maggior confermazione può oſſervarſi un terzo luogo del medeſimo Scrittore, il quale nell' occaſione dell' onor fatto alli Santi Corpi di molti Martiri, ripoſti nella ſteſſa Beneventana Catedrale in più nobil Sepolcro nell' anno 1119. deſcriſſe diſtintamente una per una le Regioni di quella Città, e li lor nomi; molte delle quali anche appellò *Porte*: così dicendo di Landolfo all' ora Beneventano Arciveſcovo. *Continuò conſilio aſſumpto dedit in mandatis, ut primùm Presbyteri Portæ Summæ ad Epiſcopium jubilando, cereis, & lampadibus deſcenderent, & coram Sanctorum Oſſibus laudes Deo, & eis decantarent. Secundò quidem Presbyteri Portæ Aureæ. Tertiò autem Portæ Rufinæ. Quartò Forenſes. Quintò Civitatis-novæ. Poſtremo verò civitatis totius Presbyteri, & viri.* Così Falcone.

Benche, per non paſſar con ſilenzio un notabil difetto, ch' io penſo, che riſieda in queſte ſue parole, dovette aver Benevento ancor altre più Regioni di queſte quì annoverate, le quali ſenza alcun fallo adeguavano il numero degli otto giorni, in cui per comune uſanza l'Eccleſiaſtiche, pompoſe, e grandi ſollennità ſolevan celebrarſi; così come l'altra volta adeguarono gli otto giorni della feſta, che celebroſſi della Traslazione del corpo di S. Barbato, della quale ſi è detto. Io penſo adunque, che nel prodotto volgato teſto di Falcone, in altri luoghi parimente difettoſo, ed alquanto corrotto, manchino almeno li nomi di due Regioni; cioè quante compivano il numero di ſette, poſciache nell' ottavo giorno ſi raccolſe nella Catedrale l'intiero Popolo Beneventano unitamente. E, forſe, alcuna di eſſe fù quella, che giaceva appreſſo l'adito della Città, che ſi diceva *La porta di S. Lorenzo*, della quale fà menzione lo ſteſſo Autore nell' anno 1133. ben due volte, come per quel che ſoggiugnerò di quì a poco è facile a crederſi. E certamente in quelli tempi fù comune uſanza delli Popoli di andar nel ſudetto modo, e diſtintamente gli abitatori di una Regione dopo gli abitatori di un' altra, per otto continui

tinui giorni a venerar le reliquie de' Santi nelle Chiese, dove eran custodite, in tempo di alcune speciali sollennità; e non meno nelle lor feste di anno in anno, che nelle prime lor sollenni traslazioni; il che osservossi similmente in Capua nella festa dell' Invenzion del Protomartire S. Stefano, ch' è il suo principal Protettore appresso alla Vergine, e se ne legge l'ordine nell' antico Rituale della Capuana Catedrale, scritto in Pergameno, ch' è in poter mio, di cui scriverò distesamente in altra occasione, dove si farà anche manifesto, qual cosa dinotassero quelle picciole macchine, che appellansi *Fai*, dalla voce Longobarda *Fara*; cioè Prosapia, ò Stirpe, e come in voto si offerivano dalli Ministri delle Chiese di ciascuna Regione al Santo Protomartire, il che tuttavia, benche in poca parte, si osserva al presente.

Ma alla voce *Porta* facendo ritorno, aggiungo, che Pietro Monaco, e Diacono Cassinese al cap. 25. del lib. 4. della Cronica di quel suo Monastero, il quale visse in età eguale a Falcone, egualmente ancora dimostrò il sudetto significato di questo nome, scrivendo del dono fatto al medesimo Monastero da una nobil donna di Spoleto con queste parole. *Nobilis etiam mulier*, dice egli, *Berta, filia Waldi, dedit, & obtulit huic Cœnobio Ecclesiam S. Martini, constructam in Spoletina civitate, in loco, qui dicitur Porta S. Laurentii, cum omnibus pertinentiis suis.*

Confermasi inoltre il mio detto da Giovanni Boccacci in più d'una Novella del suo Decamerone, della cui autorità possiamo servirci utilmente anche in altro, che in materia di lingua, nella quale comunemente di lui si tien molto conto. Egli adunque nella Novella di Monna Nonna de' Pulci, ed in quella di Gianni Lotteringhi appellò col nome di *Porta* una intiera contrada di Firenze, che per sopranome si diceva *Porta San Piero*. Percioche in questa Novella scrisse così. *L'ultimo non a Gianni Lotteringhi era avvenuto, ma ad uno, che si chiamò Gianni di Nello, che stava in Porta San Piero*. Ed in quella ha queste altre parole. *La quale essendo allora una fresca, e bella giovane, e parlante, e di gran cuore, di poco tempo avanti in Porta San Piero a marito venutane, la mostrò al Maliscalco*. E nella Novella delli due Sanesi della Comare dimostra una contrada di Siena, pure usando lo stesso nome, e dicendo. *Furono in Siena due giovani popolani, de' quali l'uno ebbe nome Tinguccio Mini, e l'altro fu chiamato Meuccio di Tura, ed abitavano in Porta Salaja.*

Nè con altra intelligenza accettar si devono quelle parole, che si hanno in un Privilegio di permuta fatta dal Re Carlo II. con un tal Federico di Orlando nel 1301. di alcuni beni in Capua, e suo distretto, ch' in Napoli è in un Registro del Regal Archivio, detto della Zecca, segnato dell' anno 1300. e della lettera A. al foglio 35. di cui ho ancor veduta antica Copia in Pergameno frà le scritture del Monastero di Monte Vergine pur di Capua, e le parole del Privilegio son queste. *Item presa una vacua, sita in Porta S. Angeli, conjuncta ab uno capite Viæ publicæ*, &c. *Item domus una, sita in Porta Capuana, conjuncta à tribus partibus Viæ publicæ*, &c. E finalmente secondo questo medesimo uso di dire si ritrova alle volte, benche corrottamente, chiamata *Porta Sauchana*, una tal Regione similmente in Capua; ed alle volte con maggiore stravolgimento, *Porto Fluviano*, in cambio di *Porta Fauzana*, che suona quel che a Latini *Posticum*, over *Posterula*; avendo quella Regione preso un tal nome da una sì fatta Porticella, che si diceva *Porta di Arnoaldo* nel 1008., per cui si usciva alla Chiesa di S. Vincenzo, già fuori de' muri.

Indubbitata cosa è adunque, che le Regioni delle Città furono per alcun tempo dimostrate col nome di *Porta*: Il che fù assai frequente dopo dell' anno millesimo di Cristo; come dalle età, nelle quali vissero li recati scrittori, par che si possa raccogliere. Nè l'origine di tal significato dovette esser molto più antica, secondoche dir, forse, volle Carlo Sigonio nell' Historia del Regno d'Italia al fine del lib. 6. dove descrivendo gli ordini dati in Milano per lo suo buon governo dall' Imperadore Ottone primo, ha queste parole. *Mediolanensium civium alios in Tribubus urbis, quas illi Portas vocabant, & agri Pagos, quos Plebes nominabant, Capitaneos, alios Valvasores instituit.* Nel qual dire questo autorevole, benche moderno, scrittore dimostra, che le divisioni delle Città in Contrade, & in Tribu, usate in Italia antichissimamente (& questo è noto, sì per altro, come per molte Iscrizioni in marmo) & poi dismesse, essendo state ripigliate à tempo del mentovato Ottone, furono esse Contrade, & Tribu appellate *Porte*. Ma ad altri, forse, piacerebbe credere, che non all' hora, & insieme con la divisione del Popolo Milanese nacque il nuovo significato di quel nome; ma alcun tempo appresso; ò vero ancor prima, del che non prendo hora à contendere; così come nulla dirò se Ottone istituì, ò pure rassettò con perfisse, & migliori Leggi il comune, & più antico uso di sì fatte divisioni. Et di questo basti.

Hora adunque passando ad investigar la cagione, per la quale potè avvenire, che il nome *Porta*, il qual propriamente, & originalmente prima sol dinotava gli aditi delle Città, & de gli altri luoghi riserrati, fù poi trasportato à dinotar le Regioni ancora, & le Tribu. Et per maggior chiarezza ripigliando il discorso alquanto di alto, dee presupporsi, che fra l'altre nuove usanze, che il dominio di genti straniere introdusse in Italia, & ancor fuori, una fù questa del raccoglierſi, & conservarsi gli esserciti non con publici stipendii, come prima si costumava, & è ancor oggi in uso; ma constringendosi li Popoli à prender l'armi, & à condursi ne' luoghi, dove era il bisogno, sostentati à loro proprie spese (era questo antichissimamente anche stato osservato da Romani fin all' anno 350. della fondazione della lor Città) il che stava definito con alcune ordinationi in varii modi, secondo la varietà de' luoghi, & delle ragioni de' vassallaggi, del che altrove havrò occasione di scrivere più à distefo.

Da questo costume seguì poi congiontamente, che le custodie delle Porte, & delle Torri, & delli muri delle Città non si facevan da altri, che da' medesimi lor cittadini. Del qual detto mi piace recar prima di ogni altro un' esempio, preso da Historia da altri dispreggiata, & certamente assai rozza, ma in molte cose ancor giovevole, ch'è quella de' Principi Longobardi, scritta da Autor di patria Salernitano, & di nome ignoto, la quale non ancor data alle stampe vien comunemente detta l'Historia di Herchemperto più copiosa: dove nel rac-

Digitized by Google

facconto della conquista di Benevento fatta da' Capitani del Greco Imperador Leone VI. che da essi fù poi difesa infelicemente contro l'assedio postovi da Guido Duca di Spoleto, si leggono queste parole. *Mœnia civitatis minimè Beneventani ascendere audebant, quia Græci Turres, mœniaque possidebant*. Et appresso si aggiugne, che li Beneventani risposero in questo modo al Greco Patrizio, detto per nome Giorgio, che lor rammemorava l'antico valor nell'armi, col quale essi havevan resistito à molte, & lunghe guerre. *Urbem hanc* (dissero li Beneventani) *illo tempore patres nostri possidebant, & Turres, & mœnia, aditumque Civitatis ipsi observabant*. &c.

Dimostrasi ancor vero questo uso, ch'io dico, per l'autorità di Romualdo Arcivescovo Salernitano, il quale nella sua Cronica, nè pur essa data ancor alle stampe, scrivendo di Ruggiero Conte di Sicilia, che succedette nel Ducato di Puglia al Duca Guglielmo, & che poi prese il titolo di Rè, dice ch'egli passato di Sicilia à pigliar il possesso del nuovo dominio: *Salernum venit; & à Salernitanis civibus honorificè receptus est; quibus tenimenta, & possessiones, & antiquas consuetudines confirmavit, & eos in suo recepit dominio; Turrim autem majorem in eorum potestate reliquit*. Della qual Torre oltre quel che ne scrisse Alessandro Telesino al lib. 1. ne fè ancor motto l'Anonimo Cassinese nell'anno 1204. dove il suo testo stampato corrottamente, qual anche riconoscesi esser in altri assai, & più importanti luoghi, & in varii modi, ancor contro la fede del suo essemplare scritto à penna, ha *Terram Majorem.* in cambio di *Turrim*, la qual voce ben si ritiene nella Cronica di Riccardo di S. Germano nell'anno 1205. dove di quello stesso fatto, scritto dall'Anonimo, si ragiona.

E per fine vien dimostrata l'usanza sudetta da Leone Cardinal Ostiense al cap. 16. del lib. 3. della sua Cronica, dove racconta, che li Capuani vinti dopo lungo assedio dalla fame, si resero à Riccardo Conte di Aversa: *Portas sibi dumtaxat cum Turrium fortitudine retinentes*. Di sì fatto costume adunque non può dubbitarsi; dal qual fermamente seguì, che in molte Città alcune lor Porte presero il nome da quelle famiglie, alle quali la lor custodia era stata fissamente, & principalmente commessa. Come già in Capua quella sua Porta, di cui si fè menzione alquanto à dietro, e fù non lungi dalla Chiesa di S. Lorenzo, dove ora è quella di S. Eligio, da cui prese il secondo nome, fù prima appellata *Capuana*, dal nome della nobil famiglia similmente detta *Capuana*, come si è dimostrato in altro luogo; dalla quale per cagione ancora di sì fatta custodia prese anche il nome la Torre, che vi era à canto, e fù chiamata *La Torre delli Capuani*. E similmente in Capua un'altra Torre fù detta *di Arepaldo*, dal nome, forse, di colui, che n'avea cura; benche molte volte, sè crederemo all'Anonimo Salernitano nella sudetta sua Istoria non ancor data alle stampe, le Torri presero anche li nomi dalli loro edificatori, ch'à proprie spese per obligazione di vassallaggio l'aveah compite: ma di questo non conviene ragionar quì distesamente.

Or le Porte delle Città custodendosi per tal modo dalli medesimi lor cittadini, avvenne, à creder mio, che le lor Regioni ancora, e le Contrade vennet dette *Porte*, essendo assai pronta, e ragionevol cosa di persuaderci, che tali custodie facevansi regolatamente, e che per ciascuna Porta eran destinati fissi, e certi custodi; li quali non essendo sostentati con publici stipendj, non conveniva, che avesser tenute l'armi in mano momento per momento; ma che sopra di ciò sì fatte Leggi fussero state ordinate, e disposte, che per esse li cittadini alli loro domestici affari attendendo, avesser potuto insieme attendere alle imposte custodie; al che dovette parer acconcissima ordinazione questa, di commetterfi la guardia, e la difesa delle Porte alli loro più vicini abitatori: e per tal modo, accioche tutto il popolo avesse portato egualmente un tal peso, e non fosse stato alcuno, che se ne fosse potuto sottrarre, di dividersi le Città in tante Regioni, e Contrade, in quante Porte vi si contenevano; talche la custodia di ciascheduna Porta fosse ancor potuta esser fissamente appresso gli abitatori di ciascuna sua più vicina contrada. Ed à questo uso par che rimirino le parole di un' antico Registro, che recate in altro proposito si leggono nel libro delle Memorie della vita, e morte di San Gennaro, raccolte da Camillo Tutini, e vi si ragiona della Città di Napoli, le quali son queste: *Ecclesia S. Januarii spolia mortis in regione Portæ S. Januarii*. Percioche in esse diceſi quella tal Regione esser della Porta di San Gennaro; posciache, secondo l'uso già dichiarato, à qualsivoglia Porta della medesima Città era stato attribuito il distretto d'una intiera regione.

Da questa istituzione adunque io facilmente mi persuado, che poi in progresso di anni seguì, che quelle famiglie, e persone destinate alla custodia d'una, o di altra Porta secondo la sudetta lor maggior vicinanza, fra le quali in conformità di tal divisione venivano similmente compartiti altri pubblici carichi, ed offici, così militari, come civili, furono contrasegnate nel comun parlare dalli nomi delle custodite Porte, e dissersi: *Altre esser della tale, & altre della cotal Porta*. Per lo qual modo di ragionare possiam credere, che finalmente avvenisse, che le Regioni, e le Contrade ancor esse furon dette Porte nel volgar parlare per proprio vocabolo, ancorche molte volte non avesser avuto d'appresso alcun adito, nè Porta pubblica; e molte volte ancora le Regioni fossero state di maggior numero degli aditi.

Del qual mio detto benche al presente non mi sovvenga molto chiara testimonianza di antico, ne di moderno Scrittore, io nondimeno non ne hò dubbio veruno. E quel che me ne fà così certo, è la conformità di alcune offervazioni, che se ne possion fare, le quali concorrono in mio favore. Ed in prima io osservo, che nelli secoli trascorsi fù uso di fabbricarsi li pubblici Portici, che si chiaman *Seggi* assai d'appresso alle Porte delle Città, più che in altri siti. Ed in oltre noto, che li Popoli in conformità della pluralità de' medesimi Seggi furono distinti per molte Città in altrettante Tribu, affissa ad ogni Seggio quella Tribu, che vi aveva più vicine le sue abitationi; le quali usanze non da altra ragione peravventura presero l'origine, che dall'essersi custodite le Porte al modo sudetto, e dall'essersi distinte le Regioni ad egualità del numero delle Porte, come è manifesto. Nè questo, ch'io dissi de' siti de' Seggi, è cosa tanto

tanto oscura, che non possa raffrontarsene il vero men che facilmente ; percioche in Napoli, ed in altre molte Città si riconosce tuttavia per gli vestigi, ò delli nomi, o degli edificj di sì fatti Seggi, essere essi già stati d'appresso delle lor Porte : Nè è men vero, che al principio, e le nobili, e le ignobili famiglie egualmente, ma in distinti ordini distribuite, vi venivan compresе, cioè quelle di ciascheduna Regione sotto del suo Seggio; atteso che indistintamente tutti li Cittadini di ogni grado avean cura, e custodia delle Porte; appresso delle quali il lor congregarsi a quel fine, ed il farvi giornalmente dimora, dovette persuader l'edificarvi sì fatti Portici, che dal *Sedere* furono volgarmente chiamati *Seggi*; ed in Latino *Sedilia* : la qual voce era stata anche più anticamente usurpata, ma in altro sentimento, ch' ora si suole, e nel genere feminile, come può vedersi nel lib. 12. del Codice Teodosiano alla legge 12. del Titolo pur 12. dove così scrissero gl' Imperadori Teodosio, Arcadio, ed Onorio ad Apodemio Prefetto Pretorio dell' Illirico. *Si quod extraordinarium Concilium postulatur, cùm vel ad nos est mittenda Legatio, vel Vestræ Sedili aliquid intimandum, id quod inter omnes communi Concilio, tractatuque convenerit, minimè in examen cognitoris ordinarii perferatur.*

E creder posso, che poi li più agiati, alli quali non faceva bisogno procacciarsi il vivere da manuale essercitio, e questi furono li Nobili uomini, presero à ragunarvisi ancor per via di diporto nell' ore da altro maggiore affare non impediti ; e vi stabilirono li lor Colleggi distinti dal resto dell'ignobil Popolo. Li quali pur secondo la medesima distinzione di Contrade, e di Seggi far solevan lor ragunanze per altri diporti ; del che acconcissimo esempio ne somministra il Boccacci nella Novella di Guido Cavalcanti, dicendo che nella sua Città *tra le usanze per avarizia poi discacciate, n'era una cotale ; ch'in diversi luoghi per Firenze si ragunavano insieme i Gentiluomini delle Contrade, & facevan lor brigate di certo numero, guardando di mettervi tali, che comportar potessono acconciamente le spese ; ed oggi l'uno, doman l'altro, e così per ordine tutti mettevan tavola, ciascuno il suo dì à tutta la brigata, ed in quella spesse volte onoravano, e gentiluomini forastieri, quando ve ne capitavano, ed ancora de' cittadini*. Ed in vero le adunanze ne' luoghi comuni, ed aperti, ch'io prima dissi, furono nelli trascorsi secoli cotanto frequenti, che le donne, non che gli uomini, nè di vil nascita, ne in Città di meno, che di molta stima, ebbero per costume di congregarsi nelle pubbliche vie su le porte delle lor case nelli giorni feriali, come si raccoglie da quel che scrisse il medesimo Boccacci nella Novella di Maestro Alberto, parlando di accidente seguito in Bologna. *Avvenne*, dice egli, *un giorno di festa, ch'essendo questa donna con molte altre donne à sedere d'avanti alla sua porta, ed avendo di lontano veduto Maestro Alberto verso loro venire, con lei insieme tutte si proposero di riceverlo.*

Ma se in alcune Città, che già ebber molte Porte, non si veggono al presente contrasegni di esservi stati ancor molti di questi Seggi, dee ciò attribuirsi alle mutazioni occorse delli primi usi, per le quali essendosi prima disceso à trattar anche in essi delli comuni affari di ciascheduna contrada, e parimente à diportarvisi, come ho detto, gli uomini nobili nelle ore oziose ; e disusandosi poi il custodir le Porte nella maniera antica, fù trascurata finalmente la cura di conservarli in piede ; aggiugnendosi, che nelle ristorazioni de' muri delle Città, seguite per varie cagioni fra il corso di più di un secolo, trasmutatisi li primi siti delle Porte, li Seggi ne rimasero disgiunti, e per se stessi, e per lo sudetto disuso anche inutili. Come seguì in Capua, dove già furono ben quattro Porte, e dovettero esservi prima ad uso delle lor custodie, e poi per sedi delli Colleggi de' Nobili, altrettanti Seggi ; e nondimeno di essi non è à noi passata nè pur leggiera memoria ; la distinzione, e multiplicità de' quali, forse, parve anche inutile, che si conservasse in una Città, che à tempo del Rè Ladislao, e della Regina Giovanna II. per le patite calamità di peste, e di guerra riteneva del suo già numeroso popolo picciolissimo avvanzo ; talche al presente nè anche ha più che un sol Seggio, il quale secondo il comune uso dell' altre Città di questo Regno è il Colleggio delle famiglie nobili ; ed il suo Portico non appresso di alcuna sua Porta, nè de' suoi muri, che in questo ultimo secolo sono stati mutati di sito ben due volte, ma giace quasi nel centro suo ; del che, e dell'antichità delle nobili famiglie Capuane raccolte in un corpo distinto dal resto del Popolo ragionerò altrove con miglior opportunità, dimostrando, che questa Città alpari per questo, che per molti altri capi (per dirne modestamente) non fù giamai riputata di minor dignità di qualsivoglia altra del medesimo Regno.

Ma se dalla spopolazione di Capua, à cui precedette, e seguì più d'una ristorazione de' suoi muri, e perciò anche la trasmutazione de' siti delle sue Porte, è seguito, che non possa scorgersi in essa vero ciò, che io dico della vicinanza de' Seggi, e delle Porte, nè della loro pluralità ; egli nondimeno raffrontasi, e può osservarsi in altre città, le quali così calamitoso infortunio, ò non mai, ò pure in quelle età patirono, quando li lor Seggi ad uso di esser collegi di nobiltà trasmutati, funne perciò con più sollecità, ed ancor con ambiziosa cura conservata la distinzione : ed in Napoli specialmente, la quale da alquanti secoli in qua essendo Metropoli di questo Regno, fioriva altamente anche à tempo, che le mutazioni accaddero delli primi usi de' Seggi, e furono stabiliti li nuovi, che al presente tuttavia si osservano ; per gli quali alcuni suoi Seggi così nell' adunanze de Nobiliuomini, come nelle strutture degli edificii si son conservati, e si conservano con sommo splendore in piede : benche nè perciò non han potuto in essa le forze del tempo, divenuto oggi il numero di tali colleggi alquanto minore, che non fù prima. Ed in oltre confermar posso il mio dire con esempi di altre Città, che peggior condizione di Capua provarono, e che dopo esser rimaste per qualsisia accidente quasi del tutto disabitate, non si riempirono mai più di abitatori ; di modo che li ruinosi edificj de' loro muri, delle lor Porte, e delli lor Seggi nè ristorati, nè mutati di sito più mai, fan oggi manifesto argomento del sudetto dismesso primo costume. Intendo io quì di Calvi, e di Caserta : Città dove si veggono li lor Seggi appresso delle lor Porte, ed in ciascuna di esse città non più ch' un sol Seggio,

Digitized by Google

gio, ad eguaglità di una sola lor Porta. Ed in Pozzuoli ancora, già edificata sopra d'uno scoglio, non molto grande, e per questa cagione non mutatosi giammai l'ambito de' suoi muri, e ancor in questa età un sol Seggio sù la sua Porta, che per l'addietro vi fù parimente sola; dal che l'uso del custodir le Città nel modo da me descritto addietro; si conferma assai bene. E nondimeno nulla vieta, che queste tre Città nominate pur ora, si fosser distinte in molte Contrade; nè io dissi le Regioni essersi appellate *Porte*, per l'uso, e costume delle Città, ch'ebbero una sol Porta, ma delle Città, che n'ebber molte. Nè parimente al mio dir contrasta, che in alquante minori Città in questo Regno, che per l'opportunità di molte uscite ebber molte Porte, e perciò alla sudetta prima, ed antica maniera del custodirsi, molti Seggi, sia ora in ciascheduna di esse non più ch'un sol Seggio, ò Colleggio di famiglie nobili; posciache sicuramente al picciol numero di tali loro famiglie, in città parimente picciole, la moltiplicità di sì fatti colleggi dovette parere, ed esser sempre superflua.

Ma dissimular finalmente io non devo, che l'uso di attribuir alla custodia delle Porte quelli cittadini, che più d'appresso vi havevano le loro abitazioni, da cui poi nacquero l'altre usanze più nuove, che si son dette, fù introdotto, à parer mio, dalli Longobardi, che dominarono in Italia; rassomigliando quel che essi credettero essersi usato dagli Ebrei, delli quali in oltre furono imitatori in molta parte della forma delli giudizj, e delle pene, ed anche in altre cose più minute. Ma di questa imitatione, che occorre quì rammemorarsi, volendo con brevità dar chiarezza, posso assai facilmente dimostrar, come il sudetto costume, a lor credere, fù già ritenuto da gli Ebrei producendo le parole di Ezechiele, che si hanno al cap. 48. dove egli descrisse la forma, ch'in visione vide, secondo la quale si dovean disporre le dodici lor Tribu appresso le altrettante Porte, dopo il ritorno del Popolo dalla servitù di Babilonia. *Hæc est terra* (sono le parole di Ezechiele) *quam mittetis in sortem Tribubus Israël, & hæ partitiones earum, ait Dominus Deus; & hi egressus civitatis. A plaga Septentrionali quingentos, & quatuor millia mensurabis, & Portæ civitatis omnibus Tribubus Israël. Portæ tres à Septentrione: Porta Ruben una: Porta Juda una: Porta Levi una. Et ad plagam Orientalem quingentos, & quatuor millia, & Portæ tres: Porta Joseph una; Porta Beniamin una: Porta Dan una*, &c. E così parimente segue a dire di tre altre dal lato di mezzo giorno, e di tre altre dal lato di Occidente, assegnando ad ogni una di loro la sua Tribu. Percioche egli pare, che i Longobardi ebbero di questa riedificazione di Gierusalemme l'opinione di Teodoreto; il quale non della celeste città, come S. Geronimo, e ciascun altro: ma della terrena prende queste parole di Ezechiele; e nella Sezione 2. stima, che tutte le 12. Tribu dopo quella ristorazione abitarono in essa commune Metropoli.

Tal che passando ora al resto di questo uso degli Ebrei, creduto, ed imitato da nostri antichi, io veggio essersi fatte nelle Porte frequenti adunanze da quel Popolo. Ed inoltre anche il Re alle volte esser stato in esse à soggiorno, come si ha nel cap. 19. del lib. 2. delli Re, & il cap. 38. di Geremia. Anzi tutto ciò par che fù come un general costume di quelli secoli, seguito parimente dalli Gentili, se io bene osservo in Homero al lib. 3. dell'Iliade il seder del Re Priamo in compagnia di molti sù la Porta Schea, non da altro certo affare portatovi. E per questa cagione solevansi forse, esercitar li giudizj ne' medesimi luoghi, ch'eran cotanto frequenti; della quale usanza niuna altra è più nota nelli Sacri libri. Benche non mi è oscuro, che San Geronimo nell'interpretazione del cap. 8. di Zaccaria, ed altrove spesso, ricercando per qual cagione fù introdotto un tal costume, risponde. *Ne cogerentur agricolæ intrare urbes, & aliquod subire dispendium, Judices in Portis residebant; & ut tam urbanos, quàm rusticos, & in exitu, & in introitu urbis audirent, & finito negotio unusquisque confestim ad sedes proprias reverterentur.* Ma io all'autorità di un tanto Dottore, e di molti altri, che l'han seguitato, penso che il mio dir non si opponga: anzi nè pure ad alcun' altra ragione, che di ciò potesse addursi, della quale è soverchio, e fuor dell'intento che quì si scriva.

Fù poi anche dagli Ebrei usato il nome di *Porta*, indifferentemente in significato di Regione, e di Tribu, del che nella stessa Sacra Scrittura non mancano chiarissimi essempj; come in Esaia al cap 3 dove si legge. *Et mœrebunt, atque lugebunt Portæ ejus*. Ed al cap. 24. *Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet Portas*. Percioche in questi luoghi non par necessità di restringere tal voce più tosto a quello, che a questo significato; e per altro ella bene spesso nelle stesse Sacre lettere dinota non le Tribu, nè le Popolazioni; ma le Regioni; come nel Genesi al cap. 22. *Possidebit semen tuum Portas inimicorum suorum*. Dove li Settanta Interpreti, che leggono *Urbes*, non ripugnano al mio dire; percioche quel che dicesi in proposito di varie Regioni, e Contrade comprese in una Città, si può con assai acconcia figura portare à varie Città, che convengono in una Republica, ò ver Principato.

Ma in oltre per questa voce furono alle volte dimostrate le sole schiere militari, che si ricoglievano da ciascheduna Tribu, e mandavansi fuori armate; e proportionevolmente ancora ogni altra schiera; come parmi, che possano interpretarsi quelle parole di Debora nel Cantico, ch'è al cap. 5. de' Giudici. *Nova bella elegit Dominus, & Portas hostium ipse subvertit*. Ed appresso. *Descendit Populus Domini ad Portas, & obtinuit Principatum*. Nel qual sentimento potrebbe anche prendersi il detto del Salvatore a S. Pietro, che s'ha in S. Matteo al cap. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*. Dove per Porte Infernali verrebber letteralmente dinotati gli Eserciti dell'Inferno, e gl'impeti de' Demonj contro della Chiesa Cattolica Militante. Alla cui censura queste interpretazioni, ed ogni altra mia scrittura umilmente, e di proposito rimetto.

DELL'

Digitized by Google

DELL' ANTICO SITO
DI CAPUA

DISCORSO

DI CAMILLO PELLEGRINO
FIGLIO DI ALESSANDRO.

E Troppo manifesta cosa, che le Città, per se stesse immobili di sito, sogliono mutar luogo secondo le opportunità de' loro abitatori. E Capua antichissima Città della regione in Italia dal suo nome, e dal suo dominio chiamata *Campania*, non è men certo, che non sempre fù dove è al presente, e sù la sinistra sponda del Fiume Volturno, quasi dodici miglia lontana del mar Tirreno, dove esso Fiume si scarica; essendo quivi stata traspiantata nell' anno di Cristo 856., come Leone Ostiense afferma al cap. 30. del lib. 1. della sua Cronica, ripetendolo da quel che ne scrisse Erchemperto nell' Istoria de' Principi Longobardi, e da un' altro di nome ignoto che sono antichi Autori, ma nell' età di Biondo Flavio non conosciuti: dicendo egli nella sua Italia Illustrata, di non aver letto giammai, nè da Capuani medesimi aver potuto sapere, *quis, & quo tempore eam ad hunc, in quo nunc est, transtulerit locum*. Ma delle cagioni di tal mutazione riserbando il trattarne ad altro tempo, fia bene ora discorrer del suo più antico luogo, posciache ella senza alcun fallo fù la prima volta edificata molto prima della nascita del Salvatore.

D'intorno al qual sito benche non sia oggi fra noi chi muova gran dubbio, nondimeno accioche la fallace autorità di alcuni Scrittori forastieri, e di età a noi vicina; ed il detto di alcuni antichi, men bene da altri interpretato, non faccia alli più semplici qualche intoppo, sarà se non bene spianar ogni difficoltà, ancorche leggiera, che vi si scuopre. La prima delle quali è quella, che nasce dalle parole di Lucio Floro, il quale nella sua Istoria al cap. 16. del lib. 1. descrivendo la Campania, e le Città sue, ha in tal modo *Urbes ad mare Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji: & ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque numerata*, per le quali parole par, che si dica, questa Città in alcun tempo essere stata insieme con l'altre da Floro annoverate, sù la riva del mare; come appunto interpretolle Giacomo Spigelio nel Commento sopra del lib. 5. del Ligurino, Poema Istorico di Guntero; e nell' Indice di quell' opera alla voce *Capua*. Alche conciliarebbe molta fede quel che con Poetica invenzione cantò in un suo Poemetto, non ancor divolgato, Camillo Pellegrino, fratello del mio Avolo, ed illustre per le dispute da lui mosse, e sostenute a favor della Gerusalemme Liberata di Torquato Tasso; cioè, che gli antichi Capuani dalla marittima Città, appellata Volturno, che fù sù la bocca del fiume del medesimo nome, seguitando il Trojano Capis, compagno di Enea, e lor novello Signore, passarono ne' luoghi interiori di Campania, e fra terra; ed edificaronvi la Città da quel punto presa a chiamarsi *Capua*. Ma di questo Poetico, e tutto suo nuovo trovato scopriransi la fallacia in altro Discorso; e delle parole di Floro sol al presente tenendo conto, certa cosa è, che in esse risiede alcun difetto, ò mancando il contesto, ò più tosto avendo quello Scrittore, per altro saporosissimo, men diligentemente in un sol filo di dire, e come in un fascio, raccolto i nomi di molte Città, benche di sito disparate; così come per tal suo ordinario stilo benc spesso indiscretamente confuse, e tempi, e gesti, che con altro ordine occorsero del da lui descritto. Al qual mio dire forza è, che consentan tutti coloro, che al resto degli antichi Geografi, ed Istorici non vorran negar fede; de' quali non fà bisogno recar ogni testimonianza, e bastar potrà quella di Pomponio Mela al cap. 2. del lib. 2. dove questo Scrittore facendo catalogo delle più ricche Città d'Italia, hà queste parole. *Quæ procul à mari habitantur opulentissimæ sunt ad sinistram, Patavium, Mutina, Bononia: ad dexteram, Capua, & Roma*. A cui aggiungo Plinio al cap. 5. del lib. 3. che dopo la descrizione della riviera di Campania segue così. *Intus Coloniæ: Capua ab campo dicta; Aquinum, Suessa*, &c. e finalmente Polibio al lib. 3. il qual similmente avendo detto de' siti delle più nobili Città della medesima regione, soggiugne le parole, che si hanno nel suo traduttor Latino in questo modo. *In mediis autem campis sita est omnium olim felicissima civitas Capua*. Talche di questo non prendendo altra briga, procederò a dimostrar in qual parte de' campi di Campania fù ella al principio abitata.

Giovanni Annio, opinion del quale è dover credere, che fù tutto ciò, ch' egli nelle da lui finte opere di Scrittori per altro antichissimi sparse, par che si fosse persuaso, che Capua fù in alcuna parte de' campi, che son chiusi fra il Fiume Volturno, ed il Liri, che si dice Garigliano, così fingendo, che Sempronio lasciasse scritto. *A Volturno amne ad Lirim Etruscorum vetustissimus ager fuit, in quo priùs Oscam dictam, postea Capuam condiderunt*. Del qual suo credere benche non avesse ritrovato in tutta l'antichità, nè pur leggiero raffronto, anzi avesse più tosto potuto riconoscere i vestigi dell' antica Città in altro sito, e ne' campi dall' altro lato del Volturno, alche consenton tutti, cadde nondimeno in così strana opinione per cagion, forse, che

che a queſti ultimi ſecoli quella parte del Capuano Contado, ch' è di là, ed alla deſtra di quel fiume, verſo il Garigliano, dove egli diſegnò Capua, appellaſi *Terra Capuana*, per ſuo ſpeciale, e proprio nome, e con origine del certo antica, e di qualche centinajo di anni. Ma quanto egli in ciò per sì fatto argomento traviaſſe dal vero, ò pur altri più modernamente ſoſtener volendo la di lui opinione, così dell' origine del nome di Terra Capuana vanamente chimerizzarebbe, in parte quì, ed in parte in altro più opportuno luogo, ch' è nelle Note Latine ſopra alcune antiche Operette delle coſe de' Longobardi, ch' ho in un Libro inſieme raccolte, ſi fa invincibilmente manifeſto.

Scrittor non è adunque alcuno, che non riconoſca Capua di quà del Volturno, del che un ſol dubbio cader ſuole; cioè ſe fù alla riva del medeſimo fiume, ò pure alquanto indi lontana: laſciando per ora di ricercar degli altri ſuoi termini, per non confonder queſto Diſcorſo del Sito con quello dell' Ambito de' ſuoi muri. Giovanni Stadio ſolo, frà li Scrittori di conto da me letti, aſſai incidentemente, e perciò, forſe, non molto attento a quel che ſcriveva, ſtimò, che Capua antica fù ſopra il Volturno; anzi che *eam Volturnus mediam perlabebatur*: le quali ſon parole ſue ne' Commenti all' Iſtoria di Floro ſopra quel luogo del lib. 1. al cap. 16. da lui ſegnato del numero 15. Ma il ſuo dire vien riprovato in prima da Giulio Obſequente nel Libretto de' Prodigj, il quale frà Capua, e quel fiume riconoſce qualche intramezzo in queſte parole: *Per Syllana tempora inter Capuam, & Volturnum ingens ſignorum ſonus, armorumque horrendo clamore auditus*. Livio al lib. 26. con Giulio acconſente, dove deſcrivendo l'ordinanza degli eſerciti Romani nell' ultimo conflitto avuto co' Capuani intorno Capua, hà così. *L. Fulvius Flaccus Legatus cum ſociali equitatu conſtitit è regione Volturni amnis*. Ed alquanto più di ſotto diſſe, che l'eſercito di Appio Claudio combattè contro de' Capuani nel piano, che giaceva frà la Porta della Città, ed il Fiume: dal cui conteſto in oltre ſi raccoglie, che frà quei termini era frapoſta non picciola diſtanza; poſciache aggiugne, che li Capuani cederono il luogo a' nemici, ritirandoſi fin ſotto la Porta della Città, ch' era da quel canto. Le parole di Livio ſon queſte. *Altera in parte Caſtrorum jam pulſi erant Campani, Punicumque præſidium; & ſub ipſa Porta Capuæ, quæ ad Volturnum fert, pugnabatur*. Ma di tal diſtanza più di ogni altro antico ci fà certi Aſconio Pediano, il quale di vantaggio ne dimoſtra il certo ſpazio, chioſando un luogo di Tullio, ch' è nel lib. 3. contro Verre; dove reca per eſempio di antica forma di dir Latino queſte parole. *Vetus locutio eſt: Eminus eſt Volturnus Capua tria millia paſſuum*. Talche a Giovanni Stadio non deeſi dar fede a verun patto; il qual ſe aveſſe portata opinion tale della nuova Capua, ed intendendo de' ſecoli già traſcorſi, di certo non avrebbe preſo errore, dicendoſi da Aleſſandro Abbate Teleſino al lib. 2. cap. 66. dell' Iſtoria del Re Ruggiero, che *ejus muralem ambitum Volturnum flumen medium præterfluit*, il qual detto conviene anche interpretarſi ſanamente, e ſecondo che lo ſteſſo Autore diviſa nelle ſeguenti parole, deſcrivendo il Ponte, che di antichiſſimi tempi fù ſopra l'acque del fiume nel medeſimo luogo. *Pons quoque*, dice egli, *miræ magnitudinis, miroque opere conſtructus in ipſo amne exſtat fundatus; qui intrantibus, & exeuntibus meatum præbens, ab una parte Urbe, ab alia verò Burgo valde prolixo obviatur*.

Ma ne per quel che ſi è detto fin' ora, par che reſti molto bene dimoſtrato il calle, che conduce all' antico ſito di Capua, ſe non ſi diviſerà ancora in qual parte de' campi, che ſono di quà, ed alla ſiniſtra del Volturno fù ella abitata. Nel che aſſai pienamente ne giova pur Livio, il quale, per tacer di ogni altro, al manco lato di quel fiume la deſcriſſe al lib. 23. *Et circa Capuam* (dice egli) *tranſgreſſo Volturnum Fabio* (che di Cales, oggi *Calvi*, era partito) *poſt expiata tandem prodigia, ambo Conſules rem gerebant*. E nel medeſimo libro più riſtrettamente la diſegna di ſotto le falde del monte Tifata. *Gracchus minùs centum militum jactura caſtris hoſtium potitus, Cumas ſe properè recepit, ab Hannibale metuens, qui ſuper Capuam ad Tifata habebat caſtra*. E nel lib. 26. *Hannibal in valle occulta poſt Tifata, montem imminentem Capuæ conſedit*. A cui ſi accorda Dione al lib. 42. così reſo Latino. *Cœcilius poſtquam in Campaniam adveniens, offendit Milonem, re infeliciter ad Capuam geſta, in Tifata* (*montis id Capuæ imminentis nomen eſt*) *confugiſſe, ſubſtitit*. Benche non per queſto deeſi intendere, ch' ella fù del tutto attaccata al monte, dichiarandoci il contrario pur Livio al lib. 7. in quelle parole. *Samnites Tifata* (*imminentes Capuæ colles*) *cùm præſidio firmo occupaſſent, deſcendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam, Tifataque interjacet*. Ed al lib. 23. ſudetto. *Quibus ne incepta procederent, inter Capuam, caſtraque Hannibalis, quæ in Tifatis erant, tranſducto exercitu Fabius, ſuper Veſuvium in caſtris Claudianis conſedit*. Al che una ſol coſa reſtarebbe di aggiugnerſi, ch' è dichiarar, qual fù il Monte anticamente appellato *Tifata*. Ma di ciò per dir pienamente, convenendo portar il ragionamento alquanto più a lungo di quel che queſto luogo ricerca, baſterà dire, come con tal nome fù già chiamato quel Monte di Campania, che dalla parte di Maeſtro naſce sù la ſiniſtra ſponda del Volturno, d'onde comincia ad innalzarſi verſo il Cielo in forma aſſai ſimile ad una acuta Piramide, ſe ſi rimira da Ponente, over da Mezzogiorno; le cui falde alquanto più, che per gli altri ſuoi lati ſi diſtendono incontro l'Oriente Invernale: nè dal Mar Tirreno, che il riguarda per Libeccio piegando a Scilocco, è più lontano, che lo ſpazio di quaſi quattordici miglia. Talche fù Capua in quel piano campo, al quale in diſtanza di quaſi mille paſſi ſovraſta il Monte, al preſente volgarmente detto *di San Nicola*, che fù prima il ſudetto Tifata, d'onde fin' al Volturno già miſuroſſi, al dire di Aſconio, lo ſpazio di tre miglia: dove tuttavia ſi veggono magnifiche reliquie, ed ampie ruine de' ſuoi edificj, ed in molte occaſioni ſono ſtate rittrovate con innumerabili opere antiche di ſcoltura, e di altri artificj di molto preggio, varie memorie del ſuo nome ſcolpite in marmo, il traſcritto delle quali a miglior occaſione ſi riſerba. Il luogo ora da oneſto, e copioſo popolo, benche riſtretto frà termini molto più anguſti, che non fù l'ambito della Città diſfatta, ſi appella per la maggior parte

col nome di *S. Maria Maggiore*, overo *delle Grazie*: da un nobil Tempio, che vi si vede dedicato alla Vergine, il qual edificato dal Vescovo di Capua Simmaco fin dagli anni di Cristo intorno 435. poco tempo dopo la morte di S. Paolino Nolano, vien riverito con molta religione da' paesani, e da' forastieri; ma più anticamente il luogo chiamossi *Li Surici* per ignota origine; ed in parte oggi si dice *San Pietro in Corpo*, pur dal nome di un' altro antichissimo Tempio ivi agli Apostoli edificato dal Magno Constantino, di cui gran vestigio tuttavia rimane, avendo egli poi preso il sudetto sopranome per cagione, che dopo l'incendio Vandalico della Città, che nell' anno occorse 455. di Cristo, disciolta ella fin' al tempo dell' ultima sua desolazione, che fù nell' anno 840. in più Vichi, ò diciamo Borghi, il maggior di essi, che il corpo della Città rappresentava, il racchiudeva frà le sue abitazioni, del che diassi pienamente in altra occasione.

Ma a tutto ciò, che fin quì si è prodotto in proposito del primo sito di Capua, non sarà, forse, chi si opponga, fuorche in una sol cosa; ch' è nella misura della lontananza dalla Città al fiume, stimandosi oggi lo spatio dalli sudetti due Casali al Volturno non maggiore di due comuni miglia, e per altro essendo certo, che questo fiume non ha di nulla quivi mutato il suo antico cammino, come altrove vedrassi. Pur di ciò non sia chi prenda maraviglia; percioche, ò che si creda Asconio con rotondo numero averci contate per tre miglia quelle, che furono alquanto più di due, e propriamente stadj. 19. secondo che si raccoglie da un detto di Strabone al lib. 5. dove egli ragiona di Casilino, che esaminerassi in altro luogo, dalla qual designazione non divaria la lontananza, ch' oggi vi si osserva, riputandosi ella, pur con rotondo numero, di due miglia, che fermamente a più sottil misura si troverebbe di molti passi più lunga: O che pensiamo, le tre miglia non essersi misurate, ma essersi distinte per una certa estimazione volgare secondo la distinzione, e lontananza de' luoghi più chiari, che, forse, eran fra la Città, ed il fiume, come pur suole il volgo tali spazj di miglia con non molta diligenza numerare, per la qual cagione anche le miglia già stimate esser tre, oggi si riputan due, per conto che nel giusto mezzo di quello spazio, ed alquanto fuori di strada, è il monastero de' Religiosi, che si chiaman Cappuccini. In qualunque dico, che di questi due modi tal varietà si concilj, ella resta sempre assai bene appianata; e forse più acconciamente di quel che pensò averla concordata Filippo Cluverio nella sua Italia antica al cap. 5. del lib. 4. scrivendo di Casilino: dove con queste parole se ne sbrigò, come ancor fece con la medesima sentenza in altre simili occasioni. *Circa celebriores urbes*, disse, *atque Colonias, Municipiaque minutiora dimensos esse veteres Romanos millia passuum, passim apud auctores innumeris exemplis patet*. Non parendo, che ragione esser possa, perche in tai luoghi si misurasser minori, che altrove le miglia; ma bene, che dal volgo si riputasser compite, come si è detto, fra quei più angusti, e più noti termini, li quali d'intorno de' luoghi, e Città più celebri eran più frequenti.

Questo adunque fu il primo sito di Capua, e questo senza controversia le viene attribuito da ciascun più perito de'luoghi antichi di Campania. Il quale benche piano, e per tal modo non molto atto alla difesa in tempi così bellicosi, come furono quelli della sua fondazione, fù nondimeno eletto con molta prudenza per fondarvi una Città, ch' avesse avuto à commandare all' altre; il che facilmente comprenderassi esser vero, se si attenderà, che Polibio al lib. 3. scrivendo delle lodi di Campania, vi aggiunse questa del sito suo nelle parole così rese Latine, e di due errori, ch'erano scorsi, uno nel testo Greco, l'altro nella version del Perotto, ripurgate. *Accedit ad ea, quæ diximus, quod natura sua hæc loca sunt munita, & in hos campos aditus est difficillimus; cinguntur enim aliqua ex parte mari, ex majore vero montibus ubique magnis, & continuis; per quos venientibus è mediterraneis tres dumtaxat viæ patent, eæque angustæ, & difficiles. Prima est, qua venitur à Samnio, altera à Trebula* (male ha il testo Greco. Δευτέρα δὲ ἡ ἀπὸ τοῦ Ἐριβανοῦ Cioè, *secunda autem ab Eribano*, che non suona nulla, e Trebula fù dove oggi si dice. *Tregghia* nella Diocesi di Cajazzo, nel distretto della Baronia di Formicola, del che altrove, ed a pieno) *postrema è regione Hirpinorum* (così sonano le parole Greche, non come il Perotto, *tertia ab Arpis*) Il qual avvertimento di Polibio, di cui altra volta, fù poi ripetito dall'Autor della vita di Annibale falsamente attribuita a Plutarco. Talche di quà apparisce, che pensando il fondator di Capua di poter far la sua Città in un tal piano, come in un giardino molto ben chiuso, alche, forse, il medesimo Autore della sudetta Vita ebbe anche l'animo, quando ivi disse, che Capua fù detta dalla Greca voce. Κῆπος, che a noi dinota. *Orto*, ò *Giardino*: saviamente per questo modo schifò l'asprezza de' monti, e li sospetti del mare.

E questo appunto, ch'io dico de' sospetti del mare, non è senza raffronto di gravissimi scrittori antichi; percioche Strabone al lib. 5. ragionando de gli Etrusci di Etruria dice, che fu lor costume il fuggir di abitare d' appresso al mare, il che dovettero anche osservar gli Etrusci di Campania, che Capua fondarono. E Tucidide antichissimo Istorico afferma al lib. 1. essere stato comune uso delle genti di fondar le Città fra terra. Sono le sue parole, o più tosto del suo interprete Latino. *At vetustæ urbes propter assiduam latronum infestationem procul à mari potiùs ædificatæ fuerunt, tam illæ, quæ in Insulis, quàm quæ in continente sunt sitæ*. E, forse, gli antichissimi, e primi Persiani per questa cagione da Tucidide accennata, e da Ammiano Marcellino al lib. 23. mal conosciuta, fabricarono le lor maggiori Città lontane dal mare, talche le marittime necessariamente furono le minori. *Oppida*, dice Marcellino, *mediterranea sunt ampliora: incertum enim qua ratione per oras maritimas nihil condiderunt insigne*. Riputò la più rimota antichità esser gloriosa impresa il corseggiar per mare, come afferma Giustino al lib. 43. scrivendo così de' Focesi. *Namque Phocenses ex ignavitate, ac macie terræ coacti studiosiùs mare, quàm terras exercuerunt; piscando, mercandoque, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, vitam tolerabant*. E per via delle navigazioni in quei primi tempi furono occupati da genti straniere molti luoghi, se diam fede a

Salu-

Saluſtio appo Servio ſopra il lib. 1. dell' Eneide, dicendo. *Trojanorum tempore invadendarum terrarum cauſa fuerat navigatio, ut Saluſtius meminit*. Alli quali danni, che ſeguivan da sì fatti ſiti, ebbe l'occhio Platone, quando al lib. 4. delle Leggi approvando queſto uſo di fuggire le abitazioni d'appreſſo del mare, perſuader volle, ch'egli dovea ritenerſi ancor per altre utilità; il qual dire non piacque al ſuo diſcepolo Ariſtotile al capo 6. del lib. 7. della Politica, dove inſegnò il modo di poterſi nelle città di mare ſchivar il ſudetto, ed ogni altro nocumento, così come al dire di Dionisio al lib. 1. Enea non riputava coſa utile di allontanarſi dal mare in fondar Lavinio; d'intorno la qual varietà potrebbe averſi più lungo diſcorſo, che qui non hà luogo, e può a noi baſtare, aver dimoſtrato, che il ſito di Capua non a caſo, nè per alcuna neceſſità, ma con avvedutiſſimo conſiglio liberamente, e ſecondo l'opportunità, e la più frequente uſanza di quei tempi fù eletto. Laonde mi piace di non laſciar nella penna parte del ragionamento, ch'a fauor de' ſiti delle città fra terra fè Cenſorino appreſſo Appiano nel libro delle guerre Cartagineſi, così reſa latina. *Civitas maritima videtur mihi navis potiùs eſſe, quàm terra ſolida, ita jactatur variis negotiis ſubinde mutabilibus: Mediterranea verò abſque periculo fructus ex agris percipit: hanc ob rem & veteres Regiæ fuerunt omnes mediterraneæ*.

E fermamente con queſto diſegno di dover eſſer Capua Regia, & Metropoli delle altre lor città di Campania fù edificata da Toſcani, che conſtituironla lor capo, come ha Strabone al lib. 5. & forſe ancora con ſperanza di alzarla a gran monarchia; poſciache tutte quelle buone condizioni, che Livio al lib. 5. ragionando in perſona di Camillo aſſegna al ſito di Roma, & dice, ch'eran proporzionate a far grande quella città, qual fù poi, tutte le hebbe, & in grado aſſai più eccellente, il ſito di queſta città: ma le parole di Livio ſon queſte, parlando di Roma. *Non ſinè cauſa Dii, hominesque huic urbi condendæ locum elegerunt: ſaluberrimos colles, flumen opportunum, quò ex mediterraneis locis fruges devehantur, quò maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimia propinquitate ad pericula claſſium externarum: regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unicè locum*. La minor lontananza di Capua dal mare fù, à dirittiſſimo cammino, di poco più che di 12. miglia; & della ſalubrità del ſuo aere rende teſtimonianza Cicerone all' Orazione 2. contro Rullo, dicendo. *Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, fructuum magnitudine, urbis ſalubritate*, &c. E parimente Volcazio nella vita di Avidio, che reca le parole di una lettera di Fauſtina à M. Aurelio in queſta guiſa. *Sed ſi te Formiis invenire non potero, aſſequar Capuam, quæ civitas meam, & filiorum noſtrorum ægritudinem poterit adjuvare*. Se pure Fauſtina non inteſe di alcun medicinal bagno, che fù in Capua, oggi ſconoſciuto, di cui diraſſi in altro luogo. Ed appunto per goder di queſto aere più puro, e più ſalutare ſi dilungarono li primi Capuani dal fiume Volturno per altrettanto ſpatio, quanto lor parve baſtevole à poter con picciola fatica goder del beneficio della ſua navigazione, & della benignità del Cielo; alche nel fondarſi Roma non fu penſato; eſſendo più, forſe, vero ciò che di lei ſcriſſe Strabone al lib. 5. altre volte citato ragionando di Romolo, & di Remo, li quali la fondarono (ſono parole del ſuo traduttor Latino) *in locis non quidem arbitrio delectis, & idoneis, ſed neceſſitate oblatis*. Di modo che per detto di Frontino nel lib. 2. degli Acquidotti, *apud veteres Urbis infamis fuit aër*. Et veracemente oggi ancor ſi pruova non aver Campania luogo veruno nelle ſue parti frà terra, diſcendendo da' monti, in cui così unitamente ſi abbiano raccolte in uno tutte le ſudette buone condizioni da Livio attribuite al ſito di Roma, come ſi trovano nel primo già deſcritto ſito di Capua, dalche maggiormente ſi ſcuopre vero, ch'egli fù con molto avvedimento eletto da Capuani. Ma forſe ci ſi deſiderarebbe quell' una condizione dell' eſſer nel mezzo dell' Italia, dove Capua, ſe diam fede à Plinio al cap. 12. del lib. 3. che ivi dice eſſer Rieti, fermamente non fù ella; pur nè perciò vi fù così propriamente Roma: Ed in fatti ſe Virgilio al lib. 7. ſtatuì la Valle di Anſanto, hoggi detta *Mufiti*, tener dell' Italia il mezzo, cioè al parer del Cluverio nel capo 7. del lib. 4. della ſua Italia antica; *nempe*, dice egli, *inter Superum, Inferumque mare*; di certo non per un modo di dire, ma per poterne ſentir il beneficio delli trafichi, fù il ſito di Capua di poco men d'appreſſo a quel vero, e proprio mezzo, che fù il ſito di Roma; ſenza che non ſon mancati di coloro, che l'umbilico d'Italia il deſignarono propriamente nella ſudetta Valle, ſe non c'ingannò Servio ſopra il citato luogo di Virgilio. *Hunc locum* (così egli ſcriſſe) *umbilicum Italiæ Coſmographi dicunt: eſt autem in latere Campaniæ, & Apuliæ, ubi Hirpini ſunt*, nel qual dire diſteſe queſto Scrittore il nome di Campania fin al confine della Puglia, ſecondo quell' antica deſcrizione d'Italia da me ſpiegata nel ſecondo Libro dell' Iſtoria de' Principi Longobardi. Ma al ſito di Capua facendo ritorno, non può negarſi, che quantunque nella ſua elezione aſſai valſe l'umana prudenza per avviarla a lunga, e gran Monarchia, nulladimeno niente vi acconſentì la Divina Providenza; dalla quale, come Livio ben diſſe nelle recate parole, e raccogliendolo dal fatto, che ſeguito era, fù dignità così grande riſerbata non a Capua, che del dominio del Mondo gli antichi ben riputarono capace, affermandolo Cicerone nella Orazione 2. contro Rullo, ma a Roma.

Si reſe in oltre illuſtre queſto ſuo ſito per la nobiltà delle Città, che la cinſero intorno; talche per queſta cagione fù di molto anche preferita a Roma pur da Tullio nel ſudetto luogo, così dicendo de' Romani Coloni, che Rullo trattò di portarci. *Oppidorum finitimorum illam copiam cum hac per riſum, ac per jocum contemnent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum hercle Lanuvium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompejis, Nuceria, comparabunt*. Tuttoche al tempo di quell' Oratore le ſudette Città di Campania erano alquanto cadute dalla lor prima dignità, teſtimoniandolo Strabone al lib. 5. più volte detto; dove in riguardo di Capua dice, ch' elle eran tutte piccioli Caſtelli, toltone ſol Teano: *At verò* (ſono parole del ſuo traduttore) *in mediterraneis eſt Capua, re vera id quod nomine ejus ſignificatur: reliquas enim ſi ei compares, oppida ſunt, excepto Teano Sidicino, quæ urbs eſt*

magni nominis. Ma nell' età di Polibio, che visse molti anni prima di lui, e di Cicerone, eran riputate delle più nobili d'Italia; secondò ch' egli afferma al lib. 3. scrivendo di Campania in queste parole guaste nel Testo Greco, e nella interpretazione latina al pari, che l'altre pur sue recate a dietro. *Urbes præterea* (così dice) *celeberrimas, pulcherrimasque Italiæ continet; oram enim maritimam Campaniæ Sinuessani* (così dee leggersi, e non già *Suessani* come ha il Perotto, traduttor Latino contro la Scrittura del Testo Greco) *Cumani, & Puteolani colunt; item Neapolitani, & ad extremum gens Nucerina. In mediterraneis ad Septentrionem sunt Caleni, & qui Teanum habent* (non *Calatini, & Caleni* contro la fede pur dell' original Testo) *Ad Orientem, & Meridiem Caudini* (questa voce ripongo in cambio della Greca: Δαυνίοι *Daunii*, di cui dispersò la cura il Cluverio al lib. 3. cap. 10. dove scrisse di Sinuessa) *& Nolani. In mediis campis sita Capua est, quæ omnes alias felicitate quondam superabat*. Nel qual Catalogo par che Polibio, al pari che Cicerone, annoverando le Città più illustri, che cingevan Capua d'intorno, lasciate l'altre di minor conto, come Svessola, Calatia, Casilino, e simili, delle quali, forse, intese Strabone, ci abbia insieme descritti li confini, tra quali si ristrinse la vera Campania, che da Capua prese il nome, del che altrove.

Ma quì fermamente da alcuno sarò stato biasimato per troppo inchinevole, e parziale verso della patria, perciòche hò avuto ardire di tirar paragone fra il sito di Capua, e quel di Roma, e di vantaggio hò data la maggior lode al Capuano. Ma s'egli non a me, che l'altrui sentenza hò seguita, ma all' autorità di Tullio, che prima fè un tal paragone, e dichiarò la superiorità del nostro a petto del Romano, vorrà cedere, converrà, che si disdica di sì fatto biasimo, quando che quel medesimo grande uomo nella stessa Orazione con più aperto ragionare, ancorche per servire alla sua causa, che in quel punto trattava, determinò di nuovo tal precedenza in queste altre parole, similmente delli sudetti Romani Coloni parlando. *Romam in montibus positam*, disse, *& convallibus, cœnaculis sublatum, atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua planissimo in loco explicatâ, ac præ illis semitis irridebunt, atque contemnent*. E di questo Capuano sito si è detto a bastanza.

IL FINE.

Digitized by Google

GUILIELMI
APPULI
HISTORICUM POEMA
DE REBUS NORMANNORUM

IN SICILIA, APPULIA, ET CALABRIA GESTIS,

Uſque ad mortem ROBERTI GUISCARDI Ducis,
ſcriptum ad filium ROGERIUM.

CUM NOTIS CLARISS. VIRORUM

JOANNIS TIREMÆI,

ET

GODEFRIDI GUILIELMI
LEIBNITII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN GUILIELMI APULI POEMA NORMANNICUM.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SEculo Chriſti XI. mirandum quid in Italia accidit. Nempe ex Normannia Galliarum Provincia digreſſi aliquot viri fortes, ac in Apuliam peregrinationis cauſa delati anno 1016. nihil minus quam bellum cogitantes, a Melo quodam contra Graecos ibi adhuc regnantes incitantur. Viris ſtrenuiſſimis fortuna ſtatim arriſit.. Ut vero agnovere, uberem eſſe illic rerum copiam, facilemque inter ignavos Populos diteſcendi modum, novis ſuae gentis adſcitis commilitonibus, majora ſenſim moliti ſunt, multiſque Urbibus, ac Oppidis debellatis, demum ſub Roberto Guiſcardo, ejuſque fratre Rogerio univerſam Apuliam, quam nunc Regnum Neapolitanum appellamus, ac univerſam Siciliam ultra Pharum ſuae ditioni ſubdidere. Ingentia facta, magnique rerum eventus, digna plane erant, quae a Scriptoribus literis traderentur, & ad longinqua ſecula permearent. Neque defuere, uti haec ipſa Hiſtoricorum Collectio luculentiſſime oſtendet. Primum ergo locum dabimus *Guilielmo Apulo*, egregio Poëtae, qui hexametris verſibus Normannorum geſta in Apulia, Calabria, & Sicilia deſcripſit, Voſſio propterea memoratus inter Hiſtoricos Latinos. Quis ille fuerit, neque ab ipſo, neque ab ullis adnotatum invenimus. Illud certum, floruiſſe Scriptorem iſtum, dum viveret, ac regnaret Robertus Guiſcardus, cujus praecipue res geſtas tradit, imo tradit & mortem, atque in ejus funere finem ſuo carmini facit. E vivis ſublatus eſt Robertus anno Chriſti 1085. At quum pariter Urbanum II. Papam viventem in exordio memoret, qui ab anno 1088. Sedem Petri obtinuit, poſt eum annum ſcripſerit oportet, atque ante annum 1099., quo hic Pontifex vivere deſiit. Suum vero Poëma is dicavit Rogerio Roberti Ducis filio.

Primus, qui hunc Hiſtoricum aeneis typis deſcribendum curavit, fuit Johannes Tiremaeus, Fiſci in Rotomagenſi Provincia Advocatus, eumque anno 1582. Rotomagi edidit. At quum Liber perquam rarus foret, ita ut ipſe Du-cheſnius (quem Quercetanum alii nominant) dum Scriptores Rerum Normannicarum colligeret, ipſum ignorarit; Celeberrimus Vir Godefridus Guilielmus Leibnitius eumdem rurſus protulit, inſerens Tomo I. pag. 578. Scriptorum Brunſvicenſia pertractantium, impreſſo Hanoverae anno 1707., & ex eo nuper Johannes Baptiſta Caruſius in Tomo I. ſuae Bibliothecae Hiſtoricae Regni Siciliae tertio recudit. Perſpicuis autem verbis indicat hic Scriptor nuptias celebratas inter filiam Roberti, & Hugonem filium Azonis Eſtenſis Marchionis, inclyti propagatoris Brunſvicenſium, ac Mutinenſium Ducum. Atque haec cauſa Leibnitio fuit, ut Poëtam, ac Hiſtoricum vetuſtum ſuae Collectioni adjungeret. Id & ego innui Part. I. pag. 12. Antiquitatum Eſtenſium. Potiori ergo jure inter Scriptores Italicos proferendus mihi quoque fuit *Guilielmus* noſter, Italus nempe, & de rebus in Italia geſtis agens. Praefationes, & notulas quaſdam, quibus Tiremaeus, & Leibnitius loca nonnulla Poëmatis hujus illuſtrarunt, retinere mihi placuit, Lectori non inutiles. Ceterum non Hiſtoria ſolum Neapolitana, & Sicula, ſed univerſa Italia Poëtae huic multum debet, quod iis ignorantiae ſeculis laudabilem eloquentiam, ac facilitatem ad verſus efformandos attulerit, & pleraque velut oculatus teſtis deſcribat.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMO, AC DOCTISSIMO

LODOICO BALLIOLO

LONLEJI, AC SYLLEJI CŒNOBIARCHÆ DIGNISSIMO.

JOANNES TIREMÆUS,

HAUTENOEUS

FISCI IN PROVINCIA ROTHOMAGENSI PATRONUS.

S.

CUm ante annos aliquot, nobiliſſime Balliole, Argentona reverterer, quò per anniverſarium nobis juſtitium, optimi parentis mei viſendi cauſa iveram: in itinere religioſa Becobelvini Cœnobii domus hoſpitio me libenter invitavit, & liberaliter accepit. Ibi ego cùm & hominum mores, locique amœnitatem ac ſplendorem admirarer, tandem in ſermonem de Bibliotheca incidi. In eam introductus concepi (ut eſt ex reliquiis conjectu facile) olim, dum meliora fuerunt tempora, bonorum omnis generis librorum receptaculum fuiſſe. Tanti itaque theſauri reliquias dum curiòſiùs pro tempore perluſtrarem, oculos tandem conjeci in miſeras aliquot malè compactas, vixque cohærentes ſchædas, quas jamdudum pulvis tineæque flagellabant. Hujus jacturæ miſertus manum libens porrexi, & jacentes ab inerti ac planè funeſto veterno excitavi: ſquallore tandem deterſo, dum quid illæ continerent inſpexi cupidiùs, inveni inter alia, quæ vix præ vetuſtate legi poterant, Guillielmi cujuſdam Apulienſis hiſtoricum poëma de rebus à Roberto Guiſcardo, fortiſſimo Normannorum Duce, in Sicilia, Apulia, & Calabria geſtis. Illud præterquamquod ipſe nuſquam videram, & à paucis lectum hactenus aut viſum exiſtimabam, duo maximè perſcrutari coëgerunt. Primum, patriæ communis amor, cujus laus, ſplendor, & antiqua virtus quacunque æluceat, me, quod maximè debet, in primis & ſinè ſatietate delectat: alterum, quòd intelligerem majores noſtros viros fortes ac magnanimos in diffundenda per hunc terrarum Orbem nominis ſui gloria, auctores maluiſſe ſemper, quàm ſcriptores eſſe rerum, & inde effectum ut illorum.

Paulum ſepultæ diſtet inertiæ
Celata virtus.

Idcirco nefas eſſe judicabam homini, qui ſe totum Reipubl. aut patriæ natum putaret, qualiacumque etiam ab exteris de laude gentis illuſtriſs. ac bellicoſs. ſcripta eſſent, diutiùs in tenebris, pati latere. Quamobrem cùm veteres illas ſchædas à religioſis hoſpitibus utendas ad tempus accepiſſem, poëma quod in eis erat, totum à carceribus, ut dicitur, ad calcem intentis quàm maximè potui oculis animoque decurri. Nec eo contentus tranſcribendum quoque diligenter curavi, quò faciliùs poſſem cum amicis quibuſdam meis eruditis, ac ſinceri ſubtiliſque judicii viris communicare. Horum verò non aliud atque meum, ſed idem omnino judicium fuit: in tanta ſcriptorum paucitate, qui aliquam rerum geſtarum Normannæ gentis memoriam ſcribendo ſunt complexi, è noſtris reperiri neminem, qui hanc Guiſcardi præſtantiſs. Ducis hiſtoriam literis illuſtrarit: ex aliis extraneis, perpaucos quidem: ſed qui ſpeciatim, vel carmine ſcripſerit, quive planiùs aut veriùs quàm Guillielmus hic Apulienſis, non item: erat enim eorum temporum, quorum hiſtoriam contexit æqualis, & rerum, quod ei auctoritatem adfert & fidem, magna ex parte teſtis oculatus. Neque verò inficiabor amicos mecum, pro eo quo erga patriam affecti ſumus amore, deſideraſſe in hoc opere clariſſima illa duo cujuslibet ſcripti lumina, quibus in primis delectantur aures, ſermonis elegantiam, ſuavitatemque compoſitionis. Duriora enim multa & (ita dicam) abjectiora viſa ſunt, ideſt quorum humilitate deprimatur rerum dignitas, potiùs quàm ex merito, & dignè exprimatur: ita ut fortè non immeritò objici poſſit; quod olim poëta illis ....

Carmine qui fœdo
Splendida facta linunt.

Sed nec id impedimento cenſuimus eſſe debere, quominus deſertus hic à tot jam ſeculis Apulienſis & lucem & patrocinium mereretur. Cùm præſertim, ſi carminis aut linguæ latinæ ſumma proprietas, & ornatus illi defuerint, non hominis, ſed inculti in quo vixit ſeculi culpam fuiſſe, quivis æquus harum rerum æſtimator facilè judicaverit. Conſtituenti itaque mihi, de doctorum hominum ſententia, extraneo huic, ſed inſigni Normannæ virtutis præconi, & lucem & meritam libertatem conferre: operæpretium viſum eſt te unum è noſtris eligere, Nobiliſſime Balliole, cujus fœliciſs. auſpicio nominis liber iſte tandem ex diuturnis tenebris erutus in publicum prodiret, perpetuoque patrocinio defenderetur. Nec vereor, ut ſanæ mentis quiſquam temerè id à me, aut parum conſideratè factum arguat: quin ita potiùs auctorem ipſum, ſi viveret, facturum exiſtimo: & ſi aliter ego feciſſem, infeſtos illius manes habiturum me fuiſſe nequaquam dubito. Enimverò cùm tot nobiliſs. ac illuſtriſs. Normanni hominis victorias, trophæa, reſque variis olim in locis bene geſtas externus homo latino carmine deſcribat: cui mortalium, obſecro, totum id, quicquid eſt, operis, rectiùs inſcribi, donari, dedicari poſſet, quàm tibi? Nam & ipſe Normannus es, & ea generis vetuſtate, & gentilium nobilitate excellis, quæ non modò laudis, & gloriæ Guiſcardo ſocios non ſecundarios dedit: ſed & Scothis Jo: Balliolum fortiſs. regem & Edovardum illius filium Philippo Valeſio Francorum Regi Sororium procreavit. Ad hæc ita præclaris animi dotibus emines, ut hoc noſtro ſeculo neque in omni bonarum literarum genere, neque virtutis aut ſapientiæ

gloria ſecundus cuiquam videaris. Sed de aliorum judicio fuſque deque: modò tibi uni meum hoc conſilium probari ſentiam: quod quin libentiſſimè comprobes non dubium eſt. Accipe igitur, pro tuo ſummo adversus literas, & literatos amore, renaſcentem hunc operâ meâ veterem Normannæ nobilitatis clientem, eumque contra omnes virtutis hoſtes ac laudis majorum noſtrorum invidos, tuo patrocinio, quod abs te petit, tuere. Quod reliquum eſt, velim tibi ſic perſuadeas quicquid à nobis eſt laboris & operæ ad hujus libri emendationem, & ex notis, quas addidimus, explicationem collocatum, totum id quoque donec meliora poſſimus, in eam partem tibi dari, ut & tuæ veteris in me benevolentiæ, & grati mei animi, ſingulariſque in te obſervantiæ quaſi pignus ſit, & perpetuum apud omnes teſtimonium. Vale.

AD LECTOREM.

Si non tam Aonias ſapiant hæc carmina Muſas
Quam quæ Mæonides, Virgiliuſque ſonet.
At non hic Orci nugas, non pocula Circes,
Cyclopa, Harpyas, monſtra nec ulla legis.
Græcula veridicus non curat ſomnia Phœbus,
Nec faciem fuco Muſa pudica linit.
Vatem, lector, habes, policia Platonica qualem,
Immo Chriſticolum lex pia non abigat.
Qui certaque fide, nec Muſæ expertibus omnis
Verſibus, ætatis retulit acta ſuæ.
Res propriis viſas oculis, terra inque paterna,
Armis, conſiliis & pietate pares.
Fortia Normannæ cognoſces pectora gentis,
Quæ Gallo Italiam venit ab Oceano,
Non profuga, aut ſuperata domi, ſed laudis amatrix
Bellicæ, & innumero ſedis egens populo.
Ergo legi, ſi non tanquam optimus iſte poëta.
Optimus at certè debet ut hiſtoricus.

J. D.

GODE-

Digitized by Google

GODEFRIDI GUILIELMI LEIBNITII PRÆFATIO DE GUILIELMO APPULO

In ſua Introductione ad Collectionem Scriptorum Hiſtoriæ Brunſvicenſi inſervientium Numero XXXIX.

AZo potens Marchio, origine Eſtenſis, ex Cuniza veterum Guelforum hærede, pater Guelfi Ducis Bavariæ, qui ſtirpem in Germania propagavit, in Brunſvicenſibus Principibus adhuc ſuperſtitem ex altera conjuge filios habuit Hugonem & Fulconem. Hugo filiam duxit Roberti Guiſcardi, Normannorum Principis, qui Apuliam, Calabriam & Siciliam tenebat, magnis rebus geſtis clarus, regni utriuſque Siciliæ fundator, cujus titulum filius Rogerius geſſit. Nam Siciliæ citra Pharum (ſeu ciſmarinæ) nomine tunc veniebat, quod nunc Regnum Neapolitanum dicimus: Siciliam verò Inſulam, Trinacriæ regnum appellabant. Id porrò matrimonium, non minus quàm liberorum Azonis & conjugum ſeriem, Ateſtini Hiſtorici ignorarunt. Quoniam autem Guilielmus Poëta contemporaneus nuptias Hugonis deſcribit, hunc, alioqui paucis viſum, noſtris Scriptoribus addere libuit. Gaſp. Barthius, vir maximæ lectionis, & ſcriptorum latentium ruſpator inſignis, (in notis ad Guil. Britonem. p. 774.) ita de hoc autore loquitur: Extat Poema Guilielmi Appuli olim editum, laudatum multis doctorum, ſed in cognitionem meam non vênit, non ſinè faſtidio ſiniſtræ fortunæ. *Exemplo, quod ab ornatiſſimo Fellero, doctiſſimi Lipſienſium Profeſſoris filio, nunc Sereniſs. Ducis Vinarienſis Secretario mecum communicatum fuit, hæc inſcripſerat inſignis vir Nicolaus Heinſius*; Hic liber eſt rariſſimus & aliàs non editus, quo me donavit Emericus Bigotius V. Cl. *Certè oportet fugiſſe Quercetani diligentiam, qui Scriptores Normannicarum rerum juſto volumine edens, folii, quod vocant, formâ, hunc omiſit: qui tamen jam prodierat hoc titulo*. Guilielmi Apulienſis rerum in Italia ac regno Neapolitano Normannicarum libri quinque Rothomagi apud Richardum Petit & Richardum Lollemant anno 1582. quarto pag. 52. *Editor ſe vocat Joannem Tiremæum Hautenoëum, fiſci in provincia Rothomagenſi patronum. Librum autem ſe reperiſſe ait in religioſa Beccobelvini cœnobii domo; & inſcribit Ludovico Balliolo, Lonleji ac Syllei Cœnobiarchæ.*

Sed operæ pretium eſt argumentum operis paucis complecti, ut, quæ apud autorem diſperſa, & dictione obſcurata ſunt, faciliùs intelligantur.

Libro Primo. *Sub initium ait*: Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu venerit Italiam. *Hortatu Rogerii, ipſiuſque Papæ Urbani II. laborem hunc à ſe ſuſceptum profitetur. Urbanus anno* 1088. *ſedere cœpit, obiitque* 1099. *unde Poetæ noſtri ætatem æſtimes. Narrat, Normannos quoſdam, cùm ex voto S. Michaëlis in Gargano monte ædem ingreſſi eſſent, illic Melum inſignem virum, à Græcis Baro pulſum reperiſſe. Hunc ſuaſiſſe ipſis, ut in Græcos impetum facerent, armaque ſuppeditaſſe. Vincitur Turnicius Græcorum Catapan, ſed anno ſequente ſucceſſor ejus Baſilius apud Aufidum flumen viciſſim Melum vincit. Is ſeſe ad Henricum Auguſtum confert, & auxilia obtinet, ſed dum parantur, obit. Normanni deſtituti in Campaniam redeunt, nunc his nunc illis Longobardorum Principibus manus & arma locant. Tandem in urbe Averſa conſident, Ranulphum inter ipſos clarum ſibi Ducem præficiunt, qui Jordanem genuit, & hic Richardum. Ab Ardoino quodam Longobardo in Græcos iterum incitantur, qui à Dochiano Græcorum Duce injuria affectus fuerat. Tum bis ſex de omni numero ſuo nobiliores eligunt, & quingentorum equitum ſeptingentorum peditum numero inſtructi, Amalphim capiunt. Inde præda onuſti, primorum ſuorum juſſa ſpernunt, Adenulpho Beneventano Principi militant: Filium Baſilii, qui olim Melum pepulerat, in prœlio capiunt, Barum, Monopolim, Juvenacum, urbes à Græcis deſciſcentes, ſibi fœdere adjungunt. Tum ab Adenulfo ad Guaimarium Salerni Principem tranſeunt, qui in Averſa erant Normanni: reliqui Argyroum Meli filium Ducem creant, qui cum Maniaco Græcorum Duce certabat. Interea Conſtantinus Monomachus ad Imperium Græcorum pervenit. Is Argyroum cum ſuis in adverſantem Maniacum ſtimulat. Auxilio venere & Averſani, & inter hos Ranulphi in regenda Averſa ſucceſſor Rudolphus, filiuſque Tancredi Guilielmus Ferrobrachius, cui frater fuit Guiſcardus, poſtea Dux. In eo bello cecidit Maniacus.*

Libro Secundo. *Argyrous Barum tenens, etiam Hydruntum occupat: inde Normannos dimittit, & in Baro urbe à Guaimario obſidetur, ac poſtremò Conſtantinopolim redit, Normanni Guaimario Salernitano iterùm operam locarant: inde pars Normannorum Comiti Petro, pars Drogoni adhærent, filio ejuſdem Tancredi. Petrus his conſanguineus,*

Condidit hic Andrum, fabricavit & inde Coretum,
Buxilias, Barolum maris ædificavit in oris.

Muniſſe puto, hoc noſter ædificare appellat: Tandem Petrus ab Unfredo & Drogone in prœlio capitur, Conſtantinopoli cum pecunia redit Argyrous; Solicitat Normannos, ut Græcis in Turcas militent, quos autor more Græcorum autorum Perſas vocat. Sed cùm Apulia excedere nollent, opprimere eos tentat, excito etiam Leone IX. Papa. Drogo tunc obierat & Guaimarius: Normanni rectore carebant. Drogoni tamen fratri ſuperſtes erat Unfredus, & Averſam in Comitis modum regebat Richardus Normannus; ſed præ cæteris virtute eminebat Robertus Guiſcardus, Guilielmi,

Digitized by Google

Drogonis & Unfredi frater. Prælio cum Leone Papa commisso, Longobardi Germanos desernnt: Suevi magnæ virtute resistant, sed tandem cæduntur: Papa Benevento à Civibus exclusus capitur. Normanni tota Apulia potiuntur, Unfredus Roberto fratri Calabriam concedit, sed mox defunctus eidem & Apuliæ obtinendæ occasionem præbet. Nicolaus II. Papa, Synodo apud Amalphitanos habita, Robertum Ducem creat, & oblatas Romanæ Ecclesiæ, quas ille occuparat terras, feudi jure reddit. Itaque Poëta de Roberto

Unde sibi Calaber concessus & Appulus omnis
Est locus, & Latio patriæ dominatio gentis.

Sed Apuliam, & Calabriam inde ab Ottonibus sibi Imperatores Occidentis vindicabant, & quod Otto II. cœperat, prosecutus erat Henricus II. captisque Benevento, Troja, Neapoli, Capua, Salerno, & aliis locis, etiam Normannis, quòd fortiter militassent, agros dederat. Itaque Henricus IV. & alii Imperatores vel à Papa, vel à Normannis, imperio aliquid detrahi posse negabant, quæ omnia noster dissimulavit. Robertus interim priore conjuge consanguinitatis titulo repudiata (ex qua Boamundum susceperat) Sichelgatam, Guaimarii Salernitani Principis filiam, Gisulfi successoris Sororem, ducit, ex qua tres filios, quinque puellas genuit. Inde fratris Unfredi filium Abaëlardum, & alios rebelles vincit.

Libro Tertio *narratur quomodo Barum Græcis, navali prælio victis, tertio demum anno extorserit Robertus. Bellum deinde per Rogerium fratrem in Saracenos Siciliæ parat: mox ipse Panormum obtinet. Inde Petri Comitis filium Petrum Trano exuit, Gisulfum conjugis fratrem capit: ita Salerno, & Amalphi potitur. Hæc urbs tunc mercatorum concursu florebat; & crebris navigationibus exterorum adibatur.*

Hic Arabes, Indi, Siculi, noscuntur & Afri

Hìc pyxidem nauticam *repertam ajunt, de quo tamen nihil noster. Inde rebus ordinatis Trojam redit.*

Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advênit Lambardus Marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum.
Axo vocatus erat, secum deduxit Hugonem
Illustrem natum, Ducis huic ut filia detur.

Hac re fusiùs expositâ narratur deinde, quomodo Dux cognatos aliosque æmulos in ordinem redegerit, parte ditionum adempta, parte reddita.

Libro Quarto *refertur, Michaëlem, qui Parapinaceus dicebatur, Constantini Ducæ filium, Imperio dejectum.*

Socio sibi fratre repulso,
Monachus efficitur; *Roberti filia* mœret
Deponi socium, miser exulat ille coactus.

Nempe Michaël Imperator, filio Constantino desponderat filiam Roberti Helenam, ut ejus auxilio Turcis resisteret; ut habet Curopalates. Poëta autem noster mox de aliis, quos Robertus generos habuit. Inter quos

Partibus Hesperiæ (Iberiæ) quem Barcilona tremebat,
Venerat insignis Comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura Ducis detur sibi filia poscens.
Huic major natu nuptûm datur: altera nupsit
Egregio Comiti, Francorum Stemmate claro.
Ebalus hic dictus, succumbere nescius hosti.

Hunc Ebalum Comitem de Rocejo fuisse comperi, cujus tanta tunc fama erat, ut à Pontifice Dux expeditionis in Saracenos Hispaniæ crearetur. Tantis ergo affinitatibus Hugo Estensis *Azonis filius, Guelfi frater innexus fuit. Paulò post Robertus cum Gregorio VII. conciliatus Romam venit, fidem huic jurejurando sancit. Credebatur id secretis cum consiliis agitasse cum Papa, ut ademptam Henrico Romani Imperii coronam acciperet. Interim Robertus transfretat in Græciam, ut generi filiæque injuriam vindicet. Sed intellecto Gregorii periculo, quem Henricus, & Guibertus oppositus Papa urgebant, in Italiam redit: florentissimo exercitu sex equitum, triginta peditum millibus Romam ductis, Gregorium in Hadriani mole obsessum liberat, atque ita eodem anno Orientis pariter Occidentisque Imperatorem vincit.*

Libro Quinto (*qui ultimus*) *postrema Roberti non redituri expeditio in Græciam describitur. Comitatus Rogerio filio, centum navibus, mare Hadriaticum trajicit: in expeditione obit. Interim, & Gregorius Salerni in exilio moritur. Reduces naufragium patiuntur, Robertus Venusinæ in urbe apud fratres tumulatur.*

GUI-

Digitized by Google

Ant. Orlocolini inv. et del. Io: Baptr Pintor Sculp.

GUILELMI APPULI HISTORICUM POEMA

DE REBUS NORMANNORUM IN SICILIA, APPULIA, ET CALABRIA GESTIS, USQUE AD MORTEM ROBERTI GUISCARDI DUCIS, SCRIPTUM AD FILIUM ROGERIUM.

LIBER PRIMUS.

Esta Ducum veterum veteres cecinere Poëtæ;
Aggrediar vates novus edere gesta novorum:
Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu,
Venerit Italiã: fuerit quæ causa morandi,
Quoſve ſecuta Duces Latii ſit adepta triumphum;
Parce tuo vati pro viribus alta canenti,
Clara, *Rogere*, *Ducis Rodberti* dignaque proles
Imperio cujus parêre parata voluntas
Me facit audacem: quia vires quas labor artis
Ingeniumque negat, devotio pura miniſtrat.

Et *Patris Urbani* (1) reverenda petitio, ſegnem
Eſſe vetat: quia plus timeo peccare negando,
Tanti Pontificis quàm juſſa benigna ſequendo.
Poſtquam complacuit Regi mutare potenti
Tempora cum regnis, ut Græcis Appula tellus
Jam poſſeſſa diu non ampliùs incoleretur:
Gens Normannorum feritate inſignis equeſtri
Intrat, & expulſis Latio dominatur Achivis.
Hos quando ventus, quem lingua ſoli genialis
North vocat, advexit boreas regionis ad oras,
A qua digreſſi fines petiere Latinos:
Et *man* eſt apud hos, homo quod perhibetur apud nos,
Normanni dicuntur, ideſt homines boreales:
Horum nonnulli *Gargani* (2) culmina montis
Conſcendêre (3), tibi, Michaël Archangele, voti
Debita ſolventes. Ibi quendam conſpicientes
More virum Græco veſtitum, nomine Melũ (4):
Exulis ignotam veſtem capitique ligato

In-

(1) Urbanus II. Papa vixit (juxta *Joannem Tirenæum*) electus (juxta *Leibnitium*) anno ſal. 1088. Iiſdemque temporibus regnabat Rogerius Roberti Guiſcardi Apuliæ Ducis filius.

(2) Garganus mons in Apulia ad mare Hadriaticum. *Leibnitius*.

(3) Volaterranus lib. 3. Geog. ſcribit Robertum Guiſch. expuliſſe Sicilia Saracenos, qui anno ſal. 914. Apuliam, Calabriam, Neapolim, & Garganum montem occupaverant. *Leib.*

(4) Meles legitur apud Th. Fazell. poſterioris Decad. lib. 6. cap. 1. *Leib.*

Digitized by Google

Insolitos mythræ mirantur adesse rotatus,
Hunc dum conspiciunt; quis, & unde sit ipse, requirunt.
Se Longobardum natu civemque fuisse
Ingenuum Bari, patriis, respondit, at esse
Finibus extorrem Græca feritate coactum (5),
Exilio cujus dum Galli compaterentur,
Quàm facilem reditum, si vos velletis haberem,
Nos aliquot vestra de gente juvantibus, inquit.
Testabatur enim citò Græcos esse fugandos
Auxiliis horum, facili comitante labore:
Illi donandum patriæ munimine gentis
Hunc celeri spondent, ubi fortè redire licebit.
Ad fines igitur postquam rediere paternos
Cœperunt animos mox solicitare suorum
Italiam secum peterent: narratur & illis
Appula fertilitas, ignaviaque insita genti (6)
Sola quibus peragi possit via, ferre monentur;
Ductor ibi prudens promittitur inveniendus:
Quo Duce de Græcis facilis victoria fiat:
Arrectis igitur multorum mentibus ire
Pars parat, exiguæ vel opes aderant quia nullæ,
Pars quia de magnis majora subire volebant:
Est acquirendi simul omnibus una libido.
Aggrediuntur iter, sumptis quæ cuiq; videntur
Ferre necesse viam pro viribus ad peragendam.
Postquam gens Romam Normannica transit inermis,
Fessa labore viæ Campanis substitit oris.
Fama volat Latio Normannos applicuisse.
Melus ut Italiam Gallos cognovit adisse,
Ocyùs accessit, dedit arma carentibus armis:
Armatos secum comites properare coëgit.
Hactenus insolitas hac tempestate Latini
Innumeras cecidisse nives mirantur & harum
Casibus extinctæ pleræque fuere ferarum:
Nec fuit arboribus fas inde resurgere lapsis.
Hujus portenti post visum, Vere sequenti
Emptis Normãnos Campanis partibus armis (7)
Invadenda furens loca duxit ad Appula Melus.
Hunc habuere Ducem sibi gens Normannica primum.
Partibus Italiæ, Gallos tremit Appulus omnis,
Quorum prævalido multi periere rigore,
Turnicii (8) tandem rumor pervênit ad aures,
(Qui *Catapan* fuerat Græcorum, missus ab urbe,
Cui Constantinus nomen dedit editor urbis,
Et Constantinus pariterque Basilius (9) illi
Tunc dominabantur) Gallos venisse feroces
Conductu Meli, qui factus utrique rebellis
Appula Normãnos loca depopulanda monebat.
His ita Turnicio fama referente relatis,
Agmina Græcorum properè direxit in hostes.
Non etenim per se certamina prima paravit,
Sed per legatum, cognomen cui *Pacianus*,
Et *Leo* (10) nomen erat, qui juxta fluminis undam
Nomine Fertorii (locus est & Arenula (11) dictus)

A Deduxit secum multos ad bella Pelasgos:
Maji mensis erant aptissima tempora Marti
Hoc ad bella solent procedere tempore Reges,
Fortunaque pari primo pugnatur utrinque.
Auctis militibus comites fuit inde sequutus
Turnicius, sed terga dedit, victusque recessit.
Conflictu belli Pacianus corruit hujus.
Normannis auget validas victoria vires,
Expertis Græcos nullius roboris esse,
Quos non audaces, sed cognovere fugaces:
Imperii fama insinuat rectoribus arva
Appula Normannos Melo Duce depopulari.
Hunc, his auditis, sibi Curia judicat hostem,
Si capitur, capitis fieri cæsura jubetur.
Multa Græcorum cum gente *Basilius* (12) ire
B Jussus in hunc audax anno movet arma sequenti:
Cui Catapan facto cognomen erat *Bagianus* (13),
Quod *Catapan* (14) Græci, nos *juxta* dicimus *omne*:
Quisquis apud Danaos vice fungitur hujus honoris,
Dispositor populi parat omne quod expedit illi,
Et juxta quod cuiq; dari decet, omne ministrat.
Vicinus Cannis quà defluit Aufidus (15) amnis,
Circiter Octobris pugnatur utrinque Calendas (16):
Cum modica non gente valens obsistere Melus,
Terga dedit magna spoliatus parte suorum:
Et puduit victum patria tellure morari,
Samnites adiit superatus, ibique moratur.
C Post *Alemanorum* petiit suffragia *Regis*
Henrici (17), solito placidus qui more precantem
Suscipit auxilii promittens dona propinqui.
At Melus regredi præventus morte nequivit.
Henricus sepelit Rex hunc, ut Regius est mos:
Funeris exequias comitatus adusq; sepulchrum,
Carmine regali tumulũ decoravit humati (18).
Defuncto Melo, cujus suffragia Galli
Affore sperabant, spe tota deficientes
Campanæ mœsti redeunt regionis ad oras:
Atque locis nullis figunt tentoria certis.
Perterrebat eos plebs pacificata suorum,
Viribus & validis circumstans plurimus hostis.
Quare nullus eis tutus locus esse videtur.
D Montibus interdum, nunc vallibus inde remotis.
Sed cùm jam nullum sperarent posse parari
Auxilium, victis incommoda quippe videntur
Omnia: victores fors creditur ipsa juvare.
Cùmque vagi, instabiles, jam per loca multa vagantes,
Nullis sede locis possent insistere certa,
Consilium tandem dat rixa propinqua morandi;
Nam Longobardo norant cui robur adesse
Majus, adhærebant, aderantque fideliter ejus
Auxiliis: hujus quo per famulamina tuti
A reliquis fierent, & eorum nacta secundos
Successus belli clarescere fama valeret,
Hac ratione loco metantur castra decenti;
Qui limphis, herbis, simul arboribusque redundans
E Om-

(5) Anno salutis 1018. *ita Tiremæus*. Circa 1011. motus in Calabria, & Apulia excitarat. *Leib.*
(6) Scribebatur in margine Græcis, quæ lectio fortè verior est. *Tirem.*
(7) Anno 1017. vel paulò ante. *ita Leib.*
(8) An Tumitius, vel Tomitius, usitatum Græcis nomen. Leo Tomitius 1046. à militibus Imperator salutatus. *Leib.*
(9) Basilius, & Constantinus filii Romani Junioris. *Leib.*
(10) Leo Pacianus. *Leib.*
(11) *Arena* fluvius est in meridionali Siciliæ latere, ita dictus, quòd ad fauces circumjacentes albas teneat arenas. Th. Fazell. lib. 6. c. 4. decad. prioris. *Leib.*
At hic Arenulæ locus in Apulia est investigandus; quippe Normanni nondum in Siciliam transfretaverant.
(12) Basilius Constantinopolitanus Imper. regna recepit anno salutis 977. *Leib.*
(13) Sigonius hunc Bubaganum vocat, qui Basilii Imper. Catapanus erat. *Leib.*
(14) Catapan apud Græcos generalis totius exercitus præfectus. *Leib.*
(15) Aufidus fluvius in Apulia, Italis Lofanto. *Tirem.*
(16) 1019. ut creditur. *Leib.*
(17) Henricus I. Rex, & Imper. 39. *Tirem.* Henricus cognomento Sanctus. *Leib.*
(18) In vita S. Henrici l. 22. memoratur Ismaëlem (corruptum, puto, & nomen notum, pro Mele ignoto positum) ab Imperatore Apuliæ præfectum in Babeberg obiisse, & in Capitulo majoris Monasterii tumulatum esse. *Leib.*

Digitized by Google

Omne miniſtrabat, populo quod habere neceſſe eſt.
Egregium quendam mox elegere *ſuorum*
Nomine *Ranulfum* (19), qui princeps agminis eſſet,
Cujus mandatis fas contradicere non ſit.
Cùmque locum ſedis primæ munire pararent,
Undique denſa palus, nec non & multa coaxans
Copia ranarum prohibet munimina ſedis:
Haud procul, inde ſuis alium ſtationibus aptum
Invenere locum, quem nullo dante juvamen
Cultorum patriæ, pro ſe munire tuendis
Conantur, ſic ſe, facto munimine, cuidam (20),
Qui Princeps Capuanus erat, conjungere gaudent.
Principibus Latii prior atque potentior ipſe
Tunc erat; affines properant hoc principe tuti
Devaſtare locos, hoſteſque viriliter angunt.
Sed quia mundanæ mentis meditamina prona
Sunt ad avaritiam, vincitque pecunia paſſim,
Nunc hoc nunc illo contempto, plus tribuenti
Semper adhærebant, ſervire libentiùs illi
Omnes gaudebant, à quo plus accipiebant:
Bella magìs populi, quàm fœdera pacis amantes,
Servitiique vices pro viribus & ratione
Tẽporis expendunt, plus dantes pluris habebant.
Illis principibus dominandi magna libido
Bella miniſtrabat: vult quiſque potentior eſſe.
Alter & alterius molitur jura ſubire.
Procedunt lites hoc fomite, prœlia, mortes,
Inter mortales ideo mala plurima creſcunt.
Heu miſeri, mundo quicquid conantur, inane eſt.
Innumeros vana paſſi pro laude labores
Plus cruciabũtur, poſtquam mundana relinquent.
Nunquam Normannis, ne pœna rediret in ipſos,
Longobardorum placuit victoria prorſus.
Funditus everti diſcordem quemque vetabant
Nunc favor additus his, & nunc favor additus illis:
Decipit Auſonios prudentia Gallica: nullum
Plena lance capi permittit ab hoſte triumphum.
Sic deſperatos Latii diſcordia Gallos
Ad ſpem, quæ fuerat priùs extirpata, reformat.
Et vires & opes augmentum ſic capiebant:
Si vicinorum quis pernitioſus ad illos
Confugiebat, eum gratanter ſuſcipiebant:
Moribus & lingua quoſcunque venire videbant,
Informant propria, gens efficiatur ut una.
Poſt annos aliquot, *Gallorum exercitus urbem*
Condidit Averſam (21) *Ranulfo conſule* (22) tutus.
Hic opibus plenus locus, utilis eſt & amœnus;
Non ſata, non fructus, non prata, arbuſtaq; deſunt,
Nullus in orbe locus jucundior: hunc generoſi
Conſulis elegit prudentia præmemorati.
Hujus præclara proceſſit ſtirpe (23) *Richardus*
Qui poſt ſucceſſit; quo non animoſior ullus:
Nemo magìs largus; qui non virtute minorem
Jordanem genuit: Jordanis & inde Richardum,
Jamque viro vires condignas fert adoleſcens:
Mœnibus *Averſa* Ranulfus ab urbe peractis,

A Ad patriam miſit legatos qui properare
Normannos facerẽt, & quàm ſit amœna referrent
Appula fertilitas, inopes fore mox opulentos,
Divitibus multò plus polliceantur habendum:
Talibus auditis, & egentes, & locupletes
Adveniunt multi, properat quò faſce tenetur
Paupertatis inops, ac quærat ut optima dives,
Interea multo decurſo tempore, nullus
Partibus Auſoniis Gallorum terror habetur,
Ex quo Normannos Catapan abſcedere fecit,
Imperii Melum ſuperando Baſilius hoſtem.
Averſam ſubitò venit *Hardoinus* (24), & illum
Pluribus adductis ſecũ, tremit Appulus omnis.
Is Lombardus erat Græcoſque fugare volebat.
Cur inimicus eis, cur Gallos duxerit, edam:
B Dum ſedi *Michaël Epilepticus* (25) Imperiali
Præſidet, in Siculos hoſtes jubet arma moveri,
Qui fines Calabros non ceſſant depopulari.
Dirigitur Michaël Dochianus ad id peragendũ,
Qui multis equitum peditumque potenter in arma
Undique collectis, Siculos compeſcuit hoſtes.
Inter collectos erat Hardoynus, & ejus
Aſſeculæ quidam Græcorum cæde relicti.
Plebs Lombardorũ Gallis admixta quibuſdam
Qui profugi fuerant, ubi bella Baſilius egit.
Cùmque triumphato rediens Dochianus ab hoſte
Præmia militibus *Regina* (26) ſolveret *urbe*.
Græcis donatis nihil Hardoynus habere
C Donorum potuit, miſer immuniſque remanſit.
Convenit inde ſuos iratus, & arguit Argos
Turpis avaritiæ, populo quia dantur inerti
Munera danda viris, cùm ſit quaſi fœmina Græcus.
Iratus Michaël propter convitia juſſit
Græcorum ritu, cædendus ut exueretur,
Corrigiis cæſum graviter peccaſſe puderet:
Dedecoris tanti cruciatibus exagitatus,
Multæ commiſſum non dimiſſurus inultum
Clam cum gente ſua Græcorum caſtra reliquit,
Miſſa Pelaſgorum manus hunc ut perſequeretur,
Repperit in campo, cum quo confligere tentans,
Cedit, & occiſis decies ibi quinque Pelaſgis
Averſam properat: Normannis omnia narrat
D Quæ ſibi contigerant, vehementer & increpat illos.
Appula multimodæ cùm terra ſit utilitatis
Fœmineis Græcis cur permittatur haberi,
Cùm genus ignavum ſit, quod comes ebrietatis
Crapula diſſolvat minimo ſæpe hoſte fugatos,
Veſtituque graves, non armis aſſerit aptos.
Normanni quamvis Danaũm virtute coacti
Appula rura priùs dimittere, rurſus adire
Hoc ſtimulante parant: numero cum viribus aucto
Omnes conveniunt, & bis ſex nobiliores,
Quos genus & gravitas morũ decorabat & ætas,
Elegere Duces: provectis ad *comitatum*
His alii parent; *comitatus nomen honoris* (27)
E Quo

(19) Ranulfus Romannorum Dux primus. *Leib.*
(20) Pandulpho quarto. *Leib.*
(21) Averſa urbs inter Neapolim, & Capuam poſita. *Leib.*
(22) Conſul pro Comite. *Leib.*
(23) Conſentit VVilhelmus Gemeticenſis lib. 7. c. 43. Sed Leo Oſtienſis lib. 2. c. 67. narrat Aſcilittinum Normannum duxiſſe ſororem Ranulfi, eique in comitatu Averſano ſucceſſiſſe, & filium Richardum, Patrem Jordani, avum Richardi II. genuiſſe. Ranulfum Pandulfus Capuæ Princeps Averſæ Comitem fecerat. Richardus I. poſtea Capuæ Principatum occupavit 1053. vid. Leon. Oſtienſ. l. 3. c. 16. *Leib.*
(24) Hardoinus Longobardus Normannos ducit, qui cùm in expeditione Saracenum quendam proſtraviſſet ex equo, quem ſibi pugnando quæſiverat, ſpoliatus, injuriæ ulciſcendæ cupidus conſilium eripiendæ Græcis Apuliæ cepit. *Tirem.*
(25) Qui vulgò Paphlago, Imperator factus 1034. obiit 1041. *Leib.*
(26) Regina urbs, cujus olim ingens fuit potentia, & ob hanc cauſam, plurimi nomen civitatis factum eſſe autumant: quaſi regia urbs foret. *Tirem.*
Regio, Calabriæ urbe. *Leib.*
(27) Comitatus nomen honoris nobis etiam fuit, officii & uſque ad Hugonis Capeti tempora. *Tirem.*
Sed & ditionis, nam Comitatus cuique ſimul aſſignatur. *Leib.*

Quo donantur, erat. Hi totas undique terras
Diviſere ſibi, ni ſors inimica repugnet,
Singula proponunt loca, quæ contingere ſorte
Cuique Duci debent, & quæque tributa locorũ:
Hac ad bella ſimul feſtinant conditione.
Nullus tunc Italis exercitus Imperialis
Partibus audiri, Græcorum tota quieta
Res erat, & ſolum tranquillo tempore bellum
Adversùs Siculos agitari fama ferebat.
Appula Normannis intrantibus arva, repentè
Melfia (28) capta fuit, quicquid prædantur, ad illam
Urbem deducunt: hac Sede Baſilius ante,
Quem ſupra memini, modicas fabricaverat ædes,
Eſſe locum cernens inopinæ commoditatis.
Acceſſu populi nunc urbs, illuſtris habetur,
Finibus Italiæ celeberrima, dives amœni
Fertilitate loci, Cereris nec egena nec amnis,
Et qua parte ſita eſt, inſignis honore Ducali.
Audito reditu Siculis Michaëlis ab oris,
Seſe ad bella parant Normanni, copia quamvis
Multa ſit Argorum, ſua quampauciſſima gens ſit.
Nam pedites tantùm *quingentos* turba pedeſtris,
Et *ſeptingentos* comitatus habebat equeſtris;
Ob tectos clypeis paucos lorica tuetur.
Armati pedites dextrum lævumque monentur
Circumſtare latus: aliquot ſociantur equeſtres,
Firmior ut peditum plebs ſit comitantibus illis:
His interdicunt omnino recedere campo,
Ut recipi valeant, ſi fortè fugentur ab hoſte:
Taliter inſtructis illis & utrinque locatis,
Digreditur cuneus longè pauliſper equeſtris,
Contra quos cuneus Græcorum mittitur unus.
Non etenim totas Danai laxare cohortes
Primo marte ſolent, legionem ſed priùs unam,
Inde aliam mittunt, ut virtus aucta ſuorum
Hoſtes debilitet, terroremque augeat illis.
Sic equitum princeps obniti dum videt hoſtes,
Cum magis electo, qui reſtat milite ſecum,
Proripitur ſubitò, vireſque retundere prorſus
Sic ſolet hoſtiles, animos reparando ſuorum:
Utrorumque acie conſerta, maxima pugna
Fit juxta rapidas *Lebenti* (29) fluminis undas.
Vincuntur Danai, Gallorum exercitus illos
Fortiter inſequitur, cæſorum corpora multa
Appula planities, fluvius ſed plura recepit.
Gens Argiva quidem nimio perculſa pavore,
Dum tremebundà fugit non aſperitate locorum,
Non prohibetur aquis vehementibus, ut fugitiva
Non ſe præcipitet; plures in flumine merſos
Alveus involvit, quàm morti traderet enſis.
Hos jaculis, illos gladiis gens Gallica ſtravit,
Fitque modis variis Græcorum maxima cædes.
Cum paucis montem Michaël elapſus adivit,
Vicinos montes ſuperare cacumine viſum
Gallorum vires victoria mentibus auget,
Nec contra Danaos jam bella gerenda paveſcunt.
Haud ſecus accipiter ſolitus captare minores
Indubitanter aves, dubitans majoris inire
Alitis aſſultum, poterit ſi ſorte vel unam
Exuperare gruem, non inde timebit olorem,
Et magnis avibus jam nil obſtare pavebit.
Agmine collecto Græcorum, rurſus ad amnem
Cannis affinem qui dicitur *Aufidus*, omnes
Quos ſecum potuit Michaël deducere, duxit.
Ad pugnam Galli redeunt, ut ceſſerat ante,
Cedit eis Michaël, victi fugêre Pelaſgi,
Cæduntur multi, labentis equo Dochiani
Armigeri auxilio ſervatur vita fugacis.

A Corruit offenſo pede fortè caballus ad amnis
Ingreſſum. *Michaël* manibus jam pœne tenendus
Hoſtilis turbæ, proprium ducente miniſtro
Eſt elapſus equum: Normanni plus animantur,
Quo magis augetur fœlix ſucceſſus in armis.
Peluſii montis Michaël petit ardua victus:
Hinc exercitui Græcorum nuntia mittit,
Qui Siculis inerat tunc partibus, ut reparandis
Viribus accedat, quibus hoſte fugatus egebat.
Melfia Normannis victoribus, ut repetatur,
Complacet, hîc ſpoliis collectis gentis Achææ,
Stant aliquantiſper tranquilla pace quieti.
Pro numero comitum bis ſex ſtatuere plateas,
Atque domus comitum totidem fabricantur in urbe.
B Sed quia terrigenis terreni ſemper honores
Invidiam pariunt, comitum mandata recuſant,
Quos ſibi prætulerant Galli ſervare feroces.
Indigenam Latii propriæ præponere genti
Dilexere magis, *Beneventi Principis* hujus
Nomen *Adenolfus*, quos forſitan ipſe vel aurum
Dando vel argentum, pacti mutare prioris
Compulerat votum: quid non compellit inire
Ambitio cenſus? ſanos evertere ſenſus
Hæc valet, ac fidei rigidos diſſolvere nexus.
Poſtquam delatos *Dochiani* exercitus audit
Partibus in Siculis apices, & de reparandis
Viribus admonitus, Dochianum novit egentem
Auxilio, properat Calabriſque viriſque quibuſque
C Undique collectis, ita ad ulciſcenda ſuorum
Corpora, quæ campis & aquis inhumata jacebant.
Cum Græcis aderant quidam, quos peſſimus error
Fecerat amentes, & ab ipſo nomen habebant,
Plebs ſolet iſta patrem cum Chriſto dicere paſſum,
Et fronti digito ſignum crucis imprimit uno,
Non aliam Nati perſonam quàm Patris eſſe,
Hanc etiam Sancti Spiraminis eſſe docebant.
Hi ſimul ad bellum properant, mens omnibus una,
Vires, quas Michaël amiſerat, ut reparentur:
Hunc tamen eſſe ducem vetat ampliùs agminis hujus,
D Imperii, ſub quo Romani cura manebat:
Contra Normannos, quia nullum proſperitatis
Succeſſum obtinuit, jubet, *Exauguſtus* ut hujus
Officium ſubeat, Danaos in prælia ducat.
Dicitur hunc victor genuiſſe *Baſilius* ille,
Qui duce ſub Melo Gallos dare terga coëgit.
Inde redit Siculas Michaël Dochianus ad oras.
Exauguſtus eos, quorum ſibi tradita cura eſt,
Taliter alloquitur: prudentia veſtra virili
Conditione vigens, non vos permittat habere
Cor muliebre, viri: quæ vos ignavia ſemper
Cogit inire fugam? memores eſtote priorum.
Quorum ſtrenuitas totum ſibi ſubdidit orbem.
Hector Achillæis fortiſſimus occidit armis.
E Troja Michænei (30) ruit ignibus uſta furoris,
Philippi quantus fuerit vigor, India novit;
Hujus Alexander proles fortiſſima, nonne
Fortia multorum ſubjecit regna Pelaſgis?
Partibus occiduis, Græcorum fama timori
Omnibus, & mundi regionibus eſſe ſolebat.
Quæ gens audito Græcorum nomine, ſtare
Audebat campo? vix oppida, caſtra, vel urbes
Reddebant tutos ab eorum viribus hoſtes:
State, precor, validi, memores virtutis avitæ:
Degenereſque pedum non vos fiducia reddat.
Ho-

(28) Melfis, aut Melfia urbs in Apulia. *Leib.*
(29) Fortè legendum Sebethi, aut Labentis. *Tirem. Sed ſi ad Melphiam urbem bellatum eſt, ut innuere videtur Guilielmus, & in Apula planitie, neſcio an felix Tiremai conjectura.*
(30) Micenæi. *Leib.*

Hosti adimit vires, qui stare viriliter audet.
Procurate sequi vestigia prima parentum,
Jam fuga displiceat: Totus vos sentiat orbis
Fortes esse viros: Non est ad bella timendus
Francorũ populus; numeroq; & viribus impar.
His dictis Animos Græcorũ accendit, & omnes
Præcipit Argolicos montana relinquere, campi
Quærere planiciem: campis & castra locavit.
Exploratores Galli misêre, paratûs
Ut Danaum videant. Referunt ad bella paratos:
Et non mutata mutatum mente magistrum:
Nil metuunt multi, sociis in monte relictis,
Quo tuti redeant, fuerit si fortè necesse,
Indigenæ Danais descendunt auxiliari.
Campi planicie populus convênit uterque:
Pugna fit inde gravis, ut vincat uterque laborat.
Nunc hi, nunc illi fugiuntque fugantq; fugantes:
Cùmque diu pugnam Gallis patientibus Argi
Acriter instarent: victores jam prope facti
Proripitur subitò Medios *Galterus* in hostes,
Normannos hortans ad bella redire fugaces:
Ipse electorum comitum fuit unus, Amici
Filius insignis: nullum certamen Achivi
Experti gravius, sed plurimus hic quia miles
Occidit, heroes multi simul interiere.
Ductus Adenolfi miser *Exauguſtus* ad urbem,
Præcedebat equum victoris ab hoste ligatus
Ostentare sui pompam cupiente triumphi,
Ter Gallis illo victoria contigit anno.
Confusis Danais jam spes est nulla trophæi,
Omnia præclarum super Appula mœnia *Barum*, (31)
Illis temporibus, *Monopolis*, *& Juvenacus*,
Atque urbes aliæ quàmplures fœdere spreto
Græcorum, pactum cum Francigenis iniere.
Inde manere Deo nolente diuciùs ejus
Imperium, *moritur Michaël* (32), *Michaële nepote*
Succedente sibi, qui *Constantinus* & idem
Nomine dictus erat: quendam, solamen ut inde
Auxilii caperet gens Appula, *Synodianum*
Destinat, hic veniens, & primò appulsus *Hydruntum*, (33)
Legatos socias Francorum misit ad urbes
Se recipi rogitans: nolunt parêre roganti.
Militiam reparare cupit, sed milite multo
Cæso ac dispersa, paucos retinere valebat:
Synodianus ob hoc muros non deserit urbis,
Hunc tamen edictum facit Imperiale reverti.
Multa per hoc tempus, sibi promittente *Salerni Principe Guaimario* (34), Normannica gens famulatum
Spernit Adenolfi: sed se tantummodo cives
Aversæ dederant ditioni Guaimarianæ:
Nam reliqui Galli, quos Appula terra tenebat,
Argiroo Meli genito servire volebant.
Nam pater ipsius prior introducere Gallos,
His & in Italia studuit dare munera primus.
Argirous pauper licèt audax & generosus
Se tantæ genti dominari posse negavit:

A Cùm nihil argenti valeat præbere, vel auri.
Hi se non aurum profitentur amare, sed ipsum,
Cujus eis placidus fuerat pater: Ipse precantem
Exaudit populum: nocturno tempore secum
Deducit Barum natu senſuque priores,
Quos sancti ductos Appolinaris ad ædem
Taliter affatur: pretii cùm nulla facultas
Sit mihi, quo possim populum donare potentem:
Cur populus vester me vult sibi præfore, miror:
Vos etenim novi diversis rebus egere,
Quas cùm non dedero, me non dare posse dolebo.
Illi respondent. Nostrûm te principe nullus
Pauper erit, vel egens: duce te fortuna favebit,
Consiliique vias, duce quas genitore solebat
Pandere, te nobis effecto principe pandet.
B Hoc ubi dixerunt, *sublimant* (35) protinus *illum*
Omnes unanimes: communi fit prece princeps.
Interea magno Danaûm comitante paratu,
Nequitiâ plenus venit (36) *Maniacus* Hydrontũ
Imperio Latium jussus Michaëlis adire;
Is præter formam nil dignum laude gerebat:
Mente superbus erat, dira feritate redundans.
Classibus Hydronti dimissis, agmen iniquum
Francis compactas invadere commovet urbes:
Et Monopoleis primùm diffunditur arvis.
Interimit multos Maniacus, & arbore quosdam
Suspensos, alios truncatos vertice mactat.
Cœdis inauditum genus exercere tyrannus
Audet in infantes, viventis adhuc, quia capti,
Corpus humo sepelit pueri, caput eminet extra.
C Sic perimit multos, & nulli parcere curat.
Posthæc *Materam* (37), qua fixa fuisse feruntur
Pœni castra ducis, cum subderet Hannibal Afris
Italiam, Maniacus adit; campisque ducentos
Agricolas captos furibunda mente trucidat.
Non puer aut vetulus, nõ monachus atq; Sacerdos
Impunitus erat: nulli miseretur iniquus.
Intera *Michaël*, qui miserat hunc Maniacum,
Captus cœcatur, cœcatus ab arce fugatur.
Hoc fecere *Zoë* (38) simul & *Theodora* sorores,
Prima fuit patrui conjunx Michaëlis, adusque
Hujus successum, cum qua quia noluit ipse
Partiri regnum, ratus hanc prohibente Senatu
Exhæredandam, privatus lumine captus,
Est *Constantino* sociata Zoë Monomacho (39)
D Huic inimicus erat Maniacus, & hic Maniaco (40),
Alterius quoniam fuit alter abusus amica:
Zelotipo imperii Monomacho tradita sedes
Concussit mentem nimio terrore tyranni
Et probrosa refert odiis agitatus & ira:
Omnibus & secum quos duxerat, imperat Argis,
Principe se facto, jam nullus obediat illi.
Assumens habitum sibi perfidus imperialem
Imperii sancti non nomen adire veretur.
Postquam suscepit solii Monomachus honorem,
Argiroo mandat studeat convertere Gallos,
Procuretque suis sociare fidelibus illos,
Et promittat eis se præmia magna daturum.
Argirous nolens sibi desit ut imperialis
E Glo-

(31) Barium aliis dicitur Apuliæ urbs maritima. Hæc à Guilielmi I. Siciliæ Rege funditùs deleta est *Tirem.*

(32) Michaëli Paphlagoni succeſſit ejus nepos ex sorore Michaël Calaphates salutis anno 1043. Huic Constantinus Monomachus eodem anno. *Leib.*

(33) Hydruntum, quæ & Hydrus à Ptolomæo dicitur, urbs est in Calabria juxta Jonium mare. *Tirem.*

(34) Qui Guaimarius hîc appellatur, aliis Guamarinus dicitur Salerni Princeps. *Tirem.*

(35) Francis sicut & Caninefatibus teste Tacito ritus fuit, ut designatum Regem scuto imponerent, sublimemque humeris gestarent. *Tirem.*

(36) Maniac. is est Georgius Maniacus Byzantinus, qui Constantini Monomachi Constantinopolitani Cæsaris, & Siciliæ Regis Præfectus erat. *Leib.*

(37) Mathera urbs in Apulia, quæ Acherontus Livio dicitur. *Leib.*

(38) Zoë Michaëlis Paphlagonis vidua, Michaëlem Calaphatem in filium adoptavit: qui cùm fascibus susceptis, ingratus, matrem suæ majestatis autorem relegasset, à conspirante populo captus est, oculorumque usu privatus, restituta ad Imperium Zoë. *Leib.*

(39) Constantinus Monomachus tertius Zoës maritus fuit. *Leib.*

(40) Diffidia vult Fazellus orta inter Maniacum, & Monomachum ex odio, quod Romanus Sclerus exercebat cum Maniaco. *Leib.*

Digitized by Google

Gloria, Normannos compescit ab obsidione
Trani, quod solum tunc agmina græca fovebat
Confinesque locos desistit depopulari.
Nuncius interea qui venerat imperialis
Maxima dona ferens capitur miser à Maniaco,
Diversas pœnas adhibent, & stercus equinum
Purgamento immixto naribus, auribus, ori
Hunc facit affligi graviter, stabuloque necari.
Ipse videns auri tantum se pondus habere
Extolli nimiùm cœpit, redit inde Tarentum:
Atque auri multum (quo plus sibi concilientur)
Erogat Argolicis, assumitur imperialis
Purpura, pes dexter decoratur *pelle rubenti*,
Qua solet imperii qui curam suscipit, uti.
Inde venit multo vallatus milite Barum,
Argiroum sperans promissis fallere posse.
Ut collega suus fieret contra Monomachi
Imperium, Gallos etiam sibi pacificare
Tentabat, quorum si posset habere juvamen,
Cedere posse suis sperabat viribus hostem:
Et Constantino facili diadema labore
Ablatum retinere sibi; quod sperat, inane est.
Nam neq; Normannos nec eorũ avertere mentem
Principis evaluit, contemptus at inde recessit.
Unde furore gravi plenus, quia spretus, abibat,
Quatuor in partes diviso milite, mandat
Pergere prædatûm circumcursantibus ipsis.
Est hominum, pecorum pars maxima ducta
Tarento (41).
A Constantino sub eodem tempore missis
Argirous multis auri argentique talentis,
Normannos donans sibi postulat auxiliari,
Auxiliis horum Maniacus ut occidat hostis
Imperii Sancti: sic plurima promerituros
Hoste triumphato pro votis asserit illos
Quamplures igitur Normannos non amor æris
Sed Ducis Argiroi Maniaco reddidit hostes.
Aversæ comites etiam cum pluribus ultro
Advenere suis. Tancredi filius, horum
Maxima spes, aderat, Guilielmus ad arma paratus
Hũc Drincano cto comitẽ comitante Rodulphó,
Qui post Ranulfi decessum præfuit urbi (42).
Terrebat Danaos Guilielmi nobile nomen;
Is quia fortis erat, est ferrea dictus habere
Brachia (43), nam validas vires animumque
gerebat.
Hujus Robertus frater fuit, ille ducatum
Qui post obtinuit, Guiscardus (44) ad omnia
prudens:
Tantorum comitum comitatu fisus in hostem
A Argirous properat, Taram (45) Maniacus ad
amnem
Venerat, his inibi metatus castra diebus.
At non audito tantæ subsistere gentis
Prævalet adventu concluſus in urbe Tarenti.
Ad fluvium Galli veniunt, castrisque recepris
Græcorum vacuis, loca pontis ad usque pro-
pinquant.
Hunc utrinque maris circumvolat unda, sub altis
Rupibus objectis sic interciditur æquor,
Pontis ut auxilio transiri possit ad urbem,
Quæque viatori via nunc brevis esse videtur
Longa videretur giranti littoris oras;
Namque mari septum majori parte Tarentum
Insula mox fieret, modicus nisi collis adesset.
B Mœnibus incluſos pugnæ Guilielmus Achivos
Provocat, at nunquam dimissis mœnibus illi
Conseruere manus: non fluminis impetus ulli
Plus est quàm tanti ducis hostibus hasta timori.
Sic incantator studiosus pro capienda
Aspide, multimoda conatur ut abstrahat arte
Visceribus terræ, quibus abdita, tuta moratur,
Auribus hic ne quid graves sentiat, obstruit unâ,
Affixâ caudâ, defigitur altera terræ.
Dissimulant Danai Gallos audire cientes
Ad pugnam, positisque feris remorantur in urbe.
Ad bellum postquam procedere nolle Pelasgos
Galli conspiciunt, & mœnibus in capiendis
Spem gravitas adimit, quia munitissimus urbis
Est situs, abscedunt; post hæc remoratus in urbe
C Per tempus modicum repetit Maniacus Hy-
drontum:
Rursus & Argirous nec non Theodorus, at iste
Milite cum multo, cum multis classibus ille,
Imperii jussu properare paratus in ipsum,
Hostilem quatiunt varia formidine mentem;
Et titubans animo, nunc huc, nunc fluctuat illuc;
Urbe metu tandem nimio prodire coactus,
Rupibus incisis juxta maris alta locavit
Difficili sua castra loco: qua pervius ulli
Non aditus fieret scopulis hærere carinas
Impositas gradibus faciens, ut pacificato
Æquore transiret; quosdam, quos æquora credit
Perturbasse magis, cruciat, succendit & igni,
Necdum sedatis tranquillo tempore prorsus
D Fluctibus æquoreis, navis petit & mare transit.
Transitus ille tamen, misero nil profuit illi,
Occurrente quidem Monomachi milite stratus
Occidit (46), & scelerum persolvit corpore
pœnas.

(41) Tarentum fuit Calabriæ urbs in ultimo Italiæ circa Salentinorum confinia à Tara Neptuni filio ædificata. *Leib.*

(42) Aversanæ. *Leib.*

(43) Guilielmus Ferrabrachius Tancredi filius. *Leib.*

(44) Guiscardum plures erronem dixerunt, quòd per Terras vagus esset. At magis placet hæc denominatio, nostroque usui propria. Nam & vulgò nostra etiam ætate cautum, & astutum Guiscardum appellamus. *Tirem.*
Guiscardi cognomen prudentem notat; VVys; est sapiens; & VVyssen scire. Editor Rothomag. observat Guishard suo tempore astutum vulgò significare. Ex Roberto Guiscardo, & Rogerio Tancredi Altavillæ in Gallia filiis stirps Principum Normannorum in Italia propagata est *Leib.*

(45) Fortè legendum Tarum qui fluvius est. *Tirem.* Leibnit. legebat *Tarani*, sed servanda prima lectio.

(46) Maniacus isto in conflictu accepto vulnere in pectore ex equo prolapsus suo in sanguine occubuit. *Tirem.*

Explicit Liber Primus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

ARgirous Latii dimoto finibus hoſte,
Vadit Idrontinam multis comitatus ad urbem,
Traditur urbs illi, cives hoc principe gaudent.
Hinc Barum repetens Gallos permittit abire:
Illi Guaymario vadunt ſervire Salernum
Guaymarius princeps confiſus viribus horum,
Hos ſecum Barum deducit & obſidet illud.
Imperat Argiroo ſibi pareat urbe relicta,
Tranſeat ad Græcos, monitis parêre monentis
Abnuit Argirous: confligere non tamen audens
Invalidus pugnæ ſe cuſtodivit in urbe,
Depopulans agros & amœna novalia Bari:
Mœnia Guaymarius proprię repedavit ad urbis.
Conſtantinus eo qui tempore jura regebat
Imperii, mandat, properet quantociùs ad ſe
Argirous, juſſis favet imperialibus ille
Æquoris Adriaci tranſvectus fluctibus urbem
Appetit Imperii placidus, qui præſidet urbi
Suſcipit egreſſum magnis & honoribus illum.
Promovet interea populus, quem rexerat ipſe,
Pars comiti *Petro*, pars eſt ſociata *Drogoni*
Tancredi genito, modico quia vixerat ejus
Tempore germanus, vir ſerrea dictus habere
Brachia *Guilielmus*, cui vivere ſi licuiſſet,
Nemo Poëta ſuas poſſet depromere laudes.
Tanta fuit probitas animi, tam vivida virtus.
Unfrędum totus cum fratre Drogone tremebat
Italiæ populus, quamvis tunc temporis eſſet
Ditior his Petrus conſanguinitate propinquus:
Edidit hic *Andrum*, fabricavit & inde *Coretum*,
Buſilias, *Barolum* maris ædificavit in oris.
Fama ſuper comites alios excreverat hujus,
Sed comes Unfredus cum fratre Drogone ſuperbam
Deponunt mentem, quia dum certamen inire
Is parat, infœlix fœlicia tempora perdens
Vincitur & capitur: curru fortuna rotato
Tancredi natos ſublimes reddere cœpit:
Imperii rector ſcrutatur præmemoratus
Argiroum, Gallos depellere qualiter oris
Italiæ valeat, neque ut jam poſſe fugari
Comperit: ergo alios molitus adire paratûs,
Conſilii quia quos fortes ad arma, nec armis
Vincendos novit, promiſſis fallere ſperat:
Audit enim, quia gens ſemper Normannica prona
Eſt ad avaritiam, plus, qui plus præbet, amatur.
Traditur Argiroo portanda pecunia multa,
Argenti multum, pretioſaque veſtis, & aurum,
Ut ſic Normanni fallantur, & egredientes
Finibus Heſperiæ, properè mare tranſgrediantur:
Magna ſub Imperii famulamine promerituri
Imperat hic etiam, quod ſi tranſire negarent,
Hæc aliis; illis quæ danda fuere, darentur,
Opprimeret quorum gravis infeſtatio Gallos.
Paruit Argirous loca tránſit ad Appula, juſſus
Francorum comites vocat, & ſe magna daturum
Munera promittit, ſi tranſgrediantur ad Argos,
Dimiſſo Latio, grave qui certamen habebant
Cum Perſis, & eos jurans promittit ab illo
Qui regit Imperium gratanter ſuſcipiendos,
Et magnis opibus ditandos affore ſpondit.
Callida Græcorum promiſſio, calliditatem
Non latuit gentis Latium ſuperare volentis,
Et dimiſſuros loca ſe non Appula dicunt,
Dum conquirantur, niſi fortè potentior illis
Turba ſuperveniens depellat, & opprimat illos.
Vir *Leo* (1) mirificus hac tempeſtate regebat
Romanam Sedem, tanti gens Appula Papæ
Audit ut adventum, varias deferre querelas
Cœpit, & accuſat diverſo crimine Gallos:
Veris commiſcens fallacia nuncia mittit
Argirous Papæ, precibuſque frequentibus illum
Obſecrat, Italiam quòd libertate carentem
Liberet, ac populum diſcedere cogat iniquum,
Cujus preſſa jugo peſſundatur Appula tellus.
Hoc Normannorum Drogo Gaymariuſque priores
Tempore defuncti fuerant, à civibus alter
Et conſanguineis occiſus fraude Salerni:
Alter ab indigenis, nimiùm quia credulus illis,
Pontilari cæſus (2): Se gens rectore carentem
Gallica conqueritur, Papæ tamen obvia venit
Cum quantis equitum valuit peditumque catervis:
Adveniſſe quidam Latii cum milite multo
Audierant Papam, comitantibus hunc Alemãnis
Innumeris (3), & Teutonicis, ad bella paratum.
Normanni licèt inſignes fulgentibus armis,
Agminibus tantis viſis obſtare timentes
Legatos mittunt, qui pacis fœdera poſcant:
Quique rogent Papâ placidus famulamen eorum
Suſcipiat, ſeſe Papæ parêre paratos
Omnes teſtantur, non hunc offendere velle,
Ac quæſitorum cognoſcere munus ab ipſo:
Si placet hunc dominum poſcunt, ſibi ſeque fideles.
Teutonici, quia cæſaries & forma decoros
Fecerat egregiè proceri corporis illos,
Corpora derident Normannica, quæ breviora
Eſſe videbantur, nec eorum nuntia curant,
Utpote nec numero populi nec viribus æqui,
Conveniunt Papam verbis animoque ſuperbi:
Præcipe Normannis Italas dimittere terras,
Abjectis armis, patrioſque reviſere fines.
Quòd ſi noluerint, nec fœdera pacis ab ipſis
Suſcipias, volumus, nec eorum nuntia cures,
Non dum ſunt gladios experti Teutonicorum,
Intereant gladiis, aut compellantur abire,
Invitique ſolum, quod nolunt ſponte, relinquant.
Papa licèt tumidis varia ratione renitens,
Non animos gentis potuit ſedare ſuperbæ,
Spem dabat his Italæ ſex indigniſſima gentis,
Gens Marchana probis dignè reprobata Latinis.
Cùm plures Itali magna virtute redundent,
His erat innatus pavor, & fuga luxurieſque,
Teutonici populi non copia magna videtur.
Turbati redeunt. Normanni pace negata
Atque Alemannorum reſponſa tumentia pandunt.
Tempus erat jam triticeis confine metendis
Frugibus, at virides nondum legêre maniplos
Agricolæ, quos Francigenæ, quia pane carebant, Igni

(1) Leo Papa nonus hujus nominis anno ſalutis 1049. Pontificatum iniit. Antea Bruno vocabatur, & Talenſis Epiſcopus erat. *Tirem.* Antea Bruno vocabatur, & Tallenſis Epiſcopus erat. *Leib.*

(2) Drogo dum dominii ampliationi ſtudet, dum Apuliæ urbes munit., Longobardorum, & Apulorum inſidiis ad Montolium oppidum, circumventus à Viſone genere Apulo proditione occiditur. *Leibnit.*

(3) Hi ſunt Alemanni, quos Henricus Secundus Romanus Imperator apud Vercellas præſidio Italiæ reliquerat. *Tirem.*

Igni torrebant & veſcebantur aduſtis:
Talem degebant ob caſtra rebellia vitam,
Undique Teutonicis famulantia, nec ſibi quidquam
Dantia, corporeæ vitæ quod poſtulat uſus.
Frater defuncto qui fratre Drogone ſuperſtes
Extitit *Unfredus*, (4) procerum de Francigenarum
Unus habebatur majoribus, inde Richardus
Averſa paulò ante comes delectus in urbe,
Pauliſperque ſuos fratres erat ante ſecutus
Robertus, qui magnanima virtute priores
Tranſcendit fratres, hic bello interfuit illi:
Cognomen Guiſcardus erat, quia calliditatis
Non Cicero tantæ fuit, aut verſutus Uliſſes.
Inter eos aderant Petrus, & Galterus amici
Inſignis ſoboles, ſimul Aureolanus, Ubertus
Muſcaque Rainaldus, comes Hugo, comeſque Girardus;
Hic Beneventanis prælatus, at hi Theleſinis:
Hos Bonianenſis comitis comitata Rodulfi
Eſt virtus & conſilio pollentis, & armis.
Vix proceres iſtos equites ter mille ſequuntur,
Et pauci pedites, triduo quia panis egentes
Arma petunt cuncti magis, ut moriantur honeſtè
Bellando, cupiunt, quàm corpora tanta virorum
Opprimat eſuries, inhoneſtæ funere mortis.
Gens Alemannorum ſtipata ſatellite multo,
Longobardorum fruſtra confiſa fugacis
Auxilio turbæ Normannos terga daturos
Credebat primis conflictibus, aut perimendos.
At non in numero, nec equis, nec gente, nec armis,
Sed cui de cœlo datur, eſt victoria belli.
Inter Teutonicos Normannorumque catervas
Collis erat medius, gens innumerabilis illi
Appula, Balbenſis, Campanica, Marſa, Thelenſis
Venerat auxilio; *Guarnerus* Teutonicorum
Albertuſque duces, non adduxere Suevos
Plus ſeptingentos, hæc gens animoſa feroces
Fert animos, ſed equos adeò non ducere cauta,
Ictibus illorum, quàm lancea, plus valet enſis:
Nam nec equus doctè manibus giratur eorum,
Nec validos ictus dat lancea, præminet enſis,
Sunt etenim longi ſpecialiter & peracuti
Illorum gladii, percuſſum à vertice corpus
Scindere ſæpe ſolent, & firmo ſtant pede, poſtquam
Deponuntur equis, potiùs certando perire,
Quàm dare terga volunt, magis hoc ſunt Marte timendi,
Quàm dum ſunt equites: tanta eſt audacia gentis,
Italiæ populo qui ſe ſociaverat illis.
Germani comites preſunt *Tranſmundus* & *Atto*;
Et *Burrellina* generata propagine proles.
Hi ſimul ad bellum properant campique marini
Accola Maldrefiis Molinenſiſque Rodulfi
Rofredus ſocer: hujus caſtrum Guardia nomen
Et plures alii, quorum non nomina novi.
Huc quoque Romani, Samnites, & Capuani
Auxilium mittunt, nec opes Ancona negavit.
Huc Spoletini, ſimul acceſſere Sabini,
Huc quoque Firmani: non evalet enumerari
Carminibus noſtris, quammultus venerit hoſtis,
Francigenæ gentis nomen delere laborans.
Hi cum Teutonicis ad ripam fluminis omnes
Nomine Fertorii tentoria fixa locarant,
Proxima nomen habens erat Urbs à Civibus ipſis.
Poſtquam Normanni paciſque, fugeque negatam

A Spem ſibi cognoſcunt, nil quò fugiatur habentes
Collem conſcendunt, ut caſtra hoſtilia ſpectent.
Spectatis caſtris, armantur, & agmine dextro
Averſanorum comitem ſtatuere Richardum
Qui Longobardos adeat: prior hunc comitatur
Clara cohors equitum, mediæque cohortis agendæ
Unfredus contra fortes ad bella Suevos
Eligitur ductor: cornu ſervare ſiniſtrum
Robertus frater Calabra cum gente jubetur,
Ut ſuccurrendum cùm viderit eſſe, paratus
Auxilio properet ſociis, vireſque reformet.
Teutonici dextrum contra duo cornua cornu
Armarant. Itali ſimul omnes conglomerati,
B Parte alia ſtabant etenim certamine belli
Non aptare ſuas acies recto ordine norant.
Hos contra cœpit prior arma movere Richardus,
Et petit audacter: non ſuſtinuere petentem
Viribus averſis Itali, tremor arripit omnes,
Inque fugam verſi per plana, per ardua, curſim
Diffugiunt, multos cogit ſuccumbere ſtratos
Impetus ipſe fugæ, jaculis cæduntur & enſe:
Qualiter aërias ubi convenere palumbes,
Dum petit accipiter fugitivo ſumma volatu,
Et ſcopuloſa facit celſi juga quærere montis,
Quas tamen ipſe capit, non poſſunt ampliùs ullũ
Quærere confugium: ſic dantes terga, Richardus,
Diffugiunt Itali, ſed quos capit ipſe, vel ipſi
C Hærentes ſocii, fuga nil juvat, occidit illuc
Plurima gens Latii bello, pars maxima fugit:
Unfredi contra non ſegnis ad arma Suevi
Bella parant aciem, telis prior eminus illos
Appetit Unfredus, telis hoſtilibus ipſe
Rurſus & appetitur: tandem concurrit uterque
Ad gladios populus, mirabilis ictus utrinque
Fit gladiis, illic humanum à vertice corpus
Vidiſſes, & equos hominis cum corpore cæſos.
Poſtquam Robertus fratri tam conſpicit hoſtes
Acriter inſtantes, & ei nullatenus ullo
Cedere velle modo, comitis comitante Girardi
Præditus auxilio, Calabriſque ſequentibus illum
Quos conducendi fuerat ſibi tradita cura,
Irruit audacter medios animoſus in hoſtes;
D Cuſpide perforat hos, gladio detruncat & illos;
Et validis manibus horrendos incutit ictus:
Pugnat utraque manu, nec lancea caſſa, nec enſis
Caſſus erat, quocunque manum deducere vellet;
Ter dejectus equo, ter viribus ipſe reſumptis
Major in arma redit, ſtimulos furor ipſe miniſtrat:
Ut leo cùm frendens animalia fortè minora
Acriter invadit, ſiquid reperire, quod obſtet,
Cœperit, inſanit: magis & majoribus ira
Accenſa ſtimulat, nil jam dimittit inultum:
Hoc trahit, hoc mandit, quod mandi poſſe negatur,
Diſſipat affligens pecus exitialiter omne:
Taliter obſtantes diverſa cæde Suevos
E Cędere non ceſſat Rodbertus, & hos pede truncat,
Et manibus quoſdã, caput huic cũ corpore cędit,
Illius ventrem cum pectore diſſecat, hujus
Tranſadigit coſtas abſciſſo vertice, magna
Corpora corporibus truncata minoribus æquat,
Virtutiſque docet palmam non affore tantùm
Corporibus magnis, qua ſæpe minora redundant:
Nullus in hoc bello, ſicuti poſt bella probatũ eſt,
Victor vel victus tam magnos edidit ictus.
Patrata rediens ingenti cæde Richardus
Auſoniæ gentis, cujus pars altera fugit,
Altera pars gladiis & cuſpide cæſa remanſit,
Dum ſic Teutonicos ſociis obſtare videret,
Proh

(4) Unfredus Tertius ex Trezenda Tancredi conjuge filius. *Tirem.*

Digitized by Google

Proh dolor! exclamat, quam credebamus adeſſe,
Finito bello, nondum victoria finem
Obtinet, & medios ruit incunctanter in hoſtes.
Hi, quia ſpes jam nulla fugæ, ſpes nulla ſalutis,
Acriùs obſiſtunt, ſed nil obſiſtere prodeſt:
Tot circunveniunt acies præclara Richardi
Addita victoris magnæ ſit cauſa ruinæ
Hoſtibus, & miſeri diverſis interimuntur
Cædibus, & tanta ſupereſt degente nec unus
Exitus hic belli Papam mæroribus implet,
Afflictuſque gravi luctu confugit ad urbem;
Sed cives Papam non excepere decenter,
Normannis veriti grave ne victoribus eſſet:
Hunc genibus flexis Normannica gens veneratur
Depoſcens veniam, curvatos Papa benignè
Suſcipit, oſcula dant pedibus cõmuniter omnes.
Vocibus ille piis hos admonet, ac benedicit,
Conqueſtuſque nimis, quia pacis ſpreta fuere
Nuntia, defunctis lacrymans pro fratribus orat.
Audito tantæ ſucceſſu proſperitatis
Normannis habitæ, non ſollicitudine parva
Angitur Argirous; nec enim vel fraude, vel armis
Poſſe ſibi peragi videt Imperialia juſſa,
Ut Francos Latio moveat, vel cogat abire.
Copia tãta quidẽ, quibus hi nõ Marte repugnent,
Non erat Argiroo, nec eos promiſſa movere,
Ut fines alios peterent, vel dona valebant.
Hoc meditans Bari dimiſſa transfretat urbe.
Ad dominum rediit, populi reſponſa ferocis
Ordine cuncta refert, & belli geſta recentis
Contra Teutonicos: jam Conſtantinus amare
Deſinit Argiroum, nec (ut ante ſolebat haberi)
Eſt jam conſilii comes intimus imperialis.
Exilium paſſus, longo poſt tempore vitam
Degit in ærumnis, & corporis anxietate
Vexatus miſerè vitam finiſſe refertur.
Creſcit Normannis animus victoribus ingens,
Jamque rebellis eis urbs Appula nulla remanſit.
Omnes ſe dedunt, aut vectigalia ſolvunt,
Tunc comes Unfredus fraterni funeris ultor
Funeſto cunctos, fuerant qui participati
Conſilio, punit, hos truncat, perfodit illos,
Multos ſuſpendit, memorata morte Drogonis
Parcere vult nulli, jacet alto pectore fixus
Fraternæ mortis ſuccenſus fomite major.
Omnibus horrendus multas ſibi ſubdidit urbes:
Solvere Trojani comiti cœpere tributum:
Hunc & Barini, Tranenſes (5), & Venuſini (6),
Cives Hydronti famulantur, & urbs Aceronti.
Roberto fratri Calabras acquirere terras
Concedit Juvenis: patiens erat iſte laboris,
Vir prudens, & habens ad quæque negotia promptas
Exercenda manus. Robertus & ingenioſus
Semper celſa petens, & laudis amans & honoris,
Si contingebat ſibi palma vel arte, vel armis
Æquè ducebat, quia quod violentia ſæpe
Non explere poteſt, explet verſutia mentis.
Clarus in eloquio dabat hic reſponſa repentè
Optima, conſultus ſi quis quærebat ab illo
Conſilium, ſapienter ei dare noverat illud.
Hic ſibi conceſſo Calabrorum munere gaudet;
Secum nonnullos equites collegerat ante
Quà poterat, ſed præcipuè regionibus illis
Multiplicem prædam peragens, quas frater habebat.
Quodque capi poterat, dum dividit omnibus æquè.
Omnes ſunt chari ſibi, charus & omnibus ipſe:
Captus ab Unfredo ſecum prandente, volebat
A In fratrem gladio conſurgere, ſed *Gocelinus*
Comprehenſum manibus tenuit, cuſtodibus inde
Traditur, & multa non tempeſtate retentum
Dimiſit frater, Calabræ regionis & urbes
Caſtraque conceſſit, equitum ſuffragia præbens:
Ille capeſſundæ cupidus telluris, amorem
Omnibus oſtentat, non plus affabilis illo
Aut humilis quiſquam ſtuduit dominator haberi:
Undique gens clarum Normannica nomen habebat,
At non experti virtutem, nominis hujus
Terrentur Calabri tanta feritate repleti:
Ad ducis ingreſſum Robertus milite fultus
Non modico, prædas, incendia juſſit ubique
B Terrarum fieri, quos appetit & ſpoliari:
Quodque metum incutiat cultoribus, omne patrari
Militibus remorans dimiſſis fratris abire
Non multo Calabros ſed atroci milite vexat.
Qui cùm diſcedens huc prædabundus & illuc
Non aliquod caſtrum poſſet captare vel urbem,
Arte locum quendam molitur adire, ſed ejus
Difficilis conſcenſus erat, quia plurimus hujus
Accola grex habitans, etiam monaſticus illic
Non alienigenam quemvis intrare ſinebant:
Utile figmentum verſutus adinvenit, atque
Mandat defunctum quòd quemlibet eſſe ſuorum
Gens ſua teſtetur, qui cùm, quaſi mortuus eſſet,
Impoſitus feretro, pannuſque obducere cera
Illitus hunc facie juſſus latitante fuiſſet,
C Ut Normannorum velare cadavera mos eſt,
Conduntur feretro ſub tergo corporis enſes:
Ad Monaſterii ſubhumandum limina corpus
Fertur, & ignaros fraudis quos fallere vivi
Non poterant homines, defuncti fictio fallit:
Dumque videretur ſimplex modus exequiarum,
Erigitur ſubitò qui credebatur humandus:
Evaginatis comitantes enſibus illum
Invaſere loci deceptos arte colonos.
Quid facerent ſtolidi nec ſe defendere poſſunt,
Quò fugiant nec habent, omnes capiuntur: & illic
Præſidium caſtri primum, Roberte, locaſti;
Non Monaſterii tamen eſt everſio facta,
Non extirpatus grex eſt Monaſticus inde.
D Agmina magna legens caſtro Robertus in illo,
Charior eſſe ſuis cœpit, quia ſtrenuus armis
Conſilioque ſagax comes hac regione vocatus
Eſt, & ab his habitus, præſertim quos comitati
Sunt equites aliquot, *Torſtenus* dicitur unus,
Alter *Arenga*, valenſque gerenda ad bella *Rogerus*:
Hic ſibi conceſſæ quædam dedit oppida terræ,
Appulus hoc Princeps infirmans tempore mandat
Unfredus fratri veniat velociter ad ſe.
Robertus properat, fratrem dum conſpicit ægrum
Compatiens plorat, ſolatia magna dat ægro
Adventus fratris, depoſcit & advenientem,
E Rector terrarum ſit eo moriente ſuarum,
Et geniti tutor puerilis, quem vetat ætas
Rectorem fieri, frater favet anxius illi,
Et ſe facturum quæ præcipit omnia dicit.
Non infirma valens jam reddere membra ſaluti
Interit Unfredus (7), lacrymans Appulia tota
Flet patris interitum: patriæ pater ille benignus
Hanc placidè rexit, vitam decoravit honeſtas:
Non

(5) Tranum urbs eſt Apuliæ, quam Colenutius putat olim Trajonopolim dictam fuiſſe. *Tirem.*

(6) Venuſia Apulorum urbs eſt, & ſæpe pro Venuſinis Sabeli leguntur, quia pulſis Sabelis in loca vacua Venuſini deducti ſunt à Romanis. *Tirem.*

(7) Unfredi obitus circiter annum ſalutis 1052. *Leib.*

Digitized by Google

Non ſtuduit populum vexare tyrannide dira,
Juſtitiamque colens, quàm lędere, parcere multis
Maluit offenſis, fratres prope præmemoratos
Eſt Monaſterii Venuſini ſede ſepultus.
Funeris obſequiis, Robertus ritè peractis
Ad Calabros rediit, Cariati protinus urbem
Obſidet, hac capta reliquas ut terreat urbes.
Interea Papæ Nicolai (8) fortè ſecundi
Comperit adventum, dimittitur obſidione
Plurima pars equitum, comitatur pars minor illum.
Melfiæ ſuſcipit hunc, & ibi ſuſceptus honore
Magno Papa fuit: hic Eccleſiaſtica propter
Ad partes illas tractanda negotia vênit:
Namque Sacerdotes, Levitæ, Clericus omnis
Hac regione palàm ſe conjugio ſociabant:
Concilium celebrans ibi Papa (9), faventibus illi
Præſulibus centum jus ad Synodale vocatis,
Ferre Sacerdotes monet, altariſque miniſtros
Arma pudicitiæ, vocat hos, & præcipit eſſe
Eccleſiæ ſponſos, quia non eſt jure Sacerdos
Luxuriæ cultor: ſic extirpavit ab illis
Partibus uxores omnino Presbyterorum,
Spretores minitans anathemate percutiendos.
Finita Synodo, multorum Papa rogatu
Robertum donat Nicolaus (10) honore ducali.
Hic comitum ſolus conceſſo jure Ducatus
Eſt Papæ factus jurando jure fidelis.
Unde ſibi Calaber conceſſus & Appulus omnis
Eſt locus, & Latio patriæ dominatio gentis.
Romam Papa redit, cum magno dux equitatu
Obſeſſum repetit Cariatum, quo ſibi fida
Maxima pars equitum dimiſſa remanſerat ante:
Gens Cariatenſis, duce perturbata reverſo,
Non obſtare valens, illi ſe dedit, & urbem;
Prima ducem vocat hunc gens iſta, ducemque ſalutat
Partibus in Calabris, hinc ad loca cætera tranſit.
Tunc Roſſana potens, Coſſentia fortis in armis (11),
Tum quoque dives opum Geracia ſubditur illi,
Et ſubjecta illi fit pæne Calabria tota:
Cùmque potentatûs cœpiſſet creſcere nomen
Virtutiſque ſuæ, legatos mittere cœpit,
Qui ſua deferrent generoſo verba Giſulpho
Guaymarii genito, germanæ nobile poſcens
Conjugium, quia conjugio tunc ipſe carebat,
Prima conjuge (12) pro conſanguinitate repulſa,
De qua natus erat Buamundus ſtrenua proles (13)
Inſignis nimia virtute potenſque futurus.
Primo Roberti ſprevit mandata Giſulphus,
Non quòd majori poſſet, vel nobiliori
Conſociare viro germanam, ſed quia Galli
Eſſe videbantur gens effera, barbara, dira,
Mentis inhumanæ primòque repulſio facta
Conjugis, alterius producit tempora dandæ:
Aſſentit tandem princeps, natuque priorem
Tradit in uxorem tibi, Dux Roberte ſororem.
Gatelerina minor, hæc Sichelgata (14) vocatur,
Nupſit Jordani poſt Gatelerina nepoti,
Qui Capuæ princeps utriuſque duciſq; patriſq;
Virtutes animi virtutibus æquiparavit.
Conjugio ducto tam magnæ nobilitatis,
Augeri cœpit Roberti nobile nomen:
Et gens quæ quondam ſervire coacta ſolebat
Obſequio ſolùm jam debita juris aviti,

A Nam proavis & avis ſubjectam conjugis hujus
Noverat Italiam gens Longobarda fuiſſe.
Dedit hæc pueros ſibi tres, & quinque puellas
Egregiam ſobolem ſexus utriuſque futuram.
Gloria Roberti, quæ tanta augmenta ſubire
Cœperat, invidiam, laus unde adhibenda fuiſſet,
Non modicam acquirit, quia dū virtutibus ejus
Invidere viri, comites à plebe vocati
Qui numero bis ſex fuerant communiter illum
Morti tradendum conjuravere doloſè:
Tempus ad hoc aptum fieri cùm fortè viderent:
Horum *Goffridus*, *Gocelinus*, & *Abagelardus*
Filius Unfredi, ſibi jura paterna repoſcens
Præcipui fuerant actores conſiliorum.
Dux igitur poſtquam ſibi conjuratio nota
B Facta fuit comitum, bellum molitur; in omnes
Acriter exarſit, capit hos, & projicit illos,
Afflixit variis quorundam corpora pœnis:
Iratum metuens fugit Gocelinus ad Argos.
Peluſii montis caſtrum pavefactus adire
Goffridus properat dux, quod non evalet armis
Arte capit caſtrum, promiſſis decipit hujus
Cuſtodem caſtri *Godefridum*, dans ſibi quædam
Pluraque pollicitus caſtrumque valentius ipſo.
Peluſii montis dominatio non Godefridi
Ex toto fuerat, mediam conceſſerat illi
Goffridus partem, ſed dux quia nobilioris
Caſtelli totum promiſerat huic dominatum,
Scilicet Ojani, ſolus cupiens dominari,
Mandat Roberto deſiſtat ab obſidione,
C Diſſimulans reditum: ſed mox ut novit abeſſe
Goffredum, redeat caſtrum ſecurus & intret
Clavibus acceptis, Ojanum conferat illi,
Hac illi caſtrum Godefredus tradidit arte:
Accipit Ojanum, ſed quis poſt crederet illi?
Traditor eſt Latii populo vocitatus ab omni:
Sic ducis aſtuti prudentia quod ſuperare
Non armis potuit, ſuperavit ſæpiùs arte.
Hoſtibus edomitis, & captis undique caſtris,
Contra Barenſem populum parat obſidionem.
Appula nulla erat urbs, quam non opulentia Bari
Vinceret, hanc opibus ditatam robore plenam
Obſidet, ut victis tantæ primatibus urbis,
Nondum ſubjectas repleat terrore minores.
Urbibus illa quidē quas continet Appula tellus,
D Major habebatur, dux munit milite caſtra,
Atque replet Calabris advectis navibus æquor.
Imperii Sancti cives ſuffragia poſcunt,
Qui conjurati fuerant cum civibus illuc
Legatos mittunt, ſimul Imperiale juvamen
Omnes depoſcunt, dux mandat civibus ædes
Argiroi ſibi dent, quas noverat editiores
Contiguis domibus, quas ſic conſcendit adeptus,
Urbem Robertus totam ſibi ſubdere ſperat.
Barenſes auſtera Duci reſponſa dederunt.
Ille repugnantes oppugnat fortiter urbis
Indigenas validos non ad certamina ſegnes.
Ad portarum aditus Crates prudenter adorſus,
Sub quibus armatos obſtantibus inſidiantes
Ordinat, & turrim fabricat, quæ lignea muris
E Prominet, ac juxta de quaq; petraria (15) parte
Ponit, & adjuncto muros quo evertere poſſit
Diverſi generis tormento, nec minus urbem
Cives defendunt, non inter mœnia clauſi
Cum duce pugnantes adſtant pro mœnibus urbis,
Hos pugnando fugant, proſternunt ictibus illos,
Ut mos eſt belli: fugat hoſtis, & hoſte fugatur:
Et

(8) Nicolaus Papa hujus nominis ſecundus natione Allobrox erat Gerardus antea vocatus, creatus fuit Pontifex Summus, anno Chriſti 1059. *Tirem.*
(9) Veriùs Calixto, & Gregorio id attribuitur. C. Presbyteri 27. Diſtin. C. Nullum. Diſtin. 28. *Tirem.*
(10) Robertus à Nicolao II. Pontifice Dux Calabriæ, & Apuliæ creatur. *Tirem.*
(11) Hæ ſunt in Calabria urbes vicinæ. *Tirem.*
(12) Cujus nomen Abderada erat. *Leib.*
(13) Ex uxore priori, cui Abderada nomen erat. *Tirem.*
(14) Alii Sengregaita. *Leib.*
(15) Petraria tormenti genus. *Leib.*

Digitized by Google

Et petit & petitur, repetens ferit & referitur,
Ut duo cùm certant productis dentibus apri
Alter ab alterius profunditur ore saliva
Dentes exacuens, ut acutos inferat ictus,
Ictibus & validis feriunt sua terga vicissim,
Nunc pede, nunc costis læduntur, uterq; resistit
Acriter, & neuter vult cedere, saucia donec
Membra fatigatum fusis clamoribus aprum
Velle subire fugam doceat, victusque recedat.
Acriter insistunt Normanni, nec minùs acres
Obsistunt cives, diversaque machina muris
Additur, eversis ut mœnibus urbis apertæ
Normannis aditus pateat, quem clausa negabat
Undique septa mari, quod non est insula, terræ
Exiguæ diodus: ex hac tentoria parte
Fixa ducis fuerant: objectis molibus æquor
Parte replens alia naves prodire vetabat
Barinas, portumque suis pontemque paravit,
Atque super pontem posito munimine terris
Urbanis nusquam prodire licebat ab urbe,
Tutaque servabat classis Normannica portum.
At cives turrim capiunt, & maxima pontis
Æquorei cecidit pars, evertentibus illis;
Urbem Barenses terraque marique tuentur.
Post ubi Robertus desperat mœnia Bari
Posse capi pugna, cœpit promittere multa
Nobilibus patriæ, quorum pollebat in urbe
Nobilitas potiùs, quorumque potentia major.
Et sic collectis majoribus, alliciendos
Promissis credit fore, muneribusq; minores;
Sæpe minas faciens ut civibus incuteretur
Terror, & omnimodis pro deditione laborat
Urbis, cujus erat capiendæ magna libido.
Venturum auxilio Gocelinum fama ferebat,
Multis Imperii cum navibus: ad capiendum

A Exploratores posuit dux callidus illum.
Prætor erat *Stephanus* Barensibus imperiali
Traditus edicto, cognomen cui *Pateranus* (16),
Vir probus, & largus, studio laudabilis omni,
Præterquod tanti studuit ducis edere mortem.
Miles erat Bari, cui dedecus à duce quondam
Illatum fuerat grave, partibus ex alienis
Promptus ad omne malum, levis, iracundus,
& audax:
Castra ducis Stephanus monet hunc solerter adire,
Incautumque ducem nocturno tempore, morti
Tradere lethiferi percussum cuspide conti.
Pollicitus multùm, si Dux occumberet, auri:
Dedecoris memor illati, cupiduſque lucrandi
B Miles abit noctu, circonspicit undique castra;
Nil obstare videt, Roberti pervenit usque
Ad Ducis hospitium, quod culmo texerat ipse,
Frondibus & sepsit, fieret quo frigore tutus
Temporis hyberni: cœnarum vespere facto
Venerat, explorat Ducis ille sedile sedentis
Ad cœnam, mediis, & contum frondibus illam
Intulit in partem qua sederat ille, sed ori
Flegmatis ubertas superaddita fecerat illum
Sub mensa curvare caput (17), locus unde repertus
Est conto vacuus, cassos & protulit ictus;
Ille redit fugiens, it totam fama per urbem
Occubuisse Ducem, cives lætantur & omnes,
Congaudens populus clamorem tollit ad astra:
C Hi dum clamarent, Dux advenit, atque salutis
Ipse suæ testis, clamores fundere frustra
Civibus exclamat: clamantis vocibus hujus
Auditis, clamor cessavit, lætitiæque
Finis verborum datus est cum fine suorum.

(16) Stephanus Pateranus, quem alii. Sebastoforum appellant. *Tirem.*

(17) Obdormivit Appulus. *Tirem.*

Explicit Liber Secundus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS.

INterea *Michaël* (1) Romani jura regebat
Imperii cũ fratre ſuo, qui nomine dictus
Conſtantinus (2) erat, quorum domi-
natio Græcis
Pernitioſa fuit, quia bellis otia ſemper
Poſtpoſitis ſtuduere ſequi, luxuſque doloſi
Illecebris captos fœdarat inertia turpis.
Horum temporibus Turcos orientis ab oris
Ingreſſos fugit gens territa Chriſticolarum,
Qui Romaniæ loca delitioſa colebant.
Maxima pars horum ruit interfecta nefandis
Turcorum gladiis, & captis urbibus, omnis
Subditus his populus dans vectigalia fugit:
Hos contra nullos equites ignavia miſit
Rectorum, quare decreto nupta Senatus
Eſt equiti egregio *Romano* mater eorum (3):
Pectus amans pluſquam genus Eudochia mariti,
Diogenes (4) cognomen erat, quia barba bifurcis.
Is regimen ſubiens ſibi quæque negotia belli,
Ocia privignis, elegit inire paratus
Cum Perſis bellum miſeros populantibus Argos:
Eſt belli variis eventibus uſus in illos.
Sæpe quidem victor Perſas bellando fugavit,
Sæpe pari populus fortuna pugnat uterque.
Poſtremò comites dum dirigit ipſe tuendis
Urbibus innumeros, quarũ famulatus ad ipſum,
Tranſierat fama probitatis ubique probatæ,
Caſtris cum paucis melioribus ipſe remanſit.
Multus Perſarum populus cum rege repentè
Illum concluſit, diſrumpere caſtra laborans:
Prælia committunt immania, dum capiendis
Imperii caſtris inhiant, primo atque ſecundo
Depulſi cedunt bello: prudentia tandem
Anxia Romani deſperans caſtra tueri,
Quàm ſibi plus hominum vitæ ſtudioſa ſuorum,
Quos graviter feſſos belloque fameque videbat,
Præcipit, ut quicquid caſtris inerat ſolidorum,
Omnis veſtitus pretioſus, & omnia vaſa
Auri aut argenti, caſtris ſpargenda ferantur:
Ut ſi contigerit Turcis irrumpere caſtra
Horum proſpectu deſiſtant lædere Græcos.
Invita profugis collecta pecunia ſervis,
Inſomnem Danai coguntur ducere noctem:
Adveniente die venit innumerabilis ille
Perſarum populus, circundans undique caſtra:
Undique tela volant, circumtegit aëra totum
Grando ſagittarum: non ferre valentibus Argis
Irrumpunt Turci, munitio rumpitur omnis.
Sed plures prædæ quàm militibus feriendis
Intenti Perſæ faciunt evadere multos.
Indiciis Aquilæ (quod plus dabat omnibus armis
Aurea conſpicuum loricæ innixa nitorem)
Græcorum dominus cognoſcitur, enſe recidens
Hoſtiles haſtas, neque ſe defendere ceſſans.
Fortè ſagitta volans incauti ſauciat artus:
Sic tandem capitur quadam cum parte ſuorum.
Direptis caſtris Romanum Perſica ducit
Ad ſua caſtra phalanx, & eum ſtatuere ſedili
Egregio, juxta Perſarum rege ſedente.
Rex percontatur, ſi fortè fuiſſet ab illo
Captus, quid faceret: Romanus retulit illi
Si mihi ſive meis ita ſubjicerere, juberem,
A Vel truncare caput, vel te ſuſpendere furcis.
Ille refert facinus nunquam ſibi tale patrandum:
Sed ſecum poſthac fruiturum pace perenni,
Quam per legatos jam ſæpe popoſcerat ipſe,
Et baptizatam natam pro conjuge natam
Se conceſſurum, quo, ſic pax firmior eſſet:
Fœderibus tali firmatis conditione
Ad ſua Romanum dans maxima dona remiſit
Perſarum Rector captos, & reddidit omnes
Longo terrarum ſpatio comitatus euntes
Duxit honorificè, ductum permiſit abire.
Sed non privignis firmatæ commoda pacis
Conditio placuit, minus ad tutanda peritis
Agmina Græcorum, nec enim decernitur ultra
Arcis ad auguſtæ Romanus jura redire.
B Hos ubi Diogenes factos ſibi comperit hoſtes,
Auxilio ſiſus Perſarum tentat in illos
Civilis belli varios agitare paratus:
Privigni ſe non obſiſtere poſſe videntes,
Illum conantur ſeducere pace doloſa:
Ignari fraudis portantes nuncia pacis,
Bis ſex Pontifices mittuntur cum Gocelino,
Cujus Romanus toties expertus amorem
Non dubitabat ei ſe credere ſicut amico.
Credit Romanus Paſtoribus & Gocelino,
Securus factus jurando jure, fideque,
Ut petit ipſe, data, miſero placet imperialis
Incaſſum reditus, quia mox ubi pervenit ille
Heracleam, capitur: privatur lumine captus,
Cujus & Imperii fuerat tam nobile nomen,
C Monachus efficitur: ſecuri jam duo fratres
Regni tranquillis agitant moderamen habenis.
Non tamen omnino ſua reſtat inulta tyrannis,
Namque ſibi ſocios Romani filius addens
Armenios, Perſas, terras Orientis eorum
Subtrahit imperio, ferro populatus & igni.
Tempore Perſarum gens perfida cœpit ab illo
In Romaniam conſurgere cæde, rapinis,
Imperii nec adhuc redigi ſub jura valeret,
Gens niſi Gallorum, quæ gente potentior omni
Viribus armorum nutu ſtimulata ſuperno
Hanc libertati ſuperato redderet hoſte,
Quæ ſpirante Deo Sanctas aperire Sepulchri
Eſt animata vias longo jam tempore clauſas.
Conſiliis quorum fuit excœcatio tanti
D Perpetrata viri, miſeri capiuntur, & aula
Depulſi meritas coguntur ſolvere pœnas:
Hi quibus inſontem puniri conſuluerunt
Puniri ſontes vario cruciamine mandant.
Nuncius Imperio Bari legatus ad urbem
Supplicat, ut miſeris jam civibus auxilietur:
Piratis aptæ naves ex more parantur,
In quibus efferri frumenta jubentur & arma:
Claſſe quibus tuta tranſiri poſſit ad urbem,
Nautarumque metus pellatur & urbis egeſtas.
Navibus his juſſu proponitur imperiali
Quem ducis Italia timor expulerat Gocelinus,
Exoſus fuerat, quia conjuratus in ipſum,
Navibus armatis celer advenit, ut tremebundos
Hortetur cives, & erat jam proximus urbi,
E Ingreſſum ſperans nocturno tempore tutum:
Cùm ſubitò Danaum Claſſi venit obvia claſſis
Ro-

(1) Michaël ſenior Conſtantinopolitanus Imperator 1058. & eo Imperium abdicante Iſaacius Commenus obtinuit. *Leib.*

(2) Conſtantinus Ducas Conſt. Imp. anno ſalutis 1063. an. 7. regnavit. Huic Eudochia tres liberos peperit, Michaëlem, Andronicum, & Conſtantinum, illos ante, hunc poſt adeptum Imperium. Ita de Michaële Conſt. Duca filio intelligendus eſt hic locus. *Tirem.*

Michaël, & Conſtantinus hîc intelliguntur ab autore. *Leib.*

(3) Eudochia unà cum liberis imperavit anno ſalutis 1070. menſ. 7. *Leib.*

(4) Romanus Diogenes 1071. annis 3. ex Bibliandro. Alii autem initium Imperii referunt ad annum ſalutis 1068. Diogeni Conſtant. Ducam in Imperium præponentes. *Tirem.*

Digitized by Google

Roberti, cujus reparare advenerat hostes
Nocte ducis pugnam naves iniere libenter
Esse sibi levius loca cognoscentibus illis
Certamen gravius, minimè quia gnara locorum
Gens erat illa rate: multo superata labore
Postremò capitur Gocelini navis, & ipse
Ante ducem captus deducitur: altera navis
Mersa fuit Danaum, vix evasere sequentes.
Gens Normannorum navalis nescia belli,
Hactenus ut victrix rediit, spem Principis auget:
Sensit enim Danaos non tantùm civibus urbis
Præsidii raribus vexisse quòd obsidionem
Impediat multùm simul & novitate triumphi
Æquorei gaudet: securiùs unde subire
Jam cum Normannis navalia prælia sperat.
Inclusus longo Gocelinus carcere degens
Vitam infœlicem, vitæ cum fine laborum
Excepit finem, diversa pericula passus.
Tertius obsessa jam venerat annus ab urbe
Multiplici tandem superatur fessa labore.
Plus tamen esurie, tunc Argiritius urbis
Primus habebatur, quem dux ubi deditionem
Urbis inire facit, reliquos non ardua cives
Vincere pœna fuit: majores namque minorum
Ad quam corda volunt partẽ deflectere possunt.
Civibus exhibuit placidum Robertus amorem,
Et quia dilectos sibi quos allexerat omnes
Semper habebat, erat dilectus ab omnibus ipse:
Plurima, quæ fuerant vel vi subtracta vel astu,
Reddidit urbanis dux agros, prædia, fundos:
Perdita restituit: nil civibus intulit ipse,
Nil alios permisit eis inferre molestum,
Et circumpositis solitos deferre tributum
Normannis donat jam libertate quieta:
Canitiem Stephani (5) tractare misertus, ut hostis
Noluit, imò suæ, de qua tractaverat ille
Oblitus cædis, studet hunc tractare benigne.
Cum Baro captum, multis mirantibus Argis,
Hunc impunitum custodia libera servat:
Perque dies aliquot hac victor in urbe moratus
Mandat cum sumptu Barensibus arma parari,
Ut properent secum quò se properare videbunt.
Hos cum gente sua Reginam (6) ducit ad urbem:
Piscem fama refert à littore non procul esse,
Fluctibus Adriacis horrendo corpore magnum,
Forma incredibili, qualem non viderat ante
Italiæ populus: quem verni temporis aura
Propter aquas dulces properare coëgerat illuc:
Per varias artes ducis hunc prudentia cepit,
Qui cùm delabens in retia funiculosa
Retibus innexo cuncto cum pondere ferri
Ille maris mersus mersis sed aduque profundum
A nautis tandem vario jam culmine cæsus,
Littore vix tractus populo spectabile monstrum
Cernitur, inde ducis jussu per frusta secatur:
Unde sibi atque suis longus datur usus edendi,
Et populo Calabris quicunque manebat in oris,
Hoc etiam passim gens Appula participatur:
Os spinæ sectum palmorum quatuor orbe
Mensuram obtinuit: paulò post inde moratus
Dux ibi Robertus Reginam tendit ad urbem:
Dumq; moratur ibi, pons est quia conditus unus,
Pons modò Guiscardi totus locus ille vocatur.
Actu Barenses hujus præcepta secuti,

A Quæque paranda parat Reginæ mœnibus urbis.
Dux ibi militibus sumptis, ratibusque paratis
Transvehitur Siculum multis comitantibus æquor:
Quod licèt angustum tamen est grave prætereundum:
Scilla (7) Caribdis (8) ibi diversa pericula præbent:
Una rotat naves, illidit & altera saxis.
Partibus in Siculis conserta juvamina fratris
Jam conquisitis ex magna parte Rogeri
Spem ducis accumulant: erat hac ætate Rogerus
Non virtute minor, nullus de fratribus ejus
Quamlibet egregius iniit tam nobile bellũ: (9)
Nam contra Siculos divini nominis hostes
B Semper pugnavit, Sanctam qua vivimus omnes
Exaltare Fidem cupiens, operamque juventus
Hanc sua præcipuè coluit, dum digna quietis
Causa suæ fieret Siculæ subjectio gentis.
Hoc sibi dux socio confisus & agmine multo
Secum deducto non obsidione (10) Panormum
Vincere desperat, Siculis quam nobiliorem
Urbibus audierat. Roberti milite multo
Urbs vallata pavet, muros turresque reformant
Arma virosq; parant, detecta foramina claudunt,
Ponitur & vigilum custodia crebra per urbem.
Dux jubet armatos equites accedere portis
Ut sic inclusos ad pugnam provocet hostes:
Omne, quod incutiat pœnam pariterque laborem,
Civibus inferri versuta potentia mandat.
C Procedunt portis Siculi non stare ferentes,
Egressique foràs audaci mente repugnant:
Verùm Normannos nequeunt tolerare feroces
Cultores Christi, dum gens Agarena resistit,
Non perferre valet: fugiunt, nostriq; sequuntur,
Multos prosternunt gladiis, & cuspide multos,
Mœnibus è summis volat undique missile telum.
Saxaque cum pilis jacentia lædere tentant
Corpora nostrorum, nostri vi mœnibus urbis
Hos impellentes, læti sua castra requirunt.
Inde Panormenses Affros accire laborant
Auxilio, quorum sibi viribus associatis
Quod non sunt ausi terra committere bellum,
Commisere mari; bellantibus hoc elementum
Commodius credunt: instructis ergo carinis
Exigit ut belli navalis ritè paratus
D Proque repellendis saxorum vel jaculorum
Ictibus, obtectis rubicundis undique Philtris,
Ad pugnam veniunt sub conditione virili,
Ut quo jure viri vel vivant vel moriantur,
Mandat Normannis, Calabris, Barensibus, Argis
Dux à se captis muniri Corpore Christi:
Quo jubet accepto cum sanguine bella subire.
Tali tuta cibo procedit turba fidelis
Navibus aptatis quo prævaluere paratus;
Perfida gens totam lituis sonituque tubarum,
Magnarumque replet vocum clamoribus æquor.
Christicolæ contra suffragia sola petentes
Principis æterni, cujus sunt carne refecti,
Nullo terrentur clangore, sed acriter illis
E Obstant, & feriunt quassantque viriliter hostes:
Principio naves Affræ Siculæque resistunt,
Nutu divino tandem cessere coactæ,
Cùmq; fugã peterent, aliquot capiuntur earum:
Quædam submersæ pereunt, pleræque frequenti
Remorum ductu vix evasere fugaces,

Dum

(5) De Stephano Paterano vide supra lib. 1.
(6) Regina urbs in Calabria. *Tirem.*
(7) Scilla proxima est Peloro promontorio, ubi oppidum Sciglum Scilæum à Plinio appellatum. *Tirem.*
(8) Charibdis Verticosum mare Galofarus quasi Calofanos à nostris nuncupatum, ibi enim faces noctu accenduntur nautis portum petentibus signum, utrumque navigiis exitio. *Tirem.*
(9) Rogerus Bossus ex filiis Tancredi minor in Siciliam à Messanensibus evocatus Saracenos ad Messanam bis fudit, & superavit, & tandem eam cepit. *Leib.*
(10) Panormo vetustissima civitas in Sicilia, ubi Reges coronas aureas accipere consueverunt. In illius Templo maximo Reges, & Episcopi Siciliæ sepeliuntur; privatorum autem nemo. *Tirem.*

Digitized by Google

Dum portum ſubeunt, mox oppoſuere catenas,
Cum quibus æquoreos aditus prohibere ſolebant:
His etiam fractis quaſdam de navibus horum
Chriſticolæ capiunt, flammis pleraſq; perurunt:
Dat validas animo ducis hæc victoria vires:
Hinc pervadendam ſolers intentus ad urbem
Molitur variis conatibus ut capiatur:
Muniri pedites fundis facit atque ſagittis,
Armatos equites ſecum procedere juſſit.
Accedunt muro pedites, & mœnia ſaxis
Ac telis quatiunt: egreſſus iniquus ab urbe
Obſtat eis populus, quem non perferre valentes
Diffugiunt pedites, quos dux ut cedere vidit
Diffuſos campis, legiones protinus omnes
Bella dato ſigno monet incunctanter adire,
Voce manuque ſuos ſicut dux ſtrenuus hortans:
Pauliſper Siculi commixto Marte morati,
Ad ducis aſpectum tremefacti terga dederunt:
Dux ferit, atque ſuos hortatur terga ferire
Perverſæ gentis, nec cædere deſinit hoſtes,
Adverſæ portas dum perveniatur ad urbis.
Gens comitata ducem diverſis ſauciat hoſtem
Vulneribus, quoſdã gladiis, & cuſpide quoſdam,
Multos fundali jactu, pleroſque ſagittis,
Unde ſupergrediens cæſorum corpora, tentat
Cum Siculis portas fugientibus urbis adire,
Ut finem tanto præberet capta labori.
Sed cives portis adhibent dum clauſtra ſeratis
Non modicam partem foris excluſere ſuorum:
Impetus hoſtilis tantis terroribus urbem
Implet, ut excluſos cædi permiſerit omnes.
Robertus quanquam longo certamine vidit
Diffiſos equites, cœptis inſiſtere poſcit.
Virtus veſtra viri varios experta labores
Vel modò laudis, ait, vel erit modò digna repulſæ.
Urbs inimica Deo divini neſcia cultus,
Subdita Dæmonibus veteri ſpoliata vigore
Jam quaſi fracta tremit: ſi vos inſtare potenter
Viderit, obſtandi nullos meditabitur auſus:
At ſi deficitis, cras viribus hæc reparatis
Acriùs obſtabit, dum tempus adeſſe videtis,
Currite, dura capi, Chriſto miſerante, patebit:
Difficilem quamvis facilem facit ipſe laborem,
Hoc duce confiſi bellis imponite finem,
Atq; invadendam cuncti properemus ad urbem.
His animat dictis Robertus corda ſuorum:
Aſcenſis ſcalis properant conſcendere muros,
Seq; voluntati promptos ducis affore ſpondent:
Sic auriga bonus veloces cedere curſu
Dum cognoſcit equos, parcit, patiturq; morari,
Inde reformatos reparatis flatibus, ire
Cœptũ cogit iter, ſtimuliſq; frequentibus urget,
Dum curſum peragant, & eos præcedere victi
Vincere qui ſoleant cauto ducente magiſtro.
Dux ubi perſenſit capiendis mœnibus omnes
Inſudare ſuos, inſudat & ipſe ferendis
Solicitus ſcalis, ut progrediantur ad alta
Præcipit inde ſuis: illi conſcendere muros
Unanimes properant: è contra tota Panormi
Gens adſtat muris per propugnacula ſparſa:
Unus utrique labor populo, diverſa ſed illis
Cauſa fuit; cupit hic urbem capere, ille tueri;
Altera pars pro ſe, pro natis, conjuge conſtat,
Altera grata duci fieri ſtudet urbe ſubacta.
Dum tanto populus confligit uterque labore,
Proſpera Roberto fuit, & miſerabilis urbi
Actio fortunæ, ſubitò quia cœtus equeſtris
Egreſſus, ſcalis murorum dum petit alta,
Propugnatores Siculi dant terga frementes.
Urbe nova capta veteri claudumtur in urbe.
Gens Agarena videns ſe viribus omnibus eſſe

A Exutam, tota ſpe deficiente ſalutis,
Suppliciter poſcit miſeros miſeratus, ut ejus
Reſpiciat caſus, neque dux condigna rependat:
Cuncta duci dedum, ſe tamùm vivere poſcunt:
Deditione ſui facta meruere favorem
Exorare ducis placidi: (11) promittitur illis
Gratis cum vita, nullum proſcribere curat,
Obſervanſque fidem promiſſi lædere nullum,
Quamvis gentiles eſſent, molitur eorum:
Omnes ſubjectos ſibi lance examinat æqua,
Glorificanſque Deum Templi deſtruxit iniqui
Omnes ſtructuras, & qua muſcheta ſolebat
Eſſe priùs, matris fabricavit Virginis aulam,
Et quæ Machamati fuerat cum dæmone ſedes,
Sedes facta Dei, fit dignis janua Cœli.
B Munia caſtrorum fecit robuſta parari;
Tuta quibus contra Siculos ſua turba maneret,
Addidit, & puteos alimẽtaque commoda caſtris:
Obſidibus ſumptis aliquot caſtriſque paratis,
Reginam remeat Robertus victor ad urbem,
Nominis ejuſdem quodam remanente Panormi
Milite, qui Siculis datur Amiratus haberi:
Omnes cum Stephano Paterano protinus Argos
Qui Bari fuerant capti permiſit abire:
Sic imponitos quia dux placidiſſimus hoſtes
Dimittebat, eis ut amantibus ipſe placebat:
Barinis, Calabris, dux, obſidibuſque Panormi,
Militibuſque ſuis vadit comitatus ad urbis
Mœnia Melfenſis: caput hæc erat urbibus illis
Omnibus, eſt & adhuc quas continet Appula tel-
Illius Comites regionis, & undique clari (lus.
C Confluxere viri, vult quiſque reviſere tanti
Principis aſpectum: Petro genitore creatus
Prædicto ſolus Petrus huc accedere ſprevit.
Hujus defuncto Goffrido fratre priori
Jus patrium manibus ſucceſſerat, atque nepoti,
Donec provectus ſoboles fraterna Richardus
Eſſet ad ætatem dominandi legibus aptam.
Dux Petro ſuſpectus erat, quia prorſus eunti
Ad fines Siculos, vires adhibere negarat.
Dux tamen ablata formidine convocat illum
Et ſibi conceſſum dicens à fratre Tarentum
Fraterni repetit jus muneris: ipſe negavit
Reddere, quæ fuerant armis ſuperata paternis:
Hac gravis inter eos oritur diſſentio cauſſa.
D Ac veniens Andrum varios ad bella paratûs
Cœpit inire Petrus: nova præcipit arma parari,
Auget militiam, ſuffragia poſcit, ubique
Quæque ſui juris ſervari tuta laborat.
Interea Tranum præclari nominis urbem
Divitiis, armis, & multa gente repletam
Obſidione parat dux ſubdere. Petrus ad urbem
Electos bis ſex equites agit, ut ſibi cives
Alliceret monitis, confortarentur & ejus
Aſpectu viſo; quidam ſua verba loquendo
Protrahit in longum, ſubitò Robertus, & ejus
Diffuſus campis apparuit undique miles.
Obſeſſi cives decies jam quinque diebus
Convenere Petrum ſimul intra mœnia clauſum:
Orant ut faveat comes urbis deditioni:
Damna quidem nequeunt perferre diutiùs urbis:
E Hic primò fieri nimio mœrore gravatus
Ille negat, tandem lacrymans, cogentibus illis,
Poſcit cum ſociis, ut liber abire finatur,
Sicque duci fieri conceſſit deditionem:
A duce non patitur diſcedens urbe videri,
Atque ducem voluit nullatenus ipſe videre;
Tam ducis horrẽdum ducebat cernere vultum,
Trani cujus erat laus clarior urbe recepta
Se Juvenacenſes dedunt, & Buxilienſes
Buxiliæ Petri fuerant Juvenacus Amici,
Cui patruus Petri pater extitit: hunc, quia fratri
Con-

(11) Panormus capta anno ſalutis 1071.

Contulit auxilium, dux oderat, & quia fines
Dalmaticos finè velle ſuo tentavit adire.
His dux expertis, cupiens ſibi ſubdere Petrum
Obſidione parat circumvallare Coretum:
Petrus, ut hunc audit caſtrũ circumdare caſtris,
Non audens armis contendere, mœnibus Andri
Excipitur tutus: qui dum prodiſſet ab Andro,
Tranenſi prædam deferre profectus ab urbe,
Atque equites eſſent decies hunc quinque ſecuti,
Guido quater denos equites induxerat urbi.
Ex ducis edicto *Germanus* conjugis ejus
Egreditur ſubitò diffuſo milite campis:
Inde Petrum capiunt, & ſe priùs inficiatum
Præſentare duci vel præſentare coactum;
Impoſuit finem ducis hæc captura labori.
Sed tandem fidei jurando jure ligatus
Solvitur, & recipit quæ perdidit omnia Petrus,
Liber abit, ſolo Trani privatus hoſti (12).
Interea ducis egregii populoſa frequenter
Poſcit Amalfis opem, cui vectigalia dudum
Annua detulerat minis impugnante *Giſulfo*,
Semper turbatam terraque marique reclamans.
Robertus quæſtu populi ſtimulante Giſulfo
Mandat Amalficolas ceſſet vexare tributum
Ferre ſibi ſolitos, veteris corrumpere nolit
Fœdus amicitiæ, ceſſare ſororius illum
Cogat amor, meritaſq; vices ſe reddere ſpondet.
Hæc ſibi legatis mandata ferentibus, ille
Dicta ſuperba refert, negat eſſe ſua fruiturum
Pace ducem, niſi digna ſibi famulamina ſolvat.
Non perferre valens tanti reſponſa tumoris
Fervidus innumera comitatus gente Salernum
Dux adit, & terræ parat & maris obſidionem.
Quartus erat menſis completus ab obſidione:
Tanta fames miſeræ cives invaſerat urbis,
Ut canibus, vel equis, vel muribus, aut aſinorum
Turba cadaveribus vix vivere poſſet edendo.
Egreſſus quidam patre civis in urbe relicto
In caſtris aderat, canis hunc rimata ſagaci
Nare petit, laribus fuerat quæ fota paternis,
Huic dabat ille cibos, & poſtquam ſufficienti
Paſta cibo fuerat, circa præcordia quoſdam
Appoſitè ſacco panes inferre ſolebat,
Quorum commoditas vitæ foret apta diurnæ:
Hos celeri curſu rediens (mirabile dictu)
Et nuſquam remorans canis ad ſua tecta ferebat,
Sic alimenta ſagax dominoque ſibique parabat:
Eſuriem tantam quidam non ferre valentes
Egreſſi cives octavi tempore menſis
Interrupta duci Roberto mœnia pandunt,
Aptior ingreſſus potuit qua parte videri.
Terruit urbs animum Roberto capta Giſulphi:
Conſcendit turrim, quæ facta cacumine montis
Præminet urbanis, natura cujus & arte
Eſt gravis acceſſus, non hac munitior arce
Omnibus Italiæ regionibus ulla videtur;
Expugnat validis Robertus viribus arcem:
At valido cùm fortè ducis petraria ſaxi
Ictu dimiſſi perculſa fuiſſet ab alto,
Avulſum lignum Roberti nobile pectus
Sauciat incauti, ſed non poſt tempore multo
Auxiliante Deo recipit caro læſa ſalutem.
Redditus incolumis magis expugnare Giſulphum (13)
Nititur: ille ſuam fortunam dum videt eſſe
Caſibus extremis poſitam: quia multa ſalutis
Spes erat, arbitrio ſe ſe ducis & ſua dedit:
Orat ſola ſibi libertas detur eundi,
Juſque duci proprium dimittens liber abivit:
Gregorium Papam ſpoliatus honore Salerni
Appetiit primùm, venientem Papa benignè
Suſcipit, & regio Campanica traditur illi.
Urbe triumphata gaudet Robertus & arce,
Et ne poſteriùs ſibi gens infida repugnet
Munivit ſummam fidis cuſtodibus arcem:
Inferiore ſitu fit inexpugnabile caſtrum,
Quo ſibi ſubjecti valeant conſiſtere tuti:
Urbs Latii non eſt hac delicioſior urbe,
Frugibus, arboribus, vinoque redundat, & unde
Non tibi poma, nuces, non pulchra palatia deſunt:
Non ſpecies muliebris abeſt, probitaſque virorum:
Altera planitiem pars obtinet, altera montem,
Et quodcunque velis terrave marive miniſtrat.
Hac acquiſita ſimul acquiſivit Amalfin:
Urbs hæc dives opum, populoq; referta videtur,
Nulla magis locuples argento, veſtibus, auro,
Partibus innumeris; ac plurimus urbe moratur
Nauta, maris cœlique vias aperire peritus (14).
Huc & Alexandri diverſa feruntur ab urbe
Regis & Antiochi: hæc freta plurima tranſit.
Hîc Arabes, Indi, Siculi noſcuntur & Afri:
Hęc gens eſt totum propè nobilitata per Orbem
Et mercanda ferens & amans mercata referre.
His ſibi ſubjectis, quæ diſponenda fuere
Omnia diſponit, Trojam (15) dux ipſe reviſit
Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advênit Lombardus Marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum,
Axo (16) vocatus erat, ſecum deduxit Hugonem
Illuſtrem natum: Ducis huic ut filia detur,
Exigit, in ſponſam: comites procereſque vocari,
Quaque facit ſuper his dux conſulturus ab urbe.
Horum conſiliis Roberti filia nato
Traditur Axonis, tædas ex more jugales
Et convivando celebrant & multa ferendo.
Cunctis, conjugii quæ poſtulat ordo, peractis,
Sollicitat Comites dux & quoſcumq; potentes
Dona petens, læti quibus & vir & uxor abire
Donati valeant: nec enim priùs Imperiales
Alter cùm proles thalamos Michaëlis adiſſet (17)
Quodlibet auxilium dederant: communiter illi
Omnes triſtantur, quaſi vectigalia poſci
A duce mirantes, ſed non obſtare valentes,
Et mulos, & equos, diverſaque munera præbent.
Iis genero (18) donans addens ſua, claſſe parata
Ad ſua cum magno patremque remiſit honore.
Normanni Comites conqueſti ſæpe viciſſim
A duce tractari ſe tam malè, tamque moleſtè,
Occuluere diu malefidi pectoris iram: (19)
Tandem conſiliis Jordanem patre Richardo
Participant natum, patruo ſimul omnia pandunt
Rannulfo Comiti, quorum ſibi conſociatis
His hi præſidiis Petrus & Goffredus aperta
Mentis fraude ducem cœpere laceſſere bellis.

Amiſ-

(12) Lege *honore*. Ita certè infra Giſulfus dicitur: ſpoliatus honore Salerni. *Leib.*
(13) Giſulfi Robertus ſororius erat. *Tirem.*
(14) Debemus Amalphitanis pyxidis nauticæ inventionem, & digeſta Juſtiniani. *Leib.*
(15) Troja in Apulia urbs fuit, quæ circa annum ſalutis 1016. à Catapano Baſilii, & Conſtantini fratrum Conſtant. Imper. extructa eſt, & poſtea Apuliæ caput fuit. *Tirem.*
(16) Azonem vult dicere, magnam Longobardiæ, & Liguriæ partem tenentem, à quo deſcendunt Principes Brunſvicenſes, & Eſtenſes. *Leib.*
(17) Michaëlis ſcilicet Ducæ, qui cùm 1071. regnare cœperit, & anno 1078. imperium amiſerit, medio tempore hoc contigiſſe oportet. *Leib.*
(18) Generum. *Leib.*
(19) *Odio præſentis ſtatus Reſpub. mutantur* ſcribit Tacit. *Tirem.*

Digitized by Google

Amiſſæq; nepos terræ memor Abagelardus (20)
Filius Unfredi toto conamine tentat
Infeſtare ducem, ſocio Guidilone, ſororem
Cui dedit uxorem, nec Balduinus eorum
Defuit auxiliis, & lingua doctus & armis.
His comes Henricus Comes, & ſociatus *Amicus*
Doctior his aderat Robertus de Scabioſo (21)
Monte Comes dictus, Goffredi frater, & ambo
Orti germana fuerant ducis: ira nepotes
Accendebat in hunc cunctis præſtare volentem,
Omnes hi privare Ducem conantur honore:
Hęc diſſentio non loca concutit Appula tantùm,
Sed Calabris etiam ac Lucanis regnat in oris,
Nec non Campanis, metus eſt hoſtilis ubique,
Latronum rabies paſſim bacchatur, & omnes
Per partes Italas raptorum copia crevit,
In partes varias Normannica concio tendit:
Sed quamvis hoſtes eſſent Ducis agmine plures,
Pars bello melior Roberto ſemper adhæret.
Redditur urbs Petro Tranenſis & Abagelardo:
Conjuge, prole data, dedit Argyricius urbem
Egregiam Bari, quam dux commiſerat ipſi:
Non tamen urbibus his hac tempeſtate remotis
Gens ab amore ducis Juvenaci fida recedit:
Unanimes optant parêre fideliter illi:
Argyricius hos monet, ut reddatur Amico
Urbs ſua quæ fuerit, quam ſi non reddere vellent
Obſidibus natis hunc ſe donare minatur
A duce commiſſis dudum ſibi: non tamen illi
Poſtpoſuere fidem, contempto prolis amore,
Seque duci dicunt ſervare perenniter illam.
Hanc adipiſcendam multis ſti patus ad urbem
Cum Petri comitis comitatu vadit Amicus.
Affuit obſeſſæ ſimul Argyricius urbi
Cum populo Bari, Trani, pariterque Choreti (22):
Andrenſes etiam, cum Buxilienſibus aſſunt.
Gens Juvenacenſis non obſidione vèl armis
Territa ſtat fortis: defendere mœnia curat,
Et ponit vigiles, obſiſtit & acriter illis,
Qui foris inſiſtunt: hi pugnant, illa repugnat,
Impugnata licèt terra marique fuiſſet;
Arte capi nulla valuit. Legatus ab urbe
Fortè Betontina fictos deferre jubetur
Rumores; cautè, Guillielmus at invenit illos
Filius Yvonis, cui dux conceſſerat urbem.
Ecce Rogerus adeſt Roberti filius, inquit
Nuncius, & multas equitum peditumq; catervas
Dux ſibi ducendas dedit: hunc properaſſe putantes
Diffugiunt cuncti, quos urbis ad obſidionem
Duxerat; ut captam ſibi ſubdere poſſit Amicus.
Dux licèt audierit tot conveniſſe rebelles
Nullo concutitur terrore, ſed arte vel armis
Omnes exſuperat, monitis quamdulcibus illos
Allicit, hos bello domitat, verſutus & audax
Novit utroſque modos, admit ſua caſtra quibuſdam;
Quoſdam blanditiis verborum commonet ultrò
Tradere, quæ nequeunt violento Marte parari:
Sic juxta Bradam dimiſſa flumen equeſtri
Gente ſua Calabras cum parte profectus ad oras,
Et Cuſentinos (23) ſibi pacificavit, & illos
Deduxit rediens ad bella pedeſtria promptos:
His comitatus abit, tamen erogat ante ſequaci,
Quod potuit, populo: properat confligere contra

A Omnes infidos: Juvenacus fida recepit.
Hinc equites aliquot, quà noverat Abagelardũ
Eſſe, petit primùm violento robore Barum.
Barenſis populus numero confiſus, & ejus
Quem ſequitur ductu, ducis utpote Marte valentis,
Cum duce congreditur: Lorica ſed Abagelardi
Cuſpide perfoditur: corpus perfoſſa tueri
Non valet armati: bellorum ſaucius ultra
Vim perferre nequit, ſua gens fugit urbis aduſq;
Mœnia, Robertus Juvenacum victor adire
Mox parat: huic properat procedere turba fidelis
Obvia: quis poſſet tantas exprimere grates,
Quantas cuique refert? laudat communiter omnes,
B Pignoribus caris, quia præpoſuere tenorem
Promiſſæ fidei: tunc omnibus oſcula præbens
Ne timeatis, ait, non deformabit Amicus
Quemlibet ex pueris: omni quia poſtulat arte
Ut mea reddatur ſibi gratia. Taliter illi
Reſpondet populus: tua nos præcepta paratos
Crede ſequi: totam Domino committere curam
Natorum, quia nullus amor removere valebit
Nos ab amore tuo: tantùm ſervator amoris
Sis petimus, noſtri dominator & eſto benignus.
Auditis populi precibus favet ille precantis.
Annis tota ſui tribus eſt ſolvenda tributi,
Pactio dimidii conceſſa perenniter illis:
His ita dimiſſis properat remeare Salernum;
Dum redit hoſtiles vicos & caſtra ſubacta
C Donat militibus, faciebat prælia ſæpe
Diverſis diverſa locis. Fortuna favoris
Auxilium præbebat ei, cui dum malè fida
(24) Aſcolus appetitur, certamine captus equeſtri
Eſt Balduinus, caſtellum nomine Vicum
Vi capit: hic *Gradilo* privatur lumine captus,
Teſtibus exuitur: ſed Balduinus habere
Il læſos artus permittitur, hunc tamen arcent
Carcere cuſtodes, quia faverat Abagelardo.
Pervenit his geſtis, quò cœperat ire, Salernum.
A Jordane duci poſcentes fœdera pacis
Aſſunt legati: dux ni diſcordia ceſſet,
Dilapſura brevì, quæ plurima præmeditatus,
D Commoda, legatis placido reſpondet amore:
Inducias ponit: fit ſponſio colloquiorum
Conſtituitque diem: legati non ſinè magna
Lætitia redeunt, quia tam gratanter ab ipſo
Suſcepti fuerant, & nuntia læta reportant:
Jordani placuere ſatìs, quæcumque recenſent.
Hinc infra tempus Juvenacum mittere quoſdam
Dux equites lectos procurans, præcipit illis
Non tantùm prodeſſe ſuis, ſed obeſſe laborem
Hoſtibus, hoſque modo poterint quocunque moleſtent.
His poſtquam longo (nec enim fas pergere rectò
His erat) adveniunt Juvenacum tramite ducti
Callibus obliquis, aderat quia plurimus hoſtis,
E Infeſtare ducis cœpere viriliter hoſtes:
Quique priùs ſoliti fuerant inferre rapinas,
Se doluere pati: nequeunt incedere tuti:
Jordanis princeps & dux ſtuduere ſtatuto
Ire die Sarnum: pax firma fit inter utrumque,
Eſt cum Rannulfo ſimili firmata tenore;
Alter erat patruus Jordanis, avunculus alter.
His ita ſedatis dux Appula caſtra requirit,
Et

(20) Mortuo Unfredo Bagelardum illi ſucceſſiſſe plures ſcribunt & eum à principatu dejectum à Rob. Guiſcardo Patruo fuiſſe. *Leib.*
(21) Robertus de Monte ſcabioſo, & Goffredus Roberti ex ſorore nepotes. *Tirem.*
(22) Choritus Tuſciæ eſt oppidum à Coritho Rege poſitum. *Tirem.*
(23) Coſa per ſ. ſimplex aut geminatum urbs eſt in Calabria, quæ hodie Coſano vocatur. Conſæ Municipii meminit Cic. lib. 5. in Verr. *Tirem.*
(24) Aſculum Ptolomæo dicitur hodie *Aſcolo* & hæc eſt, quæ Aſculum ſatrianum vocatur. *Tirem.*

Digitized by Google

Et Spinaciolum, (25) muro quod Amicus & armis
Munierat castrum, quo non cum milite pauco
Filius ejus erat, equites comprendit & omnes,
Filius est solus fugiens elapsus Amici.
Perdere plura timens pacem deposcit Amicus,
Dux illi placidus favet, obsidibusque receptis
Lætificat mœstos reddendo pignora Patres,
Et Juvenacenses desistunt plangere matres:
Perterrent tumidos hæc fœdera facta nepotes
Roberti Comitis, dux Goffridique nepotum,
Non mala respexit tolerata, sed immemor iræ,
Dum veniam poscunt, indulget avunculus illis.
His fisus sociis comitatus milite multo
Obsedit Barum Socer Argiricius hujus
Qui solus pacem vitaverat Abagelardi:
Urbe ducem recipit, genero qui pacis & urbis
Extorri facto ducis est reparatus amori.
Sic quia pace ducis non fungitur Abagelardus
Et patrii juris loca deserit, & Danaorum
Exul adit terras, cùm rector Aleius (26) esset
Imperii, clemens hunc suscipit ille benignè,
Tractat honorificè, dat multa, sed invida nulli
Parcere quæ curat, juveniles mors subit artus:

A

Quique regressurum se credidit esse potentem,
Diversi generis cum fascibus atque triumphis,
Exul apud Danaos, & mortuus est & humatus.
Dux sibi conjunctis Barensibus obsidet auctis
Agminibus Tranum Petro stimulante rebelle:
Hac dux uxorem dimittit in obsidione:
Non sinè militibus multis petit ipse Farentum,
Protinus obsessum terraque marique recepit.
Hunc positis castris castellum victis Aneti.
Obsidet. Inde Petrō Comitem miserabilis angit
Anxietas, quia visa duci fortuna favere
Est inimica sibi, pacem veniamque requirit:
Dux per legatos, quos miserat, ille relegat,
Ut sibi cum Trano castellum donet Aneti,
Ni dabit illa frui non pace merebitur ejus.

B

Vestibus incultis Petrus est ad castra profectus,
Subintrat veniam pacis cum fœdere poscens,
Custodes castri vocat & descendere jussit
Turribus, hi jussi, Roberto mœnia tradunt;
Tradidit & Tranum, ducis ut sibi gratia detur,
Efficiturque suus jurando jure fidelis.
Cervices rigidas sic dux astutus & audax
Flectere, sic finem bellis imponere novit.

(25) Spina Urbs in Italia unde Spinates. *Tirem.*

(26) Alexius. *Leibn.*

Explicit Liber Tertius.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QUARTUS.

His Michaël (1) ſolii dejectus ab arce diebus,
Cujus in inſontem Romanum dira voluntas
Arſerat indignè, ſocio ſibi fratre repulſo,
Monachus efficitur. Roberti filia mœret
Deponi ſocium, miſer exulat ille coactus:
Urbibus & caſtris ſibi circumquaque ſubactis,
Appula dimittens loca dux parat ire Salernum.
Partibus Eſperiæ, quem Barcilona tremebat,
Venerat inſignis Comes hanc *Raymundus* ad urbem,
Ut nuptura ducis detur ſibi filia poſcens.
Huic major natu nuptum datur: altera nupſit
Egregio Comiti Francorum ſtemmate claro:
Ebalus hic dictus ſuccumbere neſcius hoſti,
Belligeras acies ad prælia ducere doctus,
Et facundus erat, linguaque manuque vigebat.
Illis Gregorius (2) Beneventum Papa diebus
Advenit: urbs erat hæc Romano ſubdita Papæ,
Atque ſui juris; quia Dux obſederat urbem,
Ægrè Papa tulit, veniam Robertus ut hujus
Impetret offenſæ, Papæ properavit ad urbem,
Supplicat & pedibus (3) dans oſcula patris
Suſcipitur; tanti perſona vigoris honore
Digna videbatur, conſidere Papa coëgit.
Soliloquum cunctis aſtantibus inde remotis
Conſilium tenuere diu, tum Papa fideles
Convocat: ex Papæ ſecretum juſſibus horum
Panditur; allatus liber eſt Evangeliorum:
Dux Papæ jurat, fuerit dum vita ſuperſtes,
Obſervaturum fidei ſe jura perennis
Eccleſiæ Sanctæ, totus cui ſubjacet Orbis:
Romani regni ſibi promiſiſſe coronam
Papa ferebatur: quia Rex Henricus (4) ab illo
Damnatus fuerat propter commiſſa nefandis
Accumulata modis; nec enim venundare Sanctas
Eccleſias veritus perverſum dogma colebat
Simonis, & nullum donabat Pontificali (5)
Culmine, præter eos, qui maxima dona tuliſſent.
Inceſtus etiam turpes, & turpe ſubire
Auſus adulterium, (6) vitam ducebat iniquam,
Sacrilegus, mœchus, conſortia nulla proborum,
Sed reprobi cœtus collegia ſemper amabat.
His vitiis virtus Sancti contraria Papæ
Gregorii, regno deponi judicat illum:
Saxonibus mandat perhiberi Rex apud ipſos
Deſinat ulteriùs, totis & viribus obſtent:
Accitoſque duces Guelfumque, ducemque Rodulphum
Admonet, Henrico Petri pro parte reſiſtant
Et Pauli, Simon quibus inſurrexerat alter.
Eſſe putabatur conceſſa corona Rodulfo. (7)
Is ſibi Saxonibus multo cum milite junctis
Indixit bellum Papæ venerabilis hoſti,
Et populus Regi damnato multus adhæret

A Jus patrum recolens aliumque inducere nolens
Hæredem regno: grave ſit certamen utrinque.
Dura quidem gens eſt, & cedere neſcia magnis
Ictibus inter ſe; hinc Lotharingi, Saxones inde
Certatim feriunt alternis vulnera reddunt
Vulneribus: ſtat quiſque ſtudens obſtare viciſſim,
Et perhibentur ibi triginta cæſa virorum
Millia, ſed neutro populo cedente Rodulphus
Occidit, & feſſus populus defecit uterque.
Se quaſi victorem percepta morte Rodulphi
Gaudens Henricus, quem regni depoſitorem
Noverat eſſe ſui, Papam infeſtare laborat,
Romam obſeſſurus magna cum gente venire
Nititur, hoc prudens comperto Papa favorem
B Curat habere ducis, ſuccurrat ut ipſe labori
Promptus ad arma ſuo, (8) vires & deprimat hoſtis:
Pacis perpetuæ Beneventi fœdere pacto
Gregorius Romam remeavit, duxque Salernum
Hac, Mathæe, tibi conſtruxit in urbe decoris
Eccleſiam miri, ſibi nobilis aula paratur.
Dedecus illatum genero (9) prolique repulſæ
Sedibus auguſtis, non ſollicitudine parva
Cor ducis accendit: gravis hæc injuria multis
Eſſe videbatur ducis, hanc deſiderat ultum
Ire. Senex quidam regni *Nicophorus* (10) habenas
Sumpſerat ignavus bello, tamen ingenioſa
Mente ſagax, contra furtiva pericula cautus,
C Imbellis metuens pluſquam metuendus habetur:
Militiæ princeps ſuſtentat Alexius illum
Aſtuta ratione vigens & ſtrenuus armis,
Pectore clarus erat, clariſque parentibus ortus:
Annos iſte ſuæ plures ætatis ab ipſo
Flore juventutis primævo duxit in armis:
Siquid oportebat fieri grave, non dubitabat
Imperio ſancto ſibi præcipiente ſubire:
Hoſtes Imperii, Baſilachius atque Brienus, (11)
Inſignes Græci, bellis opibuſque potentes,
Hoc duce ſunt victi, victori ceſſit uterque:
Nam ſibi non longè dum congrederetur ab urbe
Bellando victus cedit, capiturque Brienus.
Victus Alexina ceſſit Baſilachius arce:
D Alter in alterius congreſſum dum properaret;
Proxima caſtra die cedente locantur utrinque,
Nocte fugam prudens ſimulavit Alexius illa
Caſtris dimiſſis, neque tota remota ſupellex
Ejus erat, quædam tentoria fixa manebant.
Hæc dimiſſa fugæ, jumentaque, luce ſequenti
Effecere fidem, caſtriſque relicta ſuppellex
Contra ſe nullos ubi vidit adeſſe paratús
Hoſtilis belli, caſtris ſinè gente relictis
Circumquaque ſuis Baſilachius imperat ire,
Si quos excipiunt ab equis vel gente tumultus,
Ut ſibi notificent, muſſantis nulla cohortis
Vox, nullus potuit ſonus aut hinnitus equorum
Audiri: ſperat Baſilachius omnia tuta

At-

(1) Hic Michaël Parapinacæus vocabatur, Conſtant. Ducæ filius erat, qui imperio dejectus eſt, & in illius locum, Nicephorus Botoniates ſuffectus anno ſalutis 1081. *Leib.*
(2) Gregorius VII. Summus P. factus eſt anno ſalut. 1073. *Tirem.*
(3) Deeſt *Sancti*. *Leib.*
(4) Henricus II. Roman. Rex. *Tirem.*
(5) Symonia cauſam dedit diſſidiis, quæ maxima inter Gregorium Papam, & Henricum Imp. fuerunt. *Tirem.*
(6) Henricus Agnetem admonentem quid cum religione fieri oportet omni adminiſtratione
E depulit, eaque Romam profecta non diu ſupervixit. *Tirem.*
(7) Rodulfus Sueviæ Dux conſenſu Ducum & legatorum, qui in Forchein convenerant in locum Henrici regni titulo ſpoliati ſuffectus eſt. *Tirem.*
(8) Robertus Guiſc. Romam ingreſſus Gregorium Pontif. arce eductum Laterano reſtituit anno ſalut. 1084. *Tirem.*
(9) Michaëli Ducæ. *Leibn.*
(10) Nicephorus Botoniates qua arte Michaëlem ab Imperio dejecerat, ab Alexio Commeno depulſus eſt. *Tirem.*
(11) Brienus virtute Alexii victus eſt. *Tirem.*

Digitized by Google

Atque ſuis hoſtem pro viribus expavefactum
Credit iniſſe fugam: cœnantem crapula ſomno
Aggravat, & caſtris gens tota quieta jacebat:
Callibus occultis advectus Alexius hoſtes
Irrumpens ſubitò perterruit, his quia noctis
Obſtabant tenebræ: nuſquam loca tuta patebant;
Spes eſt nulla fugæ, capiuntur & interimuntur;
His ſopor & vini dederat violentia multa
Segnitiem, nec abire valent nec ad arma reverti.
Lumine privatus Baſilachius & tibi captus
Legatur, nihil ipſe videns Nicophore, videndus,
Imperio cujus præſumpſerat eſſe rebellis.
Impiger, & cautus ſic victor Alexius hoſtes
Imperii multos armis ſuperavit & arte.
Dux tranſire volens mare præcipit arma parari,
Militibuſque ſuis ſe præſtolentur Hydronti
Imperat, aptari naves facit, ipſe Salerni
Undique dona petens & ſupplementa moratur,
Huc illuc apices non ceſſans mittere ſecum
Navibus armatis fidas monet ire cohortes:
Inſolitum multis iter illud & arce videtur,
Præcipuè quibus uxores & pignora cara
In domibus fuerant, non exercere volebant
Militiam talem, ſed verba minantia blandis
Dux addens, precibus multos properare coëgit.
Conveniunt omnes ſicut mandatur Hydronti,
Dalmaticas naves oneri dux eligit aptas,
Auxilio ſibi quas gens miſerat illa petitas:
Has armis & equis ſumptuque viriſque repletas
Ad Corifum (12) mittit, hæc inſula non procul urbe
Diſtat Hydrontina (13), placidis ſpirantibus auris
Huc citò tranſitur: dimiſſis navibus illam
Acriter invadunt equites ducis, atque timorem
Omnibus incutiunt, qui circumquaq; morantur,
Regni ſede ſenex hac tempeſtate repulſus
Prædictus fuerat, bellator Alexius (14) illum
Expulit iratus, quia non injuria fratris
Propter eum dimiſſa fuit, qui viribus auxit
Imperium totis, tot nactus ab hoſte triumphos:
Omnibus Imperii legionibus huic comitato
Præſidiis vacua facilis labor urbe reperta
Eſt ſuperare ſenem, fit monachus ille coactus:
Deprędāda tribus datur urbs invaſa diebus, (15)
Dux quibus extiterat; manibus quoque ſancta nefandis
Atroces per ſe loca non violare verentur:
Ducit Alexius hos, magis ut timeatur, ad urbem,
Imperii regimen bellis bellator adeptus:
Roberti genitæ non parvum blandus honorem
Exhibet, audierat quem velle venire, laborans
Pacificare ducem, quo ſic avertere mentem
Poſſet ab incœptis, ſed mens ducis ardua neſcit
Cedere propoſito, modico remoratus Hydronti
Tempore, præſtolans adventum conjugis, atque
Multorum Comitum, quos noverat ipſe futuros
Eſſe viæ ſocios. Mentitus ſe Michaëlem
Venerat à Danais quidam ſeductor ad illum
Immerito raptum jus Imperiale repoſcens,
Se profugum lactymans; lacrymantem dux & honeſtè
Suſcipit & tractat, placidoque favore benignum
Exhibet obſequium, populus quoque credulus omnis
Aſſurgebat ei flexa cervice ſalutans:
Hunc adhibens ſocium ſibi dux, ut juſtior eſſet

A Cauſa viæ, ſecum dum tranſfretat, ipſe reducit,
Ante tamen paulò quàm tranſeat, accelerare
Hunc regis mãdata monent, quem Papa notarat
Regno privari cenſens, ut conferat illi
Auxilium contra Papam tumidoſque Quirites,
Qui facti fuerant non cum ratione rebelles:
Tempore rex Romam veniens (16) obſederat illo,
Dux quanquam placidi dederit reſponſa favoris:
Legati redeunt ſine quolibet emolumento,
Gregorio Papæ cui pura mente favebat
Omnia notificat, damnati nuncia regis,
Seque fatetur iter nullatenus illud iniſſe,
Adventum hoſtilem prænoſcere ſi valuiſſet:
Sed quia jam tantos compleverat ipſe paratus,
B A tantis ſe poſſe negat deſiſtere cœptis.
Advenit interea conjux, Comiteſque rogati,
Egregiam ſobolem multo ſpectante Rogerum
Accerſit populo, cunctiſque videntibus illum
Hæredem ſtatuit, præponit & omnibus illum,
Ipſe quibus prælatus erat, digniſſimus hæres,
Iſte patris tanti patruelibus atque paternis
Moribus ornatus, quantæ foret indolis, ipſo
Primævæ cultu virtutis ſignificabat:
Jus proprium Latii totius, & Appula quæque
Cum Calabris Siculis loca dux dat habenda Rogero.
Roberto Comiti committitur atque Girardo:
Alter fratre ſatus, fidiſſimus alter amator
Et virtutis amans erat & probitatis uterque:
C Hos rogat ut Papæ ſolatia, ſiqua valebunt
Non adhibere negent. Quod cœperat ipſe ſubire
Acceleravit iter, decies & quinque Liburnis
Adria ſulcatur, Corifi tremit inſula tanti
Principis acceſsûs electo milite fulti:
Illa, Botrontinam, gens, quæ præceſſerat, urbem
Ceperat: hinc Corifi genialibus urbs operumq;
Prædita præſidiis, in deditione recepit,
Obſidibuſque datis, venit inſula tota tributum.
Bunditiam nautæ vi captam depopulantur:
Magnæ mentis eques *Boamundus* filius alter
Qui fuerat, prima natus de conjuge, cunctis
A duce deductis equitum peditumque catervis
Militiæ princeps præponitur, imperat ipſe,
Ut populus totus juſſis obtemperet hujus:
D Dyrrachium (17) pater hinc, & filius obſidet illinc:
Obſeſſum ſuperare mari terraque laborant.
Hortatus fuerat jam ſæpe *Georgius* illuc
Accelerare ducem: quia qui cõmiſerat urbem,
Audierat ſolii Nicophorum ſede repulſum:
Sed ducis æſtivo perpeſſæ tempore naves
Naufragium impediere viam, navique procellis
In qua dux aderat vehementibus undique fracta,
Vix evadendi fuit impertita facultas.
Delati panes pro corporibus recreandis
Perfuſi pluviis in fruſta teruntur, & undis
Littore projectis oliui cumulantur acervi:
Dux triſtatur iter peragi non poſſe paratum.
Aëris atque maris non fracto turbine, longas
E Hoc agitante moras, multos Palialogus Argos
Dyrrachium duxit, pulſuſque Georgius urbe
Fraude fuit, miſſum ſibi gaudet Alexius hoſtem.
Dux tamen à cœptis, ubi comperit affore tempus
Noluit avelli, Corifi prior inſula ceſſit.
Hinc Avelonâ ſimul, urbibus atque quibuſdam
Littoreis captis, munitius eſſe quod audit,
Dyr-

(12) Corfù hodie, olim Corcyra. *Leib.*
(13) Hydruntum, ſeu aliis Hydrus urbs eſt in Calabria ad Jonium mare, quæ hodie dicitur Otranto. *Tirem.*
(14) Alexius Nicephorum & libertate & civitate privavit, & eam triduo Alexius ex pacto militibus diripiendam conceſſit. *Tirem.*
(15) Alexius Commenus Imperium Conſtant. adeptus eſt anno ſalut. 1085. *Leib.*
(16) Henricus II. Roman. Rex de quo ſup., ſuperata apud Parmam Mathildi, Romam hoſtili animo proficiſcens in pratis Neronianis caſtra locavit. *Tirem.*
(17) Dyrrachium urbs eſt in Macedonia, quæ antiquitus Epidamnum vocabatur hodie Durazzo. *Tirem.*

Digitized by Google

Dyrrachiũ obſedit: quondam fuit urbs opulenta
Magnaque præcipuè teguloſis obſita muris,
Rex Epirotarum dicier hanc (18) Epiduarum
Pyrrhus præcepit, quia fortia ferre Quiritum
Bella Tarentinis ſociatus non dubitavit:
Inde frequens bellum varios & paſſa labores
Evacuata viris fuit, ad nihilumque redacta:
Deſtructam ſpatio poſt compoſuere minori
Zetus & Amphion, & præcepere vocari
Dyrrachium: ducis hoc circumdatur obſidione:
Fit pavor obſeſſæ non parvus civibus urbis,
Et vigiles ſtatuunt, cuſtodia fida per urbem
Ponitur, imperio factam ducis obſidionem
Notificant, & opem legatis poſcere curant:
Oppugnare modis Dux nititur omnibus urbem,
Atque operis miri fabricatur lignea turris:
Hanc ſuper eſt ingens erecta petraria magnos
Projiciens jactus, ut mœnia diruat urbis:
Aſſiduè cives augeri caſtra videntes,
Omnia vaſtari, prædas accedere magnas,
Hybernique domos pro frigoris ædificari
Incurſu, vana ſpe, quæ deceperat illos
Hoſtilis reditus, cœpêre carere coacti:
Stare ducem credunt, & non abſcedere velle
Dum ſibi ſubdat & hanc, alias qui ſubdidit urbes:
Legatos mittunt, cur venerit ipſe requirunt:
Dux veniſſe refert, ſe regni ſede repulſus
Immeritò Michaël, ut reſtituatur honori.
Illi promittunt, urbis quos ipſe petebat
Ingreſſus, nunquam viſo Michaële negandos:
Cornicinum ſonitu circumdatus atque tubarum
Et plectris, qui ſe Michaëlem finxerat eſſe,
More coronatus deducitur Imperiali,
Circumvallatus cantantibus undique turbis.
Unanimi cives hunc ut videre, cachinno
Viſum derident dicentes, iſte ſolebat
Crateras menſis plenos deferre Lyeo,
Et de pincernis erat inferioribus unus,
Poſtquam Robertum cognovit Alexius urbes
Invaſiſſe ſuas, veritus ne ſubdat & urbem,
Dux ſibi Dyrrachii magna cum gente paravit
Occurſare duci: bellis navalibus illi
Præmonuit ſociam pugnando reſiſtere gentem:
Non ignara quidem belli navalis & audax
Gens erat hæc: illam populoſa Venetia miſit
Imperii prece, dives opum, diveſque virorum,
Quà ſinus Adriacis interlitus ultimus undis
Subjacet Arcturo, ſunt hujus mœnia gentis
Circumſepta mari, nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius tranſire poteſt, niſi lintre vehatur:
Semper aquis habitant, gens nulla valentior iſta
Æquoreis bellis, ratiumque per æquora ductu.
Civibus obſeſſis hortatur Alexius illos
Auxilium conferre, ſuas & ducere naves,
Et pugnare ducis cum navibus, ut ſuperatis
Hoſtibus his bello, facilis labor eſſet inire
In terris bellum: populo ducis extenuato
Imperio parent, Ducis & cum navibus ire
Pugnatûm properant: jam veſper adeſſe diei
Cœperat, occurrunt naves Ducis, at quia noctis
Hora propinquabat, bellum differtur utrinque:
Craſtina progrediens Aurora fugaverat umbras,
Ad bellum populus navale paratur uterque:
Ampliùs hujus erat quia gnara Venetica belli
Gens ruit audacter: (19) claſſis Ducis expavefacta
Ad portum fugitiva redit, ſic pugna remanſit
Ter redeunte die, gens multa Venetica portum
Appetit, & naves Roberti marte laceſſit:
Gens comitata Ducem cum Dalmaticis Raguſea
Telorum denſis conſternit jactibus æquor:

A Non tamen à portu procul audent ducere naves,
Caſtrorum dederat tutum vicinia portum.
Funibus inciſis quaſdam violenter ab ipſo
Littore propulſat vi turba Venetica ducit:
Non hoc terretur ducis imperterrita caſu
Mens aliud meditans, & adhuc certare parata
Majori ſtatuens, aliaſque adducere naves,
Quæ plus ferre queant, & plus inferre laboris,
Facta libens turbæ victricis Alexius audit
Roberto ſoliti, quos inſula quæque fovebat,
Ferre tributa, maris naves minus eſſe valentes
Dum ducis accipiunt: æqua feritate rebelles
Proponunt fieri: laus (20) perſonat imperialis
Imperii juſſu, ne belli præſcius hoſtis
Cautelas adhibens ventura pericula vitet,
B Montibus & fluvii munitur tranſitus omnis.
Irruere incauto ſic ſperat Alexius hoſte,
Invictumque ducem aſſultu ſuperare latenti,
Innumeras ducit varia degente catervas:
Maxima barbaricæ cum Græcis copia gentis
Hunc comitabatur: tamen ire Baſilius ante
Electorum equitum ſecum duo milia ducens
Caſtraque Roberti ducis explorare jubetur:
Meſopotamites erat hic, bellique labores
Expertus varios, ſequitur præcepta jubentis,
Cùmque Botrontinæ fieret jam proximus urbi,
Rumor adeſt, equites ducis haud procul ire ferentes
Non modicam prędam, cũ pars jam multa fuiſſet
Saucia, Turcorum, quos duxerat ille, ſagittis:
C Marte mori potiùs, quàm cędere turpiter Argis
Unanimes ſtatuunt, & convertuntur in hoſtes
Gente coarctata, quo prævaluere paratu:
Turci terrentur converſis hoſtibus illos
Acriter obniti, graviterque ferire videntes
Agmine ſtare nequit fugiente Baſilius horum
Et capitur fugiens: acies Normannica captum
Præſentare duci properat: Robertus ab illo
Omnia perquirit: quid tentet Alexius in ſe,
Vel quid inire velit, quantas ad bella cohortes
Moverit: adventum poſtquam dux eſſe propinquum
Hoſtilem didicit, quantis & Alexius illum
Impetat agminibus: proceres quos duxerat omnes
D Convocat, accitis, quæ noverat omnia, pandit
Et quid opus facto ſit, conſulit: effera quorum
Mens erat, audaci dimittere caſtra quibuſdam
Conſilio placuit: venientibus indubitanter
Hoſtibus occurrens, ut terreat impetus illos,
Eſſe refert melius dux non abſcedere caſtris
Copia dum propiùs conſpecta ſit Imperialis,
Et fruſtra queri vincendi prædicat artem,
Cùm niſi de Cœlo nulli victoria detur.
Is licèt egregios equites ſibi ſciret adeſſe,
Nil ineundo tamen temerarius eſſe volebat:
Congreſſura quidem gens innumerabilis eſſe
Dicebatur ei: nec adhuc natura virorum
Nota ſibi fuerat; catus unde ſagaciter omnes
Ordinat ante ſuos, & quæque paranda coaptat,
E Non à Dyrrachio procul expectare volebat
Hoſtiles cuneos, ſubitò venientibus illis
More locuſtarum montes & plana teguntur.
Proximus Oceano jam Sol erat: unde nec illis
Bella ſubire, nec his placuit: dant mẽbra quieti.
Dyrrachii populo mandarat Alexius omni
Hoſtis congreſſi poſt terga venire ſtuderet,
Ut tutus fieri nec retro nec ante valeret:
Caſtra cremat veniente die dux providus horum
Ut duce digreſſo ſit fas irrumpere nulli:
Commovit prior ipſe ſuas ad bella cohortes:
Agmina plura movens occurrit Alexius illi:
Cum

(18) *Hanc dicier Epiduarum. Leib.*
(19) Venetorum Dux erat Dominicus Sylvius. *Tirem.*
(20) Edictum. *Leib.*

Digitized by Google

Cum Langobardis Calabri terrentur & omnis
Pæne fugam petiit, fuerat qui sub duce nauta,
Ipsaque concursu primo terretur equestris
Gens ducis, hostilis dū prægravat impetus illam,
Venit ad angustos transgresso flumine quosdam
Hæc incauta locos: dux, ne quis ab urbe venire
Contra se posset, vel ad urbem pergere, pontem
Fecerat everti, loca dum sic arcta suorum
Impediunt aditus, vehementi nube teguntur
Undique telorum, nec major visa refertur
Grando sagittarum, locus & quia tutus abesse
Cœperat interea, cùm nec pugnare valerent
Cedere nec retro, se dilatare laborant
Præcipitando mari, quia nō minus hostibus ipsa
Turba coarctatis sibi plebibus officiebat.
Aspera Normannis angustia tanta videtur:
Imperialis eos exercitus exsuperatos
Defeciſſe putans, classisque Venetica victos
Quod caperet sperans, quæ proxima nabat in undis
Aggreditur spoliis inhians agitare rapinas,
Arripiuntur equi diversaque sarcina rerum,
Quas ducis accelerans ad prælia spreverat agmen.
Interea digressa, mari vix se sociara
Turba duci valuit, qui præter gressus iniqui
Exitiale loci multo sudore periclum,
In primis aderat, quem jusserat hic acierum
Ordo prior mutatus erat, miseranda locorum
Omnia mutari sic arctatura coëgit:
Gaudet adesse suos, & paucis vocibus illos
Dux prior hortatur, solum tutamen in armis
Affore conclamans, & si dant terga Pelasgis,
Quemq; trucidandum pecorino more minatur,
Captivis vitam morti prænunciat æquam.
His hortamentis accendit corda suorum,
Et licèt innumeras videat properare catervas
Partis Alexinæ, vix illo, quod sibi Papa
Ad Petri dederat summi pastoris honorem,
Et meritis Sancti, cujus fabricaverat ædes,
Matthæi fidens, non diffidenter in hostem
Irruit, atque ferox obsessa non procul urbe
Commisit bellum: superatur Alexius, atque
Terga dedere sui, quia plusquam millia quinque
Argolicæ gentis sunt hoc certamine cæsa;
Pars quoque Turcorum cum Græcis interit ingens,
Captus & armorum varius nitor est & equorū,
Captaque sunt Danaum diversi signa decoris:
Vix equites de gente ducis potuere perempti
Cerni trigiuta: lacrymatur Alexius hostem
Prævaluisse sibi, cui nec par copia gentis,
Nec par census erat, discedit saucius ipse,
Cogitur & lacrymans inglorius ille reverti,
Gloria cui fuerat frustra sperata triumphi:
Uxor in hoc bello Roberti fortè sagitta
Quadam læsa fuit, quo vulnere territa nullam
Dum sperabat opem, se pæne subegerat hosti,
Navigio cujus se commendare volebat
Instantis metuens vicina pericula læthi:
Hanc Deus eripuit, fieri ludibria nolens
Matronæ tantæ tam nobilis & venerandæ.
Occidit hoc bello regni spoliatus honore
Constantinus, & est subhumatus honore decēti:
Dyrrachii proceres amisit Græcia multos,
Quorum per campos inhumata cadavera tabent.
Dux in Alexinis remorari tempore castris
Non multo propter putrefacta cadavera curat.
Imperii jussis gens fida Venetica servat
Urbem Dyrrachii: dux hac digressus ab urbe
Pervenit ad quendā, cui nomen Divalus, amnē:
Hîc sibi castellum fabricans loca se comitatos
Per diversa locat, quibus incumbente pruina

A Temporis hyberni securi vivere possent.
Gens cruciat variis plerosque Venetica pœnis
Cum duce transgressos, non hunc ad bella secutos,
Qui profugi fuerant, studiis servilibus illos
Addicunt; alios ergastula carceris arctant
Ad patriam missos, alii traduntur Achivis.
Dyrrachii quidam, quem terra Venetica misit
Vir præclarus erat, nomenque *Dominicus* illi:
Oderat hic quendam, quia non se participabat
Consilio, sociis quod pluribus insinuabat:
Hunc quasi primatem gens illa studebat habere:
Dux dicebatur genuisse Veneticus illum,
Primatu tentat privare Dominicus illum,
Quendam de profugis Barinum convocat ad se
B Qui sibi charus erat fideique tenore probatus.
Hunc monet, ut noctu Roberti castra requirat,
Et se velle duci sua commoda pandere dicat,
Et properare loco moneat qui Petra vocatur:
Ecclesiæ Sancti Nicolai proximus iste
Est locus, hunc Robertus adit cum milite pauco,
Accitus, profugo redeunte, Veneticus illum
Convenit, & facilem promittit deditionem
Dyrrachii, nisi Dux sibi, quod petit, esse daturū
Abneget: ille libens jurando jure spopondit
Quod petit explendum, neptim pro conjuge dandam:
Colloquio facto remeavit uterque latenter:
Constituere priùs, quo tempore deditionem
Is foret acturus, quo tempore dux rediturus.
C Jamque dies aderat consensu utriusque statuta:
Dux Cusentinos quosdam, quos præfore cursu
Noverat, elegit: quosdam simul his sociavit
Electos equites, & ad urbem nocte quieta
Accelerans, cautè profugum præmittere curat,
Ut quod opus facto sit ab urbe renunciet ipsi.
Non modica noctis jam parte Veneticus illum
Præstolatus erat somno correptus, at illum
Perfuga Barinus mox evigilare coëgit.
Indicat adventum ducis, imperat ille, fideles
Absque favore suos celer introducat in urbem,
Ille redit, peditesque ducis facit ire priores,
Munia tradidit his custode carentia terris:
Tempore nocturno nullos fecere tumultus,
Albescente die variis clangoribus hostes
D Percipit ingressos urbs tota, Veneticus omnis
Arma capit, præter quos ille domesticus hostis
Roberto monitis allexerat, incola quisque
Hoste supergresso, fodit infra munia vallum,
Hostibus ut facilis non sit descensus ad urbem.
Jusserat à castris dux illa nocte cohortes
Accelerare suas, auditis iste suorum
Vocibus accurrens, has porta mittit ab omni.
Sic habitatores intusque foriſque videntes
Se se impugnari, male fida Venetica clamat
Agmina turbatus, fugit inde Veneticus omnis.
Quidam cæduntur, quidam capiuntur, ad æquor
Pars fugit Adriacum, sic evasere fugaces
Navibus impulsis. Quicumque Veneticus armis
Obstiterat, necnon ducis horum filius, urbe
E Sunt capti capta, dimotaque littore classis:
Sic sibi Dyrrachium Dux subdidit, atque quod armis
Vincere non potuit, victoria subjugat artis,
Et quæ pollicitus fuerat, post deditionem
Cuncta sibi gaudet completa Veneticus esse.
Interea populus Trojanus & Ascolitanus,
Alter jus soliti nolens explere tributi
Amplius, atque dolens eversis mœnibus alter,
Unanimes studio ducis invasere Rogerum
Hæredem egregium, qui sensu clarus & armis
Cum quantis poterat Trojana clausus in arce
Viribus obstabat: tandem properantibus illi
Auxilio sociis, patrisque, suique quibusdam

Digitized by Google

Dimissa ruit arce furens, populumque rebellem
Diversis punit cruciatibus, huic manus, illi
Pes erat abscissus, hunc naso, testibus illum
Privat, dentibus hos, deformat & auribus illos:
Sæpe soler captæ sic tigridis ira latenter
Dum nullos agitare potest inclusa furores,
Quæ si fortè valet ruptis excedere claustris
Quod videt omne vorat, rapit, insolitumque furorem
Exerit, occursus leo perfugit ipse furentis,
Quamvis ista minor sit corpore, fortior ille,
Robertus geminis exacto navibus anno
Adriacis undis, loca rursus ad Appula transit;
Is primogenito populum commiserat omnem,
Cui nomen Boamundus erat, pariterque Brieno,
Dux postquam Cannas sibi comperit esse rebelles
Obsidet, obsessas everrit humotenus illas.
Rex (21) erat, his genitus genitrice *Hermanus* eadem
Onfredi fuerat, qua filius *Abagelardus*,
Non tamen unus eis pater extitit, illa duobus
Est sociata viris: miles præclarus in armis
Frater uterque fuit, sed cessit uterque potenti
Roberto, cui vix par Orbe potentia toto.
Cannis destructis Romam molitur adire
Contra Gregori Romani præsulis hostem
Henricum, cujus jamdudum obsederat urbem
Plurima barbaries annis remorata duobus,
Altaque tormentis murorum mœnia fregit,
Et turres multas invictæ diruit urbis.
Jamq; sibi fuerat pars subdita Trans-Tyberina,

Gregorius quadi fuerat conclusus in arce (22),
Quæ munita satis, non expugnabilis ulli
Esse videbatur miri structura laboris,
Hanc & munierat fidæ custodia gentis:
Robertum tantos ubi novit inisse paratus,
Et sibi cum tantis inferre paratibus arma,
Rex fugit Henricus, Ducis hunc audacia terret
Et virtus totum jam notificata per Orbem,
Expectare verens hunc, ad loca tuta recessit.
Robertus Romam properans vi perforat urbis
Egregiæ muros (23): tamen auxiliantibus ipsi
Paucis Gregorii fautoribus, inde quibusdam
Ædibus exustis, violenter ab obsidione
Liberat obsessum jam tanto tempore Papam:
Hunc secum magno deducit honore Salernum (24).
Henrico rursus cupidi cessere Quirites
Post ducis abscessum, Papam concesserat illis
Ipse Ravennatem Guibertum (25), qui scelerata
Mente pari insurgens regnum præsumsit adire
Sedis Apostolicæ, Clemens à plebe vocatus.
Agmina Romulea Dux urbe reducta Salerni
Dimisit, nunquam par huic exercitus hæsit:
Millia sex equitum, trigiata millia Romam
Duxerat hic peditum: sic uno tempore victi
Sunt terræ Domini duo, Rex Alemanicus iste,
Imperii rector Romani maximus ille (26):
Alter ad arma ruens armis superatur, & alter
Nominis auditi sola formidine cessit.

(21) Rex hic pro rectore, sive gubernatore ponitur. *Leib.*
(22) Hæc fuit Adriani moles. *Leib.*
(23) Roberto ea pars urbis eversa est, quæ inter Lateranum, & Capitolium interjacet. *Tirem.*
(24) Ibi Gregorius interiit. *Tirem.*
(25) Hunc Guibertum Henricus in Lateranensi Basilica corona Pontificia publicè donavit. *Tirem.*
(26) Guiscardi virtutem insignes hæ victoriæ testantur. *Tirem.*

Explicit Liber Quartus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QUINTUS.

POst ubi Robertum cognovit Alexius esse
Æquore transvectum, vires reparare minutas
Nititur, absentisque ducis perfringere castra:
Hæc duo servabant vi consilioque potentes,
Filius ille ducis Boamundus, & iste Brienus:
Haud procul à Jamna non parvi nominis urbe,
Partis Alexinæ populus sua castra locarat:
Multiplici partem præmunit Alexius illam
Obice plaustrorum, quam pervia planicies
Ad pervadendam facilem vicinia reddit,
Ferrea cum tribulis omnes Saliunca viarum
Præpedit accessus, ut laxis hostis habenis
Dum dimittet equos, pedibus figatur equorum.
At nebula Danaum prospectus præpedientis,
Illuc Normanni per vitibus aspera densis
Plenaque carectis loca pervenere latenter:
Obstat congrediens paulisper Alexius illis,
Sed non instantes sufferre diutiùs illos
Evaluit, petiitque fugam victusque recessit:
Urbem Thessaliæ superatus marte secundo
Appetit egregiam, vulgus vocat hanc Salanichin, (1)
Et quia bellorum varios non ambigit esse
Eventus, conatur adhuc ad bella redire.
Gaudens audaci magìs agmine, quàm numeroso,
Exultans capti Boamundus honore Civisci
Obsidet insigni Lariſſam nomine claram,
Ad quam delatos thesauros Imperiales,
Quamq; opibus magnis audiverat esse repletã,
Prodiit hac auctor Trojanæ cladis Achilles.
Obsidione suæ turbatus Alexius urbis
Innumera cum gente venit, pugnamq; virilem
Contra Normannos exercuit; obvia namque
Pugnando cedit sibi gens comitata Brienum.
Non modicum spectans Boamundus collibus agmen
Imperii pariter rectorem credit adesse,
Irruit, & trepidos hostes, ut Nisus Alaudas
Insequitur, populo, Græcorum exercitus, hujus
Terga dat, at tantus contexit pulvis utrunque,
Ut neuter videat quorsum pars altera tendat:
Abdita Sylvarum victi petiere Pelasgi.
Occisis victor redit ad montana quibusdam,
Si qua parentur adhuc ipsi certamina spectans:
Hostes digressos ubi novit Alexius esse,
Lariſſea petit multo cum milite castra.
Dimissi castris pedites majoribus hostem
Viribus urgentem non armis ferre valentes
Vincuntur, major pars occidit & fugitiva
Pars minor abscedit: spoliorum quicquid ab omni
Victrix turba loco contraxit, Alexius effert.
Nuncius ad montem Boamundo pandere casus
Adversos properat, qui se speraverat esse
Victorem, victam partem dolet esse suorum:
Nil tamen ipse pavens, Comites sibi dissociatos
Associare studet: nequeunt incõmoda mentem
Perterrere viri, magìs obsidione solutam
Urbem conqueritur jam victam, jamq; subactã.
Marte fatigatos jam nox admota quieti
Tradere membra monet, vallem Boamundus opacam
Haud procul inde petit, quæ cuncta sibiq; suisq;
Apta ministrabat, sua dant ibi membra sopori.

A Plurima post triduum duo conduxere potentes
Agmina Græcorum Boamundo bella parantes:
Alter *Germanus* Augusti *Melissianus*,
Alter cognatus, nomen fuit huic *Adrianus*.
Normanni solitæ memores virtutis ad arma
Concurrunt celeres, solitique fugacibus Argi
Elabi pedibus, redeunt properanter ad urbis
Mœnia Lariſſæ, (2) qua clausus Alexius ipse
Non procul audebat toties superatus abire,
Nec minus & Turci clauduntur in urbe fugaces.
Taliter obsessus populus Normannicus illis
Non remanere diu valuit, quia terra labores
Passa rapinarum, victus alimenta negabat,
Et nuper captis fuerant sua perdita castris;
Milite diviso vitæ Boamundus ad usus
B Quærit Ebellonæ loca, Castoreæque Brienus:
Dimissa magna Salonicæ parte suorum
Ad propriæ sedem remeavit Alexius urbis,
A Constantino, quæ sumpsit condita nomen.
Gens redit interea Venetûm ratibus reparatis,
Atque requisitam nullis prohibentibus intrant
Urbem Dyrrachii, quia rarus in urbe manebat
Civis, egestatis dispersérat undique cives
Insolitæ casus: remorans ter quinque diebus
Gens studet utilibus vacuare Venetica rebus
Dyrrachium, sed præsidiis munitio tuta
A duce dimissis, castelli jura negavit:
Hoc non posse capi postquam vidére, recedunt.
Audito reditu geniti ducis advenientis
Ingressique rates communiter æquore multas
C Erexere trabes, & parvæ fit modus urbis:
Castro composito de lignis, omnia classis
Instrumenta suæ gens provida, seque locavit.
Sicque sub ædiculis algenti tempore contra
Nimbosas hyemes remorantur in æquore tuti.
Jam cedebat hyems, & verni temporis auræ
Spirabant placidæ, cùm navibus omnibus omnes
Ad Corisum properant, hæc complacet insula cunctis:
Classis Alexinæ dux *Mabrica* venerat illuc.
Inde placet nautis repetenda Venetia multis,
Mutuus ut fieri valeat redeuntibus illis
Abscessus, comitum patriam sic quisque revisat.
Hoc statuunt fieri, Roberti namque regressus
Protrahitur nimiùm, diuturna negotia rerum
D Absumendarum sint illis causa suarum.
Tempore Robertus multis intentus in illo
Præcipuas contra Jordanem bella gerendi
Curas, infectum nil dimissurus, habebat,
Propterea Latio non ipse redire volebat.
Jordanis princeps perterritus adveni entis
Henrici fama, non armis obviat illi
Ut se se finesque suos tutetur ab illo,
Sed firmæ secum componens fœdera pacis
Illi se subigit, genitus conceditur obses,
Et cum prole dedit solidorum munera multa,
Hoc, ne privetur dominatûs jure paterni
Fecit, si regi sit ad Appula transitus arva.
Et quia Jordanis ditioni cesserat ejus,
Dux hujus terras ferro populatur & igni.
E Inde nepos petiit pacem, recipitque petitam
Gregorio Papæ, sedatis omnibus ante
Quàm repetat fines Græcorum, supplicat orans,
Dedicet Ecclesiam, quam fecerat hic ad honorem
Matthæi Sancti, placidus favet ille precanti.
His ita completis, animos intendit ad illud
Pro-

(1) Victus Alexius Salanichim confugit: Salonicem, quæ olim Thessalonica. *Tirem.*

(2) Lariſſæ plures sunt, de quibus Strabo lib. 9. Hæc in Macedonia sita est, quæ hodie Larizo nomen habet. *Tirem.*

Digitized by Google

Propoſitum, quod mente diu tractarat agendum.
Electos igitur nautas, & quos magis aptos
Militiæ novit, ſecum facit ire Tarentum:
Huc cum gente ſua navis convenerat omnis,
Claſſis magnificos ibi militiæque paratûs
Inſtruit, expenſis naves implentur & armis.
Portum Brondiſii qui tutior eſſe videtur
His comitatus adit: tranſire veretur Hydronti,
Quò brevior tranſcurſus erat, quia tempus adeſſe
Cœperat Autumni, tranquilla receſſerat æſtas;
Unde timens ratibus, mora ne qua noceret Hydronti
Ex tempeſtatis ſubitis incurſibus orta;
In portu tuto fit tutus claſſe recepta,
Expectat flatus prudenti mente ſecundos:
Inde valefaciens uxori littore ſtanti,
Reſtantique ſimul populo cum conjuge, cœpit
Finibus Auſoniis jam non rediturus abire.
Armatis centum viginti navibus æquor
Transfretat Adriacum genito comitante Rogero,
Qui patris eſſe ſequax armorum ſtrenuitate,
Et placida cunctis affabilitate ſtudebat.
Duxit præterea naves, oneraria quarum
Lex erat, has & equis ſumptuque replevit & armis
Et variis rebus, quas æquoris exigit uſus.
Æquore tranſvectus exercitus ille, coëgit
Quem ducis egregii ſervabat filius alter.
Exegere ferè menſes in littore binos,
Tempeſtate gravi bellum differre coacti.
Temperie placida portum redeunte relinquunt,
Et contra Venetûm naves, Danaumque Chelindros
Certamen navale parant, dux quinque triremes
Ducit, ducendas commiſit quinque Rogero,
Roberto totidem fratri, totidem Boamundo.
His aderant ratium ſuffragia juncta minorum.
Innumeras bello Danai duxere Chelindros:
Altera turba novem confiſa triremibus altis,
Quas habiles bello magis eſſe Venetia novit,
Roberti naves dum conſpicit inferiores
Eſſe ſuis, audacter eis congreſſa reſiſtit,
Atque interpoſitis Danaum præſulta Chelindris,
Jactibus innumeris telorum deſuper hoſtes
Sauciat, & ferri ſe pondera magna minatur
Jacturam, ne claſſis eis inimica propinquet.
Vix in ea navi, quæ fert ad bella Rogerum
Quilibet illæſus reperitur, & ipſe lacerto
Saucius, obſtanti ſtat cedere neſcius hoſti
Immemor illati ſibi vulneris, ardor honoris,
Quantus adeſſe ſolet victoribus, incitat illum.
Hinc pater inſigni decoratus ſæpe triumpho
Accit, & accitum majori claſſe Chelindros
Diſſociare jubet, patris impiger ille jubentis
Juſſa ſequi properans, cum quinque triremibus illis,
Quæ ſibi commiſſæ fuerant, inferre Chelindris
Bella parat, Danai nihil hoc pugnante repugnant;
Sed paſſim fugiunt, ut aves obſtare volanti
Non audent Aquilæ, curſuque latêre fugaci
Coguntur lepores, dum ne rapiantur, aduncis
Unguibus & roſtro metuunt cibus eſſe voraci.
His ita dimotis ſtat ſola Venetica claſſis.
Robertus genitique ſui dum ſtare fugatis
Græcorum ratibus ſolas videre triremes,
Invaſere ſuis cum navibus acriter illas;
Tamque fuit vehemens impulsûs impetus harum,
Ut ſeptem merſis non poſſe Venetica claſſis
Elabi ſperet, ſolis ſed ſtare duabus

A Navibus ad bellum nil profuit, hoſtibus omnes
Cedere coguntur: ſolito dux more triumphat:
Claſſe triumphata ſecum duo millia victor
Ad portum ducit de pugnatoribus iſtis,
Qui magis obſtiterant, quorumq; audacia major:
Præter eos alios quingentos annumeravit,
Qui capti fuerant. Septem, fugientibus Argis,
Argolicæ naves ſunt hoc certamine captæ;
Qui caſtrum Corifi ſervare fideliter illi
Solliciti fuerant, ſolvuntur ab obſidione
Quam paſſi fuerant dux dum metuendus abeſſet.
Exin victrices, & victas ducere naves
Procurat, tutis ſtationibus ut locet illas
Temporis Hyberni dux incumbente pruina:
Has ratione ſagax Clicæum ducit ad amnem:
B Naves & nautas ibi collocat, & remorari
Dum placidè redeant, æſtatis tempora, juſſit.
Ipſe ſuos equites hyemali tempore ſecum
Bundiciam ducit manſurus, ibique moratur
Clicæo populum, fuerat qui proximus amni,
Aſperior ſolito languere pruina coëgit:
Frigoris atque famis pars maxima paſſa labores
Interit, & tantæ creſcunt incommoda peſtis,
Ut priùs exactus menſis quàm tertius eſſet,
Sint prævenia decem quaſi millia morte virorũ,
Nec reliquus tantæ necis eſt exercitus expers.
Namque brevi morbus communi clade peremit
Quingentos equites, nec non ignobile vulgus
Magna parte ruit: nec eques, nec nauta, nec ullus
Vir valet inſtantis lethi vitare ruinam:
C Nulla tamen frangunt ducis infortunia mentem;
Fortis & in caſus manet imperterritus omnes,
Filius ægrotans poſcit Boamundus, ut ipſum
Italiæ remeare pater permittat ad oras,
Quę medicis multis medicaminibuſq; redundat:
Ille licèt nolens conſentit abire volenti,
Tam claræ ſobolis cupiens reparare ſalutem.
Danda receſſuro dedit. Hoc abeunte Rogerum
Juſſit adire ſuo cum milite Chephaloniam,
Ut tanta fuerat quæ tempeſtate rebellis,
Victa refrenetur, hæc inſula dum capietur.
Undique terrendas Græcorum noverat urbes:
Juſſa patris ſequitur, juſſamque Rogerus ad urbem
Cum ducis agminibus properavit & obſidet
D illam:
Dux repetit poſitas Glicæo flumine naves,
Et ſtudet incluſas abducere, non minùs undis
Quàm terris avidus Græcos domitare tumaces.
Bella parare ferox & equis & claſſe laborat,
Navibus adductis turbetur ut Inſula quæque,
Conferat & fiſco ducis Imperiale tributum.
Temporis æſtivi rediɛu defecit aquarum
Copia, nec tantis jam defuit alveus undis,
Ut fluvio nautæ valeant deducere naves.
Dux qui difficilem facilem facit arte laborem,
Dum fluvium ſolitis cognovit egere fluentis,
Namq; meatus aquæ brevis arcta fauce fluebat,
Multos afferri palos, & ab amnis utraque
Margine configi connexos vimine juſſit,
E Et multis multa præciſis arbore ramis
Compoſuit crates, & arenis deſuper implet,
Sic aqua laſcivè diſperſa refertur in unum.
Alveus altior hinc, cœpitque capacior eſſe,
Cogitur unde viam præbere meabilis unda
Navibus, illæſæque maris revehuntur ad undas.
Vir venerabilis hoc in tempore Papa Salerni
Gregorius moritur (3), quem nec perſona nec auri
Unquam flexit amor, juſtum ſervare rigorem
Semper propoſuit, non cor dare læta valebat
Abſque modo lætũ, nec triſtia reddere mœſtum:
Solator mœſti, lucis via, doctor honeſti

Le-

(3) Gregorii Papæ interitus anno 1085. *Tirem.*

Digitized by Google

Legibus arcebat tumidos, humileſque fovebat:
Terror iniquorum, clypeus fuit ille proborum,
Atque ſalutiferi ſpargendo ſemina verbi,
Nunquam ceſſavit populum revocare fidelem
A vitiis ad eos, quibus itur ad æthera, mores,
Vitaque doctrinæ non diſcordare ſolebat.
Non fuit inſtabilis vel arundineæ levitatis.
Dux non ſe lacrymis audita fortè coërcet
Morte viri tanti: non mors patris ampliùs illum
Cogeret ad lacrymas, non filius ipſe, nec uxor,
Extremos etſi caſus utriuſque videret.
Magnus erat de morte dolor, quia magnus amoris,
Vivere dum licuit, nexus conjunxerat illos:
Alter ab alterius nunquam diſceſſit amore
Firmatæ quondam poſt mutua fœdera pacis.
Eccleſia Sancti Matthæi Papa ſepultus
Nobilitat tanti theſauro corporis urbem:
Hanc quia translatus Matthæus Apoſtolus alti
Nominis eſſe facit, meritumque Vicarius iſte
Auget ibi poſitus: præ cunctis urbibus unam
Dux elegiſſet, ſibi vivere ſi licuiſſet.
Verùm Gregorii poſt mortem præſulis illi
Ad loca non licuit Latii dimiſſa redire.
Continuis hujus ſoboles generoſa Rogerus
Perterrere minis non ceſſat Cephaloniam:
Inſula Roberto proponitur eſſe petenda,
Ad quam miſſus erat capiendam filius ejus:
Navim conſcendens, quàm caſtra reviſere poſſit,
Febre priùs capitur, flagrare Canicula fervens
Cœperat, æſtiva cujus ſæviſſimus ardor
Tempeſtate ſolet mortalibus eſſe nocivus:
Uxor ab Italia non multò venerat ante,
Et caſtris aderat, dum nati caſtra reviſit
Dux, quibus exierat Populo cum claſſe relicto.
Hæc ubi Robertum cognovit febricitare,
In quo tota ſui ſita ſpes erat, utpote tanto
Conjuge, diſciſſis flens veſtibus, acceleratis
Curſibus acceſſit, quæ defeciſſe maritum,
Extremoſque videns caſus inſtare propinquos,
Ungue genas lanians, impexos ſciſſa capillos
Proh dolor! exclamat, quid inibo miſerrima, vel quò
Infœlix potero diſcedere? nonne Pelaſgi
Audita me morte tui, natumque, tuumque
Invadent populum, quorum tu gloria ſolus
Spes, & robur eras, tua quos præſentia fovit,
Extremis poſitus quia te præſente tuorum
Hoſtis nemo minas, congreſſus nemo timebat?
Pluribus & quamvis acies adverſa catervis
Obſita non paucis, tua quos animatio tutos
Fecerat, audebant cõmittere bella, nec unquam
Te viſo potuit mundana reſiſtere virtus:
Filius ecce lupis ſinitur rapiendus, & uxor,
Et populus nunquam ſinè te ſecurus habendus,
Te quia, qui populi fueras audacia noſtri,
Amiſſo populus non audax eſſe valebit:
Quodlibet ignavum poterit præcellere vulgus,
Impia mors homini, quo tot pereunte peribunt,
Parce precor, precibus quę cõdeſcendere neſcis,
Expecta ſaltem dum nos ad noſtra reducat,
Ut locus excipiat nos poſt ſua funera tutus.
Ah miſeram! fruſtra precor hanc, ingrata precanti
Cùm ſemper fuerit, nulliq; pepercerit unquam:
Nec minus & flenti flens cum genitrice Rogerus
Magnos cum gemitu clamores tollit ad aſtra,
Se priùs orbatum lacrymans patre, quàm vel habendi
Parta, vel ad plenũ ſit gnarus habenda parandi,
Sectarique ſciat virtutis facta paternæ.
Aſtantis populi lacrymas quis lumine ſicco
Inſpiceret? quis tam patiens, tam ferreus eſſet,

A Ut non mœſtitiam tot paſſis compateretur?
Inter tot lacrymas cum Corpore Sanguine Chriſti
Accepto, moriens vita ſpoliatur amica:
Sic & in exilio robuſti principis artus
Spiritus exutos dimittit, & exanimatur, (4)
Qui fortes animos aliis inferre ſolebat,
Se præſente ſuis nil paſſus adeſſe timoris.
Non remanere viri Græcorum partibus uxor
Corpus paſſa, ſuis conatur reddere terris,
Quamque magis celerem cognoverat eſſe galeram
Scandit, ibi poſito Roberti corpore tranſit,
Mortuus ut rediens Latio ſolatia præſtet,
Cui non fas vivo fuit ad ſua regna reverti.
B Caſtra Rogerus adit patris, interituſq; paterni
Notitia populum communicat anxius omnem,
Conſiliumque petit, privandum namq; fatetur,
Ni redeat properè, ſe juris honore paterni,
Hæredem cujus pater hunc indixerat eſſe:
Illi promittunt omnes ſe corde fideli
Sicut ſervierant patri ſervire paratos,
Sitque coadjutor tranſgreſſibus æquoris illis
Unanimes rogitant, populo favet ille roganti:
Se tamen expectet, dum Cephalonia petatur
Inſula, qua ſocios dimiſerat, obſecrat omnes
Et nullius, ait, fidei me jure vocare
Deberet populus dimiſſus in obſidione,
Abſcedens ejus ſi caſtra reviſere nollem,
Et patris interitum, quem vobis notificavi,
C Diſceſſumque meum non illis notificarem.
His dictis ad caſtra ſuæ redit obſidionis,
Defunctumque patrem, ſe velle recedere pandit:
Acturos referunt ſe quiſque quod egerit ille,
Obſequiique ſui cœptis deſiſtere nolle,
Si condigna tamen ſibi convenientia detur.
Taliter amoto ſua caſtra petente Rogero,
Gens aliis caſtris tanto remorata pavore
Concutitur, quòd ſe millatenus emorituram
Elapſum ſperat, quaſi vita ſaluſque negetur:
Omnes ſi Danai, gens Perſica, gens Agarena
Hos invaſiſſent, & ab omni climate mundi
Affluēret populus, peteretque armatus inermes,
Non illa hac formido foret formidine major,
Mors unius erat multorum cauſa pavoris:
Innumeras gentes, duce qui vivente ſolebant
D Vincere, defuncto paucis obſtare timerent:
Millibus eſſe decem ſic ſæpe valentior unus,
Atque fugare viri duo millia mille probantur.
Hoſtis ne ſubeat majori claſſe cremata
Territa gens ſtuduit naves ſervare minores,
Æquor ut Adriacum tranſvecta pavore levetur.
Tantus erat terror, nec opes, nec pallia curant,
Omnia poſtponunt, & corpora ſola carinis
Supplicibus precibus poſcunt inducere nautas,
Atque licèt naves à terra longiùs eſſent,
Pars conſcendit equos, ut perveniatur ad illas,
Dimiſſis & equis imponunt corpora tantùm:
Pars natat, ut nando valeat conſcendere navem:
Pars tamen illorum major, quia non remeare
Navibus evaluit, remanens ſe mancipat Argis,
E Quique timebantur timidi ſervire Pelaſgis
Incipiunt, animi pulſa feritate ferocis.
Jamque rates fuerant ſecus Appula littora ductę,
Tempeſtas tumidũ quatit intolerabilis æquor:
Naufragium paſſi quamplures ſunt ibi nautæ:
Pars hominum cum claſſe perit, fractaque procellis
Qua fuerat corpus tranſvectum nobile, navi,
In mare delapſum non abſque labore cadaver
Extrahitur, fœtor ne prodeat inde nocivus,
Viſcera corque ducis ſubhumari juſſit Hydrõti
Prædita conſiliis ſemper prudentibus uxor,

(4) Robertus Guiſcardus obiit ex Onuphrio & Sigon. anno ſalut. 1085, Colenutio autem 1082. *Tirem.*

Digitized by Google

Et multo reliquum condunt aromate corpus,
Hinc deportari Venuſinam fecit ad urbem,
Qua fuerant fratrum conſtructa ſepulchra priorum:
Hos prope cum magno Dux eſt ſubhumatus honore.

A Urbs Venuſina nitet tantis decorata ſepulchris.
A Caroli Magni vel tempore Cæſaris unquam
Nullos terra pares produxit fratribus iſtis.
Hîc ſubhumatorum fabricata juſſibus horum
Eccleſia, cujus decor urbis prænitet hujus:
Det veniæ munus Rex illi Trinus & Unus.

Explicit Liber Quintus.

Noſtra, Rogere, tibi cognoſcis carmina ſcribi
Mente tibi læta ſtuduit parêre Poëta:
Semper & auctores hilares meruere datores;
Tu duce Romano Dux dignior Octaviano,
Sis mihi, quæſo, boni ſpes, ut fuit ille Maroni.

FINIS.



UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

CHR

Digitized by Google

CHRONICON
BREVE
NORTMANNICUM
AB ANNO MXLI. USQUE AD ANNUM MLXXXV.

AUCTORE ANONYMO
Nunc primùm è MSto Codice
NERITINÆ ECCLESIÆ
EDITUM.

UNIVERSIDAD CE... BIBLIOTECA ... DERECHO

Digitized by Google

Digitized by Google

IN BREVE CHRONICON NORTMANNICUM.

MONITUM LUDOVICI ANTONII MURATORII.

HAbemus Chronica permulta, eaque insignia, ac edita, quibus describuntur praeclara Nortmannicae gentis gesta in Apulia, Calabria, atque Sicilia. Collectio nostra, uti statutum est, singula complectetur. Nunc autem editis adjungo breve hoc non antea editum quod exordio facto ab Anno 1041. ad mortem usque celebratissimi Principis Roberti Guiscardi Apuliae Ducis, hoc est ad Annum 1085. deducitur. Postremae ejusdem lineae tempus indicare videntur, quo haec literis consignata sunt. Legitur nempe in fine. *Succedit Roberto Rogerius filius ejus, pater Willelmi Tertii Ducis Apuliae, qui nunc feliciter ducatur.* Robertus Guiscardus post se reliquit *Rogerium* cognomento *Bursam*, sibi quoque successorem in Apuliae Ducatu. Genuit Rogerius ex Adela conjuge *Guilielmum*, qui Anno 1111. patri succedens in Ducatu, eum tenuit ad Annum usque 1127. quo tempore sub finem Julii vitam cum morte mutavit. Hujus Principis mentionem habent Falco Beneventanus, Alexander Telesinus, Ordericus Vitalis, aliique Sctiptores. Quare ante Annum 1127. Historiola haec scripta videtur, adeoque non contemnenda. Debeo illam Nobili, simulque Literarum amantissimo Viro, Ignatio Mariae Como Neapolitano, qui exemplar obtinuit a praeclarissimo, & doctissimo Viro Petro Polidoro. Monente autem Polidoro ipso, descriptus fuit hic Libellus ex Codice MSto Archivi Episcopalis Ecclesiae Neritinae (*di Nardò*), & collatum cum altero Clarissimi Viri Jacobi de Franchis, & unius ex Marchionibus Taviani. Neritinus Codex circiter Annum 1530. scriptus videbatur; alter vero ex scripturae forma, aliisque conjecturis credebatur exaratus sub finem Seculi XII. aut initium sequentis XIII. Ignotum est mihi, quanam ratione post Annum 1074. tres Anni exciderint. Erit & hujus Opusculi usus, ubi Chronologicae controversiae occurrunt de Nortmannicae gentis prioribus gestis in Apulia atque Sicilia.

Digitized by Google

Digitized by Google

Incipit Chronicon Northmannicum de rebus in Japygia, & Apulia geſtis contra Græcos.

Anno MXLI. NOrthmanni Duce Harduino Langobardo primùm invadunt Apuliam cum exercitu magno, & forti.

Anno MXLII. Menſe Martio Northmanni committunt prœlium in Apulia cum Michaële Protoſpatario Imperiali, qui vocabatur Dulchianus, & vincunt eum. Menſe Madio iterum ab iis factum eſt prœlium, & iterum victi ſunt Græci, & Protoſpatarius. Et in Apulia captæ ſunt multæ civitates, & loca, quæ erant Græcorum, & Imperatoris Michaëlis, cui hoc anno ſucceſſit Conſtantinus.

Anno MXLIII. Meniachus Magiſter cum exercitu Græcorum fecit prœlium contra Northmannos circa Materam, & fuit magna plaga in utroque exercitu.

Anno MXLV. Argyrus Barienſis Imperialis Catapanus, & Dux Græcorum, vadit in Tarentum contra Northmannos, & vincit eos; & deinde vadit in Tranum, & vincitur ab eis, Duce Guillelmo Ferrebrachio, qui intitulatus eſt primus Comes Apuliæ.

Anno MXLVI. Factum eſt iterum prœlium in Apulia inter Græcos, & Northmannos. Et iſti fugaverunt, & diſſipaverunt exercitum Græcorum; & fuit Drogo Dux eorum, qui fuit ſecundus Comes Apuliæ.

Anno MXLVIII. Northmanni iverunt contra Græcos in Calabriam, & invaſerunt eam, & victi ſunt Græci circa Tricaricum. Humphredus capit Trojam, & facit caſtrum in Bachareza.

Anno MLI. Drogo interficitur in Apulia, & ſuccedit Humphredus.

Anno MLII. Fit prœlium cum Argyro Catapano Græcorum, & à Northmannis iterum fugatur exercitus ejus circa Tarentum. Et item factum eſt prœlium circa Crotonem in Calabria, & victus eſt Sico Protoſpata. Et dominium Northmannum factum eſt magnum in Calabria, & Apulia; & crevit potentia, & timor eorum in omni terra.

Anno MLIII. Northmanni bellum gerunt cum Leone Papa, & Principe Beneventano, & Catapano Imperiali in Principatu Beneventi; & fugatur Rodulphus Princeps, & Leo Papa capitur ab Humphredo, & Northmannis; & fit magna ſtrages in menſe Junio.

Anno MLIV. Moritur Conſtantinus Imperator, qui cognominatus eſt Monomachus; & poſt eum imperat Theodora, quæ fuit Conſtantini, & Soror Zois Imperatricis Auguſtæ.

Anno MLV. Humphredus fecit prœlium cum Græcis circa Oriam, & vicit eos. Gaufredus Comes comprehendit Neritonum, & Litium. Robertus Comes ivit ſuper Callipolim, & fugatus eſt iterum exercitus Græcorum in terra Tarentina, & captum eſt Hydrontum, & Caſtrum Minervæ.

Anno MLVI. Mortuus eſt Humphredus, & intravit Comes Apuliæ Robertus, qui dictus eſt Guiſcardus. Factum eſt prœlium menſe ſeptembri circa Tarentum, & Græci victi ſunt, & facta eſt magna ſtrages hominum à Tarento uſque ad Hydrontum, & omnes Urbes, & Terræ factæ ſunt de Dominio (*vel* Hominio) Northmannorum. Moritur Theodora Auguſta, & ſuccedit Michaël, qui dictus eſt Stratonicus.

Anno MLVII. Michaël deponit Imperium, & intrat Imperator Iſacius.

Anno MLVIII. Fuit magna fames in terra Tarentina, & Calabria; & poſtea vênit peſtis, & mortui ſunt homines cum animalibus in numero maximo in menſe Madio.

Anno MLIX. Robertus Comes Apuliæ factus eſt Dux Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ à Papa Nicolao in civitate Melphis; & fecit ei Hominium de omni terra. Imperator Iſacius renuntiat Imperium, & fit Imperator Conſtantinus Ducas.

Anno MLX. Menſe Madio comprehenſa eſt civitas Tarenti per Ducem Robertum: Et poſtea ivit ſuper Brunduſium, & cepit eam. Malgerus Comes ivit ſuper Oriam, & fugavit Græcos ab ea. Menſe Octobri vênit Miriarcha cum expercitu Imperiali, & fecit prœlium magnum contra Robertum, & Malgerum, & fugavit Northmannos, & iterum recuperavit eas cum aliis terris, & Hydrunte.

Anno MLXI. Menſe Ianuario Rogerius Comes intravit Mandurium, & Robertus Dux cõprehendit Acherontiam, & ivit contra Græcos obſidentes Melphim, & fugavit eos.

Anno MLXII. Robertus Dux cepit iterum Brunduſium, & fugavit Græcos, & comprehendit Miriarcham in prœlio, & poſtea ivit ſuper Oriam, & iterum cepit eam, & fecit Caſtrum in Mejana.

Anno MLXIII. Menſe Aprili mortuus eſt Gaufredus Comes, & Goffridus filius ejus cepit Tarentum, deinde

ivit

ivit ſuper Caſtrũ Motulę,& comprehendit eam, & caſtellum ejus.

Anno MLXIV. Robertus Comes cepit Materam in menſe Aprili; & menſe Junio Goffridus Comes comprehendit Caſtanetum. Et menſe Septembri mortuus eſt Malgerus Comes, & deinde mortuus eſt in Tarento Guilielmus Comes ejus.

Anno MLXVII. Mabrica cum exercitu magno Græcorum fugavit Northmannos, & iterum intravit Brunduſium, & Tarentum. Poſtea aſcendit ſuper Caſtanetum, & recepit eam. Moritur Conſtantinus Ducas, & reliquit Imperium Eudocię uxori,& filiis ejus; quæ iterum fecit nuptias cum Romano, qui dictus eſt Diogenes, & ipſe factus Imperator.

Anno MLXVIII. Goffridus Comes obſedit montem Pilloſum, & comprehendit eum in menſe Junio. Menſe Octobri captum eſt iterum Hydrontum, & fugati ſunt Græci ab ea.

Anno MLXIX. Factum eſt prœlium in campo Litii, & fugati ſunt Græci; & Robertus Dux cepit Gavinum, Obbianum, & Barim.

Anno MLXX. Robertus Dux deſcendit ſuper Brunduſium, & Goffridus Comes vênit cum exercitu magno & forti in navibus, & facta eſt inter eos, & Mabrica crudelis dimicatio, & occiſio hominum in obſidione ejus.

Anno MLXXI. Idem Robertus Dux cepit Brunduſium. Moritur Humbertus frater ejus. Romanus Imperator deponitur, & excœcatur, & ſuccedit Michaël Ducas filius Conſtantini.

Anno MLXXII. Idem Robertus Dux cum exercitu navali vadit ad capiendam Siciliam Inſulam, & Goffridus Comes obſedit Panormum,& cepit eam. Et menſe Junio intravit Robertus glorioſus in Panormum, & fugavit Saracenos ab ea, & fecit triumphum magnum.

Anno MLXXIII. Northmanni, & Petronius Comes menſe Januario ceperunt civitatem Tranienſem. Et Robertus Dux glorioſus reverſus de Sicilia fugavit Petronium Comitem circa Barim, & iterum comprehendit eam, & inimicatus eſt Petronius Comes cum Rogerio.

Anno MLXXIV. Idem Robertus Dux ivit in Campaniam, & cepit multas Civitates cum Civitate Salerni, & inimicatus eſt cum Papa Gregorio.

Anno MLXXVIII. Petronius Comes cepit Tranium. Michaël Ducas privatur Imperio à Nichephoro, qui dictus eſt Botoniates, & ipſe factus eſt Imperator.

Anno MLXXIX. Petronius Comes intravit iterum Barim. Abiligardus Comes ivit ſuper Trojam, & fugavit Boamundum filium Roberti Ducis, & obſedit, & cepit Aſculum, & iterum Robertus Dux recuperavit eam. Poſtea factum eſt prœlium ibidem, & fugatus eſt Abiligardus cum Militibus ſuis, & fugit in Conſtantinopolim, & ibi mortuus eſt inimicus Duci Roberto.

Anno MLXXX. Robertus Dux intravit iterum Tarentum, & Caſtanetum. Poſtea ivit cum exercitu ſuper Barim, & fugavit Petronium, & iterum comprehendit eam cum Civitate Trani. Et amicatus eſt cum Gregorio Papa in Menſe Junio, & confirmata fuit ab illo omnis Terra, quam habebat Robertus Dux in Apulia, Calabria, & Sicilia. Nichephorus Imperator deponitur, & fit Imperator Alexius.

Anno MLXXXI. Michaël Ducas, qui fuerat expulſus à Nichephoro vênit in Brunduſium, & petiit auxilia contra Alexium à Duce Roberto; & Dux Robertus ivit cum eo ad Hydrontem, & ordinavit pro eo exercitum navalem multarum navium, & deinde cum eodem Michaële ivit ad Inſulam Corcyram, & cepit eam. Deinde ivit contra Dyrrachium cum XV. millibus hominum; Et factum eſt prœlium in Dyrrachio, & à Roberto fugatus eſt Alexius. Et Robertus Dux cepit Dyrrachium, & obtinuit victoriam magnam contra Græcos ſuper eum.

Anno MLXXXIV. Gregorius Papa obſidetur Romæ ab Henrico Rege, qui conſtituerat Papam Guibertum Archiepiſcopum Ravennatenſem, & fecit Schiſma in Eccleſia, & fuit ibidem coronatus ab eo. Gregorius verò vocavit ad auxilium ſuum Robertum Ducem cum multitudine maxima Northmannorum in menſe Madio, & liberatur ab eo, & adductus fuit in Salernum, & Henricus Rex fugatus eſt de civitate Romæ, & rediit in Theutoniam.

Anno MLXXXV. Robertus Dux vênit Brunduſium cum exercitu Northmannorum magno & forti, & miſit ſe in navibus in mari in menſe Aprili, & ivit contra Venetos ad expugnandam Caſſiopim. Et factum fuit prœlium in mari, & victi ſunt Veneti à Duce Roberto. Moritur Salerni menſe Madio Gregorius Papa, & ipſe Dux moritur in Caſſiopi menſe Julio. Corpus ejus reportatum eſt in Brunduſium in menſe Septembri, & fuit ſepultum in Eccleſia Sancti Sabini in civitate Venuſii, ſicut ipſe ante mortem præceperat. Cor autem, & interiora ejus ſepulta ſunt in Hydronte. Succedit Roberto Rogerius filius ejus Pater Willelmi III. Ducis Apuliæ, qui nunc feliciter ducatur.

Explicit Chronicon Northmannicum.

Digitized by Google

GESTA
TANCREDI PRINCIPIS
IN EXPEDITIONE HIEROSOLYMITANA

AUCTORE

RADULPHO CADOMENSI
EJUS FAMILIARI

CUM OBSERVATIONIBUS

CLARISSIMORUM VIRORUM

EDMUNDI MARTENE,

ET

URSINI DURAND

PRESBYTERORUM MONACHORUM S. BENEDICTI
E CONGREGATIONE S. MAURI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN GESTA TANCREDI
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

LIbrum hunc *Radulphi Cadomenſis* in lucem primi protulerunt Anno 1717. Pariſiis Clariſſimi Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri Edmundus Martene, & Urſinus Durand in Theſauro novo Anecdotorum Tom. III. pag. 112. Conſilium cepi rurſus edendi, quamquam non ſatis firma ratio hoc mihi ſuaderet. Nam Scriptor Cadomi, hoc eſt in Normannia Gallica Provincia natus eſt; quae vero is narrat, non ad Italiam, ſed ad Orientem pertinent. Et tamen ſum paſſus me vinci, quod *Boamundus* & *Tancredus* quorum egregia facta heic referuntur, in Expeditione Hieroſolymitana Italicae militiae capita fuere, ipſique, ut veri prorſus mihi ſimile videtur, in Italia nati. Quod eſt ad *Boamundum*, Clariſſimi hujus Hiſtoriae Editores ipſum appellant *Rogerii* filium, nempe *illius egregii bellatoris agnomento Wiſcardi, qui Siculam gentem a Saracenorum jugo vindicavit*. Verum extra omnem controverſiam eſt, Boamundo patrem fuiſſe *Robertum Wiſcardum* Apuliae, ſeu Calabriae Ducem, matrem vero *Alberadam* Normannicam, priorem Roberti uxorem. Ac proinde non pater, ſed patruus Boamundi fuit Rogerius Siciliae Dux, ſeu Comes, & debellator, cui numquam acceſſit agnomentum *Wiſcardi*, ſed quidem Roberto Duci, inclyto illius fratri. Boamundum vero in Italia natum ſunt quae mihi perſuadere videntur. Quum enim Guillielmus Ferrabrachius, & Drogo, Roberti Guiſcardi fratres natu majores ex Nortmannia in Apuliam ſe contuliſſent, & virtute duce, comite fortuna, ad multam potentiam ac opes jam deveniſſent, Robertus hoc audiens, ſtatim ac per aetatem licuit, eo & ipſe advolavit. Teſtem hujus rei habeo Gaufredum Malaterram Lib. I. Cap. XI. de geſt. Normannor. *Juniores vero fratres, quos aetas adhuc domi immorari cogebat, praecedentes ſeniores fratres apud Apuliam fortiter agendo, altioris culmen honoris, & dominationis aſcendiſſe, fama referente, cognoſcentes, quam cito aetas permiſit, ipſi quoque ſubſequuti ſunt*. Infra vero commemorat Gaufridus inter eos fratres Robertum ipſum. Acta fuerunt haec circiter Annum 1038., & quum Guiſcardus in flore adoleſcentiae Italiam petierit, par eſt credere, ipſum poſtea in Italia conjunxiſſe ſibi ſacro connubio Alberadam, ex quibus nuptiis poſtea procreatus fuerit in Apulia Boamundus.

Ad Tancredum venio, & ipſum quoque inter Heroës ſacrae expeditionis celeberrimum virum. Et quidem, quamquam fatear me nondum certo conſequi potuiſſe, Nortmanniae, an vero Italiae illum debeamus; attamen ſunt quae praeferendam in ejuſmodi contentione Italiam mihi perſuadent. Siciliae ſacrae illuſtrator Rocchus Pirrus in Chronolog. Reg. Sicil. pag. 13. de Rogerio Roberti Guiſcardi filio, ejuſque in Ducatu ſucceſſore, haec habet: *Ex uxore Halam, quam Adalam appellat Fazellus, Willelmum & Tancredum habuit filios. Tancredus quidem natu minor cum Buamundo patruo Anno* 1098. *Antiochiam acquiſivit. Aetatis annorum* 18. *contracto cum Caecilia Matrimonio, Turcarum inſidiis occiditur. Willelmus vero patri Rogerio Anno* 1111. *in Calabriae Ducatu ſucceſſit*. Mirum mihi viſum eſt, quei vir tantae eruditionis ac nominis tot in uno loco errores erraverit. Et certe qui adeo ſe devium a veritate heic prodit, is non eſt, ut ejuſdem ſententiis acquieſcere ſemper poſſimus. Falſum eſt, *Tancredum* noſtrum Rogerii Calabriae Ducis filium fuiſſe. Fratrem quidem is *Willelmum* habuit; at iſte in primis proeliis ſacrae Orientalis Expeditionis ex vulneribus cecidit, Radulpho noſtro, Oſtienſe, aliiſque teſtibus; ac proinde hic Rogerio, ſomniato patri, minime in Ducatu ſucceſſit. Omnino vero falſum, Tancredum Anno XVIII. aetatis occiſum, quum ejus mors Anno 1112. acciderit, nempe poſt Annos XVI. inter bella, ingenteſque labores ſumma cum gloria exactos. Duxit ille quidem uxorem Caeciliam; at Pirrus fortaſſe ignoravit, eam fuiſſe filiam Philippi I. Regis Franciae. Abeat ergo Pirrus, fabuloſa heic nobis divendens; & nos tamdem Auctores meliores conſulamus.

Statuendum primo (hoc enim certo diſcimus ex Radulpho noſtro, ac aliis Scriptoribus coaevis) Tancredi *parentes eximios fuiſſe Marchiſum* (hoc eſt *Marchionem*) & *Emmam*. Emma vero patrem habuit Tancredum de Altavilla, Nortmannum, qui &

Digitized by Google

genuit Robertum Guiscardum postea Calabriae Ducem, & reliquos ejus fortissimos, & egregios fratres, Apuliae ac Siciliae debellatores. Quare Tancredus noster *Boamundi cognatus* Radulpho dicitur, hoc est *Consobrinus*, quum hic a Roberto Guiscardo genitus fuerit, ille ab Emma, fratre nempe ac sorore. Atque hinc factum ut idem Radulphus Tancredum quoque *Wiscardidam* appellet, & *Marchisidem*, hoc est Marchionis filium. Verum quis iste Marchio fuerit, non ita compertum. *Tancredi* frater in antiquis Gestis Francor. Lib. I. & III. appellatur *Wilhelmus Marchisi filius*, ipse vero *Tancredus* itidem *Marchisi filius*, sed nulla alia notione addita. Eodem titulo tantum ambos hosce fratres nominat Robertus Monachus Histor. Hierosolym. Lib. II. qui & scripsit, Boamundi *nepotem* fuisse Tancredum. In altera Historia, cui pariter titulus Gesta Francorum, Tancredus dicitur *Bojamundi cognatus*: quo etiam titulo donatur a Jacobo de Vitriaco, imo & a Radulpho nostro, ut supra diximus. Baldricus Histor. Hierosol. Lib. 2. auctor est, in primis proeliis contra Turcas occubuisse *Wilhelmum Marchisum Tancredi fratrem*; quem Tancredum & ipse *Boamundi Nepotem*, Albertus vero Aquensis Histor. Hierosol. Lib. 2. apertius nominat *Sororis filium Boëmundi*: quae verba alicui nobis indicio sunt, non Francum, neque Normannum fuisse Tancredi patrem: vix enim hoc ignorasset Guibertus Scriptor Gallus, atque ipsius Tancredi aequalis. Denique Wilhelmus Tyrensis Archiepiscopus Historiae suae Lib. 2. *Tancredum* memorat *Wilhelmi Marchionis filium*. Ex quibus Scriptorum locis hactenus congestis intelligimus, plerosque ex Francis Historicis, & Camillum Peregrinium in Castigationibus ad Lupum Protospatam, & Angelum de Nuce in Notis ad Ostiensem, ac alios fuisse deceptos, quum Tancredi matrem *Emmam Boamundi Sororem*, eumque propterea ipsius *Nepotem* dixere. Uni Radulpho nostro, nempe aequali, ac supra omnes Tancredi ipsius familiari, heic adhibenda prorsus fides; is autem apertissime scribit, Emmae fratrem fuisse Robertum Guiscardum Ducem, quamquam postea Tancredum saepe *Wiscardidam* appellet, qui tamen ab ipso Guiscardo, si ei acquiescimus, minime descendebat.

Patrem Tancredi commemoravit nobis Guillielmus Tyrensis, hoc est *Wilhelmum Marchionem*. Rem tamen turbat Ordericus Vitalis; nam Lib. VII. Roberti Guiscardi morituri acta referens, ait: *Magnanimus itaque Dux Robertum Comitem Lorotelli &c. Odonem quoque Bonum Marchisum Sororium suum, aliosque cognatos, proceresque suos ad se convocavit*. Tum Lib. IX. ad Annum 1096. inter Boamundi commilitones in expeditione sacra primum recenset *Tancredum Odonis Boni Marchisii filium*. Orderici Vitalis in hac re auctoritatem ego sine dubitatione amplector, tum quod rarae Eruditionis Scriptor fuerit, tum etiam quod iis ipsis temporibus floruerit, quibus ipse Tancredus. Quare videas, a vero aberrasse Wilhelmum Tyrium, quum Tancredum nobis exhibuit *Wilhelmi Marchionis filium*, nisi forte error hic Librariis sit tribuendus, scripseritque ille *fratrem* non *filium*, qua ferme appellatione Tancredum a Baldrico Auctore coaevo distinctum supra vidimus. Praeterea luculentius intelligimus, Emmam Tancredi nostri matrem, non filiam fuisse, sed sororem Roberti Guiscardi, quum Odo Bonus Marchio *sororius* ejusdem ab Orderico dicatur, ac propterea falli quicumque Tancredum *Boamundi Nepotem* nobis obtrusere. Sed quis tamdem fuit *Odo* iste *Bonus*, pater Tancredi, & *Marchio*? Italus ne, an ex Gallia, aut Normannia in Italiam profectus? Fateor, heic mihi aqua haeret; Neminem quippe reperi, qui facem praeferat. Nonnulla tamen innuam, quae Tancredum in Italia natum, atque ex patre Italo, indicare videantur. Quum Ordericus non paucos egregios viros e Normannia in Apuliam, tanta gentis suae fortuna illectos, migrasse scribat, inter eos Odonem Marchionem nequaquam recenset. Praeterea, excepto Duce, nemo in Provincia Normannica *Marchionis* titulo donabatur, imo neque donari poterat; eo siquidem tempore *Marchiones* fuere Principes, Imperatorem tantummodo, aut Regem Dominum agnoscentes. Gallia ipsa vel nullum, vel rarissimos *Marchiones* tunc habuit. Contra in Italia cum titulus, tum potentia nonnullorum *Marchionum* adhuc servabatur, atque florebat; quos inter nobilissima *Marchionum Estensium* familia, in Brunsvicensium, ac Mutinensium Ducum lineis etiamnum superstes & glorioса, plurimum emicuit, uti in Antiquitatum Estensium Libro certis documentis ostendi. Tunc erant in Lunensi regione, in Monteferrato, ac Pedemontanis partibus & aliae Marchionum familiae. Ex iis conjicere licet procreatum fuisse *Odonem Bonum*, Tancredi parentem. Certe hic in Italia versabatur, & cum Roberto Guiscardo Sororio suo militabat; ejus vero filium Tancredum in Apulia degentem se Boamundo sociasse, testantur Baldricus, Ostiensis, Ordericus, & reliqui Scriptores Belli sacri. Quare dum certiora non doceamur, opinari nobis liceat, Italicum Marchionem fuisse Odonem Bonum, aut saltem ejus prolem celeberrimam Tancredum in Italia a matre Emma progenitum; & praesertim quum Radulphus noster ejus adolescentiam describens, nullum verbum habeat de illius in Italiam adventu. Quae quum ita sint, intelligat tamdem Lector, me non injuria inter Historias ad Italiam spectantes hanc etiam recudisse.

Digitized by Google

EDMUNDI MARTENE,

ET

URSINI DURAND

ADMONITIO PRÆVIA.

CHronici Siciliæ *Appendix est sequens* Tancredi *Historia; Rogerii enim illius egregii bellatoris agnomine* Wiscardi, *qui Siculam gentem à Saracenorum jugo vindicavit, cognatus erat* Tancredus, *& sub Boamundo Rogerii ejusdem filio, in expeditione Jerosolymitana*, quasi Dux sub Rege, & secundus ab eo militavit.

Quamvis autem non omnem vitæ seriem, sed ea solùm hæc Historia complectatur, quæ sub tanto Principe quinque annorum spatio Dux ille inclytus præclarè gessit; magnum & insigne est virtutis illius monumentum, ipsumque ut maximum ætatis suæ Ducem extremæ posteritati commendabit. Hæc ipsum ostendet in recuperatione Terræ Sanctæ plurimum & feliciter insudasse, cæterisque Christiani exercitus Ducibus, quos adeò prædicavit antiquitas, longè ipsum præstitisse, & de vindicata Ecclesiæ Palæstina eamdem fermè laudem, quam de Sicilia Rogerius Wiscardi promeritum fuisse. Istud porrò testantur quæ Niceæ, quæ Tarsi, & Mamistæ dum expugnarentur; quæ Antiochiæ ante & post expugnationem omnium molestissimam; quæ Jerosolymis, quæ in transfretatione fluvii Bardal, quæ coram Alexio Imperatore, quæ tandem ubique legitur gessisse: nec enim quidquam hoc bello susceptum, nisi leve illud sit, & feliciter consummatum fuit, in quo præclara virtutis eximiæ, singularis sapientiæ, & consilii specimina Tancredus non dederit.

Iis igitur omnibus enarrandis totus incumbit hujus Auctor Historiæ, nec aliud sibi proposuisse hac sua lucubratione asserit expressè, articulo LIII. his verbis: Celebret suos Normannia Robertos, reliquos Duces occidens reliquus, mihi unus Marchisides sufficit, cui non sufficio vel totus.

Quisnam verò is Auctor fuerit, qua ex gente, quave ætate vixerit, nomen, ingenium, vitæ institutum, operæ pretium est ex ipsius Historia investigare: nec enim parum ad ejusdem Historiæ commendationem conferre hæc possunt. Nomen ipsi Radulfo fuisse prima hæc inscriptio prodit Tancredus Radulphi, *patriam verò Normanniam ex articulo LVII. colligimus, ubi Antiochenam describens expugnationem, quæ inchoata anno* 1097. *producta in integrum annum fuit, hæc de se quasi obiter dicit:* Signum illud, cùm adhuc in paterna domo Cadumi adolescentulus degerem, nondum mihi visa, seu nota nisi nomine tenus Antiochia, sed nec Roma.

Natus igitur Cadomi est anno circiter MLXXX. eadem verò in urbe educatus, & à teneris sub celeberrimo illo Arnulpho, qui Comitis Normanniæ Capellanus in bello sacro erat, & per obitum Adhemari Podiensis Episcopi, Christiano præpositus exercitui, Jerosolymitanam sedem sortitus est, operam & studium impendit optimis disciplinis; unde & librum ei suum dicat, & præceptorem ipsum appellat. Elegi te, *ait in Præfatione*, Arnulphe, Patriarcha doctissime Doctorem, qui paginæ meæ superflua reseces, rimas impleas.... mellita mihi erit quæcumque erit correctio tua, si quem sortitus sum præceptorem puer juvenem, nunc quoque correctorem te impetravero vir senem.

Quales sub tali præceptore, & quantos in studiis progressus Radulphus fecerit, judicet æquus lector ex ipsius scribendi modo; hanc verò literaturam parvo admodum intervallo temporis consecutus est. Nondum enim excesserat ex ephœbis, quando in militiæ disciplinam vocatus est. Anno autem circiter 1107. *Cruce-signatus, sub Boamundo Principe meritus est stipendia, & biennio post in expeditione Edessana sub signis Tancredi militavit.*

Quis tunc in exercitu partes gesserit silendum putavit modestissimus Scriptor, sed præcipuas credimus ipsum egisse, qui singularem, uti satis insinuat in citata jam Præfatione, utriusque Principis benevolentiam consecutus est. Nec levis nos movet conjectura, quin Radulphum illum de Acone, quem sub Rogerio nepote Tancredi, & in Principatu Antiochiæ strenuum civitatis ejusdem Ducem fuisse scribit Gauterus Cancellarius in libro cui titulus Bella Antiochena, *hunc nostrum Radulphum existimemus esse, cùm aliàs nobis non constet de isto Radulpho quisnam fuerit. Quem enim Tancredus, tum ut sibi, tum ut Rogerio consuleret, ipsique ut Principatum in extera regione confirmaret, huic debuit muneri destinare, nisi certè militem illum, de cujus fide & integritate maximè esset securus, cujus & acies ingenii, & belli usus, & strenuitas essent explorata?*

Quamvis autem ea imprimis sibi proposuerit Radulphus describere, quæ in Jerosolymitana expeditione Tancredus gessit, non tamen iis contentus limitibus, alienum omnino à proposito suo esse putavit, si ea interdum tractaret, quæ generalem expeditionis ejusdem Historiam spectant; sed veterum more Scriptorum, si celebris pugna, si urbis expugnatio, si victoria, aut quodvis aliud insigne sub ipsius Tancredi, aut Boamundi, vel ipsis præsentibus sub aliorum imperio præclarè gestum etiam ab aliis est, illud non prætermisit, ut ex meritorum collatione novus herois sui virtuti splendor accederet. Hæc itaque Historia non uni Tancredo propria adeò est & singularis, quin & compendiosa quædam, ac digesta belli Jerosolymitani narratio dici possit; Quæ quidem omnibus, quæ hactenus de eodem argumento prodierunt in lucem, relationibus perfectior & accuratior nobis videtur. Earum namque ferè omnium Auctores relationum nullo delectu adhibito, singulorum actus Principum narrare gestientes, multa simul congesserunt inutilia, nec in tanta rerum varietate indagare quidquam valentes, & penitiùs examinare, nudam suis circumstantiis Historiam confecere. At noster Radulphus certis contentus limitibus, res solummodo præcipuas aggreditur, earum causas rimatur, initia & progressus enarrat, consecutiones exquirit; de singulis præterea artis militiæ peritissimus, sanè & integrè judicat, nec temerè, sed scienter loquitur.

Digitized by Google

Quis exempli causa Alexii Imperatoris artes malas adeò plenè copioseque descripsit? quas molitus fuerit insidias, quid tentaverit ut Christianos Principes circumveniret, averteret à sancto proposito, aut gravibus clientelæ non debitæ obsequiis eos sibi devinciret? terrores, minæ, blanditiæ, nihil omissum est, & hæc omnia referuntur articulis IX. X. XII. quæ nusquam legisse me memini. Plures & inimicas adversùs Tancredum dissentiones sæpiùs concitasse Balduinum & Raymundum S. Egidii Comites, nec absque sanguinis effusi magno discrimine non unus Auctor scriptis tradidit: hujus verò odii causas, quas vix attigerunt, retulit Auctor noster quasi ex instituto, quæ quidem præcipuorum quorumdam eventuum rationes indicant & patefaciunt. Quæ verò de Jerosolymorum expugnatione scripsit idem Auctor, ipsi uni debetur, si non fuerint omni prorsus deletæ oblivione; nam quæ Anonymus ille à Mabillonio editus Musæi Italici Tom. I. ea de re retulit, à nostro Radulpho, ipsius suppresso nomine, accepit. Id ne cui in dubium veniat, evidens argumentum est MS. Codex quo usi sumus, nam & charactere Auctoris ævum spirat, & si nostra nos non fallit conjectura, ipsius est Autographum. Istud satis suadent frequentes, quibus refertur, additiones, translationes, correctiones, periodorum inversiones, eadem manu scriptæ, quæ exemplaris indices primigenii esse nemo, vel leviter in antiquitate versatus non videt. Latebat is Codex in insigni Bibliotheca Gemblacensi, quæ quidem maximo literarum detrimento triginta ab hinc annis cum Monasterio in cineres redacta penè fuit, sed ereptus ab incendio cum paucis ejusdem notæ est, eumque optimus Abbas Monasterii ejusdem pro sua humanitate nobiscum communicavit. Integerrimus autem videtur esse, sed integram eo contineri Historiam Radulphi vix crediderim, nec enim ipsum probabile est ad annum 1105. *quo militiæ nomen vix dederat, scribendi finem feciisse, qui agens de Antiochena expugnatione, quæ gesta præsente se fuissent prolixiùs sese tractaturum his verbis promiserat.* Ignosce Gallia Scriptoribus dives, juvat me Antiocheno vacare Principi, præsente me gesta liberiùs persolvam. *Quidquid illud sit, ut paucis concludam: scripsit Radulphus stylo eleganti & ornato, cujus majestas & pompa omnes temporis sui Scriptores longè superat: sed neque minùs veraci, utpote qui Tancredo ac Boamundo semper adhærens, res prout ab ipsis acceperat, aut ipse viderat, scripto commisit, multas etiam variorum eventuum circumstantias referens, quas apud alios ævi Scriptores minimè reperias: hinc magno apud omnes in pretio opus ejus futurum esse speramus.*

GESTA

Digitized by Google

Anton. Tricolini inv. et delin. Jo. Baptis. Sintes Sculp. Romæ

GESTA
TANCREDI PRINCIPIS
IN EXPEDITIONE HIEROSOLYMITANA
AUCTORE
RADULPHO CADOMENSI
EJUS FAMILIARI.

PRÆFATIO.

Nobile est studium res probè gestas principum recensere, cujus beneficii largitas nihil temporis immune præterit, sepultos celebrat, oblectat superstites, posteris longè ante vitam præstruit doctrinam, dum, quod transiit, refert, dum victorias profert, dum victoribus defert : segnitiem aufert, probitatem affert, vitia transfert, virtutes infert, plurimum confert. Debemus igitur summa ope niti, & legere scripta, & scribere legenda, quatenus legendo vetera, scriptitando nova, hinc nos antiquitas egentes satiet, inde posteritatem satiati nutriamus egentem. Hæc mihi sæpiùs, attentiùsque consideranti occurrit felix illa peregrinatio, sudor ille glorioſus, qui Matri nostræ Jerusalem hæreditatem suam restituit, idololatriam extinxit, fidem reparavit, ut scilicet non absurdè quis in his applauserit : *Ecce filii tui Jerusalem de longè venerunt, & filiæ tuæ*, Joppe videlicet, *complureſque aliæ ruinam passæ de latere surrexerunt*. Hujus tam præclari laboris cooperatoribus me contigit militare Boamundo (1), cùm Dyrachium obsideret ; Tancredo paulò post cùm Edessam ab obsidione Turcorum liberaret : quorum utriusque sermo quotidianus Turcos fugisse, institisse Francos, nunc peremptos hostes, nunc captas urbes, Antiochiam noctu dolis, Jerusalem die armis memorabat ; interque memorandum, papæ ! ajebant quonam modo segnities nos perdit, cùm priscis summa vatibus fuerit scribere voluptas ? Et illi : quid adinventiones fabulosas ordiuntur ? militiæ Christi victorias tacent hodierni : ignavum equidem pecus, & fucis astruendi. Hæc publicè moventes specialiter in me, nescio, quo auspicio sæpiùs visi sunt oculos retorquere, ac si innuerent ; tibi loquimur, in te confidimus : sic me uterque, at præcipuè Tancredi familiaritas accendit, quo nullo fuit benignior Dominus, nemo largior, nemo tam blandus : huic, inquam, vehementiùs instanti, tacita sic respondebat mens mea : quod petis vivus, si superfuero, accipies sepultus, non te laudabo in vita tua, laudabo post mortem, magnificabo post consummationem : tunc enim neque laudatus, neque laudans, aut in elationem surgit, aut corruit in adulationem. Porrò invidus tacebit, ommutiscet susurro ; cùm, te ex-

(1) Nota auctoris ætatem.

Digitized by Google

extincto, munera ceſſabunt, quibus nunc inceſſanter à ſuperſtite muneratum, venenoſæ linguæ fabularum me venditorem circumagerent, te emptorem. Hanc igitur, ſed & aliam habuit cauſam dilatio: quòd meis ipſe viribus diffidens, interim expectabam, ſiquis ad hæc ſolertior ſtylum, ſiquis Tancredi muneribus obligatior anhelaret. Alios autem negligere, alios torpere, alios, proh nefas! reniti comperio ſuſurrones. Papæ! ubi reverentia, ubi libertas, ubi munera, ubi toties ille principum decus obſcuros illuſtravit, obnoxios abſolvit, inopes ditavit? Mihi ergo relictum ſuſcepi laborem: non utique ſuſcepto dignus; ſed quia digni dedignantur, indignatus. Verumtamen *quoniam eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra* (2), licèt incomtam rem ..... ad poſteros tranſmittam: ornabit, auguror, benigna poſteritas, quod hodierni inornatum mihi reliquerunt. Unde invicem, ò lector, debemus; ego tibi ſupplicare, tu ignoſcere mihi, quòd nunc jejuna oratio, nunc pinguis, ut ajunt, Minerva à ſuæ faſtu materiæ longè degeneravit: quippe cùm hæc vix Maronis pertingant vertices, illas fermè inutilis lingua balbutit. Me quidem in hac parte ſentio infirmum: ſed de ejus, ideſt Chriſti firmitate totus pendeo, cujus vexilliferum, & triumphos deſcribere intendo; à quo ſecundum elegi te, Arnulfe Patriarcha doctiſſime, doctorem, qui paginæ meæ ſuperflua reſeces, rimas impleas, obſcura illuſtres, arida ſuperfundas: nullius etenim liberalis ſcientiæ te cognovimus exortem, præſertim mellita mihi erit quæcumque erit correctio tua, ſi quem ſortitus ſum præceptorem puer juvenem, nunc quoque correctorem te impetravero vir ſenem.

INCIPIT TANCREDUS RADULPHI.

CAP. I.

Tancredi parentes.

TAncredus claræ ſtirpis germen clariſſimum parentes eximios Marchiſum habuit, & Emmam: à patre quidem haud ignobilis filius, à maternis autem fratribus nepos longè ſublimior: nam cætera familiæ illius prædeceſſio, à contermina ſatis eſſe duxit laudari vicinia, matris verò fratres militiæ ſuæ gloriam extra, ſupraque patriam, ideſt Normanniam extulerunt. Quis enim Wiſcardi probitatem non probet, cujus ſigna ſub uno, ut ajunt, die Græcus, Alemannuſque Imperator tremuerunt victricia? Romam namque præſens ab Alemanno liberavit. Græcorum autem in B. prole bellica vincendo regem, ſubjugavit regionem: reliqui verò fratres numero XI. Campaniam, Calabriam, Apuliam contenti debellare. Excipiendus eſt Rogerius, cui ſubacta gentilitas Sicula gloriam peperit inter fratres à Wiſcardo ſecundam: ſed in his non diutiùs me ſinit immorari eadem, quæ in has me immiſit moras, Natratio.

Regia Tancredi indoles. Ad bellum ſacrum ſe diſponit.

Nunc redeo ad Tancredum, ipſum nec paternæ opes ad laſciviam, nec ad ſuperbiam traxit potentia cognatorum. Adhuc adoleſcens juvenes agilitate armorum, morum gravitate ſenes tranſcendebat: nunc his, nunc illis novum virtutis ſpectaculum. Extunc præceptorum Dei ſedulus auditor, ſummopere ſtudebat, & audita recolligere, & quantum permittebat coævorum converſatio, recollecta implere, nemini detrahere, etiam cùm ſibi detrahebatur, dignabatur: immò hoſticæ ſtrenuitatis præco ajebat, hoſtem feriendum eſſe, non rodendum. De ſe ipſe nihil dicere, at dici inſatiabiliter ſitiebat: proinde ſomnos vigiliis, quietem labori, ſatietatem fami, otium ſtudio, poſtremò ſuperflua omnia neceſſariis poſtponebat. Sola erat laudis gloria, quæ juvenis mentem agitaret, cujus quotidianos mercando titulos; facilem crebri vulneris ducebat jacturam: eoque nec ſuo parcebat ſanguini, nec hoſtili; diſputabat in dies ſecum animus prudens, eaque frequentior eum coquebat anxietas, quòd militiæ ſuæ certamina præcepto videbat obviare Dominico: Dominus quippe maxillam percuſſum jubet & aliam percuſſori præbere; militia verò ſecularis, nec cognato ſanguini parcere. Dominus tunicam auferenti dandam eſſe, & penulam admonet; militiæ neceſſitas ambabus ſpoliato reliqua, quæ ſuperſunt, eſſe auferenda. Hæc itaque repugnantia, ſi quando indultum eſt indulgere quieti, ſapientis viri audaciam ſopiebat. At poſtquam Urbani Papæ ſententia univerſis Chriſtianorum gentilia expugnaturis peccatorum omnium remiſſionem aſcripſit: tunc demum quaſi ſopiti priùs experrecta eſt viri ſtrenuitas, vires aſſumptæ, oculi aperti, audacia geminata: priùs namque, ut præſcriptum eſt, animus ejus in bivium ſecabatur ambiguus, utrius ſequeretur veſtigia; Evangelii, an mundi? Experientia verò armorum ad Chriſti obſequium revocata, ſupra credibile virum accendit militandi duplicata occaſio. Igitur datâ commeatui operâ, brevi, quæ neceſſaria ſunt, parata ſunt, nec magnas quidem expenſas coëgit homo, qui in morem à puero duxerat res, antequam venirent in ſuum, in jus traducere alienum: arma tamen militaria, caballos, mulos, & alia hujuſmodi pro commilitonum ſuorum numero ſufficienter aptavit.

CAP. II.

Boamundi Elogium.

ERat iiſdem temporibus magni nominis heros, cujus adoleſcentiæ ſupra mentio facta eſt, Boamundus Roberti illius egregii bellatoris agnomine Wiſcardi filius, paternæ audaciæ ſtrenuiſſimus æmulator: hujus quoque animos eadem, quæ cæteros per orbem Principes apoſtolica prædicatio ad liberandum ab infidelium jugo Jeruſalem excitaverat. Ejus imperio quidquid eſt oppidorum, & urbium à Siponto ad Oriolium in maritima, omnes prorſus in montanis, & campeſtribus locis, omnes ferè ſerviebant: ad hæc ſua tam urbes, quàm oppida, Apuli montes, Calabrique plurima ſuſtinebant. Is Græcorum Imperatorem Alexium bis ſub patre in fugam converterat: primò quidem in oculis patris ſub Dyrachii mœnibus; ſecundò autem patre Romam reverſo, ipſe paterno exercitui apud Lariſſam Vicarius relictus: quæ victoria ſicut priùs gloriam geminaverat, ita modò, victorem licèt, ſub

(2) Horatius.

ſub pacis nomine transfretaturum acriùs pungebat: metuebantur enim Græcorum inſidiæ, qui familiare habent, quos etiam benemeritos invitaverunt ad munera, retrudere ad flagra. Quid ergo exaſperati? Quid victi ſæpiùs molituri erant, quidve ſuis de ſe dabant ſperare victoribus? miſeris aut inferendam eſſe perniciem, aut terrentium in potentia ceſſaturam. Hæc igitur ſollicitudo Boamundi navigio moras innectebat: quapropter ſtrenui cujuſque viribus proprias vallare ſapienter ſibi conſuluit, portibus interim exitu negato. Auditus verò eodem incaluiſſe deſiderio Tancredus, cognati ſollicitudinem & minuit, & auxit: minuit robur roburi creditus addere; auxit, viam fœderis improvidum cogens providere.

CAP. III.

Cum eo fœdus iniit Tancredus.

MUltis itaque opibus, blanditiiſque præmiſſis, apud Tancredum obtentum eſt, ut ſub Boamundo ipſe quaſi dux ſub rege ſecundus ab eo militaret: nam præter blanditias, oblataſque opes, urgebant eum alia duo, propinquitas generis, & difficultas transfretationis; quarum quidem hæc amoris, illa timoris poculum viciſſim ei propinabant, niſi enim Boamundo in his, quæ rogabatur, morem gereret, facilè & de invidia argui, & à littore dignus videretur qui deberet repelli: proinde facilem viam ad impetrandum meruit precibus doniſque cumulata petitio. Confœderati igitur ambo Wiſcardidæ, totius generis ſui præcellens ſtrenuitas laxis navigio habenis Epyrum delabuntur. Tancredus itaque nactus exercendæ virtutis locum, modò prævios inſidiis occurſabat, interdum poſt exercitus veſtigia arcebat latrunculos. Sive prævius, ſive ſequens, ſemper utilis, ſemper armatus, periculis gaudebat exponi. Cæteris vino ſepultis, & ſopore, ipſe pervigil excubare in triviis, niveſque clypeo temperare, & grandines. Felix anicula illa, quæ aut ex inedia Tancredo inveniebatur defecta, aut cis ripam fluvii rapacis pedes vadatura; nam famelicæ continuò cibus, vadaturæ equus pro navi, pro remige eques, eques, inquam, ipſe Tancredus libens ſupplebatur.

CAP. IV.

Fluvium Bardal cum ſuis trajicit. Græcos ſuperat.

TAli populus ille beatus præſidio, feliciter ad flumen, quod Bardal dicitur, perducitur: ibi caſtrametati dies aliquot in mora conſumſerunt. Obſiſtebat eorum tranſitui fluvius rapax, & utraque ripa minis plena hoſtilibus plurimos terrebat: nam qui tranſeundo procederent his Turcopolos à fronte; qui tardarent, illis à tergo timendum eſſe videbatur. At Tancredus ubi exercitum muſſare videt, periculo vitam objicit, gurgitem tranſit, paucis ſequentibus; his, inquam, coactis, ille ultroneus. Metuebant coacti, ne turmæ tam exili hoſtilis incurreret multitudo. Tancredus contra ne dum tranſiret ad pugnam terreret in fugam: ſicque audacia victoriam quidem pareret; verùm altero victoriæ pretio ſpoliis careret. In qua ſollicitudine flumine ſuperato, in alterius votum utriuſque timoris præſagia ceſſerunt: nam inſidiatoriæ pluralitati paucitate oblata, viſum eſt gentis prædam veniſſe in pugnam, latebrarum ignaros, non præſcios: proſilientes igitur è latibulis ſagittæ terribiliter figurant, dum volant, nubem; dum cadunt grandinem; dum aſtant, ſegetem. Nondum ad Francos ventum erat, cùm jam nullum dimicandi latebat genus: non curſim, non rapidè, non ſaltim; ſed pedetentim obviabat, miſſa eminus tolerans ſpicula, dum eò uſque proceſſum eſſet, ut caderent poſt terga. Quippe gentis illius pugnam congreſſu plurimo expertus, quo faciliùs more vincendi erant, cognoverat: ideoque animos per ſe effrænes, per prudentiam refrænabat. Ut ergo cominus res geri potuit, patientiæ moras redimit copia ſubſecuta. Habenas laxant, calcaribus utuntur, lanceas vibrant, incumbitur vibratis, peltæ Græcorum fiducia incumbentibus non reſiſtunt. Porrò ſagittæ haſtis urgentibus, quorum priùs tutela fuerant, in ſarcinam convertuntur: nam poſtquam ad enſes ventum eſt, uſus præteriit ſagittarum. Sic Græci tegmine deſtituti, & jaculo, vulnera tantùm excipiunt, nec reddunt. Miſeri! quibus ſine dubio, & ſine medio mortem, aut fugam præſentem omnia intentant! Miſeri! Sed ſicut nullius miſericordes, ita nulli miſerabiles. Sternitur plebs invalida, & docetur non ultra de Francorum raritate præſumere: ſed in uno centum formidare. Tancredus viam gladio aperit, & quot aggreditur cædendos, tot præterit cæſos. Illum ſequentibus facilè quà ſe vertiſſet, veſtigia declarabant. Trunci, ſemineces à dextra, & læva medio cruoris alveo ſupplebant ripas. Nec paſſim vagandi licentia: ſed per effuſoris ſemitam currere dabatur. Hinc effuſor ipſe, non qui effuderit, ſed qui ediderit ſanguinem, apparebat: adeò ſuffectus, adeò cruentatus Tancredum diffitebatur in colore, ſed non diffitebatur in opere. Simili modo pubes ſocia fugando, cædendo, proſternendo, ſinguli pro ſuis viribus arva cruentabant.

CAP. V.

Partem exercitus Boamundi, quæ nondum flumen tranſmiſerat, aggrediuntur Græci.

IGitur Boamundi exercitus, qui adhuc citra fluminis ripam alteram pigritans Tancredum præmiſerat, Græcos in fugam verſos proſpiciens, moras ſolvit, fluvium alii tranant, pars remigare docta cymbas traducunt, alii utriuſque ignari, equorum caudis pro remigio utuntur; ſicque brevi ſpatio tota illa multitudine tranſvecta, quaſi DC. reſtabant tranſvehendi; non milites, non armati, non qui vel in hoſtem ruere, vel ruentem repellere potuiſſent; vulgus inerme, niſi ſi quos armatos aut ſenectus debilitaſſet, aut morbus. Tunc Græci, qui miſſi fuerant Latinorum inſidiari veſtigiis, locum nacti, ut ſanguine ferrum imbuerent, irruunt in relictos, ceu lupi paſtore orba & canibus ovilia trucidantes. Fit clamor, mœret ripa utraque, hinc, & inde nec querelæ deſunt, nec gemitus. Hi dolent de mora, illi de feſtinantia: hos pudet, quia non datur invadere; illos magis, quia evadere non licet, piget. Tancredus interea adhuc fugientibus Græcis inſtans, ſequentium inſtantiam celeri curſu accipit nuntiatam: neminem reſiſtere, ſuccurrere neminem, armatos ultro fluvium remigaſſe, inermes citra, ipſos jam ferè

ferè quasi mordicus dissipatos. Hæc ut piissimo, & ad omnem promtissimo strenuitatem duci comperta sunt, haud secus ab aliis ad alios se convertit intrepidus: quasi nacta prædam lea, si quas ex adverso paratas, relictis catulis, insidias respicit, è vestigio ad prædonem versa, prædam siccis faucibus relinquit.

CAP. VI.

Græcos in flumen insiliens Tancredus fugat.

REversus igitur ad flumen (*) Tancredus, remige spreto, gurgitem insilit, equo navis, equo remigis obsequium supplente: segnis quippe mora visa est viro, & cognata timori, si dum navigium pararet, parantes sequi milites expectaret. Quapropter, sicut præscriptum est, præceps fluvium quasi campum ingreditur: aquæ verò cursu rapido exceptum summergunt; at mox ripæ alteri illæsus redditur. Simili quoque remigio commilitonum acies, quæ Domini præeuntis vestigia sequuntur, utuntur. Græca phalanx perterrita Tancredi simul adventu, & nomine; id enim unum utraque personabat ripa, cædi metuens, cædere desistit, ad consuetum fugæ præsidium studio redacto. Fugitur per abrupta, per avia, per omne, quod victis promittere latebras, victoribus accessum negare videbatur. At victor nihilominus fugientibus instabat, illius magis sanguinem sitiens, quem per inaccessibilia pes raptabat fugacior: nam vertere faciem nemo victus meminerat; nisi si quem genibus victoris supplicare fuga coëgerit deprehensa: adeò intepuerat calor, resederat rabies, spes tota ab armis in pedum velocitatem transierat. Itaque arcus projicere, pharetras solvere, peltas demittere, thoraces exuere, summum ad vitam supererat solamen. Quocirca multus, & multa politus arte, grandi redemtus ære, diutino tractus molimine, labor vias, labor invia pariter ditabat. Victrices opperiens manus sinè pretio, sinè certamine omnia rapturas: nec defuit tamen, qui ea tolleret, quive sequeretur, audito Tancredi nomine turbam fugientem. Quoniam quidem cædi prædictæ superstites relicti, hi, inquam, quos præsidium superveniens liberaverat, sinè ordine fugientes, sinè ordine sequebantur; oneratos vacui, armatos nudi, lassos expediti: plurimi etiam in servitutem ducendi, ruptis nexibus absoluti, suos versa vice nexores nexuerunt. Alii, dum erepta sibi requirunt spolia, & raptoris projecta inveniunt, & sua: fuerunt etiam qui, dum prædicta quærerent, quæsita invenirent, inventa sustulissent: abjiciebant sublata, ut tollerent potiora. Sive autem alieno onere, sive suo, nullus castra non sufarcinatus revisebat.

CAP. VII.

Tancredi victoria prædicatur.

IGitur Tancredus sociorum ultus vulnera, nactus spolia, beatus gratia, omnes trans fluvium præmittit, ipse omnium subsequitur postremus. O quantis excipitur laudibus! Quantus ipse, quàm major sese cordibus omnium futurus apparet, quanta simul nobilitatis, & plebis veneratione donatur! Una quippe omnium & mens erat, & fabula. O ubi, & quando, & quis in filiis hominum par tibi Tancrede! A quo tam remota segnities? tam disjuncta quies? tam aliena formido? tam elimata superbia? tam eliminata luxuria? quis vocatus velocior, quis rogatus facilior, quis offensus placabilior? felices tanto pignore atavi, tanto atavo posteri, tanto alumno Calabri, tanta sobole Normanni! felices illi, quibus tu contigisti gloria sua: ac nos longè feliciores, quibus est pro muro audacia tua. Tua audacia adversùs impugnatores nobis est clypeus, adversùs pugnandos arcus, & gladius. Si periculum antecedit, illuc præmitteris; item si sequitur ponè, cædis. Benedictus Deus, qui te reservavit præsidium plebi suæ, & tu benedictus, qui eam protegis in brachio virtutis tuæ. Talibus omnes, at plerique majoribus victoris reditum gratatis præconiis hæc sæpius ingeminantes, per vias, & tentoria usque ad Tancredi, ipsum prosequuntur. Ex tunc Tancredum sociare, securum fieri, sinè eo in exercitu esse, quasi in exercitu non esse præ solitudine videbatur. Unde plurimi de magnis, quæ viderant majora conjectantes, ejus dominio tam se, quàm sua mancipabant. Ipse verò audaciam, viresque juvenum captabat pretio, alliciebat merito, merebatur exemplo. Eo abundante, nemo, qui ei militaret, egebat: eo egente à ditioribus sociis mutuabatur pecunia, quæ pauperiorum indigentiam ditaret, erogata. Rursus si repeteretur, quod mutuaverat, alios item quærebat creditores: sicque ad alios propter alios quasi mendicabat, dum eum seu præda opulentasset, seu bellum. Adeò vir prudens his largum, illis se veridicum, imò & omnibus veridicum exhibebat.

CAP. VIII.

Alexio Imperatori Boamundi, & Tancredi adventus, & victoria nunciantur.

INterea Imperatorem Alexium aut hac, aut simili narratione nuncius exploratùm missus perturbat reversus: Boamundus Wiscardigena Adriaticum transivit, etiam Macedoniæ potitur. Illius vires sæpiùs jam expertus es magnas, at præteritas, hodiernæ non minùs superant: quasi passer aquilæ collatus superatur. Olim quippe ei milites Normanniæ, Longobardia pedites suggerebat: Normanni, qui vincerent; Longobardi qui numerum augerent, in bella trahebantur: horum populus, alter belliger, alter venerat ministrator. Ut autem ambo belligeri; tamen duo tantùm, & de duobus pauci. Ad hæc conducti pretio, coacti edicto, non ultronei, non gloriæ avidi militabant: nunc contra gens totius Galliæ excita, totam quoque Italiam veniens sociavit. Ultra, citraque Alpes ab Illirico usque Oceanum nulla est regio, quæ Boamundo arma negaverit. Milites, sagittarii, funditores præ multitudine sua nullum turbæ imbelli locum in exercitu reliquerunt. Cismarinus panis armatis non sufficit: ab ipsis terræ cavernis erutus, nedum plebs inermis ab otio se & copia ad laborem, & inediam transferret. Omnes armati, omnes bellici, omnes laboriferi; qui-

(*) His consentit Robertus Monachus l. 2. Historiæ Jerosolymitanæ addit duo millia equitum cum Tancredo flumen irrupisse.

quicumque Wiſcardigenæ caſtris famulantur. Adde Wiſcardidas Tancredum, & fratres Willelmum, Robertumque Pœnis leonibus audaciam ſimilem tam cognatione generis, quàm belli ſtudio Boamundi germanam. Quorum neminem, ut quondam ipſe cogit; ſed transfretavit omnium ſupplicatione coactus. Unde rarò abrumpi poterunt, quos voluntas una, par intentio, ſtudium idem in concordiam fœderavit.

CAP. IX.

HIs verſutus Imperator percuſſus rumoribus, novos corde dolos, nova pectore verſat conſilia. Retibus ſtudet leones implicare, quos venabulo laceſſere non audet. Igitur nuntios laqueis onerat, qui Boamundo venienti cum hujuſmodi blanditiis occurrant.

Rex Alexius Boamundo ſalutem.

Nuntiatum eſt mihi de tuo adventu, quem paternis viſceribus ſuſcepi auditum. Quia nunc quidem moribus tuis dignum opus exerces, cùm belli ſtudium ad barbaros convertis. Aſpiravit, ut video, Deus cœptis Francorum, quos tanto Comite muniendos prævidit. Meis quoque deſideriis efficaciam tuus ſingulariter promittit acceſſus, nam, ut cætera taceam, ipſi etiam vates Turci de gente ſua tibi deſtinant triumphos. Euge igitur, accelera fili, & te præſtolantium apud me moras ducum veniens abſolve. Ad te duces, ad te proceres, ad te populus omnis ſuſpirat. Sunt apud me Latini heroës, & ipſi magnis muneribus donati: ſed quantò tu mihi cæteris notior, tantò majora reſtas acceptaturus. Hìc pallia, hìc aurum, hìc caballi, hìc te omnium manet affluentia theſaurorum. Quidquid uſpiam vidiſti; nihil eſt ad id collatum, quod apud me eſt. Quæ omnia parata tibi noveris, tamquam filio, ſi benignum te, ſi fidum mihi paraveris, tamquam filius. Invenies ergo fontem auri, ut quotiens quæſita conſumſeris, totiens conſumenda repetas, repetita ſinè difficultate ſumturus. Ut autem expeditiori viam pede arripias, pauois contentus, adventum liberiùs maturabis. Cætera verò multitudini, ducibus relictis, via eò commodior, quò ſegnior carpenda eſt.

CAP. X.

Boamundus promiſſis Alexii ſeductus ei præſtat hominium coactus.

LEgati iis præter ſuas inſtructi fallaciis exeunt, adeunt, obviant, eloquuntur. Boamundus itaque mellita verborum ſuperficie debriatus, venenum latens inferiùs non ſentit; fallunt eum oblatæ ultrò Conſtantinopolitanæ divitiæ, propter quas terram, ac pelagus ſanguine multo diù aſperſerat. Ad hæc tam facilè inductum eſſe gaudet, quòd in Græcos diutina expugnatione deliquerat. Unde placuit, ut ipſe cum paucis, quò vocabatur, præcederet; Tancredus verò cum reliqua multitudine tardior ſequeretur. Quod Marchiſidæ auribus non diſplicuit illapſum: nam qua ſedulitate accipiter laqueos, aut hamum piſcis; ea is fraudulentam Græcorum familiaritatem horrebat. Ideo Regis munera aſpernatus, jam tum præſentiam ejus ſubterfugere propoſuerat. Igitur Boamundus, ubi quos ductu, quos dimiſſu dignaretur, deliberatum eſt; ab eo, quod Chympſala Oppidum dicitur, digreditur. Dumque fatigant promiſſa animum, animus equitem, eques caballum, infra dies paucos Conſtantinopolim venitur. Illic Boamundus oblatus Alexio, ei jugo, quod hommagium vulgò dicitur, ſubditur. Coactus quidem, ſed tamen tanta Romaniæ dimenſione donatus, in qua equus dies quindecim per longum, octo autem expenderet per tranſverſum. Nec mora fama volans novum Tancredo patefacit eventum, & addit; ſimilis quoque deditio ipſum te, qui ſequeris manet eo vilior, quo merces minor.

CAP. XI.

Boamundi caſum occultè gemit Tancredus.

TAncredus, his auditis, Boamundo condolet, ſibi timet, quippe proximum videns parietem accenſum, ſuo non dubitat imminere incendium. Itaque animo volvit, ſtudet, recogitat, qua via præterire, quibus artibus fallere, quibus viribus dolos perfidi regis valeat punire. Confert autem hinc vires, inde dolos: hinc audaciam, inde potentiam: hinc milites, inde divitias: hinc paucitatem, inde multitudinem. Quid ſtruat? dimicet? at potentior hoſtis: ſupplicet? at inexorabilis idem: tranſeat? at pelagus interſævit. Videns ergo Francos Duces implicitos donis, Boamundum dolis, ſe anguſtiis, ſic adeò infiſtit, ſecumque ita corde volutat. Proh ſcelus! Ubi fides? Ubi prudentia? O hominum corda! Hujus perfidum, illius improvidum, hujus ad nocendum impudens, illius ad cognoſcendum imprudens. Exiit homo ad divitias nomine filii elicitus, patris viſceribus amplectendus. Vênit ad regnum, invênit jugum. Vênit, ut ſublimior fieret: alium verò coactus eſt ſublimare, factus ipſe humilior. Nimirum fraudis ignarus, blanditiis credidit fraudulentis. At juſſus eſt, exercitu relicto, cum paucis præcedere quaſi turbæ ſarcina abſolvendus. Nonne hoc vel ſolum ſuffecerat, ut iniquè ſpingos ambages ſolveremus? illa una determinatio, ſi mens non læva fuiſſet, & excluſerat inſidias, & clauſerat vias. Itum eſt tamen comitantibus paucis, quaſi præſidio fuerint manus inermes non armatæ. Nam quid de Ducibus Galliæ dixerim, quibus ipſa ſua multitudo non modò jugum hommagii ſubtrahere, verùm etiam rebelles quoſque debuerat ſubjugare? Miſeret me hominum, pudetque, quos tamen ipſos ſui nec puditum eſt, nec miſertum. Videre jam videor rei exitum, cùm abſumtos ſumtus, pœna, penuria, pœnitentia ſequentur. Pœnitebit utique, cùm ſe viderint ad injuſta cogi, & gravari coactos, & non poſſe erui gravatos. Tunc, inquam, pœnitebit: ſed quis pœnitentiæ locus, ubi correctioni nullus? nam quæ jam ultra reſtat correctio? Numquid abjurari poterit, quod ſemel juratum eſt? Numquid ſui juris eſſe poterunt, qui ſe alie-

no ſponte ſubdiderant? Numquid liberi, qui venditi? Nam uter juſtiùs ſervit, qui ipſo ſe venditore emitur, an qui prædonis violentia vænum producitur? Meritò igitur pœnas dabunt, futurorum ſecuri, præſentibus contenti.

CAP. XII.

Tancredus ad Alexium fugit accedere.

TAncredus his Boamundi conqueſtus caſum; Alexii tegnas, Galliæ jugum, hoc effugere, illum ſolari, illas punire ſapienter decernit. Conſtantinopolim igitur veniens, non ſicut cæteri declinat ad Regem, non claſſica præmittit, non tuba intonat, clam tranſit: Nam exuto milite, peditem induit; quatenus veſtis ruſtica, dum Tancredum tegeret, Alexium falleret. Itaque naulo, remige; borea velum urgentibus, refugit à tergo Europa, Aſia feſtinantibus occurrit. Wiſcardides interim nautas ad remos invitat, & ipſe remo Heleſponti verſat cerula. Nec mora puppis optato infigitur littori, feſtinantium votis brevitate itineris ſuffragante. Aſiana igitur potitus arena, Marchiſii filius habitum, nomenque reſumpſit jam tutior, ſicque Ducibus cæteris Nicæam proficiſcentibus, comes additur. Boamundus verò Thracium littus nondum reliquerat, rogante Raymundo S. Ægidii Comite moratus: quem morari quidem, & intercedere ea compellebat neceſſitas, quòd Rex præſcriptus comiti legem, qua cæteros præcedentes obligaverat, ſubſequenti imponere volebat. Comes autem longè jucundiùs ſibi eſſe reſpondebat mortis compendio hanc conditionem præcidere: ad quæ definienda valde ei neceſſarius erat Boamundi acceſſus. Igitur ubi Alexius ab exploratoribus ſuis Wiſcardidam clam transfretaſſe cognovit, eluſum ſe dolens, à præſentibus exigit abſentem; eorumque dolo imputat, quòd ſuum Tancredus ſapienter evaſerit. Præcipuè in Boamundum oculi retorquentur, quos faciebat ira novercales. Illis itaque fulminantibus, ſimul intonante minas gutture, velit, nolit, Boamundus jurat ſe Tancredi manus Regis homagio redditurum: alioquin nec manere tutum fuerat, nec exire.

CAP. XIII.

Tancredus Boamundo legatos mittit.

DUm hæc agerentur, Tancredus milites duos Atropium, & Garinum Conſtantinopolim remittit, qui Boamundi moras increpent, quique Turcorum bella nuntient adventare, niſi maturaverit, ejus ſpes caſſandas fore, quippe ſinè eo hoſtibus ſuperatis: quod nec ignorante Alexio potuit nuntiari. Quapropter ad ſe nuntios vocat, cum eis de Domino ſuo acturus, & quaſi novum aliquid ſuæ metu præſentiæ extorturus; Legati verò cujates, & cujus, & ad quid miſſi eſſent, rogati, Normannos ſe à Tancredo ad Boamundum eliciendum miſſos eſſe ſecuri reſpondent. Videns autem Rex nihil muſſare intrepidos, dimittit impunitos, quorum pœnam videbat ſibi inutilem futuram. Cùm ergo hæc tum à Legatis, qui redeundo præceſſerant, cum à Boamundo, qui ſecutus fuerat, Tancredus accepiſſet: neque dictu facile eſt, neque creditu, quàm ægrè tulerit, quantùmque vigilantiam ſuam alienâ ſomnolentiâ indoluerit deceptam: nec cohibere flammas potuit fornax accenſa, rumoris rapidi turbine ventilante undantes. Quapropter fertur intrinſecos gemitus præſenti effudiſſe querela. Heu cœcas futuri mentes mortalium! quas cùm viſæ ſibi fuerint conſummaſſe, tùm de integro incipere oportet. Fruſtra prudentia, ubi invida adverſatur fortuna: ſicut contra cui numina favent, fruſtra adverſari. Proviſum ſatis eſſe mihi putaveram, nihilque loci ſegnitiei, neque ſocordiæ relictum. Munera ſpreveram, ſolus aufugeram, fefelleram excubias, evaſeram inſidias, quod vix affectare, mihi fuerat efficere conceſſum. Proh! quantum erat hoſtem per laqueos illæſum tranſiſſe, quos etiam inſontibus evadere non licet illæſis? Videram viros nobiles, alios Ducum, alios Regum progeniem ultroneo regna exilio mutaſſe, veniſſe pacificos, loca immania, regna barbara venientibus inclinaſſe; non terram obſtitiſſe, non pelagus. At ſimul ad id, quo triformis chymera monſtrum crudelius non fuit, ventum eſt, nullus fuit pegaſus, qui expediret implicitos, nullus, qui aſportaret attonitos. Omnes quaſi ſub domina haſta tranſire, omnes omnia, quæ jurare juſſi ſunt, coacti ſunt. Ut ad me redeam, exactorem diſtrictum meritus, diſtrictiſſimum verebar ultorem; unde tantò vigilantiorem me, qui eruerer, eſſe oportuit, quantò ultionis zelus in me major exarſerat: inde erat, quòd caſtrorum regimen adhuc, & me ipſum abjeceram, dum ne inclinarem, ut alii, & liberiùs iras ulciſcerer aliorum. Nam quid de homine queri attinet, qui in eam, quam abruperam, compedem me redegit? cui nexuiſſe ſuum, niſi etiam meum necteret colum, non ſufficit: quem Invidiſſe felicitati meæ forſitan os negat; verùm illud jusjurandum de fonte invidiæ manaſſe, & lippis patet, & exitus probat. Ipſius quidem in dubium venit, majorne pigritia, an imperitia in hunc me conjecerit dolorem. Quippe magna utraque, & utraque proſperitatis meæ noverca. At coactus in perniciem meam juravit, quaſi his verbis invidiam diſſimulet, indignationem mitiget, excuſet factum, abſolvat actorem: hac verò, ut innocentiam prædicent; moras tamen innocentes non faciunt, nec morantis ſomnos à crimine defendunt. Verùm eſto: ſalvabo votum, redimam perjurium, mei, inquam, mei periculo redimam alienum. Eluſus ſum; ſed non mea incuria ſuperatus; ſed alterius debilitate captus; ſed cognati liberatione. Profectò hujus victor certaminis, odium, ſi vixero, efferaſſe dolebit, nec meruiſſe concordiam. Nam pro levi duco irritum facere, quod non ultro jurare appetiverim: ſed dictante tyranni violentia ſubjecerim invitus: præſertim cùm promiſſi illius obſervantia damnum ſit publicum; contemptio autem commodum generale.

CAP. XIV.

De obſidione Nicææ, & primò de Ducibus obſidentibus, præcipuè de Godefrido Bullionio.

SEd jam his, quæ aut queſtus eſt, aut queri potuit Marchiſides evolutis, reſpiret paululum ipſe; dum obſidione Nicæam cingere, dum caſtra metari, dum nomina, genus, moreſque Principum, quibus urbs ea oppugnata

gnata ceſſit, recolere ſibet. Hæc enim hujuſmodi ſunt, ut & laudibus non obvient præſcriptis, & miniſtrent ſcribendis. Igitur clariores famæ duces, à quibus alii, non qui ab aliquibus Martiatica receperunt, hi fuerunt: Dux Godefridus, ſenis Euſtachii Boloniæ Comitis filius, cui dignitatem Ducis, nomenque Bullio idem, qui eum miſerat, dederat. Eſt autem Bullio in Lotharii regno oppidum adjacentis caput Ducatus, à Duce avunculo Godefrido ſene juniori relictum. Junioris hujus nobilitas multis polluit virtutibus cumulata cum ſæcularibus, cum Divinis. Divinis, largitate in pauperes, erga delinquentes miſericordia. Porrò humilitate, manſuetudine, ſobrietate, juſtitia, caſtitate inſignis; potiùs Monachorum lux, quàm militum Dux emicabat. Nec minus tamen ea, quæ ſæculi ſunt, noverat tractare, præliari, ordinare acies, armis Eccleſiam propagare. Primus aut inprimis ferire hoſtem, adoleſcens didicit, juvenis aſſuevit, ſenex non deſtitit. Adeò belligeri Comitis, & Comitiſſæ religioſiſſimæ filius, ut etiam ab æmulo conſpectus audire mereretur: ad belli ſtudium, ecce pater; circa Dei cultum, ecce mater. His Ducem præditum moribus innumeri bellatores ad prædictæ urbis mœnia primum proſecuti ſunt obſeſſorem.

CAP. XV.

Duces Expeditionis recenſentur.

SUbſecutus eſt autem Robertus Normanniæ Comes Willelmi Regis, & expugnatoris Angliæ filius; genere, divitiis, facundia quoque non ſecundus Duci, ſed ſuperior; par in his, quæ Cæſaris ſunt; quæ Dei, minor, cujus pietas, largitaſque valde fuiſſent mirabiles: ſed quia in neutra modum tenuit, in utraque erravit. Siquidem miſericordiam ejus immiſericordem ſenſit Normannia, dum eo Conſule per impunitatem rapinarum nec homini parceret, nec Deo licentia raptorum. Namficariis manibus latronum gutturi, mæchorum caudæ ſalaci, eamdem quam ſuis ſe reverentiam debere Conſul arbitrabatur. Quapropter nullus ad eum vinctus in lacrymis trahebatur, quin ſolutus mutuas ab eo lacrymas continuò impetraret. Ideò, ut dixi, nullis ſceleribus frænum, immo omnibus additum calcar ea tempeſtate Normannia querebatur. Hujus autem pietatis ſororculam eam fuiſſe patet largitatem, quæ accipitrem, ſive canem argenti ſumma quantalibet comparabat. Cùm interim menſa Conſularis unicum haberet refugium rapinam civium, atque hæc tamen intra patriam; verùm fines patrios egreſſus, magna ex parte luxum domuit, cui ante per magnarum opum affluentiam ſuccubuerat. Tertius in hoc ordine Boamundus fulget, cujus repetere hîc genealogiam ſuperfluum, mores, & animos annotare præmaturum videtur: præſertim cùm de ejus genere ſuperior pagina egerit, inferior verò circa fortunas ejuſdem, & infortunia quaſi quemdam cardinem ferè tota verſetur. Hugo Magnus, Franciæ Regum Philippi Frater, Henrici filius quartum obtinet locum; magnus genere, magnus cognomine, magnus probitate, magnus etiam, & potens tum ſua, tum fraterni regni militia, venerabilior tamen regii gloria ſanguinis, quam aut opum ubertate, aut præcellenti multitudine, aut triumphalibus meritis. Quintus Bleſenſis Comes Stephanus, & ipſe Regum proximus, quippe Gallorum pronepos, & gener Anglicorum: cujus ſi largitatem hilaritas, ſi audaciam fervor, quanti debuerant, illuſtraſſent, nihil ei deerat ad Ducem, nihil ad ſtrenuiſſimum militem. Sequitur hunc Comes Flandriæ Robertus, Flandriæ nutricis equitum, Flandriæ feracis equorum, Flandriæ Cereris, Flandriæ periculorum, quæ puellari quoque pulchritudine præcellens, Reges Gallicum, Anglicum, & Dacum meruit generos; quibus Comes præſens ſublimis affinis, popularе faſtidit regimen, dum ipſe ſuper omnes exercituum rectores in enſe, & lancea laudaretur: unde poſtea contigit, ut ipſe quidem multò plus cæteris Ducibus celebraretur habere de milite; at neglectâ regiminis curâ, multò minus de Duce. Noviſſimus omnium Raymundus Comes S. Ægidii emicat obſeſſor. Noviſſimus, inquam, tempore, non divitiis, non potentia, non conſilio, non militari multitudine: nam in his omnibus à primordio claruit inter primos, & mox aliorum cùm effluxiſſet pecunia, hujus affluxerunt, & præcelluerunt divitiæ. Illa nimirum gens frugi non prodiga, parcitati potiùs, quàm famæ ſerviebat; exemploque territa alieno, non, ut Franci in detrahendo, ſed ſemper in augendo ſubſtantiam deſudabat. Ergo ſuum Comitem egere rerum ſagax utilium, divinuſque futuri populus non permiſit: virum æquitatis cultorem, iniquitatis ultorem; virum ad timidos agnum, ad tumidos leonem.

CAP. XVI.

Urbs circumdatur. Tancredus primus omnium Turcam occidit, alios fugat.

HIs igitur expugnatoribus Nicæam circumdari, debellari, poſtremò ad deditionem cogi, Gallia certavit, Græcia adjuvit, Deus perpetravit. Sed dum noviſſimus, ut dixi, Raymundus Comes ante portam orientalem tentoria figeret, illa enim area, cæteris jam occupatis, unica vacabat: ecce per compendia montis proximi Turcus deſcendens exercitus, quaſi urbem ab eadem porta ingreſſurus apparuit, feſtino impetu cupiens ſubvenire obſeſſis. Exoritur clamor. Comes proximus loco, primus obviat; mox cæteri Duces. Pars armati, alii ſemiermes, ut ardor belli quemque exciverat, occurrere feſtinant. Tancredus ſpatio remotus in equo advolat ardens, quòd ei vulneris primi gloriam locus invideriit. Itaque quod abſtulerat locus, reddit animus, nam abſente eo, fuga, & impetus nunc his, nunc illis varias ſpei, ac metus diſtribuerant vices: at poſtquam is, qui unus pro multitudine, miles pro agmine & habebatur, & erat, ſuperveniens irruit; cæſa illico cervix Turca, Chriſti efferavit milites, effœminavit hoſtes. Exanimati igitur ad montes ora, ad Francos terga, ad fugam ſtudium convertunt; animatos verò audacia comes, fuga hoſtium, morarum pudor, fugientibus immittit. Quòd niſi montis proximi aſylum refugos ſubitò recepiſſet, paulò tardiùs ſanguis barbarus latinæ cuſpidis ſitim imbuiſſet ad ſatietatem. Quia verò montis viciniæ timor, cujus eſt pedibus alas addere, ſubitus acceſſit, facilè quà deſcendendo invaſum fuerat, aſcendendo evaſum eſt, illa tantùm abſente anima, quam

Digitized by Google

Tancredus suæ præconem audaciæ sub tartara miserat. Multi tamen inhonesta tergo vulnera domum reportarunt. Christicolæ hilares in castra revertuntur, hi cruenta, illi recurva cuspide, alii fraxino trunca, pars hebete gladio insignes. Turci capitis spectaculum vulgò præsentatur. Tancredus per universi exercitus populos, linguas, ætates, sexus, professiones, primus Turci verticis celebratur unius abscissor, & innumerabilium fugator. Quod non sinè quodam futuri Tancredi præmonitorio quisquis rem diligenter attenderit, actum esse comperiet. Sanè tales cœlitus oblatæ decuerunt virum primitiæ, qui jam extunc, immò à sæculo prælectus erat, ut omnium invictissimus bellica subire deberet, & in nullo superari discrimine.

CAP. XVII.

Urbs redditur. Alexio sistitur Tancredus. Verba Tancredi ad Imperatorem.

POstquam obsessi obsidentium vires auctas, suas expectatis diu subsidiis destitutas viderunt; simul territi quòd Raymundus Comes, quia ultimus mœnia foderat, acriùs suffossa funditus quatiebat, urbem eo tenore reddunt, ut quam rem emere sibi non licet, liceat saltem perdere illæsis. Placet utrobique conditio, sicque ad Imperatorem mittitur. Imperator autem felici illo rumore impertitus, & munimen mittit, & ipse missos usque sinum, qui vulgò S. Georgii brachium dicitur, sequitur. Inde munita urbe, Boamundus per pacta fœdera, per junctas dextras, per homagii fidem adjuratus, ad eum navigat, secum, sicut promiserat, Marchisidem reducens. Ubi ejus hommagio Alexius magis terrefactus, quàm tutus, multò dejectior, quàm erectus, exaggeravit iram, non impetravit reverentiam. Nam velut divino oraculo instructus, metiebatur vir prudens illos, qui deinceps secuti sunt rerum exitus. Regni Græcorum non longitudinem immensitate sua Hierosolymitanum attingere. Tanti spatii urbes à Turcis captas, Christiano cultui fore mancipandas. Porrò Græcis ereptas talibus non oportere reddi tutoribus. Francos esse, qui hujusmodi tutelæ soli sufficerent; alioquin urbes & oppida restitui Græcis, id esse restitui Turcis: se simul duobus Dominis, scilicet Reipublicæ, & Regi Græciæ famulari non posse. Hæc animo volvens vir providus, fertur regias aures simillima huic implesse querela. Cognatus sanguis Boamundus tua impulsus potentia, huc me, ò Imperator, impulit retransire. Si promissa tua, si munera, si familiaritas me cepissent, non deerant aditus, per quos irrumpere licebat. Cæterùm ubi ea displicuerant, frustra mihi tuus placuisset accessus. Hæc attendens operam dedi, qua te præterirem liberior, vigili cura liberatum tua me huc violentia retrusit invitum; quominus tibi confidendum noveris, si quid hodie pepigero coactus. His te præmonitum sequentia quoque attendere oportet. Ecce ad id ventum est, ut cognati fœderis sacramentum absolvam. Verùm ea lex aderit media, ut te Hierosolymipetas adjuvante, stet fœdus mox casurum, cùm eorum aut successibus invideris, aut infortunia non levabis. Absit verò, ut aliquando fidum me habeat, quisquis ab eorum fidelitate discesserit. Si ergo domi nari desideras, famulari stude, de Tancredi certus obsequio, ubi Christi exercitium certificaveris de tuo. Omnium minister, tibi quoque pro omnibus non abnuo ministrare. Summam autem horum compendiosus sermo diffiniat. Qualis antecedet tua erga Francos devotio, talem meam Græci erga se expectent secuturam. His de arcano pectoris, prudentiæ tabernaculi, sapientiæ domicilii fonte derivatis, laudatur animus, qui & tam fideliter pro republica intercedit, & tam constanter, nec pro domestica timet, nec à justitia recedit. Tollitur clamor Gallicus, Græca quoque murmura meritum non abnuunt favorem.

CAP. XVIII.

Tancredus ipsius petit tentorium. Indignatur Imperator.

POstquam Alexius viri mentem videt pecuniæ contemptricem, neque aureo, sicut cæterorum, posse vinculo irretiri, quia eum post se nequit trahere, trahentem sequitur, & sermonibus consonat dictitatis. Jungunt dextras, stomachante tamen intus Marchisida, extra verò torvis luminibus crudescente. Celebrato ritu, quem ad hæc fœdera Principes observant, invitatur Tancredus, ut quidlibet à rege petat, nullam passurus de petito repulsam: æstimabatur enim aurum, argentum, gemmas, pallia, & his similia petiturus, necessarium viæ subsidium, & avari animi blandimentum. Spretor pecuniæ, sublimitatisque regiæ animus æmulator, vulgaria temnit, quem duces alii oblatum præ onere honorem recusarent, illum affectat, & solum de regalibus ait præplacere. Erat nempe regi tentorium, quod arte simul, & naturæ mirabile duplicem spectatori jactabat stuporem: ad hæc urbis instar turrita atria, camelos viginti gravi sarcina non fraudabant, capacitas conveniendæ multitudini opportuna; apex tantùm cæteris præminens, quantùm lenta solent inter viburna cupressi. Hoc ergo magnanimi Wiscardidæ mentem munus unicum capit, hanc sibi destinat aulam idoneam: onus quidem inutile præsenti; sed signum haud ignobile futuri. Quo comperto, Alexius sic fertur æstuasse ad petentem, sicut olim Delius ad Phætontem: nisi quia illic paterna pietas trepidabat, hîc sæviebat indignatio hostilis. Phœbus ingemiscebat de periculo filii, Alexius super animo sublimi. Phœbus filium ad salubriora optandum hortatur, Alexius sic optatum negat, ut post negatum his increpet? Ergo ne Marchisides, confert se mihi, regalia petendo insignia? sordent verò ei communia, nisi singulare meum in toto orbe affectet palatium? quo impetrato quid restat ultra, quin capiti diadema meo detrahat, suo imprimat? at puto desunt ei atria congestos satis explicitura clientes, neque tantæ militum copiæ intra septa valent concludi domestica. Itaque regia petitur, quæ suis dimensionibus immensa domino sufficiat magnifico. Ut autem cedat ei petita, ubi muli, ubi muliones, aptum tantæ moli vehiculum? nimirum hanc adepto relinquitur, ut ipse pedes impositam quasi numina sequatur. Recolat verò asino se dissimulanti, fuisse damno leonis exuvias: quibus indutus ut terreret, meruit rusticum sentire terribilem. Quo admonitus exemplo ne affectet mei umbra nominis terrere ignaros, ne demum

cogni-

cognitus pateat Tancredus. Metiatur se autem modulo suo, ac pede, sarciat sibi pro se tentorium; hujus verò spem omninò deponat. Quòd si irasci pergit de repulsa, floccipendo iras, & quantùm iras, minas. Jam enim magis, magisque mentem hominis stolida mihi ambitio reseravit. Donec tacuit philosophus credi: insanus autem, ôs ut aperuit, meruit. Eja igitur quidquid fraudis, astutiæ, irarum, ac furiarum habes Marchisida, in meum ventila caput: enoipio ardentem: Ego nec hostem mihi te dignor, nec amicum. Hæc Alexius ira simul, & astutia dictante profatus; partim dissimulabat timorem, partim tumorem atrocissimæ bilis leniebat. At Tancredus quasi jocosæ illius imaginis imitator ultima de multis verba arripit, nullique libentiùs umquam responsurus, ait: Hostem mihi te dignor, nec amicum. Ab his digressum est, neque ultrà congressum.

CAP. XIX.

Ex ipsius manibus se eripiunt Tancredus, & Boamundus.

TAncredus ad littus redit, ubi parato remige fortuna simul & vocatur, & adest. Transfretat nihil morans, is, cui adeò ingratum nihil, quàm mora. Boamundus autem paulò tardior egressus, regias ferè expectavit, & incurrit insidias: sed latenter edoctus veretit se ad fugam, alioquin ad catenam. Deinde regis nuntius reclamans, revocans secutus est egressos: verùm donati rude, extricati nodis, procellis emersi; rursus iisdem nolunt exponi turbinibus. Sordet revocatio absentis, cujus præsens contempta est persona, neque adituri summi Regis cunabula, Herodis audiunt perfidiam revocantis: Immissave aratro manu, lumina non reflectunt, semel quàm sit illa reflexio damnosa experti. Sed & illæ, quarum altera chaos Sodomæ respexit, altera Treicio conjugi est respecta, emersos ad lucem rursus prohibent tenebris immergi. Tot admoniti exemplis, omnia hæc visi sunt sibi evadere tormenta; dum hunc unum prætereunt tortorem. Igitur longo morarum tractu afflicti latini Duces tædia vincunt, necessariisque juxta sibi, ac vectoribus jumenta onerant alimentis: nam media quæ fertilitatem submovebat, sterilitas per dies plurimos transeuntibus occurrebat, nullo frugis solatio inopiam levatura. In cujus confinio Solymannus Rex Turcus opperiebatur venturos, quatenus ignaris incurrerent providi, famelicis opulenti, fessis alacres, languidis robusti. Consultum est verò quasi divinitus fideli populo, ut victualium copiam per incultam solitudinem traduceret, quæ vecta suos quodammodo veheret vectores.

CAP. XX.

Exercitus Christianorum in bivio dividitur.

SEd cùm penultima circa exitum illius aridatis tranfiisset dies, penè fortunæ ludus suum illum favorem à Christicolis ad Mahumicolas convertit, & in partes Tancredi ausa est nimium. Nam redintegrato, sicut soliti erant quotidiano, vel, ut ita dicam, quotinocturno calle, secta est in bivium via, & exercitus Christi factus est biviator. Plurimorum opinio errorem illum industriæ deputavit; quo terra genti opulentiùs serviret diffusè spatiosa, quàm stipatè contracta. Huc accedebat, quòd casus idem Normanniæ Comitem, Boamundumque, Tancredumque seorsum à turba diverterat, quasi ut unigenæ uno consilio unam patriæ suæ gloriam prærogarent. Alii verò non ultroneum, sed casuale, nec tam prælusum, quàm invisum fuisse, ipsis qui diverterant, divortium asserebant, sanè miserantes fortunam, & lenientes invidiam; quæ quidem sententia his suffulta firmior stabat præsidiis, quòd præmemorati Duces comitis plebeculæ non amoverant sarcinam, quòd alienigenæ militiæ comitatu gaudebant, quòd suam denique, quæ maxima aberat, non præmunierant.

CAP. XXI.

In mutuo occursu acies Latina, & Barbara concurrunt ad arma.

IGitur ubi Normannorum vexilla minas belli Turcis denuntriant; (nam Tancredus impiger morem suum præcurrendi obtinens, primus & conspicere, & conspici maturaverat) Dispositum est utrobique, ut à fluvio, qui medius discurrebat, velociores tardos arcere debuissent. Cœperat autem crepusculo vesper cedere, cùm Latinæ, barbaræque acies mutuum compererunt occursum. Expensa itaque nocte instanti ad mediam in quietem, à media in laborem: pars fidelis promptior, manè circa horam primam ad ripas præscripti fluminis prævênit infidelem, ubi vix metator sedulus prima infixerat castra: cùm, ecce hostis, ecce hostis, & ingeminatur acriter, & occurrit audacter Armantur, qui armandi venerant: at qui armati in bella feruntur: retunditur sagittipotens manus, nunc perfossa lanceis, nunc ensibus decisa: retunditur, inquam, ut quæ prima fuerat, in mediam referri, quæ verò media, præ tutela fieri cogeretur. Cùm igitur eò usque Normanni fugientibus institissent; densati cunei vires resumunt, & qui modò fugaverant, ipsi in fugam sunt conversi. Interea Normanniæ Comes, & Boamundus duas tantùm, singuli suam, instruxerant acies: jamque gradatim alacres prælium inibant. Instantibus itaque Turcis, contraque Christianis subvenientibus, magna vi hinc & inde certatur: nihil arcus, parum lancea, ensis plurimum agit. Turcos sua numero carens numerositas defendit; nostros autem loricæ, scuta, & galeæ. Multum cruoris utrinque funditur, plus barbari: illius quidem non cessat strages: at tamquam recidiva hydræ capita, ubi pauci occidunt, innumeri succedunt.

CAP. XXII.

Christiani in fugam vertuntur. Robertus Comes Normanniæ animos colligit.

AT vero fidelis legio communem cum his quidem habet occasum: sed non commune supplementum. Igitur lassata dum percutit, quassata dum resistit, inaminata dum rarescit, dat terga: quodque numquam usquam antea didicerat, in momento docta est fugere. O bellum miserabile! ô fuga lugubris! O damnum in damno! ô in vulnere vul-

vulnus, militaris fugæ impetus pedestrem conculcat tarditatem, inque vicem densissima pedestrium hastarum sylva nunc fugam impedit, nunc extinguit, fitque vel hosti miseranda clades, cùm terga sagittis horrent, ilia lanceis velut torrendorum verubus affinguntur. Dum itaque non parcunt, aut qui fugant arcubus, aut qui fugantur calcaribus, refugitur in castra, minimum tamen solatium, sed unum. Ibi denique regius sanguis Willelmides, quis, cujus stirpis, cui militet memor, verticem nudat, Normanniam exclamat, Boamundum collegam, immo confugam suum his increpat. Eho Boamunde, quorsum fuga? longè Apulia, longè Hydrontum, longè spes omnis finium Latinorum: hîc standum, hîc nos glorioſa manet aut pœna victos, aut corona victores; glorioſa, inquam, sors utraque, sed etiam eo beatior altera, quo celeriùs efficit beatos. Ergo agite, ò juvenes, moriamur, & in media arma ruamus. His admoniti agglomerant se se ducibus cætera juventus, morti deinceps, quàm fugæ paratior: astant intrepidi, ceu quondam (*) venabulâ in furore opperiens leo, qui modò longa quiete piger à latibulis excitus, paulatim lucratur iras latratu, lituo, clamore, jaculis lacessitus, & tamquam non sua cujusque, sed una utriusque ab altero discurrat ad alterum, quantò acrior ira accenditur leonis, tantò tepescit segnior venatoris. Pari forma dum fidelis populus crudescit, infidelis remittitur, neque ultra audet invadere, quem cœperit nil timere. Respirant igitur ambæ partes, alios, ut dictum est, remorante audacia, & alios metu.

CAP. XXIII.

Magna fidelium strages.

Interea nuntius mittitur, qui eventum rei exercitui declaret ignaro, festinetque abesse, ut adesse ab illis festinetur. Ast adversarii alios, & ad aliud emittunt, speculatores scilicet ad cladem, non opis imploratores ad salutem. Turba itaque illa equites nostros prætervolans, ad plebeculam transilit, numero tamen maximam, sed viribus imbecillam. Hi palantes præfestinantis militiæ vestigia legebant, muros periculis opposuisse putantes, cum subitò irruunt primò sagittis, mox ensibus sævientes Turci, adepti ultra spem prædam, citraque bellum victoriam. Trucidantur itaque senes, pueri abstrahuntur, ætas media utrius partis expressiùs figurat faciem, ejus patitur sortem: sæpissimè tamen, ac sæviſſimè mucro, & de impubibus præsumit, prædæ copia sæviorem de sæviſſimo faciente prædonem: cui cùm Briarei manus non sufficerent ad rapinam, cædibus insistit, quatenus vel sic animum expleat voracem. Unde factum est, ut de tanto numero perquam rariſſimos præteriret aut vulnus, aut vinculum. Neque in tot usquam seu qui præcesserunt, seu qui venturi erant, bellorum casibus tantum de Latino sanguine gladio licuit gentili. Quid plura? Cedentium lassata, nec dum satiata rabie; victi victores in castra sequuntur suapte sarcina, seu socia onerati: militiæ nostræ spectaculum satìs miserabile; nulli verò audaciæ satìs miseratum: quippe quorum vota his contenta finibus hærebant, ut oppugnatoribus suis resisterent, non ut cessantes interim aliquatenus oppugnarent.

(*) fortè *quædam*.

CAP. XXIV.

Acriter resistit Tancredus.

POrrò Tancredus ex adverso castrorum latere hostes debellabat, qui tentoria dirimentem conscenderant tumulum; unde faciliùs lædere, difficiliùsque lædi potuissent. His, inquam, uno & rapido incursu dejectis, vir fortis occupaverat ascensum, multos adorsus, paucis adjutus. Boamundo enim invito, quin prohibente, res cœpta vix comites aliquot elicere impetravit; ideò autem prohibente, quòd exercitus hostilis diffusus nostrum quadam theatrali specie circumsepserat, ex omni parte necem significans inclusit. Quamobrem Christianorum providentia, æstuantibus juvenum animis ad congressum egressum negabat, ne fortè paucorum temeritas rei ordinem turbaret universum.

CAP. XXV.

Et ipsius frater Willelmus. Hostes cædunt.

WIllelmus tamen Marchisides, dum fratri metuit, sui non meminit, qui nec revocantem Boamundum, nec hostilis vires multitudinis veritus, fraternæ fieri comes ardet audaciæ. Oh facto miser, atque beatus eodem, qui in mortem ruit, ad vitam transiturus! nam repulsa, ut præscriptum est, à tumulo turba, non tam cesserat, his, quorum præsenserat gladios, quam quos frustra timuerat sequuturos. Igitur ubi quot, non quos fugerit, respicit, numerum librans, nec animus redit: acrior quippe cujus laborem dolor, dolorem pudor cumulabat. Irruunt itaque primi arcubus projectis, audaciùs strictis mucronibus sævituri. Quibus quidem jam non putabatur hæc pugna; sed pœna: nec adversùs hostes confligendum; sed tamquam de capitalium rerum condemnatis, ultio secunda. At verò numeri parvissimi robur maximum, muralem contra objectat audaciam, non si vel Rex ipse Solimanus cum omnibus suis copiis in eos sæviat, cessuram. Fit fragor; hi lanceas vibrant, illi gladios, ut dictum est, stringunt: hi pectoribus loricas, loricis scuta munimen adhibent; illi peltas. Horum pugna à summo descendit; illorum ab imo nititur. Illos pudori mixtus dolor stimulat; hos ceu in specula stantes tot urgent stimuli, quot spectant oculi. Aliis ergo loci situs, armorum commoditas, quin ipsa sua paucitas præsidio erant: aliis ad incommodum cuncta, etiam in qua confidebatur, pluralitas. Enimvero ascendenti Turco fraxinus objecta eminus obviat, casuroque similem vi tactum, impactum facilè aut conficit, aut dejicit. Confectus autem, dejectusque unus, plures dum rotatur, parili impetit ruina. Uno tamen cadente, ut fit in numero ingenti, mox plurimi subeunt, rursusque his plurimis alii item plures, sicque factum est, ut qui in furore, in indignatione, in contemptu bellatûm venerant; priùs ipsa sui ruina aggerem æquarent, quàm calcarent: Contraque numerus Christi nec minutus est nec læsus. Adeò cuspis fraxinea largæ prodiga opis, usum simul utrumque & scuti supplet, & gladii. Quid contra hæc mucro? mucro, inquam, cujus est proximum cædere, remotis parcere; immergi cominus, minari

minari eminus; utque paucis ejus facultatem includam, cujus licentiæ pares habet terminos longitudo, evaginatus minari poterat, lædere non poterat vel emissus. Unde comperiens sepote experta acies fracta in audaces, tutam non esse audaciam: jam non ultra viribus contra vires decernere satagit, artes, arcusque, quos abjecerat resumens. Quòd, si ut primò cœperat, pedem pedi, manum manui, umbonem umboni conserere aliquandiu inarsisset, profectò magnanimi sævæ strages huic collata succumberet; id tantum solatii objecturam, quòd ipsa unum, hæc sæva omnes suos habuerit bellatores.

CAP. XXVI.

Cadit Willelmus.

SEd resumptis arcubus, grando volans, quibus enses pepercerant, non parcit; quos non attigerant, perfodit; ubi nec ascenderant, descendit. Hactenus ergo sarcina tantum gravis, loricæ, scuta, & galeæ: nunc gratissimus obex, vitæ, mortisque fines disterminat. Eatenus tamen, si quatenus molesta, quòd levitas captata ad limen sæpiùs artifices manus retorserit. Pluentibus itaque vulnera Turcorum nervis, nostri, dum degrandinet sustinent, si quis alicunde turbo perflans tantam telorum nubem discutiat. Cognatæ acies juxta, hostis undique, adjutor nusquam, interea gemunt saucii. Hic manum perfossus, ille oculum effossus; alii suffossi pedem, pars verticem superfossi. O pietas! o dolor! o luctus! Clypeus aliorum Marchisides & ipse cum aliis affligitur Willelmus. Aliorum dolor hærebat in vulnere, hujus vulnera usque sub mortem doluerunt. Labitur corpus nobile, socii exceptum in castra referunt, pauper, belli causâ, agger relinquitur. Quis tibi, Tancrede, spectanti talia sensus? quosve dabas gemitus? viri corda, cui modò robur, & æs triplex circa pectus erat; jam muliebres mollescunt ad lacrymas, ora fœmineum ululant ejulatum; digitimentum, genas, caput decalvant: postremò quæcumque hominem armant particulæ, reliquas inermes crudeli seditione dilaniant. Multi quoque heroum fidelium in eadem lamenta resoluti super Marchisidas lugent: neque minus hujus lacrymas, quàm illius necem miserantur. Dum hæc agerentur, vix debellatus Turcos receperat tumulus, & ecce Christicolas pulvis testatur adesse cohortes, summissi tolluntur animi, contra elati summittuntur. Exclamatur: *Deus vult*, hoc enim nostri interjiciebant lætantes. Adversarii, *Heu*, & *At at* murmurantes, ingeminant: quippe non tam spes ablatas, quàm oblatos metus trepidantes.

CAP. XXVII.

Hugo Magnus instat.

ADvolat ante alios regum clarissima proles
Magnus Hugo galeis contentus fermè trecentis.
Irruit in medios non ut qui pugnet in hostes;
Sed qui post pugnam fugientia terga sequatur.
Sic rapidus, sic intrepidus, sic undique tutus
Aggreditur, lacerat, fugat, insequitur, premit, arctat,
Fulminat, exultat, fremit, exclamat, furit, ardet:
Mittit in hunc aciem ferratam Rex Solymãnus;
Ingentem numero, virtute, minis, feritate,
Quæ numero superet segetes, ò Gargara, vestras;
Quæ virtute suis æquet convallibus Ethnam;
Quæ feritate minis totum sibi vindicet orbem,
Quæ perferre graves, & reddere gaudeat ictus.
Ergo alacres hinc tanta cohors, tot tela, tot arcus:
Inde Comes Magnus quàm nomine, tam probitate,
Occurrit parili numero, sed dispare freti,
Bellum ineunt, stant oppositò pars obvia Gallis.
Conserti clypeos clypeis, atque ensibus enses:
Pars lateris dextri gyrum, pars altera lævi
Occupat, & volucres mittunt utrobiq; sagittas,
Undique septa armis audacia Gallica, & hoste,
Ad quos se vertat, nisi se convertat ad omnes,
Ignorans, modò ad hos, modò se convertit ad illos.
Qualis apri, quem turba canum circumvenit ingens,
Fulmineus nunc hos dens, nunc eviscerat illos;
Nunc retro mordaces, & nunc à fronte minaces:
Sic vir magnanimus, & eo duce freta juventus
Innumeros ardens se circumflectit in orbes,
Et quæcumque ruit cædens, cæsus ruit hostis.

CAP. XXVIII.

Turcos fugat.

ERgo recens acies jam multa cæde cruento,
Jamque fatigato Comiti congressa labore,
Sudoremque viri crudeli exaggerat ira.
Sauciat ante, retro, dextrâ, lævâque, nec ullam
Dat requiem gravibus, nullo sudore gravata;
Postquam nulla valet vis innumeros revocare
Ad numerum, majorque redit, quàm corruit hostis,
Magna Comes parvæ miseratus funera turbæ
Ora in terga refert, hæc sola timeatis imago:
Cætera victoris lacerantis, dejicientis,
Atque fugantis erant: in terga fugacia cuspis,
Ensis dimidians, equus ardens, dextera flagrans,
Quippe retrocessit, qui retrò ceciderat hostis:
Ut versam faciem videt, aspectumq; minacem,
Expers qui mortem fugiens incurrit eidem,
Tutiùs ignotis sperans occurrere multis,
Quàm semel expertæ restare ad verbera dextræ
Consul agit trepidos, graviterq; instatur agenti,
Et fugit, & sequitur, pariter fugat, atq; fugatur.

CAP. XXIX.

Et cum eo Robertus Comes Flandriæ.

OBviat his hasta metuendus, & ense Robertus
Flandrigena, effrænique volans ad prælia cursu,
Damna, morasque levat, dum quam ultimus hauserat aure,
Primus inardescit pugnam impinguare cruore.
Obvius ergo fugæ, pertransit in usque fugantes,
Quàque videt densas acies fervere sagittis,
Et stridere minis; ibi fervere stridere tendit.
Incurrunt Turci in Comitem, Comes acer in illos:
Flandrenses q; ferè numero, & virtute phalanges
Igne pari accensę; pede, strage, fragore sequuntur.
Sternitur arcitenens acies, sparguntur & arcus.
Rumpuntur pharetræ, calcantur, ut alga, sagittæ,
Peltæ, thoraces quasi stamina linea ad enses,
Sarcina sunt tectis, & non tutamina Turcis.

Sic

Sic Comes armipotens Gallorũ terga sequentes,
Rursus terga dare, & versa vice pectora Gallos
Vertere compellit; numeroque carentia primũ
Agmina, sub numerũ sternendo necãdo reducit.
At Turci nec nulla quidem, nec multa repẽdunt
Vulnera, spes quorum ferratæ nescia calcis,
Tota retrosuadæ de verbere pendet habenæ:
More tamen patrio fugiens quo vulnerat arcus;
Sed tremebunda metu ferit, & nõ lædit harundo;
Tantus ad internas pertransiit usque medullas.
Papæ! Quem genuit Flandrensis flamma tremorem!
Dum Comes indomitus domat hostes, densaque spargit
Agmina, sparsa secat, secta obruit, obruta calcat
Magno magnanimo Comite stipatus Hugone:
Nec cessat strages, donec socia arma fugatos
Excipiunt; nectuntque moras, arcentq; fugantes.
En iterum viresque novas, animosque recentes,
Congressusque manus avidas, & cætera ad usum
Congrua bellorum; nova cuncta recentia nostri
Inveniunt, multaque licèt jam cæde gravati,
Accipiunt acres, & reddunt acriter ictus,
Rollandum dicas, Oliveriumque renatos,
Si Comitum spectes hunc hasta, hunc ense furentes.

CAP. XXX.

Godefridus in hostes ruit.

DUx Godefredus homo totus bellique Deique,
Cujus non fervor, non vires, non animosus
Spiritus Hectoreis cessit; sed præfuit armis,
Lætus adest: O quas acies, quæ pectora ferri,
Quam longum chalybem lateris munimina levi
Cernere erat comitata ducem! Quis flatus equorum,
Qui fremitus hominũ, quæ gloria Lotharidarũ!
Dux ergo Turcas acies premit, insequiturque
Non astu vigili, non commoditate locali,
Non, quæ vel timidos in fortes excitat, arte
Adjutus, verùm turbans his omnibus hostes
Scilicet adjutos astuque, locoque, doloque.

CAP. XXXI.

Aggere potitur. Fugientes insequitur. Mons vicinus hosti favet.

STabat in occursu Ducis agger, agerque sub ipso
Retrocedentem dirimebat ab aggere montem.
Huc ubi fisa dolis gens plus, quàm fisa sagittis
Diffugium fecit: ratus aggere velle potiri,
Ad pugnam refugos, dux fraudis, & artis iniquæ
Ignarus, belli faciem convertit in illos,
Et celeri incursu tumulum priùs hoste gravatũ
Liberat, inde fugam ad montem per plana coactã
Strage premit multa, hostis scilicet, atq; suorum
Nimirum gens illa dolis armata sequentem
Æquè transfigit loricam, quàm fugientem:
Et nisi equus velox fugientibus iggerat hastas,
Quo magìs effugiunt, magìs horrida vulnera spargunt.
Ut faciat Turci fuga, quod victoria Franci.
Monte recepta cohors, non ære gravata, nec armis
Ære graves, armisque viros post terga ruentes
Evadit facilè, & facili, pronaque sagitta
Sauciati, intortæ contemtrix eminus hastæ.
Anxius objecti Dux frendens in pede montis
Rursum in plana redit; si quos mons invidet hostes
A Eliciant, vacua arva Duci repetitus, & agger.
Hostis ad hæc gaudet, descendit, & ultro lacessit
Semper discurrens, & semper vulnera spargens.
Fretus equo celeri, montisq; favore propinqui,
Dux iterumque, iterumque sequens in pectora multos
Excipit, & plures in terga remunerat ictus.
Monte tamen meritos semper curtante triumphos,
Quippe sinu victis, victricibus obice signis,
Ceu quondam accipitrem, qui circinat aëra gyro,
Ceu qui in fronde sedet querularum turba volucrum
Circumagit, varioque replet virgulta latratu:
B Tum si fortè procax cornix propiore volatu
Jam tumidum ostendit, ille indignatus, & ardens
Fertur in aëriam toto conamine turbam:
Illa fugit trepidis repetens cunabula pennis,
Cùm similem esuro porrectis unguibus arctæ
Saxi seu terris cohibent te prædo latebræ:
Ungue tamen plumas referens insignia palmæ
Nacta sede doles, alasque expansus hianti
Rostro, luminibus flammatis, pectore anhelo,
Suspicis elapsæ plumosa repagula prædæ.
Haud secus ira Ducem turbat, dũ pulsus ab arvis
Turcus habet tutas latebras confinia montis.

CAP. XXXII.

C *Hugo Magnus subvenit Duci, & cum Raimundo Comite montem superat. Terror invadit Turcos.*

SEd cùm Magnus Hugo diverso prælia tractu
Aggressus, montis latus ex facili superasset
Pervium, & hoste vacans: mox nec juga, nec via præceps
Deprensos inhibent, quin laxis cursor habenis
Raptet equus, refugos per plana, per ardua Turcos.
Hinc igitur Comitem, inde Ducem fugiente caterva
Hostili, Comes accelerat metuens Raimundus
Ne sibi, neve suis desit, qui dimicet hostis:
D Hunc suus, hunc alii pedites, equites comitati
Belli ductorem, legionum dispositorem
Tanto ditabant numero, munimine, signis,
Ut credi posset absentum nullus abesse,
Qui meriti fuerant credi, nullum superesse.
Ergo formidans, ne formidabilis esset
Præcidendo metum, rupto petit ordine bellum.
Si furor Ideas quercus ad littoris ima
Sigæi rapiat, tremat omnis proximus Idæ
Et mons, & vallis, lateat sub pulvere Phœbus:
Si lucem demas galeis, aut frondibus addas:
Hic status, hæc species, similis fremitus, tremor idem.
Turba sodalis erant Comitis, turbæque sodalis.
Qui fragor attonitas Turcorũ ut perculit aures,
E Atque oculos fulgor, totam occursare paventes
Europam, nullo duce, Consule, Rege relicto.
Primò stant dubii, mox ut Raimundica cuspis
Obvia quæque rotat, colliditur, & subit ensis,
Tunc nec Arabs jaculo, nec fidit Turcus in arcu;
Sed nec equus frænum, nec equum via, nec fuga gyrum
Senserunt, adeò fugere est sperare salutem.
Ergo Cylix Tharsum, nemora Ætheritanga Coatræ,
Antiochena Syrus, Sidonia mœnia Phœnix,
Artasium Jacobi, turres Elamita Calepti,
Præterea innumeræ notas sibi quisque latebras
Diffugiendo petunt, sine more, sine ordine gressus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXIII.

Duces hoſte diſperſo versùs Antiochiam metantur. Tancredi audacia.

TRiumphato, cæſo, diſperſo hoſte : victore reverſo, ditato, jucundato : via ſolitum revocat viatorem , quo jam tutior , eo diffuſiorem . Duces turmis pedeſtribus Antiochiam versùs gyro prolixiori , ſed facili cultam planitiem metandam provident , proviſamque metantur . At Tancredus nemorum devia, montium ardua, Cylicum flumina prætervolanda eligit, quà ad prædictam urbem ſemita accelerabat directior . O bellatorem ſtupendum , cui voluptati labor , cui ſecuritati bellum , cui otium difficile , cui facilis quævis difficultas , cui poſtremò nihil dulce , niſi fuerit ſudore conditum ! Stupeamus interim hominem , qui nunquam ſtupuit ; eique metuamus, quia nil metuit. Papæ ! Quænam hæc eſt audacia , immo amentia , Tancrede ? Antiochiam prædaturus centum ſociare loricas contentus es : arcuum tuorum numerus vix ducenti ; In his millibus Syriam oppugnas ? paucos adhibes : ſupple numerum multus eſt hoſtis tuus, multi adversùm te gladii, hoſtis tuus plures armat populos , quàm tu viros . Ut te patrocinandum vocent , quæ adverſarium expectant oppida , & urbes , paucos Ducis cuſtodes . Surgat , quæſo , ſurgat in quintuplum ſumma municipum ; ne ſaltem cuſtode vacet numeroſitas municipiorum , alioquin vocatus tutor non ſufficis tutelæ , ut ſingulis plebibus ſingulos diſtribuas aſſertores . Præſertim urbs Antiochia munita armis, ſtipata armatis, aſſueta bellis , ſuperba triumphis, dominando inſenuit, dominari non novit . Moderare præcipitis curſum animi , & ſapientis cujuſdam viri ſententia pro fræno utere . Dux ille , & miles , quid ducis, quid militis refert expertus , ſic ait : & priuſquam incipias , conſulto , & ubi conſulueris , maturè opus eſt facto : Quod conſulere ad ducem ; quod ad militem agonizare referendum eſt , etiam ſimplicibus quibuſdam palàm eſt : verumtamen vel alter utri utrumque , vel utrique alterum : immo utrique & hoc , & illud ſæpiùs incumbit : & te quidem utriuſque nominis accendit gloria , ſed ab humiliori ſuperbiam tantò petis incautiùs ; quantò à ſublimiori efficaciùs impetraſſes . Miles flagras intrepidus appellari : eoque prudens fueris , ut imprudens furere dicaris ; dumque levem hanc emis auram ; projicis vitam , perdis operam , lucraris invidiam , incurris infamiam . Redi ergo ad te : reduc te in ducem , priùs conſule , & ubi conſulueris , explica cohortem : alioquin namque , cùm ventum in pericula fuerit , ſerò conſules, citò fatiſces , voles conſultus veniſſe in prælium , non in conſilium præliatus.

CAP. XXXIV.

Tharſum obſidet . Inſidias parat.

HAc ſimili , & forſitan dicatiori revocatione Tancredi aures obtundente , ipſe in aſpidem ſurdam obduratus, vel ut incantatores excludit quos habet monitores : quin & cœli flammis , tigride fœta ocior Bytiniam tranſvolat , Tauros montes , Buteoti valles ; has Baritis , illos polo contiguos percurrit . Cylicia potitus Tharſum obſidet . Indignatio Turcis , exultatio Græcis , exhortatio Armenis , ſtupor univerſis . Ea namque tempeſtate Turcis dominari contigerat , Græcis famulari , Armenis montium arduitate tueri libertatem . Sed eminus tamen conſpecta urbe , admiratus faſtigia turrium , ſpatia montium , ſuperbiam domorum , tentare vires properat incolarum . Igitur diſpoſitis inſidiis , ubi . . S . . tis , quæ providenda erant , proviſa ſunt : præmittuntur arcitenentes Marnys Turcopoli, aliquot tamen loricatis ſuffulti noſtratibus : hi præſtruuntur , abſtractis per paſcua armentis , quo ordine , quò diffuſio diverteret , ne rituri per prædam hoſtes , & ante deprehendant inſidias , quàm deprehenſi ipſi dent pœnas : Dictum , & factum : prædones emiſſi volant, ſuburbium populantur , cooperto ſimulato metu, quà juſſi fuerunt , recurſant . Urbs excitat quidquid armorum , quidquid virium habet , poſt veſtigia immittit ; interim vix numero portarum cuſtodiæ paucos relinquente . Igitur accelerant hi , accelerant illi capti ab . . . Mox igitur qui fugiunt ad ſalutem : qui fugant ad necem : qui fugiunt ita vincunt , qui fugant , ut vincantur . Interea fieri dum . . . . . inſtatur . Fugientem inſtans crebrò perfodit , ſuccurrens velocior , contraque lancea fugiens, dum ſe . . . . . inſtantiam ferre nequit, convertitur ; & ſubvertit has ludente fortuna vices : aliis evaſum eſt, aliis ſupervaſum . Dato igitur à ſpeculo ſigno , vallis gravida armis palàm fundit , quos conceperat , armatos , ac primò quidem fremere incipiunt haſtilia præferrata ; moxque in ſylvam ſurgunt quercus , & fraxinus pari modo irruentibus galeis, clypei ſuccreſcunt , poſt loricæ , poſtremò & equites , & equi Cadmeo ſemini ortus ſimillimus , quos ubi audax comperit Turcorum rabies , ultro converſa torridam more ſuo emittit urbem ferratam ante , poſt alatam .

CAP. XXXV.

Hoſtes cædit , & fugat .

TAncredus elicitos ad pugnam videns, utpote numero fretos ſuorum maximo , noſtratum minimo , ipſe primus mediis prælium infert , obvium quemque aut enſe dividens , aut cuſpide configens : juventus fida Turcorum cædunt primò pectora , mox terga : nudi quippe lævam aliqui , pectus nonnulli . . . pus univerſi ; galeas , ſcuta , loricas non ſuſtinent, & veſtes amplectitur . Ergo porta reduces modò quidem anguſta , quos paulò ante eduxerat ſpatioſa, adeò confuſi, territi, amentes, conglobati limina ſubeunt . . . . gladio urgente victoris . Quod niſi muralis cuſtodia grandinem ſaxeam pluens confertam umbonum cratem diremiſſet , uno impetu mœnia , & cives ſubiiſſent , & hoſtes : aliis itaque admiſſis , alii repulſi per trunca redeunt cadavera , Chriſto gratantes . Intra mœnia dolor, extra gaudium : intra ſpes in timorem vertitur , extra converti nefcit , ſed augeri . Inter hæc dies clauditur , & deliberandi opportuna conſiliis nox ruit .

CAP. XXXVI.

Urbem aggreditur .

TAncredus ſub exorto jubare portas frangere , foſſa implere , ſcalas applicare , tur-

Digitized by Google

res conſcendere feſtinat, & jam moras noctis annum vocat. Somnus illi nullus, aut ſi quis breviſſimus: ab oculo tamen clauſo adactum craſtini præſagiis Turcos ſollicitat ſuos .... quippe quo hoſtibus, tam ſuis civibus diffidentes territat, noctem diutinæ imago pugnæ, neque à quoquam fulminans rejicit Tancredus ..... ac mentibus ſingulorum. Itaque ſolem ..... fugam committitur .....
.....
..... (*)
& quos debelles habeas, & quibus parcas pac..... libertate conceſſis Tharſenſium hîc adhuc tantos muros -- -- -- ad propria ſignum victoriæ .....

CAP. XXXVII.

Inopinato adventu Balduini terretur. Balduini elogium.

VExillum turris ſublimior ventilabat, cùm ſubitò ſtupendum viſu, audituque horrificum, ſpecula clamat de partu montium naſci arma, jamque arva diſcurrentibus ſcaturire armatis. Quo Marchiſides fremitu excitus ſociam ..... excit militiam, moxque ipſe accito equo, primus evolat, ſocii ponè ſubeunt. Se moverat autem à frequentia periculoſæ multitudinis idem propagandi nominis ardor, qui & Marchiſidem, & fortuito eadem contigerant egreſſo veſtigia. Is à Godefrido Duce, Comiteque Euſtachio proles Euſtachides de ..... millibus complures ſibi defloraverat comites, in quibus Cono Comes plurimùm ſonabat, ſuas etiam vires Normannica augente militia, cujus ipſe ſub Comite Roberto gerebat Principatum. Præterea ſua ſibi juventus non deerat ..... armorum avidi avidiſſimum hunc præelegerant ducem. Virum liberalem pecuniæ, ſtudioſum militiæ, affatu humilem, magna vi, pietate ſublimem, cujus proceri formam corporis à planta ad verticem contemplatus: Ecce, dixeris, quem natura in militem manu propria exſculpſit ..... tot vitæ intervallis ornari, quæ à Francorum ſceptro lucem ingreſſa, ab Hieroſolymitanorum erat egreſſura; utque liquidiùs claret, à Magno illo Rege Carolo genus trahens, ſuper ſolium David ſeſſurus divinitus trahebatur. Jure ergo ac merito Alexandrum vivebat, cujus illuſtrabant Carolus ortum, David occaſum: nec degenerare debebat gladius hebes, cujus ſic fulgerent cunæ, & tumulus. His accenſa ſuper nobilitas facibus, de magno exercitu ſegregaverat, quos ſervidiores agnoverat ſocios, eratque numerus ejus quaſi milites quingenti, ac peditum duo millia, quibus à monte in platea jam progreſſis, Marchiſides arma noſtratia cernens, auxiliaria credens, noſtrates neſciens, neſciens inſidias, pugnam, victoriam heſternas oſtendit, ſpolia refert, relata profert, prolata offerri dimidiat, illæſis ſequentibus, quod integrum .. remitto repugnaverat prævius.

CAP. XXXVIII.

Balduini injuſtitia erga Tancredum.

AT tuti agminis dux longè tutior, aut viritim ſcuta, tumque diſtribuendum fore objicit, aut omnia inarmatis manus fortioris ceſſura; fugam hoſtium non præcurſoribus gladiis, ſed ſubſequentium horrori deputandam. Tancredum quidem dimicaſſe, ſed contigiſſe palmam Balduino: quod non ferè ſocius Marchiſides oblatum, atque Telamonius Pelidæ arma ſibi accipit negata: æſtuat, furit, dolet, ſe non ſibi tuliſſe vellera dolet, melle, auri venam ab infimis terræ eruiſſe cavernis, ut prædo in fiſcum traduceret ingratus: nam de ea, quæ objecta eſt, miſeranda diviſione, quid attinet? Ipſa illa, quæ modò placuerat ultronea, jam diſpliceret, ſeu coacta. Translato enim victoriæ ſuæ titulo, non tam ultra impertitor ſpontaneus, quàm redditor videretur obnoxius. Quid ergo? pugnet? Concivis eſt hoſtis: laceret? Chriſtianus eſt ſanguis: Tharſum ſubeat? vile eſt includi Tharſenſes: excitet cum barbaris in fratrem pugnare? id eſt apoſtatare. Ergo malum vinci, ſed multò vincere pejus. Mille ſemitis viam inveſtiganti, ſedet denique floccipendere debellata, feſtinare ad debellanda, ſic aquilæ accipiter, ſic cædis parde leoni, ſic licèt urgentes majori quique minores. Abit Marchiſides unum gemens, Tharſenſium ſervitutem de Latinorum adventu liberatam non eſſe, ſed gravatam: abit, inquam, quò majores vocant, ne qua ad auditum nomen ejus diffugia terram pauperent opulentam.

CAP. XXXIX.

Tancredo nihilominus feciales mittuntur de urbis reductione.

SEd jam præcurrerat fama velocior, quæ de tanti viri indole nihil reticuerat Addianis, quantus foret Chriſtiani nominis defenſor, quantus gregis incredulæ expugnator, quantæ manſuetudinis erga ſubditos, quantæ in rebelles duritiæ. His civitas gratiis læta ultro feciales ſuos mittit, virum cum hymnis, & tympanis manibus inducturos. Miſertus namque plebi ſuæ Chriſtus nuper ab eorum cervice jugum excuſſerat, dominatoribus expulſis, ipſorumque retento in compedibus Turco Principe, homine, imò cane, cujus nec ſedari iræ, nec ebrietates jucundari, niſi in oculis ejus ſagittato ad palum Chriſticola, conſueverant. Quapropter is, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, eamdem ei, qua menſus fuerat, Tancredo diſpenſatore, menſuram reſervavit. Divinum id quidem, nec enim lex æquior ulla eſt, quàm necis artifices arte perire ſua.

CAP. XL.

Idque Urſini induſtria, cujus hìc narratur Hiſtoria.

URſinus eo tempore urbi præerat, homo Chriſticola, Armenus: iſque, ut præſcriptum eſt, Legatos miſerat Marchiſidam advocatum, qui & ipſe in adventum tanti hoſpitis egreſſuri dextra, & fide obvium mulcet, vires ſocias, vel magìs famulas ſpondet, ad Manyſtanæ civitatis ſpolia invitat, quàm loco proxima, tam captu facillima: nec minus & ipſe contra digna ſe accipit, quin deſparſo ſemine meſſis reſurgit in centuplum: in his mœnia ſubeunt non ſinè totius plebis plauſu, & cantico. Ubi ergo tapetis equus, epu-

(*) *Lineæ hìc deſiderantur XII. quæ legi nequeunt.*

Digitized by Google

epulis fames, Baccho curæ ceſſerunt : Urſinus ſuper urbis præſentis ſtatu præterito quomodo durare potuerit, qua vi cives protegere tot circumventus hoſtium millibus potuerit rogatus incipit. Novum, ait, incolam ad veterem reſtituendam libertatem miſſum me vides : cùm enim campi, & valles Turco ſubjecti dominio diu miſerabiliter ſervirent : ego montes colebam, liber quidem : ſed Chriſtianæ plebis ſervitutem non minùs quàm qui paterentur, ingemiſcens ; quodque multi jam annorum curriculi etiam illatum viderent, & perpeſſum ; cùm multa ſiniſtra aggreſſis, una tandem certa patuit via libertatis. Prata ſuam reddiderant meſſem, paſſæ falcem telluris in fœnum aruerant comæ, quod curriculis huc advehere quotidianus inſtabat labor : rura autem eo tempore incolebant, quos modò nobiles vidiſti in equo fremere, & fulgere in purpura : (viderat enim paulò ante plurimos è Turcis diſcurrere purpuratos, qui cùm ſæpius, ſæpiuſque recurrendo ſolivagi plauſtra ducerent, eo uno bubus conſervis præcellebant, quod ſua boves premebantur cuſtodia ; ipſi nulla.) Orta eſt igitur ex opportunitate ſuſpicio, ex ſuſpicione conſilium, ex conſilio audacia, ex audacia libertas : nam cùm fœnum plauſtris illocarent, cuſtode liberi : arbitrati ſunt eadem pariter armis, viriſque poſſe onerari, occultarique intus bellum : circumcirca pacem dependere, allatis intra municipium armatis, facilè Turcos aut perimi, aut repelli. Hæc illis volventibus, ad me ventum eſt, ubi in montibus, ut prædixi, manebam, cognitâque adventus causâ ; gaudeo, moneo, urgeo, ne morentur, neve impellenti cœlitus ſe ſubtrahant gratiæ. Vos, inquam, reditum maturate, curate plauſtra, ego vobis, quos invehatis, parabo bellatores. Illi accelerant juſſa, ego promiſſa impleo : nec mora, infodiuntur fœno ſatellites, ego ex adverſo prædas ſimulo, quatenus elicti ad pugnam exteriorem oppidani, facilem reliquiſſent ingreſſuris victoriam. Sicut prævisum eſt, ſic ſecutum : nam cùm urbem exuiſſent, qui poſt me irruebant, plauſtra bellum important mœnibus, pace, & fœno prudenter munitum : inducti ergo intra muros armati pacem exuunt, portis obdunt repagula, ipſarum cædunt cuſtodes, ipſi cuſtodiæ ſuccedunt ; atque hæc quidem ſecretò omnia, ut porticus præſens occultæ cædi arcus præſtruxerat latebroſos, inde paſſim per vias, per palatia, per turres diſcurrunt : væ illi, qui ſeu cum arcu, ſeu abſque, eques, aut pedes, puer, aut ſenex inventus eſt Turcis : nec ætati, nec formæ, nec ſexui parſum eſt : omnes in gladio corruunt, humiles, & magni, ſemel omnia victor punit vulnera, quæ à diebus antiquis pertulerat, in multimoda nece cognatæ ſervitutis. Reſervatur tamen ſuperſtes unus Turcorum, non minùs ſcelerum, quàm ſceleratorum Princeps : is columbari graviſſimo vinctus compede in tormentis tormenta, intemporalibus præſtolatur æterna : Sed cùm cæteræ infidelis turbæ intemeratum nihil gladius reliquiſſet, tympana ſcandunt muros, totamque uſquequaque viciniam lætabundo replent tonitrui. Id enim præcepti dederam, ut peractam cædem plaudentes nobis concinere debuiſſent. Cùm ergo arrectis auribus turres lætiſonas hauſiſſem : Io, comites, exclamo, convertamus faciem in terga, buccinas accipio gaudii nuncias, urbs nos revocat in cives,

A B C D E

captam namque fingentes prædam, ſimulato reditu inſtantiæ hoſtium, terga dederamus : ſed ad lituos, tubaſque converſi revocantes audacter aggredimur, quibus modò prudenter cedebamus : Illi ad inſolitam ſtupefacti audaciam cunctantur : paululum deinde nobis vices fugæ mutuas rependunt, nos eo ſecuriùs inſtare, quo magis, magiſque civitas propiabat. Hoſtes rerum ignari, æs tinniens, tympanum tonans, oppidum reboans, properæ opis ſuæ inſtrumenta putabant : ſicque contigit, ut & nobis præter ſpem gratia, & hoſtibus præter timorem geminaretur pœna. Vox eadem, dictu mirabile, nobis verax, illis mendax, veroſque reducit ; nos inducit, illos ſeducit, quorum recurſus jam ſuburbii vicinitate gaudebat, cum fallacia ſonitus ſe comperiunt illuſos, proſpectis per mœnia diſcurrere Armenis. Quid faciant ? à mœnibus ſpes elapſa eſt, à tergo gladii urgent, extra nec ſtari poteſt, nec intra clauſtra recipi. Porrò nec locus fugæ, nec locus pugnæ : tentata eſt tamen fuga omnibus, ſed nec uni omnium benigna : nam mente improvida, caſuque inopinato confuſi, quibus modò evaſuri fugerant, ut viverent : iiſdem mox veſtigiis redibant, ut perirent. Dei ſiquidem Eccleſiæ profanatores oculos habebant, nec videbant : ſic & manus, & arcus, & gladii in propriis uſibus elanguerant : omnia nobis contra vires tam ſua triſtis, quàm noſtra hilaris fortuna geminabat. Sed ne mea te offendat prolixitas, aggredimur confuſam, amentemque turbam, nec unum gladius ſuperſtitem relinquit : ſurdus quippe intercedentem non audit pecuniam, quæ ſe crebrò pro miſeris obſidem ſpondet : ex illo Allachibar, quod Infidelitas orando exclamat, hac in urbe obmutuit, ac pro eo Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat ; tamquam rediens poſtliminio reboavit. Hæc Urſinus : cùm loquentis verbo ultimo, Deo gratias Tancredus occinuit.

CAP. XLI.

Cives Tancredum conveniunt.

IN his noctem diei continuant, donec ſopor intus diurno labore gravatos levat, levatoſque ad craſtinum remittit : nondum enim luciferi bigas Phœbus attriverat, cùm accelerantis includere Mamyſtanos Tancredi Mamyſta galeas comperit ſubluſtres. At Turci, quibus urbem diu indulſerat mora tam juſtò longior, quàm longa : tam rapacior, quàm delicata : tam delicatior, quàm ſecura : ab ipſo permuniti conticinio ceſſerant pugnæ Tarſenſis vice formidata : quod ut Sole orto cives comperiunt, egrediuntur ad fœdus, ut Tancredi veſtigiis, & vix conquiniſcens ſuave jugum, onuſque leve ſubire mereretur : impiiſſimo quippe famulitio erepti, regnare autumant ſervire ereptori : Facilè igitur apud eum benemerentes impetrant, à quo nec immeritus vacuus rediiſſet. Potiuntur itaque ſe ſe vice mutua Tancredus urbis filiali obſequio ; urbs Tancredi regimine paterno.

CAP. XLII.

Recedit Balduinus. Qui ſuburbana metatus caſtra pacem petit. A Tancredo pacem obtinet, & commercium.

INterea ſpoliis onuſtus, miſericordia vacuus, licentia abuſtus, illicita ..... gatus Bal-

Digitized by Google

duini Comitis exercitus Tharſum liquerat, Tharſum damno ſuo Francorum milenaria centenariis commutans . . . . . Comitis injurias abhominans ad mai . . . . . quos levibus quibuſdam viderat occupatos . . . ſollicitè invitatur ſuus Euphrates, cujus adhuc præſens legatio à dextra alvei turbaſſe illum, à læva Edeſſam indeſinenter promittebat, quorum neuter locus parem dignabatur. Aut hoc in cunctis Syriæ citerioris oppidum, aut illa trans Euphrateæ, quæ Meſopotamia dicitur, civitatem, utrumque divitis uber agri, multorum famulitio & oppidorum, & urbium imperare gaudebat: hæc nuncii prælato, hæc prælatus ſubditæ genti frequenter commemorans, Tharſum exierat; jamque ſingularum ſingula Addanæ, Mamyſtæque vix flumina tranſvadatus vicino tentoria affixerat Tancredo: Indignati namque ſupprimi à ruſtica planta alvei, ſolis urbibus pontes conceſſerant; per quos tamen non patuerat aditus, quoniam eis Tancredus ſequentes arcere præceperat; nolebat enim ſicut fratrem jam appellare, qui eum expelleret ſicut hoſtem. Igitur Balduinus Comes ſuburbana metatus caſtra, pacem ab urbe petit, victualia non jam gratis, neque raptim, ſed ratione, & pretio erat impetrari. Noverat enim viri mentem recenti adhuc injuria turbidam, ſeque, qui eam intulerat, odioſum. Porrò urbs munita turribus, populi capax, armis referta, nulla ſui infirmitate ſpem raptoris firmabat: præterea Comitem illum Cononem, quem ſuperior pagina celebravit, valetudo gravis lecto affixerat: quare nec relicto eo procedere volebat, nec eum abducere, nec ibi manere Balduinus commercio poterat negato: tot curæ anxium de poſtulanda pace eum incuſabant. Res mira! Sed quantum aliis ignota Principibus, tantum Marchiſidæ quadam ſingulari familiaritate conjurata, qui nudiustertianis damno, injuria, convitio efferatus, petitam ab eo pacem, mox ei donat, & prædicat. Qui lætus offenſuſve; nunquam claudicat, ad rectum invitatus: quem inclinare ad veniam, hoc erat interpellare de venia. Rogatus ergo, ut dictum eſt, pacem alterutro polliceri; reſpondet utroque, nec commercia renuit: dummodo vim non ſentiant merces. Eunt, redeunt, vendunt, redimunt ab urbe in caſtra, iſti à caſtris in urbem, illi errant permixti armati inermibus, & contra quos forenſecus affligebat languor, torrebat Phœbus, velociores ſpe remedii inter umbram, & mœnia ſervantur: quæ dilatatio paucos habuit dies: nam ſicut heri, & nudius tertius redintegratis commerciis ortæ ſunt lites, ut fit, cùm emptoris, venditoriſve æſtimatio de pretii, venaliumve quantitate diſſentit.

CAP. XLIII.

Frangitur. Singularia certamina.

APergula cauponæ lixa, hoc genere incœptum ad ipſos Principes exundat bellum: injuriam alter, qui pertulerat, putat præſentem præteritæ ex uſu ſuccreviſſe: at qui obtulerat, talionem ſibi reſervatum veretur: ſic varia ambos deludit opinio, dum uterque id adverſario imputat, in quo quater peccarat. Surgitur hinc inde ad gladios, furor arma invaſit, caſtrenſes in mœnibus reperti, qui languet cuſtodiæ mancipatur, qui valet pugnis, & fuſtibus pulſatur, pulſatorum vulgus expellitur, nobilitas ſervatur vinculata: ſimiliter extra agitur de ſimilibus oppidanis in ſuburbio deprehenſis. Parum id militiæ viſum eſt, niſi pars extera portas urbis aſſultu quateret: interna quaſſas ad bellum, egrediens aperiret. Ubi ergo nulla obſtant aut his, aut illis repagula: campus tantùm in medio, vexilla hinc inde diſpoſita, tum demum Duces ſuis adverſariis viribus collibratis tanto ſe diſcrimini invicem committere verentur. Balduini numerus, ut præmemoratum eſt, multus erat, vireſque prævalidæ: ideoque longiuſculè ſeceſſerat, ut à murali ſubſidio hoſtem eliceret pauciorem. Tancredi valde minor, quæ cauſa turres miſſilibus armarat; quatenus bello prima occurrerent, ſicque pugnæ inferioris paucitatem ſuperior jaculorum deſcenſus fulciret. Talibus confiſi, diffiſique ſolatiis, & de ſolatiis Duces alter alterius præſtolabatur incurſum; neuter enim prior impetere, quàm impeti malebat: ſed è converſo uterque. Plures ſuberant cauſæ: hæc autem maxima, quòd qui prior ad murum nefas irrueret; ipſe nocentior ſonaret: in qua tamen mora, ut fert militaris conſuetudo, aliquot ex utriſque partibus adoleſcentes ſingularem ineunt congreſſum, utra pars ergo juſtioris cauſæ tutelam ſuſceperit, ex his declarari poſſet, ſi alterius tantùm incurſores ſuccumberent, & alterius prævalerent. Quia verò ab utraque lucra, ab utraque damna, ab utraque corruunt, ab utraque obruunt: quis juſtiùs induit arma, ſcire nefas. Sed eorum qui medii ludum martium interludebant, Ricardus de principatu, nec genere minor, nec animis, cognatas partes & lingua ſimul animabat, & lancea. Is Comitis Vilhelmi filius, Wiſcardi nepos, relicta fratri Tancredo Syracuſa, Boamundum ſecutus amitalem ſuum ſociaverat Tancredum. Dumque intervolans hunc præterit, illum proterit: inſidiatrix ex adverſo lancea latus fodit improvidum, peditemque de equite mox ſubſtituit. Cui autem lapſo enſis ſtrictus quid confert rotatus? Hoſtilis in eum turba ruit, ut ipſe paulò inconſultiùs ſodalium exierat ſubſidia, adverſariis propior. Solus itaque tot circumvallatoribus oppreſſus capitur, trahitur, exarmatur, ſervatur. Sors eadem plurimos utrinque ab equo, & ſella in pedes degradaverat; cùm viſum eſt majorum prudentiæ, inſaniæ aſcribendum egreſſos in arma hoſtilia unanimes in ſe ſua vertiſſe diſcordes: ditiori turba adversùs barbaros neceſſe eſt, nedum exiguam pauperare.

CAP. XLIV.

Pax renovatur.

MUlta ergo in hunc modum ſollicitè penſantes, pacem bello commutant viri ſapientes, quod tamen ſuaſu difficillimum aure ſurda avertiſſet, injuriis laceſſitus Marchiſides, niſi quia avuncularis proles Ricardus lenit animos rediturus, quos exacerbaverat abſtractus, idemque & unus modò ſit cauſa odii, modò pacis. Similiter Cono ille præſcriptus Comes in urbe languens ſociis mentem reddit, pacis commercio reddendus. Redeunt itaque alternatim ad propria; heros pro heroë, eques pro equite, pedes pro pedite, damna, & lucra quo ordine cœperunt, in eo penitùs incon-

Digitized by Google

concuſſa conſiſtunt ; ut ad hæc meritò vulgaris nænia reduci poſſit : qui habet, habet; qui perdidit, perdidit. Nec cohabitant diutiùs; abit alter, ut adquirat; alter manet, & fruitur. Verùm manſio illa non ſegnis, neque longa moratur virum : cujus arbitrio, vel brevis quies longa erit ſegnities. Igitur paulò moratus ad Syros exit : feliciter Cilicia potitus; at feliciùs multo Syria potiturus. Ante tamen, & de illo nequam Turco, quem Adana incarceraverat, pœnas ſumit; & plus paternas, quàm Principis leges Mamyſtanis imponit. Quibus expletis, montes, qui medii Alexandriolam, Guaſtonemque oppidulum dirimunt, conſcendit; viam difficilem, ſed cunctarum ad Syros directiſſimam. Illic ſuperno omnium colle ſuperato, fertur Antiochiæ rupes, & plana, vias, & devia, paludes, & ſicca oculo ſimul metiri, & animo. Inde totam percurrit planitiem, qua medii Sepchet, Spitachchet, Domith, Commith; fluvii, oppida, urbes interveniunt.

CAP. XLV.

Artaſium venit Tancredus, Balduinum ab Antiochenis circumventum liberat. Artaſium ab hoſte impugnatur.

ARtaſium verò ubi venitur; invenitur Comes Balduinus felix Artaſienſium Turcorum excluſor : ſed ab Antiochenis miſerabiliter incluſus. Quibus ſuperveniens viſus Marchiſides, collectis partim ſarcinulis, partim miſſis, abſceſſum indixit. Putabatur in adventu unius, omnes occurſare magni exercitus Duces; tanti ſequebantur virum terror, & fremitus : cujus tamen militiæ altera apud Cylices pars relicta, de Centurione quinquagerium reddiderat. Sed prænuncia veri fama multi inſtar militis unum Marchiſidam præcinuerat. Subit Artaſium hoſpes novus, at hoſpitii recompenſatio valde eſt minor à magnitudine meritorum : ab interioribus arcetur, conceditur verò habitantibus murus exterior, ſeu ut oppoſita urbem muniret cuſtodia; ſeu ne intrinſecæ rixas renovarent anguſtiæ, vel certè nuper abſciſſæ contemptionis nondum penitùs radix aruerat; quæcumque verò ſufficit cauſa, muro adamantino ſe incluſit, quiſquis periculo Tancredum objecit. Antiochia Latinorum vires auctas intelligens, quas expertæ ſenſerant; fugerant, nunciaverant manus, plurimo ſupplet infirmos robore, & numero paucitatem; remittitque ſecundò, ſepties, ſi ſepties remiſerit, ſuperandos. Illi, ne quis relictus tentandi modus deſit præſidiis, etiam dolos ſtruunt, parum armis, ſibive confiſi. Nocturni ſuebunt umbras, quæ S. Palladii virgultum vulgo appellantur. Inde orta luce quinque præmittuntur, qui Artaſium laceſſant equites : at bellum in ramis latet, & frondibus : Qui miſſi ſunt nil morati, ſubitas Artaſio oſtentant minas. Qualis interim paſtoribus pecora; talis fiunt pecoribus tutela paſtores. Trahuntur ſimùl hi, & illa : nihil evadit à facie raptorum. Clamatur à ſpecula, ululant pro foribus opiliones, & ſubulci. Una hæc erat omnium querela, malo ſuo ſibi adversùs Turcos, Francos adveniſſe tutores. Inde ſe gravius cruciari, quòd de advenarum patrocinio libertatem ſperaverint; quod Tancredus audiens feſtinus exiit, bello ſuſpicans urbem circumdatam, ſed viſo exteriori rerum ſtatu; illico comperit patentes animos de latentibus pendere, audaciamque horum alienam plus eſſe quàm ſuam : ad cujus tamen rei evidentiam Turcopolos tres obviam mittit, ut ſi his cederetur, timida ſolitudo; ſi obſtaretur, deprehenderetur ſpes ſubſidiorum. At quinque non modò non cedunt impetentibus : verùm etiam verſos cedunt impetes. Tunc manifeſtiùs eo, quod latuerat, comperto, paratur bellum, acies diſponuntur, itur obviam.

CAP. XLVI.

Mars favet Turco.

CÆterùm hoſtis ſagittifer plurimo ſui numero plurimum immanis, noſtro viſu latebras ſpernit, occurrit palàm, pudet latuiſſe, qui haſtas ſingulas denis & ſupra arcubus oppugnabat. Congrediuntur itaq; Turci Latinis, incolæ peregrinis, gnari locorum, hominumq; , hominũ locorumq; ignaris. Primo in congreſſu lancea viget, lancea perfodit, lancea dejicit : quæ mox tanto ſub onere fatiſcens, ut penetrare peltas, pectora, clavengos nequit integra : quoniam hanc clitellæ diſſilientes extenuant; illam cuſpis truncata decurtat, aliam Turcus enſis dimidiat, ut haſtitenens putetur potiùs veniſſe armatus ſude pedes, quàm lancea miles : at frugalior longè arcus, vulnerumque ditior, ſemper mittit, crebrò lædit, numquam mittitur, ſerò læditur : cominus, eminus, ante, retro fervidus; etiam cùm ab intentione propria fallitur, caſu ſæpe miniſtro, non permittitur falli. Hac ſolante alios, alios deſolante fortuna, ſimul Balduini, Tancredique Ducum altero alteri parum auſcultante; in ſe ipſos diviſi, deſolati ſunt, & uſque ſub mœnia repulſi. At Turci ante urbem caſtra metantur, noctem diei continuantes pervigilem.

CAP. XLVII.

Balduino Artaſium committitur.

DIes craſtinus fulgebat; cùm, reverſo Antiochiam hoſte, amotus eſt metus. Tunc Marchiſides exire juſſus, ut ſemper nulla fides regni ſociis, ab ipſo exteriori muro, quæ Barbicana appellatur, expellitur. Euſtachides Balduino, cujus conſulatu longo poſt tempore floruit Edeſſa, Artaſii regimen tradit : ipſe cum reliquis conſulibus Airardo, & Conone proficiſcitur Edeſſam. Tancredus ſciens, quia militia vita eſt hominis, ſimul bello nihil tutius habens, montes proximos occupat, manu parva, magnas aggrediens cohortes; tanto nomine exciti colles barbari : pars diffugium maturant, alii occurſum, nonnulli intrepidi manent : ut quoſdam fides eadem Francis conſecrabat; reliquos abjungebat error fanaticus. Igitur, qui Chriſtum norunt, Chriſticolas excipiunt venientes : quibus verò hoc nomen aut neſcitur tacitum, aut ſpernitur auditum; Bariſan, & Herſen oppida relinquere timor ſuadet, fuga complet. Qua relicta, vocant Marchiſidem, ingreſſumque multa victualium copia opulentant. Jam ergo mutata ſede, exul felicior urbis hoſpite; damna, cædem, vincula non ſentit : nam ſolitos reditum, & inſidias hoſtis exercens, ſepelit in frondibus bellum; prædam autem, mulos, muliones, rhedas, rhedarios urbano ſpectaculo exponit : jumenta

ſub

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Digitized by Google

sub paleis quasi palliis onerata gemunt, eunt gnara periculi, quasi periculi ignara. Jam proxima fluvio, qui Balenæ jugera oppidi irrigat, penè simul urbi visa, captata, captaque sunt: adeò prædæ socii alii alios prævenire satagebant. Heu miseri! quid prædam distrahitis mox distrahendi præda? Quid cæditis, nectitis, angitis, mox angendi, mox nectendi, mox cædendi. Vix enim portæ hos effuderant, cùm repentè insidiatricem turbam irrumpere properantem penè serò repellunt.

CAP. XLVIII.

Obsidetur Antiochia, cujus situs describitur.

ITaque obsessa urbe, obstruso reditu; quidquid Latini sanguinis egressum fuerat, subsecuti, aut nexu, aut gladio conficiunt Turci. Misertum est tamen cælitus afflictionis obsessæ, ut festinantibus ad obsidendam Antiochiam Francis, Antiocheni cederent obsessores. Pertransiens igitur urbes, vicinaque oppida, flumen quoque Farfar interfluens venerabilis ille regum exercitus: anhelatæ tandem Antiochiæ suburbium metantur. Planitiei mediæ latera, gemini, alter ab Austro, alter à Borea, angustant montes: frontem ab occasu pontus verberat: sed hæc quò magis orientem versùm à littore submovetur, tanto jam latior latiorque rupes summovet. Hanc à meridie descendens Damascenus Farfar interluit, sinuoso tractu ad mare per plana illabens: montium medius sub Australi vicinior: adeò autem in ejus umbram interdum vergens; ut nil nisi semita intersit medium: sed quà jam in angustias illas descendere clivus incipit, sita est civitas, hinc flumini, inde monti in longum collaterans. Quin etiam montis latus licèt inhospitale sibi continuat, mœnibus in summum eductis, ibidemque municipio constructo: at eadem sic item in fluvium descendit, ut à sui medio cum flumine in occasum tendens, mox ab eo in cornu occiduo paululum recedat, in ortu usque ad medium longè seposita: in qua tamen parte muros duplices certiùs munit palus reflua ipsa sui tremoris mollitie, super omnem saxi duritiam munimen firmius. Sola itaque frons urbis Phœbo nascenti obnoxia, ad medium sui idest à porta (*) jusum accessum patitur: nam à porta susum rupis abruptæ præcipitium humanis tantùm patet suspiciendum oculis, non gressibus adeundum.

CAP. XLIX.

Ordo obsidentium.

AT vicina huic ex adverso rupes signa Boamundi tenet in eam usque, quæ à porta exit, descendentia viam: hæc proximum portæ cumulum erigit: in quo Tancredus castra locat, cæteris quantum funda jacit, urbi propior. Post eum Comites Normannus, & qui ei adhærebant, ipsius, Tancredique Flandrensis medius. Ab altero autem latere Blesensis, Bolonienſis, Albamarensis, Montensis, Sanctipaulensis, & Hugo Magnus: nam omnes hi Comitis Normanni muneribus, aliqui etiam hommagio obligabantur. Ab his usque flumen eo tenent ordine planitiem heroum castra, quo paginam nomina. Dux Godefridus, Podiensis Episcopus, Comes Raimundus. Hæc igitur prima castrorum positio quartum urbis cornu, cæteris vacantibus, obsidet: quippe hoc planitie vicina accommodum, reliquis aut fluminis, aut fossæ, aut montis obice inaccessis. Postea verò succedenti diei die, hunc immutare ordinem aliquando invadentis hostis necessitas, interdum invadendi hostem voluntas compulerunt. Enimverò rupes, quæ Boamundi imminebat castris, licèt aditu difficillima visa: tamen est Turcis, in quam à monte ad sagittandum descenderent, opportuna; sicque peracta cæde, levibus armis ad muros patère refugium, ubi sequentium gravia nullum invenirent ascensum. Ab his ergo resistendum incursibus, tumulus supra Boamundi rupem muro cingitur, Hugonis magni viribus tuendo. Porrò Boreales duæ effundere Turcos consueverant portæ, cis transque fluvium exercitus nostri damno papatulæ: quarum citeriorem Dux Godefridus aggrediens, egressum tandem cohibuit: primo tamen congressu Guarnerii Marchionis nece desolatus. At remotior per pontem contignum transfundere hostes solita, Raimundo Comiti placet obstruenda: nam castris vacua spatiosior trans flumen planities, laxiores vaganti Turco indulserat habenas. Ideo supernatantis fabricæ pons trajectus est, cujus intextas trabes subjectarum navium onus superjectæ crates onerarent. Hæc itaque riparum continuatio transmeando alveo serviens, ad inhibendum supradictæ portæ egressum comitem traduxit. Adjuvit autem ipse loci situs obsessorem, obsidionis firmandæ utilis cooperator. Excreverat enim in collem modicum tellus, cujus vertici fanum, quod vulgò Mahummariam vocant, saxeum superstidebat: hoc fluviali portæ & oppositum, & vicinum opportunitate sua Comitem invitavit. Comes verò, quæ restabant munimini castrorum, supplevit cætera: fossam videlicet per circuitum ductam tum suæ concavitatis depressione, tum ejectati aggeris arduitate robur duplex: super hunc quoque fundatus est murus in se humilis: sed tutoris sui audacia superbus. His jam magis, magisque Turci coarctati angustiis, minus & minus lædere poterant: quippe solita vagandi licentia sublata. Restabat tamen in occasu porta ad nocendum efficax, ad obsidendum difficilis.

CAP. L.

Difficultas obsidionis.

OBsidionem mediæ montis, & fluminis angustiæ prohibebant: eisdem claustris, altero vadum, altero descensum negantibus, ignari advenæ excludebantur, gnari indigenæ transvadabantur: viam, quæ ad portum descendit, observantes, christiano sanguine frequenter aspergebant. Itaque non nisi in acie, ea tamen interdum parum tuta, aut à portu ad exercitum, aut ab exercitu ad portum transmeare licebat; tantopere obserato egressus portæ unius redimebat licentia. Huic malo Tancredus remedium invenisset, sicut posterior eventus indicavit: sed mœnibus propior, primus Turcis obviabat furentibus. Quapropter jejunus sub sole diem, noctem sub rore pervigil transigebat: unus ipse & adhuc modicus totius belli sustinebat occursum. Tanto denique viri sudore repulsi hostes, jam lacessere

(*) Porta Jusum est porta inferior, porta Susum est porta superior.

sere desistunt, turribus, & latibulis contenti. At, inquies, Tancredi audacia ab domito ortu illico ad indomitum se convertit occàsum: illic in occursu hostium inventam maceriam paratum sibi oppidum adesse dicit, vix initium parandi. Oh laudis amor! Oh audacia! Oh temeritas! Ad cætera enim te Tancrede strenuum dixerim, hîc temerarium: ad cætera constantem, hîc pertinacem. Casus cæteros, aut loci commoditas, aut spes subsidii, aut necessitas irruens, aut si qua alia prudenti semita patet, habuit excusare: hunc autem temeritatis omnia arguunt; parietina vetus, grassator robustus, propinquitas hostium, remotio sociorum: cætera ut aspirent, Farfar transvadatus, subsidia disjungit, enim verò si, quod absit, Turcorum armis traditus succumberes, velociùs in ventres hostium transisses coctus, quàm ad socias aures captus. Manes tamen; manes, pugnas, obsides, portam munis, portam quatis, nunc tu hosticam; nunc hostis tuam. Totus occidens quantus quantus est, in ortu pugnat; tu solus ad occasum, paucis commilitonibus gaudes, sed fortibus: præscriptum enim illud munimen satis arctum multitudinem non admittebat, paucos vix capiens.

CAP. LI.

Tancredus DCC. Turcos ad prædandum egressos delet.

STuduit namque primò, ut ad initium redeam, rem clam gerere Tancredus, quatenus lateret cives, qui nullo sole intermisso in partem illam egredi herbas messuri consueverant: inde fuit, quòd claustrum illud subiit nocturnus: illi verò, nescio quo auspicio, in hanc ipsam suspicionem ducti, primo die paucos ipsos à longè emittunt messores, quatenus hoc pateret examine, si novas formidare insidias debuissent: quo viso, nostri mox se abscondunt, nec exit quispiam. Redeunt itaque Turci, qui exierant, intra mœnia nullo turbati armorum incursu: similiter die postera exeunt, sed & plures, & castro propiùs: fecerat eos jam tutiores dies hesterna, quæ transierat tuta herbilegos incolumes ducens, ac reducens. Tunc vix Tancredus leones cohibet, visis prope ovibus astare: Sustinete, inquit, adhuc modicam hanc dieculam, viri fortes; cras, ni fallor, incidet in retia nostra præda uberior. Sicut prævidit, sic accidit: nam bis jam prætentato aditu, & biduanâ herbæ sustentatâ penuriâ; die tertia hinc tuti egrediuntur, hinc coacti; & quia propiora urbi prata messuerant, quia de Francorum præsentia adhuc hæsitabant, & multi exeunt, & Francos transeunt. Tunc ruptis claustris Tancredus irruens, quid prudentia, audaciaque junctæ possent, subitò ostendit: qui in medios irrumpens, tantò avidiùs in ore gladii omnes absorbet, quò acriùs eorum viscera torrentur, quibus sustenta est inter pocula sitis triduana. Ne longum faciam, cæsis circiter septingentis, cæsorum capita Tancredus LXX. Appodiensi transmittit Episcopo, decimam de triumpho: quibus oblatis, Episcopus gemino percellitur gaudio, tum de amici victoria, tum de sibi impensis in allegatione muneris honore, & gloria. Eodem itaque remunerat victorem numero marcharum, quot & ipse donatus fuerat cervicibus peremptorum. Tancredus eo multum æris tempore commilitonibus suis debebat, in loculis nihil habens. Gaudium igitur, & exultatio comitata sunt pecuniam, quæ mox ducem absolvit à debito, militumque inopiam distributo relevavit argento. Fortè etiam contigit, ut missum à Præsule nuntium alius præierit non missus; quo audito, statim dispergitur, quod nondum habebatur; mox alios ditat, qui adhuc egebat; ita enim dicebat in corde suo: Thesaurus meus sint milites mei, egeam ego, dum ipsi abundent, non sollicitor habere, sed habentibus imperare. Onerent hi argento marsupia; ego eos, curis, armis, sudore, tremore, grandine, pluvia. Quos tamen die bellis, nocte vigiliis fatigatos ipse leniter supportabat vici debitæ subeundo, qua vulnus excusaret, seu morbus: suam verò nunquam dominii reverentia desidem fecit: quin ipse & semper explebat suam, & non solùm, ut præscriptum est, supplebat, sed & præripiebat alienam.

CAP. LII.

Singulari certamine Tancredus tres Turcos confodit.

QUod dum sæpiùs ageret, contigit, ut uno comitatus Achate ad excubandum egrederetur, lorica, galeaque cessantibus, accinctus gladio equitabat, puer hastam gerebat, & clypeum: item armati tres excubabant Turci, quos Antiochiæ porta emiserat: errabant autem alii aliorum ignari: nam longiusculum castra ab urbe spatium dirimebat; frutices, monticulos, convalles interjiciens aptas insidiis latebras. At duobus tres compertis irruunt, in quem alterutrum irruant ignari. Quin immo miseri fugite: fugite, inquam, Castoris, Cyllarum, Achillis fraxinum, dextram Meleagri, animos Tydei, Herculis trinodem, Ajacis septemplicem: hæc enim omnia unum hunc bellatorem armant: frustra lacessitur; ultro ipse occurrit omnibus his armatus, quem fugere cautum est, expectare stultum, impetere furiosum: verumtamen quoniam invitum qui servat, idem facit occidenti: irruite ocyùs, ut quantocyùs corruatis: corruite subitò, ut superstit Marchisides in æterno. Qui occursum aspiciens dementem, velociorem, ut fit, arrepta fraxino occursorem transfigit. Pelta, & thorax alios tueri solent, sed alii objectæ perfossori: hic perfossor nullam finit esse loricam fidelem, nullam non fallacem: hic percussor de galea facit mitram, de clypeo pallam, de thorace subuculam; perforat denique ut linum lignum, ut cannabem calybem, ut lanam lammam: sed primi medius nece conspecta, fit tardior, ut tardioris ultimi subsidio fulciretur. Infelix, qui modo velociori præcursum invidebas: nunc segnioris beatam præfers tarditatem; & id tamen frustra: uni siquidem debentur dextræ velox, & tardus, unus quippe ambos aggrediens, hujus adhuc obviantis frontem dissecat, illius fugam tergo sistit trajecto. Sed est, quod stupeam, nec satis valeam stupere: cùm homo tam pretiosus laudis emptor mox præsentis ora armigeri silentio concluserit adjurato: pudorne, an religio, an adhibendi fidei diffidentia causæ fuerint, prorsus ignoro: nam si pudor; quid aliquando quis ducet honori, qui armatos tres

uno

uno perimere impetu ducit pudori? quod si religio; monstri simile ajunt pisces sub aratro scatere: ast ego longè monstruosius tam cupidum laudis laudem fugere. Denique tam clarissimus bellator tot difficilia aggressus, tot aspera perpessus, tot certamina supergressus, facilè fidem impetret, præsertim strage armis vicinia testibus, ante omnia lingua ipsius, cui ut nulli certius credebatur: verumtamen latente causa effectus patuit, causa, inquam, silentii effectus cædis patuit etiam longo tempore post rei series, ut adjuratus armiger diem silentii complevit præfixum.

CAP. LIII.

Christianorum patientia in dura hac, & longa obsidione.

MOnet me tempus ad intermissam redire obsidionem, ut vel quantulam de sudore tanto, qui sudavere, accipiant mercedem: nam in ejus exercitu jam ferè octimensis mora multi strenuè multa; maximè majores viri majora fecerunt: socialiter autem summi, mediocres, & imi gravia pertulerunt, famem, terræ motum, aquarum inundationem, aëris terrores varios, impetus nunc quoque cœli ruentis, nunc belli ingruentis: prodigia quoque & visiones: hæ multis clam, illa cunctis palàm cœlitus effulserunt: quorum singula, si suis ordine, modo, dignitate explicem, nimis interim sileat Tancredus, sicut quietis scriptor, ita silentio indignus. Porrò cymba nostra serò veniat in portum, si tanti procellas pelagi sulcare aggrediar. Quis enim de Godefridi viribus stupendis præsumat, cujus ense trajectus Turcus duo factus est Turci: ut inferior alter in urbem equitaret, alter arcitenens in flumine nataret. Aut quis illud Raimundi dignè admiretur, quòd sæpius occurrenti Antiochiæ solus restitit, quòd interdum fossas, interdum muros supergressam viriliter repulit: immo quòd nullo exercitus remoti fretus auxilio pontem obsedit. Nonne fola Flandrigenæ Roberti lancea singulariter suum expostulat scriptorem? quem dum quotidianis mortibus Antiochiam ditat, quotidiano comes equo pauperatur, ut scilicet, fallente damnum ardore laudis, aliquando principi tanto deesset equus, nisi succurreret vicatim mendicatus. Deferebatur pelvis patula per tabernas, quam rem miserantia supplebant Comiti equum, macellum, & caupona. Porrò quid simile illi sæcula nostra viderunt, quòd ducenti circiter semiermes XV. millia armatos, pars major asinarii caballarios, languidi fugavere robustos? Cujus victoriæ fertur Blesensis Comes dux fuisse Godefrido, Boamundoque sociatus: unde septingentorum, & eo amplius capitum asportatio Antiocheno spectaculo facta est ostentatio lugubris, inter quæ singillatim palis affixa, quantam putas illud Blesensi gladio gloriam contulit, cujus oculorum distantia semipes fuit? Horum, ut dixi, via centisida iterum me revocat, ne, dum singulis vagabundus insistam, à cœpto tramite devius aberrem. Celebrent suos Normannia, Flandria, Robertos, reliquos duces occidens reliquus: mihi unus Marchisides sufficit, cui non sufficio vel totus. Ignosce Gallia scriptoribus dives: juvat me Antiocheno vacare principi, præsente me gesta liberiùs persolvam debitor creditori. Verumtamen ne nulla A benemeritos silentium meum mercede remuneret, compendiosum quidpiam conabor perstringere, quod scriptura posteritas prolixiori valeat stylo explicare.

CAP. LIV.

Graves obsidentium angustiæ.

IGitur à tribus ventis urbe obsessa, Auster solis nullum perflavit obsessorem: in latere illo nihil humidum, nihil planum, quæ incommoditas commoda civibus clausores exclusit, clausos absolvit. Illinc insidiæ, illinc duri viatoribus occursus; cùm aut egrediens B Francus victualia quæreret, aut inventa regrediens afferret. Tantus populus, tòt gentes, tot millia multo indigebant pecore, multa cerere. Syria, Cylicia, Rhodus, Cyprus opulentissima, quædam insulæ, quædam regna exercitum alebant; sed parcè tamen: licèt Chio, Samo, Creta, Mitilena, aliisque famæ minoris penè innumerabilibus insulis adjutæ. Aderat Imperatoris Alexii præco, qui ad comportandas segetes terra, marique populos urgebat. Cœperat cum hyeme obsidio, per quam evoluta universos hyemis pertulit horrores; aquæ diluvia, nunc subita, nunc continua, tantos Cœli, terræque motus, ut soluto elementorum fœdere, hoc ad summa surgere, illud ad ima C corruere videretur. Nam quid de turbinibus, quid de ventorum rabie dicam? Illis grassantibus, nec tentorium stabat, nec mappale, vix palatium, seu turris. Durabat sub jove juxta cum plebe nobilitas, hyems neutri parcebat: tantò tamen nobilitati asperior, quantò est durior rusticus milite, laborifer delicato. Tot procellas sociabat esuries, esuriem mors: mors passim habenis laxis & homines præcurrebat, & bellorum solatia equos, rarum erat in castris stabulum, cui fames novem sublatis, decimum reliquisset. Armorum quidquid ferri erat, & calybis corripuerat rubigo, clypeos dimiserant clavi, & coria; hastæ, sellæ materies lignea, paucorum erant integræ, multorum resartæ, nullorum lucidæ, nonnullorum nullæ: sinè nervis vacabant D arcus, & sinè arundinibus sagittæ: undique inopia, undique calamitas, undique desolatio.

CAP. LV.

Mira Christianorum fiducia.

DUra hæc nimis, & tristia, cùm subitò gravia gravibus cumulantur, succedente Piscibus Ariete, vere hyemi, cujus temporis herba Medorum, Persarumque equos bello redintegrat. Improvisi adsunt Turci, numerus multus, & vires ad prælia paratæ. Prope jam aderant, die eadem aut subituri mœnia, E aut castra irrupturi, cùm rumor prænuntius advolat, qui rem, ut erat, pandit Christianis. Addit etiam more suo, & de magnis majora loquitur. Hinc exciti Latini proceres obviare parant, quod tamen difficillimum, immo quasi ob vitæ tædia in mortem ruere, potuit æstimari. Nam de tanto numero, de tantis militum, qui urbem obsederant, copiis, vix CC. corrogantur in equis obviam profecturi. In his tamen asini bona pars supplent vicem equorum: nam fortè equos, gens nostra nil tale veriti, longè miserant frumentatum. Igitur tam exilis numerus adver-

adversùm quindecim millia, ſicut ab his, qui affuerunt, didici, ad pugnandum egreditur: mira audacia! facinuſque omnibus prædicanda! in procinctu hoc duces fuiſſe memorantur Godefridus, Boamundus, Bleſenſis Stephanus: ii cùm ad eum veniſſent, quem corruptè vulgus pontem Ferri pro Farfar nuncupat, viſis ultra procul hoſtibus, non reſtant ut timidi, tranſeunt ut timendi, præcedit Boamundus, ſubſequitur Godefridus, in ſubſidio eſt Stephanus.

CAP. LVI.

Hoſtes aggrediuntur pauci, & fugant.

MOnticulus trans, & prope pontem in planitie extat, ſub ipſo expectant noſtri, per ipſam, quæ ampliſſima eſt, Turci advolitant: proſpexerant enim noſtros à longè, mirati, qua fiducia gens tam modica pontem tranſmearent. Illa autem tranſmeatio tam prudens quàm audax magnum incuſſit terrorem hoſtibus, noſtrorumque paucitatem plurimæ multitudinis opinione cumulavit. Ideò Turci, cùm appropiant, ſubſtant, metuentes, ne mons præſcriptus paucos oſtenderet, multos abſconderet: ipſum hoc ſimulantes Chriſticolæ, haſtas vexillis armant, ſingula ſinguſis aptantes, quaſi tot aderent agmina, quot proderent vexilla: moxque nihil cunctati, erectis haſtis, tali hoſtes perturbant impetu, ac ſi falconum turba fulicas impetiſſet. Surgit pulvis, ſonant arma, ungulæ perſtrepunt, clangunt buccinæ, oculi caligantur, aures vacant, corda hoſtium ſtupent, ut plura timeant è latebris ſurgere Francorum millia, quàm viderint vexilla. Dictu mirabile, & tamquam à fide alienum! Terga quantocius vertunt multitudo tanta, paucis de Chriſti numero amiſſis, majore in his Cunano Comite Britannico, qui animis furentibus unò contentus ſocio Perſarum exercitum primus invadere præſumpſit. Illius mihi juxta pontem in via longo tempore poſt oſtenſus eſt tumulus, quantùm licuit, ut gentis eſt pietas, ſaxo, & cruce decoratus. Sed adepti victoriam Franci fugam perſequuntur, brevî tamen inſtantiam longam prohibentibus equitum raritate, equorum tarditate, utrorumque inedia. Referunt ad caſtra ſignum victoriæ DCC. cædis exercitæ capita: priùs tamen prædicto Comite, ſociiſque martyrii, prout res tulit, conſepultis. Illa ſi memini, luce hæc facta ſunt, qua Latinorum gens ventri, & carnis edulio ſtudioſiùs indulgent, cinere vertices in craſtino aſperſuri.

CAP. LVII.

Patria auctoris hujus hiſtoriæ. Fames in urbe.

NOx ſequens rubore horribili cœlum infecit, ut qui in Occidente poſiti cernerent, oriens pugnat, illico clamarent. Vidi egomet ſignum illud cùm adhuc in paterna domo Cadumi adoleſcentulus degerem, nondum mihi viſa, ſeu nota niſi nomine tenus Antiochia: ſed nec Roma. Stupuerunt multi illo viſo, qui omnes uno ore bellum indixerunt, ac ſanguinem: Sed reverſis ad ſocia arma victoribus, allata palis capita infiguntur, pali tellure ante muros in conſpectu hoſtium ſeriatim. Inventum eſt unum inter cætera, & hoc memoriale ab oculo ad oculum ſemipedalem diſtantiam habens. Clamant, qui infigunt, ſpectantibus de muris civibus: ecce ſpes veſtra, ecce minæ veſtræ, ecce adversùs Francos vires corrogatæ, eadem vobis ſtipendia reſervamus, ſimilis exitus ſimiles manet, incluſi eſtis, erepta eſt fuga, conſumpta ceres, fames inducta, ſubſidium ademptum, adverſa omnia. Viſo, auditoque, quod geſſerant Franci, ac dixerant: urbs trepidat, nec de cætero ſicut priùs portas aperit, tabeſcit in fame, luget in timore; in hac ver continuum calamitate tranſigunt, panis inopiam verna copia frondibus, herbiſque more pecudum levantes. Tunc Caſſianus, hoc erat Principis incluſi nomen, dat edictum, & qui ſcrutentur, mittit; ut apud quem civium inveniretur annona, dimidiam ipſe ad Curiam mitteret, de reliquo, ut poſſet, vitam ſuſtentaret. Civitas, hoc audito grave ferunt, tolerant tamen, annonam dimidiant, hoc Curiæ illud vitæ; mitigat damnum uſus ipſe damnorum maximè quòd bellatricem manum ſumptus ille alere debebat.

CAP. LVIII.

Multi Duces ab obſidione receſſerunt.

ABceſſerant interea ex caſtris exoſi tædio Comites, Bleſenſis in Cyliciam, Loodiciam Normannus: Bleſenſis Tharſum ob remedium egeſtatis, Normannus ad Anglos ſpe dominationis. Angli ea tempeſtate Laodiciam tenebant, miſſi ab Imperatore tutela; cujus fines vagus populabatur exercitus, ipſam quoque cum violentia irrumpere tentantes in hac formidine Angli aſſertorem vocant præſcriptum Comitem, conſilium fidele, ac prudens. Fidei fuit fidelem Domino ſuo virum, cui ſe manciparent, aſciſcere, jugo Normannico ſe ſubſtraxerant, denuò ſubdunt, hoc prudentiæ, gentis illius fidem experti, & munera facilè redeunt, unde exierant. Igitur Normannus Comes ingreſſus Laodiciam ſomnò vacabat, & otio; nec inutilis tamen dum opulentiam nactus aliis indigentibus largè erogabat: quoniam conſerva Cyprus Bacco, Cerere, & multo pecore abundans Laodiciam repleverat, quippe indigentem vicinam Chriſticolam, & quaſi collacteam: ipſa namque una in littore Syro & Chriſtum colebat, & Alexio ſerviebat. Sed nec ſic excuſato otio, prædictus Comes fruſtra ſemel, atque iterum ad caſtra revocatur. Tertio ſub anathemate accitus, redit invitus: difficilem enim habebat tranſitum commeatio, quæ Comiti miniſtrare Laodicia veniens debebat.

CAP. LIX.

Obſidentium Ducum ſtationes.

PRincipes alii propiora occupaverant municipia, ideoque facilè alebat eos opportunitas commodior. Duci ſedium contigerat copioſa, populoſa civitas, & vinoſa vallem propinquam tenebat Flandriæ Comes, in qua Balena, Barthemolin, Corſehel, Barſoldan oppida erant, præter hæc complura: inde eſt, quòd adhuc illa dicitur Vallis-Comitis, ſicut etiam Sedium Ducis civitas: porrò Emma, & Harenc Tancredo ſerviebant, cumque his multa, & proxima caſtris, & uberrima. Ipſe pri-

Digitized by Google

primus adventaverat omnium, ſicut ſupra memoravi, præcurſor; quæ præcurſio illud vulgi effectu ſuo corroborat, qui primus naſcitur, primus paſcitur: nam ubi fames increbuit, ipſe opulentus neminem de domeſticis ſuis à menſa excluſit, multos ab aliis excluſos ſuſcepit, ac fovit. Vallis Doxæ Boamundum alebat, quæ meritò tale ſortita eſt nomen; ſiquidem ipſa inter cæteras Vallium gloria, meſſibus, vineis, arboribus, rivis exuberat: ut antiquitus Dapne, quod apud Græcos amœnitas ſonat, dici mereretur, Antiochiæ contigua ab auſtro magno indiguit tutore, qui eſuriem civium arcere ſufficeret à copia alimentorum. Habebant & alii Principes alia oppida, quorum memoria dies longos delevit: non delevit tamen Raimundo Comiti Rubeam, Rufam, Arican, Belmesyn, municipia ſerviſſe.

CAP. LX.

Gravis in exercitu fames.

Sic primates Provinciam occupaverant. Aſt alii famæ minoris, licèt magnæ, multa penuria afficiebantur: quoniam quidem nec exire mors, nec manere fames geminæ quaſi ſinè medio anguſtiæ populum dimittebant. Induxerant enim famem mora longa, & populus infinitus; porrò non erat dies, qui obſidentium aures de egreſſorum ad victualia nece non terreret audita: Principes tamen nunc hic, nunc ille viciſſim præſidium viatoribus ferebant, interdum & ipſi præſidio egentes: nam ſupra memorata illa auſtralis porta ſemper inſidiis patens, numquam deſiſtebat cohortes fundere, quæ anguſta viarum obſiderent, ſicque viatoribus occurrerent ignaris. Iam verò acrior altera, ideſt fames, præponderavit, quæ ſpreta nece huc illuc palantes veluti apum examina miſit exercitum. Quid fames non ſpernit? ad quid non impellit? quem pudere ſinit? Illa fuit etiam Guidoni Rubeo, Wilhelmoque agnomine Carpentario abſceſſus cauſa, viris illuſtribus, interque palatinos Regis Franciæ non obſcuris: iis, inquam, abire parantibus, Boamundus adeſt: Et quam, inquit, vobis requiem quæritis, nihil de communi labore ſolliciti? nobiles eſtis, patet via, aſt hîc tentoria manebunt ad æternam nominis, immo generis veſtri (*) publicæ reſervanda cloacæ. Diſcedunt illi infamiæ ſecuri, fames ſtimulis contemnit infamiam: Comitem ſequuntur Stephanum, qui in Cyliciæ finibus quietem agere ſupraſcriptus eſt. Unius generationis, unius moris viri, unanimiter laborem oderant, otium ſectabantur, pugnaces tamen, ſed inter bella deliciis aſſueti.

CAP. LXI.

Provincialium mores.

Gentis hujus ſublimis eſt oculus, ſpiritus ferox, promptæ ad arma dextræ, cæterùm ad ſpargendum prodigæ, ad congregandum ignavæ. His, quantum anati gallina, Provinciales moribus, animis, cultu, victu adverſabantur, parcè vivendo, ſollicitè perſcrutando, laboriferi: ſed ne verum taceam, minùs bellicoſi. Muliebre quiddam eſſe, ajunt, & tamquam vile rejiciunt corporis ornatum: Equorum ornatui inviglant, ac mulorum. Sedulitas illorum tempore famis multò plus juvit, quàm gentes plurimæ bellare promptiores: ii, ubi deerat panis, contenti radicibus durabant, ſiliquas non aſpernantes, eorum dextræ longi gerulæ ferri, cum quo intra viſcera terræ annonam faſcinabantur: inde eſt, quod adhuc puerorum decantat nænia: Franci ad bella, Provinciales ad victualia. Unum quidem fuit, quod cupidè nimis committebant, ac turpiter: caninam carnem pro lepore, pro capra aſininam gentibus aliis venditabant, vel ſi remoto indice ad equum pinguem, ſive mulum licebat accedere, per retroneum, ſeu purgatorium foramen in viſcera vulnera demittebant, moriebaturque jumentum. Stupor omnibus, qui ignari fraudis, illud pingue, alacre, robuſtum, laſcivum modò viderant: nulla comparebant veſtigia vulnerum, necis ſignum omnino latebat. Spectatores territi, viſo monſtro, abſiſtamus procul ajebant, dæmonis ſpiritus hoc jumentum afflavit: his diſcedentibus, necis conſcii, tamquam neſcii accedebant, prohibitique tangere, malumus, inquiebant, in hac eſca mori, quàm jejuni. Miſerabatur damni patiens illatorem, illator illi riſum rependebat. Tunc corvorum innumerem ad cadaver gens illa advolantes, quas quiſque poterant particulas divulſas aut inventrem, aut ad macellum demittebant.

CAP. LXII.

Caſſiani erga Armenum duritia.

Sed jam expertus, miſeratuſque athletas ſuos Chriſtus, lætos ad exitus agonem ducit: peruſto ſolibus populo, urbem, & umbram aperit hoc modo. Fuit inter eos, quorum Caſſianus annonam dimidiaverat, vir dives Armenus, qui abrenunciato Chriſti dogmate, errores Gentilium ſequebatur; is plurimam habebat familiam, juxtaque familiæ numerum annonam: quod ubi, fame crebeſcente, Caſſiano innotuit, denuo illud dimidiat, quod priùs vitæ miſeræ reliquerat ſolamen: prior fuerat per domos, & familias generalis rapina: hæc ſingularis, eoque gravior, quaſi damno adjecta injuria. Spoliatus illevitæ ſubſidio, lugubris, & amens Principis veſtigia oſculatur, liberis inopibus ſolatium repetens ademptum. Quem non moveat lacrymarum fluvius, clamorque æthera feriens? Væ vobis liberis meis non jam dicendis ut priùs, caris pignoribus, ſed diris vulneribus: veſtra fames meam conſumit, veſtra cor meum penetrat, meam non ſentio. Quid prodeſt cibis paviſſe delicatis, quibus modò denegatur, qui ſervis datur inutilibus, panis? Satiùs patri miſero fuerat videre trucidatos, quàm inedia afflictos: priùs lanceæ genitorem perfodiant, priùs fulmina crement, priùs maria ſubmergant, quàm veſtrum illum, quem anima met abhorret, aſpiciam finem. Væ! ſic erit: hoc unum jam mihi reſtat ſolatium, mors mea præibit, liberabit me à conſpectu veſtræ aut mucro, aut laqueus. Sed miſeremini, ò cives! Intercedite pro innoxio, vel certè puniar ego, ut nocens, dum mea famis tormento non crucietur familia.

(*) fortè deeſt *infamiam*.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXIII.

Proditur civitas.

MUltis ad hunc modum ille miſerabiliter, ſed inutiliter effuſis, ſpernitur, irridetur, repellitur. Commiſſa ei fuerat ab obſidionis exordio turrium unius cuſtodia, longè ab exercitu in angulo civitatis ad Zephyrum ſupra montem ſitæ: hujus proximam inferiorem fratri ejus cuſtodiendam Caſſianus tradiderat, ut dici poſſet, ſorores duas duobus fratribus eſſe commiſſas: nec tamen incautè hoc, vel caſualiter actum eſt: prudenter longè à Chriſtianis deputati ſunt cuſtodes, qui aliquando fuerant Chriſtiani, hoc proviſum eſt, & hoc actum. Sed ubi alter fratrum ille repulſus objectum ſe contumeliis videt, nullo intercedente, nullo miſerante, ſaluti propriæ conſulit, generali civium perditione ſuas ulturus injurias. Sopitis nocte intempeſta excubiis, de muro, cui junctam turrim obſervabat, funem demittit, per hunc gemino comitatus pignore deſcendit, longo fatigatus circuitu ad Boamundum tandem pervênit. Eum inter cæteros quaſi Principum Principem Orientalis ille populus arbitrabatur, quòd olim Wiſcardo Græciam debellante, Boamundi fama terruerat Græcos plurimo certamine glorioſa: ex tunc factus Aſiæ celebris, nunc quoque omnium Dominus putabatur. Sed juſſus ad quid veniſſet exponere Armenus: urbis introitum pandere ſe paciſcitur, diem ſtatuit, & horam, locumque aditui opportunum. Mox filiis obſidibus ultro oblatis, datiſque: ſolus ad funem revertitur, comitantibus tamen, impellentibuſque ira, audacia, ſpe, timore ſurſum facilè volat.

CAP. LXIV.

Boamundus Epiſcopo Podienſi rem nuntiat.

AT Boamundus numquam pari excitus gaudio, Sole orto Appodienſem Epiſcopum virum, quem Papa Urbanus tamquam alterum eumdem exercitui præfecerat, adit, ipſius fidei ſecretum hoc committit. Epiſcopus autem & fideliter rem tegere, & tectam ſedulò ſe ſpondet promovere. Igitur ſtatim exercituum rectores convocat, & qui erant in populo, majores: quibus, congregatis ſic fatur.

Oratio Podienſis Epiſcopi ad milites.

Multum, diuque, fratres, vexavit nos labor præſens, multum, diuque, niſi oculus Domini ſuper nos fuerit, vexabit. Machinas ſtruximus, palàm obſtitit; mœnia fodimus, repulſi ſumus: pugnavimus, hoc unum proſperè ceſſit: ſed timendum eſt, ne hæc, quam inſtare ajunt, pugna eo ſit gravior, quo numeroſior. Ille hoſtium numerus quindecim millia fuit: hi ſunt, ut perhibent, quater centena millia, hoſtium vires non ceſſant creſcere, nec noſtræ minui. At reſpicite, quæ eſt firmitas urbis, quis ſit ſitus: foſſæ ejus tria latera imperviè ambiunt; quartum palus, & fluvius, per circuitum muri, quibus ſi velit mundus pares aſtruere, non habet; fontes intus ſcaturiunt, cætera ad uſum vitæ congregare ſufficienter potuerunt, apud quos per adventus noſtri minas annus tran-

A *ſiit. O Antiochia aut nunquam eſſes, aut numquam obviaſſes! Cauſa viæ Jeruſalem eſt, quid Antiochiæ, & nobis? quòd ſi hanc poſt tergum dimittimus, ſi ab hac repulſi ultra progredimur, nihil eſt actum, nihil reſtat ſperandum. Hanc, inquam, ſi dimittimus, non ipſa nos dimittet: ſemper ſequitur comes: ſed ut veriùs dicam, adverſatrix hæc vias obſtruet, hæc à tergo, hæc à fronte pugnabit, hæc reſiſtens reſiſtendi ſpem aliis dabit, quæ capta omnes alias formidine involviſſet. O mœnia. Utinam, aut numquam ſurgeretis, aut procul ab oculis, atque auribus noſtris! Sed deliberemus ò proceres. Conferamus in medio, proponamus præmium virtuti, excitabimus, ſpero, corda hominum*
B *auditâ ſummâ præmiorum. Reſpicite Saul quid fecerit, & de antiquis exempla ſumamus. Non fuit in Hebræis qui contra Goliath ſurgeret, donec Regis filia, & libertas patriæ domui promiſſa, David ſuſcitarunt. Ajunt intra ſe multi, atque etiam palàm: cui laboro? ad quid me crucio? cur vulnera excipio? ego vitam meam pretium Antiochiæ dabo? ingratus quiſpiam neſcio quis principabitur. Abſit ego plorem, alius per lacrymas meas rideat ingratus. Quare agite, non moveat vos ambitus regnandi: ſed potiùs viæ cœptæ conſummatio: meliùs ipſa civitas illi contingat merces, ſi cujus ope nos receperit, quàm præmii expers virtus torpeat, excuſationem, quam audiſtis, objiciens.*
C *Hoc eſt, quod ſaniùs, quod efficaciùs, quod præſtantiùs meditari, indagare, excogitare mens mea poteſt: diſcretio veſtra, ò proceres, ſi quid minus dixerim, ſuppleat: ſi plus, adimat: ſi malè, mutet: ſi bene, annuat.*

CAP. LXV.

Principatus urbis ei promittitur, per quem in ipſam futurus eſt aditus.

AD hæc univerſus conſilii favor: priùs qui primi, qui poſt primos poſteriùs pro dignitate ſua ſinguli aſſonant: nemo non favet, omnes ei quicumque ſit urbem annuunt, per quem aditus patebit. Tunc Boamundus promiſſum, inquit, quod jurejurando obſtringitur, jam quaſi datum eſt, ut tranſeat quodammodo futurum in præſens, ſpes in gaudium: quòd ſi ſoluta ab hoc vinculo tantum ſunt verba, quid confert autem? pollicitis dives quilibet eſſe poteſt: quare ſi cupitis ratum fieri, fixumque ſtare; quod promittitis, conjuretis. Nulla fit mora, nulla retractio, ſicut moniti ſunt, jurant, etiamſi majora his monuiſſet, in ſpem remedii parêre non duri. Sic jam certior, experrectiorque Boamundus aliquot primatibus conſilium ſuum aperit, omnibus ad ingrediendum parandum eſſe manifeſtiùs indicat, maturam opem adeò ſub
E certa ſpe promittit. Tunc vale invicem dato, ad propria redeunt, funibus ſtruendis dant operam. Ille maximè, qui unus inter currentes bravium comprehendere intendit, ille accelerat, ille cogitat, ille totus de noctis proximæ adventu pendet, quæ pigra ſibi ſupra quod amicam expectanti, vel opus debentibus videtur.

CAP. LXVI.

Traditur Civitas.

EA tandem cùm adveniſſet, medio omnia tenente ſilentio, Boamundus promiſſam ſibi turrim non ſinè multo ſudore pedes adit, neque enim loci aſperitas equos admittebat: eundo tamen nuncium præmittit, qui excubet, qui prævideat, ſi tutus ſatis eſt ad mœnia acceſſus. Sanctus ille proditor hujuſmodi ſignum dederat abſcedens: Cùm veneris, inquit, Domine mi, nuntium ad pedem turris meæ præmitte, ego in muris ſedulus excubabo: ſi proſpera omnia, lapidem poſt lapidem demittam, ſi adeſt periculum, unus indicabit. Ad hæc igitur diſcernendum excubator præmiſſus, turri appropians ſtatim agnoſcitur, agnitus proſperitatis ſignum accipit, rediens annunciat quod audivit. Boamundus ergo ſicut cœperat, ad mœnia pervênit, funem de foris pendentem invenit, in eo ſuos ligat, Armenus trahit: cùmque ſatis firmos ſtruxiſſet nexus, juventus volucris pennata corpora accincti gladiis per funes volant, Govel Carnotenſis primus; ſicut aquila provocans pullos ſuos ad volandum, & ſuper eos volitans, vir ille nobilis, & à puero nihil eſuriens ut laudem, neque ſitiens; non propter vitam laudari, ſed propter laudem vivere cupiebat. Primò tacitum eſt, dum paucitas multitudinem formidavit: at ubi multitudo introducta formidinem excluſit: jam in leones vertit animus, quos aquilis ſimilaverat aſcenſus.

CAP. LXVII.

Cædes civium.

CUrrunt ad portas, quibus ſi quis occurrit, occumbit. Primus gladios eorum expertus eſt, in cujus primam turrim deſcenderunt, illius ſui introductoris germanus, quem ſecreti hujus frater reliquerat ignarum, negnarum facere hoc eſſet ſibi, ſuiſque patibulum ſtruere. Illo itaque, ſociiſque cuſtodiæ repentino gladio jugulatis, ſit clamor, quo turres aliæ tremiſcunt, fugiunt vigiles, quibus licet, aliis ipſæ factæ tumuli, ſepultos ſervant, à quibus modò ſervabantur: ſic ad portas deſcendunt noſtri, propiorem in occaſu, repagulis exciſis, Boamundo aperiunt alteram, quæ Boream excipit, & pontem Raimundo. Ad illam per abrupta, per avia Boamundus deſcenderat, hanc de proximo diu obſederat Raimundus, qui audito tumultu de intus, mox adeſt nihil cunctatus. Fuerat illa curarum maxima, ille timor magnus, ne introductis noſtris occurreret civitas, portas tueretur, auxilium excluderet: at miſerante populum ſuum Chriſto; dum hi veniunt, illi fugiunt: portæ cuſtodia vacantes facilè patent, ubi ſecures altrinſecæ in mediæ trabis excidium laborant. Nox hactenus Chriſtianis obſecuta eſt, aurora rutilat, dies accelerans tantum nocti gaudium invidet. Igitur, orta luce, Chriſtiani palatia irrumpunt, captæ urbi inſultant, latibula rimantur, aurum, parvulos, matronas, puellas, præterea quid quiſque invenit, arripit: mares, quod bellicoſum eſt, trucidat, quod imbelle, reſervat. At cives, qui promptus fugæ, qui pede celer, relictis omnibus, in montem fugiunt, ſaucium pater filium non expectat, ſed nec filius patrem grandævum.

CAP. LXVIII.

Princeps Antiochiæ Caſſianus fuga ſibi conſulit.

SItum in ſumma rupe caſtrum multos recepit, quamplurimi excluduntur, quos Chriſtianus enſis obvius avertit: hi pars in montem corruunt, quidam per interiores gradus aſcendunt muros, dant ſaltum foràs, exitialem aliis, atque aliis redivivum. Latus illud urbis, ut ſupra dictum eſt, obſeſſore vacabat; ideoque quos egrediendi licentia expediebat; viſum eſt illis aptum fugæ divortium. Ipſe etram Princeps Caſſianus verticem gladio, tergum lancea, jaculo ſaucius femur hac evaſerat, quantumque nox, diluculum, calcar, equus adjuverant, jam prope Rubeam oppidum elongaverat: illic equo deſtituitur, ac tenebris in fruteto abſconditur, ſperans ſive de præſenti luce viatorem opiferum, vel ſaltem de nocte inſtanti tenebras fugæ ſolatium: hac in ſpe miſer ille ſaucius, ut dixi, anhelus, ſitiens, arrectis auribus, oculis ad vias intentis, in dumo latitabat, lepuſculo ſimilis, quem catulorum faucibus ereptum vepris celat. Proh mundi gloria! Quid nunc eo infelicius? idem heri Antiochiæ princeps, Syriæ dominator, ac Phœniciæ, Aſſyriæ terror, regum Orientalium potentiſſimus, uni Solidano, qui regnum Perſida regnaverat, ſecundus: ſed dum tantis miſer vexaretur anguſtiis, ſitis acrior viſcera torrebat, viſo ruricola aquæ amphoram bajulante; illi innuit, acceſſit, bibit. Aſpiciens ruſticus habitum, faciem contemplatur, ſtupenſque ad caſum, & vulnera: Heu, inquit, domine mi princeps, cui de te tantum licuit, cujus in te tanta ſurrexit audacia? agnoverat enim eum, ut ſemper plebis oculi ad regiam majeſtatem intenduntur: ſtupebat ergo eventus adhuc recentis ignarus.

CAP. LXIX.

A ruſtico occiditur.

TUnc Caſſianus miſertori infelicitatis ſuæ fidem adhibens, ſimul metuens, ne diſſimulando diffideret, diffidendo vices hoſtis exequi videretur: Perdita eſt, inquit, Antiochia, Franci tenent. Ego qualem vides terno hoc vulnere vix aufugi: at tu, obſecro, ne palàm facias: veſperi ſcilicet fugæ operam dabo. Tu mercedem quammaximam à me, ſi evaſero, expecta. Vulgus fortunam ſequitur, qua ridente, multos in eo numerabit amicos; eadem triſti, diffugiunt ſiccatis cadis cum fæce, ferre jugum pariter doloſi. Attonitus tanto, tam repentino caſu ruſticus, apud ſe non eſt, infremit ſpiritu, ſtupet, deliberat tandem quid in tanto rerum cardine ſit agendum. Statim tractat interitum ejus, cujus modò vulnera miſerabatur, in qua re duo penſat: acceſſum facilem, effectum utilem. Si hunc occiderit, præſto eſt merces, veſtes regiæ, & equus, ad hæc Francorum gratia: præferenda tamen his fuerant amicus Chriſtus, cujus inimicum interemiſſet, & de tanti nece principis laus immortalis, quæ in mortem multos impulit mortales; ſed hæc aliena à men-

Digitized by Google

mente ruſtica nobile nihil attendente: ſic utilitatem conſiderat. Porrò feſſum, exanguem, feminecem, ſolum, inermem videt: facilè arbitratur vitæ, quod reſtat, extinguere. Quid plura? immemor honeſti, pietate neglecta, ſervus dominum clava ſublata dilaniat, cerebrum ſpargit, ſpolia ſatis arcta ingentibus præferens promiſſis.

CAP. LXX.

Tancredus hujuſce expeditionis ſe conſcium non fuiſſe conqueritur. (*)

TAncredus interea ignarus omnium, quæ acciderant, more ſuo vias procul ab urbe obſidebat, quæ introitum, exitumque ſæpiùs indulſerant urbanis: cùm ergo à profugis illac egreſſis, captiſque res geſtas accepiſſet: Heu mihi? heu! ingeminat, qui in tanto tam ineffabili gaudio ſolus cogor dolere. Proh pudor! quis laboravit, & ego quievi? qualis excubavit, & ego ſtertui? O Boamunde, Boamunde! aliis palàm feciſti, clam mihi: ò cognate ſanguis? hoccine fuit cognati ſanguinis? abſentaſti me, cujus præſentiam noveras in hac tanta militia primas partes non declinare. Noveras, ſi adeſſem, primus ad mœnia currerem, primus funes appræhenderem, primus ſupervolarem, primus detruncarem: hanc mihi gloriam invidiſti; quamquam tibi eam vires, ætas, fortaſſe animus negabant. O felix ille, quicumque eſt, qui has Domino Deo noſtro primitias libavit! Sed properemus, ò ſocii, præcurſum amiſimus, ſaltem ſubſequamur. Neque enim hæc ille etiam auferet, qui vos pauperes fecit, me inglorium. At qui finxit ſigillatim corda hominum, qui intelligit opera ipſorum, ipſe judicet, ipſe vindicet. Hæc fatus Antiochiam vênit, gaudium invênit, & ipſe qui modò flebat cum flentibus, jam cum gaudentibus gaudet: quippe gaudium commune privatam de corde nobili expellit triſtitiam. Accedit tamen & communi lætitia parva, quòd relicti ad tutelam caſtrorum, pars militiæ audito tubarum ſonitu, cum Boamundo introierant, abſentique Domino palatium præparaverant inſigne, jamque introgreſſis omnibus, qui principabantur, ſolus Bleſenſis Comes abfuit: ſeu merita Superûm ira, ſeu fortunæ invidia pudenter excluſus.

CAP. LXXI.

Caſus mirabilis. (**)

ACcidit per id temporis quiddam inopinabile ſinè exemplo caſus, cujus generis nec anteceſſiſſe, nec ſecutum eſſe prodigium ætas priſca meminit, aut præſens. Conſidebant Boamundo vocati ad cœnam Comites, Flandrenſis dexter, lævus Bolonienſis: aderat multa plebis palatio in eodem frequentia, pars diſcumbentes, pars miniſtri, ut fit, ubi Principes tanti tres ad menſam conveniunt. Cibus tacitos facit; potus, quod per quemdam prudentem dictum eſt, loquaces: librabat Boamundus dextra cultellum poſt cœnam, cùm Flandriæ Comes alludens ſic ait: Quid ſibi vult hæc libratio? manifeſtum eſt, video, ſollìciti ſignum, non eget curis hoc tempus, hora eſt gaudii, non curarum: immo, inquit Boamundus, Domine Comes, alia eſt res, præſentia veſtra non me ſinit eſſe ſollicitum, cui ludum ſtruo, dum trutino cultellum: Hunc cujus groſſitudo cæteros premit (& ardebat coram eo cæteris groſſior ſuper candelabrum cereus) hunc, inquit, ſemel ictum in duo diſpertiam. Viſus eſt Comitibus ſermo delirus, & quem nulla poſſit ſequi effectus facultas: quapropter ſubjicit Flandrenſis: Aggredere, quod jactas, Princeps, voti compotem donabo clamyde mea: tu verò impos me tua ne abnuas donare. Conceditur: qui mox ſublato B. ictu aſtantem diſſecat cereum, deſcendens quippe ex obliquo dextra facilem cautè impetravit ſectionem. Fit itaque cereus unus duo, quod dictu eſt mirabile, ardens, ardentes: ardet, quæ ardens deciderat pars ſuperior; ardet inferior, quæ fixa aſtabat, neminis manu admoto igne per ſe accenſa. Aſpicientium ſtupent mentes, omine acti actor ipſe terretur. Volitante populum rei fama, ex omni urbio, ex omni officina accurritur, ſtupetur, nequeunt expleri corda tuendo, adhuc ſtupentibus iis, adhuc mirantibus, ille ſubitò accenſus ſubitò quoque ignis extinguitur, augurium triſte. Quòd ſi ſocietatem integram manendi, pereundique cera, & flamma conſervaſſent, longa hæreditas, longa promitteretur ſucceſſio, ad ſupremum ſæculi diem perducenda: quia verò ortus evanuit, quòd ſuccreverat, igniculus, ſobolis quidem aruſpices promittunt ſpem futuræ, at mox tranſituræ. Oſtendent, ajunt, terris hunc tantùm fata, nec ultra eſſe ſinent, & cætera, quæ ſubdidit Mantuanus: quæ nos in nece Boamundi junioris vidimus completa. Prodigii novitas Comitem defendit: non eſt de oppignerata clamyde ramentum, immo opes, atque inopia, hæ Principem, illa Comitem circumvallantes. Itaque non ſolùm quod debetur, non exigitur: verùm etiam plurimo Comes munere cumulatur.

CAP. LXXII.

Chriſtiani urbe potiti ab infidelibus innumeris obſidentur.

DIes illa, dies gaudii fuit, at craſtina mœroris. Corbozan Regis Perſarum Dux cum quadringentis millibus equitum adeſt, urbem obſidet, incluſis mortem minatur, & carcerem. Hæc audiens Bleſenſis Comes, quantùm licet, maturat fugam, inſtar victoriæ reputans, ſi evadere datur ſociis præſentibus morti addictis. Igitur Græciam versùs revertens, Imperatori Alexio apud Cuthai civitatem Lyciæ obviat cum Græcis centum millibus in auxilium Francorum feſtinanti. Veniebat cum eo Guido Boamundi frater, & quidam alii Francorum nobiles circiter decem millia armatos habentes. Cùm ergo de obſeſſis Francis, de obſeſſoribus Perſis Imperator à Stephano rumorem accepiſſet; fama eſt primò eum voluiſſe ſuccurrere, ſed ejus, qui incitare debuit, verbis revocatum ceſſaſſe. Reſpondit Stephanus, ajunt, de Perſarum numero conſultus; ſi, inquit, Domine mi, exercitus

(*) E contrario Baldericus lib. 2. *Tancredus enim*, ait, *ſuique conſiliarii rem totam ab origine noverant*. Sed major fides noſtro Radulpho.

(**) Quæ hoc numero continentur, extant in carta geſtis Tancredi aſſuta, ſive ab eodem Auctore, ſive ab alio poſtmodum addita; quæ tamen narrationis ſeriem interrumpere videntur.

citus hic tuus illi pro eſca daretur: non ſufficeret, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Territus verbo Imperator in Græciam refugit, oppida, rura, caſas, per quæ redit, incendio vaſtat, poſt ſe populos trahit, ne fortè ſuis ipſe alimentis hoſtem paſceret inſtantem. Voluit Guido, vixque retentus eſt, quamvis Græco deſtitutus auxilio, Chriſticolis opem ferre incluſis: ſed eodem, quo Imperator, dehortante retrahitur.

CAP. LXXIII.

Dirâ fame affliguntur.

INterea ſeptos hoſtili milite Francos,
Mœnibus incluſos, Perſarum ſpicula paſſos,
Dira fames cruciat; res dura: ſed aſperior ſpes.
Nulla quies miſeris: hinc monte pluvente ſagittas,
Illinc planitie, cohibent hanc murus, & unda.
Monte nihil horum: mons pervius incitat hoſtẽ.
Ergo dies bellum, bellum nox excit opaca:
Summa tenent Turci, defendunt ima Latini.
Adverſùm innumeras ſtat lancea pauca ſagittas,
Diſpar certamen, numerus, vires, locus, arma;
Omnia diſparia, præſtent hæc omnia Turcis.
Tantũ animi Francis animis præſtantibus, omnẽ
Triſtitiam pellunt: ſuperant quibus omnia præſtant.
Conſilium faciunt, qua declinare laborem
Arte queunt: oculiſque leves inducere ſomnos.

CAP. LXXIV.

Reſiſtunt, & propugnacula inſtruunt.

CÆmentum, lapides, perpendicula, artificeſque,
Funes, vaſa, dolabra parant; cunctiſque paratis,
Nocturni fabricant, bona res, lucem tamen odit;
Exit opus noctem, redeunt in luce ſagittæ,
Lancea ſtat contra, dumque inſtat, fabrica ſurgit,
Dum refugit, ceſſat; ſic fortunam inter utramque
Conſtruitur murus, Turcis deſcenſibus obex,
Si ſit opus lignis, ut materiam petat ignis;
Illuc ad ſparſas juga mitte bis octo ſagittas,
Accipias reduces fluidos ſudore jugales.
Nemo redit vacuus, pharetras implere paratus;
Ergo aliquam nactos, ſed vix utcumq; quietem,
Seriùs infigunt jam Partica ſpicula Francos,
Jam verſant alias alio diſcrimine curas,
Omnimoda populus lacryma, anxietate, labore,
Plagis, eſurie, curis, algore, calore;
Quẽ poterant avidi carpebant nocte ſoporem.
Ille loco panis ventrem paſcebat inanis.

CAP. LXXV.

Dum indulgent ſomno hoſtis inſtat.

DUm gens ſtertebat, murus cuſtode carebat:
Nam, ſic vulgus ait, malè ſervat, qui bene ſtertit,
Cujus erant ſummæ latebroſa palatia cauſæ,
Vicatim clamans, ô ſurgite, ſurgite, præco,
Hoſtis adeſt, turres aſcendit, jam tenet urbem:
Vos quæ pigra quies? miſeri ſuccurrite vobis.
Hæc dũ clamat, ad hæc clamata ita ſurgitur, ac ſi
Iſmarus, & Rodope, quas durat Thracia rupes
Surgere juſſa forent, juſſi clamoribus iiſdem,
Hinc proceres ſtatuunt, latebraſque, ſedeſque cremare:
Ædibus accenſis, cuſtodes murus habebit.

CAP. LXXVI.

Robertus urbem incendit, ut mox adſit miles.

FLandrigena huic operi Robertus adeſſe monetur:
Impiger ipſe pigros celer excit, & hac ope tardos,
Ne pareant magni, dum tractant otia parvi.
Fit quod dictum eſt, urbem Robertus & igne
Vaſtat, & urbanos, dum ſervat mœnia, ſalvat.
Si rectè memini, Provincia miſerat illos,
Quos umbræ pigros, celeres flamma addita fecit;
Illa ſecus montem, ſed nõ tamen in pede montis.
At vicina pedi gens atria maxima habebat,
Primos introitus portis ſortita recluſis,
Primò, quas placuit, ſummas elegerat ædes,
Principis hinc etiam Raimundo contigit aula,
Inde quies genti partim, erga, ſuperbaq; partim:
Aſt ubi Vulcanus depaſcit culmina, ſurgunt,
Qui pigritabantur, piget indulſiſſe quieti.
Currunt ad muros, propter tentoria figunt.
Pars tegetes fabricant, ſic proxima perditioni
Mœnia ſervantur, ſic damnis damna levantur.
Sic generale malum ceſſans, in particulari
Sancit, quod legitur; dolor eſt medicina doloris.

CAP. LXXVII.

Templa, & palatia ignis conſumit.

URbs accenſa magìs accenditur, ac magìs, eheu!
Excedit medicina modum, domibuſque nocenti
Igne pererratis, innoxia templa cremantur.
Templa, quibus viſis ſtupuiſſet pictor Achivus,
Auri fuſor Arabs, Sculptores Scottus, & Anglus.
O quantam, quam materiam decor ille tegebat:
Quippe columnarum pariis de cautibus ordo;
Forma pavimenti, vitreum mare, par criſtalli
De Cedris Libani fragrantia tigna, Coatus
Executere trabes de ſylvis ætheritangis:
Marmor Atlas, vitrum Tyrus, æs Cyprus, Anglia ferrum.
Singula regna ſuas ſtuduerunt mittere gazas:
Et quamvis furnus latens coquat Antiochenus
Plumbum, ajunt, templis miſiſſe Amathonta tegendis.
Alterius Domini culturam Mater habebat:
Alterum erat Jacobi, dubitatur, an enſe necati,
An ligno necti de templo præcipitati:
Tales materiæ, tantum decus, hoc perit igne;

CAP. LXXVIII.

Servatis muris, inſtat nihilominus hoſtis.

SEd jam ſervatis tanto diſcrimine muris,
Hoſtis adhuc inſtat: cuſtodes fallere tentat,
Nox cavet inſidias, lux ſpernit ſcire cavendas.
Qui ſpectant altis de rupibus inferiora
Cuncta palã ſpectant, qui ſtertit, quis vigilatque,
Quæ tutore carent partes, quæ præſide gaudent.
Gens Alemannorũ frontẽ, quę ſpectat ad Eurum,
Noctu ſervabat, ſomnis in luce vacabat:
Sæpiùs hæc Turci ſumma de rupe videntes,
Spem capiunt ſomnis aſcendere poſſe ſub illis.
Scalas ergo parant, veniunt ad mœnia furtim:
Ilicet aſcendunt, nullo prohibente; jacebant
Cuſtodes miſeri, quaſi morte, ſopore ſoluti:
Plurimus in turres jam ſcanderat arcus, & enſis,
Cùm de longinquo cernuntur talia muro.
Fit clamor, fremit urbs, tandem ſopita reſurgit
Turba, ſtupet, viſis prope ſe diſcurrere Turcis.

Pars

Digitized by Google

Pars gladios ſtringũt, pars diffugiunt ſtupefacti:
Qui ſtringunt, feriunt, qui diffugiunt, feriuntur,
Inſtant Chriſticolæ, fugiunt ad mœnia Perſæ.
Felix, cui ſcalæ, vel cordis contigit uſus,
Cui neutræ infelix: de mœnibus exilit altis
Audax in ſilices, timidus ſtrictos fugit enſes.
Dum tandem exciti ſurgunt, urgent Alemanni,
Turba Latinorum, pudor! ut teſtantur & ipſi
Per plateas Græci clamantes Caco-Alemanni.

CAP. LXXIX.

Obſeſſos fames urgens ab urbe nobiles quoſdam exire compellit.

NEc tunc deſiſtit fortuna lacesſere Chriſtum,
Seu Chriſti famulos, ſuperata reſurgere tentat
Aquila, ſuccubuit ſcandens, ingreſſaque muros
Deſcenſum, egreſſumq; parat: nihil intentatum
Linquens, nunc dextra tractat, nũc arma ſiniſtra;
Dicens, ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.
Chriſticolas clauſos patientes aſpera luce,
Aſpera nocte fames omni crudelior hoſte
Affligit, lacerat, conſumit, macerat, inflat.
Trux here, nũc trucior, cras, poſtcras ſævior atq;
Sævior accedit, quanto magis eſca recedit.
Quæ tanta macie, tanta inter tædia vitæ
Expers auxilii, pars militiæ fugiendi
Conſilium tractat; proba, nobilis, inclyta bello
Uſq; ſub hoc tempus, digniſſima laude juventus;
Wilhelmus, fratreſque ſui Albericus, & Ivo.
Iſti tres cognomen habent de Gente Maiſnil,
De Fontenella Radulphus, & is Turonenſis:
At fratres, pudet, heu! pudet, heu! Normannia miſit.
Illud ubique genus, victoria, gloria mundi,
Anglorum victor populus, victor Siculorum,
Victor Græcorum, Capuanorum, Apulicorum;
Cui Cenomanenſis, Calaber, cui ſervit & Affer,
Cui Japix, horum patitur de ſtirpe pudorem.
Admoniti plures illorum voce fuerunt,
Ut fierent tanti comites ad fœdera probri:
Sed Deus, Arnulfuſque ſuus parêre paratos
Arcent, & turpi revocant à conditione:
Aſt oblita Dei, patriæque, ſuique juventus
Illa probroſa viæ cœptrix, auctorque pudendæ,
Perſtat in incœpto, nullo revocabilis ore:
Egregium factu rata, præclarumque relatu:
Si, reliquis cæſis, hæc ſe ſubtraxerit hoſti.
Ergo ſtruit funes, ſtructis quibus, atque ligatis,
Pendula de muro ſit noctua nocte volando:
Sic nocturna fugit, fuga ſole oriente pateſcit,
Moxque fit edictum, ne quis diſſolvere funes
Audeat, opprobrii monimentum poſteritati.

CAP. LXXX.

Obſeſſi lethiferis cibis utuntur.

ERgo ubi jam paleas pepulerunt vannus, & aura,
Purum, quod remanet, frumentum, aurum igne probatum,
Purgatum terræ, gens imperterrita, conſtans,
Sed lacerata fame, miſerabilis, irrequieta,
In ſpem vivendi currunt ad opes, moriendi
Lethiferos guſtus, ut ſunt ſalvinca, cicuta,
Elleborum, lapan, lolium, zizania mandant:
His miſeri ad vitam, dum veſcuntur, moriuntur.
Præterea ventres ſoleæ quocumque repoſtæ,
Et quidquid corii inveniunt ubicumq; rejectũ,
Immiſſum cacabo, flammis molleſcit, & undis,
Inde ſtruunt epulas, felix, cui ſors dedit illas,
At quibus invidit mortem, morboſque reliquit.
Preſſa malis, aſſueta bonis tam nobilis illa,
Tam præclarâ Ducum, Comitum, Regumque propago,
Qualem nulla priùs ſepſerunt mœnia, nec poſt,
Expavet eſuriem: pro nectare vix habet amnẽ.
Hinc ventris fluxus, febris, hinc peſtis aquoſa:
Nullum ſolamen, partam videt undiq; mortem

CAP. LXXXI.

Singulare certamen ore Petri Eremitæ petunt à Perſis.

MUlta ſtudet, voluit, rimatur, circinat, ambit.
Qua vi, quove modo, quanam ratione, vel arte
Declinet mortem, vitam revocet fugientem,
Sit nox, ſitve dies, tractat, facit iſta palàmque
Conſilioque inito legatos mittere ad illum
Perſarum Satrapã, cui nomen Corboran, audent;
Quinque, inquam, mittunt, inter quos Petrum Eremitam:
Petrum, cujus erant, color ater, ſpiritus acer,
Pes nudus, ſtatura brevis, facies macilenta,
Inſtar aſellus equi phaleræ ſibi ſicut aſelli.
Petrum more heremi viliſſima cappa tegebat:
Scemate ſub tali trabeati adit ora tyranni.
Cernentes habitum, vultum, mox cætera Perſæ
Gaudent, & ſperant procumbere velle miſellum
Principis ante pedes, ut flexus flecteret ipſum
Populos, & ad pacem prænuncius ante veniret.
Non ſic impietas, non ſic: ſed pulvis ut ille
Quem ventus rejicit, ſic & tu rejiciere.
Tunc ſic eſt orſus ſed recto vertice Petrus:
Gallica nobilitas Chriſti peregrina ſepulchrum
Dum petit, egregia, quæ nil timet, urbe potitur.
Petrus Apoſtolici Dux agminis hîc dominatur,
Hanc fovet hoſpitio, conſervos gaudet habere.
Tu fines ejus popularis, & obſidione
Claudis Chriſticolas: jubeo ſub nomine Chriſti,
Sub Petri diſcede ſuis de finibus, & citò: vel ſi
Juſtitiam ſequeris, ſi Perſica regna quid æquum,
Quid rectum curant, armentur, & egrediantur
De veſtris deni, vel ſex, vel denique terni:
Contra par numerus concurrat Chriſticolarum,
Vincat uter populus, ſibi ſerviat Antiochenus:
Victus uter fuerit, diſcedat ab Antiocheno.
Aut ſi conditio gravis hæc tibi diſplicet, audi,
Quid ſequitur, quid nos proponimus, altera reſtat
Fortaſſis gravior: cùm craſtina ſulſerit Eos,
Ne dubites bellum tibi noveris affore partum.
Hæc ſunt quæ populus mandat tibi verba Latinus.

CAP. LXXXII.

Perſarum reſponſio.

DUm Petrus mediis proponit talia Perſis,
Ridet turba Ducum, ridet quoque grex popularis,
Subſannant miſerum trabeati more locutum;
Tandem Dux tumido reſpondet gutture ſummus:
Perſarum regnum populantes gens peregrina
Offendêre Deum Mahumet, eique ſecundum
Solum Solidanum: perquirere, perdere miſſus,
Inveni prædam, ſed claudunt mœnia, frangam.
Corpora veſtra canum dabo rictibus, atque leonum.
Hæc mea, vade, tuis reſponde verba Latinis:
Nã quid ego Petro, quid veſtro reddere Chriſto

Inve-

Inveniam? quanti Petrus, tanti mihi Chriſtus:
Cura mihi neuter, riſus mihi, riſus uterque.
Poſt audita Petrus ſpiramina tanta minarum,
Ad ſocios remeat, rabiem Ducis ordine narrat.
Protinus accingunt ſe bello audacia Galli
Pectora; ſed conſumpta fame, & ſinè carnibus oſſa.

CAP. LXXXIII.

Fideles irruptionem meditantur.

ARea lata jacet ſub muro proxima portæ,
Quæ patet in Boream, ponti contermina, & amni.
Illuc conveniunt, ibi ſe metitur inermis:
Ille ſacer populus, ſtatuunt quis primus in hoſtes,
Et quis prima ſequens tollat vexilla ſecundus:
Sic reliqui certo diſponunt ordine bellum,
Quo ſtent pila locus, quo lancea, quove ſagittæ:
Unde eques, unde pedes, aut irruat, aut ſtet in hoſtem.
Ordine cuncta ſuo ſic diſponentibus illis,
Sol ruit, extrahitur in craſtina tempora bellum.
Tranſierat Byſſæ, reſtabat tertia noctis,
Cùm ſuus Arnulfi curſu feſtinus anhelo,
Voce, manuque ſimul didaſcalus atria pulſat,
Surge age, ſurge citò, quid ſigna, polumque moraris?
Cœlitus ecce micat victoria, ſuſpice ſtellas:
Ante ſequebatur modò qui præcedit, at illa
Quæ nunc retromeat, nunc uſque Arnulfe præibat:
Surge, Duceſque ciens, in prœlia coge, pericli
Si quidquam eſt, obſes, teneat, cremer, aut crucifigar;
Et conjux, & uterque parens, & gnatus uterque:
Namque & uterque parens, gnatique, uxorque erat illi.
Doctus hic à puero, quo currant ordine ſtellæ:
Vel quid portendant, ſeu mutet regna cometes,
Sive ſenex gelidus pyrram minitetur, & imbres,
Seu Phætonteos currus, leo ſevus, & ignes,
Aut latus enſiferi nimis æſtuet Orionis
Auſpicium belli, vel quidquid quæque minetur,
Summus in hac doctor multos inſtruxerat arte,
In quibus Arnulfum, geminaſque oſtenderat illi
Belli à principio prodentes omnia ſtellas.
Altera Chriſticolis fatum dabat, altera Turcis:
Ordine tunc alio currentes, ac priùs illæ
Exitium Perſis prodebant, gaudia Francis.

CAP. LXXXIV.

Irruunt in hoſtem.

ERgo ubi ſigna poli lingua, digitoque magiſtri
Linceus Arnulfi percepit ocellus, & auris:
Ad proceres ſummos citus exit, & excit in arma:
Et verſo verſum curſus docet ordine fatum:
Jam bona cuncta nova, quia tranſivere priora.
Interea Phœbo nox ceſſerat, ergo recluſis
Eſuriens bellum gens exilit inclyta portis.
Nunc ope, nunc opus eſt, nunc, Spiritus alme vocanti
Affer opem: quæ prima acies, vel cuja ſecunda,
Quæ reliquæ fuerint, qui te ſitit imbue vatem.

CAP. LXXXV.

Ordo Ducum in aggreſſione hoſtium.

PRimus Hugo Magnus Francos educit ab urbe:
Prævius ante micat, prænobilis ante micabat:
Proxima Normanni ſubeunt vexilla Roberti:
Summi ambo Comites, ſoli ambo regia proles
Clarior Hugo genus, Robertus cætera major,
Non ſinè re partes belli meruere priores.
Tertius extra habens Godefridus in agmine multos,
Utpote Lotharidas cum Lotharidis Alemannos.
Quartus Tancredo bellantum contigit ordo,
Armis præcipuus, ſed non adeò numeroſus.
Viribus, & numero ſublimis in ordine quinto
Fulget vexillum Wiſcardigenæ pretioſum;
Partim materia, partim crucis indice forma.
Subſequitur ſextus magno fremitu Raimundus.
Hic ut ſe Turcis, non ut ſe miſceat armis:
Præſidio ſubſtet bellantes, undique ſpectet,
Pube peremptura perimendæ ſuppleat arma,
Sit robur belli, ſit murus, & inſtar azyli.
Flandrigenæ Comitis vigilantia præſidet urbi,
Ipſe regit portas, murum armis ipſe coronat,
Turres omnimoda jaculorum nube, ſagittis,
Stipitibus, telis, ſaxis, ſudibuſve peruſtis,
Sæpiùs ad fabricam convertens fræna recentem:
Unde minæ, unde metus, ne rupta admittat & hoſtem:
Nunc Ducis ore tonat: nunc militis enſe trucidat:
Ille obex Turcis deſcenſibus unicus ille
Magno præſidio magni tutoris egebat.

CAP. LXXXVI.

Terror Perſas invadit.

PErſarum ſatrapam ſcaccis operam dare fama eſt,
Gallica cùm primus vexillifer extulit arma:
Illico rumor adeſt exire ad prœlia Francos:
Princeps nil motus ludum tractabat ut ante,
Sed neque cùm Magni Comitis vexilla Roberti
Surgere clamantur: proh quanta ſuperbia! ſurgit,
Tertia cùm ſubeunt, ingens erat ille tumultus.
Demum captivis noſtra de gente vocatis,
Nam quoſdam noſtræ captivos gentis habebat:
Quorum ſint, quid ſignificent vexilla, requirens,
Quidnam figurent, quorum ſint, protinus audit.
Hoc eſt Roberti, Godefridi hoc, illud Hugonis:
Hæc eſt nobilitas, at major in urbe poteſtas:
Vel jam pugnabis, vel pugnam ſcire negabis.
Sic fando Tancredus adeſt, & adeſt Boamundus,
Et robur belli cum ſigniferis Raimundi.
Corboran accinctos bello, jamque irruituros
Chriſticolas cernens timet, accitoque repentè
Traduce verborum; quam Chriſticolæ priùs illi
Obtulerant, quam reppulerat modò conditionem,
Rurſus eis offert, at rurſus ſpernitur illa.
Tunc mora nulla citi pharetras, arcuſque ſibi aptant
Aſſyrii, Perſæ, Parthi, Libies, Elamytæ,
Phæniceſque, Arabeſque, Indique, Tyrique, Medique,
Cumque his multimodæ, quas propter tædia longa
Nomine quæque ſuo prohibemur ſcribere gentes.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXXVII.

TRanſierant inter montem, Chriſtique cohortes
Maxima Turcorum rabies, quaſi millia centum,
Scilicet à tergo miſſuri ſpicula, tamquam
Venator cervos indagine claudere tentat:
Æneus his murus opponens ſe Boamundus
Ad ſocios tergum, vultum convertit in hoſtes.
Ergo pugna Deo bifrons, ſimilanda bifronti,
Seu cui pone caput geminat pictura draconi.
Hinc, atque inde ſuum pro Chriſti Sanguine fundit,
Inque vicem fuſum de cædibus expiat hoſtis:
Eja ſtrenuitas, conſtantia martyrialis.
Athletæ Chriſti, totius gloria mundi,
Utimini dextris: vos pauci, centuplus hoſtis,
Utimini gladiis: eget his hæc area marris,
Hic ager, hæc meſſis reliquis vos paſcet in annis.
Altera frons belli Boamundus ſolus, & expers
Auxilii humani ſperans in numine Cœli,
Fidentes numero, confiſus præſide Chriſto
Aggreditur gentes, Crux prævia nobile ſignum,
Signum ſignorum præfulgurat, hoſtibus horror,
Chriſti militibus ſpes, murus, gloria, ſplendor.
Miles in egregiis nõ ultimus admodum acerbus,
Fortis, magnanimus Boamundus, Martis alumnus,
Atque nepos, illud prædictm inſigne gerebat
Robertus celebris Girardi filius orbi,
Is dextra, & lingua, quin mente, & corpore Chriſti
Pronus in obſequium, promptiſſimus in quaſi fratris
Frater, & in ſocias quoſcumq; vices Boamundi:
Pertranſit Turcas iterumq;, iterumq; catervas,
Hortando ſocios, hoſti inſultando ruenti.
Turcis Robertus, Roberto inſtat Boamundus:
Non illis ille, nec huic hic ceſſat adeſſe.

CAP. LXXXVIII.

Territi fugantur Turci.

AD Crucis aſpectum perdit gens Perſica viſum,
Fit tremebunda, gemens, quæ venerat acris, & horrens.
Non eſt amentum, non eſt qui exerceat arcum.
Evax ah ah he vertuntur in at at, & heu heu,
Ergo ſe pecudes, Francos genus acre leonum
Faſſa, fugam morti præfert, & vivere laudi,
Dum nequit ad montem regredi, refugit ſecus amnem:
Victores inſtant, & numquam ſternere ceſſant,
Donec utraſque acies ſociæ excepere cohortes
Victas, vincendæ victrices vincere ſanctæ.
Jam non pugna bifrons, jam certior ac fuit ante,
Jam ſpes aucta aliis, aliis metus additus armis:
His pugnare, illis pugna decedere ſuadet
Multus adhuc populus, numerus cui cedit arenę,
Et quod rarus equi premit acris terga Latinus
Chriſticolis obſtat, Turcis ſolatia præſtat:
Accedit tamen his aſtutia; ſed nihil aſtus,
Nil dolus in Chriſtum, ſinè quo nihil eſt, nihil actum.

CAP. LXXXIX.

Anceps pugna.

VEnerat in bellum regnis citus à Nabatheis,
Confineſque ſuos Perſas ſociaverat Eurus:
Ipſe regebat equos, ipſe arcus, ipſe pharetras:
Nec minùs adverſis, obverſo turbine, dextris
Tela retorquebat, tortores torta per ipſos.
Vix ſtabat gladius contra Euri ſpicula Francus.
Languidus Æolio Zephyrus torpebat in antro,
Traditor in bellum Francos à Gadibus uſque,
Atque Pyrinæis nivibus, per & invia, & Alpes,
Per freta, per Syrtes, per Syllam, perque Carybdim,
Fidus ubique comes adduxerat, at modò fallax,
Abdicat auxilium, dum Francia pugnat in Eurũ:
Hæc animadvertens gens Perſica, quod nequit armis,
Molitur flammis, fumo, & caligine tetra
Chriſticolarum oculos ceu nocte involvere tentat:
Subdit arundinibus incendia, ſubdit & ulvæ,
Subdit viminibus, quantum licèt excitat Eurus.
Ille ſuas nebulas, fumum de vepribus ille,
De reliquis dumis, ſeu hamno, ſive rubetis
Perflat in obſtantes furiali mente phalanges.
Ergo dies piceas fulgens converſus in umbras,
Fortes debilitat, confortat debile vulgus.
In tenebris enſes pugnant, in luce ſagittæ,
Seu contra linces ineant certamina talpæ:
Sic furiis Euri nutat ſententia belli.
O quotiens illa Zephyrus dum tardat in hora:
Clamatum eſt Zephyri ſuccurrite, ſurgite pigri:
Eurus pro Turcis furit, & vos ſurgite nobis.

CAP. XC.

Prævalent Chriſtiani.

SIc dum clamatur, Deus afflictos miſeratur,
Theſauroſq; ſuos aperit, producit & inde
Corum propitium, qui blando reverberet Eurũ:
Inque ſuas cogat victum revolare cavernas,
Fumo Turcorum qui lumina turbet eorum,
Liber ab occiduo productus carcere Corus.
Nec mora mandatis obtemperat: omnia quaſſans,
Omnia convellens, obſtant quæcumque volanti:
Jamque in bella venit, veniens non arma, viroſque
Tantùm pulſat, equos terret, tentoria vellit,
Horrent, atque tremunt mons, vallis, campus, & arbor.
Eure fugis, fumoque tuo tu involveris ipſe,
Inque tuos Perſas ſua fraus, lex æqua redundat.
Tunc oculis clauſis Turcus, ſed Francus apertis
Dimicat, & ſubitò verſa vice prævalet ille,
Qui prope victus erat; ſuperatur qui ſuperabat:
Hic fugit, ille fugat; Baal ruit, obruit Alpha.
Perſarum velox equus eſt, & pinguis, & acer:
Contra Francorum tardus, macer, anxius, æger:
Ille fugit facilè; nequit hic inſtare protervè:
Ille quaſi innumerus: vix hic quaſi ſexcentenus:
In vigilando fugæ poſt verſa pericula Perſæ,
Qui celer aut celeri raptatur equo, velut igni,
Qui fugit, emerſus ruit, avius, & ſtupefactus.
At cui ſegnis equus, nec pes citus, ille vel armis
Occidit, aut ſervi trahitur ducendus in uſum:
Hac juvenis plantam memorant in cæde repertam,
Quia potuit tecti vice ſol imberve repelli:
Tunc trahit occaſus, trahitur quem miſerat ortus:
Sic & opes reliquas, ſcutellas, pocula, menſas,
Urceolos, tripodes, lecticas, labra, lebetes,
Ollas, flaſcones, tentoria, pallia, veſtes;
Omnia purum aurum, vel opus pretioſius auro
Victor habet. Populus de paupere jam fit opimus:

Digitized by Google

Jam ſedet, & Turcas avido vorat ore placentas:
Jam ſatrapis partam Perſis plerique ferinam:
Jam de captivo inter eos contenditur oſtro.

CAP. XCI.

Victos Tancredus inſequitur. Eorum miram ſtragem facit.

AT proba Tancredi laudem eſuriens, ſitienſque
Strenuitas, præter laudem nullius avara,
Pauper opes, jejuna cibum, in ſudore quietem
Spernit, quàque iter eſt inter duo brachia fiſſi
In bivium Farfar, nuſquam locus aptior illi:
Multos perſequitur, paucis comitantibus armis.
Ergo inter Parthos, & Perſas, mixtus, & Indos
Inter omnigenum vires Mahumicolarum;
Pardus ut inter oves ſtragẽ Wiſcardida miſcet:
Calcibus urget equos, retroſuadis urget habenis,
Horrificis urget clamoribus, & ſtimulandi,
Qualibet arte: fugax acies incumbit in armos:
Collo infert ſtimulos, mutilat quacumque gravatos
Parte, vel ante jubis, inutilibus retro caudis:
Ut mortem evadat, nec ſellas ſolvere tardat:
Enſibus, & pharetris etiam fugat illa ſolutis.
Tancredus virides reſpergit ſanguine glebas,
Tancredus foſſas morientum ſtipat acervis,
Vulnere multa perit, perit & ſinè vulnere multa,
Vulnera dum metuens, declinat vulnera turba.
Quidam ſponte ruunt, fræno, ſellaque relictis,
Et ſubeunt dumos ſperando latêre ſub imbris:
Horum cornipedis eviſcerat ungula partem,
Partem dum ruitur, tento pede, mors remoratur:
Quem pes non tenuit: cor huic crepuit, jecur illi:
Flumine ſalvari pars plurima poſſe putantes,
Intromiſſa vadis perit auxiliaribus undis:
Viva ſubit tumulos eques, atque equus intrat apertos;
Ut ripas ineunt, palàm hunc abſorbet & illum,
Ergo pharetrati, loricati, phalerati,
Dum Styga ſic adeunt Manes, alii tremefiunt.
Ipſe timet Pluto repeti, pavet, ac fugit uxor:
At vada certa quibus ſors obtulit: ii quoque partim
Emergunt ab aquis, partim merguntur in ipſis:
Nec ſic evadunt, qui ſic evadere tendunt.
Tancredus ſequitur, vada ſic quaſi (*) Lynca vadatur:
Uſque recens, acer dum cuncta recentia, cuncta
Acria parta ſuum ſibi ſuggerat obvium Harengum:
Natura pariter firmum munimen, & arte
Non timuit Turcus in tanta peſte ſagittas,
Undique turritum, robuſto milite fultum,
Nunc aperit portas diuturno tempore clauſas:
Occurrit Domino venienti congrua pubes,
Ille iens ſupplete novos, ſupplete caballos,
Arma, viros, & equos, ſimul invenit omnia parta.

CAP. XCII.

PLanities ſuper Arthaſii, ſub mœnibus Emmæ
Herbida dividui curſu circumdatur amnis:
Illa viatores priùs excludebat, eratque
Circuitus longi properantibus invida cauſa;
Abſcidit invidiam geminus de monte reciſus,
Atque viatorem admittens, altrinſecus arcus.
Hos inter pontes gens Perſica jam quaſi tuta,
Jam quaſi nacta fugæ poſt tædia longa quietem
Feſſa quieſcebat, bellum evaſiſſe putabat:
Cùm Tancredus adeſt, & adeſt, equus, arma, virique:
Pugna recens, viſis ſe mutuò qui fugat evax
Exclamat Turcus, fugiens inmurmurat atat.
Magna fuit cædes ſub mœnibus Antiochenis,
Multus ubi, atq; recens commiſit prælia cæſor:
Hinc eſt, atque illinc per mutua vulnera fletũ,
Hinc, illinc riſum, non eſt hîc hac vice geſtum:
Altera pars riſit tantum, tantum altera flevit:
Flevit Turca fugax: riſit Normannica bellax:
Normannus ſternit, Turcus cadit, ut ſubitarum
Impetus haſtarum, geminique anguſtia pontis,
Effugium retinent, bellum committere terror
Non ſinit, atque fugæ labor, & vires labefactæ,
Plurimis & ſanguis multo de vulnere fuſus:
Ut quot membra ferè, tot geſtent vulnera Perſę:
Ergo væ miſeris quidquid tentetur ab illis:
Nam nec pugna fugam ſolatur, nec fuga pugnã:
Turcus utram tẽtet, neutram procedere gaudet:
Ut pecus ergo perit, leo, cui leopardus inhæſit

CAP. XCIII.

Artaſium caſtrum redditur.

DE tanta turba paucos fuga ſalvat, & ulna:
Sic aliis ſtratis, aliis ſternendo fugatis,
Caſtrum reſtat adhuc Turcis, belloque refertũ,
Reſtat adhuc, inquam, ſed inexpugnabile tamquam
Quiddam non hominum fuerit, ſed fabrica divũ:
Pergama Neptuni, Phœbi Ilium, utrumque utriuſque
Collata huic: tantum, quantum illis cætera cedunt;
Illa tamen pubes ſociorum territa cæde,
Nil ſibi confidens opes, æquè pauper & expers:
Hinc item, inde moras examinat: ergo morarũ
Sublatâ trutinâ, præponderat, & placet ire:
Nil ſibi cum Francis, nil cum cœleſtibus armis
Ajunt: poſt victos ſuperorum Numine Turcos.
Quoſdam de populo Raimundi; ſive coactos
Eſurie dira, captoſve cupidine falſo;
Chriſto poſthabito, Mahumet jura colentes,
Turcatos eadem qua Turcos clauſtra tenebant.
Illi conſulti quis major Chriſticolarum,
Quiſve fide potior, cui caſtrum reddere, cui ſe,
Cui ſua ſit tutum: Raimundo credere ſuadent:
Ille fide potior, comes, ajunt, robore major;
Non locus eſt metui, ſi vos committitis illi,
Quid moror in verbis? res eſt rem claudere paucis:
Creditur, accitur, reſeratur, abitur, initur.

CAP. XCIV.

Podienſis Epiſcopi morientis verba ad exercitum.

INterea Præſul moritur Podienſis, & intra
Baſilicam Petri conditus conditur almi:
At moriens proceres ad ſe vocat, hiſque vocatis
Verba facit: monumenta ſui, documenta ſalutis,
Dũ Deus indulſit, dumque in me ſoſpita manſit,
Nec ſtudium fratres, nec ſedulitas mea veſtro
Defuit obſequio: vos ſicut mater alumnum
Sollicitus fovi, docui, monui, ſtimulavi:
Lethifera avulſi, vitalia ſemina ſparſi:

Per-

(*) Lynca eſt fluvius in Macedonia, qui in Erigonem excipitur, cujus meminit Ovidius lib. 15. Metam. hoc verſu:
Hunc fluit effectus diſpar Lynceſtius amnis.

Digitized by Google

Pervigili cura ſolvi mihi tradita jura.
Jam nunc delibor, jam vitæ terminus inſtat.
Sic me doctrinæ vobis cùm Papa miniſtrum
Tradidit Urbanus: ſic vobis hunc ego trado:
Tradidit Arnulfum nulli hoc in agone ſecundũ:
Filius hic, inquit, meus eſt dilectus, in ipſo
Eſt mihi complacitũ, vos aures vertite ad ipsũ:
Tu verò, Fili, moniti memor eſto paterni:
Divini largè documenti ſemina ſparge,
Acceptam gratis ſementem reddito gratis,
Peccantes revoca, bene agentes laude corona,
Urge propoſitum, Chriſti te oſtende miniſtrum,
Sedulitate proba, commiſſa negotia tracta,
Nullus ad injuſtum donis te flectat onuſtum,
Utque brevi breviter, vita, loquar, eſto puditus:
Sobrius, & prudens, humilis, pius, atq; quietus.

CAP. XCV.

Ejus Epitaphium.

SIc monet, & paulo cunctatus tranſit ad illum,
Quem mens, quem vires, quem vox coluit ſua Jeſum.
Vir magni meriti, vir quovis dignus honore,
Vir dignus titulo, ſi non potiore, vel iſto.
Conditus eſt Moyſis clariſſimus hic imitator
Doctrina, ſtudio, moribus, officio.
Dux populi Moyſes, & Dux populi fuit iſte:
Ambo duces Chriſti, cælitus ambo ſati.
Ambo juſtitiæ, doctrinæ ambo ſtudioſi:
Ambo fuere Dei vox media, & populi.
Cauſa viæ Moyſi tellus Canaam memoratur,
Huic quoque cauſa viæ terra fuit Canaam:
Cernere, non uti Moyſi, conceditur illa:
Huic quoque non uti, cernere fermè datũ eſt.
Longa Deo Moyſen jejunia conciliarunt:
Hunc quoque longa Deo conſecrat eſuries.
Ipſe Deus Moyſen, hunc Papa Urbanus, & ipſe
Præco Dei ſequitur, miſit utrumque Deus.

CAP. XCVI.

Tancredus cum Normanniæ, & Provinciæ Comitibus Marram obſidet.

POſtquam urbs capta, victores gazis, victos cædibus donatos, alios ab humili ad ſydera extulit, alios ſub tartara à luxu, & crapula ſubmerſit: Boamundus Antiochiæ principatum adeptus, ad præſidium manet. Tancredus intermiſſum viæ laborem redintegrat; algorem, æſtum, inediam, ſitim, montibus, vallibus, agris, municipiis præfert: ad quorum amœnitatem Tempe, Theſſala ſordeſcunt, Emma Heliconem ſuum, Harenc vireta, Bariſan vites, Herſen ſegetes contemni dolent: præter hæc autem, & aliorum oppidorum numerus ingens ſingula ſuis opibus alienas præferri. At Marchiſides alter Julius nil actum credens, dum quid ſupereſſet agendum; cauſam itineris Jeruſalem eſſe commemorat, & per Antiochiam fuiſſe peregrinandum, non per Antiochiam peregrinatum. Igitur quærentes bellum Comites Normannum, & Provincialem ſociat, cum eiſdem Marran oppidum & populoſum, & uber aggreditur. Præviderant ſibi Marrenſes, ſeu capta Antiochia territi, ſeu quia plurimum Francis in obſidendo obſtiterant, ſeu volante fama ab Antiochenis contribulibus præmuniti. Harum quapiam, fortaſſe omnibus prænoniti cauſis tota uſquequaque nudata vicinia, urbem ſuam impleverant, obſeſſuro exercitui nihil relinquentes. Huc accedit, quòd ſuburbanos etiam obſtruxerant puteos, atque inopia advenas, repelli poſſe arbitrati. At Chriſticolæ, qui ſublata Cruce ſemetipſos abnegaverant, qui propter Deum corpora ſua ad ſupplicia tradiderant, nihilominus urbe circumdata gratulantur, quaſi ad epulas invitati: alii machinas ſtruunt: alii ſtruentibus miniſtrant: hi fundis balearibus turres quatiunt, illi ſilices inſtrumenta quaſſandi ſcapulis aſportant: hos videas curſitare agiles ad ſpem cereris, illos regredi ſub onere gementes: quidam puteos ad priſcum uſum revocabant, quidam in fabrica novorum exercebantur: nonnulli de cataractis Cœli opem expectantes, aquæ cœleſti carcerem præparabant: Quorum intuens vota, is, qui ſolus laborem, & dolorem examinat, qui præſumentes de ſe non relinquit, miſſo cælitus imbre, omnibus ſuffecit: adeò enim gravis imber, & uber ſecutus eſt, ut & qui pluvias ante poſtulaverant, poſt depoſtularent, & lacuum opifices caſſi operis pœniteret.

CAP. XCVII.

Fames horribilis in Caſtris fidelium.

INundantia hæc nimia peperit famem, putreſcente in caſtris allata cerere, nullam de foris quoquam afferente, protelabatur victoria. Panis fluxerat, fames invaleſcebat. Pudet referre quod audierim, quodque didicerim ab ipſis pudoris auctoribus. Audivi namque, qui dicerent cibi ſe coactos inopia, ad humanæ carnis edulium tranſiſſe, adultos gentilium cacabo immerſiſſe, pueros infixiſſe verubus, & voraſſe aduſtos: vorando æmulati ſunt feras, torrendo homines, ſed caninos. Hunc ipſum finem membris propriis minabantur, cùm aliena deficerent: niſi aut captæ urbis, aut cereris advenæ interceſſio eſuriem leniſſet.

CAP. XCVIII.

Diſcordia inter Tancredum, & Raimundum.

HÆc dum ita geruntur, Tancredi, Raimundique miniſtros diſcordia agitat: moxque à miniſtris ſurgit ad dominos. Vix, ah! vix compeſcit Tancredus animos, quin Provincialium ſtrage iram leniat, ſed occurrit viro ratio, quæ ſanguinem vetat fundi Chriſtianum: meliùs ipſa ad Wiſcardi monet artes recurrere, per quas orbi glorioſus innotuit. Ergo nihil cunctatus Antiochiam venit, caſtri tutoribus hujus adhuc diſcordiæ ignaris; obiter autem ſuos inſtruit milites, quo modo enſes clam teneant, & quomodo deprimant. Inde cappati tam ipſe, quàm ſocii caſtro appropiant, janitorem vocant, januæ reſerantur, pacificè admittuntur, qui pacem ſimulabant. Ingreſſi autem unus poſt alium, ubi primùm numerus pugnæ ſufficit ſimul cuncti, hæc ſimul cuncta, lacertos, mentes, gladios nudant, Raimundi milites extruſos ad ipſum non ſine colaphis remittunt: ultus itaque qua licuit Raimundum Tancredus, potentiorem aſtutior, corpori caput abſciſſum reſtituit, dum Trojæ ſuæ Ilium Boamundo reddit: Boamundus enim, dum adhuc expers ſuſpiceret oppidum; adeò ipſe ſibi

Digitized by Google

ſibi mutilus videbatur, ut ſemiprincipem ſe, non principem diceret, Raimundumque collegam ſuum in principatu Antiochiæ nominaret: Hæc inſomnem, hæc in ſomniis principem moleſtia torquebat. Verùm ubi odium, atque dilectio altrinſecus collidentes mutilo, ut dictum eſt, principatui cornu reddiderunt, tunc elevatum eſt ſolium Boamundi, jamque ipſe experrectior cum magna manu Tancredum ſociat, Marram revertentem. Inſeſti ambo Provincialium Comiti, magnificè ſua adversùs hoſtium arma munierunt.

CAP. XCIX.

Diſcordiæ origo.

AD hujus odii fontem recurrere libet, quo minùs æſtuantis impetum fluenti derivantes miremur. Dum adhuc Antiochia Galliæ Principibus clauſa reſiſteret, Boamundi, atque Raimundi miniſtros media intercurrit diſcordia. Frumentatum utrobique miſſi, annonam ſimul inveniunt, & pugnam; ferro ceres dividitur, ſauciant tamquam territæ ambæ partes, ſaucii populus uterque domum revertuntur. Viſo famularis turbæ ſanguine principes turbantur, & ſi quando ſimilis occurrerit caſus, ſauciorum animos ad talionem accendunt: in caſtris tegendum fore ignem præcipiunt, extra turbine rapido flammas ſuſcitandas. Juſſum hoc aures patulæ libenter admittunt, quas difficile erat revocare prohibitas. Ubi ergo exinde major alterius partis turba minori alterius onuſtæ obviaſſet, depoſitis illico oneribus victualium, onerabantur colla procellis alaparum; ſicque editior viribus, ſpoliis gaudebat: impar autem aliis, non ſibi deſudaſſe lugebat ſpoliatus: qui alterutri linguæ conſonabat, modò cum ea verberabat, interdum pro ea innocens verberabatur. Narbonenſes, Arverni, Waſcones, & hoc genus omne Provincialibus: Apulis verò reliqua Gallia, præſertim Normanni conſpirabant. Britones, Suevos, Hunos, Rutenos, & hujuſmodi linguæ ſuæ barbaries audita tuebatur, & hoc quidem extra muros.

CAP. C.

Commentum de lancea Domini.

IN urbe quoque non effluxit ſeditio, ſed affluxit: cùm enim in ſupradicta fame populus turbaretur obſeſſus: ſurrexit de gente Raimundi verſutus, mendaciique commentor Petrus, qui ſalutem populi revelatam ſibi prædicaret hoc modo: Apparuit, inquit, mihi ſemiſopito Beatus Andreas Apoſtolus, atque hoc auribus meis præceptum indixit: Surge, & annuncia populo laboranti conſolationem cœlitus elapſam, quam Lateris Dominici perforatrix lancea conferet inventa: ea intra Baſilicam Beati Petri ſub terra latet: tu in tali loco (& locum deſignavit) pavimentum ſolve, ibi fodiendo annuntiatum invenies ferrum. Ubi ergo armorum horror ingruerit, illud opponite hoſtibus, in eo vincetis. Experrectus deluſum me à ſomno arbitrabar, nec palàm feci in perpetuum taciturus; niſi ſecundò, & tertiò commonerer: tenebat me rurſus ſecundæ noctis quies, cùm rurſus idem Apoſtolus redit, ipſum idem quod priùs ingeminans, ſe increpanti ſimilis, & irato. Quare, inquit, contempto me ſiles? multorumque ſalutem unus moraris? Clamavit ad Dominum populus, & exauditus eſt, & adhuc cum tua negligentia facit, quaſi neglectum: Feſtina igitur quantocyus hoc corrigere, ut poſſis vivere. His perterritus, ubi ſomnum evaſi, jam ſimul certior factus ſum, & ſollicitior: adhuc tamen ambigens clam, ne facerem, an palàm, in hac cura totum tranſegi diem, & byſſem noctis orationi, & jejunio vacans, poſtulanſque à Deo vicem tertiam, ſi duæ ab eodem fuiſſent. Bis acclamaverat auroram Gallus, cùm vix tandem ſub cantu tertio feſſos artus ſopor alligat: nec mora, qui primo, qui ſecundo venerat, illico tertiat vicem ſemper terribilior, ſemper imperioſior: Surge age inquit, ignavum pecus, canis mute, mora ſalutis, cunctatio triumphi, damnum civium, hoſtium ſolamen: timore illic trepidaſti, ubi non fuit timor: ubi eſt, illic non times. Reſtabant adhuc minæ, & jurgia, cùm præ timore exterritus ſpiritus minis ſubtraxit ſe, & ſopori. Sudor pariter, tremorque ſimul corpus alternabat, ac ſi latus alterum torreret ignis, alterum in glacie rigeret. His gradibus ad docendum veni, quod didici: vos autem patres, ac fratres, ne tardetis rei ſinceritatem experiri; ſupereſt mihi locum deſignare, vobis ſuffodere. Qui rumor ubi Raimundi auribus eſt illapſus, ſtatim concione habita, Petrus ad Petri Baſilicam vocatur, locum rogatus, ſicut finxerat priùs, altare ſignificat, fodere monet; utque pondus verba habeant, vultum etiam fingit. Foditur ergo, nec proficitur, ſuffoſſa humus nequit reddere quod nec commiſſum fuerat, nec acceptum. Habebat autem ipſe clam apud ſe cuſpidis Arabicæ ferrum, de cujus inventione fortuita, materiam fallendi ſibi aſſumpſerat: ſcabram quippe intuitus, exæſam, annoſam, uſui noſtro forma, & quantitate diſſimilem, auſpicatus eſt illico, hinc fidem novis figmentis adhæſuram. Nactus ergo fallendi tempus, ligone arrepto, foſſam inſilit, converſuſque ad angulum: Hîc, inquit, fodiendum eſt, hîc latet quod quærimus, hinc exibit. Tunc ſæpiùs, ſæpiùſque ictum multiplicans, demiſſam fraudulenter à ſe lanceam foſſorio illidit: cooperata eſt dolis umbra, umbræ populus frequens, frequentiæ loci anguſtia.

CAP. CI.

CÆterùm ubi ferrum ferro illiſum tinniit, aures ſimplicium arrectas idem fraudis commentor, ſublatâ lanceâ, his implevit: Ecce, ecce quod Cœlum promiſit, quod tellus conſervavit, Apoſtolus revelavit, oratio populi contriti impetravit. Vix hæc fatum foràs extrahunt, hymnis, & canticis lanceam proſequuntur, muneribus donant, auro involvunt, & palliis. Hæc Raimundus, & qui ei favebant, concinnabat: ſed & aliarum partium rudis ſimplicitas oblationibus deſerviebat; ante victoriam quidem inſtanter, poſt eam verò multo inſtantiùs, quaſi trophæi gloria prælatæ in bello lanceæ juxta Provincialium clamorem foret adſcribenda. Igitur Raimundi ampliabatur fiſcus, extollebatur animus, inſoleſcebat exercitus. Favebant ei de principibus aliqui, quos ipſe modò blanditiis, modò obſequiis ſibi allexerat.

CAP.

Digitized by Google

CAP. CII.

Boamundus fallaciam ſuſpicatur in lancea.

AT Boamundus, ut ipſe non imprudens, rei ſeriem ſcrutatur, quiſnam ſomniator ille eſſet, quibus populum ambagibus involviſſet, quem foſſoribus locum ſignificaſſet, utque ipſe inſiluiſſet, fodiſſet, inveniſſet, ſtatim fallaciam deprehendit, inventionem irritam, inventorem conjecturis falſificat argutis. Pulchri, inquit, commentum eſt, Beatum Andream apparuiſſe homini, quem audio cauponas frequentare, fora præcurrere, nugis amicum, triviis innatum. Honeſtam elegit Sanctus Apoſtolus perſonam, cui Cœli panderet arcanum: nam de loco, cui fictus non patet locus? Si Chriſtianus abdidit; cur altaris proximi latibulum declinavit? aut ſi gentilis, ſeu Judæus; cur intra parietes Eccleſiæ? cur ſecus altare? quòd ſi neutri, ſed fortunæ adſcribitur; apud quem Hiſtoriographum veniſſe Antiochiam Pilatus invenitur. Scimus nempe & lanceam fuiſſe militis, & militem Pilati: at verò placet, quod ſequitur: quod audio inventorem illum, laborantibus fruſtra foſſoribus, inſiluiſſe, conceſſumque uni eſſe in tenebris, quod multis palàm eſt negatum. O fatuitas ruſtica! ò ruſticitas credula! ò credulitas facilè convincenda! Eſto perſonam honeſtas, locum vicina crucifixio roborat: non ſatis vel hæc noviſſima hominis illius fraus patet: ſi purè, ſi ſimpliciter in via Dei ambulaſſet, ſi advocato ſibi in Apoſtolo confidiſſet, non ferret ipſe inventioni ſuæ teſtimonium: ſed mereretur alienum. Nam quid tantæ illi contumeliæ rependam, quòd noſtram quæ deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum victoriam, ferro ſuo Provinciales deputant? Deputent ipſi ſuam Comes cupidus, & vulgus ſtolidum: nos autem in nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti vicimus, & vincemus. Hæc Boamundus, & cum eo, qui ſummatum ſubtiliùs diſcernebant Normannus, & Flandrenſis Comites, Arnulphuſque Vicepræſul, & Tancredus.

CAP. CIII.

In quo & Raimundo diſplicet.

IGitur Raimundus acutis Boamundi argumentorum ſpiculis ſauciatus, mille artibus, mille ſemitis vindictam inveſtigat: ita ſecum ſinè medio disjungens Wiſcardidæ contumelias, aut præmoriar, aut ulciſcar. Si palàm occurſus non ſupperit, ſuppetat occultus: ubi non valet lancea, valeat ſica.

Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat? (*)

Cùm, inquit, mea eſt urbis tutela, præſidium montanum, mihi regia princeps, mihi forum, mihi pons, & porta parent: lancea quoque, populi numerus arbitrii eſt mei. Quid reſtat, niſi ut extincto, principatum obtineam Boamundi? Hæc, & multò plura volventi, præ omnibus ſedet motum iri inter plebes ſeditionem, ut à pede ad caput exundetur, proludant in foro hinc inde jurgia, ſurgat clamor turbari populos, Duces utrimque ſuis auxilium ferant, in Boamundum omnis arcus, omne jaculum intendatur. Has dum Raimundus tamquam leo in ſpelunca ſua molitur inſidias: noluit taceri iniquitatem Deus, qui in Arnulpho indicata, ilicet per eum Boamundo indicatur. Sic eluſa fraude, ſalvata eſt à morte anima viri, cujus vita plurimum Jeroſolymiperis jam profuerat, plurimum adhuc profutura. Hanc igitur habuerunt iræ originem, hinc cœpit odii fomes.

(*) Virgil. Æneid. lib. 2.

CAP. CIV.

Marra capitur.

SEd revocat me obſidio, tamquam meſſorem ſeges intermiſſa, dum is retro gradus ſpicas recolligit elapſas. Igitur Marram uſquequaque bello circumſeptam ſuffodiunt, Marræ ſupervolitant ſagittæ, concutiunt fundæ, tremefaciunt minæ: undique clamor, undique aſſultus, undique plaga: contra urbani quaſi par pari reddunt, reverberant balearica tormenta ſimilibus, miſſilia jacula eminus, cominus vomeres, marmora demittunt: plurimum ſauciant, plurimum ſauciantur: hi moriuntur, ut vivant, infirmantur, ut valeant, fluunt, ut durent: illis intentio eſt cœptum, jamque ſemiactum opus peragere, tanto labori finem quærere, adipiſci gloriam ſuperando, ſuperare fortunam patiendo: ſed, dum crebriùs, crebriùſque tamquam malleis incus, vel flagellis area, ſilice infatigabili mœnia percelluntur, fateſcit turris, murus ſolvitur, propugnacula ruunt, ruina ſimul & clauſtra pandit, & gradus extruit. Igitur væ væ Mahumicolis, Chriſticolis gaudium: quippe his proſpera omnia, illis omnia etiam ipſæ ſuæ ſpes adverſantur. Nec mora, pateſacto aditu, aditor non deeſt, contra civitas obſiſtere nititur, quidquid virium habet, introitui opponit: ſummoperè certatur, dum hæc invaleſcit pugna, dum horſum fervet, aliorſum tepeſcit defenſio, minùs jam minùſque ſcuta ſonant, quæ paulò ante ad grandinem ſaxorum penè fatiſcebant. Ergo applicantur muro ſcalæ, ſuperat turres aſcenſor, urbi captæ inſultat: ſed audito ſtrepitu, viſoque diſcurſu, defendentis turbæ cadunt animi, pedes refugi latebras petunt, armis projectis vivere ſperatur. At noſtri urbe capta, alii cædibus inſiſtunt, alii gazis; pars victum quæritat; pars rapinas exercet, victoriam adeptos laborum juvat meminiſſe jucundiùs graviorum. Sic venatricem olim turbam, & ipſe venator jucundantem, licèt jejunam vidi, quos à præcedentis noctis hora penultima ad tertiam ſequentis dies media fatigaverat.

CAP. CV.

Arcæ obſidentur.

JAmque ſæpiùs de valle lacrymarum ad montem gaudii excelſum ſurgere aſſueti Chriſticolæ ſucceſſus urgere ſuos, inſtare favori Numinis haud ceſſant. Arcas oppidum aggrediuntur, non impari ac Marram niſu, ſed diſſimili eventu. Surgit in margine planiciei tumulus declivia Libani ab auſtro pertingens, mare ad Occaſum quaſi ſtadiis viginti remotus deſpectans; ejus pedem fluvius abluit, qui ab ortu ad littora derivans, Jeroſolymitano lævum latus imperio concedit, Antiochiæ dextrum, inter Tortuoſam, & Tripolim limes notiſſimus, munitum arte, & natura præ-

præsidium, difficilem hosti grassaturo aditum minabatur. Christicolæ autem plurimo jam certamine, virtuti omnia cedere experti, Arcas circumdant, pars fluvium transmeat, ut portarum obstruat egressum : pars citra manet, de opibus Crach, & Raphaniæ oppidorum, ac reliquæ hujusmodi citerioris viciniæ faciliùs alenda. Tancredus in primis transmeatoribus emicat summoperè exultans, quòd desiderati regni oram ingredi meruisset : pons tamen saxeus antiqua fabrica continuabat exercitum, ut facilè ab his ad illos posset transmigrari. Ergo ubi armis clausa sunt claustra; fortia fortibus, Gentilia Christianis, Principes de more tormenta muralia struunt : singuli singula, unum Comes Normannus, alterum Raimundus, tertium Tancredus : nam Boamundus, Marrâ eversâ, Antiochiam redierat, ubi etiam Dux Godefridus, & Comes Flandrensis adhuc hyemabant. Hugonem Magnum ad Cyliciam revocaverat bellum, in quo saucius femur Tharsum fertur curandus, immo humandus. Solis igitur tribus suprascriptis Principibus obsidionis labor incumbit, oppugnant incessanter, & acriter expugnantur. Dum sic autem certatur, quiddam contigit, quod præterire socordia est, memorare utile & honestum.

CAP. CVI.

Mirabilis visio Anselli proximæ mortis præsaga.

ERat in exercitu nostro heros nobilis, cui magnum nomen contulerant hinc probitas, inde genus, tertia honestas, quartus Ribot-mons hæreditas propria militiæ fœtura præclaræ notissimus. Vocabulum illius viri Anselli Regi Franciæ, immo ternæ Galliæ Curias celebre personabat. Is in meridie, ut est moris, cùm lassos somnus ocellos sumpsisset, somnium vidit, quod experrectus adito sapienti viro indicatori meo Arnulfo indicavit. Videbar, inquit, mihi per somnium super cæni congeriem stare, unde palatium suspiciebam excelsum, cujus quammaximè simul omnia communem usum excellebant : spatiositas, celsitudo, materia, forma, soliditas, ornatus. Pedem ejus marmor, ebur, argentum formabant; reliquum corpus aurum prorsus, & gemmæ. Deambulabant per porticus in excelso personæ innumerabiles, quarum singulas tanti ædificii censura decuisset : adeò speciosi, adeò proceri, adeò ornati, adeò per omnia venusti proceres eminebant, cûmque perspicaciùs intuens admirarer, deprehendi quasdam præcognitæ mihi figuræ reliquias, quibus Comites militiæ hujus nostræ hos fuisse animadverterem. Tunc mihi corde, & animo studiosiùs inhianti, & si quis patuisset aditus anhelanti conscendere : apparuit quidam ille noster, quem taliter ibi tunc amisimus : (nomenque, & modum, locumque & diem obitus viri recolebat) ille mihi, inquam, sic ait : Hanccine beatorum turbam agnoscis Anselle? Vix, inquam, neque enim alia ad cognoscendum signa remanserant : nisi qualibet quinquagenarium quempiam regressum agnoscimus, qui à nobis puer septennis est egressus. Tunc ille : hi sunt Jerosolymipetæ, qui viam Dei, in qua adhuc, & tu laboras, ab initio aggressi rebus humanis excesserunt, & meruerunt habere coronas perpetuas : tu quoque in proximo ne fortè invideas, ad nos conscendes : bonum enim certamen certavisti, & cursum consummasti. Hîc me stupefactum sopor dimisit, & visio : tua, Domine, sapientia mihi consulat. Tunc Arnulfus metum verbis à viri pectore solatoriis excludens : monet tamen confitendum peccata esse, accipiendam pœnitentiam, & post hæc Eucharistiam. Actum illico, & ministris, commilitonibusque suis stipendia reddere debita est adjectum. Jamque intrepidus equo insidens, stipante militum caterva, circa muros, ut solent nobiles, spatiabatur : cùm repentè silex improvisa de turribus illapsa est, quæ Anselli occiput sparsit, & cerebrum, moxque labentem militia excipit, illuc corpus reportant cum lacrymis, unde modò gaudentes exierant, spiritus ad beatitudinem ascendit promissam.

CAP. CVII.

Oppidani Arcarum acriter resistunt.

COndito, prout decuit, illustri viro, cùm exercitus noster nihil in obsidendo proficeret, præscripto dant mandatum Arnulfo, ut Antiochiam revertatur, quatenus morantium Godefridi, Robertique Flandrensis quietem increpet, bellumque adesse nunciet Damascenum : Arnulfus autem ut semper ipse ad Reipublicæ utilitatem promptissimus, libens ultrò scapham ascendit propter navalia hostium, Tortuosæ, Heracliæ, Valoniæ, Gibel : tandem Laodicium pervenit, inde Antiochiam per multa pericula, paucis comitantibus excurrit. Illic Principes causam viæ nactus expergisci monet, docet bellum imminere, cujus fortunam, nisi maturatum fuerit, horum terminabit absentia.

Cognito autem belli rumore, Franci militia Principatum stimulat, nec minus ipsa ab ipso stimulatur, unanimiter arma frementes, breve tempus inter parandum, perveniendumque expendunt. Ergo ubi exercitus congregati fama finitimos percurrit, cessat bellum, satagit hostis se tueri, non alios grassari : at nostri perpetuo impetu, sed non efficaci proposito urgent : sagittas, jacula, silices, & quidquid in turres hostiliter mittitur : incunctanter mittunt, natura pro loco pugnat, nihil proficiunt. Compertum habebant plurimi, & expertum quiescendo interdum vincere; ubi frustra fuerit laboratum : propterea ex hoc in hoc sibi consulunt inclinare, ut cunctando fame crucient oppidanos. Consilii magistra fuit ubertas exterior pariturum se se intus minitans egestatem.

CAP. CVIII.

Probatione ignis impostura de lancea declaratur.

DUm ergo vacant arma, dumque otium curas excludit mavortias, oboritur quæstio de supra memorata cuspidis inventione examen factura : vexabat namque schisma populum, his factum laudantibus, illis damnantibus, neutra parte admodum rata. Unde placuit summis procerum, ut qui erroris initium fuerat, ipse litem finiret, ignito argumento rei dubiæ fidem facturus. Accito itaque in Concilium Petro, adjudicantur novem pas-

Digitized by Google

passus hinc inde flammantium medii spinarum, quatenus hac examinatione aut illæsi vera probetur inventio, aut falsa ustulati. Datur jejunio triduum, legitimè orandi, vigilandique induciæ : sic disceditur; at mox postridie iterum convenitur. Flammescunt ordine gemino spinæ, Petrus tunica, & braccis velatus, nudus cætera per medium graditur, in exitu ambustus cadit; postridiè expirat. Videns, quid actum est, populus, calliditate verbosa seductum se fatetur, errasse pœnitet, Petrum Symonis Magi Discipulum fuisse testatur.

CAP. CIX.

AT Raimundus, & complices sui Provinciales obstinatis animis reum defendunt, Sanctum prædicant, Arnulfum minantur, utpote fraudis revelatæ summo scrutatori; denique manum armatam in eum mittunt, domi improvidum oppressuram; nisi præmonitus ad Normanniæ Comitem, cui militabat, ipse festinasset. Comes epulabatur, & cum eo Flandrensis, ambo simul juncti discumbebant, sed auditâ festinantiæ causâ, vocatur in medium sessurus : Comites altrinsecus secedunt, mittuntur arma armatis occursura. Cæterùm, illi audito Normannorum fremitu, territi rem dissimulant, aliud quærere, atque aliorsum tendere simulantes : hoc se artificio tuentur, alioquin non tam frustra, quàm malè arma sumpsisse, si quos absolvisset fuga dolituri.

CAP. CX.

Proponitur fabricanda aurea Salvatoris imago.

POstquam fraudis commentor Petrus, quam meruit, pœnam luit, denuo fit conventus, ut elapso cassatæ inventionis gaudio, novum succedat solatium. Imago Salvatoris auro purissimo effigienda proponitur, ex populo Israëlitici structura tabernaculi, quantæ in illis fuerint expensæ; devotio illius sæculi retractatur, nec præteritur merces incunctata, frequentes ex hoste victoriæ; moneturque & pro amotis jam periculis Deo esse gratandum, & pro amovendis supplicandum. Hujus igitur exhortationis Arnulfus prædicator ipse auditores suos quocumque volebat, inclinabat : Marthranensis autem Episcopus homo paulò rudibus eruditior, & penè sinè litteris litteratus prope astabat, ut expleto sermone benedictionis insigne super populum dextram extenderet : hos pænes duos jus fabricæ consistebat; reliqui omnes oblationibus insistebant. Itaque brevi opus magnum consummatur, quod nisi sedula excudisset instantia, massa informis Jerusalem perferretur : nam tertii jam mensis labor in quartum exierat, cùm pœnitet morarum Principes, pudet quoque circa oppidulum viâ intermissâ tamdiu excubasse.

CAP. CXI.

Jerusalem pergit exercitus.

QUapropter opera inutili dimissa antè urbium portas Tripolis, Gibleth, Baruth, Sydonis, Tyri, Achon, Cayphas, Cæsareæ feliciter transitur : ab his omnibus æs grande, & victualium copia audacter exigitur, incunctanter redditur, liberaliter erogatur : nam omnes hæ littus à borea in austrum vergens, turribus altis muniunt ordine præmisso peregrinantibus obviæ. At ubi dimisso littore à tergo Ramulam venitur, Tancredus pernox, castra movet, antelucanus socios prævenit, Hierusalem pervenit, muros circumvenit. (*) (Veniens tamen Bethlehem ab hostibus liberat, quæ obsessa ad eum pridie clamaverat per legatum :) Eminus tamen sub primo aspectu visam Jerusalem salutat genua humo affixus, oculos urbi, cor cœlo, cujus videlicet salutis imago metrum est præsens.

Salve Hierusalem gloria mundi,
In qua nostra salus, Passio Christi
Probris Judaicis ludificata
Cœlo sole solo testibus alma,
Humani generis hoste perempto
Immunes sceleris traxit ab orco,
In te passa Crucem clausa sepulchro
Lux de luce Dei Dia propago
Infernum penetrans inde reduxit,
Quas seduxit Adam sub Styge mersit.
At mox docuit tum redivivam
Surrexisse dies tertius illam.
Post hæc æthereas scandit ad ædes,
Nam suscepit eum splendida nubes,
Quem, cum suspiceret gens Galilæa,
Audit : sic veniet seu petit astra.
Hæc scis dicte sacer mons ab olivis,
Salve præterea, Regia Sion,
In qua discipulos Kyrie eleison
Clamantes sonitu sub vehementi,
Demisso veluti turbine Cœli,
Replestis subito, Spiritus alme,
In linguis veniens terror, & igne.
Salve stella maris, janua Cœli,
Partus psalma, tuæ filia prolis,
Semper Virgo manens post, in, & ante
Partum, vel minimæ nescia mendæ.
O per circuitum flumina, ripæ
Fons, nemus, urbs, casa, mons, vallis avete.

CAP. CXII.

Tancredus solus è monte olivarum urbem considerat.

CUmque vicina turri Davidicæ signa affixisset, dato metandis castris edicto, ipse procul solus sinè socio, sinè armigero montem conscendit, unde ad Patrem Christum Deigenam ascendisse didicerat. En temeritas, en novum obsidionis genus. Occasum obsidet Tancredi miles, ortum Tancredus : partem aliam pauci, aliam unus : aliam sine duce militia, aliam sine militia dux; neutrius uterque; immo nullius auxilio confisus, ille maximè, qui quanto ortui propior, tanto a Francorum subsidio remotior erat : suorum longè in occasu metantium, exercitus sequentis valde remotius in occasu sequenti. Ipse igitur eques, ipse pedes, ipse signifer Tancredus, a monte olivarum in civitate obtutum fixerat, solo vallis Josaphat intervallo abscissam. Inspiciebat enim populum discurrentem, turres armatas, militiam frementem; viros ad arma, nurus ad lacrymas, sacerdotes ad vota conversos; ejulatu, strepitu, clangore, hinnitu vias intonantes. Stupebat templorum Dominici aëriam

(*) Inclusa parentheſi erant in margine addita, unde non adeò oratio connectitur.

aëriam rotunditatem, Salomoniaci insolitam longitudinem, spatiosæ portuus gyrum, quasi alteram in urbe urbem. Sæpiùs verò ad Calvariam, sepulcrique templum Dominici oculos reducebat; spectaculum quidem remotius, sed arduitate sua patulum ipse tamen loco sublimior. Ad hæc suspirans, ad hæc conquinisens: illa ævum pro luce pascisci cupere, si quando cujus prospectabat fastigia, liceat sibi Calvariæ osculari vestigia.

CAP. CXIII.

Cui occurrit eremita.

OBtulerat autem ei fors ad hæc discernenda opportunum Doctorem Turricolam consultum sibi eremitam, qui ipsum ubi prætorium Caiphæ, ubi suspendium Judæ, quæ portarum Aurea, quæ specioſa, unde Jacobus in præceps dejectus, quà Stephanus ad lapides ejectus, & hujusmodi prorsus quænam hæc, quenam illa forent, instruebat. A quo & ipse mutuò, cujus esset sectæ, patriæ, stirpis, nominis rogatus. Christianum se Normannigenam Wiscardidam Tancredum respondit. Sed audita Wiscardi sobole, stupens ille, ac perspicaciùs intuens ait: Tu ne illius sanguis es Ducis, quo fulminante, totiens Græcia tremuit; quo bellante, Alexius fugit; quo obsidente, Dyrachium patuit; cujus imperio tota usque Bardal Bulgaria paruit? non loqueris ignaro: neque enim me tantus patriæ meæ fefellit populator. Hostis hic quondam meus nunc demum, te misso, oblatas mihi injurias delinivit. Vivit in te adhuc, vivit ille formidatus populis, audaciæ avuncularis vigor, cujus pristini nova mihi refers insignia: stupebam primò hostem advenam spreto consorte solivagum occursare, tantùm armis, & equo confisum, socias sequi, aut antecedere sperabam cohortes. Stuporis causa ignorantia mea erat, cum qua & ipsum à me repulisti. Jam simul mihi creatus es, & de ignoto cognitus, & de temerario strenuus, & de hoste veteri frater novus. Jam te deinceps non stupebo, si feceris stupenda: immo stupebo, si stupenda non feceris: ex illa ortum familia communem hominum viam terere non decet: attamen cave, cave fili, ecce hostes.

CAP. CXIV.

Irruentes ab urbe milites solus fundit.

ECce porta milites effundit, quæ tunc, ut ad eum conscenderent, in vallem Josaphat quinque demittebat: illi tanto fiducialiùs adventabant, quo abundantius superat Comitem dux quinarius unitatem. Ergo aliis alios quisque reliquos ad diripienda spolia præcurrere festinabant: at Wiscardides vale dato, colloquium dimittit, ad incursum os, animum, sonipedem, fraxinum convertit, & quem primum reperit in montem advolasse, primi cogit spiritum sub styga, corpus in vallem corruere. Idem manebat secundum casus: sed damnatus ruinæ equus equitem salvavit: illum, inquam, equitem infortunio fortunatum, cujus frons humum dum reperit, cuspidi obviæ pectus non est repertum: præcidit itaque ruinam ruina speratam insperata, quæ tamen... dium facit magis dejecturo, quam dejiciendo si... tit odiosa. Nam licèt ambobus utilis hunc a labore, illum a nece liberaret; damnatur tamen utilitas, ubi damnosa utriusque impeditur voluntas. Tertius accelerabat, & hunc quoque felicem dixerim, si ipse jacens jacentem se pariter lugeat infelicem. At voti compos impotem se fecit, qui dum ad congressum ruinam distulit, in congressu duriùs, & miserabiliùs ruit. Illæsi restabant duo, quorum stamina rumpentes retinuit parcas. In egrediendo rumpi cœperant, at mox refugis redintegratæ sunt colus: quippe Tancredi plusquam leonino attonitos fremitu ad portam fuga celeris reducit: sic quondam catuli ovile repetunt, ubi claustra feram summovent, quam in ipsos tutores fames egit acerbior. Victor à mœnibus repulsus super spoliis nil movetur oblatis, equorum discursu libero, phalerato ornatu, divite armorum, huc illuc sparsorum, aureo fulgore: redit ad suos solaturus reditu, quibus jam ingeminabat mora desolationem desolatis absceſſu. Interea frequentes copiæ subsidium libens, juventus fervida adventaverant: quin & tenera, duriorque ætas, sexus quoque mollior, omnes aderant: adeò firmis infirmos in concurrendo æquabat æqua, sive una concurrentum devotio.

CAP. CXV.

Descriptio Civitatis.

TEmpus est in explanando sanctæ Civitatis situ paululum delectare: ut quorum oculos pascere non valet propter remotionem, saltem animos juvet transmissa ad manus, & fusa per aurem. Hujus ergo sancti ambitus quadrangularis est forma, capacitas ampla, Eoa frons latr.... boreale directa, altera verò, & alterum sinuosa: nam medii intervenientes anfractu australi in Galilæa occiduo, quod frons altera.... tatum est ad turrim David lateribus normam... dent linearem: sed ab eo quod in Eurum.... vallis Josaphat montem Oliveti submovet... situ humilis; contentorum tamen dignitate præcellens: ibi namque Jessemani, ibi torrens Cedron, ibi Dei aulæ aula, cœli Reginæ sepulchrum, ibi Protomartyris Stephani lapidatio, ibi cum sanguineo sudore dominica monstratur oratio. Porrò ut rem ordine prosequar; ibi pyramides duæ, superior regis Josaphat rotunda, inferior verò Beati, ut fertur, Jacobi quadrata: infra Siloë: infra puteus Jacob: circum circa ab utroque vallis latere eremitalis plurima crepido. Item a meridie vallis montem Sion ab Acheldemach disterminat: juxta puteum præscriptum a valle Josaphat exiens, & usque sub turrim David gyrum ducens, huic fronti latus præbet continuum monticulus in urbis cornu a Zephyro descendens, in dextro latere paulò erectior, in sinistro viciniæ humili ferè coæqualis: sed hæc vicinia usque Josaphat quartum sociat latus castris accommoda figendis.

CAP. CXVI.

Dispositio exercitus.

IGitur Comites Normannus, & Flandrensis hac in parte obsident ei, quæ adhuc S. Stephani dicitur portæ oppositi. Dexter ab his Tancredus imminet, si tamen ad Phœbi ortum terræ situm metiris, tunc quidem inferior: si verò ad depressionem, tumoremque loci paulò superior.

Digitized by Google

rior. Ipſi præſcriptum illud cornu expugnandum contingit, unde adhuc expugnata turris Tancredi appellatur. At Ducis caſtra vallis opacat, cujus frons ſupradicta eminentem Tancredi pertingebat viciniam. Porrò mons Syon Raimundo Comite metatore gaudet, ſolo muri humilis obice ad Jeruſalem ſummotus; nunc ſuburbium antiquitus pars urbis, immo urbs, eam, quæ nunc eſt Jeruſalem, ſuburbium habens; Tribus itaque portis terna deputata eſt obſidio: è regione duabus: tertiæ, ideſt occidentali ex obliquo: hanc ſubjecta valle ab occurſibus faciente liberam, illas vicina planitie aſſultibus opportunas. At vallis Joſaphat vacavit libera tum loci ſitu, tum populi ſtatu liberata: ſiquidem pars illa urbis timere neſcia valle reducta, aggere, arduo muro inexpugnabili munitur.

CAP. CXVII.

Boamundus abeſt, & alii Duces.

PORrò exercitus advena partim bellis, partim morbis attritus, præſertim Gallorum Comitum Stephani, Hugoniſque abſentationibus, necnon Boamundi principantis abſentia minoratus, nec muro humiliori ſufficiebat oppugnator, nedum munitas natura turres in ortu, occaſuve cingere tentaret: ſed duorum utcumque laterum, utriuſque autem quaſi ad medium longitudine obarmata, tanto acriùs chriſticola populus expergiſcitur, quo ampliorem invaſerat hoſtem numerus minor: quo augendam fore hoſtilem, ſuam minutum iri turbam certiſſimè conſtabat; quo aridiore ſiti menſis Junius torrebat caſtrenſes. Ad interiores: ſatiem, umbram, quietem, otia, ſomnos; ab exterioribus fame, ſole, labore, bellis, vigiliis laceros cogens.

CAP. CXVIII.

Aptantur machinæ.

IGitur avidi quietis labori inſiſtunt, quærunt ſolliciti machinas, proximè paraſceves auroram muris deſtinant ſcandendis. Sic enim præmemoratus mihi præmonuerat ille turricola Monachus, Tancredo indice, noſtratibus eâ die aſſultum indicens. Cæterùm perluſtrata circumquaque vicinia, nullum fuit nemus, non palatium, non turris, quæ ad ſcalarum fabricam lignum mitterent. Memphys ab Hieruſalem Damaſcum expultricem ſuam veterem nova vectrix expulerat, ideo recens adhuc ille Ægyptiæ expeditionis annus nihil ſiccum, nihil viride reliquerat intentatum: ſecretæ tamen latebræ aliquantas celabant trabes, quæ ſolertem nequiverunt Tancredi fallere ſollicitudinem. Abſtractæ igitur, & allatæ, unam dumtaxat ſcalam implent, hoc intempore omnem removiſſe inopiam æſtimatæ, aderat namque dies capiendis armis præfinita, citra quam ultraque hinc coarctaverant, inde imminebant graves utrobique anguſtiæ: citra, quoniam inveſtigandæ ſcalarum materiæ arctas conceſſerat inducias breve biduum: ultra, ſiquidem poſt illum, nec in illo die præfixo muros invadere, hoc erat datum à monacho oraculum annullare. Propter hæc igitur ſcala, & una non habuit ſociam, & ſinè ſocia gratati ſunt unam. Itaque muro applicatur, qui turres continuat lævas Tancredi, ſecundum tertiæ: Jamque aſtabat ſublimis, & quaſi ſeſquipedalia hæc jactans: quoniam quidem ſocias cùm expectarim, non habeo, deinceps ut habeam, non expectabo.

CAP. CXIX.

Murus conſcenditur.

IGitur vicinia, inventio, opus propinquo repertori opifica ad reptandum in muros ducatum Tancredo dabant: quem tamen ſi cujus alius invita ſors vertiſſet, animus acer hanc ſibi tantam arroget laudem. Itaque morarum neſcius, jam primis innitebatur gradibus, jam ſtricto enſe dextra fulminabat. Porrò majeſtas generis, dignitas nominis, gratia meriti, ſpes merendi: hinc plebs reclamans, inde nobilitas reluctans, incœptis obviant; jamque hærentis lævæ dextram exarmant apprænenſam. Subit revocati officio juvenis, & ipſe ſi fors juvet, gaudere dignus: ſi invideat, flere dignior. Felix ille per omnes ab imo ad ſupremum gradus; in ſumma operis infelix. Arripuerat enim jam læva murorum apicem, cùm adverſarius enſis in eum deſcendit, ut qui bimanus, & fulminans modò conſcenderat, vix deſcendere orbus gladio, & manu hac ferè illo penitus potuiſſet. Refertur itaque in caſtra medicandus auriga currus Tancredici, quem Simon tenuit, magnis tamen excidit auſis. Neve tacito nomine audaciam militis meritus non remuneret favor, nomen erat juveni Raibaldus, Francia tellus, agnomen Cremium, Carnotum nobilis ortus, vires, & probitas; hæ magnæ, major ut illa, refertur ſaucius. Nemo autem relati utile duxit ſupplere vices, quippe gladios verens deſcenſores, mille in unum unius aſcenſoris. Illum enim in angulum tota convenerat pugna interior, cùm totus reliquæ civitatis ambitus ab exteriori vacaret ſopito ſimilis. Videns fraudata ſedulitas defenſoribus favere fortunam; oppugnatoribus autem adverſari; ſcalam refert non modò inutilem, verùm & damnoſam: ſi tamen ad ſingularitatem recurratur excuſabilem.

CAP. CXX.

Ligna obſidioni apta fruſtra quæſita quaſi divinitus reperiuntur.

COnſulunt in medium proceres ſcrutari latebras, vias, atque invia peragrare, undecumque ligna corrodere ſtatuunt, ut nulli hæc indagatio parcat principi: mox, quod ſtatuitur, impletur: laborantibus cæteris fruſtra, Tancredus à deſiderio ſuo non eſt fraudatus. Miraculi ſpecies eſt, quod narrabo, neque tu, quiſquis rem bene conſideras, actum cœlitus negabis.

Tancredum gravis diſſenteria torquebat, cùm tamen ipſe ſibi equitando non parceret. Vix equo inſidens, peſtis illa crebrò deſcendere, longè abſcedere, latebras quærere virum compellebat. Sæpenumero hac moleſtatus anguſtia, cùm fatigatis ex itinere ſodalibus ipſe labori cedere, ingloriuſque reverti diſponeret: ſolita augente moleſtia, gravari cœpit, elongavit, deſcendit, deſcendens ſociorum oculos evaſiſſe putabat, cùm reſpiciens comperit non eſſe evaſum. Longiùs ergo latebras quærens, alios denuo paſſim aſpicit

vagantes, sic jam tertiò, sic quartò sedem mutans: demum in secessu longo sub rupe cavata, arboribus clausa circum, atque horrentibus quietem invenit. Papæ! Quis ut Deus? ô qui de petra aquas, qui de asino sermonem, qui de nihilo omnia eruit, ipse de perculsi vulnere militis exercitum sanavit, de infirmitate firmavit, de plaga vili pretiosius quovis metallo antidotum confecit: nam dum ibidem virtus expulsiva operaretur, versa ad oppositæ rupis concavitatem fronte, ligna IIII. intrò patent, quibus nulla proposito operi desiderari poterant aptiora: illa ipsa, ut fertur, erant, quorum ope Rex Ægyptius Hierusalem expugnaverat, quibus visis, ipse adhuc, tanta sunt gaudia, nec sibi credens, nec oculis, surgit, & accedit, palpat, rem perspicit. Ergo heus! heus ô comites! huc huc accurrite, clamat: huc huc ingeminat, Deus en plus, quàm petimus, dat: quæsiimus lignum rude, reperimus fabrefactum. Vocati adsunt extemplo socii unde gemuerant, gaudent, ille gementem adhuc exercitum, misso nuncio, festinat consolari. Promulgato per populum gaudio, tollitur vox lætitiæ, & exultationis in tabernaculis Francorum, proceditur sicut in letaniis cantando obviam.

CAP. CXXI.

Robertus Flandrigena opificum tutor constitutus.

MOx tunc eligitur operi Flandrigena Robertus opificum tutor, dum ligna cætera fabri quæsita reperissent, reperta incidissent, incisa retulissent. Lucus erat in montibus, & montes ab Hierusalem remoti ei, quæ modo Neapolis, olim Sebasta, ante Sychar dicta est, propiores, adhuc ignota nostratibus via, nunc celebris, ac fermè peregrinantium unica. Illuc prædictus Comes solitis comitantibus quasi ducentis missus innumeris hostium millibus exponitur, ante, & retro, dextrorsum, & sinistrorsum circumfusis. Ipse non secus turmas, ac tubas, quam patriam, & tibiam perhorrescens luce inter per q. . . fabricam jaculabatur feras, nocte cum fabris inferina epulabatur. Itaque labor ille, & domino erat cum utilitate voluptas, & laborantibus famulis parta sinè metu refectio. Utque satis cæsi feliciter nemoris, Comes redit sapienter viam armis præmuniens, ipse audacter cum retroneis sequens vulgus diligenter in medio tuetur, per arcus Damasci, per cannas Arabiæ, per pila Æthiopiæ indemnis transmeat: sed audita Comitem Comes nusquam descivisse prosperitas: exitum, reditum semper prosecuta hymnos, & pompam à complurimis impetrat favorem, laudem ab omnibus meretur.

CAP. CXXII.

EXtabat medium inter castra, & vallem Josaphat pomerium, quo nullum aptius, aut aptum æquè assultibus hostium, nullum civibus formidolosius imminebat: quippe illius cornu murus paulò humilior erat, turris rara, campus, ut dixi, exter extensior; area hæc tamen hoste vacabat, stupor indigenis, at providentia ducum partem illam supremo bello reservabat, dum turris lignea strueretur, de cujus culmine Francorum alæ in mœnia volarent. Igitur allatæ abies, cypressus, & pinus veras dissimulant, fictas verò assimilant minas: materia scilicet rudis formam expectat ad Zephyrum, ut formata ad Eurum pugnet.

CAP. CXXIII.

Dira obsidentium fames. Machinæ aptatæ, & mœnibus admotæ.

INterea verò tum cereris, tum undæ inopia, bella quoque, aliud minans, aliud instans: illud furor Ægypti, hac Palæstinus, Arabicus, Damascenus immaniter æstuabant: jam enim fruticati per circumitum, hastis, & calybe ipsa sua fruge, quam germinaverant, horrebant colles; unde rariissima, immo etiam nulla jam castrensi inediæ ceres advena succurrebat. Quæsitis utcumque vesci, vescendà verò quærere extra castra omnino non licebat: ut quæ prior obsederat gens, jam multo veriùs, quàm obsidens, dici posset obsessa. Unicus, & universus errabat per exercitum planctus: frustra Romaniæ bella, frustra Antiochiæ famem, frustra reliquos labores superatos esse, quandoquidem totum jam pelagus pervadatos apprænensi arena littoris naufragos fecerit: lugubre igitur; verumtamen pium & vel ipsis hostibus miserabile solatium cerneres: cùm, vitâ perosâ, cohors mortem ultro vocaret: fuerat namque, qui conjurato impetu tamquam ad uxorios, sic ad murales ruerent amplexus, quasi una mens, & ratio singulorum hæc foret: Osculabor desideratam meam Hierusalem, priùsquam moriar. Miseri, in quorum oscula modò ferrum, modò saxa, interdum sudes perustas omnia necem subitam osculati pluebant muri. Ac nec sic quidem cœpta semel potuit terreri devotio: quin sæpiùs, sæpiùsque alii in morte aliorum eosdem repeterent amplexus. Jam exierat in Julium labor, à diutini certaminis exordio quinquies per septenarium revolutus. Consummatum est opus, tormenta fabrefacta, extructæ machinæ, parata omnia, quæ præsentis instantia necessitatis postulabat: adhuc tamen postes, tabulæ, crates, nexus inconnexi, annecti, & erigi, sed priùs transferri indigebant. Ad transferendum ergo nox eligitur, dies crastini jacentia erigit, sparsaque huc illuc membra in suum redintegrat corpus. Translatas quoque machinas mox transpositio sequitur castrorum, ut jam non minùs obsessis, quàm obsessoribus palàm fieret, quoniam murus ille bello fuerit destinatus. Ingravescit itaque civibus malum, turbatur omnium mens consilii inops, quà præcisus fuerat certaminis occursus: fastigiosæ moles timorem excluserant. Præterea partem illam multo nemore sollicitus munierat labor, balearibus scilicet tormentis ad hostiles assultus: frustra hæc autem, quippe amoto hinc, & aliorsum admoto, ut dictum est metu, quod tamen in extremis rebus solatium restat, machina interior transplantatur, ubi opposita reverberet exteriorem transportatam.

CAP. CXXIV.

Aries impellit turres.

PArati ergo utrimque ad pugnam; alii tremefaciunt muros, alii tuentur. Aries suf-

fos-

foſſor à pede terebrans turres quaſſat, marmora arietem in collum ſuper lapſa. Turris una & ipſa lignum, urbi congreditur: ſed & volens invitæ; nutans ſtabili, altera occurrit immobili, altera ſtat ad occurrentem. At ſi liceat, cedat, in cujus ſpectaculi ſtupore elephas meritò ſimulandus recurrat, quem narrant fabulæ ſub aſpectu muris trepidare. Interea nõ ceſſat clamor, non fragor, non vulnus: ſaxa, ſpicula, ſagittæ utrimque volant: ſcuta, galeæ, crates, muri ad ictus remugiunt: præ ſonitu, & jactu, oculi, aureſque non magis ſuum exercent opus, quàm alternum. Cœptam tamen moles lignea non tardat viam, ſaltans præſtat, ut poſt obrutam callis barbicanam jam patebat liberior. At ubi eò uſque appropiatum eſt, ut alternæ cuſpidis obvium jam tinniret ferrum, idem qui obſtacula priùs quaſi præco græcus mylanys clamans domine ſequentis removerat, aries conſecutæ modò turriculæ unicus obſtabat. Procedere murorum nõ permittebat objectio: recurrere machina prohibebat ſubſecuta: dextram, lævamq; diverticulo gradientis natura negabat: cuja refert dumtaxat, modò egredi, regredi modò, digredi nunquam: dedit ergo pœnas Normannico torre ambuſtus latera, quod à cornu ſtrenuo ungulæ degeneravit ſegnities: id ipſum priùs interior flamma tentaverat, ſed affluens incendio occurrit unda exterior, ille manſit illæſus. En iterum ſumpto ſulmine Chriſticolis Mahumicolæ pluunt, ut ſtillata nocentem amphora potet, qui priùs utilis pice, & ſulphure, & face fuerat uſtulatus. Expertus eſt itaque idem bis inflammatus, bis aquatus, bis Mahumet victum, bis victorem Chriſtum: & hîc quoque elementa actorem cognoverunt ſuum, ad ejus nutum, alterutrum victoriæ permutantia vices patefacto aditu machina procedit, ſemel, atque iterum ſaltando felix, flebilis tertiò, ſilva recens ſub onere fatiſcit, obſequio immatura.

CAP. CXXV.

Machinarum effectus artibus eludunt obſeſſi.

QUæ vulgò ſoliva, quaſi quia per ſolum vadat, nuncupatur trabs fiſſa. latus alterum enervat, quippe lævo parieti pro fundamento ſubjecta. Læſa ergo pedem alterum machina ſtat immobilis, procedere invalida, retrocedere indignata, aſtare contenta. Ecce iterum dolor & vetus ex uſu, & novus ex caſu: renovata eſt deſolatio, cicatrix vetus. Bene, inquiunt; ſpes quoque lenta fuit; ſiquidem inviti credidimus, à quo poſt creditum lædendi fueramus: en exitus, quem præſagæ ab exordio mentes augurabant. Inter hos tamen gemitus, falcata acie armatur pertica, ad ſecandos funes calybs efficax, quorum nexibus implicitæ de muris minabantur trabes. Horum igitur exciſionem, illarum mox comitata eſt ſolutio, ſolutionemque ruina: dextimæ, ſiniſtimæque turris ſolatium ceſſabat, quarum remotiuſculam Tancredus, propiuſculam Comes Normannus fundæ balearis turbine diſſolvebant. Suapte cauſa ſollicitæ acclamantem non audiebant viciniam. Præſertim Normannica tam nocentior, quo propior, ideoque odioſior facilè jam ſuccubuiſſet impulſibus: ſed objectæ tormento paleæ ruinam differebant: latebant enim poſt ſaccos mœnia, ut jam non tremerent ad marmor volans.

A Erant itaque labor multus, fructus minimus, planctus plurimus, riſus nullus: Sed quos ad riſum lacrymabilem non moveat ſacerdos bellicus, cùm fatiſcente militia, ille delicatus ordo in albis, & ſtolis ſcalam vehentes, flentes vehendo gemerent, flendo pſallerent: & hæc quidem geſtatio, & opus erat, & ſermo: ſed ſermo magis. Tuncque præ labore militaris torpebat virtus, viſu inſolito experrecta. Redit ad muros, pium illud Kyrie eleiſon comitans; illud, inquam, & ab imo pectore egreſſum, & ad ſummi aures Judicis efficaciter progreſſum. Exaudivit enim Dominus clamorem contritorum, neque ultra ſuſtinuit perfidorum blaſphemias. Qui diviſit mare rubrum in diviſiones, & eduxit Iſraël per me- B dium ejus: modò ſolatus eſt deſolatos ſuos, atque ubi jam ſpes exciderat vitæ, aditum reſeravit victoriæ: nam multa expertis, at fruſtra cætera: flumina quoque quà licet placuit imitari, ut vel ſic clamidatam poſſent arcem exuere. Sitire cruorem arundo ſolita jam flammas vomit, non jam, inquam, extingui, aut extinguere ſitiens, ſed accendere furens, emittente cornu ſpicula, tellurem putes, verſa vice, in Cœlum fulminare: Ideo ferrum candens aëra ab imo in ſublime diſſecat, dum pennæ ſubſequentis remigio adjuta flammivoma cuſpis paleas ſimul perfodit, & accendit, cujus incendii vires ejuſdem artis tutela non ferens: cedunt flammis, qui nec C jaculis ante ceſſerant, nec baliſtis. Vacuos igitur civibus muros, ſcalæ hoſtibus mox replent applicatæ: ſed & pontis inſtar trajecta palma, cives hoſtibus continuat, lignum ſaxis, murum machinæ: hac quoque ope in urbem repit juventus avida manibus pedibus à procellis in portum tranans.

CAP. CXXVI.

Bernardus Sancti Valerici Lettholdus, & Engelbertus muros ſubeunt.

D PRimus in his ſtricto juvenis præfulgurat enſe,
Gloria militiæ, generis quoque gloria clari.
Bernardus, te Sancte vocans Valerice patronum,
A quo & cognomen ſimul, agnomenq; trahebat:
Vos tamen in muris reperitque, doletque repertos
Nobile par fratrum Lettholde, ſecuteque fratrem
Engelberte ortu, ſcanſuque ſecunde priorem:
Quos ſcala in muros in ſcalam Flandria miſit:
Mœnia partiti diſcurrunt, ille per Eurum,
Fratres per Zephyrum: laniant, laniataque trudunt:
Corpora quaque ruunt, fragor hos ſequitur, fragor illum.
Prima tamen cervix humeros quę cæſa reliquit,
E Cædiferam ſenſit dextram: quæ tertia repſit,
Stabat adhuc truncus, cùm jam galeatus ad ima
Deciderat vertex: at mox hunc ille ſecutus,
Et cæſus calcem eſt expertus, & integer enſem:
Sed jam crudeſcit bellum, jam crebrior arces
Irrumpit populus, veterem jam mœnia civem
Indignata, novo ſuperante, ſtupent gravitatem
Plantę victricis; quòd dura, quòd improba curſus
Prægravis inculcet, rapida involet, horrida pulſet.

Digitized by Google

CAP. CXXVII.

Urbs capitur.

ERgo fugam trepidi ſatìs aſpernata coloni
Excutiunt tremulas tranſverſo vertice plantas,
Victori aſſultant; admiſſus victor inerte
Plebe levat preſſos; aſſultus, præmia, muros,
Aſcenſus avidæ graduum penuria gentis
Vota morabatur, vicinum limen aditur,
Frangitur, atque humeris pulſato cardine ſolis,
Mox Joſaphateæ patuerunt robora portæ;
Ergo ubi clauſtra patent, cuncta aſpirant, nihil obſtat.
Huc, illuc: dextrâ, lævâ: ſurſum, atque deorſum:
Per ſata, per dumos, per tecta, per arva, per hortos
Diſſiliunt, interficiunt, rapiunt, populantur:
Hic pecus, ille domum: pars aurum, pars orichalcum,
Falſa decepti ſpecie, fulvoque nitore:
Plurimus argentum, quidam gemmas, alii oſtrum:
Servos nonnulli: curſim omnia, & omnia raptim.
Ut tamen in vulgo fert fabula, quà ſua cuique
Eſt prurigo gravis: prior illuc involat unguis.
Sic modò poſthabitis ornatibus ambitioſis,
Quò ſua quemque rapit penuria, ſiſtitur illic:
Eſuriens furno non eſurit arma reperto,
Nec ſitiens unda ſitit æra, pecuſve reperta
Tecta ſubit læſus, ruit ad velamina nudus;
Ad calices bibulus, ad opes feſtinat avarus.
Sternere nobilitas, vulgus ſpoliare laborat:
Miles cæde rubet, dux exhortatur, & urget.
Hinc ambo validi, Comites ambo, ambo Roberti,
Hic Normannorum Comes, ille Flandrigenarum:
Duxque Godefridus bello celeberrima virtus,
Illinc magnanimus ſancti Comes Ægidianus
E regione ruens vicinas ſcanderat arces,
Et quam Daviticam vocat incola, cinxerat armis,
Non ſinè multorum nece præcipiti refugarum,
Quos fuga de muris ad aſylum traxerat arcis.

CAP. CXXVIII.

Tancredus.

AT Tancredus homo, qui non homo, ſed leo, ſed nec
Os, oculoſve leo, quin immo cor ipſe leonis,
Ad majora furit: neuter quod ſomniet Ajax,
Non Hector, non Hectoreus ſuperator Achilles
Audeat: hoc facile, & pronum Wiſcardida ducis.
Curia Templorum, nunc unius ante duorum,
Nunc tantùm Domini, priùs & Domini, & Salomonis.
Hoc quidem adhuc gyrat latus, illud & auſter habebat,
Hæc ſpatioſa capax circumdata mœnibus altis,
Cardine tam gemino ferrata fugam, atque timorem,
Horrorem, & bellum, totam immo receperat urbem:
Hoc adamas ferrum, durum hoc, ſed durior ille
Tancredus pulſat, confringit, conterit, intrat:
Cujus ad introitum fugit irrevocabile vulgus,
Et Salomoniacæ quindeniforum latus aulæ
Irrumpunt: piger enſe cadit, celer effugit enſem,
Compos effugii portam obſerat, obice fulcit,
Aut vitæ ſtabilis ſpes; aut mora quantula mortis
Ad Domini Templum vertit ſe, vertit, & ecce
Limina ſignifero patefiunt culmina ſigno.

CAP. CXXIX.

Templum ſpoliat.

STabat in excelſo ſimulacrum fuſile throno,
Scilicet argentum grave, cui vix ſena ferendo
Dextera ſufficiat fortis, vix dena levando.
Hoc ubi Tancredus proſpectat, proh pudor! inquit,
Quid ſibi vult præſens quæ ſtat ſublimis imago?
Quid ſibi vult hæc effigies? quid gemma? quid aurum?
Quid ſibi vult oſtrum? nam gemmis totus & oſtro
Mahumet redimitus erat, radiabat & auro.
Forſitan hoc Martis, vel Apollinis eſt ſimulacrum?
Numquid enim Chriſtus? non hîc inſignia Chriſti,
Non Crux, non ſertum, non clavi, non latus hauſtum:
Ergo neque hîc Chriſtus, quin priſtinus Antichriſtus,
Mahummet pravus, Mahummet pernitioſus:
O ſi hujus ſocius nunc aſſoret, ille futurus
Jam meus hic ambos pes ſupprimat Antichriſtos.
Proh pudor! arce Dei potitur conviva baratri,
Vernaque Plutonis, Deus eſt operi Salomonis.
Corruat ergo citus, jamdudum corruat iſte.
Statne ſuperbus adhuc quaſi nos quoque ſorpſerit ipſe?
Vix juſſum fuerat, videas jam ſtare peractum
Milite nil juſſo complente libentiùs iſto.
Abripitur; trahitur, dirumpitur, obtruncatur
Materia carum, ſed forma vile metallum.
Ergo diffictus de vili fit pretioſus.

CAP. CXXX.

Spolia diſtribuit militiæ.

INterior paries per circuitum radiabat,
Argenti lamma, quæ lata ferè cubitalis
Ad ſpatium longum denſa ad quaſi pollicis amplum,
Ducebat longos ſinuoſa per atria gyros,
Pondus erat lammæ quaſi ſeptem millia marcæ:
Hoc quaſi ſegne jacens, & inutile traxit in uſum
Vir ſapiens: hinc & famulos armavit inermes,
Hinc reveſtivit nudos, & pavit egentes,
Hinc quoque militiæ numerum, quam ſola voluptas
Auxit, & externis ſua fulſit ſigna maniplis
Sub gemmis paries, ſub gemmis multa columna,
Multa ſub argento latebat, multa ſub auro.
Inſignis fabricæ decus, ars celebranda per orbem,
Materies oculis ſolamen delitioſis.
Tamquam conſpectum fugiens lucemq; peroſa
Talibus involucris obducta, ſub ære latebat.
Reddidit ergo diem longo jam carcere clauſis,
Et tenebras paſſis Tancredi gratia ſignis:

In-

Digitized by Google

Inque vacans aurum esuriens laxavit egentum;
Marmora denudans, & Christi membra reformans.

CAP. CXXXI.

Hostes fundit.

POrrò dispositis, quæ disponenda fuerunt,
Post mirata sacri gemmas, æs, marmora templi:
A prece devota Tancredus suscitat arma,
Invenit obstantes: sed eo penetrante catervas,
Aut ruit, aut refugit, medium non invenit hostis.
Jam vacat exterior, nec sentit prœlia campus:
Curritur, & cædem penetratur ad interiorem;
Utque patent aditus, tunc quid Tancrede, quid ensis,
Quid probitas posses, docuerunt stagna cruoris:
Cui narrare vacet per singula sive peremptæ,
Sive peremptricis luctus, ac gaudia turbæ:
Tantaque de tantis orientia commoda damnis.
Mille modis, & mille viis, & mille ruinis
Mars fremit: ira furit, gladius vorat, occubat hostis
Eja sanctè furor, sacer ensis, sancta vorago,
Spargite, spargimini gens prava, viri scelerati,
Sanguinis insontis fusor, fons fundere sanguis:
Qui Christum totiens in membris dilacerasti,
Excipe membra vices, tibi quas reddunt modò Christi.

CAP. CXXXII.

Urbis populatio. Hostes victi animos colligunt.

INterea belli fremitu resonante per urbem,
Conveniunt illuc spe cædis hic, ille lucelli:
Mox alios alios rapiunt sua quemque voluptas.
Ergo calybs, ferrum, cedrus, æs, cupressus electrum,
Robur portarum, decor, & Salomoniacarum
Fracta ruunt, latebras produnt, bello patefiunt:
Quid latitasse tibi Christi scelerate negator,
Quid prodest divi portas clausisse palatii?
Mille licèt claudas aditus, lateasque sub ipsis
Mille tamen clausis, aditus per mille traheris:
Ecce fugam probitas, audacia nacta timorem;
Quo pecus ore lupi fracto populantur ovili,
Strage pari gentem parefactam Gallicus ensis,
Exilis numerus secat innumerabile vulgus,
His jugulare senes, illis avellere parvos
Multis cura fuit, gemmatas exuere aures.
Cæde tamen visa, cæsoribus advolat ultor,
Mox quoque cædendus: numero sinè, & ordine miles,
Instar ab occulto conciti examinis antro,
Quod vel aqua pastor, vel fumo exire coegit.
Exilit, irrumpitque aditus quod cuique repertum:
Aut frons, aut aures, aut nares, cædit hiulcum.
Sic ubi cognatæ latebras solvêre ruinæ,
Spicula mille volant, & mille volant quasi vernę
Grandinis: ira sudes: numerus non colligit enses.

CAP. CXXXIII.

Anceps pugna, fugantur fideles. Ebrardus Pusiatensis fugatos revocat.

GAllica strenuitas, ingens, & parva, pusillus
Grex, sed grex validus, numero nequit obvia tanto
A Pectora ferre diu: cedunt, cedentibus instant,
Qui modò cedebant: & quantùm frangere quantùm
Fracta subire priùs victorem limina juvit,
Tantùm præcipites juvat accelerare recursus,
Perque suo patulas pulsu revolare fenestras,
Rursus & hos illi, rursusque hi, non minus illos,
Hinc illuc agitant, mox illinc huc agitandi:
Sic aliis alii modò cedebant, modò versi
Instabant, vicibus variis fugiendo, fugando
Christicolæ Mahummicolas, Mahummicolarum
Christicolas turmæ, bellique erat exitus anceps,
Et velut alludens Mars hinc, Mars inde favebat:
B Multiplicique fuga jam luserat agmen utrumq;
Cùm tandem accurrens vis bellica Pusiatensis
Ebrardus, sic fama refert, unus clypeatus
Partibus in sociis ultro casu exclypeatis,
Unus ad innumeras clypeus stetit obvius hastas,
Et tonitru magno, proh Francia! proh fuga turpis!
Proh pudor! exclamat: bellatùm venimus, anne
Saltatùm? certè pueri sic fingere pugnas
Sunt soliti: solitæ plausus celebrare puellæ.
Ecce minæ totiens inter convivia jactæ.
Vosne viri Franci? sed nec quos dicere Francas
Esse nurus digner, trepidas qui frangere caulas,
Incluſumque pecus jugulare diu trepidastis:
C Exuite ergo metum, patriasque resumite vires.
En ego prima feram, me cætera signa sequantur.
Sic stimulat frendens; sed agens majoribus urit
Spectantes stimulis, nam protinus obice parmæ
Pectora protectus, dextramque exertus & ensem
Unus mille viros invadit Martius heros:
Voce satis, sed mota magis duce strage juventus,
Seu cunctis idem fremitus, par ira, cor unum,
Mens eadem fuerit: sic cursu perpete cuncti,
Hortantisque favent, præcurrentemque sequuntur.

CAP. CXXXIV.

Horrenda Infidelium strages.

D INfinita licèt debellent millia pauci,
Non tamen aut nocet hos minor, aut juvat amplior illos,
Cum damno est numerus, siquidem quo major acervus,
Quo magis est densum, tanto plus debile vulgus.
Stipatim fodiunt alios alii, perimuntque,
Et variis vicibus modò saucia corpora sani,
Et modò dum casu casum est sinè vulnere stratos.
Vulnere prostrati vivos necuere necati.
Quo major plebis cumulus, major quoque cladis;
Quippe cadens stantem suffocat, stanique cadentem:
E Sic quoque sopitum gladius non præterit ullum,
Costas rimatus, per colla, per ilia ductus,
Terga per, & ventres, larga sanie oblinit ædes,
Gloria cunctarum, quas mundus habet fabricarum
Fit lacus horrendi, velut actor obhorreat, unde
Quantus, quantus erat templi stupor ille capacis,
Limina, maceriæ, sedes, tabulata, columnæ;
Omnia sanguis erant, nihil extabat, nisi sanguis:
Namque pavimentum penitùs sub strage latebat,

Digitized by Google

Ut nisi submersus non tangat marmora poples:
Quippe cruor tantus, tanta inficit unda penates:
Quanta nec Emathiam sub Cæsare, nec sub Achivo
Marte Firges (*), nec sub Mario, Syllave Latinos.

CAP. CXXXV.

Tancredus invidentiam incurrit Arnulphi. Arnulfi adversùs Tancredum ad proceres oratio.

SEd nec hæc tam festa dies nomine careat: ipsa est, qua illustrat Julius annum, Idus Julium: ipsa est in serie feriarum sexta, ab obsidionis exordio in quadragenis penultima. O beatas Idus, ac præ cæteris glorioſas: in his siquidem divisi sunt. qui in orbem terrarum fidei rudimenta spargere jussi sunt. Ab his cœpit exordium seminis Ecclesiæ, in iisdem seges rediviva horreum cumulat, ecce in his pater ille familias operarios manè misit: Ecce in his vesperi vinea penum replet. O igitur meritò iduum idus sua gloria meruit indici. O Tancrede, hîc quoque post victoriam de victoriæ fructu certamen, & post certamen certaminis fructum pacem invenisti. Orta est enim inter principes adversùs Tancredum invidia, quòd uni super omnes cumulatiùs abundaverit Deus, quibus armata jaculis Arnulfi, quasi alterius Ulyssis facundia virum provocat, intus vocat, proceres convocat. Consedere Duces, surgitque secundus Ulysses: tum defixo paululum in terram vultu, deinceps sic orditur. Multa me hortantur, o Patres. obsequium meum voluntati vestræ subjicere: inter quæ hæc ipsa etiam nuper mihi oblata injuria. Hæc enim me docet, quantum distet ab homine homo; beneficus a raptore, ab invasore assertor. Vos me de humili promovistis, vos de ignoto celebrem dedistis, vos quasi unum ex vobis, & comparticipem tributorum creastis, & hæc quidem gratia, & a prisca proavorum liberalitas descendens nova. Vos regius sanguis, o Duces, bene a quo fonte decurristis, in me patuit, cui largi, cui divites fuistis; cùm vobis parci, vobis pauperes essetis. At Tancredus me persequitur, sævè tyrannidem exercet, in me sævit: quod communis assensus vester mihi sanxerat, ipse derogat. ipse mihi vices Pontificis aufert, vos dedistis; ipse me spoliat, vos investistis. Tuemini igitur, ò fortissimi proceres jus vestrum, ulciscimini injuriam vestram, punite injurium. Nemo putet meam esse hanc contumeliam, vestra est omnium nostra: mihi quidem res imminuta est, vobis aucta injuria; ad me redundat damnum, ad vos dedecus: nam qui dispensationem conculcat, nempe omnino dispensatorem damnat: scriptum est enim: *Qui temnit legem, spernit regem*. Cur autem vos non sperneret, qui Deum spernit? cur vobis parêret, qui aris non parcit? cur vos patitur palliatos, qui templum Domini excrustavit? templum, inquam, Domini, non ab heri, & nudius tertius constructum, nec quolibet dispensante circumactum, non ubivis, non quando, non quomodo, non à quovis fundatum: hæc est enim domus Domini firmiter ædificata; ipse Dominus fundavit eam. Hic ille est locus, in quo Patriarcha Jacob verè Dominum esse asseruit, quem portam Cœli vocavit, ubi scalam Cœlos tangentem, & Angelos ascendentes, & descendentes vidit. Hunc Christus Dominus, & præsentatione sui illustravit Infans, & reverentiæ zelo mercimoniis ejectis sic extulit adolescens. *Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur*. Longum est enumerare, quibus paginæ veteris, aut novæ laudibus hujus sanctæ domus cumulatur majestas. Quòd si satìs, ò Marchisida, attendisses: huic saltem pepercisses, quasi in terris Cœlo: huic, inquam, unico in terris, si quid terra Cœlis simile habet, Cœlorum simillimo. At indulgendum est Wiscardidæ: secutus est enim patrum suorum vestigia. Quis inter amplexus, inter oscula compatrem suum à mœnibus rota dejecit? nempe Wiscardus? quis vivus pro mortuo incolumis pro tumulando in Montem Cassinum perlatus est? Utique Wiscardus: Quis nepotem suum ad concordiam elicitum, priùs calida, mox gelida perfudit? Jam Wiscardus: qui tamen fertur Ecclesiarum fundator, non subversor: nec denudasse, at multas ornasse. Papæ! O' Wiscardida, nesciebas, me domus Dei ministrum? an prudens, sciens contempto me, conculcato jure, prolato scelere Sanctuarium prophanasti? Si ignoranter peccatum est; cur post notitiam non est ad veniam recursum? Quòd si peccavit industria; cur jam cessat rapina? Adhuc restant Ecclesiæ, adhuc in altaribus gemmæ; quin, irrue, rape, ejice ministros, succede ejectis, sileat Arnulfus, suadeat Tancredus. At vos, ò proceres, si quid bene merui, vobiscum laboravi, numquam deserui. Ab ipso bellorum primordio Nicæa vigilantiam meam sensit, ubi, me increpante pigritiam, strenuitas fervebat, hortante juvenes, senectus juvenebatur, sopitas excitante fundas mœnia tremebant. Mox in valle Dorecil circumsepti ab hostibus, mortem ante oculos videntes, de vita diffidebamus: ubi tamen neque mentem confudit timor, neque fraus consilio affuit, neque affuit labori effectus. Mittendum esse ad socios, ignaris nunciandum, diffusos aggregandos memini; ego consului, ego implevi. Non fraudulenter alienos humeros onere gravavi; quod mei recusarent, uno comitatus Achate, & ipso sicut imbelli, sic inermi. Per millia hostium ausugi, infinitis sequentibus evasi, eventum nunciavi, victoriam adduxi, vici. Antiochiæ quis fuerim, testis est hostis. Diutinum agonem illum hæc non explicet dies: ut de Marra quoque prope redempta fileam, redeat in memoriam saltem Arcas, & prioris quidem illius fugæ modum habui disparem: at metum eumdem. In qua linter exilis prope mœnia, præter navalia, intra littora Maracheæ, Tortuosæ, Valoniæ, Gibelli, tandem Laodiciam me pervexit; ubi vix expositus per mille pericula Antiochiam adii, moras Ducum increpui. O' adducti proceres, vos testes habeo, vos adduxi. Ex illo usque in præsens, neque vidit otium meum Phœbus, neque somnolentiam Phœbe, neque faciem mensa, neque animus quietem, dum reipublicæ inservio, invigilo, insenesco, immorior. Multò autem plura præmissis subditurus eram, ò patres, sed præ compendio dimissa cætera diem adversario relinquam.

(*) *Fortè* Phryges.

CAP.

Digitized by Google

CAP. CXXXVI.

Respondet Tancredus.

AB his surgit ambiguus; primò utrum sequeretur ducem fervorem animi, an judicis favorem: ergo sic incipit (*). Scitis, proceres, studium meum: militia fuit, non persuasio, nec linguositas me promovit, sed ensis, & lancea: proinde indulgendum mihi fore postulo, si tractus ad lites, artis ignotæ excessero rationes: si tyro rudis aut citra me tam pressero, aut ultra laxavero habenas. Id, opinor, consideravit adversarius: hinc me provocandi sumpsit audaciam, qui sicut scorpius in cauda, ita omnem habet suam malitiam in lingua: væ, inquam, væ lingua: à cauda est scorpii. Audistis, ipsi non est externo opus teste, qua vi persuadente genus meum corroserit. Wiscardo secundæ ab Alexandro audaciæ detraxit, tanto Principi homo, de cujus sobole quispiam Principem non vidit. Wiscardi acta nota sunt orbi, non est, qui possit detrahere: nisi qui semper studuit candidum in nigra, nigrum in candida colorare: quidquid in opibus opitulari, & postponerent necessitati delicias, auro vitam redimere, gemmis conculcare hostes? de argento milites creare iste pervertendo, & depravando vocat Ecclesias excrustare? Nonne hic est, qui sermocinari per parochias solet, clamans: Dicite, Pontifices, in Sancto quid faciat aurum? nempe ob Reipublicæ tutelam, ob infidelitatem debellandam, urgente periculo, instante bello, necessitate coactus, æs vacans, & quasi dormiens excitavi, ut qui servierat fulgens, eidem meliùs serviret bellans, non inde cudi murenulas neptibus meis gratiosus, res tantùm transtuli, non consumpsi. Promovi, ut fructum multiplicent; quasi non sensissent motum, non surgerent in augmentum. Seminavi, ut metam, post messem creditori meo decuplum persolvam. Verùm nec erit Arnulfus, nec qui tot redimat neptes templi claviger, cùm thesauros ejus gazis cumulabo: interim etiam ungues tentabo arcere, nequedum Hierosolymis militabit Tancredus, templum Domini spoliabit Arnulfus. Animadvertite, ò proceres quænam est, si non hæc injuria. Nobis adhuc forinsecus extoribus hunc ipsum judicem elegi, super hac quæstione consului, suum ne singulorum, quod quisque occuparet, sive domus, sive curia foret: ab interrogato sic accepi. Decretum est, inquit, atque universaliter sancitum, id suo juri cuique, quodcumque sit, relinquendum fore, cujus post ingressum urbis primus fieret occupator. Hæc forsitan ipse præteriisse putat: ego præsentia habeo, non exciderunt, stant fixa. Pudeat Judicem in dies mutare sententias, nedum quod heri sanxerit, hodie neget, & angui lubrico conformetur, & Protheo. Nam quo teneam modo mutantem Prothea vultus. Quòd si fortasse primos aditus sibi usurpat: In hac quoque parte victus succumbit: testatur ei forsitan miles unus: sed exercitus mihi, qui audierit, sed mille, qui viderunt. Ego primus irrui, primus portas fregi, quò sequi non auderet, ego præcessi, quos nec à tergo spectare, ego à fronte debellavi. At fugas suas nobis jactat, periculis consuluisse, suggessisse de nuncio, demum nunciasse. Quis adeò stolidus, ò proceres, ut ex his ejus formidinem non perpendat? Nempe à periculo uspiam mitti, hoc est abesse à periculo, & liberari. Quid quod & persuasit, & se ingessit, & ultro abscessit? Nimirum ex his colligitur, quòd aufugit: neque enim hæc abscessio, sed vero nomine fuga dicenda est. Juste hoc vocabulum jactantiæ ejus intercidit, cujus tota intentio, ardor unicus, sola sitis fuga fuerit. Sed excusatus abit, propter suos, quos enumerat, quibus occurrit metus: attendat, quid ista sonant; mille modos inter lethi mors illa timori, qua timidi cœpere mori. Pudet me, ô patres, hujus certaminis; ad quod tamen, ne sibi imputet, non me coëgit adversarius: reverentiæ vestræ adscribat, ea me impulit. Jam ergo satisceuti equo lora supprimam, quid deperacto cursu debeatur, vos discernite.

(*) *Deest* Tancredus.

CAP. CXXXVII.

Sententia procerum.

CUmque hæc verborum in auribus Principum consonuisset dissonantia: ipsi jam ad æquitatem respondentis æquanimes redditi; sopitâ invidiâ, justitiam scrutantur. Medium quoddam inveniunt, quod nec frustra declamaverit Arnulfus, nec paratis proprio sanguine opibus frustretur Tancredus. Judicant ubera non debere relinqui arida, quæ tantum lactis effuderint, cùm præsertim Tancredi liberalitas aliis non desit Ecclesiis: hanc præcipuè, quæ indignum ditavit, debet & ipse versa vice fovere indignam. Quid plura? Septingentis templum redonat marchis consilio principum Marchisides, non invitus: hoc medio conjunguntur, qui abjuncti fuerant, viri: ambo conspicui, ambo ab humili potentes, ambo omnium invidia, cùm neuter nisi fortè alterutrum invideret. De quibus simile illi, quod de Hectore, & Æneа edidit Mantuanus, confidenter & ipse protulerim.

Si duo præterea misisset Gallica tales
Terra viros,

jam dudum Gallos habuissent reges Memphys, & Babylon: tanta enituit virtus in hoc facundiæ, in illo audaciæ, in utroque liberalitatis, discretionis, sollicitudinis, justitiæ, prudentiæ.

CAP. CXXXVIII.

Franci sub Ascalone victores.

JAm transierant post prædicta duæ, & ab eadem quarta paraseeve fulgebat, illa quoque geminavit lætitiam: quippe sub Ascalonæ mœnibus Francos vidit victores. Turbaverat enim Regem Memphyos Hierusalem capta: Hinc tota fremens Ægyptus equitum trecentis millibus sexagena cumulaverat, miseratque bellatûm peditum numerû sicut maris arenam. At ubi de adventu bellorum nunciatum est Francis; illi velut à fame ad epulas occurrunt, fundunt nostri, quod dictum est, & ubi dictum est, pauci multos: quo autem ordine urgens jubet præteriri Tancredus: indulget tamen Ascalonitas post victoriam vexillo Comitis Raimundi elato, seque, suasque turres substringere mancipatos: eo namque præside, Davidica tubores fuos immiserat illesos, ex quo hujus viri fides in populo illo magnâ celebrabatur. Sed exorta in magistratu de magistratu lite; quòd fortitò regnum Godefri-

defrido Raimundus nollet ſuffragari: urbs neophyta ad idolatriã redit, ſpretis Comitis ſimul, & jugo Regis, & ſubjugatorum habenis, quod nefas quidem expiari non habet: licèt eumdem multa jam clarificent probè geſta, & maneant clariora; ſuperba, vanaque indignatoris contemptio præſens totum deturbat Comitem & præteritum, & futurum. Heu miſer! neſcis heu miſer, quæ vincula, quas ſtrages innocentiæ ſtruis, dum ſtragis, vinculorumque inſtrumentum Aſcalonam ſolvis: nocentem non premis, jugum detrahis. Mœſtiſſima hæc tuæ indignationis dies infinitam ad poſteros pernitiem tranſmittit.

CAP. CXXXIX.

Tancredus oppidum Bezan munit.

AT Tancredus ſemper ſe tranſiens, ſemper de bono melior, ſemper Deo ſublimante humilior: quamvis opum adeptione temporalium præ cæteris abundet; ſub rege tamen novo militat, nec jugum indignans, nec ſolitudinem expaveſcens: in id enim ſummè miles militem redegerat hærentem abiens; ut congregatis omnibus, vix ducentæ loricæ Hieruſalem tuerentur. E quibus Wiſcardides circiter octoginta ſibi aſcitis; uberes prædas, & frequentes undique corradebat, prædones ab urbe vigilanter arcebat, ditator civium, hoſtium pauperator. Ea nimirum ſollicitudo virum impulit ad munimen oppidi, quod nunc Bezan olim Bezamis legimus appellatum. Locus ille ab Hieruſalem remotus, non ſaxo, non palo, non aggere munitus, ſquallore ſuo terrebat indigenas, advenis nihil blandus. Nam præter cætera populi frequentia circumfuſi jam obſidebat innocuum, nocentem obſeſſura multò frequentior. Verùm id ipſum proviserat audacia viri, & quemadmodum venator nemus, aut dumeta auceps, noverat unde major prædæ copia deberet avelli. Igitur Bezan vallo utcumque circumducto veſtitum, cætera per circuitum municipia ſpoliat, aratra disjungit, jugum à bove ad ruſticum transfert, claudit mercibus vias, urbibus portas. Quibus plagis Caiphas afflicta, quamvis mari, & turribus ſepta civitas, fatiſcit tamen: primò quidem tormentis balearibus obruta, mox per funes, per pontes, per ſcalas immiſſos mucrones paſſa.

CAP. CXL.

Boamundus, & Balduinus Jeruſalem pergunt.

HIs diebus Boamundus, & Baldoynus Gottifredi regis frater, de quo ſupra dictum eſt, votum eundi Jeruſalem complere cupientes, cum non parva militum manu iter arripiunt: qui dum per vallem Camelæ, & Damaſci viciniam, nec non per Cæſaream Philippi incederent, mirabile dictu, per medios hoſtes, qui circumquaque exploraturi diſcurrebant, liberi tranſierunt. Erat autem quadrageſimalis diei tempus: Qui cùm Hieruſalem properaſſent, gaudia ibi paſchalia cum Rege Gottifredo celebrarunt. Quo videlicet tempore Daybertus Piſanorum Epiſcopus vir in litteris potentiſſimus, atque eloquentiſſimus; qui in multis navibus Joppem aggreſſus fuerat, eodem Boamundo juvante, in Patriarchatum Jeruſalem ſublimatur. Arnulfus autem magnæ indolis vir, quamquam dignitatis hujus electione donatus fuerat, tamen libentiſſimè annuit, ſperans Chriſtianitatem ibi magis in illo, quàm in ſe profuturam. Ordinantur ibi quatuor Epiſcopi, ſcilicet Roggerius Tharſi, Mamyſtæ Bartholomeus, Bernardus Artaſii, Benedictus Edeſſæ, qui cum Boamundo, & Baldoyno in presbyteratus officio poſiti venerant. Expleta itaque ſolemnitate paſchali, Boamundus cum tribus ſuis patribus revertitur, reddens ſingulis civitatibus præſules ſuos. Baldoynus quoque cum ſuo Archiepiſcopo Benedicto Edeſſam, cujus ipſe comitatum tenebat, rediit.

CAP. CXLI.

Urbem Meletaniam ab obſidione liberat Boamundus. Prælio commiſſo à Turcis captus abducitur.

NEc mora Boamundus ipſe cùm audiſſet à relatoribus urbem Meletaniam Turcorum armis circumdatam eſſe, quæ decem dierum itinere, aut plus ab Antiochia diſtabat; coacto in unum exercitu, ad liberandum eam ire conatur. Verùm Turci cognoſcentes illum jam in proximo adeſſe, obſidionem ex induſtria dimittentes, ut eorum eſt conſuetudo, receſſerunt. Magis enim ipſi ad tempus, vel horam terga vertendo, quàm accedendo prævalent. Nam & fugiendo ſpicula ejiciunt, ſe ſeque inſequentes vulnerant. Boamundus ergo cùm civitati appropinquans Turcorum aciem non reperiſſet, conſultum eſt ſibi à ſuis quatenus urbem ingreſſus paululum ibi priùs requieſceret; ac ſic poſtea quiete refotis viribus ſuis contra Turcos ad debellandum exiret. Qui non credidit eorum conſiliis, ſed ex ſtulta audacia immoderanter præſumens, abſit, inquit, ut Boamundus, quod numquam feciſſe meminit, modò facturus ſit; hoc enim faciunt vulpes, quæ mox ubi latrantes canes audierint, latebras quærentes abſconduntur. Ivit igitur poſt Turcos, eoſque inveniens, cum eis prælium, quod utinam numquam iniiſſet, mox inchoavit. Cùmque hi, & illi ſimul præliarentur; Boamundus retinetur, ligatur, Maummicolis magnum gaudium, væ miſerabile Chriſtianis facturus. Qui deinde in Romaniam ad Aniſmam regem vinculis mancipandus perducitur: de cujus poſtcaptione Antiochia miſera facta ita manebat, ut non eſſet, qui adjuvaret eam, neque conſolaretur.

CAP. CXLII.

Godefridi Regis obitus.

SEquitur è veſtigio miſerrimus caſus, quo Jeruſalem non minori luctu affligebatur. Nam Gottifredus, Rex optimus, & timens Deum, capto mox Boamundo ex hac luce migravit. Erat enim jam annus unus evolutus, ex quo regnare cœperat, cùm ad obitum perveniſſet. Qui tamen antequam præſenti luce caruiſſet, dum corporis infirmitate teneretur, ad ſe Patriarcham Daybertum, atque Arnulfum, cæteroſque accerſiri jubet, quibus ille: Ecce, inquit, viam univerſæ terræ ingredior. Modò ergo adhuc me vivente conſilium inter vos habeatur, & quis vice mei in Jeruſalem regnare debeat, prævideatur. At illi reſpondentes: nos, inquiunt, magis hoc

in

in tua providentia ponimus, & quem nobis ad hoc ipsum elegeris, ei procul dubio subdemur: At ille: Si, inquit, in mea dispositione statuitur, Balduinum fratrem meum ad hoc culmen suscipiendum idoneum judico. At illi Balduinum audientes, continuò unanimiter consentiunt, laudant, eique jurejurando fidelitate firmata subduntur: quoniam illum virum liberalem pecuniæ, studiosum militiæ, affatu humilem, magnanimitate sublimem cognoverant. Hæc quippe omnia natura ipsa, ut ita dicamus, in eo manu propria exsculpserat. Erat enim ille, sicut superiùs dictum est, in Rages, quæ & Edessa dicitur, Dux constitutus, ibique tunc morabatur.

CAP. CXLIII.

Balduinus succedit Godefrido in Regno Jerosolymitano. Antiochiæ sufficitur Tancredus, qui Mamistam, Adanam, & Tharsum sibi subjicit.

SEd interim sepulto ante Golgota Rege præscripto, mittitur Edessam Nuncius, cujus accitu Balduinus Jerosolymam veniat Germani sceptro successor creandus; idque magnæ dissensionis, & belli flammam suscitasset: sed eadem, qua Balduinus accersitus, necessitate, vocati ad regimen Antiochiæ Tancredi abscessus litem præcidit. Substituti ergo hæredes, Jerosolymis Balduinus, Tancredus Antiochiæ, certatim ad famam currunt: tum ne à Seniorum virtute degeneret junior: tum alter alterius invidia succensi. Præterea Marchisidam urget suspecta dignitas, quòd magis hospes, quàm Princeps ipse sibi videtur: unde tantò experrectiorem esse eum oportuit, quò suspectior erat brevitas Principatus sub Boamundi reditum finem expectans. His exercitus curis primò Balduinum à se exterminat, qui inter Antiochenos potentior jugum novum indignabatur. Is sub Boamundo militiæ Principatum obtinuerat: sed jam erexerant ejus animos partim, ut fieri solet, Princeps novus, partim tradita sibi ad regendum Edessa. Quo expleto, mox ad ampliandos fines animum Tancredus intendit, quos paulò ante Boamundo regnante Græci contraxerant. Igitur Mamystam, Adanam, Tharsum brevi, sed acri molimine debellat, secundòque suis legibus subjicit, prædecessoris incuriæ primitus elapsas.

CAP. CXLIV.

Laodiciam expugnat.

INde revertens Laodiciam totis viribus aggreditur: sed naturæ præsidio munita, viro obstitit, cui nec ferrum, nec calybs, nec marmor, nec prorsus hominum labor norant obsistere. Urbs ea, sicut hodie ex ruinis ipsius deprehendere est, quondam nobiles Ecclesias, populum, opes, turres, palatia, theatra, & hujusmodi, quæ habent aliæ, inter alias cuncta habuit præclara. Excipio Antiochiam, nulla per circuitum urbs tanta priscæ nobilitatis reservat insignia. Columnarum ordo multiplex, aquæ per abrupta ductus, turrium ad astra eductio, effigies per compita excubantes, omnia pretiosa, ars, & materia de præterita præsenti, de integra dirutæ, de populosa desertæ testimonium perhibent, utpote post tot soles, post tot grandines opus adhuc insigne. Hujus longitudinem terminant ad ortum tumulus, ad occasum mare: latitudinem hinc inde planicies: per circuitum aut murus, aut ruina: infinitas populi nil reformidans, ipsa cæteris gentibus formido: suo tempore multo aggere includi sprevit, pauco munimine contenta. Sed redeo ad tumulum, quod jam solum adversùs hostes supererat munimen. Ille arduus, atque in vertice spatiosior cives receperat, qui dimissa planitie, illuc confugerant bellici fremitus terrore perculsi. Arduitas ipsa vel sinè muro repelleret obsessores: quo tamen coronata, duplex robur adversariis objicit, hinc artis, hinc naturæ. His confisi clausiris Græci Tancredum expectant adventantem: at Princeps bellum & sciens, & sitiens, aliquot præmittit cursores, qui aut elicitos capiant, aut eliciant capiendos. Græci verò ut semper vigilantissimi, adversùs hæc præcavent: quatenus nec deprehendantur vagi, nec exeant provocati. Dementiæ adscribunt portas egredi: qui cùm de turribus exclusos aspiciunt, inclusi tremunt. Ab hoc ipso Princeps argumentum timoris accipit; &, Jo! Comites, exclamat: aggrediamur ovile hoc: videtis arduum, scitote vacuum. Plenum est opibus, at sinè viribus. Nulla est prorsus audacia militis, qui non erubescit includi portis. Conscendamus aggerem, murus, dico, aut securibus cedat, aut scalis. Jubet Princeps, accelerat miles, curritur ad muros: malleus, ligo, securis, & hoc omne genus ad portas fremit: illæ quamvis duplices, quamvis ferreæ non ferunt, tremunt quasi simplices, ac vimineæ. Videns civitas ferrum marmora cedere ictibus; quin ipsam strenuitati naturam: diffisa clausiris ad arma vertitur. Molem saxeam de turribus pluvit, nullum teli genus jactu vacat, nemo intra mœnia otiosus. Expulerat pavorem hostia necis pavor; dumque effectus instat propior, efficaciùs repellitur causa efficiens. Præterea commoditas ipsa populum invitat: quippe de turribus saxa demittere pronum est cuivis ætati, ac sexui. Sagittæ contra ad turres volant, quibus sæpè aut effoditur oculus, aut perfoditur manus. His decernitur vicibus; donec exhaustæ tam vires, quàm pharetræ refici postulant; præsertim ferrum, calybs, dum portas frangunt, ipsa quoque nunc disiliunt, nunc franguntur.

CAP. CXLV.

Raimundus Comes Tripolim obsidet. Auxilium ab Imperatore deposcit: Captus Antiochiam cum opibus ducitur.

SEd dum sic pugnatur, annus transit, in quo tamen aliquando Raimundus Comes Græcis opitulari volens, repellitur: aliquando Turci Principes disperguntur. Postremò laboranti Hierusalem strenuissimè subvenitur. Hæc unus omnia operatus est, sic tamen ut obsidionem non solveret Tancredus, illa semper incolumi. Ipse Persas, ipse Ægyptios, ipse Provincialem, ut diximus, Comitem debellavit. Comes ille miræ audaciæ vir Tripolim obsidebat, tot millia unus circiter CCCC. partim pedites, partim milites habens Christianos. Eo fretus numero, colliculum urbe vicinum muro, & turribus munire cœpit, quem etiam montem peregrinum, urbana

bana quadam comitate, quod commune erat, sibi minimè usurpans nuncupavit. Illic residens, urbem proximam crebris assultibus infestabat, nec minùs urbani novum illud municipium penè diruebant. Perquam rarissimus fulgebat dies, qui sequestram planitiem utroque, sive alterutro sanguine consperſam non videret. Adeò multitudinis opes alios, alios paucitas inops ad bellum stimulabat: quoniam ubi rarus est bellator, ipsa sua raritas animos accendit: ubi multus, dispendia cruoris facilè tolerantur, sicque voluptati horror bellicus. Sic recalcitrando Castrum, & Civitas, diminutio popelli sui Raimundum terret: eadem ipsum transfretare, atque à Græco Imperatore auxilium implorare compellit. Fert secum apocrisam illam cuspidem, cujus supra mentio facta, inventorem suum per flammas temporales ad æternas transmisit. Hanc, inquam, secum asportat, Alexio munus; remuneratur & ipse summopere: gratus quidem quòd sua; longè autem gratior, quòd se ipsum obtulerit: eundo namque Jerusalem invitatus nescivit supplicare, redux supplicat: inde quantò ante fuerat surdior rogatus; tantò post fit exauditior, rogans. Cumulat gratia concors odium Antiochia tam huic, quàm illi inimica. Remittitur autem cum magnis, ut dixi, muneribus ad expugnandum hostem amborum Marchisidam. Deliberant intra homines: judicat, qui sedet super Cherubim in Cœlo Deus. Mittis, Alexi, Tancredo gazas, dum Raimundi biremes, donis tui refertæ penè submerguntur: quæ felicibus tamen auspiciis multa infelicitatis loca præterlapsæ in hostilem fiscum ad portum Tharso proximum deferuntur: nothis agitatæ furentibus inimicorum manus nequeunt declinare. Volante autem ad aures Principis fama, præcipitur Comitem, Græcasque opes Antiochiam duci; eum, ad servandum, eas, ad spargendum. Nec tamen diu tenetur, quidquid jubetur: abjurat, & jurat. Sicque abjurato clausira panduntur, alioquin vita comite servando claudenda. Volvuntur cætera fortunæ nutu, fit modò quispiam de paupere dives, item pauper de divite.

CAP. CXLVI.

Laodicia anno & semis expugnata capitur.

AT Tancredus semper in eodem agone permanet, quod semel cœpit, nunquam deserit. Laodiciam obsidet, nec nisi captam dimissurus. Jam tamen annuæ, ac penè semis morarum tædere cœperat: cùm Deus artem, qua posset capi civitas, inspiravit. Assueverant clausi insidiari clausoribus, & dum in meridie foris dormiretur, aliquando cum impetu de intus erumpebant: ut non sinè cæde, & rapina somni rumperentur. Clamore facto exciti Franci armabantur: Laodicenses interim re peracta illæsi redibant: ita semel, secundò, tertiò quoque exercitum fallentes, ipsos se fallendi viam ostenderunt: quoniam ubi sæpiùs nec dissimiliter idem iteratur: Tancredus ut artem arte deludat, insidiis insidias rependit. Præcipit tentorium construi, cujus capacitati par nullum ante visum fuerat, nec auditum: quæritur quoque pinus altissima tanto oneri columna sustinendo. Dixit, & facta sunt. Igitur arbor, sinus spatiosi per gyrum explicantur, funes, laquei telas & coronant, & tendunt. Putant, qui vident superbè actum, uti solent, ob fastum sublimare palatia in urbibus urbani. At Tancredus in ortu luciferi militiam vocat, & eam sub umbraculo stipat equis insidiantes, ubi opus fuerit, nihil cunctaturos, quibus nec calcar deerat ad bellandum. Sole autem orto, partem non modicam exercitus in oculis hostium frumentatum mittit: reliqui, sumpto cibo, sopori vacare simulantes, spem rapinæ, atque opportunitatem spectatoribus promittunt. Videntes oppidani altum omnia tenere silentium, sperant quoquo modo consueverant turbare exercitum, celerique reditu improvisæ tarditatem evadere ultionis. Egrediuntur ergo certatim currentes ad spolia, alii aliis præcursum invidentes. Paucis manentibus ferè exeunt omnes, adeò incautos fallebat opportunitas simulata: currunt ad prædam, & indulgetur: oneratis jamque ad portas regredientibus, intercurritur. Nam qui obumbrati, & parati expectant; confestim viâ patefactâ accelerant, portis oppositi reditum excludunt. Tancredus super exclusos irruit, sinè cunctatione aut capiuntur, aut necantur. Perterriti itaque reliqui custodes, & pauciſſimi facti, neque muris, neque sibi confidunt: petunt ultro pacem, Reseranda offerunt claustra, ad ingressum invitant, tuti commercio egressûs. Placet Principi, sicque post labores diutinos quietis domum Antiochiam revisit.

CAP. CXLVII.

Archiepiscopus Mediolanensis cum Comite Pictavienſi contra Danisman superatur. Redimitur Boamundus.

TUnc temporis Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus, Willelmusque Comes Pictavienſis contra Danisman in Romania prœliati, Archiepiscopus interimitur: Comes verò vix Turcorum manus evasit fuga lapsus: tandem verò pauper, inops, nudus ad Ciliciam confugiens, ubi ad Tancredum pervênit, Tancredum invênit. Omnium enim bonorum opulentia cumulatur susceptus, qui omnium suscipitur egenus: exin confortatus ad montem peregrinum transit, illic qui Jerusalem eant, à Comite accipit comitatûm. Ea tempestate Boamundi redemptio sollicitat populum, præcipuè Balduinum Comitem, qui Tancredi præcipuus erat inimicus. Is monendo, spondendo, increpando, Antiochenos pulsat, ut carcerem Boamundo aperiant. Bernardus quoque Patriarcha recens summopere nititur, quasi retribuens, quòd eum de ipso carcere sublimaverit Boamundus: nec Tancredus tamen huic studio obviat, licèt Boamundi redditio prosperitati ejus obviatura videatur. Partim his, partim illis aspernantibus, Boamundus revertitur decem Miriadibus Michelatorum (*) vix redemptus. Reddit ei Tancredus quod acceperat, & quod non acceperat, alterum quidem libens, atque alterum coactus. Laodiciam, Mamistam, Adanam, Tharsum proprio sudore partas reddere cogitur, alioquin catenis, & ferro mancipandus.

Sic

(*) Genus aureorum tunc in publicis commerciis celebre à quodam Imperatore Constantinopolitano Michaële nomine.

Digitized by Google

Sic bonis omnibus, ſocia etiam militia nudato; vix tandem oppidula duo ſupplici ſupplentur.

CAP. CXLVIII.

Bellum movent Aſſyrii Edeſſam circumdant. Prœlium committunt.

INterea bellum movent Aſſyrii, vicinamque infinita multitudine Edeſſam circumdant. Volat Antiochiam rumor: Boamundus opem ferre oratus non differt: tranſit Euphraten, Patriarcha cum eo, & Tancredus, Goſcelinus quoque, qui tunc temporis urbem regebat Mareſium, & ipſe tranſit, ſecum ducens quidquid virium habet. Turci adventu Boamundi audito, Edeſſam dimittunt, abſcedunt paulum Martis avidi, ſed diſſimulantes: ea quippe aſtutia fugam ſimulant, ut fallant adveuas inconſultè ſecuturos: ut hi per nota ad tuta deveniant, illi ad periculum per ignota: ut hi ad panem, illi ad famem: ut hi ad armorum ſupplementa, illi ad detrimenta. Sic paulatim triduo ultra Carras urbem eliciendo, alii fallunt, atque alii falluntur: donec ad flumen Chobar venitur, & tranſitur. Illi urbi belli dilatio Turcis jam ſufficit: fugæ obmiſſa ſimulatione, bellum cient, bellum voce, bellum manu exercent: conſummatum eſſe de noſtris putant, quaſi tranſgreſſis fluvium erepta ſit fugæ libertas, fatigatis ex itinere vires. Nec longè à vero putatum eſt: ſic eſt actum. Chriſtiani ternis agminibus incedebant, Boamundus dextra: ſiniſtra parte, & ſorte Comes Balduinus: ambo inermes, indeparati, improvidi. Tancredus in medio paratus, providus, armatus. Turci antecedebant non longè quaſi prævii, prope habentes excubias, quæ ſtatum omnem Francorum nuntiarent. Lucis quadrans ſupererat, tranſierat dodrans, cùm Franci caſtrametari incœperant in ordine præſcripto. Ergo ubi quis paratus, quis non ab exploratoribus Turci agnoſcunt: repentè converſi, armatum Tancredum declinantes; hinc Boamundi, inde Balduini exercitum perturbant: neutri tegmina induere licet, nudo capite pugnant, & pectore. Antiocheni reſiſtere nituntur; nudi nequeunt, caſtris excedere coguntur. Illic hoſtibus circa ſarcinas, ambitioſamque ſuppellectilem occupatis, noſtri reſpirant: ſerò quà licet, bello ſe aptantes; rerum damno ſalvant corpora: eas amittere lucrifacere vocant.

CAP. CXLIX.

Captivus ducitur Balduinus, & Benedictus Archiepiſcopus, qui à Tancredo liberatur.

AT Edeſſani ſubitò pereunt, nec ſua, nec ſe tueri licet: capitur Balduinus, vinctuſque abducitur; Benedictus quoque infelix Archiepiſcopus captus trahebatur, impoſita humeris geminorum ſarcina clavengorum. Is cùm ante aciem Tancredi duceretur: Tancrede, Tancrede fer opem, exclamat, moveat te miſeri pœna Benedicti. Auditus eſt clamor, atque ubi, cujus eſſet, Marchiſides agnovit: illico incurrit, liberat, ac reducit; liberatum multo reſtituit, propter ſe dicit aſſiſtere, trementem ſolatur, præſente ſe docet nihil eſſe timendum. Dehinc ardenti hoſtes aggredi, veſper obſtat, militiæque dehortatio, noctis viciniam adeſſe objiciens: eadem abjectio Boamundum tenet: placet in craſtinum bellum differre. Interea noctis caligo orbem involvit, diſpoſitis excubiis, Principes corpora dant ſopori: at vulgus, & quos non alebat curia, (*) fugæ invigilant, viſam ſortem viſuros ſe die craſtini formidantes.

CAP. CL.

Chriſtiani fugam capiunt.

OBſtabat fluvius reditui, unum dumtaxat habens vadum, reliqui curſus ripas prominentia ſua impervias, illam quaſi portam unicam obſervabant: ne per eam genti exteritæ refugium patêret. Igitur tentatores fugæ dum pauci ſunt, vado arcentur: ubi multi, nequeunt arceri. Contemnitur edictum Principis, ubi populum conturbat formido mortis: rumpunturque clauſtra prohibita, cùm multiplicatur exundans turba. Sed & alii aliorſum à ripa ad ripam ligna trajecerant, quibus pro ponte utebantur: cuſtodes itaque cedunt coacti, Boamundum excitant, cuſtodiæ vim illatam quæruntur, fugam produnt: Tancredum quoque jam exierat rumor, parant reditum ambo, derelictos ſe à populo conſpicantes. Aliis feſtinare libet, ac præcurrere, Tancredo ſubſequi, ac morari: ipſe pro muro ſecuturis hoſtium telis opponitur, alii fugam maturant: ipſe frænis, alii calcaribus utuntur. Miſertus eſt tamen plebi ſuæ Deus. Turcis fugitur ignaris, illos habebat ſopor altus, dum fuga vigil calles ſuppellectile ornat pretioſa: abjiciunt veſtes, papiliones, vaſa argentea, aureaque, & quidquid grave eſt, fugamque moratur: ipſa etiam vitæ præſidium arma. Imber malè fecerat vias, pulverem in lutum converterat, equi, & pedi lubrico, & caudæ ſarcina tardabantur. Aderat Bernardus Patriarcha, & ipſe cùm fugientibus fugiebat, & mula ejus lutoſa cum tardis tardabatur. Nemo eis inſtabat, inſtantes tamen ſtrictis enſibus, arcubuſque intentis infinitos videre videbatur. Quàm turbatus erat à timore oculus ejus, non minùs interiore exterior! Igitur conſortes fugæ rogans rogat: Audite filii, audite patrem, abſcidite hoc, quod à puppi pendet remigium, non modò curſum non moderans, verùm etiam tenens: Abſcidite, inquam, non erubeſco in tempeſtate hac jumenti tergum premere decurtati, dummodo levati: abſcidite, ſic peccata veſtra Deus abſcidat; ego autem abſciſſoris omnia abſolvo. Multi obſeratis auribus tranſeunt, timor cœcus aures obſerabat, nemimis alium miſerebat, adeò ſua ſinguli affligebantur miſeria: jam rauceſcerat clamando, cùm à milite confuga tandem remedium accipit, remiſſionis tamen præſcriptæ commercio. Abſolvuntur ſcilicet duo in facto uno: miles à noxa, jumentum à cauda: miles dum caudam metit, in benedictionibus ſeminat, metit quoque de benedictionibus: dum ei Patriarcha ore, & corde, & dextra benedicit. Meſſor itaque cùm ſimul & caudam, & benedictionem meſſuiſſet, ad uſque Edeſſam exinde ſociat, cum eo currit, cui facultatem currendi reddiderat ereptam.

CAP.

(*) Hanc Chriſtianorum militum fugam refert etiam Guillelmus Tyrius lib. 11. num. 30. ſed his omnibus circumſtantiis deſtitutam.

CAP. CLI.

Servanda datur Edessa Tancredo. Hostes, captis vicinis oppidis, Arthasium ingrediuntur.

POpulus quoque reliquus illuc conveniunt, & qui primatum obtinebant, postremi. Illic etiam conferunt, quem Balduino debeant creare successorem; qui suæ tantæ molis pondera valeat sustinere. Tancredus eligitur dignus, ipse manet, & regit: Boamundus verò Antiochiam remeat. Igitur divulgato per urbes finitimas Francorum damno, Cylices, Syri, Phœnices exultant, subacti pariter, atque subigendi. Hi metum de corde excutiunt, illi de vertice jugum. Tharsum, Adana, Mamista in jus suum revertuntur, Græcos suscipiunt, nostrates extrudunt. Turci ingrediuntur Arthasium, totam usque pontem Farfar viciniam populantur. Postremò naves Græcæ quammaxima multitudo Laodiciæ portum replent; & ipsæ armis plenæ non minùs fabrilibus, atque bellicis bellum simul gerentes, & fabricam. Cæmento, cæmentariisque advectis, fabricare incipiunt: saxa poscentibus parietinæ abundant, munitur portus, surgit fabrica. Vix Boamundus rumorem acceperat, cùm imperfecti operis spe impulsus, adventans omnia invênit perfecta. Stabat supra portus portam antiqua turris de nomine Sancti Heliæ cognominata, solius interstitio portus à novo opere abjuncta. Hanc quoque muniunt Græci, & castro suo continuant, fabricato arcu super portum, usus gratia inter se ab hac prævii ad illud, & muniminis firmi ad remigium hostile arcendum.

CAP. CLII.

Boamundus revocat Tancredum.

VIdens Boamundus omnia adversari, Antiochiam revertitur, moxque de statu principatus sui in commune tractare disponit. Tancredum revocat, cui cumpartiatur curas, apprimè necessarium: vocatus ille nil pigritans adest, qui nihil umquam pigritando fecit. Habita itaque intra Beati Petri Basilicam concione, Boamundus sic orditur:

Magna opus est, ò proceres, hac in tempestate providentia, quam si negligimus, perimus. Invaluit contra nos gentilitas, vias nobis circum circa obstruxerunt Græci, & Turci: geminas totius orbis opulentissimas exasperavimus potestates; Constantinopolim, & Persida. Oriens nos per terram territat: occidens verò & terra, & mari: nam ut alia omittam, Arthasium hactenus Antiochiæ clypeus fuit, modò arcûs intendit, modò in nos acuit sagittas: nos pauci sumus, & tamen semper de paucis simus pauciores: valde imminutus est numerus noster, ubi unus est amissus Comes Edessanus. Proinde vigilate, considerate attenti, quid in tanto rerum cardine sit agendum: ego, quod sentio, breviter exponam. Expetendæ sunt nobis vires transmarinæ (*), Galliarum populi concitandi, audacia illa aut nos liberabit, aut nulla. Utimini me, me, inquam, hoc in negotio ministro: ego pro salute vestra non recuso laborem, gratissimus est mihi meus ille labor, per quem vobis paretur quies.

(*) *Aliàs* transalpinæ.

In his desiit, & sedet; surgit Tancredus, & ab his incipit:

Prudenter, atque manifestè expositam, ò proceres, audistis tam robur hostium, quàm infirmitatem nostram, originem quoque, ac finem, causas, & remedium. Pulchrè, bene, rectè super his disseruit dominus Princeps noster Boamundus, nec dedignatus est morbo medicinam quærere, se offerre ministrum. Verùm, ò proceres, quorsumnam istud? an in nobis non est, qui mitti possit? nisi is elongetur, qui potiùs longè positus fuerat acclamandus? Circumdante caulas luporum agmine, præsentia pastoris opus est, non absentia: ille præsens periculo se opponit, canes incitat, prædones arcet, gregem liberat, idem, si absit, cessat latratus, crudescit rapina: ipse quiescit, grex dissipatur. Valde, & meritò socordiam meam increpabit auditor, ubi sonuerit Boamundum abiisse, mansisse domi Tancredum. At fortasse in verbo illo tentatus sum: ut quid animi habeam, audito eo, manifestem. Palàm est voluntas mea, non reprimo æstuantem. Hoc pro salute communi periculum mihi expostulo, tutus aggredior, pro munere amplector: utque petitio assensum impetret, coram Deo polliceor sedulitatem in obsequio, celeritatem in reditu; ac ne qua fortè ingenium meum crapula turbet, latice contentus, vinum nesciam, donec reducem me Antiochia excipiat. Subinde etiam fas mihi esto sub iisdem tegulis biduanam agere quietem; ante verò nefas. Hæc meis, si jusseritis, onera libens humeris imponam: gravioribus ultro onerandus; si graviora imposueritis. Objicit Boamundus: Magna res est, de qua agitur, magno volumine tractanda, severæ vix cuiquam personæ impenetrabilis. Proposiți est nostri graves excire potestates: hoc non cuivis hominum contingit, non potest gravia movere, nisi gravis, magno opus est flatu, ut possit quercus alta radicibus evelli. Non audient Tancredum: vix, ah vix, utinam Boamundum audiant, qui ad exilii laborem vocandi, nunc placida composti pace principantur. Quapropter de cætero jam, ne cujuspiam temeritas dispositioni meæ occurrat, ire proposui: non est mutabile, stat fixum, solvendum est votum, quod mea fecit ferro compedita devotio. Absolverunt me Beati Leonardi suffragia, ego votum visitandi eum, aut præmoriar, aut absolvam.

CAP. CLIII.

Boamundus relictâ Tancredo Antiochiâ omnibus destitutâ transfretat.

COnticitum est de cætero, neque ultra à quoquam voluntati Principis obviatum, quoniam quidem notum est in populis proverbium, lex sequitur regem quò vult Rex ducere legem. Paratur ergo navigium, habent remiges paratos denæ biremes, quibus trinæ simplicis remigii sociantur, quas vulgò sandalias vocant. Hoc Boamundus contentus numero, in conspectu classis Pelasgæ transfretat, relictâ Marchisidæ Antiochiâ. Asportatur aurum, argentum, gemmæ, pallia: urbs absque tutelà, absque stipendiis, absque stipendiariis Tancredo relinquitur. Habuisse me veridicos memini relatores, qui in ea penuria illum vini abstinuisse prædicarent, aquæ simplicis hausțu contentum. Dumque vel modico uti Lyæo

pro-

propter ſtomachum blandè moneretur : ſinite me, ajebat, cum abſtinentibus abſtinere, fixum fixi de genimine vitis nolle accipere , donec omnibus ſufficiam dare : abſit , ego crapula diſtendar, commilitones mei inedia marceſcant.

CAP. CLIV.

JAmque ſoles ferè xl. inopia pertingebat , cùm pleno cornu Copia adeſt , aurumque non modicum Cœli pluunt Quidam de civibus , penuriâ Curiæ auditâ , miſericordia motus Tancredum adit, poſtulanſque mercedem ſtatim impetrat , ut penuriam levet , opem ferat. Habet , inquit, urbs iſta centenos cives , ſingulis quorum marſupiis facile eſt aureos effundere millenos . Rogati non tenebunt ; tu Domine roga , ego nomina pateſaciam, quæ roges. Obtemperatur conſilio, nominantur ſcribendi , ſcribuntur vocandi , vocantur rogandi , rogantur intus miſſi . Incuſatur urgens neceſſitas , in quo petitio præſens excuſatur, fulcit excuſatam retributio promiſſa, ut non tam ſub nomine doni, quàm mutui peti videatur: nec reticetur vicina hoſtilitas, non repellenda , niſi armati occurrerint , nec occurſuri , niſi auro intercedente provocati . Tot confluentibus in unum cauſis , demum efficitur, ut præſcriptus aureorum numerus impetretur; quibus receptis Marchiſides confortatus, militiam confortat, jacentem ſuſcitat , inermem armat , ſupplet numerum , qui exciderat , neque donec deficiat aureus, ceſſat augere militarem . Exinde proſtrata reſurgere cœpit Antiochia, & de territa fore terribilis. Arthaſium ſtatim aggreditur , quæ cum aliis matrem infeſtabat, omnium tam acerbiſſima , quàm proxima Syrorum . Hanc igitur primam Tancredus circumdat, ad cujus ictus vix ſtant turres ſilicibus concuſſæ: quod audiens Raduanus (*) Kalepti rex cum XXX. millibus accurrit adverſus paucitatem in multitudine confidens : Arthaſienſes quoque illi ſe jungunt , omnes adverſus Antiochiam .

CAP. CLV.

Tancredus Arthaſio Raduanum expellit.

ERat media inter eos planities ſcopuloſa , per quam utcumque caballis ire , currere verò omnino non licebat: vel ſi quando ad curſum quiſpiam cogeretur, nec pedem ungula, nec ungulam ferrum tueri poterat, quin cautes aſpera calcem permoleret equinam, equus, atque eques ruerent proſtrati: Tancredus, ea re cognita , paululum ſecedit , illuc hoſtibus permittit accedere, quà loci difficultas fugam remoretur, quod Raduanus aut negligens, aut ignorans, hàc militiam impetit Chriſtianam: illa tamquam torpida loco manet , ſuſtinet , donec lancea ſuum habeat tempus . Jamque prætergreſſis loca aſpera Turcis, Tancredus quaſi à ſomno excitatus in mediis fulminat : illi facilè terga vertunt, ſperantes, ut eſt moris , fugiendo gyrare , gyrando ſagittare . Deluſæ ſunt autem eorũ ſpes, & artes, deluſerunt eas lancea , & via : altera urgens, altera curſus impatiens: hæc tergum fodit, illa gradum ſiſtit . Inutiles igitur equi , pharetræ, & arcus abjiciuntur, confiditur pedibus propriis, ubi diffiditur alienis, ſuis quantum licet uruntur : humani ſunt , mallent eſſe cervinos : ne tamen nihil egerit Raduanus, paucos Chriſtiani nominis ſagittavit, reliquam operam dedit fugæ ; ſagittarii ejus, pars evadit ſaucia, nonnulli cæſi proſternuntur.

CAP. CLVI.

Antiochiam victor revertitur . Apamiam circumdat .

VIctor itaque Tancredus Arthaſium recipit : eâ munitâ Antiochiam revertitur: confortata ſpoliis infidelium fides, immo quaſi à mortuis reſurgens expergiſcitur , renovato Principe gaudet fortunam renovari : ipſe etiam accipitri conformandus , cui negatâ diu volandi licentiâ , longus carcer animos tabefecit ; eâ demum redditâ, ſi miſſi ad rapinam primos impetus fortuna juverit , in deſiderio ſunt ſecundi , viſaque gruum caterva , tenentem vexat, opportunè , importunè ſupervolitans . Ardore pari Tancredus inflammatur , ubi nactus victoriam , ſpoliis Calepti diteſcit. Jamque Laodiciam novam aggreſſurus, monetur veterem multiplicatis bellatoribus fulcire: Ipſe Apamiam reliquo exercitu circumſepiat ; factumque eſt ita . Rependit Tancredus Græcis vicem , qui caſtrum caſtro oppoſuerant, nunc contra ipſe Caſtrenſibus Caſtrenſes obfirmat : Apamiam verò non plurimo, ſed ſtrenuo milite circumdat , quaſi morti addicto, & ipſe addictus . Prope Syſara , prope Haman , prope Raphania , prope alia complura tam oppida, quàm urbes, omnia minis plena , & hoſte fremiſcunt . Obſident ergo Chriſtiani urbem unam , Chriſtianos verò urbes multæ : annonam qui quærere egent , nequeunt, niſi bipartito exercitu ; pars altera maneat , altera exeat : ſic diviſi periculum declinant , quod vix ſufficiant congregati . Deo ſunt hæc aſcribenda , non viribus humanis: palàm pro Chriſtianis Chriſtus dimicat.

CAP. CLVII.

Summa Laodicenſium neceſſitas.

NUntiatumque ei de Laodicenſium ſuorum penuria , quòd data paſcendis ipſis alimenta defectum minarentur : in proximo aut ingreſſuram fore Cererem , aut egreſſuram manum bellatricem. Ingreſſum autem prohibebat magnus hoſtium numerus, qui per compita inſomnes excubabant . Turbatus nuncio Princeps (noverat enim , quia ſola fames urbes aſſerit , neſcit plebes jejuna timere) in partes varias animum fundit : anne habendum poſtponat habito, an habitum habendo . Durum eſt multùm labore partam Laodiciam abdicere , grave Apamiam ex facili parandam dimittere: nam quaſi impoſſibile conſtat eſſe, ut & hoc faciat , & illud non omittat . At virtus , quæ ſola res impoſſibiles ad poſſibilitatem redigit , virum confortat : monet petentibus opem curſim ſuccurrere , manſuros ad Caſtrorum regimen milites ſic hortari : Eja, Chriſti Martyres! parate fundi , atque fundere pro eo ſanguis, conſtantes eſtote: bene cœpiſtis, bene conſummate: non vos terreat paucitas veſtra , non eſt victoria in numero , ſed in Dei virtute (**).

(*) VVilhelmo Tyrenſi dicitur Roduanus.

(**) Ita definit Hiſtoria Radulfi ; quis autem fuerit tanti diſcriminis eventus , paucis his verbis refert Fulcherius Carnotenſis lib. 2. hiſtoriæ „ Jeroſolymitanæ ad annum MCV. Tancredus „ autem, ait, non in multa gente, ſed in Do„ mino ſpei ſuæ figens anchoram , aciebus ſuis „ bene compoſitis , contra hoſtes illos incun„ ctanter equitavit. Quid longiùs morer ? Au„ dacter ante Arthaſium in eos irruit , & Deo „ ſuffragante , illi protinus pavore circumfuſi „ dorſa fugæ dederunt . Fugerunt , & fugati „ ſunt: qui fugere non potuit , nec mortem „ evaſit . De interemptis non fuit numerus. „ De equis eorum plures habuit Tancredus. „ Signum quoque regis fugitivi retinuit , &c.

Finiunt Geſta Tancredi Principis.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
MATHILDIS COMITISSÆ,
CELEBERRIMÆ PRINCIPIS ITALIÆ,

CARMINE SCRIPTA

A DONIZONE

PRESBYTERO, ET MONACHO CANUSINO
ORDINIS SANCTI BENEDICTI,

Cum Codicibus MStis nuper collata, & in præsenti editione
castigatior, multisque versibus aucta.

ACCEDUNT BREVES NOTÆ

GODEFRIDI GUILIELMI LEIBNITII,

E T

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Item Chartula Comitissæ Mathildis super concessione bonorum
suorum facta Romanæ Ecclesiæ.

Pariter Relatio de Thesauro Canusine Ecclesie Romam transmisso,
& recompensatione facta.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN DONIZONIS POEMA DE VITA COMITISSAE MATHILDIS.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ANno Christi 1046. ex Bonifacio Duce, & Marchione Tusciae, atque ex Beatrice Lotharingica, nata est inclyta Princeps Comitissa Mathildis; Anno autem 1115. e vivis sublata. Femina cum animi virtutibus, tum rebus gestis, ac amplitudine ditionum celeberrima, atque Italiae, ac aevi sui nobilissimum decus. Ejus Vitam ex professo literis consignarunt Benedictus Luchinus, Dominicus Mellinus, Felix Contelorius, & Julius de Puteo. At praecipue hanc Historiae partem exornarunt Viri duo non minus eruditione, quam judicio subacto Clarissimi, nempe Franciscus Maria Florentinius in Monumentis Comitissae Mathildis Italice scriptis, & Benedictus Bacchinius Sancti Petri Mutinensis Abbas Ordinis Casinensis, in Historia Italica Monasterii Padolironensis. Singulis tamen hisce Scriptoribus facem praetulit, imo pleraque ex gestis Comitissae Mathildis suppeditavit unus Donizo, qui & praesens vidit, & versibus expressit praeclara fortissimae illius mulieris acta. Certe si tempus, uti tot alios, hunc etiam nobis Scriptorem eripuisset, mutilam minus, ac non levibus tenebris obsitam haberemus Mathildis, ejusque Progenitorum Historiam. Progenitorum, inquam, nam & ab his suam ille narrationem exorditur, & de iis multa habet, quae alibi frustra conquirerentur. Rudi sane, atque incomposito stilo, & Poësi omni poëtico colore destituta, rem ille suam peregit, ut proculdubio barbarum Scriptorem, ac ferreum, continuo clames. Verum quod illi inelegantia stili defuit, veritatis amor, & quaedam sinceritatis imago satis supplevit. Accedit, quod eorum, quae refert, Mathildis aetate peracta, & testis ipse fuit. Nam, ut mittam, vulgo credi, ipsum Capellani munere apud eamdem Comitissam functum, quod quibus tabulis affirmetur, non video, imo etiam falsum arbitror, certe is ipsa vivente haec scripsit, & rerum gnarus esse potuit, quippe proximus, & carus Mathildi. Canusium vero, sive Canossam, nempe fortissimum, ac celeberrimum illud Regiensis agri Castrum, quod carum prae reliquis cum ipsa Comitissa, tum illius Majores habuerunt, Donizo noster ubique memorat, ubique laudat, imo & loquens nobis exhibet; ibi enim Donizo jam *per quinque lustra* habitarat, quum haec contexenda sumsit.

Poëma autem suum, vivente ipsa Mathilde, contexuerat Donizo, eique dicare statuerat; quum ecce mors piissimam Principem e vivis aufert. Hinc additum a Poëta postremum Caput Operi suo *de insigni obitu memorandae Comitissae Mathildis*; postquam Librum ipsum concluserat Capite praecedenti, cujus est titulus: *Quod erga Dei cultum* &c. In hoc igitur penultimo Capite (quod pauci fortasse huc usque animadverterunt) expressit Donizo per Acrostichum, hoc est literis initialibus versuum, nomen, ac officium suum, his etiam verbis Lectorem de hoc ipso monens.

Officium dictant nostrum metra nomen & ista.

Ita se habet Acrostichus ille

Presbyter hunc Librum fincit, Monachusque Donizo.

Ubi *fincit* idem est, ac *finxit*, quum nomen *Christi* per abbreviationem *XPI* scripsisset. Simul autem ex his intelligas, quare *Donizonem* ego appellare malim, quam *Domnizonem*, ut reliqui faciunt. Alterum quoque Acrostichum nobis reliquit hic Scriptor in Prologo, ex cujus initialibus literis conficiuntur hi duo versus.

Filia Mathildis Bonefacii, Beatricis,
Nunc Ancilla Dei, Filia digna Petri.

Et postremo versu de hoc lusu monitos nos voluit scribens:

Ipsius hi versus dant nomen, dantque parentum.

Sed ut redeam ad Acrostichum priorem, per ipsum edocemur, Donizonem non solum *Sacerdotem* fuisse, sed & *Monachum*. In Canusino Monasterio proculdubio is vixit, quod ex ejus Epistola Dedicatoria satis elucet. Et quidem eo teste Lib. I. Cap. 17 novimus *Fraxinorense Monasterium* in montibus Mutinensibus ab ipsa Mathilde, ejusque Matre Beatrice, fuisse aedificatum; ac praeterea *Canusinum*, data nempe Monachis Ecclesia, quam antea unus Praepositus cum XII. Clericis, sive Canonicis, administrabat.

Canusinae quoque Sanctae
Ecclesiae nomen mutaverunt, & honorem
In melius, dudum cui Praepositus unus,
Usus cum Cleris non nisi tantum duodenis
Deservire quidem. Nunc Abbas servit ibidem
Cum Monachis Christo multis famulantibus ille.

Digitized by Google

Itaque in illo ipso Monasterio sub Sancti Benedicti Regula militasse Donizonem, statuendum omnino est. Id quod Clariss. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad Ann. 1115. minime advertit; imo *Ecclesiam S. Caesarii* in Agro Matinensi sitam, & Mathildis tempore a Canonicis Regularibus administratam, confudit cum *Canusino* Benedictinorum Monasterio, in Regiensi sito, scribens, multa beneficia a Mathilde Bondeni aegrotante postremis vitae suae diebus *Ecclesiae Sancti Caesarii Canonicorum Regularium apud Canossam* fuisse collata.

Donizonis Liber primum editus fuit a Sebastiano Tegnagelio Bibliothecario Caesareo, sive a Jacobo Gretserio Soc. Jesu, Ingolstadii Ann. Christi 1612. inter *Vetera monumenta contra Schismaticos* ab ipso collecta. Ad eam editionem usus est Tegnagelius Apographo ad se Roma misso. Tum Cl. Vir. Godefridus Guilielmus Leibnitius in insigni Opere *Scriptor. Brunsvic. illustrant.* Tom. I. pag. 629. alteram ejusdem Poëmatis editionem Anno 1707. nobis dedit, praecedenti sane accuratiorem; nam & antiquissimus Codex Romanus olim Sirleti Cardinalis cum edito collatus subsidium eidem tulit, & Vaticanae Bibliothecae Custos Zaccagnius nova collatione ipsum juvit. Prodibit nunc iterum, opera quoque mea, illud idem Donizonis Poëma; atque ut elimatius, & comtius prodeat, ego etiam curam omnem attuli. Nec inutili fortasse studio, atque labore. Nam & Doctissimus P. Bacchinius, magna Literarum jactura anno 1721. nobis à morte ereptus, Donizonis Apographum è Padolironensis Bibliothecae antiquo Codice MSto desumtum mihi commodavit; & quod plus est, alterum pervetustum Codicem MStum summa comitate mihi utendum dedit Marchio Cajetanus de Canossa, Vir Nobilitate generis in civitate Regiensi inter primos conspicuus, utpote cujus Majores Canossam ipsam ab Imperatoribus, paucis post Comitissae Mathildis mortem annis, in feudum receperunt, & per aliquot Secula retinuerunt, ut certa adhuc monumenta testantur. Utrumque Codicem cum editis contuli; & nunc quid in Regiensi potissimum observatione dignum compererim, monendi sunt Lectores.

Ex characterum forma mihi visus est Godex ille scriptus ante quadringentos annos. Occurrebant primo figurae Mathildis, & Donizonis, eidem offerentis Librum cum hoc versu:

Mathildis lucens, precor, hoc cape cara volumen.

Similem effigiem, minio pictam, & ex Donizonis Opere MSto expressam, in aes incidi fecit Dominicus Mellinus, & rursus Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Ann. 1115. Verum, si quid sapio, haec nihili facienda sunt, quippe unico Amanuensium, aut Pictorum ingenio serius excogitata, & nihil exprimentia germanam Mathildis imaginem. Quam etiam opinionem mihi altius persuasit Donizonis ipsius effigies, quae Laicum fortasse, certe numquam Monachum exhibet, qualis ipse fuit. In Regiensi Codice Cap. II. conspiciuntur figurae Regis stantis, ac porrigentis unam capsulam Presbytero, in qua scriptum est: *Corpus Sanctae Coronae.* Duo Clerici tenent alteram capsulam, ubi scriptum legitur: *Corpus Sancti Victoris.* Adstat Regi Atto militis habitu cum ense, & caputio. Supra legitur:

Corpora Sanctorum Rex Attoni dedit horum.

Sequuntur aliae figurae cum hoc versu:

Membra secat Sancti Godefridus, dans ea patri.

Ante Cap. VIII. occurrit effigies Bonifacii, hoc sociata versiculo:

Te redimat Sother Bonifaci Marchio, Duxque;

Ante Cap. X. Beatricis effigies habetur, suppositio hoc versu:

Det Deus in claris cameris te stare, Beatrix.

Praeponuntur Capiti I. Lib. II. effigies Mathildis, Hugonis Abbatis Cluniacensis, & Henrici Regis in genua procumbentis ante ipsam Mathildem, cum hac epigraphe:

Rex rogat Abbatem, Mathildim supplicat atque.

Tamdem ad calcem Libri haec ab Amanuensi adjecta leguntur.

Lector amore Dei saepe memento mei.
Finito Libro, referatur gratia Christo.
Scriptori Libri donetur gratia Christi,
Nomine qui dicitur Zanelinus, atque vocatur
A notis cunctis, parentibus, ejus amicis,
Quos diligit vere cupiens omnibusque parere
Juxta posse suum diligit ardenter amicum,
Quem sibi fidelem noscit ac esse patentem.

Igitur ex hisce Codicibus intellexi, non paucos Donizonis versus desiderari in editis Libris, ac potissimum Lib. I. in fine Cap. VII. & initio VIII. ubi habetur *Urbana altercatio inter Canossam, & Mantuam, de corpore Ducis, & Marchionis Bonifacii.* In hac igitur editione restituti sunt LXVIII. versus, qui typis editi nondum fuerant. Ad haec nonnullas variantes lectiones inde excerpsi, quae lucem aliquam, subobscuro Scriptori afferent.

Editioni autem suae Leibnitius subdidit ex Lucensi Codice olim Cl. V. Franciscì Mariae Florentinii alteram *Mathildis Vitam prosa contextam*, quam & mihi retinere placuit in hac nostra, quippe quae non inutilis visa est ad facilius capiendam aliquo in loco Donizonis mentem. Neque enim aliud haec Vita est, quam ipsum Donizonis Poëma compendiose prosa oratione expressum. Non dissimilem *Vitam*, ab alio tamen Scriptore, diversisque verbis, ejusdem Donizonis Poëmate similiter breviato, compositam, habet laudatus Codex Regiensis. Hanc mihi descripsi, sed in publicum efferre animus non fuit, ne superflua merce chartam onerarem, atque Lectores. Ceterum Vita haec MSta me docuit, *Altercationem inter Canossam, & Mantuam*, quam nunc pluribus versibus auctam, ut supra innui, typis dabo, non esse collocandam Lib. I. Cap. VII. aut VIII. ut in editis, sed quidem ante Cap. XVII. ejusdem Libri; quod & ipsa rerum series indicabat, quum ibi de Bonifacio Duce jam mortuo agatur. Et fortasse excidit eo in loco aliquis Donizonis versus e MStis, quippe in eadem Vita haec leguntur: *Qui* (Bonifacius) *dum ire vellet ultra mare, & paravisset naves juxta praeceptum dicti Domni Abbatis, mortuus, & sepultus fuit in Civitate Mantuae inter Sanctum Petrum, & Paulum, & Ecclesia ibi aedificata fuit in honorem ejusdem. ut sacra Mysteria pro eo fierent. Et maxima altercatio inter Mantuam, & Canossam orta est.*

Digitized by Google

est. Nam Canossa dicebat, quod debebat habere corpus dicti Bonifacii, cum haberet Majores; Mantua vero se defendebat, quia major erat. In Donizonis Poëmate nihil nunc de Ecclesia illa, ubi sepultus fuit Mathildis Pater Dux Bonifacius. *Altercationem* ergo illam suo loco in praesenti editione restituam.

In fine vero hujus Vitae habetur narratio mortis Bonifacii ejusdem, cujus initium est: *Ad veram autem Historiam dicitur de morte Bonifacii Patris Comitissae, quod dum ipse offendisset quemdam de Campitello, nomine Scarpetam de Canevariis, ipse Scarpeta accepit arcum, & sagittas toxicatas, & dum ipse Marchio Bonifacius iivisset venatum in quodam nemore ultra Olium in partibus Sancti Martini de Arzino Episcopatus Cremonae, a dicto Scarpeta post quamdam quercum, sive roborem, quae adhuc dicitur ibi tunc fuisse, cum ipse quasi per quemdam monticulum ascenderet, cum sagitta, & arcu post dictam quercum percussit Dominum Marchionem, stans cum uno genu flexo in terra, & faciens plures passus; & ibidem adhuc apparent vestigia, & pedicae in loco praedicto ab eo, quod dicitur quod numquam ibi nascatur herba; & si destruantur dictae pedicae, sive vestigia, dicitur, quod altera die adhuc apparent, sicut prius apparebant. Nec in praedicto loco ex postea aliquod cultum fuit; sed adhuc ista quercus stat, & postea stetit.* Monumentum hoc causam Pignae, & Sigonio dedit scribendi, Principem illum, dum venationi operam daret *in partibus Sancti Martini de Arzino Episcopatus Cremonae*, a quodam Scarpeta de Canevariis proditorie occisum fuisse. Ejusmodi narrationem tamquam fabellam explodit Clariss. Bacchinius in Hist. Monast. Padoliron. pag. 48. Ego vero Hermanni Contracti, & Arnulphi Mediolanensis testimonio fretus, non omnino negandam fidem ejusmodi narrationi reor; constat enim, Bonifacium ex insidiis a proditoribus in silva interemtum. Alterum quoque monumentum de fundatione Ecclesiae, & Monasterii Sancti Andreae in Civitate Mantuana, subditur in eadem Vita MSta, quod uti minime contemnendum huc inferre statui, Lectorumque judicio dimittere. Ita vero se habet: *De Beatrice ad veram Historiam dicitur, quod habuit Damicellum, nomine Adelbertum, qui Damicellus, sicut Domino placuit, factus est cœcus, & amisit visum, & vitam condignam faciebat jejunando, & vigilando, & poenitentiam magnam faciendo. Et ubi est modo Ecclesia S. Andreae in Civitate Mantuae, erat hospitale novum, & parvum ad nomen B. Andreae Apostoli factum. Cui Adelberto tempore dictae Beatricis apparuit de nocte in somnis S. Andreas, dicens: O Adelberte vade ad Comitissam, & dic ei, quod ego dixi tibi, ut faceret fodi in tali loco, qui erat prope Ecclesiam, ubi erat Corpus B. Longini Martyris, qui lancea percusserat latus Domini, & inde exhausserat sanguinem, & aquam, & ibi in duobus vasis recondita sunt praedicta, scilicet sanguis, & aqua, quae fluxerunt de Corpore Jesu Christi: quod & fecit. Dicta vero Ducatrix, sive Comitissa, dixit: Adelberte, si hoc verum non erit, faciam te flagellis caedi; & flagellatus fuit dictus Adelbertus. Iterum secundo apparuit B. Andreas dicto Adelberto, dicens ei, ut praedixerat. Qui Adelbertus dixit hoc Comitissae, & non inventum est, & flagellatus est. Iterum tertio apparuit B. Andreas, confortans eum, quod adhuc suaderet Comitissae, quod fodi faceret, quod & fecit conditione praedicta. Tamdem praesentibus pluribus Episcopis inventus fuit sanguis, & aqua, quae fluxerant de Corpore Christi, & Corpus B. Longini, quod corpus reconditum fuit in archa pulchra in dicta Ecclesia. Sanguis vero, & aqua cum vasculis recondita fuerunt in Confessione dictae Ecclesiae, & adhuc sunt. Propter quod dicta Ecclesia, quae prius fuerat Hospitale parvum, facta est Monasterium magnum, & nobile, & ibidem Abbas cum Monachis cantantes divinas, nocturnasque laudes stant; & dicta Ecclesia facta fuit, sicut modo est, magna, & pulchra, & lata, & dotata fuit per dictam Beatricem, & per Matildim ejus filiam, quasi de omnibus, quae habet inter Padum, & Lacum, & de tota Curia Fornicatae. Ob quorum reverentiam infinitae nationes tam Ultramontanorum, quam Alamannorum etiam, Lombardorum, & Tuscorum, & diversarum nationum solebant venire propter dictam devotionem ad Civitatem Mantuae tempore Ascensionis Domini, & ibi multa donaria faciebant; & in Civitate Mantuae jejunabatur dicta Hebdomada usque ad diem Jovis, licet per Romanam Ecclesiam nulla Vigilia, sive jejunium fiat inter utrumque Pascha.*

Haec est recordatio Marchionis Theodaldi, quando obiit, currebat MVII. Indict. V.

Item Bonifacius Marchio vixit post mortem Theodaldi patris ejus XLV. annis, & quando obiit currebat MLII Indict. V.

Item Comitissa Matildis vixit post mortem Bonifacii Marchionis patris ejus LXIII. annis. Quando obiit, currebat MCXV. Indict. XIII.

Praeter haec in duobus Codicibus MStis Bibliothecae Estensis duae aliae Mathildis Vitæ habentur, eaeque itidem ex Donizone breviato deductae. Prima inscribitur: *Historia Omnium Nobilium, & Antecessorum, de quorum prosapia fuit Comitissa Matildis* &c. Capitis Primi tale est exordium: *Comes Sigefredus venit de Comitatu Lucensium in Episcopatu Regino cum tribus filiis* &c. In altero Codice legitur: *Incipit Historia Sanctae memoriae Ducatricis, & Comitissae Matildis, & omnium suorum praedecessorum.* Tum minio conscripta haec nota habetur: *Nota, quod istam Legendam scripsit quidam Monachus de Canosa metrice: unde consideravi versus, & seriem ejus Historiae accepi breviter, resecatis multis superfluis. In Prologo suo sic procedit. Primo dicit, quod acta, & gesta Indianorum* &c. Ibi vero in fine leguntur duae Orationes, quas composuit *Venerabilis Antistes Sanctus Anselmus ad consolationem Dominae Comitissae Matildis.* Neque praetereundum videtur, jam ante duo Secula Historiam *de Rebus gestis Comitissae Matildis, ejusque Majorum* Latino stilo, eoque eleganti, contextam fuisse a *Baptista Panetio* Ferrarienſi Carmelita, qui circiter Annum Chr. 1490. floruit, & Ferrarienſem quoque Historiam posteris pollicebatur. E MSto Codice, quem Patres Soc. Jesu Collegii Mutinensis servant, Vitam hanc descripseram ego, atque edere meditabar. Abstinui tamen, timore ductus, ne post Matildis Historiam a recentioribus accuratiori sane studio elucubratam haec aut superflua, aut manca videretur. Ceterum Panetius, qui in fronte Libri *Elimatissimus Historicus, & Scriptor luculentus* appellatur, sub oculis habuit & ipse Donizonis Poëma, illudque integrum in suum Librum derivavit, sed tacito nomine Scriptoris, per quem tantum profecerat. Quod silentium nemo, ut arbitror, laudabit, aut feret, uti neque illorum, qui vetusti alicujus Scriptoris scriniis expilatis, sperarunt, eo deperdito, imo & per summam imprcbitatem e medio sublato, sua in posterum unice legenda & conquirenda.

Et

Digitized by Google

Et haec quidem habui, quae de Donizone, ejuſque Poëmate, commentarer. An alia ille nobis ex ingenio ſuo reliquerit, percontabitur Lector. Ego unum indicabo. In laudato Codice MSto Regienſi habetur etiam *Enarratio Geneſis* hexametris, & pentametris verſibus ab ipſo Donizone compoſita, cujus rei teſtis eſt verſus iſte in fronte poſitus:

Haec Geneſis fictio (lego *finxit*) *gratanter metra Donizo.*

Ita vero exorditur:

Principium rerum ſtruxit Sapientia Cœlum.
Primitus omne ſolum condidit atque polum.
Senos perque dies haec ornat maxime dicens:
Aſtra micent plura, Luna ſit aſtra fugans, &c.

Completur totum Opus verſibus 368. quos deſcribere animus non fuit, nihil enim exhibebant, quod oculos Lectorum allicere umquam poſſit. In calce *Enarrationis* leguntur hi verſus:

Haec pinxit certus Lucenſis pictor Ubertus.
Ecce Dei magnus miſeros qui protegit agnos;
Sacra Dei dextra benedic nox intus, & extra.
Pando Petrus portas, &c.
Scriptori Libri tribuantur gratiae Chriſti.

In margine autem Codicis, ubi narratur mors Beatricis Duciſſae, haec adnotantur de ejus ſepulcro.

Verſus tumuli apud Piſas.
Quamvis peccatrix ſum Domna vocata Beatrix.
In tumulo miſſa, quamquam fuerim Comitiſſa.
Quilibet ergo Pater Noſter det pro mea anima ter.

Tu vide Florentinium, Lib. 2. pag. 161. Vitae Mathildis.

Ex ſubjectis Leibnitii Notulis, quas retinui, facem interdum accipiet Lector inter tenebras a Poëta offuſas. In eum finem meas & ego addidi breves Notas. Qui vero plura optet, memoratas Mathildis Vitas, atque Eccleſiaſticam Hiſtoriam conſulat, ubi multa fuſius enarrata inveniet, quæ heic minime repetenda cenſui.

LEIBNITII MONITUM.

MAthildis, filia Bonifacii Ducis, & Marchionis Thuſciæ, & Beatricis Friderico Lotheringiæ Moſſellanicæ Duce natæ, magnarum in Italia ditionum hæres, cum matre Pontifici Romano Gregorio VII. contra Imperatorem Henricum IV. favit. Et quoniam Guelfus noſter, Azonis filius Bavariæ Dux, ab Imperatore receſſerat, ei fœdere juncta, etiam filio ejus primogenito Guelfo nupſit; à quo tamen poſtremò rurſus divertit. In Tabulis pacti matrimonialis dotalibus lex ſcripta erat, ut ſi ſuperſtes maritus eſſet, ditiones conjugis haberet. Eo ex capite poſtea Guelfi Ducis poſteri, Henricus, & Guelfus, ſub Lothario Saxone Auguſto, vindicavere ſibi, & auctoritate Cæſaris crevere hæreditatem, quam antea Henricus V. Lotharii anteceſſor ſibi uſurparat. Guelfus, qui ſe Ducem Spoleti ac Tuſciæ, ac Dominum domus Mathildis appellabat in diplomatibus, has Regiones in ſenectutem uſque tenuit, & tandem neglecto Henrico Leone fratris filio, Imperatori Friderico I. ejus hoſti, acceptâ pecuniâ, ceſſit, qui Philippo filio, Duci Sueviæ, poſtea Regi Romanorum dedit. Hoc occiſo, cùm Pontifex Innocentius III. Ottonem IV. coronaſſet, terras Mathildis ex ejus teſtamento Romanæ Eccleſiæ vindicabat, Otto & Imperii, & majorum jura opponebat, negabatque Mathildem teſtamento ſuo auferre his quicquam potuiſſe. Inde Pontificem hoſtem magno ſuo malo ſenſit, qui æmulum ipſi oppoſuit Fridericum II. Neapolis, & Siciliæ Regem, Henrici IV. Imperatoris filium adoleſcentem. Ex eo Mathildis hæreditas pro bona parte in Romanæ Eccleſiæ poteſtate fuit.

Ipſa magnis in Eccleſias largitionibus non minus, quàm rebus viriliter geſtis famam, & Scriptores promeruit. Domnizo, vel Donizo ejus Capellanus, arcis Canuſinæ Eccleſiaſtes, vitam adhuc viventis carmine ſcripſit, quale tempora ferebant, & conſtituerat dicare Principi ſuæ. Itaque in antiquo Vaticano Codice pinguntur, ipſe habitu offerentis, Mathilda in throno ſpecie accipientis. Sed antequam opus ad umbilicum perduceretur, obiit inclyta Princeps. Ex recentioribus vitam ejus ſcripſit Dominus Mellinus, mox curatiùs quædam notavit Felix Contelorius, Romæ ſub Urbano Octavo ſcriniis præfectus. Sed omnium diligentiam, & ſtudium vicit vir egregius Franciſcus Maria Florentinius, apud Lucenſes Medicus, qui patriæ ſuæ aſſerens hujus Principis originem, res ejus majorumque tradidit ex fide diplomatum, auctorumque temporibus vicinorum. Hunc ſecutus non ſpernendus ingenio, & eloquentia, ſed inferior Hiſtoricæ narrationis firmitate Julius de Puteo. Noviſſimè vir multiplicis doctrinæ ex Benedictina Familia, Benedictus Bacchinus, in libro de celeberrimo Monaſterio Sancti Benedicti ad Padolironem, quod à majoribus Mathildis fundatum, ab ipſa ditatum eſt, res Mathildis novis auxiliis ex Tabulis illuſtravit. Cùm in eo Monaſterio ipſa ſepulta fuiſſet, multis poſt ſeculis corpus Urbani VIII. juſſu clam ſublatum, Romamque translatum eſt, ubi inſigne tumuli monumentum in Baſilica Vaticana accepit, Duce Mantuano, qui violatum territorium querebatur, quantumvis indignante.

Porrò Domnizonis Presbyteri vitam Mathildæ ex Apographo Roma miſſo primus edidit Sebaſtianus Tegnagelius Bibliothecarius Cæſareus, vel qui ſuccenturiatam huic in ea re operam navavit Jacobus Gretſerus Ingolſtadii 1612. in opere, quod inſcriptum eſt: *vetera monumenta contra Schiſmaticos, jam olim pro Gregorio VII. aliiſque nonnullis Pontificibus Romanis conſcripta*; quod Goldaſto potiſſimum oppoſitum erat. Sed cùm poſtea Romæ inquiſiſſem, deprehendi Apographum illum ſumtum ex recentiore Codice, non ex antiquiſſimo, qui tunc nondum erat in Vaticana, ſed Cardinalis Sirleti Bibliotheca. Hunc ergo contuli cum edito, ejuſque ope multa reſtitui. Nova etiam collatione me nuper juvit V. Cl. Laurentius de Zaccagnis, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos primus. Nonnulla ex rebus ipſis emendavi, ut jam vix ampliùs quicquam in ſemibarbaro; & impeditiſſimo Scriptore fugiat legentem, cùm antea multa nullum ſenſum haberent. Figuras ex eodem Codice à Pictore ad normam prototypi reddi curavi. Sed hîc non adjeci; quæ alio loco non intempeſtivè exhibebuntur. Notulas ſubinde aſperſi ſenſus declarandi cauſa. Adjeci & Cartulam Comitiſſæ Mathildis ſuper conceſſione bonorum ſuorum, facta Romanæ Eccleſiæ, quæ in eodem Codice aſcripta reperitur; neque ſcio, an ejus authenticum exemplar alibi habeatur, &c. Cæterùm, ut, quod Guilielmo Apulo dedimus, etiam Domnizoni præſtaremus, ideſt, ut argumentum operis exhiberemus, eò minus opus fuit, quòd vicem ejus præſtabit ſubjecta eidem *vita Matbildis proſa ſcripta* ab Auctore Anonymo, non recentiſſimo tamen; quem, à Franciſco Maria Florentinio aliquoties ex Manuſcripto laudatum, ſuppeditavit nobis filius ejus Maria Florentinius, vir doctiſſimus, & officioſiſſimus paternarumque laudum hæres; nam hæc vita ferè ex Donnizone deſumta eſt.

VITA

Digitized by Google

Anton. Cricchini inu. et del. Io: Bapta Sintes sculp.

VITA MATHILDIS,

CELEBERRIMÆ PRINCIPIS ITALIÆ

CARMINE SCRIPTA

A DONIZONE PRESBYTERO,

QUI IN ARCE CANUSINA APUD IPSAM VIXIT.

Acceſſit Chartula Comitiſſæ Mathildis ſuper conceſſione bonorum ſuorum facta Romanæ Eccleſiæ.

Item Relatio de Theſauro Canuſinæ Eccleſiæ Romam tranſmiſſo, & recompenſatione facta.

INCIPIT EPISTOLA.

Unificentiſſimę atque Dei gratia Invictiſſimę inter Orthodoxarum (1) Choro aſſociādæ Mathildi, infimus omniū Presbyterorū Donizo, piis meritis quicquid valet humanitus, & quicquid eſt ſibi divinitus.

Cùm ad clarorum Principum Mauſoleum (2) jam per quinque luſtra reſideret humilitas (3) nullamque ex eis videret memoriam, quod apicum commendaret perpetuitas, accidit quando nuper veſtri honoris ſublimitas (4) Canoſſam deduci arcas juſſit marmoreas ad tumulandum digniùs eorum corpora, ut ea, quæ ex eis, à ſenibus, & veracioribus noſtris temporibus (5) viris noſtra audierat parvitas, ferventi zelo, carmine heroico, noſtra tentaverit (6) caraxare imperitia; ne tantorum heroum laterent acta fortia & illuſtriſſima, quod ad effectum perduximus Chriſti adminiculante benevolentia.

Et quia, largiente Superno opifice, vos eis imparem in nulla eſſe gratia, ad totius Re-

(1) Non legitur hæc Epiſtola in Codicibus MSS., quibus ſum uſus. Heic reſtituerem *mulierum Orthodoxarum*, aut quid ſimile. *Muratorius*.

(2) Ad Canoſſam ſcilicet, ubi in Templo Sancti Apollonii repoſita erant corpora Avorum Comitiſſæ Mathildis. Atque heic animadverte, Donizonem jam per *quinque luſtra* militaſſe in Monaſterio Canuſino, quum hæc ſcribenda ſuſcepit anno 1114. aut etiam antea. *Mur. Tom. V.*

(3) Scribe: *mea reſideret humilitas*. Mur.

(4) Canuſium. *Leibnitius*.

(5) Scribe *noſtrorum temporum*. Librarii, plerumque rudes & indocti, minimè aſſequuntur compendia verborum in MSS. Codicibus. Hinc ejuſmodi errores interdum in editis. *Mur.*

(6) Charaxare, exarare, conſcribere (*in antiquo Cod. Vaticano eſt* caracare) *Leib.*

Digitized by Google

Regni pervênit notitiam, quamvis Rex sapiens dicat, *ne laudes quenquam in vita sua*, tamen quia nullo deteriorari inde arbitramur vestram auream dignitatem, seu scientiam, reperiamusque à præcipuis Poëtis antiquis Potestatibus exhibita carmina laude dignissima, ut Poëta Horatius Octaviano Augusto scribit:

Præsenti tibi maturos largimur honores,

ideſt, te vivente, scribimus de te carmina, & ut doctissimus Poëtarum eidem Augusto detulit gratissima ex ipso carmina, à quo libertate accepta iterum exultans in laude ejusdem Cæsaris metra protulit talia,

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

Quod æquè de te conjicere possumus benignissima Domina, & ut liber Reginæ Hester de Rege Assuero indicat, qui noctem duxit insomnem totam intentè audiens scriptas de se historias, donec legentes audivit, quòd Mardocheus nunciarat ei vitæ suæ insidias, quem & protinus ob id remuneravit retributione Regia. Scripsimus de vobis etiam utilem venturis temporibus historiam, quæ probatissimum erit exemplum diligentibus Deum Sanctamque ejus Ecclesiam. Vita salusque vestra, nostra est securitas, & lætitia; infirmitas autem debilitas, & tristitia. Det vobis vitam, salutemque continuam Salvatoris omnium misericordia. Amen.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI.

I. *Narrat Canossa, qui fuerint, qui eam ædificaverint, & à quibus Regibus obsessa fuerit, & qualiter cum grandi victoria evaserit.*
II. *Refert Canossa amorem Actonis erga se, & quomodo acquisivit idem Acto Corpora Victoris, & Coronæ, & S. Apollonium Episcopum & Confessorem.*
III. *Quæ, & qualis fuit uxor Actonis, & quot filios habuit, & quòd filius ejus Teudaldus Princeps extitit post ipsum, & quòd idem Teudaldus ædificavit Monasterium illud, quod est inter Padum, & Larionem.*
IV. *De tribus filiis Teudaldi, & uxore ejus.*
V. *De Episcopo Aretinæ urbis, qui fuit Frater Bonifacii.*
VI. *Quòd nonnulli Marchiones Longobardiæ studuerunt separare Chonradum à Bonifacio, & quod Bonifacius duxit uxorem Comitissam Richildam, & de magno bello, quod tota Longobardia fecit cum Bonifacio, & Chonrado apud Curaliolum (7), qui est prope Reginam urbem.*
VII. *Quòd Marchiones sepulti sunt apud Canossam.*
VIII. *Cujus staturæ, & cujus qualitatis extitit Bonifacius, & quid de ipso Sibylla prophetizavit.*
IX. *Cum quanta gloria, & honore duxit Dux & Marchio Bonifacius illustrem Ducatricem Beatricem.*
X. *Quòd Rex Chonradus Parmam vicit adjutus à Bonifacio, & quòd idem Rex, idemque Marchio juramento fœderati sunt.*
XI. *Quid egit Bonifacius in Burgundiam eundo, & redeundo.*
XII. *De aceto, quod Marchio Bonifacius transmisit Henrico Regi Secundo, & de grandi dono quod quidam servus ejus dedit eidem Regi.*
XIII. *Quòd aliquando in Consilio suo, aliquando occasione vigiliæ noctis Henricus Secundus Rex tentavit capere Bonifacium.*
XIV. *Quòd Bonifacius studiosus fuit in divinis rebus.*
XV. *Quòd à Regibus Theutonicis venit mos venundandi Ecclesias, & quòd Bonifacius acceptavit inde pœnitentiam à Sancto Guidone Abbate.*
XVI. *Urbana altercatio, inter Canossam & Mantuam de corpore Ducis & Marchionis Bonifacii.*
XVII. *Quot annis vixit Beatrix post Bonifacium, & quam prudenter omnia rexit.*
XVIII. *Quòd Secundus Henricus tempore Beatricis mortuus est, & quòd Tertius Henricus cum Papa Alexandro II. nimiè discordatus est.*
XIX. *Quòd post Alexandrum Gregorius Septimus Papa factus est, cum quo prælibatus Rex tam diu discordatus est, quòd ab eo damnatus est.*
XX. *De obitu Dominæ Beatricis, & quomodo Canossa dolet ex ea, & de Corpore ejus.*

Expliciunt Cap. Primi Libri.

INCIPIUNT SECUNDI.

I. *De primo adventu tertii Henrici Regis, & VII. Papæ Gregorii in Longobardiam, & qualiter à Ducatrice Mathildi apud Canossam susceptus sunt, & quòd eundem Regem subvertit Guibertus Archiepiscopus, & alia vice venit cum eo Romam contra Papam.*
II. *Qualiter contra Regem, & Guibertum exarserit Domina Mathildis, & quòd cunctis Catholicis subvenerit.*
III. *De obitu Papæ Gregorii, & de electione Desiderii & Urbani Papæ, & quòd cunctis Catholicis subvenerit, & quòd Domina Mathildis pro Romana Ecclesia pugnavit, & de obitu S. Anselmi Lucensis Episcopi.*
IV. *De tertio adventu Regis Henrici in Italiam, & de obsidione Mantuanæ urbis.*
V. *Objurgatio, ac detestatio seu digna exhortatio contra Mantuam.*
VI. *Item de eodem Rege, & Domina eadem, & de Bello Militum Comitissæ cum Rege apud tres Comitatus.*

VII.

(7) Cod. Recentior Vaticanus *Curtiliolum*, antiquus habet *Cuviliolum*, quod rectiùs, quia & inferiùs summæ capitis ita habet. *Leib.*

Digitized by Google

VII. *De obſidione Montis Belli, & de Vexillo Regis apud Canoſſam capto.*
VIII. *De ſeparatione Praxedis Reginæ ab Henrico Rege; & de adventu Papæ Urbani in Longobardiam.*
IX. *De obſidione Nogaræ.*
X. *Quid in Gallis Papa Urbanus lucratus eſt, & de reverſione ſua ad Italiam.*
XI. *De Receſſu Chonradi ab Henrico Patre ſuo, & de morte Papæ Urbani.*
XII. *De electione Paſchalis Papæ, & de prava Guiberti morte.*
XIII. *De obitu Chonradi Regis, & de obſidione Ferrariæ.*
XIV. *Quòd Papa Paſchalis ob piam tutelam Dominæ Mathildis direxit in Longobardiam Venerabilem Cardinalem Bernardum.*
XV. *De obitu Regis Henrici Tertii.*
XVI. *Congrua exhortatio Paſchalis Papæ.*
XVII. *De adventu Paſchalis Papæ in Longobardiam, & in Gallias.*
XVIII. *De Legatis & de primo adventu Quarti Henrici Regis in Italiam.*
XIX. *Quo timore Mantuani ad fidelitatem Dominæ Mathildis redierint.*
XX. *Quòd erga Dei cultum Domina Mathildis inventiſſima fuit.*

Libro ſecundo annectitur Carmen de obitu Comitiſſæ Mathildis, & exhortatio ad Canuſium de adventu Imperatoris & Reginæ.

Denique Diploma Donationis, quo Mathildis omnia ſua bona S. Petro tranſcribit.

Digitized by Google

Prologus iſte docet quorum ſit nomine Codex.

Francorum proſa ſunt edita bella ſonora;
Italiæque ſtilus, quod pingit prælia ſcimus;
Longobardorum venantia facta priorum;
Impia multorum, ſeu vilia dicta virorum
Addita ſunt libris, ne poſſint mente recidi;
*Malo ſub exemplo tanto depromere metro
Ardua facta Ducum noſtrorum. Sim licèt uſus
Tantùm plana ſequi, nudiſque referre loquelis,
Hiſtoriam fingam cum carminibus tamen iſtam:
Inſpicimus groſſis ſaccis ſubtilia condi.
Parga colonus hebes dat terræ ſemina ſæpè.
Ditiùs excreſcunt præbente Deo ſibi tempus.
Interior campus, groſſus meus undique ſaccus,
Semina ſi qua gerit, ſubtilia, ſi qua recepit.
*Brachia nam nobis ſummi tribuêre Satoris,
Optimus iſte ſator proprios dum ſeminat agros,
Non tribulos gignunt, ſed præbita grana remittunt,
Eſt melius grano, granum verumtamen agro,
Noſſor agro ſemen ponit, quod congruit æquè,
Alter habet linguas plures, alterque Sophiam
Curat, & hic feſſum (8) diſcretor, & alter habetur,
Ignis divinus ſua dat, vult munera, ſicut
Irradiat ſplendens doctas ſapientia mentes,
*Bleſa quidem recta facit ora docetque modeſta;
Et res eximias monſtrat dictare Sophia;
Alta poli tractat, quem pleniter hæc amat alma;
Tangere ſumma nequit, qui non ſibi prorſus adhæſit.
Regula, ſed præſtat cui non datur edere celſa,
Illa tamen promat, quæ continet, atque laborat,
Cùmque labore calet, ſuccedunt maxima planè;
Unde meus ſenſus animatus fingere verſus
Spe meliorandi volo terrea ſcribere ſaltim.
*Nec titulo vera, (9) quæ condidit eſſe poëta,
Vincit cuncta labor, ſi permanet improbus atrox (10).
Non ceſſabo quidem quæ qui (11) inſcribere ſcire
Cenſuit infelix mea ſtulta ſcientia, metris
*Actis perfectis nulli dare, ni ſapienti
Nectareæ noſtræ Mathildi ſcilicet, orbem
Cujus habet nomen repletum propter honorem
Illius immenſus, quem ſervat more parentum,
Latiùs iſta viget, virtutes quatuor illæ
Largifluæ degunt omni quia tempore ſecum;
Alta regens juſtos regit hanc prudentia cunctos,
*Diſcretè vadit, ſua temporat (12) acta Ducatrix,
Exercet valdè pietatem juſtitiamque,
Judicis obſervat cœleſtis jura timenda,
*Fortis in adverſis, minùs eſt elata ſecundis,
Inque fide vera deitatis credula ſperat.
Lumine ceu fidei ſic factis pollet amœnis,
Ideircò fructus centeni colliget (13) uſus.
Alter terdenam, ſexagenamque coronam
*Dum tenet alter, habet centenam grandior alter;
Iſta legit totas probitatis jure coronas,
Gymnaſii menſæ ſint hæc recitata decenter,
Noſcat ei, grandis quòd calliditas manet anguis
Aligeri planè comitatur ſimplicitatem.
*Poſteritas noſtra tantam Dominam volo noſcat:
En ego dictabo ceu quibo, poſtque rogabo,
Jutius, ut verbum ſi currerit hîc inhoneſtum,
Reſpiciat, parcat veneranda Mathildis amanda.
Ipſius hi verſus dant nomen, dantque parentum.

EXPLICIT PROLOGUS.

(8) Pro *ægrum* poſitam vocem ſuſpicari poſſumus. Reſpicit hoc in loco Poëta Apoſtolum I. Cor. XII. 8. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii gratia ſanitatum, alii genera Linguarum &c.* Mur.

(9) Corrige, prælucentibus Codicibus noſtris: *nec titubo vera*. Hoc eſt: neque dubito, quin ea, quæ condit Poëta, ſint vera. *Mur.*

(10) An potiùs Donizo ſcripſit *improbus ardor*. Mur.

(11) Cod. Vatic. antiquus (quem ſimpliciter ſub Cod. ant. nomine citamus) habet *quæ quivi* rectè ut ferè ſemper. *Leib.*
In Codice quoque Regien. habetur *quæ quivi*. Mur.

(12) Scribendum *temperat*. *Leib.* Ita quoque MSS. Codices noſtri. *Mur.*

(13) Cod. Padolir. *colligit*. Mur.

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPIUM LIBRI
DE PRINCIPIBUS CANUSINIS.

Plurima ſcribentur metra de quibus ut memorentur.

VIvus ſi Plato foret hactenus, ipſeque Maro,
Innumeros verſus daret illis fingere tempus
Iſtud de noſtris Ducibus, (14) quos totus hic orbis
Funditus eſſe catos, (15) non ſolùm fatur & altos,
Immo teſtatur de talibus, ac lachrimatur,
Egregiis unquam ſibi quòd plaga nulla redundat,
Temporibus priſcis nullus melior fuit iſtis:
Nam Priami proles his non ſint nobiliores,
Ulterius nemo par his naſcetur in ævo.
Hi velut aſtra nitent de lumine quippe Sophiæ,
Ceu Phœbus terras omnes illuſtrat, & herbas
Conſovet ac nutrit, quin matureſcit, & urit;
Horum ſic ultra rutilabat Curia culta (16),
Aulas nempe Ducum, Comitum tranſcendit & uſum,
Regia dona dedit, docuit bellare, peremit,
Quos malè conſpexit patrare, boniſque pepercit,
Judicio juſta, locuples, habiliſque, venuſta,
Jurgia ſi qua ſonant, hæc finit Curia ſola,
Hoſtibus hi nunquam ſua norant volvere dorſa,
Regnum (17) ſigniferi vincebant bella periti;
Ipſorum frameæ reſecabant noxia ſæpè,
Juſtitiæ palmam geſtabant ſemper & arma,
Ut vehemens grando ſegetes devaſtat in agro
Damnat fellones, (18) cruciant furciſq; latrones,
Temporibus quorum viguit pax ordoque morum,
Catholici fortes genuerunt Catholicoſque.
Clavigeri Petri normam ſancti quoque Cleri
Semper amaverunt, coluerunt, & timuerunt
Ex propriis rebus ſanctis hi multa dederunt,
Eſcas, & veſtes miſeris tribuêre libenter;
Cultores Chriſti tumulati ſunt ſimul iſti
Præſidiis firmis cunctis nunc carior illis,
Alba Canoſſa (19) fleat, referat quoque nomina vera,
Nomina ritè canat, ne fiant hæc metra vana.

CAPUT PRIMUM.

Narrat Canoſſa, qui fuerint, qui eam ædificaverint, & a quibus regibus obſeſſa fuerit, & qualiter cum grandi victoria evaſerit.

ATto fuit primus Princeps aſtutus ut hidrus,
Nobiliter verò fuit ortus de Sigefredo
Principe præclaro (20) Lucenſi de Comitatu,
Quique duos natos alios genuit bene claros.
Eſt primus dictus Sigefredus, & Atto Secundus,
Filius & parvus vocitatur quippe Gerardus,
Amplificare volens proprium Sygefredus honorem,

Lon-

(14) Tuſciæ quidem, ac fortaſſis etiam Spoleti, Duces fuere Bonifacius, ac ejus filia Mathildis. Sed qua quæſo ratione Donizo, Canuſini Monaſterii in Regienſi agro ſiti Monachus, eos *Duces noſtros* appellat? Ad Tuſciæ Ducatum minimè novimus ſpectaſſe Regienſem agrum, & arcem Canuſinam, quam Donizo incolebat. Aut ergo opinari placeat, Donizonem è Tuſca Provincia originem traxiſſe, aut *Ducali* quoque titulo in Langobardicis civitatibus dominatam fuiſſe Mathildim. In antiquis Mutinenſium Annalibus MSS., ſuo loco edendis, Mathildis ipſa appellatur, *Dux Tbuſciæ, & Longobardiæ, & Marchiæ, & Spoleti, & Marchiæ Camerinæ*. Petrus quoque Diaconus in Chron. Caſin. lib. 3. cap. 48. eam *Dominam Tuſciæ, & Liguriæ* dicit; Ptolemæus verò Lucenſis *Dominam Tuſciæ, & Lombardiæ*. Uti Mediolanenſes olim *Regem* ſuum appellabant, qui illis ſolo *Ducis* titulo imperabat, ita & Donizo fecerit, potiori titulo uſus. *Mur.*

(15) Gratulor Donizoni, ſolito *tantùm plana ſequi*, & perquam rudi ac plebejo ſermone utenti, quòd verbum exaret, uni prope penitioris Latinitatis Auctoribus adhibitum. *Catus* autem, unde *Catonibus* nomen, Ennio, Plauto, ac aliis Latinis, hominem *ſapientem, prudentem*, ſive *acuti ingenii*, ſignificavit. *Mur.*

(16) Præcipuè poſt annum à Chriſto nato Milleſimum apud Scriptores in uſu fuit Regum, ac Principum Palatium, ſive familiam, atque Miniſtros appellare *Curiam*, unde Gallis *la Cour*, nobis autem *la Corte*, & *Curiales* propterea vocati, qui nunc vulgari ſermone *Cortigiani* dicuntur. Exemplis parco. Hinc Donizo ait, ſupra *Aulas Ducum* rutilaſſe *Curiam* Mathildis, ejuſque parentum. *Mur.*

(17) Fortè *Regum*, Signiferi erant, velut Magiſtri Equitum, qui proximam ab ipſo Principe poteſtatem in exercitu habebant. Talis Conradus (poſtea Rex) ſub Lothario Saxone *Regni vexilla tenebat.* Godefrid. Viterb. *Leib.*

(18) Vox Italis & Gallis nota, & à Germanico verbo efformata, pro *perfido*, qui fidem datam, præſtitumque jusjurandum violat, quales Vaſſalli adversùs Dominum ſuum aliquid molientes, aut arma arripientes. Heic latiori ſignificatione ſumitur pro iniquis, & ſceleſtis. *Mur.*

(19) Nempe ſita Canoſſa ſuper eminentem, ac arduam rupem, cujus latera ex ſaxo nudo, ſive, ut ipſe Donizo ait, ex *nuda ſilice*, candorem quempiam præferunt. Mihi è feneſtris Bibliothecæ Eſtenſis interdum proſpectanti, & potiſſimum ope teleſcopii, talis viſa eſt. Sita autem eſt in Regii Lepidi montibus verſùs Meridiem, & Occidentem, ultra paſſuum millia XIII. ab urbe diſtans. *Mur.*

(20) *Atto Princeps*, nempe Comes, nam illis temporibus, & multò adhuc poſt, etiam Comites ſub *Principum* nomine comprehendebantur; natus ex Sigefredo Principe, ideſt Dynaſta potente, qui allodium, ſeu territorium proprium habebat, etſi nullum fortè feudum regale teneret, aut certæ dignitatis nomen gereret, quod nonnulli etiam tamquam nobilitari, ſive libertati derogans dedignabantur, ut ex Guelforum hiſtoria patet. *Leib.*

Comitibus quidem olim inter Principes locus fuit; eoque titulo ſpectatum fuiſſe Attonem, ſive Azzonem Sigefredi filium conſtat. Sigefredus autem cur & ipſe *Princeps* appelletur, non facilè offendas; neque enim Allodiorum copia iis temporibus, uti neque noſtris, Principem conſtituere ſolebant. Mihi oborta dubitatio, num fortè verbis illis *Lucenſi de Comitatu* ſignificare voluerit Donizo, Sigefredum Lucenſis urbis *Comitem* fuiſſe. At de hoc erit mihi ſermo alio in loco. Interea ſi *Princeps* heic pro *potente* dumtaxat ſumendus eſt, minùs propriè hac voce uſus fuerit Donizo. *Mur.*

Digitized by Google

Longobardiam (21) cum natis venit in istam,
Se sicut latè vitis distendit & altè,
Hic prope sic valde distendit se procul atque.
Nam sub se terras (22), & gentes ritè gubernat,
Ac sub tutela propria multos retinebat.
Illius error (23) natorum maxime ferro
Gentes diversas prostraverat atque catervas:
Cùm major nimium Sigefredus hic esset opimus,
Istud more patrum seculum dimisit amarum
Ipsius nati locupletati, falerati,
Divisi prorsus cœperunt stare seorsum.
Fiunt Parmenses duo fratres ambo potentes,
Dat Guibertinam (24) minimus, primus Baratinam:
Progenies ambo (25) grandes, & honore micantes,
Alpibus in magnis abies ceu robora transit,
Atto sic longè fratres transcenderat omnes,
Crescens exultans, & multis rebus abundans:
Prospiciens nudam silicem me stare Canossam
In proprium castrum me suscepit Comes Atto:
Has strinxit (26) Turres, munivit me super urbes,
Ne timeam Reges magìs at me quique potentes,
Rexque Latinorum (27) sapit hoc, & Theutonicorum,
Rex Berengerius probat hoc, & filius ejus,
Hi Longobardi fortes noscuntur in armis
Esse sed extincti per me sunt, ac peregrini (28)
A regno facti: credebant me quia Franci. (29)
Hi Reges ambo dum Princeps viveret Atto,
Me circundare (30) quod opus sibi fecit amarum,

A Res ut sunt gestæ recitentur, frivola cessent.
Ex populo bruto (31) Rex optimus extitit Hugo,
Ex Allobrogibus Patribus fuit ipse creatus,
Quem fecit Regem gens Longobarda decenter,
Atque piè, justè Regnum regit Italicumque;
Colloquium publicum vetuit fieri sine jussu
Imperioque suo Rex cunctis inclitus Hugo;
Ausus erat nullus minimus (32) vi tollere sumptus;
Mortem post ejus regnavit filius ejus.
Lotharius prudens, sapiens, Attonis heruscque.
Huic erat & Conjux Adeleita splendida prorsus.
Ex hac subtractus vita Lotharius altus
Absque suæ nutu laudatur Conjugis unus
B Rex Longobardus, Berengerius, vir amarus (33)
Cepit Reginam præfatam (34) victus ab ira:
Hunc fieri Regem nunquam placuit sibi nempe.
Propterea capta, super arcem denique Gardam (35)
Misit eam, famulam sibi tantùm præbuit unam
Presbyterumque bonum Martinum nomine solum.
In turris fundo jacuerunt tempore multo,
Clam Senior murum ferro confregit, in unum
Quippe locum tandem Dominam pariter famulamque
Extraxit fugiens, tribuit vestesque viriles,
Illis ne visæ caperentur denuo binæ;
C Usque lacum veniunt, quem servat Mantua vivum;
Inveniunt navem, piscatoremque suavem.
Presbyter invita quem, se pariter quoque binas
Naviget ut socias; cui quid possit dare, dicat;
Piscator dicens. (36) Si scires, Presbyter inquit,
Qui

(21) Erat & *Tuscia Langobardorum*, cujus olim caput Luca. At Langobardia non nostris tantùm temporibus, sed etiam Donizonis, strictiori significatione appellata est, quæ cis Apenninum Insubres, & Æmiliæ partem ad amnem usque Scultennam complectitur. Atque hinc vides *Regiensem* Comitatum, in quo sita est Canossa, Langobardiæ attribui. *Mur.*

(22) Hoc est Castella varia, sive in Allodium, sive in Feudum ab Italiæ Regibus, aut ab Episcopis adquisivit, quorum habitatores regebat. *Ac sub tutela sua multos retinebat*, hoc est Ecclesiarum multarum Advocatus fuit, aut etiam Vassallis abundavit, quos tutari ad *Seniores* spectabat. *Mur.*

(23) Terror. Cod. ant. Vat. *Leib.*

(24) Ex hac linea processisse Guibertum Parmensem, Ravennatem Archiepiscopum, ac deinde Pseudo-Papam famosum Gregorii VII. Papæ temporibus, simulque Familiam Principum Corrigiensium, quæ paucos ante annos, fœminis tantùm superstitibus, omnino defiit: sunt qui scribunt, eorumque sententiæ facilè me adjungerem. *Mur.*

(25) MSS. Cod. Regien. habet *amba*, & sensus exigit. *Mur.*

(26) Idem Regien. Cod. *Has struxit*. In subsequente versu pro *at me* legerem *ac me*. Mur.

(27) Non ausim *Latinorum Regem* appellare *Berengarium II.* (*Berengberius* legitur in MS. Regiense) is enim numquam Augustali titulo donatus, numquam Romanis imperavit. Ergo heic unus Henricus IV. intelligendus videtur, qui simul fuit, sive à suis est habitus, Romanorum Imperator, & Rex Germaniæ. *Mur.*

(28) *Peregrini à Regno facti*, ideſt exterres. Totius loci sensus ita habet Quàm munita ego sim (Canossa loquitur) sensit Latinorum Rex Berengarius, & Teutonicorum Henricus IV. Nempe Berengarius hoc probat, & filius ejus Adelbertus, *qui fortes quidem in armis Langobardi* fuisse noscuntur, sed *per me* (dum me evertere conantur) eversi sunt, & Regno pulsi ab Othone Magno, quia hi Reges ambo Franci, Berengarius, & Adelbertus (collegæ in regno, ut diplomata ostendunt) originem ex Francis trahentes, vel Francorum Regnum in Italia tenentes, *credebant me circumdare*, vel obsidendo pugnare, *quod opus sibi* (ideſt ipsis) *fecit amarum*, ideſt quod ipsis malè cessit, *dum Princeps viveret Atto*, ideſt Atto Comes. *Leib.*

(29) In Regien. Codice habetur, *me quia frangi*, ideſt quia putabant me dirutum, ac dejectum iri. *Langobardis* nuper accensuit Donizo Berengarium II. ac ejus filium Adelbertum; non ergo *Francos* appellaturus erat; & nullus certè sensus legendo *Franci*. Mur.

(30) Cod. Ant. circumdār, ideſt *circumdarunt*. Leib. In Cod. Padoliron. *Me circumdarunt*, *quod opus sibi venit amarum*. Hoc est: quæ obsidio in magnam eorum perniciem conversa est; quippe deturbati è solio numquam ampliùs illud recuperarunt. *Mur.*

(31) *Brutale*, *bestiale* Italica Lingua appellaret. Sed cur Provinciæ Populum *brutum* Donizo vocat? Vide Liutprandum in Hist. lib. 3. cap. 12. Tom. II. pag. 450. Rer. Italic. ubi Provinciales, quos *Burgundiones*, ac *Allobroges* appellat, superbiæ ac voracitatis incusantur. *Mur.*

(32) Cod. ant. *minimis*, ideſt nemo, ipso vivente, plebem spoliare ausus est. Ita etiam Cod. exantiq. *Leib.*

(33) *Vir amarus* dicitur hîc *rex laudatus*, seu electus, defuncto Lothario, absque consensu, seu *nutu* Adelheidis. Sanè etsi vivo jam Lothario, imò Hugone quoque rerum potens fuerit, tamen, non nisi à morte Lotharii, annos regni computavit, ut diplomata ostendunt. *Leib.*

(34) Cod. Padolir. *prædictam*. Neque mirum quod Berengarium aversaretur Adelais, quum is Lotharium Regem ejus conjugem suis artibus auctoritate, & fortassis etiam vita spoliarit. *Mur.*

(35) Nempe in ora Benaci Lacus. Non ergo in Novocomensi agro, ut habet Inscriptio Adelaidi Augustæ posita, quam adfert Brover. Lib. IX. Annal. Trevir. *Mur.*

(36) Cod. Regien. *Piscator dicit*. Mur.

Digitized by Google

Qui nos essemus, tu statim maximè lætus
Transires gaudens citiùs pretio sine nos tres.
Dicite qui sitis, nunc si transire velitis.
Nobis si jures, quòd celes, nos tibi purè
Pandimus arcanum, valde quod erit tibi carum.
Non aderat codex, (37) baculos Crucis illico more
Rusticus in terra binos posuit, nihil errans
In baculis jurat, velut esset Crux ibi pulchra.
Tunc Domnus dixit Martinus Presbyter illi:
Dicere care modò tibi tutiùs omnia cogor;
Hæc est Regina, quam dudum cœpit ob iram
Rex Berengerius, fugimus, sis fidus amicus.
Laudans ille Deum transivit eos citò secum,
Obtulit & piscem non parvum rusticus ille,
Atque memento mei, Reginæ dixit, habebis,
Si tibi fortè potens Dominus Deus addet honorem:
Navita Reginam tunc deposuit prope sylvam
Contiguam lacui præfato, quæ stetit illic
Hebdomadâ totâ Christum fidenter adorans;
Presbyter absconsæ panem quærebat ut hospes.
Tandem suspirans dixit Regina perita;
Me captam semper reor, hîc mihi quid juvat esse?
Præsul Reginus solet esse fidelis amicus
Noster Adalardus (38) cui si referas mihi quantus
Sit fletus, forsan trahet hinc nos, Domne Geronta; (39)
Mox quamvis fessus, tamen ivit Presbyter exul.
Præsul ut agnovit, de Regina rogat; ò quid
Est factum? quæso mihi narra, discere spero.
Presbyter infit hero, defunctam carcere tetro.
Plausibus emissis deflebat Præsul in istis
Verbis, dicrimen magnum, (40) constat quoque crimen,
Presbyter agnoscens ex hoc, quòd Præsul abhorret
Reginæ lethum, de vita sat fore lætum;
Ipsi privatim patefecit vivere statim
Reginam, vellet quæ præsidium sibi ferret.
Gaudeo, quòd vivit, vehementer, Episcopus inquit,
Arcem securam sub me verò scio nullam;
Atto meus miles (41) habet unam, si velit idem,
In qua Regina persistere Regis ad iram,
Tempora per longa poterit, sit dicta Canossa (42)

A Accipe cras nostros equulos, equita, velut hortor,
Attonem forsan rogitabis, habebis, ut optas.
Luxit cùmque dies, equitavit Presbyter idem;
Verbo quem largo Princeps interrogat Atto,
Quid de Regina factum sit, quo sibi dicat.
Intimat hanc Senior defunctam carcere diro,
Atto dolens valde lachrymas fundebat amarè,
Cùmque palàm vidit, quòd fleret, clam sibi dicit
Vivit, & erepta per te cupit esse recepta.
Quærit equos Princeps, mox cursim pergit ibique;
Tertia tunc terris clarebat & hora diei,
Æstus erat quippe, sed non stetit impiger iste;
B Alterius venit dum denique sexta diei,
Reginam claram, sumptam simul ejus & Abram (43)
Alta Canossa tenet, vel eas se laudat habere.
Hæc nova clam Romam, mox Papæ dirigit orans
Atque petens ipsum, quo consilium sibi dignum
Ex hac re præstet, dare Reginam quia vellet
Ottoni Regi, cui gens Alemannica (44) servit;
Scripsit ei magnæ probitatis Papa Joannes. (45)
Quæ gessit laudans, agat hoc, ut vult & adoptat.
Nuncius Attonis post hæc conduxit in oris
Veronæ Regem, cum parva denique gente.
C Ad quod Rex Otto venit, sibi cùm tulit (45) Atto,
Reginam duxit, quæ Regi tunc quoque nupsit:
Conjuge suscepta redit ad propriam citò terram,
Attoni spondens quòd de se maxima posset.
Rex Longobardus nondum cognoverat actus
Istos Reginæ, neque quò confugerat idem
Reppererat, donec quòd Rex fuit Otto Veronæ
Audivit, tandem, quòd & Atto fecerat hanc rem:
Iratus, frendens, coadunans illico gentes;
Venit Canossam, putat illam frangere cunctam:
Sum petra, non lignum, manet Atto desuper intus,
Secum prudentes homines sunt, & sapientes;
D Rex Berengeri, quantùm vis, percute telis.
Ante perire potes, quàm nostram rumpere molem,
Non Aries, vulpis, (47) neque machina prævalet ullis

Icti-

(37) Ideſt Evangeliorum, ſuper quo fidem ſuam obligare, præſtito jurejurando, Chriſtiani ſolebant. *Mur.*

(38) Regienſis Epiſcopus. Eum anno 945. ad Cathedram evectum docet Ughellius Tom. II. Ital. Sac. pag. 301. Sed antea id contigit. Servatur enim in Archivo Capitulari Canonicorum Regienſium ejus Diploma, in quo inſcribitur *Servus Servorum Dei*, datum *civitate Regii anno Domni Hugoni Serenissimi Regis XVIII. Lotharii verò filii ejus similiter Rex XIIII. Kal. Januarii, Indictione ſecunda*. Scilicet anno 943. Atque hinc etiam habes lucem ad Hugonis, & Lotharii Regum Chronologiam ſtatuendam. Supinè errarunt, qui Adelardum hunc inter Veronæ Epiſcopos recenſuerunt. *Mur.*

(39) Ideſt: mi care *Domine* Presbyter, ſeu *Senior* Martine. *Leib.*

(40) Locus emendationem poſcit. Aut ergo ſcribe: *Dii crimen magnum*! aut *dic crimen magnum*. Mur.

(41) *Miles*, ideſt vaſſallus. *Leib.*

(42) Cod. Padolir. *ſit dicta Canoſſa*. Et quidem *Canoſſa* ejus antiquum nomen, quod & adhuc perdurat, & Familiæ Nobili *de Canoſſa* cognomen dedit, quæ ibi poſt Comitiſſam Mathildem dominata fuit. *Mur.*

(43) *Abra* Græcis ancilla, pediſſequa. *Leib.*

(44) Jam tum ergo (licet rariùs) *Alemanni* pro Germanis, ut etiam apud Guilielmum Appulum. *Leib.*

(45) Joh. XII. Sed tunc ſedebat Agapetus II. qui poſt nuptias Ottonis, & Adelheidis adhuc vixit, ſucceſſoremque habuit Johannem XIII. *Leib.*

(46) Fabuloſum & Romaniſca Hiſtoria dignum, Ottonem M. clam ad Adelheidem liberandam veniſſe. *Leib.*

E In Cod. Padolir. *contulit*. Agit heic Donizo de nuptiis Adelaidis cum Ottone Magno Germaniæ Rege peractis, inſcio Berengario II. Italiæ Rege; iiſque peractis ſubdit receſſiſſe Ottonem *ad propriam terram*. At Chronographus ſaxo à Leibnitio editus, Continuator Reginonis, aliique egregii Hiſtorici tradunt anno 952. ab Ottone dejectum Berengarium, captamque ab eo regiam urbem Ticinum, ubi etiam *nuptia regali munificentia celebrata*. Heic ergo diſcedendum à Donizone, qui rei quidem ſubſtantiam tradit, ſed aliquot circumſtantias ignoravit. Unus tantùm Ditmarus lib. 2. Chron. aliquid habet, quod ab hac narratione non multùm abludit. *Mur.*

(47) *Vulpis*, machina, ſub qua tecti milites, & ut ſic dicam cautè. *Leib.*

Digitized by Google

Ictibus excelsis nostris pertingere tectis,
Confortans hostes Rex me circundat in orbem,
Sæpe petens bello, qui Rex stetit in Lavadello, (48)
Donec me teneat non inde recedere sperans,
Hinc prope gignita quam Mons Branciana vocata;
Turris de summo descendere sæpe deorsum
Cœperat Atto loquens his, qui fuerant meliores.
Hoc ubi cognovit Rex illum prendere ponit;
Quidam de notis hoc eminus nunciat ori
Attonis, clamans ut ei de Turre per arctam
Ipse fenestrellam loqueretur; protinus extra
Atto caput jactans audivit verba beanda.
Ventre famem gestans Ursus suspensus ad escas,
Quod languore dolet, Cervi componit amore, (49)
Visitet infirmum Cervus, mandavit, ut ipsum.
Ivit Cervus, ei, dum loqueretur, (50) adhæsit
Auriculæ Cervi discerpens unguibus, & sic
Dimittens ipsum, direxit denuo missum,
Ut veniat mandans, dabo, si veneris tibi magna.
Cervus oblitus erat, quæ fecit bestia sæva
Accessit juxta, trahit unguem bellua cruda
Abstrahit auriculam, quam Cervo liquerat unam;
Qui deturpatus rediit miser infatuatus.
Ursus amans Cervum, mittit sibi denuo verbum,
Ut tutè currat, quia vult sibi pandere multa;
Amens & stultus perrexit Cervus ad Ursum,
Aspicit, arridet venienti, fatur eique
Dente repentè furens captivum dissecat ungue:
Vita privatus, Vulpi datur igne cremandus,
Vulpis eum torrens, post Urso detulit omnem;
Cor retinens tantùm, sciat Ursus illius (51) astum;
Ursus habens carnem, cor Cervi quæritat ante;
Respondit Vulpis, cor non habuit, neque sumpsi:
Dixit ei rursum: cor mox volo, Vulpis ad Ursum,
Dum quæsitus adest ter, corde carere probatur.
Hæc tibi sit cara, meus Atto, fabula plana.
Atto recognoscens cur hoc referebat, ob hoc se
Constrinxit sursum, non ampliùs ipse deorsum
Descendit, donec Rex mansit ad obsidionem.
Rex firmans gressus, nec non exercitus ejus,
Pergere non usquam, capiar (52) nisi, cogitat unquam.
Circa me factis semis simul & tribus annis, (53)
Attonem tædet tam longam ferre quietem;
Stabat enim sursum, faciebat nil nisi ludum,
Nocte foris missum pepulit, mandans breve scriptum,
Ottoni Regi, rogitans ut non pedetentim
De prope fidenter sibi sed succurrere tentet;
Commemorans illi, quod dudum sponderat ipsi.

A Otto videns missum lætatur sat super ipsum;
Fortes armatos collectos, venit ad agros
Veronæ, pensans Berengerio dare bella,
Transivitque Padum cupiens reperire relatum (54)
Regem Canossæ, secumque suos simul omnes.
Ad Ligurem Regem pervênit fama repentè
Ottonis, quem propter ab obsidione recessit.
Armis ac turbis circundatus undique multis
Obviat in prato Fontanæ Rex sibi; clamor
Fit subitò grandis, frameis lacerantur & hastis,
Ensibus incidunt se, longè personat ictus,
Gens Alemanna capit Berengerium, superatis
Tunc Longobardis; campum legit Otto, retraxit
B Illico frena retro, gaudens de Rege retento,
Quamcitiùs quivit fines proprios repetivit,
Compedibus regem gravibus stringebat inermem:
Donec enim vixit Berengerius stetit illic. (55)
Posthac Albertus laudatur filius ejus
Et Longobardis Rex: fortis hic extitit armis,
Stans in equo, dextra si percussit sua quemquam,
Mox cecidit longè, concisso (56) sæpiùs osse;
Attonis pacem penitùs contempsit amarè;
Sumptibus, Atto sagax arcem propriam satis armat.
Rex equitans acer circundedit illius arcem
Tempora per bina ternos mensesque per iram:
Incassum certas, pater, ô Rex, ut tuus erras,
Non capiar quippe, nisi, donec vixeris, hîc stes.
C Atto videns usquam Regem discedere nunquam
Ottonis rursum petit auxilium, cito cursu
Si nequit ipse suus veniat vel filius unus,
Nomine Litulphus, mittatur; & absque tumultu
Mille viros promptos cum nato dirigit Otto, (57)
Italiam notam, cautè venitque Veronam.
Canossæ degens Rex audiit hunc ut adesse,
Dante sonum cornu perrexit Bagisium. Mox
Linquens Veronam Litulphus vênit ad horam
Vespertinalem pratum Bottonis, & ante
Quàm nox tetra foret, fuit Atto locutus ad aurem
D Regis Litulphi; (58) Salveris, ait, sibi, jungit;
Stat malè cum Gatto, Mus in sacco simul arcto.
Hoc ænigma peto, mihi narra, Rex ait, ergo.
Reges Atto duos Comitatu dixit in uno
Non decet esse simul: Tunc consilium cape primum, (59)
Quid faciam pro me, quidquid tu dixeris, hoc me
Spondeo facturum. Respondit eique Litulphus;
Atto bellator comedamus in hoc, ait, agro,
Nocte quiescamus modicum, post hæc gradiamur. Nun-

(48) Cod. ant. Lavaclello. *Leib.*
(49) Cervi habendi amore fingit se languere. *Leib.*
(50) Cod. Padolir. *sed dum loqueretur*. Mur.
(51) Cod. Regien. *Ursus ut illius*. Mur.
(52) *Capiat nisi*. Leib.
(53) Cùm Lotharius Rex Adelheidæ maritus anno 950. Novembri mense obierit, & Otto M. ann. 951. vel 952. in Italiam cum exercitu veniens Adelheidem in Canusiana arce obsessam liberaverit, ejusque conjugio sit peritus, tribus annis cum dimidio obsidio Canusina durare non potuit. Etsi Chronicon quoque Novalicienſe Reginam tribus penè annis in castro fuisse scribat. *Leib.*
Ut ut Leo Ostiensis, & Auctor Chronici Novalicienſis scribant, Adelaidem Reginam, mox Augustam, ac mulierem Sanctam, tribus annis Canossæ obsessam fuisse, non id certè tradit Donizo. Sed post liberationem, & nuptias Adelaidis refert obsidionem Canossæ, quam nihil impedit quò minus credamus protractam ultra annos tres. *Mur.*
E (54) Dictum Regem. *Leib.*
(55) Poëta confundit primam Ottonis expeditionem, qua Berengarium in fidem suscepit Regina Adheleide contentus, cum secunda, qua captum Regno privavit, & in Germaniam transtulit. *Leib.*
(56) Cod. ant. *concisso*. Leib.
(57) Ludolphus in Italiam contra Berengarium expeditionem suscepit anno 957. ibique obiit antequam Berengarius ab Ottone caperetur, quod factum demum anno 964. Capto autem patre tantum virium Adelberto non fuit, ut Canossam obsideri posset, nec post patrem, sed cum patre regnavit. Malè igitur noster, post hac (ideſt capto patre) *laudatum à Longobardis* Regem scripsit. *Leib.*
(58) Non Rex, sed Regis filius fuit Ludolphus, & Dux Alamanniæ constitutus ab Ottone Patre anno 950. *Mur.*
(59) Cod. Regien. *Capè primus*. Mur.

Digitized by Google

Nuncius, ut videat, de noſtris illico pergat,
Qualiter Albertus manet, ac exercitus ejus.
Regi cuncta libent, quæ dixerat Atto, facitque;
Principio lucis fuit in prærove Paludis (60)
Miſſus ab Alberto rediens, Attone reperto,
Dixit ei: certè pecudes (61) hi, ſi ſimul eſſent,
In ſubito poſſent per eos comedi, puto, Domne,
Tanti ſunt. Iſtis, dicat, jubet Atto, ſibi nil.
Atto loquens Regi mutavit verba ferentis:
O ſi Rex eſſent inimici fortè bidentes
Aſſati, ſanè poſſemus rodere carnes;
Indue loricam, capiti galeam quoque firma,
Et clypeum jacta collo, manibus refer haſtam,
Irrue confeſtim ſuper ipſum, nunc ſtat inermis.
Thoracam, parmam, galeam, Rex ſumpſit & haſtam.
Theutonici fortes ſumpſerunt arma vel omnes,
Ibant privatim, quantum poterant, glomerati.
Senſit eoſque phalanx Alberti ſparſa perampla.
Plures (62) currerunt, & hoc Regi retulerunt;
Ad matutinum Rex jam ſurrexerat Hymnum,
Nil ſtupefactus, ait, volo, quot ſunt, ut videatis,
Noſtros atque vocet tuba ſpargens undique vocem,
Interea cantet, volo, Miſſam presbyter ante:
Officium Sacrum dum pſallitur, hi remeare, (63)
Jam prope, dicentes, ſunt mille, videntur & eſſe.
Rex vix armatus cum paucis & galeatus
Exiit ad bellum, Lytulphus Rex, ſibi ferrum
Porrigit extemplo, Rex Longobardus in ipſum
Extendens haſtam, thoracam membraque damnat
Lytulphi, vitam qui ſtatim perdidit ipſi. (64)
Gens Alemanna dolens tremuit, nimioque timore
Atto levat vocem, confortat Theutonicoſque:
A Ad cujus vocem totum ſprevere timorem.
Partes tunc amba grave damnum ſuſtinuere;
Quamvis cum damno, campum tenuit tamen Atto,
Rex procul Albertus ſtuduit diſcedere certus,
Quòd non in Regnum requieſceret ampliùs, exul
A regno (65) factus, per transivit mare magnum,
Partibus in noſtris non ultra venit hic hoſtis;
Si dilexiſſet me, ſic malè non hic abiiſſet. (66)
Ex propria gente, (67) non ulteriùs ſibi Regem
Longobarda petit gens, conſtituit, neque quærit.
Tunc etiam menſis Madius florebat in herbis
Anni nongenti quindeni (68) tunc quoque verbi.
B Atto cadaver habens Litulphi, viſcera planè
Illius extraxit de corpore, quem ſua planxit
Gens, ea tunc tumulo poſuit condigniter uno.
Dicitur Eccleſia (69) Proſper Sanctiſſimus illa,
In qua conduntur nec non locus Antonianum,
Corpus aromatibus conditum quippe deintus,
Patri confortans ipſum direxit, & hortans:
Ne nimiùm plangas, poteris quia vincere magna,
Si veneris ſtatim, Longobardos ſuperabis;
Illorum fugit quoniam Rex, ſi modò curris,
Longobardorum Regnum dominaberis horum.
Otto de nato nimium doluit, tumulato
Ipſo, confeſtim multos Rex ipſe revexit
Italiam ſecum, quem pacificè petierunt
C Cuncti Lombardi, ſibi dantes oppida gratis,
Cum quibus & Romam petiit Regniq; coronam
A Papa cepit fœliciter indeque crevit.
Muneribus magnis Attonem ditat & altis,
Cui nonnullo (70) Comitatus contulit ultro,
Per quem regnabat, nil mirum, ſi peramabat.

CAP.

(60) In MS. Codice Eſtenſi membranaceo, & perantiquo, unde hauſi Hiſtoriam Regienſem in hoc opere edendam, legitur Hiſtoria *De Geſtis Comitiſſæ Matildis*. Eſt autem Epitome Hiſtoriæ Metricæ à Donizone compoſitæ, proſa oratione confecta, atque hæc ibi leguntur. *Et venit prædictus Litulfus cum prædictis militibus quadam die menſis Madii ejuſdem anni à civitate Veronæ uſque ad arcem Canuſſinam per unum diem. Et alia die ſequenti ivit Parmam, & accepit Coronam Langobardiæ.* Altum de hujuſmodi Coronatione ſilentium apud reliquos Scriptores; ſilet & ipſe Donizo, ſi tamen omnes illius verſus habemus. Pergit idem Scriptor: *Et rediit cum dictis militibus, & cum Comite Attone, & manu armata eodem die in Prato Antognano ivit contra Regem Albertum filium quondam Regis Bellengarii. Et prælium ibi factum fuit inter utramque partem in dicto Prato Antognano apud Carpinetum infertur &c.* Infra Donizo Auctor eſt, tumulatum fuiſſe Litulfum ad locum *Antonianum*. Mur.

(61) Hæc emendanda puto ex Epitome Donizonis, quæ eſt in MS. Cod. Regienſi, ubi hæc ita efferuntur: *Rediens dixit, quòd ſi iſti, qui erant ex parte Attonis & Litulfi, eſſent pecudes, & coctæ, quòd illi eos comedere poſſent tanta quantitatis erant.* Lego igitur *coctæ pecudes*. Mur.

(62) Cod. ant. *currẽr.* ideſt currerunt. *Leib.*

(63) Cod. Padolir. *remearunt*. Mur.

(64) Fabula. Ludolphus morbo obiit. Hepidannus ait febre correptum anno 957. præ dolore, ideſt mœrore. Ditmarus lib. 2. Sigonius ſuſpicionem acceleratæ mortis Berengarium ſuſtinuiſſe affirmat. Unus VvidiKindus Donnizonis narrationi favere videri poſſit lib. 3. his verbis: *quo* (Ludolpho) *agente* (in Italia) *annum ferè totum diem extremum obiit, toti Francorum imperio relinquens ſuo vulnere vulnus durum*; ſed *vulnus* hic pro jactura, læſione, accipi poteſt, niſi fortè legendum *ſuo funere*. Hermannus Contractus Caniſii ad hunc an. commiſsâ pugnâ *Ludolphum* viciſſe,

D cunctiſque ſibi, cum Italiæ Regno ſubjugatis eodem anno apud Plumbiam immaturo obitu vita deceſſiſſe. *Leib.*

(65) Anno 957. Ludolphus è vivis ſublatus eſt. Neque ſtatim Adelbertus Italiæ valedixit, ſed anno tantùm 962. quo Otto M. in Italiam deſcendit. Continuator Reginonis ad annum 963. ſcribit, tunc eum in Corſicam ſe recepiſſe. Illius autem Pater Berengarius Rex in Arce Sancti Leonis eodem tempore à Germanorum exercitu obſidebatur. *Mur.*

(66) Codices noſtri: *Non binc abiiſſet*. Mur.

(67) Ergo Donizo natione Langobardos putavit Berengarium, & Adelbertum: quod tamen affirmare ego non auſim. *Mur.*

(68) Quindeni, ideſt quinquieſdeni; ſed addendi ſunt ſeptem. *Leib.*

(69) Qualis fuerit Eccleſia hæc, diſce à MS. Epitome Donizonis, quam ſupra memoravi in Eſtenſi Bibliotheca ſervatam. *Et Comes Atto honorificè ſepelivit prædictum Litulfum ad Eccleſiam Sancti Proſperi de Antognano, quæ eſt prope Pratum Carpineti in loco ubi dicitur Zianum*, Antiqui Germanorum Annales ad annum 957. referunt Liudolfi corpus in Germaniam translatum *à venerabili Archiepiſcopo Vilebelmo fratre ejus, Moguntiæ apud Sanctum Albanum honorificè tumulatum fuiſſe.* Et quidem viſcera tantùm in Eccleſia Sancti Proſperi tumulo tradita, corpus verò ad Patrem ab Attone miſſum, teſtatur ipſe Donizo. *Mur.*

(70) Cod. Regien. *Cui nonnullos*. Qui fuerint iſti Comitatus *Attoni* (is etiam *Adelbertus* appellabatur) ab Ottone M. Auguſto contributi, indicabit nobis Charta à Bacchinio evulgata in Append. ad Hiſt. Monaſt. Padolironen. pag. 3. ubi anno 967. nominatum legimus *Adalbertam, qui & Atto, gratia Dei Comes Mutinenſis*. Imo ſimul *Regienſis Civitatis Comes* fuit, teſte Diplomate ejuſdem Ottonis apud Ughellum in Ital. Sac. Tom. V. pag. 1582. Ibi enim anno 964. mentio fit *Adelberti incliti Comitis Regienſis, ſive Mutinenſis fidelis noſtri*. Adde, Attonem ipſum

CAP. II.

Refert Canossa amorem Attonis erga se, & quomodo acquisivit Corpora Martyrum Victoris, & Coronæ, & S. Apollonium Episcopum & Confessorem.

Dilescens Atto mea mœnia duxit in altum,
Per me dives erat, sua per me cuncta tenebat,
Ac ideo cuncta, veniebant quæ sibi pulchra,
Loricas, hastas, clypeos, enses mihi mandat,
Artubus ex sacris decoravit me, velut armis
Rex quidam donat, sibi Victoremque (71) Coronam.
Pœnam cervicis, nam pro diademate Cœli
Sustinuit miles Victor Sanctissimus iste,
Sancta fuit Lota secumque cruore Corona.
Duxit hic hos Atto, multos alios quoq; sanctos,
Relliquias alias dedit illi Brixia magna;
Nam caput, ac humerum dextrum pariterque lacertum
Hujus Apolloni (72) vehementer honorificandi
Offert gratis ei. Gotefredus Episcopus egit
Hoc, quia de lumbis erat ortus Principis hujus;
Hic Præsul sacram reseravit corporis arcam,
Ac secuit membra, cruor & mox prodiit extra.
Unde bonus Princeps valde miratus, eidem
Continuò terræ propriæ, decimamque monetæ
Vovit, & hic secum sacra duxit pignora lætus.
Post hæc excelsum studuit sibi fingere templum,
Divinasque scholas, (73) canerent quæ dulciter horas
Nocte die Christo, statuit vir opimus in ipso;
Organa Cantorum, fabrefecit vocibus horum,
Cum quibus in Sanctis jubilarent vocibus altis.
Ornamenta bona, rutilantes atque coronas
Ex auro claro simul argentoque probato
Obtulit, hæ verò numero sunt bis duodenæ (74):
Maxima thuribula, & calices, tabulas quoque sculptas,
Pallia, planetas, pluvialia vel duodenæ
Exhibuit templo, sincero cordeque recto,
Hoc prope vestibulum proprium jubet esse sepulchrum
In quo more patrũ Princeps requiescit humatus

CAP. III.

Qua & qualis fuit uxor Attonis, & quot Filios habuit, & quòd Tedaldus princeps extitit post ipsum, & quòd idem Tedaldus ædificavit Monasterium illud, quod est inter Padum, & Larionem.

Conjugis Attonis non sit oblivio nobis,
Ildegarda quidẽ fuit hujus nomen amicæ;
Docta, gubernatrix, prudens, proba, consiliatrix
Ad meliora virum suadebat sæpius ipsum,
Cum quo Birsellum (75) Monachis fabricavit habendum.
Ex his sunt orti tres, quos miratur hic orbis:
Rodulphus valde juvenis pulcherrimus, atque
Mortuus ante Patrem; post quem sequitur bonus alter
Antistes magnus Gotefredus (76), & ille Tedaldus,
Qui post Attonẽ totum servavit honorem (77),
Amplificans terras proprias, dives nimis extans,
Regibus existit carus, notissimus illis,
Romanus Papa quem sincerè peramabat,
Et sibi concessit quòd ei Ferrarea (78) servit;
Non genitore minùs castrum coluit Canusi n.
Iste Padum juxta, Larionis propter & undam
Cœnobium dignum (79) Domino, Sanctum Benedictum
Construxit, certè Monachos ibi maluit esse;
Felix iste locus, nimis est quia religiosus:
Non tamen est artus proprios ibi condere passus
Princeps Teudaldus, sed cum Patre pausat humatus;
Egit bella satis, sunt maxima facta Tedaldi.

CAP. IV.

De Uxore Tedaldi, & tribus Filiis ejus.

Uxor Tedaldi fit Guillia dicta Ducatrix,
Hæc placuit parvis pietate, placebat & altis.
Hæc tres personas mundo genuit speciosas,
Urbis Aretinæ Tedaldi Præsulis, inde
Atque Ducis celsi Bonifacii sapientis
Militis, & docti Chonradi, ceu leo fortis.
O bona progenies, quam terris contulit ille,
Qui super astra sedet, per quem sunt condita quæque!
Quidquid ad exemplum pulchrum valet esse repertum,
Repperit hæc proles armis seu relligione;
Nam

in Chartis Theudaldi ejus filii titulo *Marchionis* donari apud eumdem Bacchinium pag. 16. laudatæ Appendicis. Quum in nullis Chartis ipsos vivente conscriptis aliter quàm *Comes* appelletur idem Atto, suspicandi locus est, ipsum defunctum à Notariis ampliores titulos recepisse, ut Theudaldo Marchioni ejus filio major accresceret honor. *Mur.*

(71) Vid. Martyrol. Rom. 14. Maji. *Leib.*

(72) Vide Martyrol. Rom. 7. Julii. *Leib.*

(73) Collegium hominum sacris operantium. *Leib.*

(74) Videatur adjecta hîc relatio de thesauro Ecclesiæ Canusinæ. *Leib.*

(75) Diu floruit Cœnobium Sancti Genesii ab Attone fundatum Brixilli, seu Brixelli ad Padum, cujus fundationem, imò & mentionem in Annalibus Benedictinis Clarissimi Mabillonii frustra quæsivi. Nunc attritum est, & ab aliquot seculis destitutum Monachis, ejusque proventus Ecclesiæ Principibus commendantur. Fulvius Azzarius in Historiis Regien. MSS., & Bacchinius pag. 76. Append. Hist. Padolir. exhibent Comitissæ Mathildis Diplôma, qua multis prædiis donat *Monasterium, quod parentes mei construxerunt in Castro Brixillo in loco suæ proprietatis, ubi nunc Dominus Theobaldus Abbas præesse videtur, quod est constructum in honore Sanctæ Trinitatis & Sancti Archangeli Michaelis, atque Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non & Sancti Genesii.* Mur.

(76) Parmensis. *Leib.*

(77) Idest, solus successit in ditiones & honores. Itaque merito *Sigebertus* rejicitur, quem Sigonius Attoni filium, Thedaldo fratrem assignat, aut *Albertus Azo*, sive *Albertatius*, quem Pigna. *Leib.*

(78) Scilicet *Ferraria*, ubi diu permansit *Castrum Thedaldi* ab ipso ædificatum. *Mur.*

(79) Cujus Historiam anno 1696. Mutinæ evulgavit celeberrimus Benedictinorum Mutinensium Abbas Benedictus Bacchinius, nobis ante paucos annos à morte ereptus. *Mur.*

Digitized by Google

Nam Pater ipſorum moriens benedixit eorum
Perſonas, poſt ſe præcepit major ut eſſet
Natus dilectus Bonifacius atque modeſtus,
Cui juravere Patre tunc vivente fideles
Servi prudẽtes Proceres, Comites pariterq; (80)
Mortem poſt Patris; dedit illis plurima gratis.
Cervinos plenos nummis ſaccos duodenos
Liquerat in propria Camera genitor Canuſina,
Quos penitùs totos dedit uno tempore dono.
Ejus ubique ſonat bonitas, & facta ſonora.

CAP. V.

De Epiſcopo Aretinæ urbis, qui fuit Frater Bonifacii.

PRæſul Aretinus Chriſti Tedaldus amicus
Relligionis erat, (81) Domini gregis atque gerebat
Curam devotam, monſtrans exempla decora.
Extat caſtus ita, quòd quodam tempore quidam
Perverſi vanè pro quadam debilitate
Hortabantur eum ſtuprum committere; ſecum
Quod Præſul tractans juſſit deducere partam
Quippe lupam quandam, priùs ignem ponere mandans
Ante ſuum ſtratum; videt ignem flammiferatũ,
Appropians juxta, dum flammas ſenſit, abundans
In lachrymis clamat; væ væ mihi ſi modò rarã
Flammiculam vilem nequeo ſufferre, perire
Si me contingat, barathri flammam, miſer illã
Quomodo ſufferre potero? Scelus iſtud ad Ethnę
Me puteum ducet; ſcelus hoc, ne funditùs urar
Igne ſub obſcuro, ſperno, penituſque refuto.
Tale dat exemplum Tedaldus Præſul agendum;
Cœpit hic adversùm Simoniacos dare verbum,
Ipſos deteſtans dicebat mente modeſta,
Mille libras certè pro Papatu dare vellem,
Ut, quod ego gliſco, Simoniacos maledictos
Ejicerem cunctos per totum denique Mundum.
Muſica ſeu cantus iſtum laudare Tedaldum
Non ceſſant ſemper, renovantur eo faciente,
Micrologum librum (82) ſibi dictat Guido peritus
Muſicus, & Monachus, nec non Heremita beandus &c.

CAP. VI.

Quòd nonnulli Marchiones Longobardiæ ſtuduerunt ſeparare Chonradum à Bonifacio, & quòd Bonifacius duxit uxorem Comitiſſam Richildam, & de magno bello, quod tota ferè Longobardia fecit cum Bonifacio, & Chonrado in Cuviliolo, qui eſt prope Reginam urbem.

AD laicos fratres redeat ſtilus hic modò planè
Illorum ſumma Canoſſæ cura redundat,
Ut Genitor, vel Avus, ſic illam ſemper amarunt,
Pacis amatores, fortes ſunt utque leones;
Hi pacem veram cum proſperitate tenebant,
Invidiam ſævam, propter quos major habebat
Longobardorum Comitum pars, more malorũ.
Nam animũm (83) curant cum ſollecitudine multa
Hos inter fratres fraternam lædere pacem;
Sed dum fraternum nequeunt elidere ſenſum
Ex ipſis ortam Chonrado tunc dare ſponſam
Promiſere, nimis juvenis quod credidit illis,
Servis nonnullis privatim denique ſumptis,
Majoris fratris ſinè nutu, pergit inanis
Ad Comites illos, quos viſos, reſpuit illos,
Germani mentem placavit, mox vehementer
Facti concordes, confuſi ſunt ob id hoſtes;
Qui cùm Chonrado, ſervos, ierant titulato, (84)
Omnino Princeps doctus Bonifacius iſte
Ejecit longè, Dominis aliis dedit omnes.
Marchio Richildam prætaxatus Comitiſſam,
Quæ Giſelberti de ſanguine Principis extat, (85)
Duxit in uxorem, fuerat quia dives honore:
Hæc agapem multam miſeris dabat atque tributa,
Hæc defuncta jacet ſinè pignoribuſque Nogaræ (86).
Cùmque Duces iſti cunctis eſſent inimicis
Fortes, & grandes velut eſſent quippe gigantes,
Tunc populus multus inimicorumq; tumultus,
Ex regno toto properans in Cuviliolo (87)

Ag-

(80) Si *Comites* Theudaldo ſuberant, ergo is *Marchio* fuit. Et ejuſmodi reapſe titulo donatur in Chartis eorum temporum, quarum & ego nonnullas adferam, ſi Deus dabit. Cui autem Marchiæ ille dominaretur, incertum planè. Non certè Tuſciæ, uti ego prodam aliquando. Fuit autem Thedaldus *Comes Regienſis*, teſtante id Charta, quæ mihi ad manus eſt. *Mur.*

(81) Cod. MS. Regien. *Relligioſus erat*. Mur.

(82) Auctor ejus Guido Monachus Benedictinus. Voſſius de Scient. Mathem. cap. 22. pag. 95. non unum errat errorem, Trithemium nempe ſequutus, quum eum floruiſſe ſcribat anno 1070. Præterea Monachum facit Cœnobii Sancti Leufredi apud Ebroicenſes, tum S. R. E. Cardinalem, & non alium à Guitmundo, qui adversùs Berengarium Hæreſiarcham ſcripſit. Vivebat autem Guido iſte Monachus revera, at literis Muſicam Artem mandabat anno 1022. patria Aretinus, & in Pompoſiano Monaſterio enutritus. Ejus autem Liber ante quadringentos, ut mihi videbatur, annos manu exaratus, adſervatur adhuc in celebri Bibliotheca Ambroſiana cum hocce titulo: *Micrologus ideſt brevis ſermo de Muſica*. Præcedunt hi verſus.

Gliſcunt corda meis hominum mollita Camœnis,
Una mihi virtus numeratos contulit ictus;
In Cœli ſummo gratiſſima carmina fundo,
Dans aulæ Chriſti munus cum voce Miniſtri.
Ordine me pinxi, primo qui carmina finxi.
Gymnaſio Muſas placuit revocare ſolutas,
Ut pateant parvis, habitæ viis hactenus altis.
Invidiæ telum perimat dilectio mecum.
Dira quidem peſtis tulit omnia commoda terris
Ordine me pinxi, primo qui carmina finxi.

Acroſtichon vide in literis initialibus horum verſuum, & quidem duplicem, nempe GUIDO, GUIDO. Incipit autem Prologus Libri: *Ut me & naturalis conditio, & bonoris imitatio, communis utilitatis diligentem faceret, cœpi inter alia Muſicam pueris tradere &c.* Alios rei Muſicæ Scriptores complectitur idem Codex. *Mur.*

(83) Cod. ant. *Nam nimium*. Leib. In Codice quoque Regienſi habetur. *Nam nimium*. Mur.

(84) Hoc eſt ſervos illos, qui cum prædicto Chonrado ierant. Ita & infra *prætaxatus* pro antea memoratus. *Mur.*

(85) Cod. ant. *ex.* ideſt *exit*. Leib. Codex Padoliron. & ipſe apertè habet *exit*. Jam cap. 8. pag. 55. Antiquit. Eſten. oſtendi, *Richildam* hanc *Comitiſſam*, non Giſelberti Comitis Lucemburgenſis, ſed quidem Giſelberti in Italia *Comitis Palatii* filiam fuiſſe, & ex *Natione Langobardica* originem traxiſſe. *Mur.*

(86) In Oppido Veronenſis agri. *Mur.*

(87) MS. Codex Eſten. ubi Epitome Donizonis, hæc ſuppeditat: *Et hoc fuit in Villa Cuvilioli prope Reginam civitatem per milliare & dimidium*. Nunc Coviolo. *Mur.*

Aggreditur certans, istos devincere tentans,
Quos superant isti bellando duriter ipsis;
In prima fronte Bonifacius incutit hostes;
Miles eum quidam quærebat voce ferina,
Cui Dux insignis caput abstulit, omnibus illis
Ingens successit formido mortis, & ensis,
Quos cædit dente (88) valido Bonifacius ense.
Cùmque fatigatus nimis esset, non superatus
Vertit equum, cunctis gaudentibus undique turbis
Deseruit bellum frendens, ad quem quasi cervus,
Chonradus cultus, quo non est fortior ullus,
Exiit ex lucis, cum quingentis ferè scutis:
Cur ita frater abis prudens ait, ô Bonifaci?
Sume tuas vires, placeat mecumque redire,
Hostibus his campus non detur, sed redeamus.
Hortatu cujus Bonifacius illico fultus,
Vexillis tensis rediit cum fratre recenti:
Pristina bella novant, inimicis væ quoq; donant:
Nam perimunt, cædunt, campusque cruore repletur,
Cornipedum crura fiunt ibi sanguine rubra,
Quos illi volvunt, fugiunt, tribuunt male dorsũ;
Tunc strages grandis hominum fuit, èque caballis
Lancea quòd longa, quasi brachia mille, sit audax,
Estve Bonifacii visum cunctis inimicis,
Chonradique spata centum cubitos quasi lata.
Qui procul ejecti vix hospicioque reversi,
Lumina vertentes post tergum sæpe timentes.
Chonradus ductor, Bonifacius inclytus ultor,
Condunt vaginis mucrones sanguine tinctos,
Dumq; suum ponit Chonradus, flens fero vobis,
Candida lorica, cernit, quòd sanguine stillat,
Ecce sciens vulnus fratrem confortat alumnum,
Illorumque phalanx campum collegit & arma,
Urbs quoque Regina Chonrado dat medicinam.
Extitit hic clarus miles postquam ferè sanus,
Surgit ludendo, non se custodit edendo,
Unde nimis multum commotum denuo vulnus,
Per plures annos Fratri fletus tulit altos,
Nã juvenis pulcher de corpore migrat in urbe;
Ad cujus funus Trinus rogitatur & Unus,
Ut sibi peccata donet requiemque beatam.
Hujus (89) ad exequias sunt agmina Sancta petita
Quatenus in Cœlum præstent, quòd eis societur,
Pontificum cœtus, ex omni stemmate Clerus
Adfuit ad tantum tunc Athletam tumulandum.
Egregius Frater sumens, Fratrisque cadaver
Detulit ad tutum Patrũ, Matrumve sepulchrũ,
Scilicet ad templum Canusinum reverendum:
Innumeræ gentes secum de fratre dolentes
Concurrunt, voces de tali dantque Barone.
Ast ubi condîtus miles fuit iste peritus,
Spiritus à pœnis liber queat ut fore tetris,
Donat Apollonio Sancto Germanus in illo
Tempore fructiferam curtem Cagnaula vocatã.
Anni terdeni tunc verbi mille sereni.

A B C D E

CAP. VII.

Quot Marchiones sepulti sunt apud Canossam.

LAudo Canossa Deum, mihi qui concessit amœnum
Tempus habere bonis cum principibus generosis,
Quos habui vivos dulces Dominos & amicos,
Defunctos cunctos merui tumulare sepulchro;
Inde meus planctus, dolor, & lachrymæ revelantur (90)
Maximè natalem celebro dum mortis amaræ.
Pontifices ambo (91) sunt à Patrum procul antro.
Mors Ildegardam rapit idus tertio Sabat. (92)
Idus Attonis animam Februi tulit olim.
Idus octavo Madii, (93) fleo, condo Tedaldum,
Idus tu Julii Chonradum tertio punis.
Rodulphus terras dimisit, & ante Calendas
Augusti denis duo junctis quippe diebus.
Binos ante dies Augustus denique finem
Quàm caperet, terra fuit & proba Guillia (94) tecta
☞ „ Hos saxo texi cum natis, atque puellis,
„ Quos Deus ad caulas Paradisi ducat & aulas:
„ Non hœdis mixti, sinceri sint sed ovilis,
„ Pascua quò Christi pascant sine fine benigni.
Amen.

CAP. VIII.

Cujus staturæ, & cujus qualitatis extitit Bonifacius, & quid de ipso Sibylla prophetizavit.

GEstaBonifacii populus precor audiat omnis:
Clara fuisse scio gesta Bonifacii.
Quisquis amat rutilos retinere decenter honores,
Actus ejus amet, noscat eos rutilos.
Ingenio viguit sensu similis Danielis,
Dum puer ipse fuit, ingenio viguit.
Pulcher & egregius speciosus eratque decorus,
Providus ut Joseph, pulcher & egregius.
Factus ut est juvenis, meruit statuamque Saulis
Prosperè cuncta regit, factus ut est juvenis.
In cuneis equitans humero Saul eminet, ipsis
Hic quoque major erat in cuneis equitans.
Viribus acer erat Goliæ velut ille peremptor,
Qui labiis, manibus, viribus acer erat.
Innumeras habuit Sapientis opes Salomonis,
Nam mundi pompas innumeras habuit;
Res sibi nulla deest terræ, pontique, polique,
Se sapienter agens, res sibi nulla deest,
Nobilis hic didicit plus cunctis dapsilis esse;
Largiri validè nobilis hic didicit.
Prisca Sibylla canit, quem, cui modò credite cuncti,
Scribo, quod ex isto prisca Sibylla canit.
Esse

(88) Cod. ant. *densè*. Leib.
(89) Cod. Regien. *Cujus*. Leib.
(90) In MSto Cod. Regiensi *relevantur*. Mur.
(91) Ideſt Gotefridus Episcopus Brixiensis, & Thedaldus Episcopus Aretinus, tumulati in suis quisque Ecclesiis. *Mur.*
(92) Pro *Sabbato* scriptum videtur. At quis heic locus Sabbato, quum mensis facienda est mentio? *Mur.*
(93) Maji. *Leib.*
In Epitome MSta legitur: *tertio Idus Jan.* Mur.
(94) Eadem Epitome MSta: *Et Comitissa Guilia penultimo die* (antepenultimo scribendum erat) *die Augusti, cum pueris & puellis jacent in uno monumento*. Est adhuc in Mutinensis agri montibus Castellum Guilliæ, cui fortassis illustris hæc fœmina nomen dedit. *Mur.*
☞ In editis hucusque, atque apud ipsum Leibnitium, quamquam is Vaticani Codicis ope fuerit usus, luxata heic fuerunt ossa Carmini Donizonis. Nam post hunc versum consequebatur.
Præposito numquam petit & Clerus suus ullam, Munia Divina, &c.
Verùm hi versus nullum cum antecedentibus sensum reddentes transferendi erant infra ad Cap. XVI. Tum heic deerant alii, quos nunc suppleo ex duobus MStis Regiensi, ac Padolironensi. Dialogus ergo inter *Canossam*, & *Mantuam*, utpote non pertinens ad hunc locum, infra post narratam Bonifacii Marchionis mortem legetur. *Mur.*

Digitized by Google

Esse B. principium Ducis insit (95) nominis hujus,
Non ratione caret esse B. principium.
Limpidus atque Bonus facie Bonifacius extat,
Artibus (96) & dictis limpidus atque bonus.
Esse prophetat eum locupletem, pacificumque,
Victorem jugiter esse prophetat eum.
Quæ Mulier cecinit de te bone Dux habuisti,
Vera fuisse reor, quæ mulier cecinit.
Multa locuta fuit de Christo, Judicioque,
Fineque de mundi multa locuta fuit,
Nobile conjugium tribuit Deus, & tibi dignum,
Magna Beatrix est nobile conjugium.
Stirpe fuit genita Regali (97) pulchra Beatrix, (98)
Majorum mundi stirpe fuit genita.
Splenduit ipsa Liæ procul, & Rachelis honore,
Ut Sapiens Saraa splenduit ipsa procul;
Una figura Beatricem, Bonifacium dat,
Amborum nomen una figura B. dat.
Sunt Bonitate pares, simulantur (99) nobilitate,
Conveniunt bene, quì sunt bonitate pares.
Præbuit Italia Bonifacium generosum,
Atque Beatricem Gallia fert Italis.
Huic veluti mundo sic ambo beentur Olimpo
Ambo polo rutilent huic veluti mundo.

CAP. IX.

Cum quanta gloria, & honore duxit Dux, & Marchio Bonifacius Illustrem Ducatricem Beatricem.

Det Deus in claris cameris tibi (100) *stare Beatrix.*

HEroicum carmen cupio nunc ornet ovanter
Facta Ducis magni Bonifacii memorandi.
Primitus hunc noscit, quantùm sit, Gallia, fortis,
Cùm natam rutili Ducis expetiit Federici. (101)
Conjuge cum propria Mathildis (102) denique dicta.
Iste Beatricem Federicus donat habere
Huic Bonifacio; qui Dux cùm pergeret illò,
Ornatus magnos secum tulit, atque caballos,
Sub pedibus quorum chalibem non ponere solùm
Jusserat, argentum sed ponere, sit quasi ferrum;
Esse repercussum clavum voluit quoque nullum
Ex hoc ut gentes possent reperire quis esset.
Cornipedes currunt, argentum dum resilit, tunc
Colligitur passim, passim reperitur in agris
A populo terræ testans quòd dives hic esset;

A Egregius Princeps tunc gessit plurima dignè
Quæ scribenda forent, stilus autem currit amore
Ad Dominam nostram, (103) quam valde carmen adoptat;
Hanc sponsus ditat, ditatur & ipse per ipsam,
Servos, ancillas, ab ea tenet oppida, (104) villas,
Gallia nobiscum per eam Dominũ timet istum.
Quis Princeps Gallus plus isto dives & altus
Italiæ regnat? Sibi Gallia plurima præstat
Longobardiam deducens hanc Comitissam.
Occurrêre quidem Ligures, pariterque Quirites;
Exultant inopes, congaudent maximè dites;
Per menses ternos fiunt convivia, verò
B Non ibi pigmenta (105) tritantur, sed quasi spelta
Ad cursum limphæ molendinantur ibidem;
Gurgite de putei potus trahiturque Lyæi;
Ex alio puteo refluebat potio vero;
Situla pendebat ex argentove catena
Cum quibus hauritur dulcissima potio, vinum:
Obbas vel lances ad mensam fert equus, atque
Argento splendent auro quoque vascula mensæ;
Timpana cum citharis, stiviscque, lyriscque sonant hîc,
Ac dedit insignis Dux præmia maxima nimis.
In Marego (106) facta sunt hæc convivia magna.
C Nobilis & Conjux puerum peperit Federicum;
Inde Beatricem; Mathildim verò deinde,
Quæ similis Matri, color illi maximè Patris.
Ex aliis fari pueris dum gestio saltim,
Mox nimius crescit gemitus, dolor ac juvenescit:
Hæc monimenta Patrum retinebit ut optima Matrum
Patris honor, Genitricis amor, decus hæc sit eorum.
Hanc Longobardis Deus istis contulit annis:
Nunc dimittatur, tantùm de Patre loquamur.
Ista suo fœlix nam tempore carmen habebit.

CAP. X.

D *Quòd Rex Chonradus Parmam vicerit* (107) *adjutus à Bonifacio, & quòd idem Rex, idemque Marchio Juramento fœderationis (juncti sint).*

PRepetibus palmis redeat stilus addere cartis,
Qualiter Augusto Bonifacius inclytus ultor
Profuit, & secum pepigit memorabile fœdus.
Chry-

(95) Fortassis *insit*. Mur.
(96) MStus Cod. Regien. *Actibus*. Mur.
(97) Beatricis Ducissæ brevem tabulam Genealogicam dedi pag. 64. Antiquit. Esten. *Mur.*
(98) Hadwidu, filia Henrici Aucupis, soror Ottonis Magni peperit Hugonem. (Capetum vulgò) Regem, & Beatricem, quæ nupta Friderico Seniori Duci Mosellanorum peperit ei Theodericum Ducem, patrem Friderici Ducis, cujus filia fuit hæc Beatrix, ut ex antiqua Genealogia Sancti Arnulphi benè observavit Franc. Mar. Florentinus, qui res magnæ Mathildis, & majorum ejus præclaro volumine illustravit. *Leib.*
(99) Corrige ex Regiensi MSto *similantur*. Mur.
(100) In Cod. Regien. *te stare*. Mur.
(101) Ducis Lotharingiæ Superioris, seu Mosellanorum. *Leib.*
(102) Nempe Mathildis illa Hermanni Sueviæ Ducis filia, quæ nupsit Frederico Lotharingiæ Superioris Duci. Atque hinc in magna Comitissa Mathilde renovatum Aviæ maternæ nomen pro antiquo more, qui adhuc viget. *Mur.*

E
(103) Scilicet ad magnam Comitissam Mathildem, de qua præ cæteris agendum sibi statuerat Donizo. *Mur.*
(104) Albericus Trium-Fontium Monachus in Chronico edito per Leibnitium ad annum 1076. hæc habet: *Mathildis Marchisa terram suam viriliter rexit, & Abbatiam Canonicorum Sancti Petri ad montes juxta Briciam in Diœcesi Metensi fundavit.* In ea ergo regione veri mihi videtur simile sita fuisse oppida, quæ Beatrix in dotem attulit Bonifacio Marchioni, quæque eorum filiæ Mathildi in hæreditatem cesserunt. *Mur.*
(105) Aromata. *Leib.*
(106) Vetustus Auctor Epitomes MStæ in Bibliotheca Estensi heic audiendus. *Et eam*, inquit, scilicet Beatricem, *cum magno honore in Episcopatum Mantuæ duxit, & ibi fecit nuptias in loco, ubi dicitur Marago juxta flumen Mencii.* Mur.
(107) Cod. Regien. *vicit*. Infra pro *fœderationis juncti sint*, idem Codex habet *fœderati sunt*. Mur.

Digitized by Google

Chryſopolis (108) dudum Græcorũ dicitur uſu,
Aurea ſub lingua ſonat hæc urbs eſſe Latina,
Scilicet urbs Parma, quæ grammatica manet alta,
Artes ac ſeptem ſtudiosè ſunt ibi lectæ:
Cæſaris hæc vallo Chonradi cingitur arcto;
Ut capiatur enim, jubet ipſam pungere telis
Plebis, mox armis, fit ſtrages ex Alemannis.
Panificus quidam necuit bis quatuor ira,
Proluit unde furor magè Cæſaris, illico muro
Applicat armatos cuſtodes, ac galeatos,
Mandat hero noſtro Bonifacio bene docto
Quatenus accurrat, juvet urbem frangere ſtultam;
Qui ſubitò ſumptis equitum peditum quoque turmis
Urbis ad excidium properavit Regis amicus.
Quo viſo cives trepidant, reputantque perire;
Abſque tenore pedes adeunt mox Regis, & ædes
Ac portas urbis reſeraverunt ſibi cuncti.
Tunc aderant vincti bini cum Rege maligni, (109)
Pingues, & fortes homines nimiùm ſuper omnes,
Avulſis vinclis à dextris, atque ſiniſtris
Cedunt præcipites, lacerant, perimunt quoque cives;
Quos Juvenes urbis cupientes cædere cultris,
Propter eos ſiſtunt, frameis humeros ſibi ſcindunt:
Taliter occiſis Rex flevit, & ejus amici,
Protinus atque locum fecit comburere totum.

A Qualiter Auguſtus cum noſtro Principe junctus
Sit ſacramento, referatur carmine certo.
Imperium ſervans Chonradus, eumque gubernans
Cognoſcit verè plus cunctis poſſe valere
Mirificum, clarum, generoſum, ſæpe relatum
Athletam magnum Bonifacium venerandum,
Ut juraret ei, rogat ipſum, more fidelis;
Ac ideo dixit, quòd Marchia (110) ſerviet ipſi,
Redderet atque vicem jurandi Rex ſibi, quippe
Annuit hoc Regi Bonifacius, atque peregit,
Voceque mox viva juravit Rex (111) ſibi vitam
Atque ſuos artus, & honorem Principis aptum,
Abſque dolo recto ſervare per omnia ſemper,
Donec eis vita ſubſtiteret, hoc ita firmant.
B Nullus Dux unquam meruit tam fœdera culta
In carta ſcriptum jusjurandum ſuit iſtud.

CAP. XI.

Quid egit Bonifacius in Burgundiam eundo, & redeundo.

REx ubi Chonradus moritur, natuſque levatur
Ejus Heinricus, Rex prudens, atque peritus
Qui tenuit pacem cum noſtro Principe ſanè;
Accidit, ut vallo circundaret hic Miroaltum (112)
Quod nullis bellis nec miſſilibus quoque ceſſit.
C Circa quod feſſus Rex ac exercitus ejus,
Miſit ad inſtructum, quam maxima talibus uſum,
Sci-

(108) Cùm Hieronymus Albertutius in libro de urbibus Italiæ vetuſtam Inſcriptionem ſibi viſam diſſet, in qua Parma dici videretur *Julia civitas Chryſopolis*, Leander Albertus negavit apud veteres nomen *Juliæ*, aut *Chryſopoleos* de Parma reperiri; Inſcriptionem autem ſuppoſititiam eſſe. Si Domnizonem noſtrum legiſſet æquiùs judicaſſet: Et rem hodie extra controverſiam collocat Anonymus Ravennas Geographus nuper editus, apud quem lib. 4. habetur *Julia Chryſopolis, quæ eſt Parma*; quod probè notavit Porcheronus editor. Anonymum illum adjuvat Domnizo, & ab eo adjuvatur. *Leib.*

Gruterus pag. 492. Num. V. Inſcriptionem adfert, ubi legitur *Colonia Julia Auguſta Parmenſis*. At nullum ibi *Chryſopolis* nomen. Vide tamen, quæ Leibnitius adnotat. In Actis quoque pervetuſtis Sancti Domnini Martyris apud Surium ad diem IX. Octobris, *quum veniſſet Beatus Domninus quinto decimo milliario à Julia Chryſopoli civitate*, ideſt *Parma*, à qua Burgum Sancti Domnini XV. millia paſſuum diſtat. Fortaſſe loco nomen hoc inditum, quum Græci Auguſti univerſæ dominarentur Italiæ. Supra memoratus Epitomator MStus ideo *Auream* nuncupatam ait, *quia ibi lectæ ſeptem Artes ſtudiosè fuerunt*. Ergo pro *quæ Grammatica* legiſſe ille videtur, *quia Grammatica*. Mur.

(109) Num hæc à præcedentibus diſtinguenda, ut ſenſus ſit, Cives adversùs Regem malignos E impetum feciſſe in duos Teutonicos, quos apud ſe captivos habebant? Nam cur flevit iis occiſis Chonradus? Certè heic Amphibologiæ ſunt, & divinatoribus opus. Cæterùm hæc peracta ſunt anno 1037. ſacro die Natali Redemtoris noſtri, teſte VVippone in Vita ejuſdem Chonradi, Cap. *De ſeditione, quæ facta eſt in Parma*. In Necrologio Fuldenſi apud Leibnitium Tom. III. pag. 767. Scriptor. Brunſvic. ad eundem Annum legitur: *Dietbelmus, Cuono, Sviggerus, & Hartvvinus, aliique quamplures occiſi ſunt apud Parmam*. Mur.

(110) Marchiam igitur Rex Bonifacio dedit feudi jure. *Leib.*

Sed quænam hæc? Profectò non Tuſcia, ut in Tomo Diplomatico, Deo dante, oſtendam. Ergo alia Marchia Bonifacio, ejuſque Patri ſubjecta. Fortaſſis hanc conſtituebant Mantua, Parma, Regium, Mutina, aliaque Oppida in hiſce regionibus. Sed facilè cœcutimus, ubi veterum monumenta nos deficiunt. *Mur.*

(111) Regem viciſſim Bonifacio juraſſe parum credibile, neque ex illorum temporum uſu. *Leib.*

Id quidem minimè credibile viſum eſt Leibnitio. Non ita mihi; nam ea reapſe de cauſa hoc Donizo refert, tamquam rem mirabilem, quia in uſu non erat, ut ſuis Vaſſallis jurarent Auguſti. Sed hinc æſtimanda eſt Bonifacii Marchionis potentia. *In charta ſcriptum* fuiſſe jusjurandum illud, auctor eſt ipſe Donizo; imo ipſi fuiſſe compertam ac viſam ejuſmodi Chartam, non injuria conjicere poſſumus. Denique nihil Chonradus juraſſe dicitur, quod ejus dignitatem dedeceret. Vide pag. 275. antiquit. Eſten. Fulconem Marchionem Eſtenſem Anno 1097. Privilegio donatum, *ut nullus Bannum Regius Exactor à Marchione exigat*. Majora Bonifacius longè potentior impetrare potuit, & potiſſimum quod circiter Annum 1037. Marchia Tuſciæ auctus fuit. *Mur.*

(112) In Burgundia. Equidem negat Clariſs. Florentinus compertum ſibi aliquid de expeditione Henrici in Burgundos. Sed eam tamen memorat Hermannus Contractus Caniſianus ad an. 1042. Caſtrum *Murat* in Burgundia (narrante VVippone) jam Conradus expugnaverat; itaque, ſi vera refert Domnizo, id denuo defeciſſe oportet. Situm eſt non procul à Novo Caſtro, vulgò *Neuf-Chaſtel*. Leib.

Cod. Regien. habet *Muroaltam*, quod rectiùs convenit cum Caſtro *Murat*. Verùm, uti jam in Antiquit. Eſten. pag. 262. adnotavi, deceptus eſt heic Donizo. Non Heinricus Germaniæ Rex III., & inter Cæſares Secundus, Burgundiæ Regnum invaſit. Factum id ſub Chonrado I. Auguſto ejus Patre, ut VVippo in ejus Vita, ac Heppidanus in Chronico fidem faciunt. Meminit & ejuſdem expeditionis Arnulphus Mediolanenſis Hiſtoricus Tom. IV. Rer. Italic., quo teſte *Præſul Heribertus, & egregius Marchio Bonifacius, duo lumina Regni*, Chonradæ opem tulerunt. *Mur.*

Digitized by Google

Scilicet ad cautum Bonifacium sat & ausum, (113)
Ne sibi desistat succurrere, nonve relinquat;
Cæsaris assensum precibus qui præbuit, & tunc
Militiam doctam secum deduxit, adhortans
Ut sapienter agant, prudenter & insimul arma
Arripiant promptè, poterunt quia vincere fortes.
(114) Cum multo pergens sumptuque potenter,
Proximat ad castrum, legatum dirigit aptum
Regi, quo fessum non tunderet ipse relectum, (115)
Inde sed abscedat, quoniam vult, ut sibi cedat; (116)
Hora, qua Castrũ fuerit per se quoque captum,
Ad patrios fines malit mox ipse redire.
Rex (117) abiit longè, famulique sui simul omnes
Ante diem ternum, quàm figat Dux ibi gressus;
Hoc dans præceptum, si nunc per eum caperetur
Castrum non ultra montes, ut pergeret ultra,
Expeteret planè, statimve retro remearet.
Castrum prædictum Burgundia plantat iniquum
In jus, Castrenses, (118) cùm Rex fert indè clientes,
Se nimis exaltant, spaciando per arva (119) relaxant.
Contigit audiri quòd Dux Bonifacius illuc
Cum Longobardis propriis properaret in armis,
De quibus exultant, quia credunt tollere cunctas
Causas illorum: (120) vetat ast hoc exitus horum,
Internaque (121) die Princeps accessit ibidem
Disposita doctè per partes quippe cohorte:
Barbara gens & atrox proprios citò muniit artus,
Agmine scutato procul exiit, & galeato
Atque putat scutum bellando frangere durum;
Funditus ulla phalanx parmam Bonifacianam
Prævaluit numquam dirumpere, nec valet unquam,
Exorto bello, gens effera cædere ferro:
Acriter incœpit; Dux acriùs undique cædit,
Hortaturque suos persistere pectore duro,
Cornibus, atque tubis reboare per ardua multis,
Donec terga darent hostes: intus repedarent.
Hæc ubi dicta dedit gentem terrore replevit
Gens Longobarda, tenuitque viriliter arma,
Et sonuere tubas, & grandia cornua plura.
Gens timens (122) tetra rediit graviter retrocessa,
Ac petiit Castrum cupiens se claudere tantùm,
Hoc non permisit velox Bonifacius illi,
Sed simul intravit, jaculis transfodit amaris:

A Continuò Regi Castrum mandavit, inermis
Ut veniens tollat, patriam quia gliscit & optat
Ipse suique suam, nullamve moram dare curam.
Hæc nova noscentes Rex atque Duces Comitesque
Laudant, mirantur, quòd Castrum sit citò captum,
Ad quod tollendum direxit Rex & habendum,
Athletas claros, illis Duce dante relato (123).
Tunc Longobardi cum principe magnificati,
Ad proprii tecti requiem rediere, refecti
Ex opibus magnis sumptis virtute vel armis,
Cùmque redit Princeps (124), victor mirabilis idem,
B Contigit in castris (125) cujusdam castra (126) repasci,
Campis desertis, &, ut est mos pergere fervis,
Ex pueris multi cœperunt currere furtim
Ad segetes flavas, & equis has ducere flagrant,
Inde virique loci graviter nimium quoque moti,
Arreptis armis, mox armigerisque caballis
Cervices (127) tundunt, & equos sibi tollunt:
Burgundi bruti fecerunt hoc quasi stulti;
Nam Dux iratus vehementer, ut assolet altus,
Terdenas hastas (128) ad Castrum tendere mandat,
Quæ populum cunctum facerent consurgere rursum,
C Ad campi pugnam fugerent procul atque recurrant,
Cùm fuerint juxta latitantem denique turbam, (129)
Noveritis jussum Ducis istius esse secundum;
Nam procul à Castri sunt præsidio simul acti
Insidiosa phalanx è multis partibus alans, (130)
Allobroges cunctos manibus tenuere recluſos.
Marchio terribilis cunctis abscindere dixit
Auriculas, nasos, ut stent cum lumine plano.
Quædam Matrona pro nato nobilis orat
Parcere dignetur sibi, quatenus ipsaque demum
Appensum trutinæ juvenem præberet eidem
Argentum tantum, quantum pensaverit, album.
Abiit bis satur, barbam quatiendo minatur,
D Posteritas vestra volo, quo sciat hæc ita gesta,
Donec mundus erit, Bonifacius hic quòd adhæsit,
Dicatur, prorsus me non licet esse retrorsum. (131)
Incisæ nares, ac aures quippe secatæ
Illis, tres clypei sunt ex his undique pleni,
Cum sano cuncto cœtu magnove triumpho
Ad proprium tectum sic est Dux iste regressus.

CAP.

(113) Audacem. *Leib.*
(114) Fortè *Milite cum multo*. Leib.
(115) exercitum. *Leib.*
(116) Vult Bonifacius, ut sibi cedat castrum, seu sese dedat. *Leib.*
(117) Fortè *abeat*. Dux scilicet significat se honorem expugnationis optare, itaque velle ut Rex cum suis, triduò ante Ducis adventum, recedat; alioqui si nunc per eum (Regem) caperetur Castrum, se nunquam posteà ultra montes ipsi auxilio venturum, & statim redditurum in Italiam. *Leib.*
(118) Quando Rex cum suis militibus, sive vassallis recedit. *Leib.*
Ex Cod. Regiensi hunc ita corrige. *Hujus Castrenses*. Qui in hoc versu *clientes* appellantur, sunt *armigeri*, sive *milites*; eoque vocabulo præ cæteris usi sunt antiqui Annalium Genuensium Auctores in hoc Opere evulgandi. *Mur.*
(119) Prædas per agros agunt. *Leib.*
(120) *Causas*, ideſt res eorum deprædari; *Cosa* res Italis. *Leib.*
(121) *In ternaque*. Leib.
(122) In utroque MS., quo sum usus, habetur: *Gensque timet tetra, redit graviter retro cæsa*. Mur.
(123) Duce *velato*, ideſt supradicto, id illis dante, seu tradente. *Leib.*
(124) In reditu Bonifacii. *Leib.*
(125) Cod. Regien. *in Castri*. Mur.
(126) Codex antiq. in *castri cujusdam campis castra*, ideſt copias Bonifacii victum, & pabulum comparare. *Leib.*
(127) Fortè: *Cervices pueris tundunt, & equos sibi* (ideſt illis) *tollunt*. Leib.
(128) Triginta hastatos. *Leib.*
(129) Collocat populum cunctum, seu omnem militem suum in insidiis. Triginta illos ex pugna in campo fugere jubet usque ad locum insidiarum. *Leib.*
(130) *Alans*: spirans. *Leib.*
(131) Non licet me retrorsum ire, & dicta mutare. *Leib.*

Digitized by Google

CAP. XII.

De Aceto, quod Marchio Bonifacius transmisit Heinrico Regi secundo, & de grandi dono, quod quidam servus ejus dedit eidem Regi.

MAgnifici vultus Rex Italiamque secundus (132)
Vênit Henricus (133), sapiens, jocundus, opimus,
Mandavitque (134) sua Bonifacio nova plura;
Ex quoniam secum laudatum vellet acerum,
Arx quod gestabat, quæ fit Canossa vocata,
Imperat argenti vegetem subitò fabricari,
Binos atque boves Dux carpentumque jugumve
Cum bobus vivis hæc Regi Marchio misit.
Carum Rex donum tenuit magnumq; decorum.
Regis tunc hospes erat urbs Placentia fortè,
Prudens mirari nullus de munere tali
Debet enim, quando scierit Ducis istius amplo
Dono fulsisse servum Regisque dedisse,
Mantua cùm Regem, pariterque Ducem retineret.
Tunc Comes (135) Albertus vice dives, maximè servus
Prædictique Ducis, habitator & ipsius urbis,
Cornipedes centum (136) tilios qui jure nitescunt,
Cum rudibus sellis, rudibus frenis vel habenis
Mutatos (137) centum, non mutatos quoque centum
Astures pulchros Regi simul obtulit ultro.
Quis vir hic esse sonat, qui vobis (138) talia donat?
Clamat Regina. Cui dixit Rex quasi mirans;
Qui vir (139) habet servos quales Bonifacius, ergo
In toto Regno similem sibi non ego specto.
Servulus iste suus referat mihi, quod sibi nunc vult.
Nil aliud quæro, volo, nec cupio, neque spero
A te, ni tantùm meus ut Dominus sit amatus;
Hoc ait Albertus Regi; quem Rex rogitavit;
Ad propriã mensam secum prandere refertam,
Hoc timuit verbum, Bonifacii quia servus.
Mandere non unquam secum fuit ausus ad unam
Mensam cum Rege, qui manducare repentè
Debebat fortè, quem Rex stat postulat ob rem
Prædictam, tandem Dux rem concessit eandem
Cum Duce Rege simul vir jam scriptus ferè vivus (140)
Intrans ad mensam, sed parvam suscipit escam.
Rex sibi mastrucas (141) post escam maximè pulchras
Donavit, florent pariter quoque pelliciones,

A Hoc Regis munus Ducis ad cameram tulit; unum
Et corium Cervi, quod nummis ipse replevit
Principis ante pedes cecidit; sibi parcere quærens,
Mensæ Regali quòd secum participarit.
Ille potestatem noscens retinere, beatè
Indulsit servo, facinus tamen hoc prohibeado.

CAP. XIII.

Quòd aliquando in consilio suo, aliquando occasione vigiliæ noctis Henricus Rex tentavit capere Bonifacium.

B QUotidie Princeps crescens Bonifacius iste
Alma fides ipsum servabat jure benignum.
Invidia tactus nimia Rex jam memoratus
Ingenio crudo meditatur prendere furto
Illum, sub Cœlo potuit quem prendere nemo;
Stans in conclavi cupiens Rex consiliari
Ad se festinè Dux ut catus iste veniret,
Jussit, ut hoc æstu quiret retinere coactum:
Ut teneant valvas, jubet ædituo, bene clausas,
Haud nisi se quinto (142) Bonifacius intret, & intro
Ad quod Rex mandat, mox se Dux ire remandat,
Adversùs dictum (143) nil doctum posse recordor,
Nam Dux privatos (144) proprios citò con-
C glomeratos,
Ac alios multos gladios sub veste retrusos
Portantes post se præcepit pergere promptè,
Nobilibus septus properavit Marchio celsus,
Cui regiam primam referare (145) æditui, quam
Claudere festinant, sed fit confracta per iram,
Progrediens ultra dirumpitur atque secunda,
Tertia restabat, sub qua tunc Rex habitabat,
Frangitur ac ipsa, cùm Dux (146) circundatus intrat.
Unde nimis motus Rex callidus atque dolosus;
Quid video? Quid? ait; miror de te, Bonifaci.
Hunc habuit morem jugiter mea nam domus ô Rex
Esse mei mecum soliti semperque fuerunt;
D Hoc Dux respondit: pacem Rex illico promsit.
Hac vice Rex vidit quòd eum retinere nequivit;
Iccirco planis pacem verbis simulavit.
Denuo pertractans, & eundem prendere captans,
Hoc cœco marte faciendum cogitat aptè.
Tempore nocturno super ipsum postulat ultra (147),
Ut Dux ipse parum vigilet; foret hoc sibi gratum;
Getuli morem scit prudens vulpis in ore.
Obsequium Regis nequaquam Marchio sprevit,
Cereolos multos fecit componere pulchros

Li-

(132) Tertius Germaniæ, secundus Italiæ. *Leib.*
(133) Acta sunt hæc anno 1046. quo Henricus III. postea inter Imperatores secundus, Italiam est ingressus. *Mur.*
(134) Suo. *Leib.*
(135) *Comes* Albertus *vice* ideſt Vicecomes. *Leib.*
(136) An *balios*, vel *badios*? Color est qui Gallis *bay*. Leib.
(137) Mutatos, ideſt varios, colorum varietatem. *Muance* vocant Galli. *Leib.*
(138) In Cod. Estensi, ubi supra laudata Epitome MSta, habetur *nobis*. Mur.
(139) In Codicib. Esten. & Regien. *Quis Vir*, nempe interrogando. *Mur.*
(140) Hoc est, præ timore vix vivus, semimortuus. *Mur.*
(141) Vestis genus ex pellibus ferarum, quo Septemtrionales utuntur, & olim Sardi utebantur, teste Tullio, Prudentio, Isidoro. *Bursas* Epi-
E tomator MStus Donizonis est arbitratus. *Pelliciones* infra memorati fortasse fuerunt augustius earumdem vestium genus: quæ vox apud Italos, & Francos adhuc viget. *Mur.*
(142) Quintusmet: selb fünfte, luy cinquiême. *Leib.*
(143) Cod. Regien. *Aduersùs doctum*. Fortassis hic sensus: Adversùs hominem astutum, ac prudentem nil calliditas potest. *Mur.*
(144) Familiares, sive famulos suos. *Mur.*
(145) Ex Cod. antiq. legitur *reserarunt æditui quam*, ideſt Janitores postquam primam portam reserarant, statim intromisso Bonifacio claudunt. Sed ab ejus asseclis rursus effringitur. *Leib.*
MSti quoque, quibus utor, habent *reserarunt*. Mur.
(146) Fortasse, *quam Dux*. Mur.
(147) In Regien. Cod. *postulat ultro*. Mur.

Digitized by Google

Libram candelam ceræ ſimul omnis habebat,
Atque ſuis cunctis accenſas has dare juſſit,
Et tentas (148) haſtas ſuper ipſas figere mandat,
Ante ſuam multam faciem jubet ire columnam
Ceræ ſplendentem grandi de lumine, nempe
Militibus denſus, & miro lumine ſeptus
Regis ad hoſpicium properabat; longiùs ipſum
Aſpiciunt ſervi venientem denique Regis,
Una velut ſilva flagraret terra vel ipſa,
Sic apparebat. Rex hoc quoque proſpiciebat,
Contra quem noſcens idem Rex nil modò poſſe,
Retro redire ſibi grates magnaſque remiſit.

CAP. XIV.

Quòd Bonifacius ſtudioſus fuit in divinis rebus.

ACtibus ut Mundi (149) Bonifacius iſte refulſit,
Sic cluit in factis divinis ac venerandis:
Pontifices Sacros habuit quammaximè caros,
Ipſis donabat, quæ cenſuit his fore grata;
Pſallebant ſemper Capellani reverenter
Horas nocturnas ſibi quotidieque diurnas;
Nemo capellam ſuper ipſum (150) Præſul habebat.
Dilexit Clerum, ſed eo Monachum magè verum:
Propria peccata generoſus hic atque piacla
Cum ſtudio magno pandebat fratribus anno
Omni, Pompoſæ Chriſto famulantibus, ore
Cum proprio, plangens cum corde, petens veniamque;
Fratres, ac Abbas ejus delicta lavabant;
Eccleſiæ quorum ſolito dabat optima dona,
Rex etenim nunquam dedit ullus ibi meliora.
Contigit ire ſemel illuc, moremque tenere
Illum, quem dudum retinere ſolebat in uſu,
Scilicet aſſiſtens ad opus divum bonus ipſe,
Stabat in excelſo ſolio, non corde ſuperbo;
Aſpicienſque Chorum, facies vidit puerorum
In terra pronas, pſallentes dulciter horas,
De quibus admirans, ita cur ſtant, ſeque regirant,
A Monachis didicit, ſemper quòd ſtant, ita fixi;
Hoc non oblitus jocundus Dux & opimus,
Ire ſuper tectum clam templi fecit honeſtum
Quendam quippe virum cum numis, vult quia mirum
Ipſe videre, decem libras vir jactat ab æde
In medioque choro ſtrepitus ſonat, & puerorum,
Quorum palpebræ penitùs nec ſic patuere,
Aſpexit numum, tetigit non ullus & unum.

A Unde magìs gaudens præclarus Dux, ait autem
In modicis annis ſunt hi pueri velut alni,
Talis laudetur jocus, ac recitetur, ametur.

CAP. XV.

Quòd à Regibus Theutonicis venit mos venundandi Eccleſias, & quòd Bonifacius accepit inde Pœnitentiam à Guidone (151) Abbate.

THeutonici Reges perverſum dogma ſequentes,
Templa dabant Summi Domini ſæpiſſimè numis
B Præſulibus cunctis, ſed & omnis Epiſcopus urbis
Plebes vendebat, quas ſub ſe quiſque regebat.
Exemplo quorum manibus nec non laicorum
Eccleſiæ Chriſti vendebantur maledictis
Presbyteris, Cleris, quod erat confuſio plebis,
Qua de re Guido ſacer Abbas arguit, immo
Nunc Bonifacius (152) ne venderet ampliùs, ipſum
Ante Dei Matris altare flagellat amarè (153)
Verberibus nudum, qui deliciis erat uſus,
Pompoſæ vovit tunc Abbatique Guidoni,
Eccleſiam nullam quòd ipſe (154) venderet unquam:
Hoc pro peccato, multis aliiſque patrato
C Vovit adhuc votum nonnullis denique notum,
Scilicet ad cultum Chriſti, Sanctumque Sepulchrum
De prope debebat quòd pergere, ſi ſibi cedat
Vita, ſalus, tantùm vel ad unum pleniter annum;
Atque novam puppim fieri Dux illico juſſit,
Sumptus atque locat quo compleat hæc ſua vota.
Sed complere nequit, quia mors non hoc ſibi cedit
Ipſe die ſexta, (155) Maji poſt quippe Calendas
Deſeruit terram, quem Chriſtus ducat ad ethram. (156)
Quando defunctus, terræ datus, eſtque ſepultus,
Tunc quinquaginta duo tempora mille Dei
D ſtant;
Mantua corpus habes, honor ingens eſt tibi, grates
Inde referre Deo debes ſæpiſſimè; verò
Ejus ut à pœnis animam caveat Deus avi (157)
Corde Deum recto jugiter pulſare memento;
Propter quem Chriſtum roget omnis homo Crucifixum:
Tartarei pœnas Deus aufer eique catenas,

Cùm

(148) Habet Cod. Padoliron. *Et tenſas*. Mur.

(149) Poſt hæc in antiqua Epitome MSta Codicis Eſtenſis iſta adduntur: *Dux & Marchio Bonifacius fuit ſapiens, benignus, & prudens, & largus, & pauperum amator, & miſericors, & omnibus amabilis, & in conſiliis providus, & diſcretus, facundus in loquela, & conſtans animo, Eccleſiarum defenſor, & in Divinis Officiis libenter audiebat, & donabat Eccleſiis &c.* Hæc proculdubio è Donizonis Carmine deducta, quum tamen nihil horum in editis occurrat. Aut ergo intercidiſſe putandus eſt aliquis verſus, aut Epitomes Auctor reddidit his verbis Caput VIII. hujus Libri II. ubi ſunt laudes Bonifacii. *Mur.*

(150) Ipſius Capella ornatiorem. *Leib.*

(151) Ita quoque in Regienſi Codice. In Padoliron. additur *à Sancto Guidone*. Hoc eſt Abbate Pompoſiani Cœnobii in Ferrarienſi agro verſùs Hadriaticum ſiti. Probatæ ſanctitatis famam adeptus ad Cœlum evocatus eſt anno 1046. Hermanno Contracto teſte; ejuſque vitam Bollandus edidit. *Mur.*

(152) MSti Codices, *nunc Bonifacium*. Mur.

(153) Cod. Padoliron. *amaris*. Mur.

(154) Idem Codex *quod per ſe*. Mur.

(155) Eſt mihi Charta concordiæ inter Bonifacium noſtrum, atque Ottam Abbatiſſam Parthenonis Brixienſis Sanctæ Juliæ, ſcripta paucis ante diebus, videlicet, *anno Milleſimo quinquageſimo ſecundo, Enricus gratia Dei Imp. Aug. anno Imperii ejus ſexto, quarto Kalendas Aprilis, Ind. quinta. Actum in civitate Mantuæ in Palatio eidem Marchionis Bonefacii.* Quare vides, rectè hæc congruere cum iis, quæ habet Donizo. Arnulphus Mediolanenſis in Hiſtoria ſua Bonifacium perquam ſenem nobis exhibet. Et revera quum circiter annum 1004. Marchionem agere cœperit, anno 1052. ſenex fuerit oportet. *Mur.*

(156) Ex inſidiis reciſum narrat Hermannus Contractus 1052. quod Poëta diſſimulat. *Leib.*

(157) Fortè *Deus ævi*: Dominus ſæculorum. *Leib.* In Codicibus MStis, quibus utor, *Deus ævi*. Neque Codicibus opus erat. *Mur.*

Digitized by Google

Cùm veneris judex cum Sanctis, da sibi lucem, Virgo Maria caput, dextram Michaëlq; beatus, Petrus & Andreas, Apollonius quoque lævam Illius extollant, & eum super astra recondant, Amen.

CAP. XVI.

Urbana altercatio inter Canossam & Mantuam de corpore Ducis & Marchionis Bonifacii (158).

CANOSSA DICIT.

☞ „ IN tumulo patrum Dominus meus esse locatum
„ Optavit corpus proprium Bonifacius. Hoc tu
„ Verùm præsumens rapuisti, Mantua. Cur me
„ Corpore de tanto turbasti, me spoliando?

MANTUA RESPONDET.

„ URbs ego sum dicta: tu diceris Arx Canusina.
„ Sunt homines mecum, referas quod prospice mecum (159).
„ Divitias multas habeo, ô paupercula stulta.
„ Flumine sum cincta, de navibus undiq; firma.
„ Non alibi justè decet hoc nisi corpus in urbe.

CANOSSA DICIT.

„ URbis habes nomen, sed non es grandis honore.
„ Si populos multos habeas, tamen absque triumpho
„ Vivere te scimus, nisi te juvet alter amicus.
„ Contra te bella si surgant, quidve misella
„ Tu facies? Duro non es circumdata muro;
„ Percuteris per aquas, per terras, quando rebellas.
„ Spes tua post sepem; clypeum vult stipes (160) & ensem
„ Omnis, enim tu sic evadere vixque valebis,
„ Prœlia si saltem per tempora te tria calcent.
„ Divitiæ sumtæ quin deficient tibi cunctæ.
„ Putrida (161) lympharum, febriumque moratus earum,
„ Algorem mittit, sed & æstum qui nimis urit.
„ Incolumis quippe vivo per tempora mille.
„ Porrò cœnosa procul à me scrobs & aquosa.
„ Si venerit bellum mihi, quod sit forte duellum (162)
„ Militibus paucis mea vinco prœlia fortis.
„ Contingat non (163) si quando (quod neque credo)
„ Obsidio durans circa me vel duro lustra,
„ Nullatenus bello superabor, nec comedendo,
„ Quum lapis existam, murus quoque desuper instat.
„ Mœnia celsa mea super omnia castra repleta
„ Sunt ex frumento, vel carne, simulque Lyæo.
„ Cum paucis dego, ludendo tuta sedebo.
„ Machina nulla mihi, non ulla sagitta remitti
„ Officit, in nihilum capio seu computo pilum.
„ Nil paveo Regem; sed tu quemcumque rebellem.
„ Præfati noscas Domini quòd me decet ossa.

MANTUA RESPONDET.

„ VErè tu firma, tecumque superbia dira.
„ Nil tamen est mirum; nullum sapis ipsa periclum.
„ Crebrò sui sub aquis, ac sæpe fatigor in armis.
„ Quamvis longævo sis proxima denique cœlo,
„ Unde superba manes, tamen alvum (164) quæris amœne.
„ En habeo Divûm mirabile prorsus asylum,
„ Per quod te vinco. Sed si vis, verba relinquo.

CANOSSA DICIT.

„ QUod potes, & nosti, mox auribus ingere nostris.

MANTUA RESPONDET.

„ ECclesia præsto ditata Præsule recto;
„ Ac resonant planè cantus ibi Presbyterales.
„ Reliquiæ multæ venerantur ibi bene cultæ.

CANOSSA COMMOTA DICIT.

„ SUbjaceo tibi nil, quia nobiliùs mea sistit.
„ Nam mea sub Papa, tua verò sub Patriarcha (165).
„ Est mea Romana; tua constat Aquilegiana.
„ Præsul nempe tuus Synodum placitatur ad hujus,
„ Nolens aut malès facis imperium Patriarchæ.

„ Si

---

(158) In hactenus editis subsequebatur Cap. XVII. ita inscriptum: *Quot annis vixit Beatrix* &c. ☞ Verùm heic interserenda est *urbana altercatio inter Mantuam, & Canossam*, extra suum locum hactenus posita. Nempe hæc de Mantua conqueritur: quòd sibi corpus inclyti Ducis Bonifacii usurparit, quando reliqui ejus Majores Canossæ fuerant tumulati. Quod præterea novæ huic nostræ editioni gratulandum est, ex Codicibus MStis Regiensi, & Padolironensi ego hausi, & heic proferam quamplures versus in præcedentibus editionibus desideratos, & omnes nunc suo loco restitutos. *Mur.*

(159) Fortasse legendum *quot prospice*, seu *perspice tecum*. Idest ego plurimis abundo Civibus; tu perspice, quot referas tecum: nempe pauciſſimos. Aut refer, quot tu perspicias tecum. *Mur.*

(160) Si quid intelligo, mœnibus tunc nondum extructis, solis palis circumpositis, atque humi defixis (nunc *pallizzata*) Mantua civitas eo tempore se tutabatur. Multos homines ad sui tutelam ejusmodi murus poscit. Contra paucis indigebat Canossa, ut se ab hostium impetu defenderet. Sensus ergo mihi videtur: singuli pali exigunt armatum hominem, & eo etiam pacto vix impedias hostem, quominus te vincat. *Mur.*

(161) En ut ante sexcentos annos se Mantua haberet, scilicet iisdem, quibus ævo nostro, obnoxia incommodis ex *Stagno* circumfuso, cujus vel meminit Livius. *Putidam Paludem* appellavit etiam Catullus, in contermino agro natus. *Mur.*

(162) A *duellum*. Etymologiarum Scriptores contendunt efformatum *bellum*; atque idem reapse antiquis significabat. Hic fortasse sensus: Si quando bellum occurrat, in quo acriter sit pugnandum. *Mur.*

(163) Lubenter scriberem: *contingat nam*. Mur.

(164) In fine hujus confictæ concertationis eadem voce rursus utitur Donizo, inquiens: *ut teneas alvum nostri Domini volo*: Quare *alvum* pro *corpore*, sed parum eleganti licentia, adhibitum puto. *Mur.*

(165) Auctor est Ughellus, sub Leone III. Romano Pontifice anno 804. institutum primò fuisse Mantuanum Episcopatum, & Aquilejensi Patriarchæ suppositum. Anno verò 1453. uni Apostolicæ Sedi immediatè, ut ajunt parêre cœpit. Hinc Donizoni ansa ad extollendam Canusinam Ecclesiam, jam tunc ab uno Romano Pontifice pendentem. *Mur.*

Digitized by Google

„ Si renovas ipsum, Pater archos (166) con-
„ fecrat illum;
„ Omnis enim Clerus tuus exstat servus in-
„ ævum.
„ Libera per Papam mea Lyrica (167) per-
„ manet alma.
„ Hæc Domini prisci, generosi scilicet illi,
„ Qui me struxerunt, quondam fieri voluerunt.
„ Misit ob hoc factum Romam pater Atto
„ Tedaldum,
„ Qui precibus justis Benedictum (168) po-
„ stulat Urbis
„ Romæ Pontificem, qui gratis præstat ei-
„ dem,
„ Solutam reddens, ne Pontifices ibi legem
„ Constituant ullã, nec eis subjecta sit umquam,
„ Romanæ Sedi sed sit subjecta fidelis.
„ Non aliquam Synodum permittit quærere
„ nostro
„ Præposito, numquam petit & Clerus suus
„ ullam.
„ Munia divina cupiunt acquirere si qua,
„ Ad quemcumque locum placet illis, per-
„ gere possunt,
„ Catholicus tantùm caveant sit Episcopus,
„ almum
„ Officium ritè sanctèque det ac reverenter.
„ Pulvere Sanctorum, seu cantu Presbyterorum
„ Esse redimitum, sape, vestibulum Canusinum

MANTUA RESPONDIT.

HÆc ignorabam de te, mihi crede beata,
Sed sub Regino te Præsule non fore
(169) miror.

CANOSSA DICIT.

SI ego (170) Reginum timeo mos est ut
amicum,
Lex mea privata, (171) Benedictus quam
mihi Papa
Præbuit in carta carecti (172) formiter ampla,
Separat à Christo, si quid mihi demerit ipsum,
Illius à cura procul omnia sunt mea jura;
Pontifices omnes pœna simili quoque torret.

MANTUA RESPONDIT.

PArce mihi, quæso, video te tangere cœlum.

CANOSSA DICIT.

PArco tibi valde, mecum cane carmina
saltem
Ex Domino nostro Bonifacio velut opto.

MANTUA RESPONDIT.

QUid proba dixisti? metra plurima te sinè
finxi;
Immemor es forsan metrorum me fore
(173) portam?
Dulcis amica mea, generavi namque poëtam
Virgilium (174), certum super omnes edere
versus.

CANOSSA DICIT.

ORe tuo damnas temet nimium mea fallax;
Nunquid non nosco quantum tibi perti-
net auctor
Virgilius? quippe genitus de te fuit ipse,
Sed sufferre tuum nequit opprobrium sibi du-
rum,
Olim quod vilis per Regem sustinuisti,
Cantat nempe metrum de te, quod scis bene
mecum:
Mantua væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ.
Ut te cognoscas, statim recolam tibi causas.
Antonius quidam commovit Cæsaris iram,
Propter eum rura sua perdidit alta Cremona;
Cæsare dante quidem tua militibus, dedit idem
Te conculcatam dimittens Tityrus, auras
Nostras, & sylvas (175), montes, petiit quo-
que villas;
Castaneasque bonas, comedebat mitia poma,
Hæc

(166) Quamquam superfluum sit meminisse, prò *Patriarcha* usus est Poëta. *Mur.*

(167) MSti Codices *mea lirrica*. Scripsi ego *Lyrica*. Sed quid sibi vult insolens hoc in loco vocabulum istud? Siquidem ita Donizo scripsit, intolerandâ licentiâ significavit Chorum Clericorum Canusinæ Ecclesiæ. *Mur.*

(168) Nempe septimum hujus nominis. Obtulit mihi Estense Archivum pervetustam pergamenam, ubi fragmentum ejusdem Benedictinæ Bullæ, quæ scripta est *per manum Stephani Notarii Sacri Scrinei Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ind. IV.* data verò *IV. Kal. Januarii per manus Guidonis Episcopi, & Bibliotbecarii Sanctæ Sanctæ Sedis Apostolicæ* (quem Ciampinius ignoravit in suo Catalogo Bibliothecariorum S. R. Ecclesiæ) *Anno Pontificatus Domni Benedicti Sanctissimi VII. Papæ Secundo, Imperii verò Domni Ottonis Tertio*. Hoc est anno 976. aut potiùs 975. hunc enim nodum tentare heic non vacat. Ibi autem legitur: *qualiter Teudaldus Comes filius Adelberti jam Comitis limina Apostolorum digna devotione visitans, ex parte sui Patris hujusmodi à nostra Apostolica auctoritate petiit, ut Ecclesiam in honore Sanctorum Confessorum Dei, Apollonii videlicet, Urficini, atque Rusticiani, Martyrum quoque Mauricii, Alexandri, & Victoris consecratam, quam ipse Adelbertus in suis propriis rebus, videlicet in rupe, quæ Canusia vocatur, ab imis fundamentis construxerat*. Tum addit, decimam ab ea collatam *ad usum fruendi XII. Canonicorum* &c. Auctor est Donizo, Romam missum *ob hoc factum* ab Attone Patre Tedaldum. Hoc idem ex iis Bullæ verbis eruitur *ex parte sui Patris*. Quid ergo sibi volunt altera illa Bullæ verba: *Adelberti* jam *Comitis*? Hominem jam fato functum hæc indicare videntur. Aut ergo in itinere Tedaldi ad plures abiit Atto, qui & Adelbertus ejus Pater; aut in senectam declinans jam populorum regimine ille se abdicarat, suumque filium publicis rebus præfecerat: quod & ex assumto per filium *Comitis* titulo suaderi potest. Erit huic monumento suus alibi locus. *Mur.*

(169) *Non fore*, idest non esse. *Leib.*

(170) Codex antiq *Sic ego*. Leib.
In Cod. quoque Regien. *Sic ego*. Mur.

(171) Privilegium Benedicti Papæ VI. vel VII. *Leib.*

(172) Codex antiquus *fortiter*. Charta carecti puto est quæ ex papyro est, seu arundine. *Leib.*
Ab antiquis appellabantur *carices* herbæ quædam *acutæ, densæ, & sparto similes*, Isidoro teste. *Carecta* verò loca caricibus obsita. Propterea vox mihi heic suspecta, quamquam ad ea usque tempora in usu fuisse Ægyptiacam papyrum diffiteri nolim. Num Donizoni scriptum *Charactiformiter ampla*, hoc est amplâ formâ Characterum? Num *Carecta*, seu *Characta* pro *exarata* à *Charaxo*, quod est scribo? *Mur.*

(173) Esse. *Leib.*

(174) Cod. Regien. *Virgilium certè*. Mur.

(175) Si Donizoni fides habenda, in Regiensem agrum, à Patriæ tumultu compulsus fecessit Virgilius, ibique Bucolica sua carmina concinnavit. At ubinam ejusmodi rei Donizoni nostro certæ tabulæ? *Mur.*

Hæc tibi sint nota, *Maronis dicitur aula*
Hactenus & sylva, per quam pascebat ovillas.
Astet Balista (176) mons, nascitur hanc prope
silvam,
In quo Virgilius titulum facit hoc modo
scriptum:
Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultas
Nocte, die, tutum carpe, viator, iter.
Hic Balista latro fuit ingens, hic quoque (177)
Maro
Propterea scripsit, qui (178) amor tuus extitit
illic,
Ex hoc quod scimus potes & tu discere visu,
Si quid habes dubii, primi lege carmina libri
Ipsius & statim tu non mea dicta negabis.
Quando te fugit (179) miseram prope me (180)
cucurrit
Quæ meditans finxit, mihi primitus, haud
tibi dixit.
Ergo qua fronte potes illum quærere? nonne
Perrexit Romam regni rogitare coronam, (181)
Liber ut esse queat? sibi quam dedit illico
Cæsar,
Cognovit postquam sapientis carmina docta.
Hoc tu nolo neges, recolo tibi metra repentè:
Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè,
Divisum Imperium cum Jove Cæsar habes
(182)
Nec Maro parva metra (183) jecit Regis in
aula;
Cùmque reperta forent, Rex cuidam fecit ho-
norem,
Qui se laudabat, quod fecerat hæc metra cara;
Tityrus inde dolens iterum conscripsit eosdem
Versus sic pulchrè de facta fraude refundens:
Hos ego versiculos feci, tulit alter honorem,
Sic vos non vobis vellera fertis oves, (184)
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Hos partim jactans (185) in eadem Cæsaris aula,
Non latuit Regem, quis carmina tanta referret.
Imperat ante suum Maronem ducere vultum,
Præstat quæque; rogat libertatem, sibi donat.
Ad te qui jussu remeavit Cæsaris hujus,

Sed non quod posceit, quisti dare tu sibi, no-
stri (186).
Nam repetens agros, ceu jusserat Induperator,
Arrius (187) est quidam Centurio motus in ira,
Ejus habens agros, occidere quærit ut atrox
Virgilium, fluvius sed Mincius abdidit illum,
Se jactans mortem vitavit ibi, sed & hostem.
Cæsaris ad vultum (188) replecavit qui citò
cursum;
Rexque viros claros tres secum misit, ut agros
Restituant ipsi, fecere quod infimul ipsi.
Tu sibi nec vitam servasti, rura nec ipsa;
Desine jactari jam te, jam Mantua vanis
Laudibus ex istis, vacuæ sunt ceu tibi dixi,
Pone supercilia, mecum contendere vita.

MANTUA RESPONDIT.

PRæcipe quæque placent mihi, pœnitet è
nimis (189) acre.

CANOSSA DICIT. (190)

UT teneas alium (191) nostri Domini volo
tantùm
Ac jubeo; metrum sed nullum psallere tecum
Ulteriùs glisco, didici meliùs quia dicto (192)
Sola manens, metrum præstet decedere (193)
verum,
Quod placeat cuncto recitatū maximè Mundo.

CAP. XVII.

Quot annis vixit Beatrix post Bonifacium, & quàm prudenter omnia regit.

QUis narrare potest quantum prudenter
honores,
Ejus post finem, tenuit conjux sua vivens
Bis denis Annis post ipsum quinque peractis;
Oppida, Castella, Marcham (*) propriam
quoque terram
Ritè gubernavit, tenuit Comitissa Beatrix (194),
Moribus in pulchris natam nutrivit ab ulnis,
Scilicet excelsam Mathildem mente modestam,
Bina Monasteria cum qua simul edidit ipsa;
Ut tueatur eas qui Cœli ducit habenas,
Fa-

(176) Legendum *Ast & Balista*. Sequitur Cod. Regien. *nascitur & prope silvam*. Nunc appellatur *Monte di Valestra*, situm cujus quicumque spectat, delectationem capit. In cacumine plateam natura velut artis æmulatrix fecit. Subtus in saxo varii specus; ibique delitescere thesauros, quorum Cacodæmon custos, credulum vulgus refert. Desumsit autem Donizo hos versus ex antiqua Virgilii Vita, quæ Donato Grammatico tribuitur. Sed longè ante Virgilium Balistæ monti nomen fuit. *Mur.*

(177) Codices nostri: *hunc quoque*. Mur.

(178) Codex antiq. *quia*. Leib.
Vide, quot nobis errores oculus incautus creet! Nihil aliud heic est, nisi *quia mortuus extitit illic*. Ita MSti Codices nostri. *Mur.*

(179) Vereor, ut Donizo ex iis, quæ supersunt, Virgilii carminibus persuadere nobis possit, Poëtam ex afflicto agro Mantuano se in Regienses colles recepisse. *Mur.*

(180) Codex antiq. *meque*. Leib.

(181) Regem significat, hoc est Augustum Cæsarem. *Mur.*

(182) Legerem lubentiùs *habet*. Ita in Virgilii Vita à Tib. Claudio Donato antiquitus scripta, quam expilavit Donizo noster, ut heic de Virgilio cum Mantua contenderet, eumque in Canossæ, seu Regii Lepidi montibus consedisse ostendat. *Mur.*

(183) Fortè *projecit*. Leib.
Cod. Padoliron. *pauca metra*. Mur.

(184) In ambobus Codicibus nostris MStis duo versus adduntur, nempe:
Sic vos non vobis fertis aratra boves.
Sic vos non vobis nidificatis aves:
Et quidem addenda. Ea enim exhibentur etiam in nuper laudata Virgilii Vita.

(185) In Regien. Cod. rectiùs habetur: *Hos pariter jactans*. Mur.

(186) Ideſt *nostros*. Leib.
Fortasse *nosti*. Donizo censuit, Virgilium revera *servilem* olim egisse vitam, eumque ab Augusto *libertate* donatum. Sed ex Ecloga ejus prima, quam heic ante oculos Donizo habuit, hoc minimè excalpas. Imò & obstant veterum testimonia. *Mur.*

(187) In Virgilii Vita *Atius* appellatur. *Mur.*

(188) Fortè *repedavit*. Leib.
Et quidem in Regien. Cod. legitur, *repedavit*. Fortassis etiam *replicavit*. Mur.

(189) In Cod. Regien. *pæniteo nimis acta*. Mur.

(190) Hæc in Codicibus nostris non leguntur, quasi Mantua loqui pergat. Verùm sequentia Canossam potiùs loquentem exhibent. *Mur.*

(191) Codex antiq. *alvum*. Leib.

(192) Hoc est, siquidem conjicio, didici, me solam manentem dictare meliora. *Mur.*

(193) Cod. antiq. *dsedere*, ideſt *discedere*. Leib.
Codices nostros præfero, ubi *Deus edere*. Lectionem Codicis Vaticani, nempe *ds edere*, si attentiùs perspexisset Amanuensis, intellexisset non *discedere*, sed *Deus edere*, illic legi. *Mur.*

(*) Scilicet Tusciæ. In actis eorum temporum Beatrix ista *Ducatrix* appellatur, nam Tusciæ Marchiones Ducali quoque titulo fruebantur. *Mur.*

(194) Dissimulat Poëta secundum ejus matrimonium cum Godefrido Duce, & captivitatem, in qua eam habuit Henricus Imp., quòd hosti ipsius nupsisset. Obiit Godefridus anno 1069. quo etiam credit Florentinus filiam Beatricis Mathildem filio Godefridi Godefrido desponsatam. *Leib.*

Digitized by Google

Faxinorense (195) Monasterium primum fuit illud;
Prædia multa satìs dedit illis (**) magna Beatrix;
Esse quia Monachos plus quàm Clericos venerandos
Credebant ambæ (196); Canusinæ quoque Sanctæ
Ecclesiæ nomen (197) mutaverunt & honorem
In melius, dudum cui præpositus fuit unus,
Usus cum Cleris (198) non ni tantùm duodenis
Deservire quidem, nunc Abbas servit ibidem
Cum Monachis Christo multis famulantibus illo.

CAP. XVIII.

Quòd secundus Henricus tempore Beatricis mortuus est, & quòd tertius Henricus cum Papa Alexandro II. nimiè discordatus est.

CÆsar Henricus Comitissæ tempore vivus
Extiterat, scimus quòd herus (199) fuit atque propinquus
Ipse Beatricis magnæ, natæque Mathildis.
Mortuus Augustus fuit hic in pace sepultus.
Postquam (200) surrexit, qui de lumbis puer exit
Illius, in Regnum, fiet per quem male rectum,
Scilicet Henricus crudelis tertius hydrus;
Cujus erat Mater Regina videlicet Agnes,
Hunc in ventre gerens, vidit quòd sit draco verè
In somnis infans; hoc multis retulit ipsa.
Hunc Victor (201) Regem laudavit Papa recenter,
Hic nimis exercens crudelia Rex adolescens;
Ut sonipes mulus, sensus non est quibus ullus,
A Papis Sanctis verbis sæpissimè blandis
Admonitus, senates genuit mens illius ex se;
Nicolaum Papam (202) contemsit mens sua prava,
Sprevit Alexandrum Papam verè venerandum,
Tollere Romanum cui tentat Pontificatum,
Quendam Parmensem Cadalum Papam jubet esse:
Præsul erat Parmæ Cadalus ditissimus, atque
Præparat absque mora se contra pergere Romam
Filius iste mali, quem sprevit docta Beatrix.
Nam foveam parvam, deridendi sibi causâ,
In strata fieri tunc præcepit Motinensi (203),
In noctis tenebris. Cadalus tenebrosus at ivit
Multos conducens, caput orbis venit ab urbem,
Quem pars perversa preciosius (204) cepit, aberrans
A dictis Cæphe, sed pars sibi dextra repentè
Obviat ad pugnam, Cadaloa cohorsque repugnans

Exu-

(195) Codex ant. *Fraxinorense Monasterium fuit illud*. Leib.
Scribendum *Fraxinorense*, nunc *Frassinoro*, qui pagus super montes agri Mutinensis euntibus Saxolo ad Carphinianam, ac Tusciam invisendum se præbet. Vide in Bullar. Casin. Constitutionem CVII. ubi donatio à Beatrice facta eidem Cœnobio. Habeo Diploma Frederici I. datum anno 1164. quo *Monasterium Sancti Claudii de Fraxinorio, & Venerabilem ejus Abbatem VVillelmum* sub protectione sua recipit, ejusque jura confirmat. Inquirenti mihi olim vestigia veteris Cœnobii, si Templum excipias ex vetustate commendandum, vix aliud quidquam visu dignum occurrit. Loci autem reditus, qui olim complures erant, Romano Maronitarum Collegio attributi fuere. *Mur.*

(**) MStus Cod. Regien. *dedit illis*. Neque solùm abundavit Fraxinorense Monasterium ingenti prædiorum cumulo, quæ canonem nunc emphyteuticum reddunt, sed etiam diversis Castellis olim imperavit, quæ à pluribus seculis in jus Reipublicæ Mutinensis concesserunt. *Mur.*

(196) Itaque Author ipse erat Monachus. *Leib.*

(197) Canonicorum Collegium, nempe XII. Canonicos sub Præposito, in Canossino Sancti Apollonii Templo Atto Comes Bonifacii Marchionis Avus erexerat. Beatrice autem, ac ejus filia Mathilde Comitissa curantibus, inde amoto Canonicorum cœtu, Monachis Benedictinis data fuit cum claustris Ecclesia. In eodem autem Cœnobio Deo militabat ipse Donizo hujus Carminis Auctor. *Mur.*

(198) Non nisi. *Leib.*

(199) Herus ex Græco, nexu (nempe sanguinis) ligatus; ἑρὸς, vel ἑρὸς est nexus. Florentinus pro *quòd herus* leg. *quàm hænus*, sed non explicat. Non satìs explorata est ratio consanguinitatis inter Imp. Henricum III. (quem Poëta secundum vocat, in Italia scilicet) & Beatricem. Sanè Henricus IV. *amitam* vocat in Epist. Regesto Gregorii VII. inserta. Uspergensis (1054.) *neptem* Henrici III. Domnizo Mathildam (filiam Beatricis) *consobrinam Henrici IV.*) infra lib. 2. cap. 1. Et sanè Henricus V. jure propinquitatis etiam hæreditatem Mathildis filiæ Beatricis sibi vindicavit. Sed cùm ignoretur, ex qua stirpe fuerit mater Beatricis, cui & ipsi nomen Mathildi; mirum non est gradum cognationis ignorari, nam *amitæ*, & *neptis* vocabula latè apud hujusmodi Scriptores sumi constat. Quid si Giselæ Conrado Imperatori nuptæ soror fuerit? ita & verborum proprietati, & rerum circumstantiis satisfiet. *Leib.*

(200) Lego *Post quem*. Mur.

(201) Scilicet Victor II. Papa anno 1056. quo è vivis sublato Henrico inter Augustos Secundo, ejus filius Henricus puer Regni Germanici, ac Italici frenum suscepit. Id factum *permittente Romano Pontifice Victore*, scribit Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII. Tom. III. Rerum Italicarum. Apud Poëtam nostrum *Victor Regem laudavit*. Consensus autem Papæ ideo commemoratus, quia non sinè ejus auctoritate Rex decernebatur, qui ex Regno jus accipiebat ad Romanum Imperium. *Mur.*

(202) Scilicet Secundum. Sed parcat Donizo. Henricus inter Germaniæ Reges IV. si fides Auctori Annalium Hildesheimensium, in lucem prodiit anno 1048. Si Hermanno Contracto, ejus nativitas in annum 1050. cadit; si denique Lamberto Scaphnaburgensi, eum peperit anno 1051. Agnes Imperatrix. Atqui Nicolaus II. Papa electus anno 1058. vivendi finem fecit anno 1061. Quei ergo dicendus est Henricus Rex puerulus, & annos tantùm decem aut undecim natus, contemsisse Nicolaum II.? Non desunt certa alia istius Principis vitia ac flagitia, quæ jure vituperes. *Mur.*

(203) Et quidem rudibus seculis in more fuit *Motinensem*, potiùs quàm *Mutinensem* appellare hanc civitatem. *Strata* verò *Mutinensis* eadem est ac Via Æmilia per Mutinam deducta, quam tamen nos *Claudiam* dicimus, neque recenti appellatione, sed perquam vetusta, ut antiquæ Chartæ urbis ostendunt. In Actis etiam Sancti Domnini Martyris apud Surium ad diem IX. Octobris, hæc habentur: *Beatus verò Domninus perrexit Via Claudia; Christiani alii per Flamineam, alii per Aureliam, alii item per Claudiam fugiunt.* Usuardus quoque in Martyrologio suo, & Romanum Martyrologium ad diem IX. Octobris *Claudiam* appellant. Id animadvertant Eruditi velim; hinc enim elucere videtur, à Claudio quodam restauratam fusse Viam Æmiliam, ideoque antiquum perdidisse nomen. Tib. Claudius Imperator apud Reines. Class. 3. num. 80. Inscript. Viam Valeriam à se restitutam, *Claudiam* appellandam curavit. Quidni hoc idem Æmiliæ Viæ contigerit? *Mur*

(204) Cod. ant. *pretio suscepit*, idest simoniacè. *Leib.*

Exuperat dextram partem, Tiberimve cruentat.
Obtinuit Præsul Cathedram ter sanguine (205) plenus
Ob terræ febres Parmenses mox rediere.
Pontificem solum linquunt proprium Cadaloum,
Pars ab eis fessa capit ipsum denique dextra,
Et super excelsam turrim Crescentis (206) apertam
Evehitur, vinclis constringitur undique firmis.
Præsul Alexander Cathedram recipit veneranter,
Ille fuga lapsus, Parmam redit undique lassus,
Nomen habet Papæ, quod nomen sumpsit inane,
Derisus valde moritur cum crimine Parmæ.
Pastor Alexander regnavit ovanter, ut ante,
Errantem Regem studuit revocare paternè,
Dicta patris sancti despexit perfidus ast hic.
Credere perversis tantùm vult atque protervis,
Vendebatque vagus super hæc mala Pontificatus;
Qui propter Papam non deseruit mala tanta.
Tristes inde satis Mathildis erantque Beatrix
Quæ sub Alexandro Papa stabant venerando.
His ita digestis præfatus Papa recessit
Ante novem soles* (207) Madius quàm ferret odores (208)
Ex illo Cosmo, supero requiescat in horto.
Anni mille Dei, tres, tunc quoque septuageni.

CAP. XIX.

Quòd post Alexandrum Gregorius Septimus Papa sacratus est, cum quo prælibatus Rex tamdiu discordatus est, quòd ab eo damnatus est.

POst Alexandrum fuit Ildeprandus amandus
Antistes factus, priùs Archidiaconus almus
Extitit ejusdem reverendæ sedis in urbe,
Dum consecratur, Gregorius ipse vocatur,
Jure Deus nomen sibi tale dedit vel honorem,
Ne lupus irrumpat, vigilat caulas ovium sat;
Noverat esse pius miseris, altis quoque dirus, (209)
Diversisque modis culmen retinebat honoris;
Plenus erat mira super omnes quippe sophia,
Septimus Antistes Gregorius extitit iste;
Lucra gregis quærens studuit Regemque monere
Dulciter, à tantis resipiscceret ut malefactis, (210)
Ecclesias scripsit precio ne venderet ipsi.
Ad cujus scripta rescripsit Rex bona dicta;

A Cujus Papa legens apices, gaudens ait esse
In Cœlo cunctis de tali gaudia justis.
Rex ultra montes degebat, Pastor in urbe,
Legatus velox referebat eis nova creberò;
Inter utrosque manens Mathildis cognita Mater,
Ut pax in Regno toto fieret sinè bello,
Pontificis pacem Regem suadebat amare,
Atque pium Papam de Regis amore rogabat.
(211) Regis erat Mater tunc Romæ subdita Papæ,
Quam vir amans pacem pro nati mittere pace
Ordinat, & secum Prænestinæ quoque verum
Pontificem Christi, cui jungit & Hostia (212) tristis
B Pontificem magnum, quem nomine clamo Giraldum;
Hos ultra montes direxit Papa, duosque,
Quos Rex dignanter cum matre recolligit Agne, (213)
In manibus quorum promisit jussa piorum
Se pro posse sequi, Papæ, Sancti quoque Petri,
Ecclesiam (214) Summi Domini non vendere nummis;
Lætificat valde nati responsio Matrem;
Romam regressa Papæ retulit nova gesta;
Papa Deo laudem tulit immensam super hanc rem.
Ad scelera rursum rediit Rex post modicum tunc,
C Ad quem mendacem direxit denuo Matrem;
De prope post ipsam sibi transmisit sua scripta;
Qui doluit tandem, Matrique spopondit ut ante
Credidit hoc statim genitrix, quod Rex simulavit,
Quæ rediit Romam, Papam reverenter honorans,
Post hæc ad Regem bis scripsit Papa decenter;
Quos apices sacros tenuit Rex maximè caros,
Quem tunc Saxones Regem sprevere feroces,
Prœlia qui secum statuunt committere demum:
(215) Quod Rex absque mora Papæ mandavit, adorans,
Atque petens ipsum, pro se roget ut Crucifixum.
Pastor confestim Saxonum mittere genti
D Curavit, planè pacem cupiens revocare,
Inde suus missus donec redeat, jubet ipsum
Regem nullo modo super ipsos pergere, quod non
Rex expectavit, galeatus quin equitavit,
Contra Saxones, qui fortes sunt & atroces.
Peccator quamvis, prudens tamen hic erat armis;
Commisso bello, victor Rex extitit ergo,
Unde superbus adest, Papam despexit, ut amens,
Om-

(205) MStus Padolir. habet *tunc sanguine*. Acta sunt hæc anno 1062. Auctor est Donizo, victoriam primò cessisse Cadaloi militibus. Et revera malè primò contigit Romanis pro Alexandro vero Papa prœliantibus. *Mur.*

(206) Molem Hadriani significat, quam nunc Arcem, seu Castrum Sancti Angeli dicimus. Turris autem *Crescentii* potiùs quàm *Crescentis* appellata fuit ab aliis Scriptoribus. In Vita Alexandri II. Tom. III. Rer. Italic. Cadalous dicitur receptus *in Castellum Sancti Angeli* à Cencio Præfecti filio, ibique *per duos annos obsessus*. Quæ heic habet Donizo *de vinclis firmis*, quibus ille constrictus fuit, liberaliter explicanda sunt de obsidione illa. *Mur.*

(207) Asterisco heic posuit Leibnitius, quasi aliquid desideretur. Verùm sensus bene constat, & nihil aliud poscit. Est autem ejusmodi: Præfatus Papa *recessit*, hoc est postremo fato sublatus est, *novem Soles ante quàm Madius ferret odores*, idest dies novem ante Kalendas Maji mensis, florum atque odorum parentis. Et quidem X. Kal. Maji Alexander II. obiit anno 1073. *Mur.*

(208) Ideſt mense Aprili anni 1073. *Leib.*

E (209) Rectiùs in Codicibus nostris *quoque durus*. *Mur.*

(210) In Cod. Padolir. *maledictis*. Mur.

(211) Sequentes 19. versus citat Baron. Tom. XI. 1074. *Leib.*
Agnes Augusta, quæ anno 1074. pro Gregorio VII. stabat, & vulnera Ecclesiæ illata à filio sanare nitebatur. *Mur.*

(212) *Ostia*. Leib.

(213) Ad ipsum cum matre venientes. Lambertus ait, cum Imperatrice Legatos venisse Episcopos Ostiensem, Prænestinum, Curiensem, Cumensem 1074. *Leib.*

(214) Cod. Regien. & quidem rectiùs, *Ecclesias*. *Mur*

(215) Sequentes 13. versus recitat Bar. 1075. num. 25. *Leib.*

Digitized by Google

Omnia quæ Papæ matrique ſpoponderat ante,
Fregit & invaſit, Simoniacos revocavit.
Afficitur valde vir Apoſtolicus ſuper hanc rem;
Accitis miſſis multis hoc illico ſcripſit,
Atque Beatrici Dominæ, prolique Mathildi,
Quæ Dominum Papam flagrantem (216) ſemper amabant,
Perfidiam Regis deteſtavere tumentis.
(217) Acriùs ad Regem ſcripſit Paſtor Sacer, & ſe
Ulteriùs clamat non poſſe pati mala tanta.
Rex mox hac illac diſcurrere cœpit, ad iſta
Plures perverſos coadunans tempore certo,
Cum quibus adversùm Patrem loquitur revecundum.
Moguntinus ibi fuit Archiepiſcopus, ipſi
Judicium totum tribuit Rex flagitioſus.
Huc Ugo tunc falſus venit, qui dicitur albus,
(218) Officit hic multis; Romanæ Presbyter (219) urbis
Ter damnatus erat, precio quia reſtituebat
Emptores Chriſti templorum, junctus & ipſis
Adversùs Papam fingens mala, lætificabat
Corda malignorum, Regis ſimul, & Sociorum.
Audax Antiſtes Moguntinus nimis ille,
Non Chriſtum timuit, Papam quando maledixit,
Cuncti ſubſcribunt, magis ipſi ſe maledicunt.
O blaſphemia non hîc, neque poſt abolenda!
Hoc Anathema quidem mandavit (220) mox procul idem
Ad (221) Longobardos Simoniacos nimis altos,
Qui læti facti, in Papam (222) denique raptim
Omnes concurrunt, Regis faciunt quoq; juſſum,
Jurant, ſubſcribunt, contra Dominumque Magiſtrum
Mittendos apices Romam, Rex edidit ipſe;
Qui de Sede Sacra dicebant ſurgere Papam,
Injuſtè ſtantem, Papatum depopulantem,
Quos Synodo coram ſtatuerunt mittere Romam.
Quidam Rolandus Darmenſis, Clericus aptus
Eligitur, quarum gerulus tunc literularum.
Incipiens (223) Synodum Paſtor Gregorius, ovum (224)
Gallinæ ſculptum geſtans in cortice ſcutum,
Et colubrum nigrum, qui tendebat caput, (ictu
Quippe repercuſſus quodam) pertingere ſurſum
Non poterat, clinum ſed ventre tenus caput ipſum
Torſerat & caudam triplicando dabat ſinuatam;
Non erat hæc plana, ſed erat ſculptura levata.
Ad Synodū fertur, nunquam par ante repertum.
Quod dum miratur, prædictus & ecce Rolandus

A

B

C

D

E

In medium venit, Papæ mox dicere cœpit:
Rex juſſit terræ, juſſerunt Pontificeſque,
Ut linquas ſedem, quam non es dignus habere.
Romanis Cleris mox idē portitor inquit (225)
Coſtes in pente Romam teſtor veniet Rex
Miſſurus Papam, Lupus hic non eſt quia Papa.
Sic dum blaſphemat, præfectus eum cupiebat
Privari vita gladio, commotus in ira. (226)
Quod feciſſet enim, ſed ei Pater almus adhæſit;
Vixque tacens cœtus cœleſti flamine plenus,
Papa beatus ait; turbari linquite nati
Eccleſiæ Sanctæ, veniunt quia tempora valde
Plena dolis nimis, (227) magniſque repleta periclis:
Expedit, exiſtant, quæ ſunt ut ſcandala ſcripta;
Væ ſed ei pravo, per quem ſunt ſcandala, clamo;
Noſtrum nempe modum, Deus infit, mitto luporum
In medio, vos ſic, velut agnos, dicoque vobis;
Vos, quaſi ſerpentes, prudentes convenit eſſe;
Vivere ſimpliciter veluti vivuntque columbæ.
Has geſtare decet virtutes non modò (228) verè,
Atque Crucem Chriſti ſtudeamus ferre metipſi,
Non nos à Chriſto tribulatio ſeparet iſto
Tempore, ſed colla ſubdamus membraq; noſtra
Martyrio; verbo fidei feriatur hic ergo
Oſtenſus ſerpens, qui ſcutum geſtat & enſem,
Adversùs Matrem Romanam Catholicamque
Eccleſiam, Chriſti de Sanguine rubra benigni.
Plura loquens Papa, dixit Synodus ſibi Sancta:
Tu Pater es Patrū, blaſphemū contere pravum;
Eſt noſtrum quippe juſſis parēre tuiſque;
Pro Chriſto mortē patienter gliſcimus omnes,
Judicium confer, gladium trahe, percute ſortem
Omnibus excelsè dignum clamantibus eſſe
Privari Regno Regem, maledicere nec non.
Papa dolens, vinclis Anathematis illico ſtrinxit
Regem prædictum, cui Regnum devetat ipſum.
In quadrageſima Synodus celebrata fit iſta (229).
Qui Petrum Sanctum, qui Papam diligit almum
Hoc Anathema probat, quod Regem ſic inhonorat.
A Petro quiſquis ſeu Papa diſcrepet (230) iſtis
Temporibus, firmæ permanſere Comitiſſæ
Magnæ, petra quaſi Mathildis, & alta Beatrix,
Hæ mediatrices inerant & Regis amicæ;
Cùmq; vident Regē per devia tendere ſemper,
Proximus illarum fuerat quia Rex & earum,
Ex ipſo mœſtæ pandebant ſe ſatis eſſe,
Sed tamen à Papa ſe non diſcedere clamant:

CAP.

(216) Cod. ant. *flagranter*. Leib.
In noſtris quoque Codicibus legitur *flagranter*. Mur.
(217) Seqq. verſus 28. recitat Baron. 1076. num. 15. *Leib.*
(218) Cod. ant. *offuit*, ideſt obfuit. *Leib.*
Habent & noſtri Codices *offuit*. De Hugone *Candido*, ſive *Albo*, aut *Blanco*, quem Italicè appellatum puto *Ugo Bianco*, multa habet Hiſtoria illorum temporum. Vide potiſſimum Tomo III. Rer. Ital. Vitam Gregorii VII. *Mur.*
(219) Presbyter Cardinalis, quem ait Lambertus propter ineptiam, & mores inconditos fuiſſe depoſitum. *Mur.*
(220) Cod. Regien. *mandarunt*. Scilicet hoc idem Anathema miſerunt Schiſmatici Epiſcopi è Conciliabulo VVormatienſi anno 1076. *Mur.*
(221) Bar. *Allobroges*. Sed Cod. ant. habet ut excuſum eſt. *Leib.*
(222) Cod. ant. *Papiam*, ubi Synodus ſcilicet habita contra Gregorium. *Leib.*
Codices quoque noſtri habent *Papiam*. Mur.
(223) Seqq. verſus 15. recitat Bar. 1076. num. 17. *Leib.*
(224) Narrat Poëta pro monſtro fuiſſe illatum in Synodum ovum gallinæ, in quo (natura an arte) ſculptus coluber, qui percuſſus caput fruſtra erigere tentabat; id viſum Symbolum rei, quæ tunc agebatur, & Simoniacam (opinor) hæreſim deſignare. *Leib.*
(225) Excidit heic verſus in hactenus editis. Addo ex fide MStorum Codicum, quibus utor. Sequitur ergo poſt hunc verſum.
Romanis Cleris mox idem portitor inquit:
Coſtes in Pente &c. Hoc eſt in Pentecoſte. *Mur.*
(226) Legatos ſuos in carcerem conjectos, & indignis modis habitos queritur Rex in Epiſtola apud Reubertum 195. Addatur Bertholdus ad ann. 1076. *Leib.*
(227) Scriberem *nimiis*. Mur.
(228) Cod. Regien. *nos modò*. Mur.
(229) Ann. 1076. *Leib.*
(230) Lego *diſcrepat*. Hoc eſt, à Gregorio VII. ſe averterunt quamplurimi; Beatrix verò, & Mathildis firmæ in ejus obedientia, ac patrocinio *permanſerunt*. Ita habet Cod. Padoliron. non verò *permanſere*. Mur.

Digitized by Google

CAP. XX.

De obitu Dominæ Beatricis, & quomodo Canoſſa dicit ex ea & de corpore ejus.

PLena bonis factis dictiſque referta Beatrix,
Cûctis cara nimis, magnis parvis quoq; Piſis
Ægra manens, vita de præſenti bene migrat,
Octo decemque dies (231) Aprilis dum ſinit ire
Chriſti poſt ortum vera de Virgine, corpus
Anno Milleno bis terno ſeptuageno
Condîtur Piſis, lucem videat Paradiſi.
Hanc Patres juſti ducant ſuper æthera cuncti.
Æſtimo, quòd vilem nimis ex hac me modo Piſę
Eſſe putent ſanè, niſi plangam, conquerar altè.
Perſpicuam Dominam cupiebam vivere vita
Longa, quo lætum potuiſſem ducere ſeclum:
Defunctum Corpus ſperabam reddere prorſus
A Dignæ telluri, dolor hic me funditus urit,
Cùm tenet urbs illã, quę non eſt tam bene digna.
Qui pergit Piſas, videt illic monſtra marina;
Hæc urbs Paganis, Turchis, Lybicis quoque Parthis
Sordida, Chaldæi ſua luſtrant littora tetri;
Sordibus à cunctis ſum mũda Canoſſa, ſepulchri
Atq; locus pulcher mecum; non expedit urbes
Quærere perjuras, patrãtes crimina plura (232):
Talibus in vicis contempſerunt ſepeliri
Præcipui magni noſtri Domini memorandi;
Sed ſe poſt mortem condi voluere Canoſſæ:
Artus jam dictæ dominæ teneant modò Piſæ,
Poſſideant, cautè nec non veneranter honorent;
Aſt animo mœſto jugiter maneo nimis ex hoc,
B Spero tamen per eum, qui conſolatur egenum
Me fieri lætam, mihi conſervando ſeveram
Mathildim, claram Dominã probitate notatam
Omni, cujus ego vitam per ſæcula quæro.

(231) In Chronicis Piſanis, quæ Ughellus edidit Tom. III. Ital. Sac. & ego in nonnullis correcta, ac ampliora iterum dabo, legitur: *Anno* 1077. (more Piſanorum, hoc eſt 1076.) *Comitiſſa Beatrix obiit IV. Kalendas Maji, & in magnifica tumba apud Majorem Eccleſiam Piſis ſepulta eſt, ob cujus reverentiam. Comitiſſa Matildis ejus filia, quæ obiit anno MCXVI.* (hoc eſt ſecundùm Epocham noſtram MCXV.) *Eccleſiam Piſanam in Tuſcia, & Lombardia dotavit poſſeſſionibus plurimis, & honoribus Regalibus ſatìs plenè.* Sed ex Donizone corrigendus heic dies emortualis Duciſſæ Beatricis, nempe ſcribendum non *IV.* ſed *XIV. Kal. Maji*, hoc eſt die XVIII. Aprilis. *Mur.*

(232) Cod. Padolir. *crimina multa*. Graviter heic in Piſanos invehitur Donizo, eos & perjurii, & multorum criminum reos traducens. Quæ hæc forent Hiſtoria ſilet; imò eorum fortia geſta in Saracenos Chriſtianorum hoſtes narrat. Verùm Donizonem urebat, quòd ipſis Saracenis liberum in ſuos Portus, ac urbem aditum, & commercium Piſani concederent, & fortaſſe quòd piraticam, pro more temporum illorum, exercerent. *Mur.*

C

Explicit Liber primus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS
LIBRI SECUNDI.

MAteriam parvam facit esse Comarcus (1) ut altam,
Dilatare quidem sua verba scit ipse peritè,
Materiam grandem sciolus describat ovanter,
Ut, quod ei prohibet peracuta peritia scire,
Scilicet in lætum (2) sermonem tendere parvum
Patret cum nota vel materia numerosa
Valde prolixam, poperculus (3) en ego scribam
Materiam, cuncto divulgatam ferè mundo.
Quamvis florescāt, quę scripsimus, ac reniteścant
De Ducibus claris, codex quos primus amavit,
Multo florebit vehementiùs, ac retinebunt (4)
Facta Ducatricis quæ sunt scribenda Mathildis.
Historiam longam metris describe Canossa.

Explicit Prologus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

QUicquid ego possũ de tanta dicere prorsus,
Scit populus mecum, minus est, plus ipsa meretur,
Tantùm mirari consultius esse sciatis.
Hæc est tam clara, ceu fulgida stella Dianæ (5),
Hæc radiata fide, stat spe circumdata mirè.
Huic sincera manet major dilectio sanè;
Hæc peramat celsum, per quem sunt omnia, Verbum.
Illius & servos, quos invenit esse modestos,
Diligit & laudat, reverenter obedit, honorat;
Hæc odit vitia, virtutes comprobat ipsa (6);
Elatis alta, mitis sed mitibus astat;
Scit mulcere pios, terrere sed hæc scit iniquos.
Prospera non mutant, seu non hanc tristia turbant;
Omnibus in rebus graditur discretio secum.
Omnibus in Regnis sua currit fama perennis,
Evehitur lintri trans Pontum fama Mathildis,
Nomine de cujus Turchorum castra loquuntur;
Notitia multa cum qua Rex Græcus abundat;
Pallia cum gemmis Rex dat sibi Græcus (7) Alexi.
Hanc multis horis Alemannus Rex amat, odit;
Gens Alemanna quidem sibi gratis servit ubiq;.
Russi, Saxones, Guascones, atque Frisones,
Arverni, Franci, Lotheringi, quinve Britanni,
Hanc tantùm noscunt, quòd ei sua plurima poscunt
Post ipsam gentes hæ mittunt sæpiùs enses:
Omnibus ex istis equites habet alta Mathildis.
Responsum cunctis hęc dat sinè murmure turbis;
Hæc hilaris semper facie, placida quoque mente.
Hæc apices dictat, scit Theutonicam bene linguam;
Hæc loquitur lætam quin Francigenamque loquelam.
Hæc Longobardos nutrit, regit, & facit altos.
Qui numeras stellas, vitam sibi supplico serva,
Si quod non gliscо, mundo decesserit isto;
Porrige, quod sitio, corpus tumulare requiro,
Cum Patribus justũ verè sit habere sepulchrum.
Antiquos Patres Isaac, Abraham, Jacob, atque
Uxores sanctas simul una recondidit arca,
Annos post multos in eodem vero sepulchro
Corpus conditum Magni Joseph reperitur.
Hujus amo Patres, sed eam plus diligo valde;
Hæc exaltavit nimium me quin & amavit,
Martyris ista mihi Sancti dedit ossa Quirini,
Me renovat semper turres fabricando recentes
Atq; meum nomen crebrò fecit crescere Romæ.

CAPUT PRIMUM.

De primo adventu Tertii Henrici Regis, & VII. Papæ Gregorii in Longobardiam, & qualiter à Ducatrice Mathildi apud Canossam susceptі sunt, & quòd eundem Regem subvertit Guibertus Archiepiscopus, & alia vice ivit cum eo Romam contra Papam.

Rex rogat (8) Abbatem, Mathildim supplicat atque.

POst matris mortem fama currente per orbem,
Regem damnatum per Papam commemoratum;
Turbati certè fortes sunt atque potentes,
Per totum Regnum, dicentes, esse superbum,
Non parêre piè, sinceriter, atque benignè
Romanæ Sedi, quæ claves continet ævi;
Quo circa Regem statuunt contemnere rectè,
Ni redeat; Papæ pacem studeat revocare.
Non aliter se Rex noscens regnare valere,
(9) Ad consobrinam Mathildim misit, ut ipsa
Consilium caperet, quo Papa veniret ab Urbe
Longobardiam, peteret veniam sibi dignam,
Ipse suum jussum faceret dubio procul ultro.
Papa preceśque videns Dominæ Mathildis, eidem
Quod quærit donat, dimisit denique Romam,
Opilio dignus Canossam vênit & intus,
Quem Sancti Petri vice digniter ille recepit:
Salvificum rorem quæ Papæ sumpsit ab ore.
Regis Henrici, domina comitante Mathildi,
Affuit & juxta præsentia, turbaque multa;
Ex me fitque nova, dum fiunt talia, Roma.
Urbs honor ecce tuus, mecum Rex Papa simul sit,
Ac Itali proceres, nec non Galli, procereśque
Ultramontani, Romani, Pontificali
Stemmate fulgentes, adsunt plures sapientes,
Inter quos abbas Hugo Cluniacensis hîc astat,
Qui

(1) An à κομέω orno, quasi ornandi magister. *Leib.*
(2) Cod. antiq. *latum*. Leib.
(3) Typographi sphalma. Codices nostri *pauperculus*. Mur.
(4) Cod. antiq. *Multò florebunt vehementiùs, ac renitebunt*. Leib.
Audi Codices nostros MStos, *florebunt vehementiùs, ac renitebunt*. Mur.
(5) In Cod. Regien. *stella Diana*. Mur.
(6) In eodem Cod. *comprobat ista*. Mur.
(7) Cod. antiq. *Alexis*. *Leib.*
(8) Versum hunc in textum Donizonis intulit Leibnitius; verùm, uti in Præfatione monui, suppositus is erat figuræ Henrici Regis in genua procumbentis ante Mathildim, qua cum pictus etiam cernebatur Hugo Cluniacensis Abbas. Quare Caput hoc exordium sumit à *Post matris &c.* Mur.
(9) Sequentes 8. versus recitat Bar. 1077. num. 21. *Leib.*

Digitized by Google

Qui pater (10) in lavacro Regis fuerat ſacroſancto.
Pacis ſermones tractabant hi Seniores;
(11) Cùmque dies ſtarent per tres pro pace loquentes,
Et pax non eſſet, Rex atque recedere vellet;
Capellam Sancti petit idem Rex Nicolai,
In qua Paſtorem lacrimans oravit Hugonem,
Ut pro pace ſua fidejuſſor ſibi fiat.
Non licet hoc, Abbas Regi reſpondit, & aſtans
Illic Mathildis rogitavit eum: ſed & ipſi;
Hoc faciet nemo, reſpondit, tu niſi, credo.
Poplitibus flexis dixit Rex atque Mathildi:
Tu niſi me multum juveris modò, non ego ſcutum
Ulteriùs frangam, multavit me quia Papa.
Conſobrina valens fac me benedicere, vade;
Ipſaque ſurrexit, Regique ſpopondit, & exit
Aſcendens ſurſum, ſtetit ac Rex ipſe deorſum;
Alloquitur Papam de Regis fine reclamans.
Sinceris dictis Dominæ venerabilis iſtis
Credidit Antiſtes, ut juret ſic tamen ipſe
Rex illi, Sedi Romanæ ſitque fidelis;
Præſul quæque velit Gregorius, hoc ſibi, fecit (12)
Rex retro ſcriptus; (13) ſolitoque munere magè frigus
Pernimium magnũ Janus dabat hoc & in anno;
(14) Ante dies ſeptem, quàm finem Janus haberet,
Ante ſuam faciem conceſſit Papa venire
Regem, cum plantis nudis, à frigore captis;
In cruce (15) ſe jactans Papæ, ſæpiſſimè clamans
Parce, beate Pater, piè parce mihi peto planè.
Papa videns flentem, miſeratus ei ſatìs eſt, eſt;
Nam benedixit eum, pacem tribuit ſibi, demum
Miſſam cantavit, Corpus dedit & deitatis (16):
Secum convivans, ſuper arcem qui (17) Canuſinam,
Ipſum dimiſit, poſtquam juravit, & ivit
Urbem Reginam, qua ſtabat turba maligna
Pontificum, valde metuentes hanc fore pacem.
Major (18) erat cunctis Guibertus, Epiſcopus urbis
Ravennæ, doctus, ſapiens, & nobilis ortus,
Extiterat Parmæ civis, ſeu Clericus ante,
Dum fuit electus Gregorius iſte, Guibertus
Ipſi juravit, contra quem nunc malè ſancit: (19)
Regis enim mentem contra Papam docet eſſe,
Rexque die ſexto remeavit Bibianellum; (20)
Corde dolo pleno, cum plena mente veneno.
Paſtor felle carens ad eum deſcendit ab arce

A Crebrò ſcripta ſupra, mox eſt Comitiſſa ſecuta.
Callidus at multa Rex Papæ dixit, & ultra
Eridanum fluvium, commune cupit fieri tunc
Colloquium; laudat quod Papa, Mathildis & optat.
Cur hoc Rex malit, ignorant hi duo clari;
Mantua re vera placito ſubdique timebat:
Rex equidem fruſtra tranſivit primitus undam
Eridani, tractans cum paucis tradere Papam,
Nec non, ſi quiret, Comitiſſam traderet idem,
Hoc ſcelus infandũ complere putat placitando.
Cuncta videns Chriſtus fieri vetuit ſcelus iſtud;
Eridanum Præſul, Mathildis & optima ſecum
Tranſivit, ſperans pacem componere veram,
Ad Dominam Claram multis oculis oculatam.
B Nuncius advênit, qui ſecretum patefecit
Regis Henrici, qui Papam tradere dicit:
Hoc ubi cognovit prudens hera, mox citò movit
Seque ſuos, fortes petiit cum Præſule montes;
Inſidiæ fractæ Regis ſunt & patefactæ.
Papam, Mathildim, Rex ulteriùs neque vidit,
Pontifices falſi ſunt ex hoc lætificati.
Maximè præſcriptus Guibertus, qui dedit iſtud
Conſilium Regi, quia vult invadere Petri
Sedem condignam, Zabuli (21) quod fecit ad inſtar,
Ætheream Sedem cupiit qui tollere teter.
Lubricus & mendax erat iſte Guibertus aberrans,
C Conſcius & concors homicidarum quoque fautor;
Pompam mundanam plus ipſo nullus amabat,
Relligione caret, ſic quod nec eam ſcit amare.
Hunc Rex pro Papa laudans hoc magnificabat, (22)
Ultra qui montes rediit, faciens mala promptè,
Quæque nefanda libent, tutè faciebat, iniquè;
Nam ſuus exactor, judex, falſus quoque Paſtor
Non reprehendebat crudelia, quæ faciebat.
Eccleſias nummis vendebat ſedulò multis,
Sæpe duos falſos urbs una tenebat in anno
Pontifices, dando certatim præmia ſtando:
Plebes, capellas precio Clericis tribuebant;
Cuncti perverſi vivebant lege Guiberti.
D (23) Aſt hera Mathildis deſpexit facta maligni,
Corde fidem veram peramabat munere plenam;
Poſtpoſuit Regem; per tres tenuit pia menſes
Gregorium Papam, cui ſervit ut altera Martha;
Auribus intentis capiebat ſedula mentis
Cuncta Patris dicta, ceu Chriſti verba Maria;
Propria clavigero (24) ſua ſubdidit omnia Petro,

Jani-

(10) Suſceptum ad ſacros fontes ab Hugone Cluniacenſi Henricum Regem infantem Anno 1051. tradit etiam Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus in Vita ejuſdem Sancti Hugonis. His Proceribus addendi quoque ſunt *Azzo Marchio Eſtenſis*, atque *Adbelbeis Marchioniſſa Suſæ*, ejuſdem Henrici Socrus, unà cum *Amadeo Comite filio*, qui ſimul cum Comitiſſa Mathilde pacis celeberrimæ ſequeſtres fuerunt, ut monui in Antiquit. Eſten. *Mur.*
(11) Seq. 10. verſ. Baron. loc. cit. *Leib.*
(12) juramentum. *Leib.*
(13) Cod. antiq. *Solitoque nivem magè frigus*, ideſt Januarius nivem & frigus ultra ſolitum dederat. *Leib.*
(14) Hos. 5. verſus recitat. Bar. 1077. n. 20. *Leib.*
(15) In pœnitentia. *Leib.*
(16) Lambertus narrat abſoluto Rege Papam miſſarum ſolemnia celebraſſe, & ut ſe purgaret ab objecto Simoniæ crimine, partem corporis Dominici accepiſſe, aliamque Regi obtuliſſe, teſtandæ innocentiæ gratia; Sed hoc deprecatum eſſe Regem. *Leib.*
(17) Cod. antiq. *quin*. Leib.
(18) Seq. 33. verſus recitat Bar. 1077. n. 36. 37. *Leib.*
(19) Cod. Regien. *nunc mala ſancit*. Mur.
(20) Nunc *Bianello*, unum ex quatuor Caſtellis non longè à Canoſſa. *Mur.*
(21) Ita Diabolum corrupto vocabulo appellarunt olim non ſolùm vulgus, ſed & Chriſtiani Scriptores. Memini me videre Inſcriptionem E vetuſtam poſitam *Diacono* Chriſtiano, in qua is vocatur *Zaconus*. Mur.
(22) Num potiùs *bunc magnificabat*? Mur.
(23) Seqq. 7. verſus Baron. ann. 1077. n. 23. *Leib.*
(24) Invaluit eo ſeculo, ac potiſſimum Gregorii VII. Papæ temporibus, mos offerendi non Caſtra ſolùm, ſed & integra Regna Apoſtolicæ Sedi, eaque rurſus ab illa accipiendi in feudum. Id præſtitit Demetrius *Ruſſorum Rex* duobus ante pacem Canuſinam annis, nempe Anno 1075. tum alter Demetrius *Croatiæ, & Dalmatiæ Dux*, ſive Rex. Bertrannus quoque *Provinciæ Comes* omnia ſua eidem obtulit Anno 1081. ut alia exempla prætream. Imò idem Gregorius VII. inſinuaſſe videtur Epiſt. III. lib. IX. ut id ab aliis Potentibus viris fieret *amore Beati Petri, pro ſuorum peccatorum abſolutione*. Mur.

Digitized by Google

Janitor eſt Cœli ſuus hæres, ipſaque Petri.
Accipiens ſcriptum de cunctis Papa benignus
Tunc libertati Canoſinam ſanctificavit
Eccleſiam, Chartam libertatis ſibi largam
Dictans, & mandans, violenter ne ſua tangat
Ullus homo prorſus, ſit ob hoc anathemate tortus;
Hortatu magnæ Comitiſſæ Papa dat hanc rem.
Tempora mille Dei tunc ſeptem ſeptuaginta.
Tempus cognoſcens crudele venire per orbem
Papa, Ducatricem verbis corroborat idem,
Ut ſit in adverſis acerrima, non ſit inermis,
Chriſticolas cunctos, ut prævalet, adjuvet ultro;
Blaſphematores, qui ſunt Sathanæ quoq; proles,
Conterat, extirpet, revocet quandoque benignè.
Juſſa pii Domni Sapiens Comitiſſa recondit,
Ut Regina Saba Salomonis verba beata;
(25) Cùmque valedixit Comitiſſæ Papa Mathildi
Urbem Romanam Madio florente per arva
Viſitat, adventum cujus plebs ipſa repertum
Obviat, exultat, Paſtorem ſuſcipit unà,
Ipſeque commendat, quod nobilis egerat erga
Se, Sanctumque Petrum Mathildis; vivat in ævum,
Clamavit cunctus Clerus, totus quoque vulgus;
Cum quibus & Regem maledixit denuo rectè,
Abſolvitque viros, qui jurarant ſibi, micros (26)
Ac proceres grandes, illum ſi linquere mallent.
Quod Rex agnoſcens, coadunans denuo fortes
(27) Italiam rurſum ſpacium poſt temporis unum
Ingreditur, terram totam maculabat aberrans.
Sola reſiſtit ei Mathildis, filia Petri,
Rex exardeſcens contra quam concitat enſes,
Prœlia, terrores, & caſtris obſidiones,
Ad nihilum pugnat, non hæc ſuperabitur unquam;
Inſuperabilia loca ſunt ſibi plurima fixa.
Diligitur valde, villas defendit & arces,
Hanc videt incaſſum rixam Rex creſcere tantum,
Cogitat ut turbet ſolum caput, ivit ad Urbem
Romuleam, ſecum Guibertus abiſſe videtur.
Mos fuit adventum Regis populo (28) fore feſtum,
Iſtius eſt fletus, ſua turbant crimina Cœlum.
Urbs propter Papam non illi fit reſerata;
Circa quam bellans, dirupit mœnia celſa,
Depopulans Urbem, Papam ſtatuens ibi turpem,
(29) In Cathedra locat hunc falsò Clemens vocitatur:
Hic eſt Guibertus fallax, vaſtator apertus
Eccleſiæ Chriſti, merito quem ſignat abyſſi
Beſtia, quam vidit Dilectus in Apocalypſi.,
Regis & illa Phalanx Romam totam maculabat,
(30) Pervigil & Rector Gregorius ex grege feſſo,
Pollutę Cathedrę multum quoq; condolet æquè,

A Speraus in Petrum rogitat pugnare Robertum
Hermannum (31) quendam, qui Regem depulit extra
Urbem, qui veluti per ſtratam (32) damnula fugit
Francigenam, montes ultra rediens malus hoſpes:
Papa ſuus Clemens Romanis præmia præbens,
Raptor terrenam Petri rapit ipſe Cathedram,
Quanquam ſe monſtret, quòd ſit quaſi paſtor in Urbe,
Ipſi nulla tamen pars in Cœli manet arce;
Hic hereſis limes mundum ſeduxit iniquè,
Juſſa Dei ſpernit, Sanctorum verba neglexit,
Prævaricat leges, divinas deſtruit ædes:
B Perſequitur dignum Dominum Papamque Magiſtrum,
Qui monitis ſacris plenus manet in Lateranis,
Illic conſiſtens (33) Spermologus optimus iſte,
(34) Actibus & verbis exprobrat Schiſma Guiberti
Perpetuo damnans anathemate Schiſmata tanta.
Naſcitur hinc cunctis ingens tribulatio juſtis,
Mucronem Regis pia pars quammaxime ſentit.
Sedibus expulſi ſunt Pontifices quoque multi,
Flagris afflicti, vinclis in carcere ſtricti.
Rex & Guibertus faciunt juveneſcere tempus
Neronis priſci, qui præcepit crucifigi
Petrum, cervicem Pauli gladio ferit idem,
Et propriæ ventrem præſcindere matris ab enſe
C Fecit ut inſpiceret, requievit ubi malus ipſe,
Sic propriæ Matris palmas calcaribus acris
Transfodit, miſſus Sathanæ, Guibertus iniquus:
Nullum quippe virum timuit niſi Nero magiſtrum;
Venis inciſis in aqua vitam tulit ipſi.
Hi duo præſcripti fidei ferè nomen obliti,
Perdere nituntur doctorem denique ſummum.
Simon eis doctor Magus extat & hiſpidus auctor,
Ignorant forſan, quòd dum fortuna reportat
Injuſtos ſurſum, ruituros eſſe deorſum,
Quandoque plus ipſos (35) ideo patitur Deus illos.

CAP. II.

Qualiter circa Regem (36), & Guibertum exarſerit Domina Mathildis, & quòd cunctis Catholicis ſubvenerit.

D COrde pio flagrans Mathildis lucida lampas
Adversùs binos Domini Crucis hos inimicos
Arma, voluntatem, famulos, gazam propriamque
Excitat, expendit, inſtigat, prælia geſſit.
Singula ſi fingam, quæ fecit nobilis iſta,
Carmina ſic creſcent, ſunt ut numero ſinè ſtellæ,
Plúra ſed omittam, de paucis diſcite mira.
Ex hac parte freti per climata quatuor ævi,
E Lepra

(25) Seq. 6. verſus recitat Bar. 1077. nu. 43 *Leib.*
(26) Ideſt parvos, ſive plebem: quod & ego in gratiam plebis indoctæ adnotare volui, quando bonus Donizo Græculum heic agere inſtituit. *Mur.*
(27) Hos 8. verſ. Baron. 1081. num. 25. *Leib.*
(28) Fore, ideſt eſſe debere. *Leib.*
(29) Hos 4. verſ. Bar. 1083. num. 2. *Leib.*
(30) Hos 6. verſ. Bar. cit. 1084. num. 6.
(31) Cod. ant. *Normannum*. Leib.
Noſtri quoque Codices *Normannum* habent. Error in omnium oculos incurrebat. Sed heus bone Donizo, *quendam Robertum Normannum* memoras, quaſi triobolarem Procerem, tibique ignotum? *Mur.*
(32) Cod. ant. *Dammula*. Leib.
(33) In Græciam nos iterum Donizo trahit; ſed heic navigatione dubia. Nam ut ut *ſpermologus colligentem ſemina* ſignificet, attamen vocem hanc Græci in deteriorem ſenſum accipere conſueverunt. Apoſtolus ipſe Athenis irriſionis gratia appellatus eſt σπερμολόγος, uti habemus Actor. XVII. 18. ſcilicet *homuncio*, *blatero*, aut *ſemini-verbius*, uti vulgatus Interpres habet. Quos Auctores ſequutus heic fuerit Donizo, videat ipſe, ſi tamen mendo omni caret hic locus. *Mur.*
(34) Seq. verſ. Bar. 1081. num. 1. *Leib.*
(35) Interpunge ita: *ruituros eſſe deorſum quandoque plus ipſos, ideo patitur Deus illos*. Leib.
(36) Codices noſtri præferunt, & rectiùs, *contra Regem*. Mur.

Digitized by Google

Lepra Guibertina ſuccreverat horrida ; nigra
Hac lepra mundus fore non locus extitit ullus,
Munda domus ſola Mathildis erat ſpacioſa (37),
(38) Catholicis prorſus fuit hæc tutus quaſi portus ;
Nam quos damnabat Rex, pellebat, ſpoliabat
Pontifices, Monachos, Clericos, Italos quoque, Gallos ;
Ad vivum fontem currebant funditus omnes :
Scilicet ad dictam Dominam jam mente benignam,
Quæque requirebant apud ipſam repperiebant,
Defuit haud ulli, quin profuit optima cunctis,
Non ab ea mœſtus, ſi quis vir venit honeſtus,
Unquam præteriit, ſed conſolatus abivit,
Veſtibus è ſacris multos hæc nota Ducatrix
Patres Catholicos veſtiſſe quidem reminiſcor.
(39) Inter quos fulxit reverendus Epiſcopus urbis
Lucenſis, lucens Anſelmus (40) maximè prudens,
Lege Dei doctus, Monachus bene relligioſus ;
Gregorius Præſul Romanus, ut egit Ieſus,
In Cruce qui moriens dat Diſcipulo Genitricem ;
Commiſit Dominam ſic Anſelmo Comitiſſam ;
Quam docuit dictis, regit exempliſque benignis,
Perverſæ ſectæ monuitque reſiſtere ſemper.
Conſilii magni vir hic Angelus his fuit annis,
Conſilium cujus ſequitur Comitiſſa venuſtum.
(41) Nam quos ipſa valet pravos convertere Mater,
Quantiſcunque modis quit, agit in omnibus horis ;
Multos cum feudo, multos munus tribuendo,
Pugnando plures, Caſtellaque ſæpiùs urens
Regis ab obſequio jugiter disjungit iniquo,
Ultramontanis ac Principibus ſibi charis
Errores Regis ſcribit vitare rebellis.
Sicque Deo multum generabat credula fructum,
Gregorio Papæ proceres ſervire ſuadens,
Mittere cui gratis crebrò ſolet in Lateranis
Xenia multa nimis, quam Papa piè benedicit.
Bis centum libras domus argenti Canuſina
Tunc miſit Papæ, quam debet Papa beare.

CAP. III.

De obitu Papæ Gregorii, & de electione Deſiderii & Urbani Papæ, & quòd Domina Mathildis pro Romana Eccleſia pugnavit, & de obitu S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi.

INterea (42) planctus de Præſule naſcitur altus
Gregorio, geſtat Dominus quem Chriſtus ad æthra,
Ante dies ſeptem Madii quàm finis adeſſet ;
Hunc Monachi deflent, Monachus quia noſcitur eſſe ;
Hunc Clerici flebant, valde laicique dolebant,
Pura fides quorum procul eſt à Schiſmaticorum ;
Quando ſuum Sanctum reverenter corpus humatum
Anni mille Dei ſex inſunt octuageni.
Poſt hunc ſit Papa Deſiderius probus Abbas
Montis Caſini, qui parvo tempore vixit,
Anno poſt iſtum Paſtor ſacratur in ipſo
Urbanus Rhetor, Monachus priùs, & modò Rector.
Eccleſiæ verbi ſummi Patris, atque perennis ;
Ut Salomon dicit, juſtus veluti leo fidit.
Hic damnat Regis fidenter, & acta Guiberti,
Qui Petri ſedem falsò cupiens retinere,
Advocat Oddonem (43) prudentem de Tuliore
Adversùs Papam, quem bello ſæpè coartat ;
Ille tamen juſtus, licèt eſſet ſæpe retunſus,
Immobilis durat, pacem putat eſſe futuram
Filiolæ Petri, Chriſti famulæque fideli
Exhortando pia direxit tunc ſua ſcripta,
Gregorii normam plus præcipuèque recordans,
Quatenus obſervet, nec eam dimittere tentet.
Hinc peccatorum veniam dat eique ſuorum.
Gregorii miſſi (44) crebrò petiere Mathildim,
Curſores currunt ad eandem crebriùs hujus,
Denſiùs haud ceſſat Patres hos hæc vice verſa
Chartis & miſſis pulſare diebus in ipſis,
Pro quibus adversùm ſe commovit ferè regnum
Italicum totum, Ligurum ſed maximè totum :
Ipſa Padi ſtratâ tenet, urbibus unde fit acta (45),
Hujus dum pugnant athletæ, nonniſi culpâ
Ipſorum perdunt, ſed vincunt optimè bellum,
Urbibus ex multis cives hoc tempore multi
Inſimul armati clypeis, & equis falerati,
Principe cū celſo prudenti prorſus Oberto, (46)
DucuntParmenſem, (47) Reginum Pontificemq ;
Ro-

(37) Cod. Padolir. *ſpecioſa*. Attamen non una Mathildis domus ab hac infectione immunis erat dicenda. Neque enim reliquæ Chriſtiani Orbis partes, imò neque ipſa Italia carebat viris piis Gregorii VII. zelum probantibus, & Henricum, ejuſque ſequaces, ac vitia perofis. Nihil attinet exempla proferre. Quod potiùs credendum, nulla Principum Italicorum Familia præter Mathildis, ſtudio conſtanti favit, ac opem tulit in ea rerum perturbatione vero Romano Pontifici. Hugo Flaviniacen. in Chron. Virdun. *Sola tunc temporis inventa eſt Mathildis Comitiſſa inter feminas, quæ Regis potentiam aſpernata ſit, quæ calliditatibus ejus, & potentiæ etiam bellico certamine obviaverit, ut meritò nominetur virago, quæ virtute animi etiam viros præibat*. Adde Auctorem ſynchronum Vitæ Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi : *Inventa eſt ſola, atque unica Dux, & Marchioniſſa Mathilda in fide permanens, zelum Dei habens, Domno Papæ Gregorio obediens*, Mur.
(38) Hos 13. Baron. verſ. 1081. num. 25. *Leib.*
(39) Baron. 1074. num. 17. *Leib.*
(40) Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi Vitam habes apud Bollandum in Act. Sanctor. Tom. 2. Martii pag. 649. à Capellano, ſive Pœnitentiario ejuſdem Anſelmi ſcriptam. *Mur.*
(41) Baron. 1081. num. 26. *Leib.*
(42) Seq. 6. verſ. Baron. recitat Anno 1085. num. 15. *Leib.*
(43) Is eſt Oddo Epiſcopus Bajocenſis, VVilhelmi Conqueſtoris Angliæ Regis frater, ad Papatum ſacrilegis votis inhians, de quo Ordericus Vitalis Lib. VII. Hiſt. Eccleſ. ad annum 1085. *Mur.*
(44) Hoc eſt Gregorius VII. literas, & nuntios ſæpe ad Mathildam miſit ; crebriùs autem id præſtitit Urbanus II. Et illa viciſſim non ceſſat pulſare literis hos Patres, ſive Romanos Pontifices. *Mur.*
(45) Pellitur Mathildis urbibus ad Padum. *Leib.* In Eſtenſi Codice, ubi Epitome Donizonis MSta, hæc leguntur. *Et ipſa Domina tranſivit Paudi ſtratam, & ibat urbibus, unde ſit alta*. Quare ex his alium vides emergere ſenſum. *Mur.*
(46) De hoc *Oberto Marchione* aliquid ego innui in Antiquit. Eſten. Cap. XXV. pag. 248. *Mur.*
(47) Scilicet *Eberhardum*, & Reginum, ſcilicet *Gandulphum*. Mur.

Digitized by Google

Romam, tam fortes ajunt se pergere posse.
Hi luctatores ibant pro Regis honore,
Terras vastantes circumcirca peragrantes,
Audaces tandem terram Mathildis amantes(48)
Intrant, credentes ipsam vastare repentè.
Sustinet istorum Sorbaria (49) castra virorum,
In propriis campis illis tribuit loca standi,
Nocte quiescentes oculis somnum capientes,
Julius assumpta jam verò (50) luce secunda,
Ecce repentè phalanx Mathildis adest, Petre, clamans
Auxiliare tuis. Inimicis (51) surgere tuti
Incipiunt, campi tanto strepitu stupefacti,
Multi dant dorsum, pugnāt altissimè (52) morsu,
Prosternuntur ibi plures, capiuntur iniqui.
Marchio prędictus quendam transverberat ictu;
Et quasi voce loquens: Nonne, sinè fugit honore
Talem grimnitum(53)portat, nec hic inimicus
Ducet quod numquam (54) super hanc dominam, puto turbam;
Ebrardus Præsul Parmensis captus habetur,
Pontificem sentes Reginum perque dies tres
Abscondunt nudū Gandulphum pectore durum;
Nonnulli capti proceres, alii ferè lapsi.
Gaudet turba Petri, turbatur concio Regis.
Inclyta Mathildis terror fuit omnibus illis;
Mensis ut advênit, qui primus in ordine cœpit
Ejus in octavo decimoque die Dominator
In Cœlis regnans Anselmum (55) vexit ad æthra (56).
Huic similis credo fuit hoc in tempore nemo;
Officium duplex Monachorum Pontificumque
Nocte die complens; corpus macerabat ut hostē;
Catholicus, cœlebs, pius, & sobrius fuit æquè;
De cujus verè tristantur morte fideles,
Schismatici gaudent; erat his contrarius autem,
Quem sibi commissum (57) per Gregorium Comitissa,
Ut decuit, dignè sepelivit mœsta benignè.
Artus Anselmi condivit Mantua terris,
De quo, quod gliscit, monstrasti, Christe, Mathildi.
Nam virtute tua fecit miracula plura;
Servulus iste tuus de sanctis extitit unus
Catholicæ parti fuit indicium probitatis,
Schismaticæ parti signum quasi debilitatis.
Inde triumphando gaudet Comitissa precando;
Hujus enim patris precibus putat auxiliari,
Cùmque daret tumba sancti miracula multa,
Proderet ut multis post nos per secla futuris,
Justitiæ cultrix ea partim fingere jussit

A (58) Quæ simul & vitam Capellani sibi dictant;
Tertius existens ab eo Lucensis & ille
Rangerius Rector (59) dictavit eam sibi metro,
Dictavit pulchrum nuper librumque secundum,
Qui baculi litem (60) diffinit, misit eique,
Principium cujus sit hic, & non hæsitet ullus
Lector, sed noscat, quòd cætera sint metra docta:
(61) Filiolæ Petri, violæ post lilia (62) dentur;
Detur ei de fonte Dei ros unde rigentur.
Pugna fuit, donec potuit sævire Guibertus,
Perfidiæ Dux, Ecclesiæ vastator apertus,
Sed quid ei tentare Dei firmissima Castra?
Nunquid eo, regnante Deo pervênit ad astra?
Mortuus est, & traditus est in perditionem
Quique reum defendit eum, contra rationem.
B Gregorium vas egregium quicunque negavit;
Jam videat, si fortè queat, quàm falsò putavit.
Quique duas fregit statuas (63) Urbanus, ab illo
Fonte fluit, longèque eluit (64) non segniùs illo.
Quisq; eum(65)non ante Deum vel serò fatetur;
Reprobus est, & devius est, pœnamque meretur.
His Ducibus mirabilibus collectio nostra
Non tacuit, donec tenuit latrancia rostra,
Jam redeunt, qua fronte queunt, qui prosiliere,
Quos yideo, tangente Deo, plerumque dolere.
Sed redeant, & nos habeant, & nostra libenter;
Sed videant, ut non redeant post terga latenter.
Nunc igitur non exigitur (66) quicquid mederi
Qua (67) voluit donec voluit divisus haberi
De precio, de flagitio, de seditione,
C Et sapiunt, & nos ajunt in cognitione.
Nam pretium, nā flagitium non complacet illis;
Qui cupiunt, qui diripiunt, damnantur ab illis;
Par ratio, par traditio, pro parte videtur;
Præstet ei censura Dei, quod deesse videtur.
De baculo lis est populo cum patribus orta.
Ista fuit, quæ non caruit caligine, porta;
Ista fuit, quæ diripuit Paulumque Petrumque;
Ista fuit, quæ par habuit Regemque Deumque,
Hæc frenesis non est heresis, non est laberyntus,
Per tenebras & per latebras non est labor intus;
Hanc volumus quicūq; sumus de dogmate Chri-
Ut fugiant, & rejiciant communiter isti. (sti,
Unde volo, ne fortè dolo circumveniamur,
Ut breviter, sed nō leviter pensanda loquamur.
D Christe sapis, quòd corda (68) rapis, succensa calore
Fac fieri, quæ scis fieri, pro pacis amore.
Plus laicis cunctis Mathildim Rangerius scit
Intentam legi Domini, vitæque perenni;
Hoc sibi perlucens ob id edidit ipse volumen,
Jam

(48) Fortasse Donizoni scriptum fuit *amentes*. Pro *terra Mathildis* intelligenda sunt ejus Allodia, Castra, Villæ &c. *Mur.*
(49) Villa in agro Mutinensi ad fluvium Scultennam infra civitatem. *Mur.*
(50) Quid si legendum *jam venit*? Mur.
(51) Cod. ant. *inimici*. Leib.
(52) Cod. ant. *alii sinè*. Leib.
In nostris quoque Codicibus *alii sinè*. Mur.
(53) Padoliron. Codex ita hunc versum exhibet. E *Talem grunitum portat nunc hic inimicus*. Hæc autem verba indicant, non quidem cecidisse Obertum, sed fugisse tanto cum dedecore, & vulnere etiam addito (fortassis in facie) ut numquam ampliùs ex sententia Donizonis ducturus crederetur copias adversùs Mathildim. *Sinè fugit honore*. Hæc autem acta anno potiùs 1085. quàm 1084. Turbata tamen in his est Chronologia Donizonis. Is enim electionem Urbani II. primò refert, quæ accidit anno 1088. Tum Anselmi Lucensis Episcopi mortem commemorat, quæ ad annum 1086. est referenda. *Mur.*
(54) Nempe ibi cecidit Marchio Obertus 1084. *Leib.*
(55) Lucensem Episcopum 1086. *Leib.*
(56) Bonus Donizo ad *æthram* scripsit, ut nos monent Codices MSti. *Mur.*
(57) Scribitur in Padolir. Codice *sibi commissa*, hoc est ei commendata Mathildis Comitissa. *Mur.*
(58) Baron. 1080. num. 13. *Leib.*
(59) Is est Rangerius, qui in Lucensi Episcopatu post Gothifredum successit, ac propterea dicitur tertius *existens ab eo Lucensis*. Vita Sancti Anselmi literis ab eodem Rangerio consignata desideratur. *Mur.*
(60) Hoc est litem de investituris Episcoporum, & Abbatum, quam sibi per traditionem baculi usurpabant eorum temporum Cæsares, ac Reges. *Mur.*
(61) Versus Rangerii. *Leib.*
(62) Numquid heic laudatur in Mathilda Comitissa primò virginitatis, tum viduitatis status? In utroque certè piissimè vixit. *Mur.*
(63) Scilicet ut opinor, Henricum Regem Regno per Sedem Apostolicam privatum, & Guibertum Pseudo-Pontificem, quos *Idola* appellat, & debellatos, atque ad angustias non unas redactos. *Mur.*
(64) Cod. antiq. *cluit*. Leib.
(65) Codices nostri *Quisquis eum*. Mur.
(66) Cod. antiq. *quicunque*. Leib.
Habent & nostri Codices *quicumque*. Mur.
(67) *Valuit*. Leib.
(68) MStus Cod. Padolir. *quo corda*. Mur.

Digitized by Google

Jam redeat primus,(69) hîc iſte ſit ordo relictus

CAP. IV.

De tertio adventu Regis Henrici in Italiam, & de obſidione Mantuanæ urbis.

REx ut Henricus factus gravis eſt inimicus
Eccleſiæ Sanctæ, Dominæque Mathildis amandæ,
In quocumque loco poterat ſibi tollere, toto
Nixu tollebat terras ubicumque tenebat,
Præſertim Villas, ac oppida, quæ Comitiſſa
Hæc ultra montes (70) poſſederat à Genitrice,
Abſtulit omnino, niſi Caſtrũ Brigerinum, (71)
Forte quod, magnum, (72) locuples erat undique, largum,
Hoc Rex aggreſſus nequit intus ponere greſſus.
Cùm bis quinque quaſi tranſirent jam ſimul anni
Rex quòd ab Italia diſceſſerat,(73)armat equina
Dorſa viris, jurans per ſeptem tempora, ſupra
Mathildis terram perſiſtere, pace neglecta;
Caſtra vocat denſa, deſcendit ad Itala Regna.
Tertius & menſis foliis florebat, & herbis,
Urbs Dominæ quædam prædictæ cara manebat
Tempore longævo, vocitatur Mantua vero,
Ex multis rebus dives ſatis ac ſpeciebus;
Rex cupiens ipſam, fixit tentoria circa,
Quam mox athletis de ſumptibus (74) atque replevit
Nobilis & fortis Mathildis, maximè doctrix, (75)
Ipſa tenens montes, inimicos deſpicit omnes.
Regis bella phalanx dabat urbi ſæpiùs atra;
Exiliunt cives, ſimul athletæ Comitiſſæ,
Occidunt,frangunt,cœtum pellunt Alemannum.
Urbs bene protecta, degebat Rex procul extra,
Menſibus undenis obſeſſio civibus hæſit.
Tunc Ripalta (76) quidem menſes hos traditur inter;
Traditur & turris Gubernula (77) Regis alumnis.
Non Famulã Petri mutant diſcrimina Sedi, (78)
Civibus at multos mandat ſæpiſſimè ſumptus
Servent utq; fidem rogat hos permaximè cives,
Cui cives verè ſe mandant eſſe fideles.
Pollens Mathildis fidens in civibus illis,
Decipitur verbis ipſorum, clam quia Regis
Pertractant urbem manibus (79), partemque phalangem
Ipſius, ante diem Paſchæ dare; de prope quippe
Tunc quod erat mundo celebrandum menſe ſecundo
Conſilium firmant,Judę peragit (80) & ad inſtar.
Nam qua nocte Deum, Judas mercator, Ieſum
Tradidit, hac ipſa fuit hæc urbs, Mantua dicta
Tradita, ſed dum Rex intrat crudelis in urbem,
Evaſere quidem proceres Dominæ Comitiſſæ,
Navibus extracti propriis cum rebus & armis,

A Ut lapis eſt adamas firmus, ſic firma Ducatrix,
In tantis damnis venientibus his manet annis.
Fit tantùm dictus lapis hœdi ſanguine ſciſſus,
Non cedit damnis,fuſus plicat hanc neq;ſanguis,
Nam ſupra Petram firmam fundata manebat,
Fluminibus(81)flecti nequit iccirco,neq; ventis
(82) Anno milleno nonageno quoque primo
Mantua ſordeſcis, de proditione nigreſcis.

CAP. V.

Objurgatio, ac deteſtatio ſeu digna exhortatio contra Mantuam.

GLoria quanta foret tecum quis Mantua noſcet,
Prudenter (83) tenuiſſet ſi modò clauſas
B Regi, jam nomen, decus atque tuum procul ore
Multorum volvi ferè cuncto cœperat orbi:
Te fortem verè referebant, & locupletem,
Ac veluti Trojam laudabant te fore longam.
Cùm juxta morem fers illius obſidionem;
Cives atque tuos forti de ſanguine fuſos,
Italiæ cunctæ dicebant funditus urbes;
Græca Phryges caſtra ceu quondã, ſic Alemanna
Caſtra tui cives ſoliti ſunt cædere; quippe
Annis ipſa decem circundata Troja pateret
Argolicis nunquam, niſi tradita nocte peruſta.
O mala proditio, quæ celſos mergis in imo,
Tutos corrumpis,victores cõprimis urbis (84),
Perturbas Reges,Comites,procereſq;Duceſque,
Ordinibus cunctis nimis officis improba turpis.
C Si ſervare fidem voluiſſes tu Comitiſſæ,
Mantua, jam dicta tibi ſupra dante Mathilda
Auxilium, denis non ſolùm, ſed duodenis
Annis te poſſes retinere, timens nihil hoſtes:
Hoc ſi feciſſes, pax ad te magna rediſſet;
Rex diſceſſiſſet procul à te de prope, ſicque
Felix manſiſſes tu, cara nimis Comitiſſæ,
A qua ditata, mirabiliterque locata,
Eſſes nunc florens ſuper urbes quippe priores.
Ceu plebs Romana quires ita ſtare togata.
Et ſi te Regis ſuperaſſent prælia, neſcis
Quòd decus hoc multum foret, & non dedecus ullum?
Nam traditricem nemo tibi dicere ſciret.
Hoc utinam verè tu nunquam nomen haberes,
D Infœlix, triſtis ex hoc tu nomine ſiſtis.
Omne bonum nomen pro turpi traditione,
Cur amiſiſti, tradendo temet iniquis?
Catholicis plena dudum celebrare ſolebas
Paſcha Dei Chriſti cum ſplendiferaque Mathildi,
Curia cujus erat dapibus, doniſque repleta;
Officioſa manet quaſi Regis curia ſanè.
Nunc celebras Paſcha cum falſis ex Alemanna
Qui peramant Bacchum, flagrant ad luxuriandum;
Illorum linguas neſcis, faciles quoque rixas

Cum

(69) Audi Codicem Regien. *primus ſed hic*. Mur.
(70) Jam ſupra de Beatricis, & Bonifacii nuptiis agens Donizo Cap. IX. monuerat eam indotem attuliſſe *Oppida*, *Villas*, eaque in *Gallia* ſita fuiſſe. *Mur.*
E
(71) Convenire nomen videtur cum *Briegio*, vel *Brigenſe* Caſtro, nunc *la Brie* in Gallia poſito. Verùm non eò uſque Henrici arma ſe protendere potuerunt. Quare veri videtur ſimilius, Caſtrum heic memoratum ad fines Germaniei Regni, imò inter fines computatum fuiſſe. *Mur.*
(72) Codices noſtri *Fortè quod & magnum*. Mur.
(73) Imperator ab Italia diſceſſerat anno 1084. redit 1090. *Leib.*
(74) Hoc eſt *replevit eam de athletis, ac ſumtibus*, ideſt militibus, atque annona, ac victualibus. *Mur.*
(75) *Ductrix*. Leib.
(76) Eſt quidem hujus nominis pagus inter Canoſſam, & Regienſem urbem, nunc *Rivalta*. Verùm heic agitur de caſtro Comitatus Mantuani, ut infra patebit Cap. XIX. hujus Libri. *Mur.*
(77) Ad oſtia Mincii fluentis in Padum, nunc *Governolo*. Mur.
(78) Rectiùs in Codicibus noſtris *diſcrimina ſecli*, Mur.
(79) Cod. ant. *pariterque phalangem*, ſeu præſidium Mathildis Regis manibus dare tractant. *Leib.* In iiſdem quoque Codicibus habetur *pariterque*. Mantua Henrico Regi data eſt per proditionem anno 1091. *Mur.*
(80) Cod. ant. *peragunt*. Leib. Habent ita & noſtri Codices. *Mur.*
(81) *Flaminibus*. Leib.
(82) Bar. 1091. num. 3. *Leib.*
(83) Cod. ant. *tenuiſſes*. Leib. Codices noſtri: *prudenter portas tenuiſſes*. Mur.
(84) Legerem *Orbis*. Leib.

Digitized by Google

Cùm ſunt potati, pro verbis fertur amaris,
Enſem denudant, ſociorum viſcera truncant.
Mordent more lupi, cùm ſumunt (85) pabula cuncti,
Atria Sanctorum violenter frangere norunt.
Mantua nec (86) tales tibi noſcere monſtro ſodales,
Hos fuge, contemne, mors eſt cum talibus eſſe,
Regis amicitia procul haud durabit & ipſa,
Non faciet quippe tibi, quæ promiſerat ipſe,
Decipiet verè te, ſeu procul ipſe recedet.
Ergo cave magnum ne pax ſua ſit tibi damnum,
Conſilium dignum cape, (87) luget ò ſcelus iſtud;
Jura licèt priſca corruperis, & nova ſcripta;
Plange tamen purè, plebs omnis plangat in urbe;
Communi verò voto revocare ſtudeto
Cultricem Chriſti, veſtram dominamque Mathildim;
Hinc reſtaurabis leges, & honore micabis,
Urbes vicinæ laudabant te ſat opimè,
Ac fore ſecura tamen haud aliter potes unquam.

CAP. VI.

Item de eodem Rege, & eadem Domina Mathildi, & de bello militum Comitiſſæ cum Rege apud Tres-Comitatus.

REx igitur capta gaudens ex urbe relata
Pontificem falſum Cononem (88) gente Lemannum
Illic eſſe jubet; jam Præſul Ubaldus ab urbe
Fugerat ad grandem Comitiſſam Catholicamque.
Rex terras ultra tenuitque Padum ferè cunctas
Platena, Nogara, (89) niſi quæ ſunt oppida clara,
Hæc loca nempe fidē ſervavere (90) Comitiſſæ;
Regis terrorem deſpexeruntque furorem;
Rex ibi non haſtam potuit, neque mittere plantam,
Hac & in æſtate capitur Minervia (91) ſanè
Hancve fama (92) cepit, nonnullis deniq; telis,
Quam Rex poſſedit, nec ob hoc Comitiſſa recedit
A zelo Petri, pro quo mala tanta recepit,
Quæ per Regenſem Comitatū ſeu Motinenſem,
Ibat lætanter, proprias firmabat & arces; (93)
Nullatenus certè deſperans vincere Regem,
Mores, atque vias illius ſæpiùs ipſa
Reperiebat ita, quòd ſemper, quò malus ibat,
Noverat, athletas & quantos ipſa (94) tenebat.
Nam poſtquam magna fuit arx Minervia capta,
Tempore Rex hiemis Atheſis trans flumen abivit
Principibus vacuus tunc, militibus neque fultus:
Hoc didicit nempe prudens Comitiſſa, repentè
Mille viros fortes numero plus juſſit ad hoſtem
Pergere bellandum, campi certamine tantùm;
Cùmque Padi latices, Atheſis nec non vadaſiſſent,
Inſidiis plenus Rex, ipſos octo diebus
Vitavit, tardans proprias revocando Phalanges.
Traditor iſtorum Regem dicebat eorum
Nole ſpatis jungi, deerat quia poſſe, rejungit,
Talia credentes, ſecuri ſtant, & inermes
En ſubitò ſplendent Regis vexilla ferentes,
Qui ſuper hos currunt, pars cæditur utraque multum,
A turba Regis miles capitur, ſed inermis;
Plures evadunt, fugiunt per devia ſaltus;
Iſte quidē pagus vocitatur Tres-Comitatus, (95)
Proditor emanſo (96) fuit Hugo nobilis alvo,
Hanc contra morem ſed fecit proditionem,
Nam proba Nobilitas non turpe ſcelus patrat unquam.
Tandem collecti remeavere (97) retro mœſti,
De ſociis captis parvis pariter quoque magnis,
Inter quos captus Manfredus erat probus, altus
Filius Alberti. Super ipſum contio Regis
Maximè gaudebat, Comitiſſæ contio flebat,
Quæ veniens feſſa, propriæ dominæ manifeſtat
Actus adverſos, duros, nimiùmque moleſtos,
Dulcibus & planis verbis, quos ipſa Ducatrix
Solans blanditur, quo non timeant inimicum.
Vincendi bellum, perdendi denique tempus
Sic variatur, ait, Virtus prout ardua ſancit.

CAP. VII.

De Obſidione Montis-belli, & de Vexillo Regis apud Canoſſam capto.

DUm tranſiret hiems, qua bellum cum Comitiſſæ
Militibus fecit Rex, æſtas tertia vênit (98),

Binas

(85) Regien. Cod. *conſumunt*. Mur.
(86) Cod. ant. *nc.* ideſt *nunc*. Leib. Noſtri etiam Codices *nunc* habent. *Mur.*
(87) Cod. ant. *lungeto*. Leib. Apertè *lugeto* exhibent MSti noſtri. *Mur.*
(88) Ideſt Conradum. Hunc in Mantuanam Sedem intruſum, me quoque docuit datum eidem Diploma ab ipſo Henrico, cujus exemplar exhibent MSti Annales Peregrini Priſciani in Eſtenſi Bibliotheca ſervati, quamquam ſinè Data. Ibi legitur *Henricus Divina favente Clementia Tertius Romanorum Imperator Auguſtus* &c. *noverit univerſitas, quòd Cono Sanctæ Mantuanæ Sedis Epiſcopus noſtram adiit clementiam* &c. Fortaſſe datum hoc Diploma anno 1091. *Mur.*
(89) Illuſtria duo Oppida, quorum unum *Platina*, nunc *Piadena*, in Cremonenſi agro, dedit nobis *Bartholomæum Platinam* celebrem virum, quem *Baptiſtam* complures appellarunt, ſed perperam, decepti à litera initiali, qua ſola ejus nomen interdum occurrit expreſſum, uti jam evicit Clariſs. Cremonæ literatæ Auctor Franciſcus Ariſius. Alterum *Nogaria*, nunc *Nogara* Veronenſi civitati ſubeſt. In Charta Cathedralis Cremonenſis, quam aliquando prodam, Bonifacius Marchio anno 1022. *Curtem Pladenam* Epiſcopo Cremonenſi ſupponit. *Mur.*
(90) Servaverunt. *Leib.*
(91) Eſt Oppidum Brixienſis agri, nunc *Manerbio* ſupra Oſtianum. Eſt & pagus apud Leniacum in Veronenſi *Menerbe* appellatum. Ad utrum reſpiciat Donizo, alii videant. Ego primum præferrem. *Mur.*
(92) Corrige, præeuntibus noſtris Codicibus: *Hancve fame*. Mur.
(93) Et quidem Mutinenſis, ac Regienſis ager, ſive Comitatus, vires præcipuas, ac tutelam Mathildi præſtabat. Heic enim plura quàm alibi Caſtella, & Arces ad ejus jura ſpectabant, ſive titulo Allodii, ſive titulo Feudi variis ab Eccleſiis. *Mur.*
(94) Ipſe. *Leib.* In noſtris item Codicibus habetur *ipſe*. Mur.
(95) Nunc *Tricontai*, qui pagus in Comitatu Patavino ſitus dicitur in monumentis per me congeſtis in Antiquit. Eſten. *Mur.*
(96) Apertè Codex Regien. habet *è Manſo*; & ſic reſtituendum locum jam monueram in præmemoratis Antiquit. Eſten. Cap. 27. pag. 271. ubi liberè ſum faſſus, *Hugonem de Manſo* Ateſtinum Principem heic indicari, qui nobilitatem ſanguinis oblitus Mathildi hunc ludum luſit, ſi tamen Donizoni heic integra fides adhibenda. Erat Hugo Azzonis Marchionis Eſtenſis filius, & patruus VVelphonis Ducis, quem ſibi maritum effecerat Mathildis. *Mur.*
(97) Cod. Regien. *remeaverunt*. Mur.
(98) Ann. 1092. *Leib.*

Digitized by Google

Binas Rex ſteterat æſtates Italiæ jam,
Eridani fluvii laticem cùm Junius urit
Stipatus tranſit Longobardis, Alemannis,
Obtinuitque loca campeſtria nobiliora.
Ad montes ſcandit Motinenſes, quos nimis ambit,
Mox mons Maurelli (99) pugna capitur ſinè ferri.
Ac mons Alfredi (100) capitur certamine freni,
In quo Gerardus facundus, ſignifer altus
Incidit in vinclis præfati Regis iniqui,
Ex cujus vinclis doluit ſatis ipſa Mathildis.
Qui Job tentavit, Tobiam, Deus ipſe probavit
Hanc Dominam, ſolam Sancti Petri pedagogam,
Cujus amore flagrans patitur denſiſſima flagra,
Ut quandoque ſibi cameram reſeret Paradiſi.
Hac vice Rex planè ſolito plus extitit acer,
Obſedit caſtrum Montis-Belli,(101)ſuperandum
Quem putat aut telis, aut obſidione teneri,
Ingreſſum ſed ei, nec egreſſum tollere quivit,
Præſidium monti confert huic contio fortis,
Cuſpide quæ Regem ſtimulare ſolebat inertem,
Pſeudo quem Clemens tunc vênit Papa videre.
Cum quo plura loquens firmavit & obſidionem,
Æſtatem montem circa quem perdidit omnem.
Cùmque diu ſtaret cœpit pia pars trepidare,
Atque ſuam pacem Proceres, famulique rogare
Magnificæ Dominæ crebrò cœpere peritè.
Hoc libuit Regi tantùm ſi facta Guiberti
Ipſi laudarent, pedibuſque ſuis quaſi Papæ
Se proſternarent, faceret mox hanc ita pacem;
Hoc audire quidem nolunt aures Comitiſſæ;
Sed volo noſcatis, pacem ſi Regis amatis,
Inquit, agam ſecum, juſtum non hoc & habetur;
Mox mediatores, Regem de pacis amore
Explorant, rogitant pacem ne differat iſtam,
Annuit hoc tandem memoratus Rex ſimulanter.
Ductores pacis nituntur ut ipſa Ducatrix
A] Compleat hanc pacem, quam Rex ſe dicit amare,
Credere quæ dictis laicorum diſtulit iſtis.
Multis accitis Abbatibus, ac Heremitis (102),
Præſulibuſque ſacris, ait illis fœmina pacis:
Si fieri poſſit pax juſtè dicere poſcit,
Reginus Præſul, ſpeculum quaſi lux, Heribertus (103)
Cum reliquis planè faciendam confore pacem
Aſtruit adjungens: tribulatio temporis urget;
Mens Dominæ flecti quaſi cœpit in his quoque verbis.
Reſpondit tandem dicens Heremita Joannes: (104)
Abſit ne fiat, quia pax hæc eſt inimica
B Spiritui Sancto, Patri, Proprio quoque Nato.
Ergo ſudores amittes, atque labores
Tantos, pro Chriſti quos nomine ſuſtinuiſti.
Ne titubes, pugna, quoniam victoria multa
De prope de Cœlo veniet tibi, dante ſereno
Chriſto pro Petri precibus, qua læta fruêris.
Fructificante fide fructum generant Heremitæ
Iſtius verbâ, verus fuit inde Propheta.
Nam Regis pactum Comitiſſa reliquit inactum,
Atq; fidem ſummam ſervare ſpopondit alumna
Petri, donec ei vitam dederit Deus ævi.
Turba Sacerdotum firmatur Catholicorum:
Ante volunt lethum, quàm regis deniq; fœdus;
Colloquium dignum Carpineti (105) fuit iſtud,
Rex Montem-Belli non ceſſans tundere bellis,
C Machina ſuccenſa ſua fit, prope quippe Cucherlam.
Dum geritur bellum, ruit unus filius ejus (106),
De quo Rex latè doluit, miſitque cadaver
Veronam, pulchrũ fabricatur eiq; ſepulchrum.
Eſſe videns caſtrum Rex inſuperabile factum,
Per campum latum densè reboare tubarum
Voces præcepit, diſcedens inde quievit.
Continuò caſtrum Montis-Belli memorandum,
Æmiliam (107) quippe tunc Rex pervênit & ipſe,
Atque ſtetit ſoles paucos ibi ſubdolus ore,
Inde movens caſtra, finxit ſe pergere Parmam.
Tem-

(99) Conterminus Monti Bello, ſeu Bellio, nunc *Monte Morello*. Spectabat olim ad Mutinenſem Comitatum, nunc ad Bononienſem in finibus Saviniani. *Mur.*

(100) Et hunc in agro Mutinenſi tunc ſitum reor. Sed caſtro penitùs ſublato nunc nomen fruſtra inquiras. Quid ſibi velit Donizo, ſcribens, hunc Montem (ideſt ſitum ibi caſtrum) captum fuiſſe *certamine freni*, decernere non auſim. Num *frenum* pro *equitibus* poſuit? At quis locus iis ad Caſtrum debellandum? In Regeſto MSto Reipublicæ Mutinenſis ad Annum 1188. legitur *Juramentum Cittadinantiæ*, ut olim appellabatur, factum Mutinenſibus à *Lotherio de Monte Alfredo*. Mur.

(101) Nunc Monteveglio, ſeu *Montevio*. Tunc in Mutinenſi agro incluſum, nunc ſubeſt Bononienſibus. Celebre autem ejus nomen fecere bella inter Bononienſes, ac Mutinenſes ſequentibus ſeculis geſta. *Mur.*

(102) Quo nomine Donizo deſignat *Monachos*. Si tamen malis *Monachos* illos heic tantùm indicari, qui arctioris vitæ genus in ſolitudine eligebant (erant enim multi) non impedio. Sed infra *Eremita Johannes* appellatur Abbas Cœnobii Canuſini. *Mur.*

(103) Hunc Epiſcopum Regienſem non ſatis perſpectum habuit Ughellus in Italia Sacra. Fuit is Romanæ Sedi obediens, ac propterea Mathildi Comitiſſæ carus, eoque ipſo tempore floruit, quo Henricus Auguſtus, & Guibertus, ſive Clemens Pſeudopapa, Gandulphum, ac deinde Ludovicum ad Regienſem Epiſcopatum evexerant. *Mur.*

(104) Monaſterii Canoſſini Abbatem fuiſſe ſuſpicatur Clariſs. Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Annum 1092. neque injuria, ut dicam infra. *Mur.*

(105) In agro nimirum Regienſi, ejuſque montibus, ubi adhuc nomen retinet *il Caſtello delle Carpinete*. Mur.

(106) Nomen illius, ac mortem (quod mirum) reliqui ſilent Hiſtorici. *Eum in oppugnatione Carpineti* cecidiſſe ſcripſit Sigonius. Verùm ejus mors in obſidione *Montis Bellii* contigit, ut apertè nos docent Donizonis verba. *Mur.*

(107) Hoc eſt Regii Lepidi urbem, quæ *Æmilia* appellabatur, iis ſaltem temporibus. Attamen audiatur Bulla Guiberti, ſive Clementis III. Antipapæ, ſpectans ad Canonicos Regienſes, ac in eorum Atchivo ſervata, iiſdemque temporibus data *apud Ceſenam per manum Bernerii vice Petri Cancellarii anno Dominicæ Incar. MXCII. Indict. XV. Anno autem Pontificatus Domni Clementis III. Papæ VIIII. IX. Idus Junii*. Ibi confirmat Clemens *Decimam in civitate, quæ vocatur Regium, & in Martia, & omnes res, quæ ſunt in circuitu civitatis, quæ vocatur Æmilia*. Viden *Regium* civitatem, ſimulque *Æmiliam* civitatem? Idemne, an duo diverſa loca fuerint, contermina tamen, alii decernant. Equidem ut *Regium Lepidi* à M. Æmilio Lepido ejus reſtauratore, ita & *Æmiliam* ab eodem nomen accepiſſe reor. Sed ejuſmodi appellationis nullum apud veteres veſtigium invenio. Quod eſt ad antiquos Breviatores Donizonis, Eſtenſis ea verba *Æmiliam pervénit* hiſce exponit: *Et venit ad civitatem Reginam, & ſtetit in civitate Regina aliquantis diebus*. Audi & Regienſem. *Et ſic ipſe Imperator collectis tentoriis venit Regium* &c. En ut *Æmiliam* ii explicant. *Mur.*

Digitized by Google

Tempus erat clarũ rediit retro Cavilianũ (108),
Ac memor eſt factus Canoſſæ quæ mala paſſus
Sit, nudis quando planctis illic ſtetit, algor,
Nix pariterque pedes illius coxit; habere
Nunc ulciſcendi tempus ſe credidit ex his;
Canoſſam verò Comitiſſa, cohors ſua necnon
Venerat, utque ſapit Regem fore Caviliani,
Militiæ partem forti dimiſit in arce,
Ac partem ſecum tulit, it mox Bibianellum,
Semet commendans Apollonio, bene ſperans
Salvari poſſe meritis ipſius ab hoſte.
Dum fuit ad montem Jumignæ (109), denſiùs hoſtes
Per Lintregnanum montem veniunt pede raro:
Hi duo ſunt montes vicini, ſenſit abhorrens
Utraq; pars ſtrepitũ, Dominæ pars Bibianellum
Intrat feſtinans, Regiſque phalanx Canuſinam,
Vexillo largè tenſo, properavit ad arcem.
A Domina Proceres aliquanti tunc rediere
Retro, viri Regis, quos quærit (110) ducere belli
Ad pugnam, bellũ renuunt hi, cùm citò tendunt
Ad reliquos arcis, quos hortatur ſimul armis
Arreptis Regi fidenter bella rependi.
Cùmque tubæ magnæ reboant, Abbaſque Joannes (111)
Cum Monachis pſalmos pſallebat, cordeque Sanctos
Depoſcens omnes, locus ut tueatur ab hoſte;
Extitit orta ſatìs caligo maxima ſtatim,
Abbas orabat, pugnabat plebs memorata,
Vulneribus ferri jaculatur concio Regis,
Ex populo terræ jaculatur nonniſi certè
Unus, qui multas pilo puſſaverat ulnas.
Vexillum Regis geſtabat natus Oberti (112),
Ad ſe qui rectum cùm vidit tendere ferrum,
Evitans ictum lorica nimis trahit ipſum,
Nam cecidit terræ, currit quidamque pedeſter,
Accipiens haſtam, vexillum tollit ad aſtra;
Vix relevatus equo prædictus Marchio, retro
Ad Regem, ſurſum qui monticulum ſtetit unum
Cum ſociis cunctis, rediit, ſimul ac ibi juncti
Ob nebulam grandem cùm nullus viderit arcem
Rex volvit frena; Bajanum (113) tendit, habebat
Cor nimium mœſtum, videt erga ſe quia tempus
Mutatum, libras per millia quatuor iſtam
Nollet habere viam calcatam, ſcire, nec ipſam;
Perditio ſigni defectum ſignat ab hinc, quin
Nomen ei creſcit, quod dicitur Officiperdi. (114)
Pars Mathildis ovans Chriſtum veneranter adorans,
Ad Phanum defert Apollonii reverenter
Vexillum Regis, quod adhuc ibi conſtat haberi.

Hæc dum fiebant October rura colebat;
Rex una mœſtus Bajani nocte quieſcens
Manè Padum juxta properavit, & inde ſecunda
Luce Padum tranſit, decreſcens omnibus annis.
Concio Mathildis loca de prope plana petivit,
Eridani limpham poſt hæc tranſivit & ipſa;
Terras paulatim, dudum quas nota Ducatrix
Perdiderat, ſcutis illius denique viri
Reſtituunt gentes ferientes quaſque rebelles,
Redditur & turris Dominæ Gubernula multis
Regis de rebus honorata (115) ſat, & ſpeciebus.
Reddita non longa (116) Ripalta fuit ſibi poſt hæc,
Augmentum magnum pia pars habet hoc & in anno.

CAP. VIII.

De ſeparatione Praxedis Reginæ ab Henrico Rege (117) & de adventu Papæ Urbani in Longobardiam.

AUgurium pejus Regi quoque contigit, ejus
Flagitium prorſus ſua cœpit ſpernere Conjunx,
Quod taceat metrum, nimis hinc ne degeneretur.
Aſt de Regina Praxede tamen metra dicant;
Sic timet ipſa virum, dentem velut agna lupinum,
Cùmq; timore tremit, furtim munimina quærit
Mathildis, poſcens ut eam disjungat ab hoſte,
Aſpiciens Debora nova tempus ineſſe velhoram,
Hunc ut proſternat Siſaram, clam quippe catervam
Veronam mittit, Regina manebat & illic;
Privatum (118) venit, defertur, læta recedit.
Regis eam ſervi perdunt ſtrepitu ſinè belli;
Suſcipitur rectè, reverenter, nobiliterque
A Domina ſanè Mathildi, quæ quaſi Rachel (119)
In Siſaræ magnum nunc fixit tempore clavum.
Creſcit ob id felix Chriſti victoria plebi,
Eccleſiæque Duci, Paſtori ſcilicet Urbis;
Hanc rem Reginæ miſſi referunt Comitiſſæ:
Hoc quicumq; ſcelus cognoſcebat fore verum,
Spernebat Regis ſectam, pariterque Guiberti:
Partibus in cunctis pars Petri maximè ſurgit;
Dux bonus Urbanus factis & nomine clarus
Eſſe triumphandi tempus de Principe (120) Rabin
Percipiens, Romam dimittens vênit ad oras
Longobardiæ cum conſilio Comitiſſæ,

Quæ

(108) Fulvius Azzarius in Regienſi Chronico ſcribit nunc appellari Caſtrum Sancti Pauli, *San Paolo*, ſecus Entiam fluvium. Et quidem Chartæ veteres id confirmant. *Mur.*

(109) Scribe: Vimignæ: Ita enim Codices noſtri. *Mur.*

(110) Quærunt. *Leib.*
Habent iidem Codices *quærunt*. Mur.

(111) Idem videtur ac ſupra memoratus *Eremita Johannes*. Quod ſi verum, jam habes *Eremitam* pro *Monacho* uſurpatum. Eumque Canoſſino Sancti Apollonii Cœnobio Abbatem præfuiſſe, Mabillonius ſuſpicabatur. Nam non longè à Canoſſa peractum eſt prœlium; intus verò Abbas & Monachi meliorem cauſam Deo commendabant. Ego rem certam ſtatuo ex Charta, quæ mihi eſt ad manus, *Bernardi Cardinalis, atque Domni Paſchalis Papæ Vicarii* ſcripta anno 1105., ubi is *Eccleſiam Cœnobilem Sancti Michaelis de Monte in Epiſcopio Lunenſi ſitam* regendam, ordinandamque committit *Venerabili Johanni Canuſino Abbati*. Mur.

(112) Filius nempe ejuſdem *Marchionis Oberti*, quem ſupra vidimus Lib. 2. Cap. 3. à Mathildis militibus in prœlio Sorbarienſi fugatum. Infra hic idem Oberti filius appellatur *Marchio*. Mur.

(113) Azzarius auctor eſt, indicari heic *Bebianum* Caſtrum. Certè ſequentia docent, jam in planitiem deſcendiſſe Henricum, quando *manè Padum juxta properavit*. Mur.

(114) Vox deſumta ex Diſtichis Catoni vulgo attributis. Hominem ſignificat, qui tempus, & oleum perdat. *Mur.*

(115) Reſtitue *onerata*. Ita quoque Codices MSti. *Mur.*

(116) Scribendum *non longè* ex fide eorumdem Codicum. *Mur.*

(117) Lege Baronium ann. 1093. 1094. 1095. *Leib.*

(118) Reponendum eſt *privatim*. Senſus poſcit, & Codices antiqui conſentiunt. *Mur.*

(119) Scribe *Jabel*. Ita quoque ſcripſit Donizo, ut MSti teſtantur, & Hiſtoria exigit. *Mur.*

(120) Raſin. *Leib.*
Utique ſphalma; reſtituendum tamen, non *Raſin*, ſed *Jabim*, ut habent MSti noſtri. Rex nempe à Joſue profligatus Cap. XI. Joſue. *Mur.*

Quæ ſuſcepit eum, Sanctum penitùs quaſi Petrum.
Pontificis dextrâ benedicitur iſta Poteſtas.
(121) Tunc Paſtor Sanctus Synodum (122) celebravit, & annus
Chriſti millenus nonagenus quoque quintus,
Primus erat menſis, cùm naſcitur humor in herbis;
Ore Sacerdotum damnantur facta malorum
Ac Hereſi Papæ Guiberti ſcilicet Archæ,
Regis & Henrici, Domini quia ſunt inimici,
Affuit his dictis Praxedis, & ipſa Mathildis;
Catholicos plenè benedixit Papa fideles;
Hanc Synodum Sanctam Placentia continet ampla.
Expleta Synodo Dominæ, quam ſæpe recordor,
Papa valedixit, Clericis comitatus abivit
Per multas urbes, curans convertere plures;
Gallia quem Patrem ſuſcepit maximè carè.

CAP. IX.

De obſidione Nogaræ.

VIlior effectus ſolito magè Rex, velut exul,
Quid faciat neſcit, nec nocte dieque quieſcit;
Fronte carens, tandem reſilire putavit, ut ante
Civibus accitis ſecum Veronenſibus, ivit
Vallavit Caſtrum Nogaræ forte vel amplum:
Hoc diſcunt aures Mathildis, novit ut autem
Mox accerſitos Motinenſes (123) corpore firmos,
Eridanum tranſit, quam tunc Gubernula gratis
Suſcepit noctu, ſed non Regem latet hoc, nec
Exanguis (124) factus, qui Rex nimis & ſtupefactus
Se mox inde movens in eadem nocte, timore,
Quo Deus Aſſyrios quondam ſtupefecit iniquos,
Quando Samariam circundederant ferè dira
Pervalidaque fame (125), fore victam nontitubarent,
Surgunt nocte tetra tremefacti, vaſcula, frena,
Diverſas veſtes, obliti ſunt ſimul enſes,
Longè ſecedunt, urbs divitiiſque repletur.
Ipſe Deus Regem fecit trepidare repentè
Iſtum Mathildim fugiendo, nocte reliquit
In caſtris vaſa, ſeu frena, capiſtria ſana (126),
Caſtrum Nogarę Comitiſſa (127) gliſcit amare:
Manè recepit eam, vehementer ut eſuriebat,
Cum proprio cœtu ceu Judith ipſa beetur
Non ſemel hæc Regem necat ut Judith Olofernem,
Crebrò ſed impellit, ſibi muſcipulas quoque tendit,
In quibus ille cadit, ſe quando cavere putavit.

(121) Baron. ann. 1095. *Leib.*
(122) Scilicet Placentiæ anno 1095. cujus Canones refert Labbeus Tom. X. pag. 503. Concil. *Mur.*
(123) Mutinæ Comitiſſa fuiſſe creditur Mathildis, ut ejus quoque Majores fuerant. Sunt etiam, quæ me in hanc ſententiam impellant. Jure eodem aliis quoque civitatibus eamdem præfuiſſe cenſeo. Quum verò in ſingulis reſidere non poſſent hujuſmodi multarum urbium Comites, Vicecomitem in iis dimittebant. *Mur.*
(124) Lege cum Codicibus noſtris: *nunc exanguis*. Mur.
(125) MSti *prævalidaque fame, fore victam nec titubarent*. Mur.
(126) Cod. Regien. *capiſtria ſanè*. Mur.
(127) Idem Codex. *Comitiſſam*. Mur.
(128) Baron. ann. 1095. num. 49. *Leib.*
(129) Lubentiùs legerem *Rector*. Acta ſunt hæc anno 1096. & 1097. *Mur.*
(130) Scribe *Ravennæ*, ut habent MSti noſtri. *Mur.*
(131) Nempe ille idem Epiſcopus Bajocenſis, quem ſupra memoravit Lib. 2. Cap. 3. *Mur.*
(132) Et Proſodia poſcit, & MSti Codices noſtri legunt heic *quandoque relinquere*. Ante uſurpatam Petri Sedem Ravennati Eccleſiæ præerat Guibertus, neque poſtea ullum in ea Archiepiſcopum ſtatuit, ut ſi malè ſibi fortuna cederet, vacuam adhuc repeteret Cathedram. Rubeus in Hiſtoria Ravennate idem tradit, atque confirmat. Et revera in Actis ad Ravennatem Sedem ſpectantibus ille *ſe VVibertum Archiepiſcopum* inſcribebat, in Pontificiis verò *Clementem*. Mur.
(133) *Dictantis*. Leib.
Noſtri quoque Codices exhibent *dictantis*. Mur.
(134) Regien. Codex habet *rurſum*. Mur.

CAP. X.

Quid in Galliis Papa Urbanus lucratus eſt, & de reverſione ſua ad Italiam.

URbani (128) Galli Papæ Petri quaſi ſancti
Dicta receperunt, & ei bona multa dederunt,
Verba ſalutis eis dabat hic Paſtor vice Petri,
Nam docuit ſummus Pater illos ire ſepulchrum
Ad Domini noſtri, locus ut purgetur, & hoſtis
Inde repellatur populus Paganus amarus.
O fidei ſemen bona germina quot modò præbes
Cùm rutili flores reſluunt Paſtoris ab ore,
Et pariunt fructus Domini dignanter in uſus!
Nam genitor carum pro Chriſto linquere natum
Et genitus patrem cœpit dimittere planè,
Atque vir uxorem contra dimittere morem
Sexus uterque Deo gliſcit parêre ſereno.
Certatim currunt Chriſti purgare ſepulchrum,
Francigenus cunctus populus, de quo fuit ortus
Urbanus Paſtor, præſertim pergit ovando.
Cùmque duos annos feciſſet ibi ferè Paſtor,
Italiam rurſus rediit, fuit atque locutus
Miti Mathildi, quæ Domni verba Magiſtri
Præſulis ac ſummi, mentis dulcedine ſumpſit,
Quam pater abſolvens, benedixit eam ſuper omnes,
Atque vale dicens ſibi, Romam tentat abire,
Ut Cathedram Petri purget, quam prava Guiberti
Seſſio polluerat, per longum tempus habebat
Corruptam legem Canonum, pariter quoque Regem,
Urbanus Rhetor (129) velut ambierat; priùs ergo
Romanam ſedem mundavit ab hoſte, celèbre
Illius nomen creſcebat, maximè Romæ,
Plebs ſuſcepit eum, pepulit Romana Guibertum;
Ejectus nempe foràs Urbem, ſtare Ravennæ (130)
Aſſiduè cœpit mortem ſuus Oddo (131) recepit,
Propter Papatum non liquerat hic dominatum
Ravennæ, credens quandoque linquere (132) ſedem.

CAP. XI.

De receſſu Chonradi ab Henrico Patre ſuo, & de morte Papæ Urbani.

PEtre Pater præſto precibus dictandis (133) adeſto,
Ut doceas ſenſum noſtrum componere verſum, (134)

Unam

Unam dictemus plagam, qua Rex superetur.
Francigenas partes Urbanus dum peragraret
Longobardiæ stabat Rex hactenus ille;
Cui fortuna vetat, ferat ultra ne diadema,
Egypti Regem, quæ peroulit ultima Regem,
Istum plaga ferit, primogenitus sibi cedit,
Mortuus Ægypti primogenitus fuit; isti
Non obiit, vivus sed ei gravis est inimicus
Factus, ob ejus opus, quod erat nimium scelerosum.
Chonradus (135) dictus fuit hic de Chrismate tinctus,
Ingenio pollens, genitorem prorsus abhorrens,
Se Dominæ largis Mathildis subdidit alis.
Quæ veluti dignũ valde carumq; propinquum,
Mox suscepit eum laudans, ut Rex vocitetur
Illius tractat Patrem, sic Hester ut Aman,
Abstulit Uxorem sibi primitus, & modò (136) prolem.
His motus damnis septem stans insimul annis (137)
Italiæ, Regnum Gallorum visitat exul,
Sic procul ejectus Chonradus filius ejus,
Cum domina stabat jam supra commemorata,
Consilio cujus pulcher juvenis, rubicundus,
Ac prudens verè, Siculam duxit mulierem, (138)
Rogerii natam Ducis, huic Juveni quoq; Papa,
Credere si vellet sibi, Regem non vetat esse.
Non erat hic Rector tremulus quasi cannula vento,
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo.
Ut cervum serpens heresum sic turba timet quem;
Cuncta sibi prava subduntur dogmata falsa.
Nunquam decrevit (139) libertas denique sedis
Romanæ per eum, Sanctum peramat quia Petrum;
Aureus Antistes color optimus extitit iste,
Scilicet Urbanus Sanctis meritò sociatus,
Talem væ Romæ cum perdidit opilionem.
Mortuus est Romæ digno conditus honore,
Julius ipse dies binos cùm dat propè finem
Anno milleno, nonagenoque noveno
A Nato celso de prima Virgine Verbo.

CAP. XII.

De electione Paschalis Papæ, & de prava Guiberti morte.

POst quem Papa bonus laudatur relligiosus
Valde Paschalis, consecratur quoq; statim,
In verbis planus, per Romam prorsus amatus,
Dans agapem grandem, nutriens inopes, tribulantes.
(140) Dogmate pro Christi certanti porrò Mathildi
Signatos apices benedicentes sibi mittens,
Illos ut mores teneat, monet, anteriores,
Quos docuere Patres ipsam vehementer amantes.

A
Simplicitate Pater Sancti Jacob Patriarchæ,
Paschalis regitur, secum neque fubdola vivunt.
Planiciem cujus didicit Guibertus homullus,
Mox Antichristi sedem sibi tollere gliscit;
Qui Sutrium vênit, Cives seducere cœpit
Romanos, parvos precioque nimis (141) simul altos;
Atque viam Domini Petri (142) faciebat hic hostis
Custodire, viros spoliare jubens peregrinos.
Hic per viginti tres annos denique Christi
Ecclesiam nisu toto turbarat iniquus,
Dum potuit multos animos seducere stultos,
Destitit infelix nunquam, nec (143) corpora
B lædit,
Illius magnus Mundus jam despicit actus.
Ecclesiæ cunctæ Petre jam præbe promocon-de (144),
Iste senex ut hebes homines sinat esse fideles.
Post annos binos Urbanus erat quòd ab isto
Seclo portatus, Cœlique Choro sociatus;
Iste dolore gravi tactus Guibertus inanis
Mortuus est; secum portans anathema per ævum;
Propterea Cœli populus, pariterque fidelis;
Exultentque boni, periit quia perditionis
Filius, ut surgat similis, non det Deus unquam.
Dictator quidam de quo metra protulit ista:
Fletibus & lachrymis esses Guiberte dolendus,
Fletibus & lachrymis, si fortè fores redimendus.
C
Sed nulli gemitus possunt tua facta piare,
Quam mors non potuit de perfidia revocare.
Non est consilium quod possit vivificare,
Ad se quem sprevit Deus in finem revocare.
Vivens & moriens nobis exempla dedisti,
Quòd membrum Sathanæ non sit de corpore Christi;
Non Dominũ, sed Dæmonium vivens habuisti;
Non Dominum, sed Dæmonium moriens habuisti.
Ergo satis claret, quòd, qui tua facta sequentur,
Pro simili culpa simili gladio ferientur.

CAP. XIII.

De obitu Chonradi Regis, & obsidione Ferrariæ.

SCribere res gestas cùm non sit res inhonesta;
Carmen adesto meum sic, ne promas nisi verum.
Infra Chonradus Longobardos comitatus,
Dum staret discors à Mathildi (145) fuit ipso
Tempore, duravit modicum discordia talis:
Nam petiit partes Tuscanas Rex, ibi tandem
Nobilibus quidam facientibus expulit iram;
Ad pacem firmam rediit bene cum Comitissa.
Post istam pacem febre tactus. Julius autem
Mensis erat magnus, moritur Chonradus, & annus
E
Ter-

(135) Anno 1093. ab Henrico patre defecit Chonradus, & Rex Italiæ salutatus fuit. *Mur.*
(136) In Cod. Reg. *ut modò*. Mur.
(137) In Italiam descenderat Henricus anno 1090. atque inde anno 1097. discedens Germaniam repetiit. *Mur.*
(138) Nempe Mathildam, cujus genitor fuit Rogerius, Dux, sive Comes Siciliæ, & Calabriæ. Has nuptias Abbas etiam Uspergensis commemorat, ignorasse autem videtur Doctissimus vir Rocchus Pirrus in Chronologia Regum Siciliæ. *Mur.*
(139) A decresco: hoc est, nullum detrimentum passa est libertas Romanæ Sedis, Urbano II. in eadem sedente. *Mur.*
(140) Baron. Tom. 12. ann 1100. num. 7. *Leib.*
(141) MStus Cod. Regien. *precioque*, *minis*, videlicet tum pecunia, tum minis. *Mur.*
(142) Idem Cod. *Dompni Petri*, hoc est *Domni*. *Mur.*
(143) Cod. ant. *nunc*. Leib.
Habent & nostri Codices *nunc*; nempe quia sublatus è vivis. *Mur.*
(144) Ideſt *Claviger*. Leib.
(145) Discordiæ causam veri videtur simile ab ipsa Mathilde processisse, uti jam monui in Antiquit. Esten. Cap. IV. Nempe illa, quamdiu Chonradum sibi utilem credidit, eum quoque coluit, ac honoravit. Ubi verò Henricus ejus pater pæne dejectus fuit, tunc decrevit apud Mathildem Chonradi gratia, atque auctoritas. Vide Landulphum à Sancto Paulo synchronum in Hist. Mediol. Tomo IV. Rer. Italic. *Mur.*

Digitized by Google

Tertius, Urbanus quòd transierat memoratus (146)
Ejus habet corpus Florentia florida prorsus.
Post hanc æstatem libet Autumnum memorare;
Qui venit, duros in quo Ferraria muros
Obsessos sensit, fuerat quia facta rebellis
Ipsa Ducatrici, nec ei servire cupivit;
Contra quam gentes numero sinè duxit & enses,
Tuscos, Romanos, Langobardos galeatos,
Et Ravennates, quorum sunt maximè Naves.
Circumstant equidem multæ maris atque carinæ
A Duce præclaro transmissæ Venetiano (147)
Considerans demum Ferraria, ne superetur,
Optavit pacem magnæ Mathildis amare,
Vincere cui vivos est semper mos inimicos.

CAP. XIV.

Quòd Papa Paschalis ob piam tutelam Dominæ Mathildis direxerit (148) in Longobardiam Venerabilem Cardinalem Bernardum.

AUxilio Petri jam carmina plurima feci,
Paule doce mentem nostram, nec metra (149) referre
Quæ doceant pœnas mentes tolerare serenas.
Pascere Pastor oves Domini Paschalis amore
Assiduo curans Comitissam maximè supra
Sæpe recordatam Christi memorabat ad aram;
Ad quam dilectam studuit trāsmittere quendam
Præ cunctis Romæ Clericis (150) laudabiliorem,
Scilicet ornatum Bernardum Presbiteratu,
Ac Monachum planè, simul Abbatem quoque sanctæ
Ambrosiæ Vallis (151). Factis plenissima sanctis
Quem reverenter amans Mathildis, eum, quasi Papam
Cautè suscepit, parens sibi mente fideli;
Qui vir cœlestis tantùm Cœlestia verbis
Et factis monstrans exempla dabat bona coram
Omnibus, & dignum fructum Domino genuit tunc.
Illius nomen ducebatur procul ore
Multorum, cujus populus de nomine fultus,
Urbis Parmensis pars major cum vehementi
Voto devotè Sanctum petiit Seniorem,
Pergeret ut Parmam multis erroribus atram,
Quos procul errores Pater hic depelleret ore:
Annuit his dictis, cum consilioque Mathildis,
Speque fide fulgens Clericis comitatus ad urbem
Perrexit; sanctæ dormitio Virginis, atque
In medio mense, qui sextus noscitur esse,
Tunc celebrabatur, quo festo Parma beatur;
Majus ibi templum Mariæ nomine fertur,

A In quo plebs tota Christum Parmensis adorat.
Virque placens Christo patiens Bernardus in ipsum
Introiit Phanum, Missam cantare paratus,
Verba volens Regni populo narrare superni.
Missam devotè pro festi cœpit honore,
Post Evangelica plebi retulit sua verba,
Quæ propter Regem nonnullis displicuere.
Dum calicem sancta vir mitis ponit in ara
Supplicet ut Christum pro cuncta plebe benignum,
Hinc clamor multus, vulgi sonuitque tumultus,
Nam blasphemias cœpit depromere diras,
Adversùs Christum ceu Judæi Crucifixum;
B Plures dicebant, moriatur Pseudopropheta,
Clamabant multi: seductor corruat urbis. (152)
Hic ajunt, intus Regis stet non inimicus.
Enses denudant, mulierum vox sonat una:
Si finitis vivum, Regem perdetis amicum,
Non vivus vadat, cupitis si vivere, clamant.
Vitrea vasa cadunt, hastis frangontur in altum
Erectis, longè patris socii simul omnes
Fugerunt, Abbas Thebaldus (153) maximus astat
Cum patre solus ibi: cervicem monstrat, & infit:
Cæde meum collū, mortem gratanter hîc opto.
Mox frameam quidam per collū traxit ob iram
Illius, parvum sibi fecit vulnus & artum,
C Intrepidus stabat læta facie super aram
Christi Bernardus patiens, sapiens, venerandus
Cùm vidit vulgus ridere suum quasi vultum
Clamavit dicens: Speciem Zabuli gerit iste;
Tollatur statim, tundatur carcere, flagris.
Injecitque manum super ipsum, cujus (154) avarus
Et foris asportant, heu Missa relinquitur orta.
Non Dominæ Magnæ dormitio Virginis almæ,
Non altare Dei, sed nec reverentia Petri
Terruit hanc gentem Pharisaica facta sequentem,
Capellam totam, quam præbuerat preciosam
Huic Domno digno Comitissa Mathildis, in ipso
D Templo confestim rapuit plebs pessima, fregit.
Nuncius è multò vicino, manè secundo,
Scilicet ad grandem Comitissam vênit, & hanc rem
Notificavit ei, quæ dans suspiria flevit,
Atque sui fortes athletæ jussit ut omnes
Adversùs Parmam deferrent insimul arma,
Fines tunc nempe retinebant hanc Motinenses.
Ut volucer velox citò pergens hæc pia verò
Parma die terna prope sensit eam timet, ex qua
Nobilibus vasis (155) illius reddere statim
Injustè captum studuit supratitulatum,
Et Dominæ cunctam Capellam reddidit, ultrà Non

(146) Ann. 1101. non absuisse veneni suspicionem. Ughellensis notat. *Leib.*
(147) Hoc est Vitali Michaële, cui quasdam immunitates, ac privilegia in civitate Ferrariensi concessit Mathildis, ut Veneti Historici tradunt. *Mur.*
(148) Cod. Regien. *direxit*. Mur.
(149) Lege cum Codicibus nostris *nunc metra*. Mur.
(150) Fuit enim Bernardus iste S. R. E. Cardinalis. Habent & nostri Codices Abbas Vallis *Ambrosiæ*, quum tamen *Umbrosæ* scribendum sit. Unus Epitomator Regiensis antiquus MStus habet: *qui fuerat Abbas Vallis Umbrosæ*. Murat.
(151) Vallis Umbrosæ. *Leib.*
(152) In Regien. Cod. *orbis*. Mur.
(153) Cujus Cœnobii Abbas fuerit, incertum hactenus. Mihi pænè certum videtur, fuisse *Thebaldum Abbatem Monasterii Brixellensis Sancti Genesii*, ad quem supra innui Lib. 1. Cap. 18. datum Diploma Comitissæ Mathildis. Congruunt ætas, ac vicinitas loci. *Thedaldum* appellat Bacchinius, *Thebaldum* verò Azzarius. *Mur.*
(154) Cod. antiq. *civis*. Leib.
Nostri quoque Codices *civis avarus*. Tum Cod. Regien. *& foris asportat*. Antiquus breviator Bibliothecæ Estensis: *Unde unus de Civibus avarus injecit manum super dictum Cardinalem, & foris de dicta Ecclesia eum asportavit*. Mur.
(155) Corrige ex fide Codicum nostrorum: *Nobilibus vassis*. Nempe Vassalli Nobiles, quibus Feudum aliquod committebatur, Seniori suo, quum bellum instabat, se adjungere solebant, & pro suo munere opem ferre cogebantur: qui mos adhuc perdurat. *Mur.*

Digitized by Google

Non aliquid retinens, vitare pericla requirens,
Quæ non vitasset, nisi vir patiens adamasset.
Civibus indulsit Comitissa Mathildis, & urbi
Jussu Bernardi, cujus pietate emanbit,
Mille Dei nati tunc centum quatuor anni.

CAP. XV.

De obitu Regis Henrici Tertii (156).

Dictus jam dudum Rex quo sit fine solutus,
Scilicet Henricus, volo mundi discat amicus,
Cùm scierit, noscat faciendum quid sibi constat.
Rex suprafatus vivens erat illaqueatus
Actibus in pravis, semel at se dissimulavit
Converti, pleno quod fecit corde veneno,
Schismaticos semper coluit tenuitque libenter;
Hinc exardescens minor ejus filius (157), enses
Elevat adversùm genitorem, tollere Regnum
Quærit ei, duram secum committere pugnam
Non piguit campi, quem bellando superavit;
Mœstitia multa per totum tempus abundans,
Undique confossus, quassatus, & undique tortus;
Mortem non sperans demum, tamen ipsa catena
Mortis eum strinxit; rapuit de corpore tristi,
Augusti quarto defungitur Idus in anno
Christi milleno centeno denique seno (158),
Ad templum Spiræ dormit, quod struxerit (159) idem.

CAP. XVI.

Congrua exhortatio Paschali Papæ.

PEtre (160) Paule duces orbis, caput omnis in Urbe,
Infectatores vestri ducatus homones
Penna corvina loca jam peragrant peregrina.
Hæc alba penna, vos Papæ mittite verba:
O Pastor Rector Paschalis summe sacerdos
Hæc meditans (161) tracta, prudenter duc tua facta.
Ecclesiam Christi de regno mortis abyssi
Ereptam gaude, stet ut, aspice, libera cautè:
Illius pacem non ulteriùs violare
Ullus præsumat, caveat Pater hoc tua cura.
Velle tuum firmum super illum stet Crucifixum,
Qui semet morti pro sponsa subdidit hosti.
Tu cui commisit Christus, sponsamque reliquit,
Prospice perfectam (162) commendatam tibi semper
Reddere festina sponso sponsam sibi dignam.
Ferto priùs mortem, malè quàm violetur ab hoste,
Nullus eam raptor rapiat tibi, nullus amator
Falsus seducat blandè virtute nec ulla.
Scit Dominus Christus quia si steteris bene firmus,
Libertas sponsæ nunquam minuetur ab hoste;
Omnis nec Roma (163) sub te, Regnique coronam
Nemo ferre valet, tribuas nisi tu sibi planè,
Qui gestabit eam sinè te (præceptor habenas
Tu regis atque tenes) vacuus poterit remanere, (164)
Dum falsus quidam sponsam lacerare benignam
Non timuit, tecum plures vigilare studerent. (165)
Inter quos promptè Mathildis, filia sponsæ,
Pervigil & fortis, perversos sæpe remordit;
Fervida bella nimis cum Rege potenter inivit,
Nam per triginta duravit tempora firma,
Nocte die bellans Regni calcando procellas.
Finis adest guerræ, requiem rogat ut sibi præstes.
Si tibi crescet opus, nunquam deerit tibi robur
Et vis, & agnoscès, (166) quia Petri non amat hostes.

CAP. XVII.

De Adventu Papæ Paschalis in Longobardiam, & in Gallias,

POst obitum Regis prætaxatique Guiberti,
Ecclesiæ Sanctæ pax cœpit crescere valde,
Errores cessant, redeunt & vera neglecta:
Adversùs Papam, contra Sedemque beatam
Ausus nullus erat consurgere, sed reticebant;
Optabant omnes ut pergeret ipse per orbem
Corripiens, solvens, medicans contagia, sordes.
Tale videns tempus Paschalis Papa verendus,
Exiit à Roma, quem plebs satis omnis honorat;
Longobardiam devênit ad hanc Comitissam,
Cui venerare Patrem jugiter mos extitit altè.
Hæc est Mathildis, quæ gaudens obviat illi,
Lætitia multa Papam suscepit abundans;
Omnibus ipsa bonis, Regni decus est & honoris.
Juxta tuncque Padum tenuit (167) Synodum memoratus
Papa, suum missum direxit natus ad ipsum,
Defuncti Regis, quærens ut jus sibi Regni
Concedat, Sedi sanctæ cupit ipse fidelis
Esse velut matri, subjici sibi vult quasi Patri.
Regis Legati Pater almus verba beavit.
His aderat dictis cum multis alta Mathildis,
Quæ laudans Regis pia missi verba petentis,
Res-

(156) In nostris Codicibus habetur tantùm *Regis Henrici*. Certè Regem appellare rectiùs appellasset *Quartum*, quàm *Tertium*; nam is inter Augustos dumtaxat Tertius est numeratus. *Mur.*
(157) Henricus scilicet, Quinctus inter Germaniæ Reges, cujus facinora perquam nota. *Mur.*
(158) Regien. Cod. *denique quinto*. Atque ita scripsisse Donizonem, suspicari possumus, quum Epitome Estensis ac Leibnitiana, Henrici IV. mortem ex ipso Donizone statuant in *millesimo centesimo quinto*. Verùm extra omnem dubitationem positum est, Henricum concessisse è vivis Anno 1106. & in re, quæ Donizone vivente omnium aures implevit, vix ille errasse credendus. Quare *seno* retinendum, atque ita ab illo literis traditum æquiùs existimabimus. *Mur.*
(159) Lege cum Cod. nostris *quod struxerat*. Mur.
(160) Rectiùs in nostris MStis *O Petre*. Mur.
(161) Iidem Codices: *Nunc meditans*. Mur.
(162) Cod. Regien. *perfectè*. Mur.
(163) Romam. *Leib.*
Nostri Codices *nunc Roma*. Et nihil aliud immutandum, sensu absoluto, ac aperto. Nempe: *nunc tota Roma sub te est*, Regnique coronam nemini gestare, sibive imponere licet, nisi tu tribuas. Ubi vides Romani Pontificis prærogativam in electione, & confirmatione Augustorum. *Mur.*
(164) Cod. Regien. *poterit remeare*. Mur.
(165) *Studebunt*. Leib.
Habet idem Codex *studerunt*. Mur.
(166) Cod. antiq. *Ejus & agnosces, quia*, (quod) *Petri non amat hostes*. Leib.
Consonant cum Vaticano Codices etiam nostri, in queis lego: *ejus, & agnosces, quod* &c. *Mur.*
(167) Baron. ann. 1106. *Leib.*

Reſponſum Patris cum cunctis magnificavit
Tunc veniunt cives Parmenſes. Pontificiſque
Summi devotè quærunt reverenter amorem,
Ut tribuat Parmæ Paſtorem corde rogantes.
Pontificem Parma petit illum, quem ſpoliarat
Olim, Bernardum Monachum valde venerandum,
Eccleſiam Parmæ Mariæ Virginis Almæ,
Urbs eadem Patrem rogat hunc, ut nec (168) quoque ſacret.
Lætatur Papa, quòd filia peſſima Parma,
Dedita nonnullis erroribus, inſita nugis
Ad gremium dignæ matris rogat ipſa redire.
Tunc erat & menſis, qui ſcindit rura juvencis,
Annus millenus centenus ſextus habetur (169).
Caſtrum Guarſtallæ (170) Synodi locus extiteratque,
Inde Pius Papa diſcendens ad memoratam
Advênit Parmam, faciens ibi quæque rogarant:
Nam ſacravit ibi templum (171) Chriſti Genitricis,
Dans ibi decretum, ne ſubjaceat niſi Petro
Clavigero Cœli, ſimul ipſius quoque Sedi.
Hoc venit templum Mathildis ad aſpiciendum,
Donum tale dedit, placuit quod maximè plebi.
Pontificem ſacrans Bernardum tunc ibi Papa,
Juſſit eum Papæ vice Sancti degere Parmæ.
Hincque valedicens Dominæ ſæpiſſimè dictæ,
Francigenos fines petiit venerabilis idem,
Fructificans multum ſpacium per temporis; unum
Illinc poſt annum rediit retro Paſtor amandus,
Ejus ad obſequium Mathildis mox reperitur,
Prompta loquens: ſecum Romam rediit citò Præſul.

CAP. XVIII.

De Legatis, & de primo adventu Quarti Henrici Regis in Italiam.

REx novus exaltans, tendenſque ſuas procul alas
Bellando terras ſuperabat, & inclyta regna.
Quartus hic Henricus prudens eſt, calliditatis amiçus (172),
Qui contra Petrum Sanctum fore ne videretur
Mille decem centum Chriſti dum tempora creſcunt (173)

A Pontifices magnos, Comites direxit & altos
Magnificam Romam pro regni quippe corona.
Filius eſſe Petri ſi vult Rex atque fidelis,
Papa, dabo Romam, reſpondit, eique coronam.
Dum redeunt iſti, ſeu perrexere, Mathildis
Ipſos ſuſcepit, dedit illis plurima; læti
Ad juvenem Regem poſtremum qui rediere:
Ipſe manum fortem coadunans mox in eodem
Scilicet anno, cum multis galeatus in ortu
Autumni vênit, Longobardoſque peremit,
Ardens, devaſtans illorum maxima caſtra,
Urbes munitas ejus perterruit ira,
Urbs ipſi geſtit fieri Novara rebellis,
Flammis ſuccendit quam, muros poſt quoque fregit.
B Aurea vaſa ſibi, necnon argentea miſit
Plurima, cum multis urbs omnis denique nummis.
Nobilis urbs ſola Mediolanum populoſa,
Non ſervivit ei, nummum neque contulit æris,
Italiæ nulla Comitis domus, aut Ducis ulla
Reperiebatur, de qua Rex prætitulatus
Multum curaret, quia quibat eas ſuperare.
Sola Mathildis erat, quæ Regem ſemper habebat
Exorſum (174) multùm certaminibuſque repulſum.
Arcibus in claris ſtabat tunc ipſa Ducatrix,
Ultramontani Proceres multi quoque clari
Ad quam venere, miraturi mulierem.
C Pace laborabat pro cujus Rexque flagrabat:
Uſque Tari ripam vênit Rex pace petita,
Tunc validè docta linquens Comitiſſa Canoſſam,
Forte vel excelſum pervênit Bibionellum: (175)
Regis cum miſſis magnis ibi plurima dixit,
Et de pace loquens, de Regis honore ſuoque,
Utraque pars tandem pacem laudavit eandem,
Sed contra Petrum non promiſit fore ſecum.
Francigenam ſtratam (176) tenuit Rex, pace peracta,
Tranſivit certè tunc incipiente Decembre.
Montem Burdonis (177) Tuſcanæ fluxit in (178) horis,
D Gens trepidat cuncta, nummos ſibi datque tributa,
Ceu Longobardi, ſic Tuſci ſunt tremefacti,
Cum Florentinis (179). Celebravit denique Chriſti Na-

(168) Cod. antiq. *nunc*. Leib.
Legitur quoque in noſtris Codicibus *ut nunc*. Mur.
(169) Baron. ann. 1106. num. 41. *Leib.*
(170) Ut omnes norunt, nunc *Guaſtalla*. Ideo verò appellata *Guarſtalla*, quia vox contracta ex *Guardaſtalla*, ſive *VVardiſtalla*, quemadmodum antiquitus appellabatur. Azzarius in Hiſt. Regien. MSta Oppidi hujus conſtructionem tribuit Beatrici matri Mathildæ Comitiſſæ. Verùm longè antiquius eſt. Anno 865. Ludovicus II. Imperator inter alia *Curtem VVardiſtallam*, tunc pertinentem ad *Comitatum Regienſem*, conceſſit Monaſterio Placentino Sancti Sixti, uti ex Privilegio conſtat apud Campium in Hiſt. Placent. Tom. I. pag. 459. Angilberga quoque Auguſta anno 877. eidem Sacro Cœnobio relinquit in ſuo Teſtamento *Curtem, quæ vocatur Guardaſtalla*. In aliis quoque monumentis mentio ejuſdem occurrit. Eſt autem Langobardica vox, ſive quod idem eſt Germanica, compoſita ex *VVarda*, ſcilicet *cuſtodia*, & *ſtallum*, quod eſt *ſedes*, & *ſtatio*. Italicè diceremus *Guarda-Sito*. Nempe ibi, ut conjicio, militum erat ſtatio, & cuſtodia ad Padi fluminis viam tuendam. Eſt mihi concordia anno 1102. inita inter Comitiſſam Mathildim, & Imeldam Abbatiſſam Monaſterii Placentini Sancti Sixti pro *Caſtro*, & *Curte VVardeſtallæ*: unde conſtat, ibi dominatam fuiſſe Mathildim. *Mur.*
(171) Sacravit & Mutinæ hoc eodem anno 1106. præſente ipſa Mathilde, & ingenti ſolennitate: quod memorandum quoque erat Donizoni. Acta dedicationis majoris Templi Mutinenſis, à ſynchrono Scriptore literis mandata, huic noſtræ Collectioni ſuo loco addam. *Mur.*
(172) Redundat. *Leib.*
(173) Baronius ann. 1110. *Leib.*
(174) *Exoſum*. Leib.
E (175) Scribe *Bibianellum*, nunc *Bianello*. Ita quoque MSti Codices. *Mur.*
(176) Scilicet *Æmiliam*, quam nos *Claudiam* appellamus. Eam verò hoc nomine donabant, quia recta in Franciam, ſive Gallias, perducebat. *Mur.*
(177) Ita quoque MSti Codices. Verùm antiquiores *Montem Bardonis* appellare conſueverunt, per quem à Berceto tranſitus in Tuſciam habetur per Pontem Tremulum, nunc *Pontremoli*. Mur.
(178) *Oris*. Leib.
(179) Conjunge hæc ſequentibus. Breviator Eſtenſis MStus ita legit: *Et celebravit prædictus Rex in civitate Florentiæ Nativitatem Chriſti*. Paria habent Epitomator Regienſis, & Leibnitianus, ut omittam Annales Hildeshemenſes, aliaſque Hiſtorias. *Mur.*

Digitized by Google

Natalem, denſas plebs hæc ſibi contulit eſcas.
Urbis Aretinæ muros ruit, uſſit & igne.
Idus in quarto Februi Romæ fuit, almo
Paſchali Papæ mandans, quia vult venerare
Ipſius juſſum, nec Epiſcopium cupit ullum
Vendere, præbere niſi Dux pius ipſe juberet.
Exultat Roma concurrens undique tota,
Papa, Sacerdotes, Levitæ, plebs ob amorem
Regis, majores; juvenes, pariterque minores,
Fœmineus ſexus, Monachi, Monachæ quoque centum,
Lampadibus multis cum claro lumine ſumptis,
Antiquo more proceſſio Regis honore
Facta fit extenſa (180) nummis eis cooperta.
Intrarunt Templum Sancti Petri reverendum,
Rex altare petens humilis ſatis, & bene clemens
Ibat per ſcalam pedetentim crura plicabat.
Ad ſummum ſcalæ ſua porrigit oſcula Papæ;
Inveſtituram (181) ſuper aram conſtruit unam
Eccleſias nummis quòd nunquam venderet ulli,
Non inveſtiret, jubeat niſi Papa benignè;
Hincque triumphabat Plebs, Clerus, maximè Papa,
Cùmque parat Papa dare Regi quæque rogarat,
Ut veniat, mandat, Rex diſtulit, abdita tractans:
Nam Zabulus, priſcus hominũ ſeductor iniquus,
Invidia fervens de Regni pace, repentè
Perfidiæ ſemen jaciens, turbare fideles
Diligit ardenter, ſunt quæque ſtatuta decenter,
Mox eliſa nimis fiunt; Rex ſic quoque dicit:
Priſcorum morem cupio Regumque decorem,
Nolo det ut ſolam mihi Domnus Papa coronam,
Anulus & fuſtis per me detur volo cunctis
Præſulibus noſtri Regni, ceu mos fuit olim.
Hoc ſibi nequaquam voluit concedere Papa,
Ducere quem fecit Rex, hoſpitioque recepit.
Nox accedebat cùm talia Rex faciebat,
Pontifices, cives plures capiuntur ibidem,
Atque Cruces Sanctas rapiebat gens Alemanna.

A Ebria gens iſta neſcit Chriſti pia dicta;
In lachrimas lætis (182) vertuntur gaudia pacis.
Nocte cohors cuncta ſimul eſt Romana locuta,
Surgunt manè ſpatis, clypeis, & equis falerati,
Concutiunt hoſtes Alemannos, corpore fortes
Cædunt, occidunt, & eos penitùs quaſi vincunt.
Sed flagrant erga nimis horum quippe Tabernas, (183)
Inſimul ex armis & denariis onerati
Plus adamant nummum, quàm bellum vincere ſumptum,
Longobardorum nimis eſt Rex tutus hic armis,
Ipſum circundant, Romanis viſcera truncant,
Rex eques electus celeri, (184) quo nemo repertus,
B Aſtitit ipſe ſuis, cives contrivit & Urbis,
Interitu quorum facto nimio populorum
Romani cœptum perdunt miſerabile bellum.
Rex verò Papam tenuit, vi pace negata.
Cum reliquis captus Parmenſis erat venerandus
Bernardus Præſul, Chriſti de dogmate plenus,
Atq; bonus Senior (185) Reginus Epiſcopus, illo
Simplicior credo reperitur nemo Sacerdos.
Pro quibus audacter vir facundiſſimus, atque
Nobilis Arduinus, (186) Longobarduſq; peritus,
Atque fidelis vir miſſus Dominæquæ Mathildis
Alloquitur Regem pactum memorans Comitiſſæ.
Continuò quos Rex finit ire Mathildis honore.
C Rumor erat mundo de capto Præſule Summo,
Qui, propter cives, quos ſecum ceperat idem
Rex, metuens mortem paterentur ne ſimul omnes,
Dum feſtum Paſchæ vênit, tribuit ſibi pacem,
Urbem Romuleam ſibi ſubdens, & diadema
Ipſius capiti ponens, unguit, benedixit.
Ultima lux menſis (187) primi tunc Paſcha revexit,
Numinis undecimo centũ poſt mille ſub anno.

Au-

(180) Quid heic ſibi velit tenebricoſus Donizo, interrogabis. Significat, ſi quid video, proceſſum populi extenſum fuiſſe, & numamos juſſu Auguſti projectos ſuper ipſum populum, ita ut veluti imbre cooperiri viderentur Teſte Ottone Friſingenſe, Henricus V. *Cives* (Romanos) *muneribus ſibi conciliavit*. Conſtat etiam, aurum de more à cæteris Auguſtis in eorum coronatione ſparſum in populum. Exemplum mitto. *Mur.*

(181) Quæ heic habet Donizo, conferenda ſunt cum iis, quæ in Vita Paſchalis II. Tom. III. Rer. Italic., & apud Dodechinum in Append. ad Marian., & apud Baron. in Annal. referuntur ad annum 1111. Neque enim hæc ſatis cum iis concordare videntur, ac præcipua impii illius facinoris cauſa tacetur. *Mur.*

(182) Codices noſtri habent, *in lacrymis latis*. Mur.

(183) Regien. Cod. præfert *Zabernas*. Atque ita ſcriptum puto à Donizone. *Zaberna*, teſte Papia, eſt *arca*, *vel armariolum ubi veſtes ponuntur, aut quodlibet aliud*. Vide Du-Cangium in Gloſſario, & Voſſium de Vitiis Serm. Lib. 2. Cap. 21. ad vocem *Zabyra*, qui adferunt Hariulfum, & Abdiam Babylonicum eodem vocabulo uſos. Itaque *Zabernas* interpretor *caſſe*, *forzieri*, *coffani*, *baulli*, *bolge*, atque hujuſmodi, ubi Teutonica gens pecuniam, ac ſuppellectilia recondebat. *Mur.*

(184) Cod. Regien. *celeris quo nemo repertus*; pro celerior. *Mur.*

(185) Scribendum. *Bonus-ſenior Reginus Epiſcopus*. Illud quippe nomen tunc fuit Regienſi Epiſcopo, videlicet *Bonſignore*. In Epitome Regienſi MSta Donizonis appellatur *Bonſeguorius*, de quo nonnulla habet Ughellus Tom. II. Ital. Sac., & plura Fulvius Azzarius in Hiſt. Regien. MSta. *Mur.*

(186) Nempe, ut rectè conjici poteſt, *Arduinus de Palude*, filius Guidonis, à quo Nobilis, & antiqua *Comitum de Palude* Familia Regii propagata dudum ſplenduit, & adhuc ſupereſt; ejus ſiquidem frequens mentio in monumentis Comitiſſæ Mathildis apud Florentinium, & Bacchinium. *Mur.*

D

(187) Ita quoque MSti Codices, & vetuſta Epitome Eſtenſis. Clariſſimus Pagius in Crit. Baron. ad ann. IV. num. 3. longam diſputationem habet de die coronationis Romanæ Henrici V. quam contendit peractam fuiſſe *V. Idus Aprilis Dominica in Albis*. Eam verò ſententiam ut tueretur, opus illi fuit corrigere Malmesburienſem ipſum, cujus fide nititur, alioſque Scriptores. Baronius verò geſta illa tribuit *Idibus Aprilis*, quemadmodum etiam habent Annales Hildeshemenſes, & Chronographus Saxo à Mabillonio in Annal. Benedict. memoratus, cujus verba, quia fortaſſe Pagio ignota, adferre juvat. *Rex Henricus Paſcha non longè ab urbe in caſtris ſuis celebravit, & per Octavas Paſchæ, die ſcilicet Idus Aprilis, in Eccleſia Beati Petri in Imperatorem conſecratur*. Mirum eſt, in re tanti momenti, neque nimia ſeculorum intercapedine à nobis diſſita, dubium illum diem adhuc reſtare. Quod magis etiam ſtuporem ingerere poteſt, Donizo noſter rotundis literis ſcribit, Henricum V. coronatum, unctum, & benedictum, *dum Paſchæ feſtum venit*, poſtea ſubdendo:

E

Ultima lux menſis primi tunc Paſcha revexit,
Numinis undecimo centum poſt mille ſub anno.

Ultima lux primi menſis eſt poſtrema dies Martii. Videſis, quàm longè abeat ab aliorum mente Donizo, qui tamen iis ipſis diebus hæc literis mandabat. Sed & alterum accedit ſtuporis argumentum. Paſcha enim ſecundùm Chronologos, & Canones Cyclorum, anno 1111. incidit in diem ſecundam Aprilis; Donizo verò in Hiſtoriam hanc ſcribendam eodem tempore intentus, eam contigiſſe ait poſtremo die Martii. Niſi tam graviter heic im-

Auguſtus planè dedit inclyta munera Papæ;
Gaudens ſed feſſus, nec non exercitus ejus
Exiit à Roma, Tuſcanas tranſiit oras
Rectè frena regens, equitans non extrahit enſes,
Longobardorum Regnum petiit ſpatioſum,
Illuſtreſque Duces ipſum Regem preeuntes,
Valde nutriti reſalutavere Mathildim.
Pergere nec Cæſar ſapiens uſquam cupiebat,
Reſpiceret faciem niſi jam dictæ Comitiſſæ.
Cùm jam cœpiſſent tranſire dies Madii ſex
Ipſemet acceſſit, ſcit eam fore Bibianelli,
Teutonicâ linguâ refert pariter ſua dicta:
Non erat interpres ullus ſibi quippe neceſſe.
Huic promiſit (188) ſimilem ſe Rex nunquam reperire,
Cui Liguris Regni regimen dedit, in vice Regis, (189)
Nomine quam matris verbis claris vocitabit; (190)
Treſque dies ſecum faciens firmum quoq; fœdus
Omnino lætus, creſcens jugiter quaſi cedrus,
Ivit cum magnis ultra montes Alemannis.

CAP. XIX.

Quo timore Mantuani ad fidelitatem Dominæ Mathildis redierint.

GLoria Chriſte tibi cujus virtute Mathildis
Ex toto victrix manet omnibus ex inimicis,
Nam proceres plures comites ſuperavit, & urbes;
Regem (191) contempſit, cùm ſecum prœlia geſſit,
Marchia (192) nolendo ſibi paruit atque volendo,
Mantua crudelis ſibi devetat eſſe fidelis,
Annos viginti per quatuor atque reliquit,
Quòd ſibi non ſervit, ſed proditione ſuperbit.
Protulit edictum quocirca maximè dirum
Rex ſcriptus ſupra, quòd ſprevit Mantua dura.
Qui ſtaret quanquam cum forti gente Lemanna, (193)
A Ceſſat legatos tamen haut ſibi mittere claros,
Inclyta Mathildis cum muneribus bene dignis.
Glorificat Cæſar donis & eam vice verſa.
Accidit interea tribulatio maxima quædam,
Quæ turbat terram, pravorum corda revelat,
Atque voluntates reſeravit & impietates.
Disjice Chriſte vias tales, abrade ruinas,
Exaudi miſeros Deus, audi noſter egenos,
Atque Ducatrici vitam concede Mathildi:
Cùm morietur enim, denudabuntur egeni,
Eccleſiæ ſanè fient graviter ſpoliatæ.
Hoc proceres credent ſe facturos, humiles nunc.
Latro latroni dabit auxilium quaſi proli;
Prædo Prædonem, leo rodet ut ore leonem.
Viſi nunc flores; quid agent quandoque latrones?
B Hactenus en vivit prudens Comitiſſa Mathildis,
Sed nimis infirmam Baruncio Mons (194) tenet ipſam.
Pullulat hinc lolium, ſegetem ſuffocat iniquum,
Undique funeſti cuncurrunt atque protervi;
Defunctam dictam ſupra referunt Comitiſſam.
Hoc verbum credunt cives, quos Mantua ſecum
Semper habere ſolet, mox priſcam proditionem
Ut renovent, tractant, exquirunt atque Ripaltam. (195)
Cujus cuſtodes perculſi quippe timore,
De propriæ valde Dominæ vita dubitantes,
Seque ſuas proles, ſed non tamen abſque tenore
Ad populi votum ſubdunt caſtrum quoque totum.
C Tale fuit fœdus, ſi viva Mathildis habetur,
Non adversùs eam caſtrum retinere volebant.
Sed nimis abſque fide ſunt uſi vivere cives;
Nam ſub ſe caſtrum poſtquam videre redactum,
Clam malè diſponunt ipſum comburere totum.
Interea prudens Præſul Manfredus (196) ad urbem
Vênit, quòd vivam dimiſit, ait, Comitiſſam.
Ad cujus dictum populus commotus in ipſum,
Eſſet ni clarus, de grandi ſtirpe creatus,
Credo manus in eum miſiſſent, ſed timuere.
Non timor hos Regis cohibet, fœdus neq; gentis.
Caſtrum, ceu dudum cupiebant, funditus urunt;
Effringunt turres, lapides portantur ad urbem.

Per

D

impegiſſet Scriptor noſter, utique ſententiam ejus de coronatione peracta Paſchali die Dominico ego reliquis præferrem, quippe is tanta temporis, & loci vicinitate vix falli credendus foret. Præterea audi Rogerium de Hoveden. par. 1. Annal. ubi hæc de Henrico habet: *Paſchalem Papam cepit, & in cuſtodiam poſuit, ſed poſtmodum ad Pontem Viæ Salariæ*, ubi *Paſchalem feſtivitatem in campo celebraverunt, pacem cum eo fecit*. Eodem ſeculo floruit Rogerius. Adde Robertum de Monte, à Pagio laudatum, ſive ut mihi videtur, Sigebertum Gemblacenſem, in Chronico ſuo hæc ſcribentem: *Die Paſchæ Henrico in Imperatorem coronato* &c. quæ verba Labbeus, & Pagius emendare coguntur, utpote opinioni ſuæ adverſantia. Tunc vivebat, ſcribebatque Sigebertus Chronicon ſuum, & non multò poſt poſtremo fato ſublatus eſt. Is igitur apertè cum Donizone convenit, quod eſt ad coronationis diem. Quod autem ſpectat ad Paſchatis diem, mihi inſtar monſtri videtur, Donizonem in re adeò celebri, cujus tempus ignorare non potuit, tam turpiter hallucinatum. Itaque rem aliis perpendendam relinquo. *Mur.*

(188) Cod. ant. *promſit*. Leib.
Legitur & in noſtris Codicibus *promſit*, ideſt faſſus eſt. Ex his autem, quæ habet Donizo teſtis oculatus, corruunt quæ ſcribit Orderieus Vitalis Lib. 10. pag. 763. Eccleſ. Hiſt. nempe eo tempore ab Henrico V. vaſtatam fuiſſe *Mathildis potentis hæreditatis ſpatioſam regionem, quæ Ticinum, Placentiam, & magnam partem Italiæ, quæ nunc Lombardia dicitur, poſſidebat*. Neque veritate nititur Mathildis dominatio Ticini. *Mur.*

(189) Ergo veluti *Vice-Regina* Italici Regni conſtituta ab Henrico V. fuit Comitiſſa Mathildis. Sed & ante hæc tempora latè dominata eſt inclyta mulier, uti præter alios Hiſtoricos fat prodit Landulphus à S. Paulo ſynchronus, cujus Chronicon Mediolanenſe dedimus Rer. Italic. Tom. IV. *Mur.*

(190) Scribe *vocitavit* cum MStis noſtris. *Mur.*

(191) Henricum IV. *Mur.*

(192) Tuſciæ, ut ego interpretor, atque antea Florentinius in Monum. Comitiſſæ ejuſdem. Attamen meminiſſe juvabit, *Marchiam* quoque *Anconitanam* à nonnullis accenſeri ditionibus olim ad Mathildem ſpectantibus. Hæc autem ſubſequenti ſaltem ævo *Marchia*, veluti antonomaſticè appellata eſt. Verùm nullis firmis tabulis adhuc didici, Mathildim illic imperaſſe. Imò, uti adnotavit Pompejus Compagnonus in Regia Picena, iis ipſis temporibus *VVarnerius Dux, & Marchio* regioni illi dominatus fuiſſe videtur. *Mur.*

E

(193) Alemanna. *Leib.*

(194) Nunc *Monte Baranzone*, in agro, & montibus Mutinenſibus ultra Montem Zibinium. Superſunt adhuc nonnullæ Chartæ donationum à Mathilde illic factarum apud Silingardum, & Bacchinium. *Mur.*

(195) Vetuſtus Auctor Epitomes MStæ Eſtenſis appellat *Terram Ripaltæ de Epiſcopatu Mantuæ*. Leibnitianus Epitomator *Ripaltam Comitiſſæ Caſtrum tertio ab urbe Mantuæ milliario diſtans*. Vide ſupra Cap. IV. hujus Libri. *Mur.*

(196) Scilicet Epiſcopus Mantuanus. *Mur.*

Digitized by Google

Per menſem (197) damnum ſcelus hoc non fit
patefactum,
Infirmæ Dominæ fieret ne cauſa ruinæ.
Menſis erat ſextus nimis in quo proficit æſtus,
Vix ſed ſanatur ſuſtentatrix Viduarum,
Quæ degant caſtæ (198) Comitiſſam vivere
captent,
Ruſticus atque manu ſulcando ducat arotrum,
Tauros atque domet, paſcat, tutèque laboret,
Carpat iter tutum; vivens hæc, atque viator.
Eridani ceſſet piratam nauta timere,
Præſentem vitam donec fruitur Comitiſſa.
Quę dum ſcit quantũ ſibi fecit Mantua damnum,
Dicit: adeſt certum, pereat quo Mantua tempus;
Offenſas diras urbs emendabit iniqua.
Scutatas gentes diſponit, & arcitenentes,
Celſas ac puppes armatas hanc ſuper urbem,
Dum nova fiunt hæc ſubitò vulgata per orbem,
Urbs avibus dives, (199) degit ſed gens ibi
triplex,
Ociùs explorant quid agant, ſimul atq; laborant,
Bellum ferre libet, pars quædam dicit iniquè
Noctis nos uſos, (200) fore ſat defendere muros.
Pauperior quædam, ſe pergere, pars ait, extra.
Talia jactantes dictis, ac ſtulta putantes,
Pars melior ſurgit, juvenes affatur & urbes (201):
Vos juvat (202), ô pueri rapto, ceu vivere prædis?
Sed pudeat pueri nos obſidione teneri,
Advena vult miles noſtras incidere vites,
O juvenes fortes, fugiat diſcordia longè,
Pars eat ad veniam noſtrorum: ſupplicet illam,
Nos omnino decet cui lætiùs eſſe fideles.
Hæc pars exhortans melior; fortiſſima corda
Molleſcunt juvenum: vicit concordia demum.
Accedunt timidè, poſcunt veniam Comitiſſæ:
Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat,
Non audire preces tales omnino volebat.
Miſſi lenibant animum, ſicut ſibi quibant:
Noſtras offenſas nobis generoſa poteſtas
Quęſumus indulge, noſtrã tibi pandimus urbem,
Cuncta tibi juret plebs, quæ verſatur in urbe.
Dictis iſtorum pariter procerumque ſuorum
Vix dedit aſſenſum. Quin urbs affert ſibi cenſum,
Atq; Sacramentum minimus populuſq; ſuperbus
Fecit in urbe ſibi; facti ſunt ejus amici,
Atque velint nolint, ſoliti fuerant velut olim.

Hoc etenim pactũ Bundeni (203) noſcitur actum.
Tunc erat October, prope finem currerat uſque
Computus annorũ Chriſti texatur (204) & horũ
Quatuor atque decem centum quoque mille
recedunt.

CAP. XX.

Quòd erga Dei cultum Domina Mathildis intentiſſima fuit.

Palma velut florens Mathildis pollet honore,
Ramos & frondes ceu tempus palma per omne,
Ex toto ſervat virides nimis intus & extra:
Sic viget hujus honor, ne deficiat, Deus, oro.
Majulat hæc parvos, inopes ſuſtentat & altos,
Iſta Sacerdotes de Chriſti (*) vincit amore,
Tempore nocturno ſtudioſiùs atque diurno
Miſt ſacris pſalmis, ac officiis venerandis
Religione pia, ſatis hæc intenta perita.
Hærent ſemper ei ſapientes maximè Cleri,
Veſtibus & vaſis pretioſis ritè ſacratis
Nullus ea Præſul ſtudioſior invenietur.
Copia librorũ nõ deficit (205) huicve bonorum,
Libros ex cunctis habet artibus atque figuris.
Immemor eſt nunquam ſervare ſtatuta ſecũda.
Bella Dei geſſit; victrix ob id extat inermis.
Rex (206) Paradiſe ſuas ſanctis pro te dare
curat,
Vota ſui cordis Cœli complete coloni:
Maximè tu Princeps Petre, cui ſua cuncta
(207) reliquit.
Fluctibus impulſus Ponti, ſaccoque recluſus,
Ille beatus vir Levitaque Cæſarius (208) ſit
Nullatenus tardus, ſed ſit promptiſſimus almus
Chriſti clementis rogitator, ut iſta ſupernis
In domibus vivat, Baratri nec ſentiat iram;
Templa, Sacerdotes, Levitas ipſa decorat (209)
Martyris iſtius, cœpiſſe quod optimè ſcitur:
Olim jam plenè facit Eccleſiam renitere:
Nam cluit ex auro, cluit argentoque decoro,
Amplas ejus, (210) terras, libros, & pallia,
gemmas
Obtulit, Eccleſias ſcit jam tranſcendere primas.
Hujus opus Muſa ſic eſt Canuſina locuta:
Uſque quo mundus erit, ſit ut hæc hera provida quærit
Sanctus Apollonius, Victorque, Corona, Quirinus,

(197) In Cod. Regien. *Parmenſem*. Sed retinenda prior lectio. *Mur.*

(198) Cod. Regien. *quæ degant caſtè*. Quæ ſequuntur, tenebris abundant, nempe *Comitiſſam vivere captent*. Puto uſurpatum *captent* pro *optent*. Sic infra occurrit *vivens hæc*, Priſciano reclamante, pro *vivente hac*. Mur.

(199) Alludit ad Virgilii verſus Æneid. Lib. X. quos referre opus eſt.
Mantua dives avis, ſed non genus omnibus unum,
Gens illi triplex &c.
Appellata ergo Mantua *dives avis*, hoc eſt Majorum gloria perquam illuſtris. At illico Donizonem rideas, *avibus* pro *avis* ſcribentem. Verùm hoc ille conſultò fecit, ut ſubſannet Mantuam, quam non ampliùs *divitem avis*, ſed *avibus* divitem vocat. Fortaſſis autem, & alia illa verba *gens ibi triplex*, alio accipit ſenſu. Hoc eſt erant ibi, qui bellum ſuadebant, qui improbabant, qui urbi ſe valedicturos ajebant. *Mur.*

(200) Codices noſtri præferunt *Hoſtis*. Mur.

(201) Corrige & *Urbis*, ſenſu poſcente & noſtris Codicibus idem teſtantibus. *Mur.*

(202) Accipe, quomodo hæc habeantur in Cod. Regien. uno ibi addito verſu:
Vos juvat, o pueri, nos obſidione teneri?
Vos juvat, o pueri, rapto, ſeu vivere prædis?
Sed pudeat, pueri, nos obſidione teneri. Mur.

(203) De quo pago infra erit ſermo, quum ibi Mathildis Comitiſſa humanis rebus exceſſerit. *Mur.*

(204) Imo in noſtris Codicibus *taxatur*. Mur.

(*) Ideſt *devincit amore Chriſti*. Mur.

(205) Rectiùs in noſtris MSS. *defuit*. Mur.

(206) Cod. antiq. *Res*. Leib.
Et noſtri habent *Res*. Quod ſequitur *dare ſanctis*, ſignificat largiri Eccleſiis ſub nomine Sanctorum Deo dicatis. *Mur.*

(207) Cod. antiq. *relinquet*. Nam ſcripſit hæc Autor ipſa adhuc viva, etſi librum abſolverit ipsâ extinctâ. *Leib.*
Legitur quoque in noſtris Codicibus *relinquet*. Nempe uſum, nam antea Apoſtolicæ Sedi ſua omnia dono dederat. *Mur.*

(208) Acta Sancti Cæſarii habes apud Surium ad diem 1. Novembris. Heic autem invocatur, quia Mathildis Comitiſſa Eccleſiam Sancti Cæſarii in agro Mutinenſi ampliſſimè ditaverat, eamque Canonicis Regularibus conceſſerat. Lotharius III. Auguſtus in Privilegio à me viſo commemorat *bona quoque, quæ Domna Comitiſſa Mathildis pro ſalute ſua, ſuorumque parentum animæ, ipſi Eccleſiæ Sancti Cæſarii donavit*. Datum eſt Diploma. *Anno* 1138. *apud Vingiolum*. Pagius contendit, Lotharium anno præcedenti 1137. è vivis deceſſiſſe. Si germanum eſt hoc Diploma, ejus mors rectiùs à Baronio ſtabilita, *Mur.*

(209) Cod. Regien. *ipſa decoret*. Mur.

(210) Cod. ant. *cui*. Leib.
Legitur in noſtris quoque Codicibus *cui*. Mur.

Quærant ante Deum, Mathildis ut ista beetur
Cita Cœlesti, pascatur pane perenni:
Erga quos rectum det amorem, more Parentũ.
Diximus in primis nos de dictamine libri;
Ore manu si quid inhonesti scribere visi
Nos essemus, item Dominæ peteremus eidem
Ut libri fine patientur ut ipsa feriret.
Nolus perflagrans fecit nos promere tanta,
Officium dictant (211) nostrum metra nomen
& ista.
Finis adest (212) libri, Dominum laudemus
Amici.

De insigni obitu memorandæ Comitissæ Mathildis.

COgitat & tractat vir, sed Deus ordinat apta.
Dictavi binos nuper cum carmine libros,
Quos ego Mathildi Comitissæ mittere dixi,
Patres illius codex loquitur quia primus,
Ad laudem cujus manet editus atque secundus.
Frivola vitavi, quæ scripsi, vera probavi.
Lætitia mentis libros dum necto tabellis;
Nuncius advênit, qui me nimis obstupefecit,
Dicens extinctam prætaxatam Comitissam.
Vires diruptæ mihi sunt, subitòque medullæ,
Palpebris dulcis somni dormitio fugit,
Viscera frigescunt, simul ossa caroq; liquescunt,
Quæque laborabam sunt è manibus vacuata.
Haut nocet illius mihi mors, tantùm modò
scitur,
Officit omnino rectè viventibus immo:
Sunt ubicunque boni, fuerant sibi maximè noti.
Nam qui trans Pontum, seu Galliciæ remorantur,
Christo jure preces ex ipsa fundere sæpe
Curabant, missos sibi mittebantque benignos.
Ejus notitia Patriarcha Hierosolymita,
Ipseque Romanus, Constantinopolitanus,
Lætabantur ita, quòd ei sua propria scripta
Mittere solerter studuerunt atque decenter.
Omnis honorque decus tunc Italiæ ceciderunt,
Dum defuncta cadis Mathildis, clara Ducatrix.
Vicisti Reges, tibi cunctos atque rebelles;
Conciliumque (213) tuum, nec non rutilum
quoque vultum
Totius terræ cupiebant noscere gentes:
Queis responsa dabas, omnes & honorificabas.
Stabant ò quanti crudeles atque tyranni
Sub specie justa, noscentes te fore justam:

A Qui dissolvuntur, jam pacis fœdera rumpunt,
Ecclesias spoliant, nunc nemo vindicat ipsas,
Si quis se forsan, tutor quòd sit (214) quasi,
monstrat,
Ecclesiæ partem terræ grandem priùs aufert.
Morte tua purus Mathildis deficit usus.
Nã solito miles (215) Domino studet altiùs ire.
Deviat à retro (216) gressu jam Clericus,
(217) ergo,
Dives edit sumptus, quos pauper habebat inusus,
Fiunt diversæ mundi per climata sectæ,
Quas ô Mathildis prohibebas ritè malignis.
Causa tuæ mortis scribatur, ut audiat orbis,
Ut tua vita cluit, mors sic tua laude refulsit.
B Dum bis quarta manet Indictio, jungitur atque
Virginei partus, qui currere cœperat annus (218)
Millenus Quintus Decimus Centesimus: illum
Natalẽ (219) Christi voluit celebrare Mathildis
In quodam pago, Bondeno (220) nempe vocato.
Octavoque die Roma veniens Pater ille,
Relligione super cunctos qui maximè lucet,
Scilicet Inspector Cluniazi (221) Ponzo Sacerdos
A Domina tanta susceptus, ut inclytus Abbas
More suo sanctis surgens cantare synaxim
Nocturnã, magnus licèt algor stringeret ortus,
Devotè gracilis surgit tamen ipsa Mathildis,
Auribus intentis capiendo verba canentis.
Extensos cantus non deseruit sibi gratos
Frigore percussa, doluit nimis illico gutta.
C Vixque die mansit Patris ad Missam venerandi,
Cùmque dies luxit, fuit in qua tinctus in undis
Christus, & in stella paganis se manifestat,
Ac liquidas vertit latices in odore Falerni,
Præscripti Patris manibus vix ducta Ducatrix
Audivit Missam, licèt ægra remansit ad ipsam,
Languida grabato redit officio celebrato.
Abbas dumque sibi comeatum planè petivit,
Ipsa suis, fidens precibus, donavit eidem
Pallia, sacratas vestes, argentea vasa,
Atque Crucem Sanctam, pulchrè gemmis
operatam.
O cultrix Christi, quantùm studiosa fuisti,
A te non ullus vacuus discessit homullus,
Si Domini certum quisti fore discere servum.
D Cùm venit tempus, quod jejunat quoque Jesus,
Jejunare volens hæc debilis, ejus amore,
Pontifices adsunt, prohibent jejunia, tantùm
Ingentes agapes sibi præcipiunt dare largè.
Pontificum dictis Mathildis paruit istis;
Queis

(211) Ut in Præfatione adnotavi, per Acrostichum ex initialibus literis versuum Capitis hujus, Donizo suum nomen, ac munus expressit. *Mur.*

(212) Scilicet, Donizo Librum suum ad umbilicum perduxerat, eumque Mathildi adhuc venti offerre meditabatur, quum ecce mors illam intercipit, & causam Poëtæ præbet adjiciendi subsequentes versus. *Mur.*

(213) Idest *Curiam tuam*. Regiensis tamen Codex habet *Consilium*. Mur.

(214) Advocatos Ecclesiarum carpit, qui sæpè non rem earum, sed suam agebant, eas expilando. *Mur.*

(215) Idest Nobiles Vassi, sive Vassalli, qui quum ab Episcopis, ac Abbatibus feuda recepissent, postea coram ipsis Dominis, & adversùs ipsos superbiebant. *Mur.*

(216) Typographi error. *Deviat à recto*. Ita MSti Codices. In quibus etiam habetur *ergo*, non *ordo*. Nempe voce illa indigebat Donizo, ut versum clauderet rythmo. *Mur.*

(217) Ordo. *Leib.*

(218) Baron. 1115. *Leib.*

(219) Igitur Donizoni annus 1115. incipiebat à Natali Domini. Heic autem agitur de Natali secundùm nos anni 1114. Decurrebat autem Decembri mense illius anni Indictio VIII. à Septembri mense. *Mur.*

(220) In Chartis, quas adfert Bacchinius, appellatur *Bundenum de Roncboris*, non illud quidem, quod nunc in Ferrariensi agro situm est ad Scultennam fluvium, sed alterum Monasterio Padolironensi propius. In Lucii II. Papæ Bulla apud Ughellum Tom. V. Ital. Sac. pag. 1607. Episcopo Regiensi confirmatur *Plebs de Bondeno de Roncolis*. Ideoque in Diœcesi Regiensi defuncta est Mathildis, eique morienti propterea adstitit Bonus-Senior illius urbis Episcopus. In antiquis verò Mutinensium Annalibus MStis, suo loco edendis, hæc leguntur: *Anno Domini MCXV. IX. Kal. Augusti obiit Comitissa Mathilda nobilissima in Comitatu Mutinensi in loco qui vocatur Bondenum de Diacono, ubi ædificavit quamdam Ecclesiam, dum in infirmitate jaceret, ad honorem Sancti Jacobi Apostoli, juxtq parietes cujus migravit de hoc seculo.* Mur.

(221) Lege cum nostris Codicibus *Cluniaci*. Pontius Abbas Cluniacensis erat, atque adeò caput Cœnobiorum omnium Cluniacensi Congregationi subjectorum, sive addictorum, inter quæ Padolironense. Verùm Pontius vitiis potiùs, quàm virtutibus abundavit, usque adeò, ut anathemate percussus diem suum clauserit, uti produnt Annales Benedictini Clarii. Mabillonio Auctore editi. *Mur.*

Digitized by Google

Queis confisa fuit (222) lachrymis sua debita puris,
Jure stolis quorum solvi meruit Seniorum.
Interea languor cùm non cessaret ab alvo
Illius, inde timens dedit Ecclesiis sua vivens.
Amplificare studens tunc Ecclesias bene plures
Non est oblita quin Ecclesiam Canusinam.
Semper cara sibi fuit, illius atque propinquis,
Ejus quo circa tribuit sub jure Filinam (223)
Egregiam Curtem, dantem fruges sat abundè,
Innumerosque suos famulos jubet hæc hera cunctos
Ingenuos vitæ post ipsius fore finem.
Ægra jacens septem per menses hæc eademque
Ante domum lecti recubabat, ubi jugiter sic
Jussit honore Dei, Jacobique pii Zebedæi
Ecclesiam parvam fieri, fuit & citò facta.
Officii vestes, & agros ad pabula mensæ
Obtulit huic gratis, hanc Præsul quando dicavit.
More suo Missam recubans audivit in ipsa.
Hujus mortales exemplum discite tale,
Quæ Christo (224) vivens moriens servivit eidē;
Sex decieſque novem vivens annos in honore,
Julius ante dies octo quàm det prope finē (225);
Scilicet ante die celebrem Jacobi Zebedæi.
Corpus ei Christi, pariterque Crucem Crucifixi
Porrexit Præsul Reginus, corde serenus,
Quique bonus Senior (226) proprio fit nomine dictus.
In manibus cujus Comitissa Mathildis ab hujus
Ærumna secli, jugiter memoranda, recedit.
In Cruce nam Christo sua figens oscula dixit:
Te colui semper, mea nunc rogo crimina terge.
Accipiens Christi Corpus venerabile dixit:
Semper dum vixi, Deus, hoc scis, spem tibi fixi,
Nunc in fine meo me salvans suscipe quæso.
Sic orans migrat mox hæc sapiens Comitissa,
Quanquam credamus, Deus huic quoque (227) sit miseratus.
Ipsum nemo tamen scit (228), qui non postulet altè,.
Ut sibi concedat Paradisi gaudia vera.
Te, Benedicte Pater, moriens hæc curat amare,
Cœnobiumq; (229) tuum ditatur corpore cujus;
Cui prece demonstra Cœli cognoscere portas.

A
In numero major duodenario Petre Pastor,
Cui propriæ sortem telluris subdidit omnem:
Valvas tu Regni sibi promptè pande superni,
Edidit hæc ædem tibi, Jacobe, cùmque jaceret,
Speremus quamvis, quod ob hoc ipsam bene sancis,
Maximè cùm lætum sit Passa (230) tuum prope festum:
Ut tamen accurras sibi poscimus ante tribunal.
Pastor Apolloni Mathildim spernere noli,
Sit licèt injustum quòd respicit (231) ipsa sepulchrum,
Quod tua fert ædes, quo Patres ejus inhærent.
Ast altare tuum tamen hæc coluit quia multum,
Ante pium Regem veniam sibi posce libenter.
B
Virgo Maria Dei Genitrix, noctisque diei
Hæc audire tuum non destitit officium, nunc
Fac ut te videat, tibi serviat, & super æthra
Omnibus, in cœlis habitacula qui retinetis,
Paruit in terris nimis hæc in corpore versans:
Vos sibi nunc omnes requiei porgite sortem, Amen.

Explicit carmen mortis Comitissæ Mathildis.

Exhortatio Canusii de Adventu Imperatoris, & Reginæ.

C
PElle timores, non & honores candida Petra, (232)
Tempora dudum prospera multum lęta ferebas,
Magna Mathildis quod tibi finxit, tempore multo
Et genitores nobiliores ipsius ultro
Te peramarunt, & fabricarunt denique celsè;
Progenies quæ jam requiescens, desiit esse
Plangere cessa, gaudia specta, stabis honestè;
Cæsar honorat, teque decorat, sis sua semper.
Plangere noli, culmen honoris tu retinebis,
Alta Mathildis mortua vivit splendida felix:
Quæ nova Mater regna beata, teque beabit,
Est super illam commemoratam nomine talis.
Cæsaris hostes sint procul omnes, ipse beetur
Et sua Conjux fulgida prorsus vivat in ævum.

D

(222) Cod. ant. *Quis confessa fuit*. Leib. Nostri quoque Codices *confessa*. Mur.
(223) Castrum in agro Regiensi inter Montes supra Bismantuam. *Felina* appellabatur olim, uti & nunc appellatur. *Mur.*
(224) Scribendum *Christi*, uti in MStis habetur, & sensus postulat. Sublata autem est è vivis celeberrima femina anno 1115. die 24. mensis Julii. Diem mortis ejus ita Breviator Estensis exprimit: *octavo die exeunte Julio*: Ex quo intelligis, quid significet *intrante*, & *exeunte mense* in veterum Chartis. Vide Antiquitates Estenses. *Mur.*
(225) Baron. an. 1115. *Leib.*
(226) Cod. ant. Bonus-Senior. *Leib.*
(227) Codices nostri *huic quod*. Mur.
(228) Codex antiq. *sit*. Leib. In iisdem habetur *tamen sit*; atque ita revera scribendum. *Mur.*
(229) Scilicet Padolironense Sancti Benedicti, ubi primò tumulatum ejus corpus, tum inde sub Urbano VIII. Pontifice Romam translatum. Quum adhuc ad Padum ejus tumulus intactus permaneret, anno 1613. die 22. Junii, uti scriptum eo tempore invenio, Dux Mantuanus curiositate ductus Arcam frangi jussit. Visum ibi nobilis, ac celeberrimæ Viraginis corpus integrum, os apertum, dentibus candidissimis, & nullo ex eis excusso. Sudariolum faciei impositum, vix manibus contrectatum, in pulverem abiit. Ornamentum verò capitis incorruptum, quale in ejus picturis cernitur, ac præcipuè super Padolironense sepulcrum, & apud Marchiones Canossinos Regienses Patritios. *Mur.*
(230) Corrige ex nostris Codicibus: *cùm lethum sit passa*. Mur.
(231) Cod. ant. *respuit*. Displicuit scilicet auctori, quòd Mathildis se non jussit in arce Canusina sepeliri. *Leib.*
E
(232) Idest Canossa, seu Canusium, Arx fundata super silicem albicantem. Hæc autem Donizo scribit, quia anno 1116. Henricus V. in Italiam descendens, totam sibi attribuit hæreditatem Comitissæ Mathildis, atque inter cætera ipsam Canossam. *Mur.*

FINIS.

Digitized by Google

CHARTULA
COMITISSÆ MATHILDIS

Super conceſſione bonorum ſuorum, facta Romanæ Eccleſiæ.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MCII. quinto decimo die Kal. Decembris Indictione decima. Tempore Domni Gregorii Septimi Papæ in Lateranenſi Palatio, in Capella Sanctæ Crucis, in præſentia Cencii Frangipane, Gratiani, Cencii Franculini, & Alberici de Petro Leone, & Benincaſa, Fratris ejus Uberti de Tuſcia, & aliorum plurium. Ego Mathildis, Dei gratia, Comitiſſa, pro remedio animæ meæ, & parentum meorum dedi, & obtuli Eccleſiæ Sancti Petri, per interventum Domni Gregorii Papæ VII. omnia bona mea, jure proprietario tam quæ tunc habueram, quàm ea, quæ in antea acquiſitura eram, ſive jure ſucceſſionis, ſive alio quocunque jure ad me pertinent, & tam ea, quæ ex hac parte montium habebam, quàm illa, quæ in ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur, omnia ſicut dictum eſt, per manum Domini Gregorii VII. Papæ Romanæ Eccleſiæ dedi, & tradidi, & chartulam inde fieri rogavi. Sed quia chartula nuſquam apparet, & timeo, ne donatio, & oblatio mea in dubium revocetur. Ideo ego, quæ ſupra, Comitiſſa Mathilda, iterum à præſenti die dono, & offero eidem Romanæ Eccleſiæ per manum Bernardi Cardinalis, & Legati ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, ſicut in illo tempore dedi, per manum Domini Gregorii omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quàm quæ in poſterum, Deo propitio, acquiſitura ſum, & tam ea, quæ ex hac parte montium, quàm in ultramontanis partibus habeo, quàm quæ inpoſterum, Deo propitio, acquiſitura ſum alio quocumque jure, pro mercede, & remedio animæ meæ, & parentum meorum. Quæ autem iſta mea bona juris mei ſuperiùs dicta, unà cum acceſſionibus, ſeu cum ſuperioribus, & inferioA ribus ſuarum, qualiter ſupra legavi, (a) in integrum, ab ea die, in eadem Eccleſia dono, & offero, & per præſentem Chartulam offerſionis ibidem habendam (b) confirmo. Inſuper per cultellum, feſtucam nodatam, gantonem (1) & vaſcionem (2) terræ, atque ramum arboris (3), & me exinde foràs expuli, garpivi, (4) & abſentem me feci, & à parte ipſius Eccleſiæ habendam (5) reliqui, faciendum (6) exinde pars ipſius Eccleſiæ dederit à præſenti die quicquid voluerit, ſine omni mea, & hæredum, ac prohæredum meorum contradictione. Si quid verò (quod futurum eſſe non credo) ſive ego Comitiſſa Mathilda, quod abſit, aut ullus de hæredibus, B ac prohæredibus meis, ſeu quælibet oppoſita perſona contra hanc chartulam quandoque offerſionis ire, agere tentaverimus, aut tam (7) (c) per quodvis ingenium infringere quæſierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde litem intulerimus, mulctam, quod eſt pœna auri optimi libras mille; argenti pondera quatuor millia, & quo (8) repetierimus, vindicare non valeamus; Sed præſens hæc chartula offerſionis omnibus temporibus firma permaneat, atque perſiſtat, & pergamena cum atramentario de terra levavi, (9) paginæ Guidonis Notarii tradidi, & ſcribere rogavi. In qua ſubter confirmans teſtibus obtuli roborandam. Actum Canuſiæ fœliciter, Mathilda, Dei gratia, ſi quid eſt, in C hac charta à me facta, &c.

✠ *Ego Ardericus Judex interfui &c.*
✠ *Ego Ubaldus Judex interfui &c.*
Signum Manu Attonis de Monte Barranzonis & Bonvicini de Canuſia, rogati teſtes.
Ego Guido Notarius Palatii, Scriptor hujus chartulæ offerſionis poſt traditam complevi, & dedi, &c.

(a) Vulgaris eorum temporum formula eſt *qualiter ſupra legitur*; atque ita heic ſcribendum. *Mur.*
(b) In ejuſmodi Chartis *habendum* uſitata eſt Notariorum formula. *Mur.*
(1) guantonem, ideſt chirothecam. *Leib.*
(2) gwaſcionem lego, gwaſionem, ideſt ceſpitem. *Leib.*
(3) ſupple: *tradidi*, vel tale aliquid. *Leib.*
(4) guarpivi, ideſt ejeci. *Leib.*
(5) habenda. *Leib.*
(6) *ad faciendum exinde pars ipſius Eccleſiæ*, barbarum eſt, pro: ut faciat exinde pars ipſius Eccleſiæ, quicquid voluerit. Vox dederit videtur redundare. *Leib.*
D (7) etiam. *Leib.*
(c) Scribe *aut eam*; ita enim in aliis ejuſmodi Chartis. *Mur.*
(8) quod. *Leib.*
(9) paginam Guidoni Notario. *Leib.*

De

Digitized by Google

De Thesauro Canusinæ Ecclesiæ Romam transmisso, & de compensatione Ecclesiæ Canusinæ facta.

ANno Domini MLXXXII. COMITISSA MATHILDIS cum Episcopo Anselmo, qui & Vicarius erat Papæ Gregorii VII. in illis diebus in Longobardia, thesaurum Ecclesiæ Canusinæ postulavit Abbati Gerardo, qui tunc præerat præfatæ Ecclesiæ, ad dirigendum Papæ pro defensione Romanæ Ecclesiæ, quæ illo tempore persecutionem grandem habebat à Guiberto Hæresiarcha.

Itaque prænominatus Abbas unà cum congregatione Fratrum, fidelem amorem & dilectionem habens in B. Petro & Romana Ecclesia, Vicario ejus & Comitissæ petitioni, alacriter thesaurum obtulit, qui XX. & IV. coronæ (1) erat, & una illarum aurea cum crucicula una itidem aurea, & duæ tabulæ altarium argenteæ, & coopertura argenti arcæ altaris Sancti Apollonii, & turibulum grande argenteum. Quod decoctum Canusii septingentæ libræ argenti fuit, & novem libræ auri.

Tandem transmisso thesauro Romam per assensum & voluntatem Papæ, qui cartam offersionis (2) de omnibus prædiis prædictæ Comitissæ ab ea receperat, supra nominatus Vicarius, qui & hunc Episcopatum tunc, jussione Papæ, regebat, rogante domina Comitissa pro aliquantula restauratione ablati thesauri, alias duas Capellas in Filma (a) & unã in Casula suppposuit Ecclesiæ Canusinæ. Postea Episcopus Heribertus Catholicè Romanam diligens Ecclesiam factum Episcopi Anselmi laudavit, & laudans firmavit, Ecclesiamque Canusinam consecravit; quæque habebat Ecclesia ex suo jure sua dote annuit sibi, & postulante eadem Domina Comitissa alias duas Capellas, unam in villa Placiolæ, & aliam in Jano (b) sitam eidem suppposuit Ecclesiæ, necnon & Capellam in Gurgo sitam per voluntatem ac nutus (c) istius Episcopi à Patronis ejusdem Ecclesiæ. Canusina tunc acquisivit Ecclesia (d) anno MXC. Hujus Episcopi temporibus purgavimus interiùs & exteriùs Ecclesiam illam de Gurgo ex spinis & vepribus. Post hæc idem Episcopus Heribertus pergere volens in Siciliam per proficuum & honorem Reginæ Ecclesiæ, quia pura amicitia Canusinam diligebat Ecclesiam, mutuo accepit (e) pretiosam planetam de purpura sanguinea & pulchro aurifrisio (3) cum decenti lineo indumento, quam cum indumento dixit valere XXX. libras, & cuncta, quæ ex suo jure Canusina habebat Ecclesia, iterum suis pontificalibus verbis valde confirmans & spondens vera fide & certa promissione, si à Sicilia vivus reverteretur, quòd de melioribus capellis sui Episcopatus subjugaret Canusinæ Ecclesiæ, & si contingeret eum non reverti, aut si perderet planetam, & indumentum; ipse ordinaret unum de bonis (f) Reginæ Ecclesiæ, ut restaurationem haberet Canusina Ecclesia de mutuato sibi indumento. Demum verò post concordiam Papæ Paschalis cum Imperatore, & post mortem Comitissæ M. mandavit Canusina Ecclesia Papæ censum quinque annorum, petens firmitatem Ecclesiarum (g) suarum, & illam libertatem, quam à tempore primi Ottonis Imperatoris Romana Ecclesia sibi conscripserat, ita videlicet, ut nemo Episcoporum unquam in aliquo sibi dominaretur, & ut Gregorius VII. qui tam (h) proprietatem Sancti Petri à Comitissa susceperat, omni anno reddendo censum XX. solidorum, sic suo Apostolicali privilegio eam corroboraret atque muniret. Quod & fecit Sanctissimus Papa perpetuo anathemate subdens, & alienans à Corpore & Sanguine Christi, quicunque vi illud scienter, quod juris S. Apollonii est, abstulerit, vel qui confractor ejus privilegii inventus fuerit. Hujus autem rei testes fuerunt Domnus Petrus, Vincentius, Pert. Johannes, (i) & Donatus ejus Monasterii clerici, &c.

(1) *fortè* Coronarum. *Leib.*
(2) *fortè* oblationis. *Leib.*
(a) Cod. Regien. *in Filina*. Mur.
(b) Idem Cod. *in Fano*. Mur.
(c) Idem Cod. *ac nutu*. Mur.
(d) Idem Cod. *acquisivit Ecclesia*. Tum sequitur: *Anno MXC. hujus Episcopi* &c.
(e) Idem Cod. *mutuò ab ea accepit*. Mur.
(3) aurifrigio. *Leib.*
(f) Idem Cod. Regien. *unde de bonis Reginæ Ecclesia restaurationem haberet Canusina Ecclesia de mutuato sibi indumento. Deinde verò* &c. *Mur.*
(g) Idem Cod. *firmitatem omnium Ecclesiarum*. Mur.
(h) Idem Cod. *qui eam in proprietatem*. Mur.
(i) Idem Cod. *Petrus, Johannes, & Donatus hujus* &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA
COMITISSÆ MATHILDIS
ORATIONE SOLUTA

AB

AUCTORE ANONYMO
SCRIPTA

ET EX MS. FRANCISCI MARIÆ
FLORENTINI

A GUILIELMO GODEFRIDO
LEIBNITIO

PRIMUM EDITA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Hiſtoria Illuſtriſſimæ Comitiſſæ Mathildis, & de geſtis potentiſſimorum progenitorum ſuorum, cujus corpus requieſcit in digniſſimo Cœnobio S. Benedicti de Padolirone, Diœceſis & diſtrictus Mantuani: Obiit autem anno humanatæ Divinitatis milleſimo centeſimo quinto; decimo nono Kalend. Auguſti.

MAthildis inclita Comitiſſa, & militaris admodum mulier, Henrico IV. Imperante ſuis præclariſſimis actibus in muliebri ſexu inter viros præcellentibus virtutibus habetur inſignis. Hujus hiſtoria tam progenitorum ipſius, quàm ſuam originem, & acta ſummatim continens, ex diverſis collecta Cronicis, ſequitur in hunc modum.

CAPUT PRIMUM.

De obſidione caſtri Canoſſæ, ac liberatione Reginæ Adeleidæ, quam Beringarius Rex Italiæ detinebat.

SIgifredus, Princeps quidam illuſtris de Tuſciæ partibus Comitatu Lucenſi ortus, ſtudens ſui nominis gloriam ampliare, Longobardorum fines ingreſſus cum filiis ejus Sigifredo, Attone, & Gerardo multas civitates, gentes & oppida conquiſivit, & ſibi ſubegit. Defuncto tandem eo, filiis ejus præfatis paterna condiviſa ſubſtantia: duo ex eis, ſcilicet Sigifredus & Gerardus Parmenſem civitatem incoluerunt. Atto verò qui longè fratres viribus & rebus tranſcenderat, Canoſſam caſtrum, ſibi domicilium accepit, quod turribus munivit, & mœnibus decoravit. Erat enim loci naturâ circumquaque munitum, inexpugnabile revera præſidium, ſitum in diœceſi Reginenſi Ad cujus caſtri obſidionem dum veniſſet Beringarius Rex Italiæ, cum filio & Longobardorum exercitu, ut ſibi Attonem cum caſtro ſubjiceret, Rex & filius ſunt extincti. Longobardi verò Ugonem virum inclitum ſtatuerunt ſibi Regem natione Burgundium. Poſt cujus mortem Lotharius ejus filius vir prudens regnavit, habens conjugem Adeleidam nomine, ſplendidam Reginam. Ex hac ſubtractus luce Lotharius, quidam Berengarius Longobardus hujus nominis quartus, abſque nutu Adeleidæ relictæ Reginæ, eaque renitente pro viribus, Rex creatur Italiæ. Qui contra eam ob hanc cauſam fævitia & ira pariter in tantum incanduit, ut ipſam ſuæ ſublimationis impugnatricem ſuper arcem Gardam retro turrim carceri incluſerit, ſolâ ſibi conceſsâ ancillulâ. Regina cùm diu manſiſſet incluſa, Capellani ſui tandem ſolertia de carcere evaſit. Hic enim Martinus nomine vir fidelis & ſagax, murum turris confregit occultè, & Dominam cum ancillula clam inde ducens, A datis ſibi indumentis virilibus, uſque ad Mantuæ lacum perduxit, qui piſcatorem cum navicula reperientes, tranſvehi petierunt. Eo verò navigationis pretium eſpoſcente inquit ad eum Capellanus Reginæ, ſi ſcires, qui ſumus, nos lætus & abſque pretio veheres. Qui reſpondit: ergo mihi aperite qui eſtis? Dumque ſacramentum ab eo peterent, quòd nemini revelaret arcanum; ipſe duobus acceptis baculis in effigiem crucis in terram poſitis, ſe rem celaturum juravit. Tunc Capellanus ei aperuit, indicans eſſe Reginam. Piſcator itaque lætus effectus, palmas ad cœlum tendens, ſtatim eos in navicula aſſumptos ad aliam lacus ripam devexit, prope ſylvam uſque lacui contiguam. Reginæ quoque piſcem obtulit rogans, ut ſi quando proſpera ſibi arrideret fortuna, reminiſceretur pauperrimi piſcatoris. Pervenientes igitur ad ipſam Inſulam una ibi hebdomada trepidi latuerunt. Capellanus enim ſecretò loca ſylvæ contiguæ circumiens, victum procurabat Reginæ; tranſacta hebdomada ſuſpirans, & ingemiſcens Regina ſuæ miſeriæ ſtatum: Heu, inquit Capellano, captivam me ſemper eſſe conſpicio, quidnam mihi hîc eſſe prodeſt? Vade quæſo igitur ad Reginum Epiſcopum Adalardum, qui cùm mihi conſueverit eſſe fidelis, ſpero, quòd ſi ſibi, quantus ſit meus fletus, indicaveris, forſitan miſerebitur noſtrî. Hæc dicens ſtatim Capellanus ad Epiſcopum properavit, & ſecretò ſibi Reginæ miſeriam pateſaciens, ejus ſibi præſidium conferri ſupplicavit. Condolens his Epiſcopus, lætus tamen, quòd Regina viveret, efficitur. Capellano reſpondit nullum ſe poſſidere oppidum, in quo ſecurè poſſet Regina morari. Militem tamen ſe habere dixit Attonem nomine, quem ſupra diximus, filium Sigifredi, amiciſſimum ſibi, cujus erat caſtrum Canoſſa nomine ante dictum pro Regina tutiſsimum revera præſidium. Confeſtim igitur Capellanum ad Attonem direxit. Qui eum videns, & de Regina interrogans, eam de induſtria ſua reſpondit, in carcere fore defunctam. Tunc Atto, qui Reginam fideliter adamabat, nimiùm inde dolens lachrymas fudit amaras. Quod cernens Reginæ Capellanus, rem ei ſtatim aperuit. Atto igitur equo velociter aſcenſo, cum Capellano & famulis ad Reginam perrexit, quam in Sylva reperiens cum ancillula, ad Canoſſam eam perduxit. Poſt hæc Romam ad Papam Johannem nomine duodecimum nuncium hujus rei direxit, ſupplicans ſibi ſuper hac re dignum impendi conſilium.

Digitized by Google

Deliberavit enim Atto Reginam ipſam, Imperatori Ottoni, tunc Alemaniæ Regi in conjugium copulare. Papa verò commendans quod gesserat Atto, mandavit ei, ut quod de Regina proposuerat, salubriter adimpleret. Atto igitur Pontificis cognita voluntate Reginam eidem Ottoni Veronam venienti dedit in conjugem. Otto verò Rex Attoni maxima per hæc promisit beneficia.

CAP. II.

Otto Imperator in auxilium venit Attoni in Canossa obsesso, & Berengarius capitur.

HÆc ita dum se haberent, omnia prorsus latebant Berengarium Regem. Cognoverat sanè evasisse Reginam, sed quò ausugisset, quidve egisset, erat ignarus. Audito autem Ottonis Regis adventu Veronæ, & quæcumque de Regina cum eo egerat Atto, iratus & frendens coadunato exercitu vênit Canossam, eamque obsidione vallavit. Sed Atto prudens & strenuus, oppidum, etiam loci natura fortissimum, necessariis quibusque munierat. Suos igitur ad defensionem solùm cohortabatur intrepidè. Cùmq; Rex Berengarius Castrum obsessum multis telis & machinis impeteret, excelsa tamen ejus mœnia contingi non poterant. Inter hæc consueverat interdum Atto de turri excelsa descendere, & præstantiores ibi viros alloqui. Quod Rex intelligens illum comprehendere machinatus est. Quidam verò Attoni amicus, hæc præsciens eum secretò de turri vocatum, ut emisso per fenestellam turris capite, ejus audiret verba rogavit; quod cùm fecisset Atto, hanc ei fabellam narravit. Ursus, inquit, ventre famelico, suspensus ad escas existens, se cervi cujusdam amicitia languere confinxit, misit ut se visitatum concito gressu veniret. Cervus igitur cùm venisset, ursus ejus adhæsit auriculæ eamque discerpens, ipsam etiam unguibus laniavit. Cervus tandem evasit. Post hæc rursum pro cervo mandavit, promittens ei magna munera si veniret. Cervus insçius, & offensionis oblitus, iteratò revertitur, qui urso propiùs accedens residua eum privavit auricula, sicque delusus cervus rediit deturpatus. Tertiò tandem urso pro cervo mandante, dicebat enim se magna cum eo loqui velle, incautus cervus advênit. Cui ursus arridens, dente, eum repentè & ungue discerpit, vitaque privatum vulpi assandum dedit, quem dum assum ursо vulpis præsentasset, cor illius à vulpe sibi dari expetit. Cui vulpis cervum cor non habuisse respondit. Ursus verò dum prorsus cervum cor habuisse contenderet, & illud statim sibi dari vellet; vulpis ait: Dum tuis tertiò petitionibus sic annuisset improvidus, corde eum caruisse protinus comprobatur. Hac narrata fabella, & cur eam dixerat Atto intelligens, turrim obsidione durante, ampliùs non descendit, utile sibi exemplum reservans. Dum verò tribus annis & mensibus sex apud Canossam perdurasset obsidio crudelis, Atto tædio affectus, Imperatori scripsit Ottoni ut promissionis olim sibi factæ, dum illi Adeleidam copulavit Reginam non immemor, ei accurrere auxilio non differret. Otto igitur collecto armatorum exercitu in agrum Veronensem advênit, Padumque transiens, cum Berengario aperto marte parat confligere. Quod audiens Berengarius statim ab obsidione decessit. Cui in Prato Fontano Imperator obvius factus grandi subitò exorto clamore, inter Berengarium & Ottonem initur prœlium. Pugnatur acriter utrimque: multi tamen cæsi sunt, multique mortui. Berengarii exercitus terga vertit: dumque fugientes Longobardos Alemanni insequerentur, Berengarius capitur, & Ottoni præsentatur; quem, vinctum compedibus, quoad vixit, captivum retinuit.

CAP. III.

De prœlio inter Adalbertum Regem Italiæ, & Lithulphum Ottonis Imperatoris filium.

POst hæc Adalbertus Berengarii filius à Longobardis sublimatur in Regem. Hic armis strenuus pacem cum Ottone numquam voluit. Atto verò sagax ingenio, & animo fidens, Canossam oppidum necessariis muniyit. Adalbertus quoque Rex oppidum ipsum obsedit. Dumque mensibus triginta in obsidione mansisset, Atto Adalberti Regis animum adversùs se videns pertinacem, rursum misit Ottoni, ut ejus sperato sibi subsidio non deficiens, ipse, vel filius Lithulphus, sibi adesset obsesso. Otto itaque filium suum Lithulphum, cum mille armatis sibi misit auxilio, qui in Italiam veniens Veronam intravit. Quod audiens Adalbertus Rex obsidione relicta Basigium perrexit. Litulphus verò Verona exiens, vespertina hora Battonis pratum advênit, ubi aderat Atto; à quo susceptus hilariter, malè, inquit Atto, gatonem cum mure in arcto saculo simul esse fertur. Ad quem Lithulphus, ut hoc sibi enuclearet enigma, respondit. Non decet, inquit Atto, duos Comitatus in uno homine esse simul. Capiamus igitur, inquit Lithulphus, consilium, quid sumus acturi. Atto respondit, bonum est nocte hac in agro isto quiescere; & corporis curæ insistentes, qui Adalberti exercitum exploret, mittamus. Quod & factum est. Reversus igitur nuncius, Attone primo invento; tanti sunt, inquit, hostes, si nostri pecudes essent, ab eis comedi non possent. Tunc Atto, silentium nuntio imponens, ad Litulphum accedit, & retorta sententia nuncii verba mutavit. Adeo, inquit, pauci sunt hostes, ut si bidentes assati essent, eorum non sufficerent nobis carnes. Hortatur itaque Litulphum ut armis assumptis irruat in Adalberti exercitum. Litulphus igitur, prorumpente aurora, cum suis armatis etiam ad Adalberti exercitum propinquat. Senserunt illum excubiæ, & statim Adalberto nunciarunt. Ipse verò propterea stupefactus jussit rimari qualia essent, suosque signo vocari. Interea auditâ Missâ, nunciatur ei mille numero hostes esse. Adalbertus igitur Rex cum paucis armatis exivit ad prœlium; quem dum confertâ pugnâ horribili Lithulphus ferro impeteret, Adalbertus in eum hastam vibravit, & thoracem perforans, ac per pectus educens, illum vita privavit: Alemanni suo destituti Duce mœrentes tremore concussi sunt pariter & timore. Sed Atto, vir singularis magnanimitatis, statim advênit, & eos cohortans ad bellum viribus resumptis & animis, eo Duce, durissimè prœliatur. Tandem licèt cum magna suorum cæde, Atto cum suis victor existit, & fugatum Adalbertum Regno privavit. Qui Regni amissi confusionem non sustinens, pertransivit

Ocea-

Digitized by Google

Oceanum, seu mare Adriaticum, amplius minimè reversurus. Ab eo quoque Longobardi, nullum sibi Regem ulteriùs statuerunt. Hæc autem acta sunt anno octingentesimo quintodecimo Incarnati Verbi Dei. Corpus Litulphi Atto habens, educta ex eo viscera, in Ecclesia S. Prosperi sepelivit. Corpus tandem dignè condiens aromatibus, Patri transmisit Ottoni, eumque per solemnes internuncios hortatur, ne pro nece filii, qui fortiter pugnando corruerat mœrens, ad Italiam tardiùs festinaret Regnum penetraturus Rege privatum. Otto quamquam nimiùm de filii morte turbatus, honorabiliter tamen eo sepulturæ tradito, in manu potenti Italiam vênit, qui à cunctis pacificè receptus, Regnoque sibi tradito, cum civitatibus cunctis, & oppidis Romam perrexit, & à Papa hujus nominis Joanne duodecimo, Imperii diadema suscepit: Attonem post hæc magnis ditavit muneribus, & Comitatus decoravit honore. Qui tandem decedens, de proba muliere Ildegarda nomine, duos reliquit filios Gothofredum Brixiensem Episcopum, & Thedaldum.

CAP. IV.

De Thedaldo Attonis filio, & ejus filiis, Thedaldo scilicet, Bonifacio, & Conrado, & de morte Thedaldi, & Conradi.

THedaldus igitur post Attonis ejus Patris mortem omnem paternũ servans honorem, & virtutes imitatus, terras & oppida propria amplificans Principibus extitit notus, & carus. Cui Joannes Pontifex multa sibi dilectione conjunctus civitatem concessit feriarum. (1) Canussium castrum multâ diligentiâ custodivit. Juxta etiam Padi fluenta longè à Mantua milliaribus decem idem dignum construxit Cœnobium, quod Sanctus Benedictus de Padolirone nuncupatur: In quo Monachos sub Benedicti Regula degentes instituit. Conjugem habuit Voiliam (2) nomine, sua omnibus pietate placentem, de qua tres procreavit filios: Thedaldum videlicet, qui fuit Aretinæ urbis Episcopus, & Bonifacium militem strenuum, Conradumque prudentem virum. Moriente igitur eorum Patre Thedaldo, Bonifacium instituit primatus honore gaudere: cui nummorum duodenos saccos refertos contulit, quos in sua camera conservabat. Voluit etiam, ut eo præsente filio suo Bonifacio, subditi sui fidelitatis juramenta præstarent. Thedaldus autem ipsius Bonifacii frater, Aretinus Episcopus, religionis sanctæ maximus cultor, commissum Episcopatum sibi fideliter gubernavit; de quo fertur non omittendum exemplum. Hic enim, dum in tempore, gravi quadam laboraret ægritudine corporali, & de sanitate illius Medici desperantes omnino nisi adulterium committeret, & amici ejus ad illud patrandum scelus inducerent, pro muliere miserunt, quæ dum adveniſſet, statim ante lectum suum ignem jussit accendi, qui lecto appropinquans, & jam flammarum incendium sentiens, subitò lacrymatus exclamavit: Veh, veh mihi; dum hanc modò tenuem flammiculam sufferre non possum, quomodo si me perire contingat, potero barathri incendia superare? Scelus quippe istud, ad illum me puteum conducet, in quo funditus sub tetro igne patiar cruciatus. Absit itaque ut pro temporali sanitate, æterna me contingat salute privari. Tali igitur exemplo prudens Antistes subditum sibi gregem monuit; & Deo annuente meruit sanitatem. Mirum etiam in modum detestatus est Simoniacam pravitatem. Defuncto itaque Thedaldo, Bonifacius & Conradus ejus filii inter se fraterna vixerunt concordia, quam licèt plures æmuli scindere niterentur, semper nihilominus inter eos majoris dilectionis crescebat affectus. Bonifacius Richildam Comitissam Gisberti Principis filiam duxit uxorem, quæ Nogaræ sinè liberis defuncta jacet. Cùmque hi fratres divitiis florerent & viribus, in tantum ut hostibus metum incuterent, multi & regno vicini in Caviliolo adunati, eos aggredi & debellare contendunt. Quod audientes Bonifacius & Conradus, viriliter sumptis armis illos invadunt & mirabili confecta pugna, tandem hostes cæsi fugantur, & campus horribili strage cruoreque multo repletur: Sicque fratres ipsi victores permanserunt. Conradus tamen in eo prœlio vulneratur, qui post aliquot annos, mala vulneris habita diligentia, ultimum vitæ suæ clausit diem. Cujus corpus Thedaldus Aretinus Episcopus, frater ejus supra nominatus, in Canusium oppidum detulit, & eum magnis exequiis sepelivit, Anno humanatæ divinitatis millesimo trigesimo. Ibi quoque ambo prænominati Pontifices Gothfredus Brixiensis Episcopus, & Thedaldus Aretinus, Ildegarda Attonis Conjux, Rodulphus & Conradus Bonifacii filii, & Voilia, Thedaldi filii Attonis Uxor sub uno sunt pariter saxo contenti.

CAP. V.

De Bonifacio Patre Mathildis, & qualiter Beatricem duxit Uxorem.

BOnifacius autem, Conrado fratre defuncto, magnis extitit clarus virtutibus. Hic enim in puerili adhuc ætate, ingenio multo viguit, & sensu mirifico polluit. Fuit quoque forma procerus, corpore decorus, actu providus, viribus acer, dapsilis cunctis, de quo Erithræa Sybilla præclarè vaticinata est: Igitur enim futurum Ducem cujus nominis principium erit B. qui dictis & actibus limpidus, rerum locuples, opere pacificus, & in prœliis victor exiſtet. Habuit idem Bonifacius & aliã conjugem illustrem, scilicet Beatricem ex Gallia, scilicet regali stirpe progenitam, multo formæ decore, & sapientiæ nitore dotatam, cujus pater Federicus, & mater Mathildis extiterunt. Ad quam desponsandam cùm Bonifacius in Galliam properaret, quanto honore polleret, & quàm ingenti quoque gloria emineret, patenter ostendit. Nam comitatus solemnissimo Principum, & nobilium cœtu, inter cætera suæ insignia magnificentiæ equorum pedibus jussit argenteas solas apponi. Quæ si casu aliquo resilirent, nemo suorum reasumere dignabatur, sed passim per agros, & semitas, à transeuntibus tollebantur. Hæc sibi oppida & villas, servos & ancillas in Galliæ partibus donavit in dotem. Quam dum reversus à Gallia in Lombardiam duceret, magno à cunctis applausu, & honore suscipitur. Tribus mensibus nuptiarum convivia, impensis profusio-

(1) Ferrariam.

(2) Guilliam.

fusioribus, grandique omnium lætitia perdurarunt. In quibus quidquid vasorum erat argento rutilabat, & auro splendebat. Ex hac Beatrice liberos genuit: Federicum scilicet, & Mathildam nobilem Comitissam, de qua præsens habetur historia. Sed Federico & Beatrice ab hac luce subtractis, Mathildis superstes unica patri Bonifacio filia remansit, & hæres. Est tamen aliquorum opinio, Henricum hujus nominis quartum Imperatorem genitorem fuisse matris hujus Comitissæ Mathildis, hoc modo videlicet: Dicunt matrem Mathildis, dum virgo esset, in juvenem nobilem exarsisse, genere Lucensem in Imperatoris aula ministrantem, qui tandem hanc, Imperatoris filia cognita commissa timens, cum ea abiit, & diu latitans vitam duxit. Tandem cùm in civitatem quandam Imperator venisset, in cujus Episcopatu juvenis ille cum Imperatoris filia latitabat: Juvenis ille rem aperuit Episcopo civitatis: Ille autem Imperatori narravit: Cujus precibus venia promissa, utrumque recepit ad gratiam. Huic juveni nomen erat Bonifacius, qui ex Imperatoris filia hanc genuit Comitissam, quos Imperator auxit ex Imperii viribus, eis multa concedens.

CAP. VI.

De Confœderatione Bonifacii cum Imperatore Conrado, & ejus morte.

COnradus Imperator hujus nominis secundus, dum Parmam obsideret rebellem, hunc Bonifacium ad suum subsidium evocavit. Cujus fultus præsidio, utpotè viri, viribus strenui, & armis edocti civitatem ipsam obtinuit, quem sibi postmodum ipse Imperator adstrinxit fœdere juramenti, & multo illum honore provexit. Posthæc Henrico tertio imperante, dum ad bella contra Burgundos idem processisset Imperator præfatus Bonifacius in Imperatoris auxilium, memoranda pariter, & magnifica egit in hostes. Inter quæ istud silentio prætereundum minimè duxi. Dum enim in cujusdam Castri obsidione, multos Bonifacius ex Burgundionibus, ferro cepisset, minatus est eorum nasos, & auriculas mutilare. Adfuit ibi Matrona quædam nobilis & dives, quæ tantum argenti pro filii redemptione se daturam est pollicita, quantum in trutina positum moles corporis ponderaret. Cui Bonifacius caput quatiens, absit hoc, inquit, ut hostes ferro capti redimantur argento, volo ut hujusmodi pœna posteritati vestræ sit opprobrium sempiternum. Incisis igitur naribus & sectis auribus, tres jussit onustari clipeos. Hunc Imperator Henricus idem Bonifacium, sola stimulante invidia cùm videret eum magnificis actibus strenuum, sæpiùs tentavit dolo occidere. Sed Deo custodiente, & eo semper insidias dissimulante, Imperator suo conamine frustratus est. Fuit quoque sæpe diebus Bonifacius in divinis sollicitus, savos (3) etiam honoravit Pontifices, Clerumque valde dilexit, & præcipuè Monachos. Pro divino autem amore, & munificentiæ suæ eis dexteram aperuit; delictaque propria illis confitens, condignam sumpsit pœnitentiam. Tandem cùm votum vovisset Christi visitare sepulcrum, & pro sua expedienda peregrinatione, omnia compleviſſet; illo vocante, in cujus manu sunt hominum vitæ, universæ carnis viam ingressus est, Anno Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo secundo, qui fuit annus duodecimus Henrici tertii, & Mantuæ sepultus est. Postquàm conjux ejus illustris Comitissa Beatrix annis quindecim supervixit universam Marchiam ritè gubernans, filiamque Matildam diligenter nutriens, bonis eam moribus & virtutibus informavit. Duo fundavit monasteria, Fraxinorense scilicet, & Canusinum, illisque prædia magna donavit. Demum infirmitate correpta decima octava Aprilis die, anno gratiæ millesimo septuagesimo sexto, Henrico quarto imperante, fœliciter ab hac luce migravit, corpus ejus Pisis conditum est.

CAP. VII.

De fama Comitissæ Mathildis, & de fama & opinione ejus mariti.

MAthildis igitur Comitissa, defunctis patre Bonifacio, & matre Beatrice, tum morum probitate, tum progenitorum præclara prosapia multis in regnis nota efficitur, & famosa; Hanc enim Græcorum Principes, Alemanorum, Russonum, Saxonum, Frisonum, Arvernorum, Vasconum, Francorum Lotheringorum, & Britanniorum multis extollebant laudibus, & multa sibi dona transmittebant. Inter quos Alexius Græcorum, & Alemannorum Reges ejus conjugium petierunt, & alii quoque multi præclari Duces, & Principes, quibus placidè non tamen efficaciter respondebat; hæc enim semper erat facie hilaris, mente quieta, corporeque decora; Teutonicam, Francigenam & Lombardicam optimè novit linguam. Inter cæteraſque nationes fovit amore præcipuo Lombardos. De viro autem hujus Comitissæ Mathildis, extat in dubio. Per hæc enim verba videtur hujus historiæ sciptor innuere Comitissam hanc non habuisse maritum, cùm in sequentibus etiam quòd habuerit, vel filios genuerit, nullam facit mentionem. Scribitur tamen in libro, qui dicitur copia Landulphi de S. Paulo, quòd ad secessum residens Dux quidam nomine Gothfridus, Gothfridi filius gladio confossus interiit conjuge relicta Mathilda Bonifacii ac Beatricis admodum clarissima filia, per quod nascitur, quòd hæc Comitissa alicui viro nupserit, huic scilicet Gothfrido. Est & aliquorum opinio, quòd iste Gothfridus Dux fuerit Spoletanus, quamquam in eadem copia ejus non nominetur Ducatus. Scribit enim Martinus Polonus in Cronica sua, quòd Gothfridus Spoletanus Dux & Comitissa Mathildis devota filia Sancti Petri, Normannos expulerint: qui in præjudicium Ecclesiæ Alexandro Papa secundo præsidente natione Mediolanense, Regnum Apuliæ invaserunt, & fines Campaniæ devastabant. Ponit quoque Jacobus de Varagine Ord. Fratrum Prædicator. Archiepiscopus Januensis in Cronica sua quòd hæc Mathilda tradita nuptui, cùm de viro suo filium genuisset, propter dolores, quos in partu senserat, noluit postea viro suo conjungi; sicque filio mortuo, eaque superstite, sinè liberis tandem ultima defecit. Fertur etiam quòd per ipsius partus dolores, animata in maritum ipsum fuerit insequuta, & fortè (ut aliqui autumant) per modum, qui dictus est, in eum necem à filio inferri procuraſſe. Et propterea divina occulta ultione postmodum

(3) Idest Sapientes. An potius legendum: Sanctos?

Scribe *Sacros*. Mur.

Digitized by Google

dum viduata marito, filioque ea superstite privata, multis priùs bellorum conflictibus, & adversitatum stimulis lacessita, ut patebit in sequentibus, & suorum ultimam decessisse; & pro suæ remedio animæ, quæ possidebat, Apostolorum Clavigero reliquisse. Scribitur autem in libro qui Darius appellatur, quòd hæc Comitissa Mathildis cùm jam duobus fratribus emortuis, quos Henrici Imperatoris calliditate occisos fore credebat, seque solam videns superstitem, serpente qui olim Prothoplastos in Paradiso Dei callidior decepit, ipsumque quærens Imperatorem à regno privare dolis acutissimis, non armis laborans, septimo adhæsit Gregorio, qui priùs Ildeprandus dictus est. Quæ cùm adhuc virgo, Gigonem virum prudentissimum Northimandiæ Ducem duxisset in maritum per annos paucos secum morata, super se jam pœnitens alicujus habere dominium, consilio inito cum vernula sibi fidelissima, ipsumque ad cloacam super lacum sedentem per secessum immisso ense fecit interimi. Cùm autem robur à Tuscia usque Romam Comitatus sui ferè sola exerceret, pactoque secretissimo habito cum eodem Ildeprando, Ecclesiæ Romanæ tunc Diacono, necnon cum quamplurimis religiosis à finibus Albini & Ruffini sparsis, quatenus sine consensu Imperatoris in Pontificem Romanum eligerent, ut consecraretur operam dedit. Sed ne sermo præsens videatur mortuos accusare, ad subsequentia procedatur.

CAP. VIII.

De pace facta per Comitissam inter Imperatorem & Papam.

POst mortem itaque matris Comitissæ Mathildis discurrente fama per orbem Regem Henricum hujus nominis IV. Ildebrando consentiente, qui & Gregorius VII. cum suis fautoribus anno ejusdem Henrici vigesimo primo, qui fuit an. Dom. MLXXVII. à matris Ecclesiæ Sanctæ gremio segregatum, & Alemani Duces, scilicet Bertholdus, Rodulphus & Unelpho, cum multis Comitibus & Episcopis ab ejus se traxere consortio, cum multa infamia denotantes; quod Imperator agnoscens ad consobrinam suam Mathildam, Comitissam illustrem nuntios direxit, ut ipsa consilium exquireret, propter quod Papa Lombardiam properaret, promittens satisfacere de comissis. Procurante igitur eadem Comitissa honorificè susceptit, ubi etiam Imperator Henricus adfuit. In præsentia igitur Episcoporum & Principum, inter quos erat venerabilis Ugo Cluniacensis Abbas, Imperatoris Henrici in lavacro Pater, de pace tractabatur. Cùmque tribus jam super his decursis diebus, nullum pacis tractatus sortiretur effectum, Imperator Abbatem Ugonem humiliter deprecatus est, ut sibi pro pace fidejussor existat, quod ille sibi non licere respondens, astans Comitissa pro Imperatore preces ingeminat. Cui & Abbas ipse respondit: Tu sola potes hoc exequi, tunc supplex Imperator consanguineam rogans, ut ea intercedente à Romano Pontifice benedictionem susciperе mereatur, quod se acturam promittens statim ad Summum Pontificem abiit, eumque suppliciter allocuta, tandem annuit. Credidit verbis ejus, petiitque ut sibi & Ecclesiæ Romanæ ab ipso Imperatore fidelitatis juramentum præstetur. Imperator itaque ad præsentiam Papæ nudis pedibus super nivem, & glaciem incedens vênit, & in modum Crucis, se in terram ante pedes Pontificis jactans: Parce, inquit Beatissime Pater, parce. Cujus Papa præsentiæ miseratione motus, benedixit, & ad pacis osculum admisit, Missaque solemniter decantata, Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in pacis, & concordiæ signum eum fecit communione participem, & in arcem Canusinam eum deduxit mirabiliter collætantes. Sicque Mathildæ magna prudentia consolidata sunt inter Imperatorem, & Papam pacis fœdera, invitis tamen quibusdam Episcopis, & in lite manentibus, pro ut subsequentia declarabunt.

CAP. IX.

Qualiter Papa, & Comitissa Imperatoris fide mutata insidias evaserunt, & sibi, & suis adversati sunt.

POst hæc Imperator Papa dimisso in oppido Canusino Regium perrexit, quam civitatem quidam depopulabantur Episcopi, videlicet Mutinensis, Cremonensis, & Bononiensis, de pace inter Papam, & Imperatorem plurimùm metuentes. His erat auctor Guibertus Archiepiscopus Ravennensis, natione Parmensis, vir nobilis, & astutus; hic autem Imperatoris mentem adeò pervertit à Papa, ut de pacis compositione pœnitens Papam conceperit captivare. Die igitur 6. ex quo discesserat à Papa Bibianellum remeavit, ad quem Papa, nec non & Comitissa (4): petit Imperator cum eis colloquium ultra Padum, quod annuentes, dum transisset Imperator, etiam ipsi transire contendunt, conceptæ fraudis ignari. Cùmque transissent, vênit ad Comitissam insinuans, quæ latebant. Patefactis itaque insidiis Papa cum Comitissa ad oppidum rediit, Imperatorem minimè revisurus. Hæc audientes Episcopi supradicti læti sunt effecti, & maximè Guibertus, qui hujus seditionis auctor, Sedem Apostolicam contra Gregorium invadere satagebat. Quem tandem Imperator laudavit in Papam. Seditiosi namque memorati Episcopi apud Brixiam convenientes, ipsum Guibertum in Papam elegerunt, Clementem eum vocantes. Quem postmodum Imperator secum ducens Romam, fecit in Papam benedici, & ab ipso in die Sancto Paschæ Imperii diadema susceptit. Mathildis autem Comitissa, hæc & hujusmodi acta abhorrens, Papæ semper adhæsit Gregorio, per tres menses retinens honorificè in oppido Canusino, qui Canusinam etiam dedicavit Ecclesiam: & libertatis privilegio dotatam eam fecit immunem anno Filii Dei humanati Millesimo septuagesimo septimo. Monitis tamen salutaribus Comitissam imbuens, & Divinis Præceptis informans valedixit ei, & Romam perrexit: cui plebs Romana cum grandi exultatione obviam ivit, eum in Pastorem susceptit. Ipse verò omnes Imperatori adversantes absolvit ab infidelitate, & perjurio. Quod Imperator agnoscens cum valido exercitu intravit Italiam eamque pervagatus, castella fregit, & oppida, sola tamen ei restitit Comitissa Mathildis. Contra quam Imperator magna exardescens in ira, excitat adversùs eam prœlia, terroresque immittit, & obsidiones minatur; sed cùm eidem Comitissæ innumerabilia essent præsidia ab

(4) *Fortè omissum*: veniunt, *vel* properant.

ab Imperatoris oppreſſionibus ſemper ſtrenuè ſe defendit, quod Imperator advertens, mox properavit ad Urbem, quam, cùm ſibi non optemperaret ad votum, obſidione vallavit, eamque depopulatus eſt, & mœnia multa dirupit; poſtea Urbe obtenta ſtatuit in ea, ut dictum eſt, Guibertum Antipapam Clementem appellatum. Gregorius verò Papa his graviter offenſus, Robertum Guiſcardi Apuliæ Dominum in ſuum auxilium evocavit. Quem cùm de Apulia venientem Imperator audiſſet, ab Urbe diſceſſit. Sed Guibertus Antipapa præmiis & donis Imperatorem alliciens invaſam Sedis Apoſtolicæ Cathedram detinebat, qui pravitatis hæreticæ limes effectus, multos in Urbe & orbe pariter vitiavit. Ipſe enim divina mandata ſeponens, leges ſacras prævaricabat, Dei Eccleſias deſtruebat. Gregorium quoque Papam ſeveriter perſecutus, multos Epiſcopos & viros Catholicos flagris afflixit, & carcerum ſquallore maceravit, Imperiali favore ſuffultus.

CAP. X.

De Theſauro, quem miſit Papa pro Eccleſia Canuſſina ad inſtantiam Comitiſſæ Mathildis.

INter hæc Comitiſſa Mathildis, pio corde flagrans adversùs Imperatorem, & Guibertum Antipapam, acta eorum abhorrens, prœlia multa geſſit, & quoſcumque ei adverſantes pro poſſe confovit. Ipſa enim Epiſcopis, Clericis, Monachis, cunctiſque erat fida tutela Catholicis. Nam quos in hac procella diſſidiorum Imperator damnabat, ſpoliabat, & exilio redigebat, ad eam recurrentes, benigno eos ſolamine, & ſalubri auxilio refovebat. Inter quos ille venerabilis vir Anſelmus Epiſcopus, qui natione Mediolanenſis poſtea Papa fuit, vocatus Alexander hujus nominis ſecundus. Cui idem Gregorius VII. paterno commendavit affectu, ut ipſam ſuis ſalubribus monitis, & benignis dogmatizaret exemplis. Ipſa enim Comitiſſa cum eodem Anſelmo Epiſcopo, qui tunc in Lombardiæ partibus Gregorii Papæ erat Vicarius, theſaurum Eccleſiæ Canuſſinæ poſtulavit Abbati Gerardo ejuſdem Eccleſiæ, ut eidem Papæ dirigeretur pro defenſione Romanæ Eccleſiæ propter perſecutionem, ut dictum eſt, ejuſdem Guiberti hæretici. Cui petitioni idem Abbas cum grege ſibi commiſſo pro Apoſtolicæ Sedis reverentia libenter annuit, & theſaurum alacriter obtulit, videlicet Coronas XXIV. & una illarum erat aurea, cum crucicula una itidem aurea, & duæ tabulæ altaris argenteæ, & coopertura argenti arcæ altaris S. Apollonii, & grande turribulum argenteum; quo ad totum theſaurum Canuſſinum ſeptingentæ fuerunt libræ argenti, & novem auri. Quo Romam tranſmiſſo rogante Comitiſſa, idem Anſelmus Epiſcopus Papæ Vicarius, pro aliquantula reſtauratione ablati theſauri, duas Capellas in ..... & unam in Caſſula Eccleſiæ Canuſſinæ ſuppoſuit. Acta ſunt hæc anno Domini milleſimo octogeſimo V. Poſt hæc anno Chriſti milleſimo octogeſimo VI. idem Gregorius Papa quartadecima die Maji, migravit à ſæculo, cujus tranſitus multis fuit mœroris maximi occaſio. Quo defuncto, quidam Deſiderius montis Caſſini Abbas in Papam eligitur, dictus præterea Victor, qui pauco tempore vixit. Cui ſuceſſit Odo Monachus Cluniacenſis Epiſcopus Oſtienſis, dictus Urbanus hujus nominis ſecundus. Hic omnia acta Imperatoris & Guiberti damnavit, & ad Comitiſſam B. Petri filiam ſuas exhortatorias literas dirigens ſuorum veniam ſibi contulit delictorum.

CAP. XI.

De perſecutione in Comitiſſam pro favore Eccleſiæ, & obſidione Mantuæ.

CUm autem nuncii Papæ, & Comitiſſæ hinc inde crebrò diſcurrerent, Regnum ferè contra ſe eadem Comitiſſa commovit Italicum. Unde multa ſunt prœlia ſubſecuta. Ex quibus pars Comitiſſæ multis victoriis claruit. Eo etiam tempore multi ex Italiæ civitatibus, Duce quodam Oberto arreptis armis ad Urbem properant, cum quibus erat Reginus Parmenſis Epiſcopus. Hi terras Comitiſſæ pervagantes populatione magna in eis ſæviebant. Dumque in campis Sorbariæ caſtrametati eſſent, quadam nocte dormientes intrepidi, ecce repentè milites Comitiſſæ irruunt ſuper ipſos, vociferantes: Beate Petre auxiliare tuis. Tanto igitur expergefacti terrore clamoreque, tam ſubito ſtupefacti ſtrepitu, hinc inde diſperſi, terga verterunt. Cæſis itaque & occiſis eorum plurimis, multi quoque remanſere captivi, inter quos Eberardus Parmenſis Epiſcopus fuit. Eo tempore Anſelmus Lucenſis Epiſcopus defunctus eſt, & Mantuæ ſepultus. Sed in geſtis ejus legi, quòd factus Papa, & Alexander dictus in Lateranenſi requieſcit Eccleſia. Henricus etiam Imperator in perſecutionem Matildis, publicè jam in ſuos advertens, abſtulit ei quidquid in Gallia ex ipſo jure materno, & paterno poſſidebat, Brigerino caſtro dumtaxat excepto, cùm revera eſſet inexpugnabile caſtrum. Poſt hæc Imperator Mantuam invaſit, quam undenis menſibus dira obſidione vallavit. Comitiſſa verò per internuntios ſuos ſæpe Mantuanos ad conſtantiam hortabatur, eiſque victualia miniſtrabat. Sed eorum fide mutata ſeſe Imperatori tradiderunt, inſciâ Comitiſſâ, quibuſdam Comitiſſæ proceribus caſu evadentibus, qui in ipſa civitate ad Mantuanorum ſubſidium reſidebant. Imperator victa civitate ſtatuit in ea Præſulem Cononem nomine, genere Alamannum, fugato inde Ubaldo Antiſtite. Obtinuit præterea Imperator ferè cunctas civitates, & oppida ultra Padum, exceptis Platena, & Nogara, quæ in fide Comitiſſæ permanſerunt Matildis. Cepit præterea Minerviam fame afflictam. Comitiſſa non propterea tamen conſternata, videlicet à zelo Eccleſiæ tepeſcens per Reginenſem & Mutinenſem Comitatus equitans, propria fortalicia reparabat. Hyemis itaque tempore capto Minerviæ oppido, Atheſim flumen Imperator paucis comitatus militibus pertranſivit. Quod intelligens Comitiſſa, ſtatim contra eum mille armatos equites deſtinavit. Qui cùm Padum & Atheſim pertranſiſſent, eos diebus octo Imperator ſua aſtutia evitavit. Fingebat enim ſe nolle confligere bello, dumque ob hoc manerent intrepidi, nullaſque ſuſpicarentur inſidias; Imperatoris milites clam irruunt ſuper eos in loco quidem Tres Comitatus. Multi itaque cæſi ſunt, multi etiam capiuntur. Alii tandem evaſerunt per devia fugientes. Hujus proditionis auctor Ugo quidam ſuæ nobilitatis degenerans.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII.

Deprædatio vexilli Imperatoris à Comitissa, & de victoria contra eumdem consecuta.

TRansacta Hyeme Imperator cum Alamannis & Langobardis ad montes Mutinensium properavit; cepit autem montem Maurellum & montem Alfredi, ubi captus est Gerardus signifer Comitissæ, de cujus captione multum doluit. Postea castrum Montis Belli obsedit; fultum enim oppidum auxilio Comitissæ non potuit debellare. Tunc Antipapa Guibertus ad Imperatorem vênit, & si Guibertum in Papam Romanum cognoscerent, in castro obsessi, & afflicti tædio, ab Imperatore licentiam peterent, eam se daturum pollicitus est. Quod Comitissa non annuit, quibusdam tamen mediantibus Proceribus & Prælatis, inter quos cùm Heribertus Reginensis Episcopus inclinari videretur ad pacis vinculum; Abbas quidam Joannes nomine Comitissæ pacem fieri dissuasit, hanc asserens pacem Catholicæ unitati fore contrariam. Animatur itaque Comitissa, ut in Domino confidens vires assumeret fortitudinis. Hæc autem acta sunt in loco, qui dicitur Carpinetum. Multis igitur machinis, & aliis bellicis apparatibus Montis Belli castrum oppugnatum est. Ibique Imperatoris filius corruit non sinè patris dolore gravissimo. Cujus corpus deferri Veronam jussit, & condigno tumulari sepulcro: videns tandem castrum fore inexpugnabile ab obsidione discessit, & in Æmiliam veniens se Parmam finxit adire. Sed Camisianum rediens decrevit Canusinum castrum invadere, ad memoriam reducens, id quod passus fuerat, dum ad Papæ præsentiam super nivem & glaciem nudis pedibus incessisset. Veniens igitur ad debellandum ipsum Canossæ castrum, milites Comitissæ se armis accingunt, & consertâ pugnâ capitur Imperatoris vexillum, quod gestabat filius Marchionis Adalberti; multique ex Imperatoris militibus vulnerantur. Victores itaque Canussini Imperatoris vexillum deferunt in castro, quod usque hodie ibidem habetur. Post hæc Imperator Pado transmeato discessit. Multi verò qui ejus metu à Comitissa discesserant, ad Comitissam redeunt & castra restituunt.

CAP. XIII.

Qualiter Imperatoris filius adhæsit Comitissæ, Patre relicto, & qualiter Ferrariam recuperavit.

COntigit inter hæc Imperatoris infœlix augurium, nam Uxor ejus Regina Praxedis, ipsius flagitia abhorrens, secretò cum Comitissa tractavit divortium. Quod factum eadem Comitissa amplectens libenter, solemnes ad eam nuntios Veronæ destinavit, qui eamdem Reginam ad Canusinum oppidum perduxerunt. Eo quoque tempore, anno scilicet Incarnationis Dominicæ MXCV. Urbanus Papa Comitissæ usus consilio Lombardiam vênit, & Concilio Placentiæ celebrato, eodem scilicet anno die Kal. Mart. Imperatorem & Guibertum Antipapam Catholica damnavit sententia, & Comitissæ vale dicens transivit in Galliam. Consternatus his Imperator, accitis Veronæ civibus, Nogaræ castrum obsedit. Quod audiens Comitissa statim accersitis Mutinensibus Padum transivit. Sentiens autem Imperator ejus adventum, viribus destitutus, & animo, statim fugam iniit, omni suppellectili in castris relicta, quam Comitissa militibus reliquit in prædam. Castrum itaque Nogaræ sic est ab obsidione liberatum. Additur præterea & Imperatori casus infestus, ipsum hostilitate invadente domestica. Nam Conradus ejus natus ipsius scelera execrans ab eo discessit, & Comitissæ adhæsit. Cujus consilio filiam Rogerii Apuliæ Principis duxit uxorem. Eo tempore Urbanus Papa moritur, Anno Christi MXCIX. post quem Paschalis eligitur. Contra quem cùm niteretur Guibertus Antipapa populos allicere, de medio sublatus est suum secum deferens anathema. Qui annis XXIV. Dei Ecclesiam damnoso dissidio perturbavit, de quo quidam hos cecinit versus:

Fletibus & lachrymis, si fortè fores redimendus,
Fletibus & lachrymis esses Guiberte dolendus:
Sed nulli gemitus possunt tua facta piare,
Quem mors non potuit de perfidia revocare.

Eodem etiam tempore, præfatus Conradus Imperator in mense Julio moritur anno tertio post Urbani decessum, & Florentiæ sepelitur, Postmodum Ferrariæ civitas Comitissæ rebellis efficitur. Contra quam adunato exercitu ex Tuscis & Lombardis ac etiam Ravennatorum: classeque Venetorum collecta eam obsedit, sed pace interposita ad fidem rediit.

CAP. XIV.

Qualiter Comitissa Abbatem Bernardum à carcere liberavit, & de Henrico Imperatoris filio, qui Comitissa favente regnum Patris obtinuit.

INter hæc Paschalis Papa, Bernardum Vallis Ambrosiæ Abbatem, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem virum utique maxima veneratione dignum ob tutelam Mathildis in Lombardiam direxit. Quem cùm ipsa honorabiliter susscepisset, & ejus boni odoris fama inter Lombardos cresceret, multi eum ex Parmensibus rogaverunt, ut se ad civitatem ipsam conferret, & falce verbi Dei sentes inde extirparet hæreticas, qui de consilio Comitissæ, condecenti clericorum comitiva, ad civitatem ipsam perrexit. Instante itaque solemnitate gloriosissimæ Virginis Matris Dei, ad majorem Ecclesiam, quæ ejus est insignita vocabulo, Missam celebraturus accessit, & dum ibi, universa adstante plebe, post Evangelicam lectionem populo prædicasset, & nonnullis verba ejus, qui Imperatori adhærebant gravia extitissent, posito vino & aqua in calice, ut Deo offerret sacrificium, magnus in Ecclesia insonuit tumultus, sexus hominum utriusque diras blasphemias, & minas terribiles adversùs Dei hominem, scilicet Abbatem prædictum, nefariè inclamantes, & ipsum reum morti adjudicantes, tamquam Imperatoris æmulum & rebellem. In ipso igitur tumultu fractis & dispersis de altari vitreis vasis, & pretiosâ Capellâ, quam Comitissa diva Abbati donavit, deprædatâ, universi Abbatis Comites & Clerici fugerunt; Ipse verò intrepidus manens capitur, & carceri mancipatur. His Comitissa non sinè magno dolore auditis, Parmam die tertio cum militibus suis properavit: quem vene-

Digitized by Google

venerabilem virum liberari, & omnia ſubrepta reſtitui procuravit, non ultra ad vindictam ſceleris procedens, Abbate rogante, qui multos, poſt bonum pacis, amavit. Acta verò ſunt hæc anno Filii Dei exorti MCIV. Eodem tempore minor Imperatoris filius in Patrem excandeſcens, & maximis eum probris afficiens invadere regnum nititur. Uno itaque cum Patre prælio congreſſus victor efficitur: Sed Imperator evadens vitam mœrore egit, & demum non multo poſt defunctus eſt anno Chriſti MCV. & Spiræ ſepultus eſt. Poſt cujus obitum Papa Paſchalis Lombardiam vênit, & lætanter à Comitiſſa ſuſceptus eſt; qui juxta Padum Synodum convocans loco qui Guaſtalla dicitur, Henrici defuncti Imperatoris filius Henricus nomine, qui hujus nominis quintus fuit, legatos ad eum miſit, petens ut ſibi regnandi jus concederet, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſe devotum fore promittens. Hanc legationem Papa libenter amplexatus eſt. Comitiſſa verò his Patris & Regis pia verba laudavit, & Papæ magnificavit reſponſum. Eo tempore Parmenſes venientes ad Papam, Bernardum Abbatem, qui fuerat in ea civitate, ut dictum eſt, ignominiosè tractatus, ſibi in Epiſcopum dari petierunt. Qua petitione, Papa gaviſus, Parmam cum Abbate vênit, & ipſum in ejuſdem Epiſcopum conſecravit, decernens autem Eccleſiam Parmenſem ad Romanam ſpectare Sedem Anno Chriſti MCVI. deinde Romam reverſus eſt Papa.

CAP. XV.

De Pace confirmata inter Imperatorem & Comitiſſam, & qualiter Imperator Regni diadema ſuſcepit à Papa.

POſt hæc cùm Imperator Henricus hujus nominis V. civitates & oppida debellando proſperaret in Regno, volens ſuæ devotionis ad Eccleſiam propalare indicia, venerandos direxit Antiſtites ad urbem Romam anno Chriſti MCX. ſeque B. Petri filium ſpondens per eoſdem legatos Imperii ſui diadema petiit. Quibus Papa reſpondit ſe coronam daturum, ſi Romam percepturus accederet. Redeunt igitur legati & ad Comitiſſam Mathildem divertentes, ab ea hilariter ſunt ſuſcepti, & magnis gratificati muneribus, ad Imperatorem tandem reverterunt. Statim Imperator coadunato exercitu Lombardiam intravit, & civitates ac caſtra depopulatus, cunctos ejus ira Lombardos perterruit. Inter has civitates cùm Novaria in rebellione perſiſteret, eâ ſuccensâ, muros ejus diruit, multamque inde auri & argenti ſuppellectilem aſportavit: ſola civitas Mediolani Imperatori non obtemperavit ad votum. Cùmque propter hujuſmodi invaſiones Comitiſſa Imperatorem haberet exoſum, flagrabat cum ea pacem habere. Imperator nihilominus uſque ad Thari ripam vênit. Comitiſſa verò à Canoſſa Bibianellum perrexit. Tandem inter eam & Imperatorem legati multo habito tractatu pacem mutuam confirmarunt, quam ſe ſervaturam Comitiſſa ſpopondit, Romanæ dumtaxat Eccleſiæ fidelitate ſervata. His peractis Imperator per montem Burdonis (1) tranſivit in Tuſciam, de cujus adventu Tuſci trepidantes ei tributa perſolvunt. Florentiæ Natale Domini celebravit. Urbem Aretinam fractis muris conſumpſit incendio. Veniens tandem Romam quarto Idus Februarii, a Papa, & Clero, ac populo ſolemni proceſſione ſuſcipitur. Intrans verò Beati Petri Baſilicam & ad univerſos ſcalarum gradus genua flectens ante altare ad pacis oſculum à Papa ſuſcipitur, promittens ei Eccleſias Dei non venditurum, nec inveſtituras facturum niſi per Papæ licentiam. Cùmque Papa ad coronandum eum ſe pararet, perfidiæ ſemen æmulus pacis injecit, propoſitum, & promiſſum Imperatoris mutans. Nam petiit à Papa ſibi jus concedi in dandis Epiſcopatibus & Abbatiis per virgam & annulum, quemadmodum ſui prædeceſſores hactenus contulerunt. Quod cùm Papa renueret, ipſum Imperator cum Prælatis & omni Curia captivavit. Inter quos fuit Bernardus Parmenſis Epiſcopus, & Senior Reginus Epiſcopus. Pro quibus Epiſcopis & cæteris Lombardis captivis, vir nobilis & eloquens Arduinus Comitiſſæ legatus Imperatorem alloquitur, & pacis pactum commemorans, libertati donati ſunt. Imperator tandem ad cor rediens & futura pericula metuens, Papam & Prælatos relaxavit, & pace cum eo facta, ab ipſo Imperialem benedictionem & Imperii diadema ſuſcepit. Inveſtituram quoque virgæ & annuli ſibi conceſſit anno Chriſti MCXI. Rediens igitur Imperator Lombardiam Bibianellum vênit, ubi Comitiſſa reſidebat, & tribus diebus cum ea moratus, tandem in Alemanniam pervênit.

(1) Bardonis.

CAP. XVI.

De rebellione Mantuæ, & qualiter ſe reddiderunt Comitiſſæ.

CUm autem eadem Comitiſſa Mathildis Duces, Principes, Comites ſuperaſſet, ac civitates & oppida ſibi rebellia ſubdidiſſet, ſola Mantua per annos XXIII. in rebellione permanſit, Imperatoris edicta in favorem Comitiſſæ eis tranſmiſſa penitùs vilipendens. Hac igitur rebellione durante, hujuſmodi turbationis civitatis caſus eidem Comitiſſæ emerſit; cùm autem in monte Baruntio Comitiſſa maneret graviter infirmata, fallax de ejus morte fama perſonuit. Mantuani igitur gaviſi, & famam hanc divulgantes, Ripaltam Comitiſſæ caſtrum tertio ab urbe Mantuæ miliario diſtans invadunt. Cuſtodes verò caſtri, tum ex ſubita invaſione, tum ex falſâ Comitiſſæ fama prolata timore multo percuſſi, caſtrum Mantuanis hac conditione tradiderunt: ut videlicet, ſi viveret Comitiſſa, contra eam nullatenus teneretur. Sed Mantuani perfidiæ vitio repleti habito caſtri dominio decreverunt illud incendio diſſipare. Interea venerabilis Manfredus Epiſcopus Mantuam vênit referens Comitiſſam vivere. Quod audiens populus Mantuanus ira frendens, vix manus ab ipſo continuit, ſed generis ejus nobilitas eorum repreſſit audaciam. Caſtrum verò Ripaltæ flammæ & ruinæ traditur, & per menſem inde Mantuam ſpolia deferuntur. Hæc autem omnia Comitiſſam latuerunt; nolebant enim fideles ejus ægritudine afflictam, hoc damnabili rumore contriſtari. Sanitati tandem reſtituta, cognitoque quale ſibi Mantuani damnum intulerant, dixit: tempus adeſſe, quòd ſuis erat demeritis Mantua ſubvertenda. Suos igitur hor-

Digitized by Google

hortatur ab bellum, & armata claſſe ad Mantuæ obſidionem properavit. Dum autem gravis Mantuanos arctaret obſidio, magno timore conſternati defenſiones eorum in diverſas trahunt ſententias. Quidam enim reſiſtendum eſſe decernunt, pars infirmior mœnia exire contendit. Hac tandem fluctuatione trepidi vacillantes, à Comitiſſa utrique ſupplices petierunt veniam. Cùmque Comitiſſa eorum legatis aures præberet adverſas, & torvis eos aſpiceret oculis, mitiſſimis tamen ſupplicationibus & procerum ſuorum inſtantiſſimis precibus ejus placatus eſt animus. Civitatem itaque ſibi tradiderunt, fidelitatis juramenta univerſi præſtantes, & cenſum annuum pollicentes. Acta ſunt hæc Bundoni (1) in menſe Octobris, anno ab incarnato Dei Filio MCXIV.

CAP. XVII.

Qualiter erga Dei cultum fuerit devota, & de ejus tranſitu glorioſo.

ILluſtris itaque Comitiſſa miris florens virtutibus cultui divino ſemper erat intenta. Inopes ſubſtentans, oppreſſos relevans, & Dei famulos perhonorans. Hæc & ſanctæ religioni, pſalmodiis, & orationibus aſſiduè intendebat, Eccleſias & Dei Miniſtros paramentis, & vaſis ſacris, magnificè ditavit. Fuit etiam ſcientiarum ſtudio dedicata, & liberalium artium grandis Bibliotheca ſibi non defuit. Pro Chriſti quoque Eccleſia prælia multa geſſit. Cùm autem in Bondeno pago moram traheret, volens ibi Natale Domini celebrare, vênit ad eam magnus ille religionis Pater Ponzo, Cluniaci Abbas octavo die, ex quo Roma diſceſſerat, qui ſuo more ab ea ſuſceptus, dum in Natale Domini officium decantaret, Comitiſſa pro Dei reverentia ad officium perrexit, & devotè audivit, ſed immenſum noctis gelu adeò ejus membra diriguit, & corpus afflixit, ut poſtmodum lecto decumberet ægra. Superveniente autem apparitionis die, iterum languida Miſſam audivit, & iterum lecto decubuit. Cùmque Abbas ab ea recederet, ipſa ejus precibus fidens, pallia veſteſque ſacras, argentea vaſa, nec non & Crucem ſanctam gemmis ornatam, ei pia Dei cultrix donavit. Advenienti autem quadrageſimali jejunio, cùm infirmitate debilis jejunare contenderet, adſtantes Epiſcopi contradicunt decernentes, ut potiùs jejunium eleemoſinarum largitione perſolveret. Succreſcente verò languore, Eccleſias Dei maximè Canuſſinam prædiis amplificare ſtudens, ei multa donavit. Famulos ſuos innumeros poſt ejus mortem ingenuos eſſe juſſit. Ante domum quoque in qua ægra lecto jacebat, ad Dei honorem ſub titulo Apoſtoli Jacobi Zebedæi Eccleſiam juſſit fabricari, quam etiam paramentis ditavit & agris, quam dedicavit adhuc ea vivente Epiſcopus Reginus. Cùmque laboraret in extremis, idem Epiſcopus Reginus Corpus Dominicum ei tradidit, mittens in ejus manibus Crucem Chriſti, quam dum bajularet, & in ea crebra figeret oſcula: Oro, inquit, te Chriſte, quem ſemper colui, ſemper amavi, ut ſordium mearum digneris mundare piacula. Poſt hæc ſanctum accipiens Sacramentum, Corpus Chriſti ſcilicet reverendiſſimum, ait: Tu ſpes mea unica, & ſingulare refugium, quæſo me ſalvam digneris ſuſcipere, & hæc dicens, migravit ad Dominum, anno humanatæ Divinitatis MCXV. vigeſima quarta die Julii, ætatis autem ſuæ anno XXXXXXIX. qui fuit annus Imperii Henrici V. octavus. In ſede Apoſtolica præſidente Paſchali hujus nominis II. Philippo hujus nominis I. regnante Francorum Rege.

CAP. XVIII.

De ejus ſepulturæ opinione.

DE ſepultura hujus Comitiſſæ Mathildis, nulla expreſsè hiſtoria continet, quam invenerim. Videtur tamen manifeſtè, quòd apud Canoſſam tumulata non ſit. Compilator enim ſupradictæ Hiſtoriæ, à quo hæc ſumpta ſunt, in carmine, quo ejus mortem deplorat, orat S. Apollonium Canuſſini oppidi Patronum, quòd, licèt injuſtum ſit, ut ipſa Comitiſſa ſuum in ejus Eccleſia ſepulcrum habere reſpuerit, ubi & Progenitores ejus quieſcunt: quia tamen ſemper eum devotè coluit, ante pium Regem pro ea veniam deprecetur; non tamen ſcribit, in quo loco fuerit tumulata. Verùm tamen Mauſoleum oſtenditur in monaſterio S. Benedicti de Padolirone Mantuanæ Diœceſis à quodam Tedaldo Bonifacii Patre genitoris Comitiſſæ, juxta Padum fundato, quod à Mantua decem milliariis diſtat, in quo dicitur & creditur tumulata. Eſt enim grandis arca lapidea, ex candidiſſimo ac limpidiſſimo alabaſtro, quæ ob ejus memoriam in magna reverentia ſervatur. Ipſum quidem Cœnobium ab avo ejus conſtructum, ampliſſimis dotavit poſſeſſionibus, & aureis argenteiſque vaſis & palliis, ac etiam paramentis pretioſiſſimis ditavit pariterque decoravit. Ibi etiam libellus habetur in theſauris reconditus argento redimitus & auro, in quo hæc Hiſtoria metricè eſt deſcripta. Hæc etiam Comitiſſa, ut ſcribitur in Chronicis, cùm ampliſſimis abundaret poſſeſſionibus, & filio hærede careret, totum Patrimonium ſuum ſuper altare Sancti Petri obtulit, & Dei Eccleſiam ſanctumque Petrum ſibi fecit hæredem. Quod Patrimonium hodie dicitur Patrimonium S. Petri, quod eſt à Radicafano uſque Cezanum (2).

Explicit Hiſtoria memorandæ Comitiſſæ Mathildis.

ANno Dom. MCCCCXLV. die IX. menſis Auguſti, qui eſt vigilia S. Laurentii poſt veſperas translatum olim corpus magnæ & nobiliſſimæ Comitiſſæ Mathildis, Imperialis generis, quæ fuit præcipua & ſingularis dotatrix hujus monaſterii S. Benedicti de Padolirone, poſt Patrem ſuum Bonifacium Marchionem, & poſt avum ſuum Thedaldum Marchionem & fundatorem hujus monaſterii, quod priùs ſteterat ſuper octo columnas in ingreſſu Eccleſiæ inter primam & columnam ſecundam, à ſiniſtris ipſius Eccleſiæ, quoniam jam pro magna (mole) ipſæ columnæ octo fractæ erant; & collocatum fuit ulteriùs in ſiniſtris juxta parietem Eccleſiæ ex latere tumbæ S Simeonis. Aperto priùs tumulo ad certificationem veritatis coram reverendo Domino Guidone de Gonzaga reædificatore ipſius monaſterii, & Domino Euſebio Abbate ipſius monaſterii, ac conventu ejuſdem monaſterii & multis aliis. Et comperto eodem corpore integro, unico, ac fœmineo, & coram eis clauſo, & eſt juxta altare S. Juſtinæ.

(1) Bondeni.

(2) Ceperanum.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANONYMI
NOVOCOMENSIS CUMANUS,
SIVE POEMA
DE BELLO, ET EXCIDIO
URBIS COMENSIS
AB ANNO MCXVIII. USQUE AD MCXXVII.

Nunc primùm è MStis Mediolanensibus, & Comensibus
in lucem prodit.

ACCEDUNT

CASTIGATIONES, ET NOTÆ
D. JOSEPHI MARIÆ
STAMPÆ
E SOMASCHENSI CONGREGATIONE.

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
BIBLIOTECA
HERRERO

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ANONYMI POEMA DE BELLO, ET EXCIDIO URBIS COMENSIS.

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ERit & ſuus locus in Collectione hac Novocomenſi urbi, quam *Como* nunc appellamus, & rudium ſeculorum Scriptores confundere viſi ſunt cum antiqua Civitate Cumarum, *Cumanam* hanc etiam urbem nuncupando. Sed in votis mihi fuiſſet latiorem de ea Hiſtoriam producere poſſe, imo laetiorem, quae nempe nobis florentem Populum exhiberet; qualis revera per plura ante ſecula is fuit. Quod poſſum, Hiſtoriam illius urbis exero, res tantum geſtas per novennium, ſive decennium complectentem, & quod me angit, primo quidem proſperas, ſed demum in luctum & extremum calamitatum deductas. Nam poſt diuturnum bellum inter Populum illum, ac Mediolanenſes, ingenti animorum contentione ac fortitudine agitatum, cujus exordium fuit annus Chriſtianae Aerae MCXVIII. finis Annus MCXXVII. Comenſis civitas potentiori cedere coacta, non libertate tantum, ſed etiam turrium ac moenium honore ſpoliata eſt. Eodem autem tempore inventus eſt Poëta, qui Patriae ſuae aerumnis interfuit, earumque ſeriem metro conſtringere, & ad poſterorum eruditionem ſervare conſtituit. Hinc natum Poëma, quod nunc primum publicae lucis uſura frui incipit, abditum hactenus in privatis paucorum pluteis. Et ejus quidem primus parens nulla alia ratione nobis notus, niſi quod Novocomenſis, & ſynchronus fuit. Sed alterum ejus parentem indicare non immerito poſſum, videlicet doctiſſimum, mihique ex antiquo amicitiae foedere cariſſimum virum, D. Joſephum Mariam Stampam e Somaſchenſi Congregatione, quem non minus politiorum Literarum cultura, quam Mathematica ſtudia, & multiplex eruditio celebrem apud nos jamdiu effecere, ac praecipue Mediolanenſibus notum, apud quos a tot annis degit. Is enim neglectum ac latens Opuſculum feliciter detexit, & Librariorum oſcitantia mire depravatum, MStorum ope, ſuoque ingenio ita expurgavit, atque reſtituit, ut ego, qui olim ejus ſpecimen, idque corruptiſſimum, ejuſdem amici cura ſub oculis habueram, nunc vix agnoſcam, & alterum a priori mihi videre videar. Sed potiſſimum ei praeſidio fuit Comenſis Codex, ante annos ferme quadringentos ſcriptus, quo duce is multa ſupplevit, & plura emendavit, pluresque e conjecturis ſuis confirmatas vidit.

Rude profecto Poëma accipiet Lector, tenebriſque non vulgaribus obſitum, quippe illius Auctor & recto Latinae Linguae uſu carens, & ſuorum temporum barbariem in ſcriptis ſpirans, Priſciani leges non raro conculcat; ineptiſſimum praeterea Poëtam ſe ubique prodit, in ſtilum non inelegantem ſolum, ac humi repentem ruens, ſed & in amphibologias & anfractus, a quibus vix ſe expedire poſſit vel intentiſſimus & acutus Lector. Verum bene ceſſit, quod Carmen hoc ſingulari ſolertiae ac ingenio ſupra laudati P. Stampae commendatum eſt. Ille enim adhibita tota mentis acie in manca aut obſcura Poëtae loca, tanto conatu penetravit, modo conjecturis plaudendis, modo emendationibus neceſſariis, denique perpetuis explicationibus illius textum proſequutus, ut tenebricoſo operi magnum diem intulerit, & nihil fere ſit relictum, quod adhuc medicum poſcat. Atque haec ille quidem praeſtitit, quae tum ex ejus Praefatione, tum ex ejus Notis, vel me tacente quiſque intelliget. Nunc adjiciendum, non eſſe cur aliquis miretur, tantum honoris habitum inepto Poëtae, tantumque laboris impenſum in exornando Opere, cui neque grandia nomina, neque ulla argumenti magnitudo, neque Poëtica ulla virtus gratiam conciliat, & quod facile exſuccum, imo & ingratum deprehendatur. Nam ut praeteream, non eſſe levis momenti excidium nobilis

BIBL. CIRCA
DERECHO
Digitized by Google

bilis urbis, ad quod confluxere tot Italiae Populi, quorum catalogum Poëta texit, satis est ad constituendum Libelli hujus pretium antiquitas ipsius, & complecti non fabulas pro more Poëtarum, sed puram puram veritatem rerum seculo XII. in Italia gestarum. Adde quod Comensis urbis eversio, atque ipsam sequutae calamitates ad Fridericum I. Imp. cognomento Aenobarbum, delatae, cum Papiensium, Novariensium, Laudensium, populorumque aliorum querelis, ita Caesaris animum perculerunt, ut Mediolanensibus bellum indixerit, atque ipsos arctissima obsidione ad deditionem coëgerit anno 1158. iterumque ab ejus imperio descisentes obsederit, eorumque urbem anno 1162. expugnarit, ac solo aequaverit. Vide Sigon. de Regno Italiae lib. XIII. Quum tanta laboremus inopia Historicorum iis temporibus, ignorantia literarum perquam afflictis, ipsae quoque inculcae ac rudes Historiae, tunc conscriptae, apud Eruditos nostri aevi multo in honore sunt, ac futurae sunt. Ad haec foetus iste, quamquam aversa Minerva conceptus, nobis usui esse potest ad intelligendum, quale foret seculo XII. in Langobardicis civitatibus politicum regimen, quae tunc artes, qui mores in militando, & non tantum Novocomensis urbis acta, sed etiam quae tunc illius agri Chorographia. Genium quoque Poëticum ejus seculi hinc habes, Leoninis versibus addictum, non dissimilem in *Donizone*, & *Magistro Moyse Bergomensi*, qui eodem ipso seculo floruerunt, & Poëtarum choro se immiscere sunt ausi. Imo hujus Operis titulus, atque ipsa versificandi ratio luculentius persuadere nobis possunt, non jam aliquot ante seculis, uti confinxere nonnulli, sed eadem tempestate, qua Anonymus noster in urbe contermina scripsit, Bergomatem quoque Moysen scripsisse, uti ego in Praefatione ad ejusdem Moysis Carmen *de laudibus Bergomi* in Collectione hac recudendum adnotavi.

Nunc autem mihi enodandum suscipio nodum, prima fronte perdifficilem, qui in hoc ipso Poëmate v. 687. occurrit. Ita ibi Poëta noster:

Qui ferus Anselmo fuerat tunc mittere tentant
Archiepiscopus intbronizatus, sed male pactus.

Male consutam heic verborum syntaxim perspicacissimus Stampa recte explicat, uti in ejus Notis videre est; atque hinc apparet, missos Legatos ad *Anselmum* virum immitem, *qui tunc videtur intbronizatus Archiepiscopus* Mediolanensis, sed malis pactionibus. Contigere haec anno Christi 1123. neque de hoc anno dubitare nos sinit Poëmatis Chronologia, quam idem P. Stampa recte digessit. Et sane Anselmum anno 1123. electum fuisse Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopum, concordi opinione jamdiu tradiderant Calchus, Corius, Sigonius, Puricellius, & Ughellus, ad quorum calculum accessere postremo Papebrochius, & Pagius. Quo posito, coacti sunt omnes eodem anno statuere obitum Olrici Archiepiscopi, unde factus fuerit locus electioni Anselmi. Imo rem ita se habuisse, evincere omnino videtur Diploma a Puricellio productum in Monumen. Basil. Ambros. num 336. & datum eodem anno 1123. cui *Anselmus gratia Dei Archiepiscopus* subscribit. Sed contra Clarissimus Ambrosianae Bibliothecae Praefectus Saxius in Notis ad Cap. XXXVII. num. 6. & 7. Historiae Landulphi de Sancto Paulo in hoc eodem Tomo editae contendit, Olricum Archiepiscopum anno tantum 1126. e vivis excessisse, eodemque anno Anselmum ex electione Cleri, & Populi defuncto Praesuli Successorem datum. In hanc sententiam conveniunt vetustissimi Mediolanensium Antistitum Catalogi. Olricus ipse anno 1123 Romae Lateranensi Concilio interfuit, idemque disertissimis verbis a Landulpho supra memorato, hoc est ab Auctore Mediolanensi, & synchrono, postremo fato sublatus dicitur post mortem Henrici inter Augustos Quarti, inter Germaniae Reges Quinti, quae ex omnium consensu anno 1125. obtigit.

Ex his mire turbatam vides Archiepiscoporum Mediolanensium Chronologiam, & non solum recentes, sed etiam coaevos Scriptores de re, quam tamen ignorare non poterant, inter se quodammodo pugnantes. Verum nulla heic pugna, si quid sapio; & quod paradoxum videatur, tam Saxius, quam Stampa sententiam, etsi non omni ex parte, ut mihi videtur, veritati consonam proponunt, atque tuentur. Primo enim certum est, ut egregie ostendit Saxius, Olricum Archiepiscopum e vivis concessisse anno tantum 1126. ac subinde electum Anselmum Cathedram Mediolanensis Ecclesiae ascendisse. Deinde simul credibile est, eumdem Anselmum antea, hoc est 1123. & vivente adhuc ipso Olrico legitimo Pastore, ex electione Cleri ac Populi constitutum fuisse Archiepiscopum: nos *Coadjutorem* nunc appellamus. Jam enim coepta erat invehi, aut renovari consuetudo, ut viventibus Episcopis, sive ex infirma valetudine imbecillibus, sive in senectutem inclinatis, sive sub alio rationum obtentu, quarum humana cupiditas ferax semper est, Successor statueretur. Neque hujus consuetudinis exempla nostris temporibus desiderantur in Germanicis Ecclesiis, ea solum intercedente differentia, quod olim ita electi, jam tunc *Episcopi*, sive *Archiepiscopi* titulo frui incipie-

Digitized by Google

cipiebant, atque *inthronizabantur*, ut vocabulo utar tunc uſitato. Ego in hanc rem exemplis parco, unicuique enim ea petere licebit ex inſigni Opere Ludovici Thomaſſini de Diſcipl. Eccleſ. Par. II. Lib. II. Cap. 58. & ſeq. Ad hujuſmodi exempla iſtud etiam addendum exiſtimo, quod Mediolanenſis Hiſtoria nunc nobis ſuppeditat. Verum Eccleſiaſtici Canones, iique repetiti, conſuetudini huic aperte adverſabantur, ac potiſſimum Apoſtolica Sedes, quae abuſus non paucos ab hoc uſu, neque injuria, metuebat. Subſequutis ſane temporibus hac in re indulſere multa Summi Pontifices, quoties gravis aliqua ratio eorum animos a ſeveritate Diſciplinae recedere cogebat; Sed Anſelmi ſupra memorati tempore induci fortaſſe non potuere, ut ejus electionem probarent. Atque ob eam cauſam, dum vixit Olricus Archiepiſcopus, irritum reor Romae reputatum fuiſſe quidquid pro Anſelmo geſtum fuerat; eo autem e vivis ſublato, nova electione opus fuiſſe, ut hic legitime tandem Mediolanenſi Eccleſiae praeeſſet.

Brevibus, quae hactenus ego ſtatui, confirmat Anonymus Poëta noſter, de Anſelmo ſcribens, *Archiepiſcopus inthronizatus, ſed male pactus*. Utique *male pactus*: pepigerat enim, ut arbitror, inconſulta, immo adverſante Romana Curia, ſe Archiepiſcopum fore, intacta tamen auctoritate ac reditibus Olrici viventis. Haec eadem rurſus confirmata videas a Diplomate anni 1123. apud Puricellium, cui ſubſcripſiſſe diximus, *Anſelmum Archiepiſcopum*, quum tamen eadem charta ſcripta dicatur *tempore Domni Olrici Archiepiſcopi*. Quare nihil putarem opus eſſe excogitare, Anſelmum poſt mortem duntaxat Olrici, quae anno 1126. contigit, ſuum chartae jamdiu ſcriptae addidiſſe nomen. Neque auſcultandam cenſeo parem conjecturam Puricellii in Diſſert. Nazar. Cap. 106. Geminis chartis anno 1173. ſcriptis reperit ille ſubſcripſiſſe *Algiſium Mediolanenſem Archiepiſcopum*, quum tamen eodem tempore Mediolanenſem Eccleſiam regeret, ac per tres adhuc annos rexerit *Sanctus Galdinus Archiepiſcopus*; nullamque aliam rationem inveniens diſſolvendi nodi, cenſuit adjectam ab Algiſio ſubſcriptionem illam fuiſſe, poſtquam Galdinum anno 1176. mors e vivis eripuit. Nos vero ex his, quae praemiſimus, ad intelligendum ducimur, vivente ipſo Sancto Galdino, & venia facta ab Apoſtolica Sede, Algiſium electum fuiſſe Mediolanenſium Antiſtitem, ſive Coadjutorem. Imo alterum hoc exemplum eſt e Mediolanenſi Eccleſia petitum, quo rurſus edocemur, olim geminos in una Eccleſia Paſtores, quamquam non auctoritate pares, toleratos interdum fuiſſe.

Sed haec ſatis ſuperque. Illud denique monebo, latuiſſe quidem praeteritis temporibus Poëma iſtud, ſed non effugiſſe diligentiam Bernardini Corii, ac Triſtani Calchi, qui Novocomenſis urbis bella & excidium narrantes, ſatis indicant, ſe Poëma hoc prae oculis habuiſſe. Illius etiam meminere Comenſes Scriptores.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. JOSEPHI MARIÆ STAMPÆ CL. REG. SOM.

Ad Poëma cui titulus *Cumanus*.

PRÆFATIO.

CUm ſuperioribus annis eruditiſſimo Viro ***Ludovico Antonio Muratorio***, tot præclaris operibus editis clariori, quàm teſtimoniis alienis ornari poſſit, hoc nullo ſatis acceptum plauſu conſilium ſubveniſſet, ut quotquot antiqua vel edita vel inedita monumenta colligere potuiſſet, quibus Italicæ res à quingenteſimo ad quingenteſimum ſupra milleſimum uſque annum illuſtrarentur, in corpus unum redigeret, & reducta vulgaret: ac tantam rem præclariſſimi aliquot Cives Mediolanenſes, unà cum accuratiſſimo Viro ***Philippo Argelato*** Bononienſi, antiquitatis æſtimatore juſtiſſimo, impenſis ſuis, ac ſtudiis fovendam ultro conſtituiſſent, & omni niſu complendam, eo fuit ſuſceptum opus ardore, ut ne dum illi, qui nomen Societati Palatinæ jam dederant, ſed & omnes bonarum artium, ac literarum amatores quæcumque acta vel manu ſcripta, vel aliàs prælo data, nec facilè comparanda, ſervarent, ea ultro producerent, vel edenda nunc primò, vel iterum recudenda, ſi placuiſſet, ac primos Palatinorum conatus officio, & adjumento, quo poterant, incitarent. Quo vel ignavos impulſu tantorum Virorum fervor exciverit, ipſe ſatis exemplo ſim, qui me licèt agnoſcerem tam præclaris operibus imparem, nihilominus, ne viderer inutilis vivere, perſcrutabar, ſi quid in manus veniret, quod in commune reipublicæ Literariæ bonum proferrem, atque ***Illuſtriſſimæ Palatinæ Societati*** communicarem. Neque omnino me ſpes fefellit. Evolventi enim mihi nonnulla, quæ in Archivo Collegii Sancti Petri in Monforte adverſaria ſervabantur, occurrit vetuſti fragmentum Poëmatis, quo bellum inter Mediolanenſes, ac Novocomenſes, ſex ab hinc ſæculis excitatum, inculto quidem, rudique ſtylo, ſed nuda ſimplicitate ſincero, eo planè, quo geſtum fuerat, ordine exponebatur. Hoc igitur cùm ſupra laudato *Philippo Argelato* obtuliſſem, non illud modò non reſpuit, ſed libenter acceptum exſcribi juſſit, ac mecum ipſo convênit, ut Mutinam ad Muratorium mitteretur, illius judicio vel edendum, vel omittendum. Libellum ille perlegit, ac dignum viſum ut ederetur, ad me remiſit, relictâ mihi provinciâ ſupplementum quærendi, atque illud idem ad meliorem lectionem ducendi, cùm infinitis pene ſcateret erratis, amanuenſium negligentia, inſcitiaque contractis, nec alter magis ad operis emendationem idoneus videretur, quàm ego, cui in Comenſi provincia nato major locorum, rerumque Comenſium cognitio eſſe debuerat. Verè ne Muratorius hæc de mea imbecillitate ſit opinatus, an falsò, conjiciat ipſe Lector ex opere. Hoc ſcio me in hujuſce Poëmatis emendatione feliciorem fuiſſe, quàm ipſe fortaſſe præſtolaretur; cùm enim mihi ultra dimidiam partem Poëmatis nequidquam deſideraretur, nec aliud Comi Poëmatis hujus exemplar diligentiſſimè conquiſitum invenire contigerit, ***Joſephus Ruſca*** Juris Conſ. Novocomenſis, vir eruditus, id integrum mihi humaniſſimè perlegendum, exſcribendumque permiſit. Exſcripſeram diligenter, & emendaveram, jamque notas abſolveram emendationi ſubjiciendas, cùm aliud tandem Poëmatis hujus exemplar, quod apud nobiles cives Comenſes à *S. Benedicto* ſervari admonitus fueram, ad me Como tranſmiſſum fuit, antiquius longè primo, ſinceriuſque, ſed vetuſtate corroſum, nec abſque mendis inventum. Quamvis enim ex charactere compertum ſit, tria circa, vel quatuor ſæcula ſibi ætatis aſſerere, longè tamen ab ea diſtat, qua primùm ſuo ab Auctore compactum fuit. Utcumque ſit: juvit illud vidiſſe, aliudque cum alio contuliſſe, ut omiſſa vocabula, & integros quoque verſus inſererem, plura loco tranſpoſita reſtituerem, plura vero ab amanuenſibus depravata emendarem; quæ niſi ſatis videntur, ut ſuæ illud integritati reſtituant, valde tamen admoveant, & nativæ ſimplicitati conforment.

Quod ad Poëmatis vetuſtatem ſpectat, eadem ejus antiquitas eſt, ac in eo deſcripti belli, cùm vetus illius Auctor hæc de ſeipſo teſtetur:

Vera referre volo, quantum queo. Falſa tacebo,
Quæque meis oculis vidi potiùs reſerabo.

Ex quo liquet Auctorem ſibi non minus auctoritatis & fidei aſſerere voluiſſe, quàm vetuſtatis, cùm ea tantùm, quæ ipſe vidit, & quibus interfuit, fateatur ſe deſcripturum. Accedit ſtyli barbaries, obſoleta vocabula, locorumque obſcuriorum mutata ſucceſſu temporum nomina, ac nulla ferè grammaticæ artis, ac metricæ, lex in eo ſervata, affectataque carminis Leonini, vel cum Latinæ locutionis impendio, conſonantia, quæ non alio planè teſtantur ævo conſcriptum, quàm eo, quo nec Italicæ, nec Latinæ perfectus linguæ uſus erat, ſed ex utraque, apud vulgus, ambiguum quoddam, promiſcuumque idioma, quale uſurpari oportebat in linguæ unius interitu, atque in alterius ortu.

Quis fuerit hujus Auctor Poëmatis, certi nihil adferri poteſt. A Marco quodam Cumano compactum putat in Larii Deſcriptione Paulus Jovius, nec diverſa pervagabatur opinio apud Comenſes Thomæ Porcacchii tempore, ut ipſe notat in indice ſui libri, quem de Comenſi Nobilitate conſcripſit. At viget adhuc opinio plures apud Comenſes Auctorem noſtrum ex Raymundorum patritia gente natum. Sed ut nec hujus adferre nomen, nec ejus cognomen ſciunt, ariolari non vacat quis ille Marcus, aut quis ſit iſte Raymundus, niſi fortaſſe quis dicat unum & eundem fuiſſe, qui nomine Marcus eſſet, & cognomento Raymundus, quod adhuc nobis incertum eſt, cùm præſertim ducentos ante annos hoc ignoraverint Benedictus Jovius Pauli frater, & Franciſcus Cigalinus optimè de patria meriti, qui ejus meminerunt, & ambo anonymum faciunt.

Digitized by Google

Quòd & Calchus, & Corius, hoc Poëma perlegerint, ipsa eorum Historia testis est, quamvis alter, ut paucis multa complecteretur, plura silentio præterierit: alter autem, nequid omitteret, sæpè malus interpres à veritate aberrarit. Cùm enim semper hoc bellum vel intra vel circa fines Comensis agri se continuerit, quid miremur extraneum potuisse scriptorem falli, ubi propter obscura loca, quæ memorantur in belli ejusdem decursu, vix evasisset errore sospes indigena?

Sed ne fortè quis credat nos in hujusce Poëmatis emendatione tam temerè ariolatos, ut nostræ mentis infidum secuti lumen, Auctoris nostri vestigia reliquerimus, depravatas in margine lectiones intueatur, & qua fide sit suæ illud origini restitutum, re ipsa compertum fiet. Errata quæque grammatica, & metrica, sic relicta sciat nobis, ut nobis inventa sunt. Emendavimus ea tantùm, quæ videbantur amanuensibus tribuenda, nec alias illi notas adjecimus, nisi quibus obscuri sensus illustrarentur, & rerum sæpè gestarum ordo confusus explicaretur. Nec fuisset profecto nobis hæc oneris assumendi fiducia, nisi nobis Historia Patriæ Benedicti Jovii vires æquas, & animum subdidisset. Quem enim sequi præstiterit aut locorum peritiorem, aut strictiorem hujusce Auctoris interpretem, præter illum, qui natus Comi, Comensium monumenta diligentissimè legerat, & evolverat? Actum erat, si facem ille non prætulisset. Innumeros alios consuluimus, ac præsertim eruditissimos viros *Josephum Antonium Saxium* Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectum, SS. MM. Gervasii, & Protasii strenuissimum pro Mediolanensibus vindicem, nunc verò Landulphi à S. Paulo pro Sociis Palatinis interpretem candidissimum, atque *Horatium Blancum* Romanum civem, qui luculentis adnotationibus Paulum Diaconum illustravit, & aliis etiam nunc de novo illustrandis operam omnem impendit. Quod ad locorum notitiam spectat, à præclarissimis viris Marchione *Marco Aurelio Odescalco*, atque Abbate *Julio Cæsare de Nigris* accepimus plurima, quibus iis adjectis, quæ nuper ipsi congessimus, nihil ultra superfuturum speramus. Vale.

TESTIMONIA DOCTORUM DE SEQUENTI POEMATE.

Paulus Jovius in Larii descriptione.

Hujus diri belli Historia inepto, sed robusto carmine, decantata in Archivis Comensium religiosè custoditur: cujus auctor est M. Cumanus, qui bello interfuit, & pleraque alia pedestri demum stylo, in tanta ejus sæculi Scriptorum orbitate, nobis gratissima scriptitavit: sic enim tumido versu opus ordiatur.

Bellum quod gessit populus cum gente superba &c.

Benedictus Jovius in Historia Patriæ. Lib. 1.

In quibusdam vetustis schedis legimus Archiepiscopum Mediolanensem, qui nece Landulphi hoc bellum excitavit, Clivio oriundum fuisse, & id multos annos duravisse obscurus & inelegans ejus meminit Scriptor. Is enim, quicumque fuerit, præsens bellum hexametro Latino adeò fatuè, & indoctè perscripsit (fecitque libri initium: Bellum quod gessit populus cum gente superba olim Cumanus) *ut Bernardinus Corius eum librum propter ineptias malè intellectum in vernaculam suam Historiam multis erroribus transtulerit, ut locorum peritis liquidò constare potest.*

Idem Historiæ Patriæ libro II. de Viris Illustribus.

Author innominatus libri, qui vulgo Cumanus appellatur, hexametro versu insipidè, & inelegantèr bellum composuit, quod inter Comenses, & Mediolanenses nece Landulphi de Carcano adulterini Antistitis Comensis conflatum fuit, per quod civitas demum capta, & incensa fuit anno Domini 1127. Hujus stylus licèt ineptus sit, inde tamen rei gestæ ordinem in priores libros contuli, qui alibi haudquaquam legitur. Pariter & hujus belli causam quadam alia soluta oratione tradidit, à nobis quoque expositam, quam recentiores Historici exactè nescierunt.

Franciscus Cigalinus in suo Authographo MS. de Nobilitate Patriæ. Lib. 2.

Author fuit quidam Novocomensis Anonymus, magno sanè à superioribus distans intervallo, cujus causam proculdubio bellis esse ascribendum arbitror, quibus diu impetita, atque vexata fuit Italia. Hic annis ab hinc paulò plus quadringentis bellum à Mediolanensibus Comensibus illatum scripsit hexametro carmine, in quo rei veritatem, & ordinem potiùs animadvertere convenit, quàm elegantiam, quæ nulla est; ratio siquidem habenda est eorum temporum, quibus bonæ literæ penè fuerant deplorata.

Tommaso Porchacchi nel suo Libro della Nobiltà di Como. Pag. 63.

V'ebbe nondimeno poi un' Autore senza nome (nell' Indice gli dà il nome di Marco) *Comasco, il quale scrisse rozzamente in verso esametro la guerra, che fecero i Milanesi co' Comaschi per la morte di Landolfo da Carcano falso Vescovo di Como, da che ne seguì in termine di sette anni la ruina di questa Città l'anno 1127. In quest' opera non si può considerare altro, che la verità dell' Istoria, e l'ordine: colpa di quei secoli infelici, ne' quali era estinta ogni eleganzia. Scrisse ancora in prosa Latina la cagione di quella medesima guerra, dove si leggono molti particolari, de' quali non hanno avuto notizia alcuni Istorici moderni.*

Francesco Ballarino nelle Chroniche di Como Parte 1. cap. 7.

Come riferiscono molti Scrittori, e fra gli altri l'Autore innominato, Scrittore di quei tempi, qual in versi eroici compose la guerra, e fatti d' arme seguiti per questa cagione trà Comaschi, e Milanesi.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum antiquæ Schedæ, cujus exemplar MS. apud nos extat de cauſis belli inter Mediolanenſes, & Comenſes geſti ſæculo XII.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXXVII. (a) Mediolanenſes deſtruxerunt Civitatem Cumanam. (b) Hæc fuit occaſio. Præfatus (c) Quartus Henricus Imperator (d) inveſtiverat (e) Landulphum de Carcano (f) de Epiſcopatu Cumano; & ipſi (g) elegerunt Guidonem (h), qui erat de Grimoldis (i), quia magis placebat Cumanis Guido, quàm Landulphus, quia canonicè electus (l) erat. Prædictus Landulphus habitabat in Caſtro S. Georgii (m) Plebatus Agnii, & communicato conſilio Cumano (n) per Adam de Pyro, (o) & Gaudentium de Fontanella (p), qui erant tunc Conſules Communis (q) de Cumis, Cumani iverunt una nocte (r), & ceperunt ipſum Caſtrum, (s) & ipſum Landulphum (t), & interfecerunt Othonem, & Lafrançum (u) nepotes dicti Epiſcopi, & configgaverunt ipſum (x) manibus ligatis Guidoni Epiſcopo. Et uxores (y) eorum indutæ camiſiis virorum ſuorum ſanguinolentis, & cum manibus in crucibus (z), nec non parentes (aa) eorum iverunt ad Dominum Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui erat oriundus de Clivio (bb), qui tunc regebat Mediolanum (cc), ut de hoc ſumeret vindictam. Mediolanenſes incontinenti fecerunt tres exercitus (dd). Primus in Adelebio (ee), ſecundus in Gerbo (ff), tertius in Claſcio (gg); & tamen non potuerunt deſtruere Civitatem per plures annos (hh); donec multi milites, & pedites (ii) ab utraque parte mortui ſunt; ut in libris pluribus inde factis, (ll) & per me facturum hujus libri continetur (mm). Et tamen Guido fuit Epiſcopus, & non Landulphus (nn). Deſtructio verò præfatæ Civitatis Cumarum incœpta fuit quinto Calendas Auguſti (oo) in feſto S. Siſti (pp).

NOTÆ AD SUPERIOREM SCHEDAM.

(a) Jo. Petrus Puricellus in Monum. Ambr. Baſil. num. 339. producit Comenſis urbis everſionem uſque ad finem Martii anni 1128. fretus potiſſimum auctoritate Chronici MS. cui titulus *Flos Florum*, ubi aſſeritur Comum funditus erutum die V. vel VII. ante Calendas Aprilis ejuſdem anni 1128. atque à Comenſibus datum Mediolanenſibus altare aureum S. Abundii pro ſui redemptione; quod nobis quidem non obſtat, nam ly *funditus erutum* intelligendum eſt de Comenſis urbis everſione eo tempore conſummata, non verò cœpta. Neque enim veriſimile eſt Comenſem urbem, Vicum, & Coloniolam (quæ duo urbis ſuburbia erant ad lacum ſita, atque ambo arcibus munitiſſimis inſtructa) unius aut duorum menſium ſpatio everſa à fundamentis fuiſſe, niſi plura hominum millia adhiberentur, quod illo ævo probabile non videtur à Mediolanenſibus fieri potuiſſe, quorum omnis exercitus paucis hominum millibus complebatur, ut in decurſu Poematis oſtendetur. Erat autem Comenſis urbs eo tempore longè major, & munimentis inſtructior, quàm hodie ſit, ut reliquiæ antiquæ urbis, quæ adhuc ſuperſunt, evidentiſſimè oſtendunt. Neque obſtat Ottonis Friſingenſis auctoritas, qui lib. 7. cap. 17. Chron. ſcribit Conradum Mediolanum veniſſe, atque ab Anſelmo Mediol. Archiep. in Regem Italiæ Modoyci coronatum poſt bellum per decem annos protractum, atque urbis Comenſis everſione conſummatum, nam neque inde colligitur Conradum immediatè poſt bellum hoc fuiſſe Modoetiæ coronatum, nec bellum ad annos decem completos protractum. Cùm autem Mediolanenſium bellum adversùs Comenſes cœptum fuiſſe conſtet (ut refert Landulphus à S. Paulo Mediol. Hiſt. cap. 34. annuente ipſomet Puricello) eo tempore quo Henricus V., ſive IV., ut alii numerant, Imperator, relicto Romæ Burdino Antipapa, in Liguriam ſeceſſit, nempe anno 1118. poſt feſtum Pentecoſtes, ut Baronius, Spondanus, & uterque Pagius, & alii omnes una voce confirmant, atque ipſemet Puricellus, ideo cùm urbs Comenſis capta fuerit anno 1127. die VI. Auguſti, ut hæc Scheda teſtatur, verè per decem annos protractum fuiſſe conſtat hoc bellum, ut numeranti compertum fiet, nec niſi ſequenti anno, die 29. Junii, Conradum Modoetiæ coronatum. Verum quidem eſt non ſtatim poſt Comenſis urbis excidium, Mediolanenſium odio, & Comenſium calamitati fuiſſe finem impoſitum, ut ex Poemate noſtro conſtabit. Plura inſuper oppida, & caſtella Novocomenſis provinciæ, quæ adhuc pro Comenſibus ſtabant, ſupererant expugnanda, vel in deditionem recipienda, ac proinde credibile eſt finem bello non antea impoſitum, quàm circa menſem Martii ſubſequentis anni 1128. ut Puricellus ſuperioribus documentis adductus exiſtimabat. Comenſis tamen urbs diruta fuit anno 1127. ut Comenſes omnes Auctores, atque alii plures extranei, ut Galvaneus Flamma, Corius, Calchus, Sigonius &c. una voce teſtantur.

(b) *Cumanus* pro Comenſi, *Cumæ* pro Como à Luitprandi Longobardorum Regis ætate ſcribi cœptum, atque ad hæc uſque tempora apud Comenſes Notarios uſurpari ſolitum, illius Regis, & Principum cæterorum, qui ſucceſſere, diplomata oſtendunt, ut videre eſt apud P. D. Primum Aloyſium de Tattis Dec. I. & II. Annal. Com. ubi eadem diplomata in unum collecta ſunt, nec non acta publica, quæ apud ipſos Notarios ab illo ævo ſervantur. Gothorum ævo erat adhuc antiquum urbi nomen intactum, ut ex diplomate Theodorici Regis, atque ex epiſtolis Caſſiodori, & Ennodii paſſim conſtat. Imò & Gregorii Magni ævo, ut ex ejus epiſtola 57. lib. 7. ad Conſtantium Mediol. Epiſcopum ſatis patet, intemeratum ſupererat Comi nomen. Quare nonniſi à Luitprandi ævo corruptum exiſtimamus. Fuere quidem, qui poſtea ſuum urbi vetuſtum nomen reddiderunt, ut Carolus Magnus in diplomate ad Petrum I. Comenſem Epiſcopum dato, at in eodem diplomate utitur paulò poſt vocabulo *Cumanis*, pro Comenſibus. *Cumanæ* Eccleſiæ vice Comenſis Ludovicus Pius vocabulo uſus eſt in ſuo diplomate ad Canonicos, & Clerum S. Abundii Comenſis Epiſcopi. At Lotharius I. Comenſem Epiſcopum non Cumanum vocat in ſuo diplomate ad Leonem I. Comenſem Epiſcopum, atque ita promiſcuè alii ejus ævi Scriptores, ita tamen ut antiqui Gallicæ Hiſtoriæ Auctores plerique incorruptum nomen Comenſi urbi ſervaverint, Itali verò, & Germani corruptum dare conſueverint, atque hinc natus error Antonii Pagii, Blondelli, & Mabillonii, qui Cumas Campaniæ urbem pro Como Galliæ Ciſalpinæ urbe ſumpſerunt, ut egregiè ſuo more clariſs. Muratorius notat Antiqu. Eſtenſ. Par. I. cap. 25. circa medium.

(c) Vox hæc *præfatus* innuit aliquod deeſſe ſuperiùs Schedæ principium, quod fruſtra deſideremus.

Digitized by Google

(d) Quartus Henricus inter Germaniæ Reges, at tertius tantùm inter Germanicos Imperatores. Alii enim Henricos enumerant ab Henrico Aucupe, qui Germanicorum Regum hujus nominis primus fuit; alii ab Henrico Bavariæ Duce, qui primus fuit Germanicorum Imperatorum hujus ejusdem nominis. Nos hanc Schedam sequuti ab Henrico Aucupe initium desumemus.

(e) Antiquus mos erat, ac maximè in Italia tunc vigebat, ut Metropolitanus Archiepiscopus à suffraganeis Episcopis eligeretur, Episcopus verò à Clero, & populo; donec Innocentius III. in Concil. Later. IV. anno 1215. celebrato excluſit laicos omnes, & Præsules Metropolitanos, ac Principes sæculares ab Episcoporum electione, redacta ad solum Capitulum Cathedrale eligendi Episcopi facultate, propter frequentes dissensiones, quæ hinc gliscebant. Joannes tandem XXII. anno 1322. primus omnium sibi reservavit Episcopatuum omnium collationes in provinciis Aquilejæ, Mediolani, Ravennæ, Genuæ, Pisarum, & Neapoleos. Thomass. V. & N. Eccl. Discipl. P. II. lib. II. cap. 33. & 36. num. 8.

Quia tamen in Germanico Imperio mos irrepserat, ut mortuo Episcopo, annulus ejus, & pedum, ad Imperatorem deferretur, ut, quos vellet ipse, iis donaret, non expectata canonica electione, ideo cùm hinc plura scandala in Ecclesia gliscerent, Gregorius VII. in Conc. Rom. anno 1074. celebrato, damnavit hujusmodi investituras, quas iterum condemnavit in altero Conc. Rom. anno 1080. habito. Hoc decretum confirmavit & Victor III. anno 1087. & Urbanus II. anno 1095. in Conc. Claromontano. Extorserat Henricus V. per vim, anno 1111., à Paschali II. decretum, ut facta libera Episcopi electione, consensu tamen Regis, facultatem haberet Rex investiendi electum Episcopum per annulum, & virgam, ita ut Episcopus non consecraretur, nisi à Rege investitus esset. Sed idem Pontifex damnavit postea hoc suum decretum tamquam sibi per vim extortum in Conc. Rom. anno 1112. ut refert Franc. Pagius in Brev. Crit. Chron. in vita Pasch. II. cap. 61. & 69. Imperatores tamen semper decretis hujusmodi obstiterunt, donec Henricus V. anno 1122., ut Ecclesiæ se reconciliaret, in Conventu Vormatiensi dimisit investituras, ut idem Pag. in vita Callisti II. cap. 24. & 25.

Anno igitur 1084. mortuus est Reginaldus Episcopus Comensis, ut refert Bertoldus Constant. in suo Chron. ad hunc annum, atque in ejus locum ab Henrico IV. (aliis III.), qui Gibertum Antipapam quatuor ante annos intruserat, investitus fuit (ut refert Bened. Jovius) nescio quis Hartvicus, quem, quia canonicè electus non erat, Comensis Ecclesia non recepit, at saltem metu Imperatoriæ factionis ab alterius electione abstinuit, donec, mortuo Hartvico circa annum 1094., Clerus, & populus Comensis, elegit Guidonem de Grimoldis de Cavallasca (vico Comensis agri duo milliaria ab urbe dissito) Cathedralis Ecclesiæ Archipresbyterum (ut refert Bened. Jovius Hist. Patr. lib. 1. pag. 10.), cùm eodem tempore Henricus IV. investisset Episcopatu Comensi Landulphum de Carcano, quem Vodolricus Aquilejensis Patriarcha Henrici amicus, & consanguineus, consecravit (ut refert Landulphus à S. Paulo Hist. Mediol. cap. 34.) tamquam Metropolitanus Episcopum suffraganeum. Episcopatus enim Comensis usque à Divi Hermagoræ tempore pertinebat, ac pertinet ad Aquilejensem Patriarchatum. Vodolricus autem fuit is, cui Henricus V. in custodiam tradidit Paschalem II. cum aliquot Cardinalibus anno 1111., ut constat ex Aquilejensium Patriarcharum vita à doctiss. Muratorio edita tomo IV. suorum Anecdotorum, ex quo patet Vodolricum aut fuisse schismaticum, aut schismaticis adhærentem. Verùm Urbanus II. Mediolano præteriens Landulphum de Carcano Simoniacum declaravit anno 1095. ut Bened. Jovius refert loco cit. A quo tamen fuerit Guido confirmatus, haud liquet, at nos putamus eodem tempore Guidonem ab Urbano confirmatum, quo Landulphus ab eo damnatus fuit.

(f) Landulphus de Carcano erat Clericus Ordinarius Mediolanensis Ecclesiæ. Landul. à S. Paulo Hist. Mediol. cap. 34.

(g) *Ipsi*, nempe Clerus, & populus Comensis.

(h) Guidonem de Grimoldis, non de Grimaldis, ut aliqui existimarunt.

(i) Cavallasca vicus est ultra colles, qui Comensi urbi ab occasu imminent.

(l) Hoc est Guido, non Landulphus.

(m) Castrum S. Georgii, cujus adhuc Ecclesia supereſt, & aliquot rudera, erat juxta pagum Malleasii vulgò *Magliaso*, in plebe Agnii, cujus vallis est ferè à tergo Luganensis oppidi. Lugani lacus in duos penè dividitur, qua enim vergit in Tresiam amnem inter Lavenam & Castellanum montem ita coarctatur oppositа utrinque ripa, ut una distet ab altera jactum lapidis: mox iterum dilatatur, & alterum penè lacum efficit, donec milliario procul Lavena iterum stringitur, & in Tresiam amnem effluit. Priusquam igitur Lugani lacus Lavenam inter, & Castellanum montem coarctetur, in boream ita extenditur, ut breve quoddam fretum efformet, ad cujus extremum litus est Agnium oppidum. Malleasium verò est in continenti, Agnio distans unico milliario in occasum, in ipso situm itinere terrestri, quod ab Agnii oppido ad Tresiæ pontem ducit. In castrum igitur S. Georgii Landulphus de Carcano se receperat, atque ibi Episcopalia munia, exclusus Como, exercebat.

(n) Hoc est convocato Comensium Decurionum cœtu.

(o) Erat Adam de Piro Patritius Comensis, urbisque illo anno Consul, cujus antiquæ familiæ unicum & ultimum masculinum germen adhuc supereſt in juvene, qui cùm Somaschensi familiæ se mancipaverit, futuræ sibi posteritatis spem præcidit. Supereſt & Nobilis Matrona Maria Anna hujus soror, Comiti Jo. Andreæ Imbonato, Novocomensi Patritio jamdudum conjugio copulata.

(p) Familia Fontanella erat inter Comenses Patritia, at ea jamdudum extincta est.

(q) Singulæ Insubriæ urbes illo ævo à duobus Consulibus regebantur, ut Georgius Merula de Ant. Vicec. lib. III. pag. 45. lit. A. testis est. *Urbibus*, inquit, *annui Consules præficiebantur. Hi curam Reip. habebant, ex quorum sententia, & arbitrio bellum & pax potissimum agebatur, prout commoditas, & utilitas urbis postulabat*. At meliùs & verius Bened. Jovius Hist. Patr. lib. 1. pag. 9. *In singulis*, inquit, *Longobardiæ civitatibus duo Consules creabantur, Communis appellati, qui Reip. curam habebant, eratque non mediocris auctoritas Episcopi, Communitatis dignitate insignis, qui sacris simul & profanis præerat. Neque nutu Romani Pontificis, ut nunc, sed suffragiis Cleri & populi assumebatur.* Præcipuæ hujus auctoritatis in Episcopo plura habemus exempla. Primò in hac Schedâ Landulphi consanguinei ad Mediolanensem Archiepiscopum confugerunt, ut Landulphi captivitatem, ejusque nepotum cædem ulcisceretur. Secundò in hoc Poemate Mediolanenses, qui castrum S. Michaelis obsidebant, legationem miserunt ad Anselmum Archiepisc., ut ipse adveniret, & pactiones obsessis proponeret, quibus se obstringerent, ut ipsi Anselmo, ejusque successoribus fideles essent. Tertiò Landulphus à S. Paulo asserit Anselmum Archiepiscopum suum nullam sibi rem gratam præstitisse, nisi quòd Comensem urbem everterit. Eidem Anselmo Galvaneus Flamma Comensis urbis eversionem tribuit, quæ profectò non subsisterent, nisi penès Episcopos fuisset maxima in sacris, & profanis auctoritas. Consules autem communis idem sonat, ac Consules Communitatis, Reipublicæ, populi, civitatis &c.

(r) Contensium nempe manus armata noctu ad S. Georgii castrum perrexit.

(s) Et castrum repentè aggressa occupavit.

(t) Intellige Landulphum de Carcano Pseudoepiscopum, quem falsò alii occisum dicunt. Captus enim fuit, & Comum ductus, ut constat etiam ex Landulpho à S. Paulo Hist. Med. cap. 34.

(u) Otho erat nobilis Capitaneus populi Mediolanensis, ut docet Landul. à S. Paulo loc. cit. Lafrancus (ab aliis Blancus appellatur) erat & ipse Landulphi nepos. De hoc Lafranco nulla à Landulpho fit mentio.

(x) Landulphum Pseudoepiscopum.

(y) Othonis & Lafranci conjuges.

(z) Manibus non decussatis, sed hinc & inde extensis in crucis morem, qui mos precandi adhuc viget, ut cùm à Deo, vel ab aliquo supremo Principe veniam poscimus, aut opem imploramus, juxta illud Statii Theb. lib. 12. v. 523.

ten-

Digitized by Google

tenduntque precantes
Cum clamore manus,

Ita enim supplices manus tendere videbantur ad simulandas deorum aras, aut eorum gemma, ad quorum pedes provolvebantur. Ita quoque de S. Cæcilia V. & M. canit Ecclesia: *Expansis manibus orabat ad Dominum, ut eam eriperet de inimicis*. Quæ verba ex ejus Actis antiquis excerpta sunt.

(aa) Consanguinei: ita enim sonat vulgò *li parenti*, quæ vox in Italica lingua non genitores, sed consanguineos indicat.

(bb) Erat Archiepiscopus ille Jordanus de Clivio, pago in Plebe Arcisati Mediolanensis agri, & ejusdem Diœcesis.

(cc) Hinc patet, qua potestate præstaret Archiepiscopus, cùm ad eum potiùs, quàm ad alios Landulphi Carcani consanguineos ad petendam ultionem confugerint.

(dd) De tribus hisce exercitibus apud alium Scriptorem præcisè non constat, neque apud Poetam nostrum, nisi fortasse in ultima Comensis urbis obsidione, qua Mediolanenses eam ex omni parte, ab ortu, ab occasu, atque à meridie, occupantibus, à borea lacum Lucullanum arctaverant.

(ee) *Alebio* scribendum erat, non *Adelebio*. Adelebium enim vulgò *Delebio* est vicus in finibus Vallis Tellinæ cum Statu Mediolanensi, Como distans 44. milliaria in boream, nec erat cur ibi Mediolanenses exercitum constituerent ad urbem coarctandam. Alebium autem, sive Arebium vulgò *Rebbio* est pagus Comensis agri Como distans paulo plus uno milliario in meridiem, ubi prima Mediolanenses inter & Comenses commissa fuit pugna, ut in Poemate.

(ff) Gerbum, vel Gerbium, seu Zerbium, aut Zerbum, vulgò *Zerbio* apud Ballarinum, vel *Gerba* apud P. D. Primum Aloys. de Tattis Ann. Com. P. II. lib. V. n. 12. collis est Comum ab ortu hyberno prospiciens, duo stadia Como distans, atque hinc via in Brigantinos montes, atque in forum Licinii.

(gg) Clascium, hodie vulgò *Cbiasso*, vicus est Como distans mille ac quingentos passus in occasum æstivum hodie ad ditionem Helveticam spectans, sed ad Comensem Diœcesim, cùm antiquitus ad Comensem quoque provinciam pertineret. Atque hic notandum, quòd quatuor viis ad Comensem urbem accessus datur: videlicet à borea per lacum, à meridie per Alebii pagum, ab ortu per Gerbii collem, ab occasu per vallem, qua Clascium itur trans Olympinum montem, qui ab occasu æstivo Vicum, urbis suburbium, claudit.

(hh) Nempe per annos decem.

(ii) Pedites hic sumuntur pro collectitiis copiis, quæ ex officio militare non solent, sed ex necessitate, cujusmodi est urbana militia, & forensis. Si enim Auctor voluisset intelligi milites, non erat cur adderet *pedites*, namque sub militis nomine equites comprehenduntur & pedites.

(ll) Libros hujusmodi frustra deliderari ex testimonio Benedicti Jovii superiùs adducto jam vidimus, cùm de bello à Mediolanensibus in Comenses ob causam superiùs allatam gesto, nullum aliud, præter hoc Poema, monumentum supersit.

(mm) Ea ut per me faciendum est in hoc libro. Ita sonat *ly per me faciendum est in hoc libro*.

(nn) Non Landulphus de Carcano, quem Comenses non admiserunt.

(oo) *Quinto Calendas Augusti*, idem sonat, ac die 28. Julii. Ita Bened. Jovius sentit.

(pp) *In festo S. Sixti*, idem sonat, ac die 6. Augusti. Nullius enim alterius S. Sixti commemoratio fit in Ecclesia Romana die 28. vel 27. Julii. Cùm ergo apud Imperitos magis innotescant Sanctorum celebriorum festa, quàm computatio Calendarum, quæ apud Romanos in usu erat, ideo credibilius est hujus Auctorem Schedam hallucinatum in scribendo *quinto Calendas Augusti*, quàm in addendo *in festo S. Sixti*. Quare ubi deberet intelligi *quinto ante Calendas Augusti*, rudis Auctor intelligi voluit *quinto post Calendas Augusti*.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGICUS ORDO BELLI

In Poëmate ſubſequenti deſcripti.

A. C. 1118. COmenſes Caſtrum S. Georgii nocte petunt, eoque potiti Landulphum de Carcano captivum Comum abducunt, occiſis ejus Nepotibus. Mediolanenſes ad iracundiam concitati ſe de Comenſibus ultionem ſumpturos jurant, exercitum conſcribunt, atque in Comenſes ſigna movent. In Canneto caſtrametantur. In Alebii planitie ad radices Baradelli montis adversùs Comenſes pugnant. Nox pugnam dirimit. Sequenti die altera via per Aperti torrentis vallem Comum deſcendunt: urbem præſidio vacuam occupant, diripiunt, & incendunt, ac Landulphum de Carcano è carcere liberant. At Comenſes è vertice Baradelli, ac vicinis è collibus, quibus inſederant, incenſam urbem videntes, agmine facto Comum deſcendunt, hoſtem palantem, ac prædæ incumbentem cædunt, urbemque recipientes, & ſpolia, Mediolanenſium agmen in fugam agunt, eorum pluribus captis, interemptiſque. Interea Inſulani Comenſium ſubditi à Comenſibus deficiunt, à quibus etiam Grabedonenſes, Menaſienſes, ac Bellaſienſes abducunt: Mediolanum nuncios mittunt, & fœdus cum Mediolanenſibus pangunt.

A. C. 1119. Inſulani claſſem inſtruunt: Comum petunt, ſed ad Bregiam amnem cæduntur à Comenſibus, & fugantur. Mediolanenſes interea ad amicas urbes, fœderataſque Provincias Legatos mittunt: auxiliares copias petunt, atque iis obtentis, iterum Comum tendunt: urbem, Vicum, & Coloniolam obſident Inſulani cum claſſe Comum feruntur, at illi à mœnibus, iſti à litore ſæpiùs repulſi, Mediolanum illi, hi ad Inſulam re infecta regrediuntur.

A. C. 1120. Mediolanenſes Auguſti menſe iterum cum exercitu Comum redeunt, urbem obſident, cum Comenſibus dimicant, at repulſi Mediolanum repetunt. Comenſes interea duodecim naves inſtruunt, quibus à Guidone Epiſcopo benedictis Tremetium Inſulanis adjunctum petunt, diripiunt, & navem captam abducunt. Inſulani Comenſem claſſem Tremetio Comum redeuntem medio lacu aggrediuntur, at victi, nonnullis navibus amiſſis, ad Inſulam redeunt. Triduo poſt Comenſes Lezenum Inſulanis adſociatum aggrediuntur, ac direptis eorum terris, onuſtas prædæ naves ad patrium litus abducunt. Triduo poſt Comenſes ad Inſulam navigant (non Inſulam quidem ipſam, ſed Campum Inſulæ quaſi ſuburbium) atque Inſulanis avehunt è portu naves, quas inde Comum deducunt. Iterum triduo poſt Comenſes inſtructa claſſe Campum feruntur: cum incolis in litore dimicant. Inſulani vincuntur. Comenſes locum diripiunt, agros depopulantur, illamque Campi partem diruunt, & incendunt, quæ juxta litus extenditur, eâ intactâ, quæ proximo inſtructa colli expugnari difficilè potuiſſet, ac præda onuſti ad urbem redeunt. Triduo tandem poſt, Bellaſium Comenſes petunt, locum diripiunt, ac devaſtant, prædaque onuſta navigia Comum ducunt. Poſt aliquot dies Comenſes ad litus Lierni cum claſſe migrant: locum, ac turrim incendunt, atque iterum Comum redeunt. Paulò poſt Comenſes Capellam petunt: caſtrum ac turrim occupant, ac diruunt. Inſulani cum claſſe in auxilium Capellæ feſtinant. Prœlium navale committunt, ſed à Comenſibus repelluntur, dumque aliæ naves ad Inſulam fugiunt, una intercepta Varenam fugit. Hanc perſequuntur Comenſes, & capiunt cum altera Varenenſium navi, & Comum ambas abducunt.

A. C. 1121. Comenſes Variſium nocte petunt, locum diripiunt, ac prædam Comum abducunt. Poſt aliquot dies Comenſes Binagum petunt, & relicto caſtro pagum incendunt; & Vedanenſium copias in auxilium ejus loci accurrentes in fugam vertunt, & Comum prædam avehunt; atque iterum poſt aliquot dies Dretium petunt, locum diripiunt, caſtrum occupant, relicta turri, quam ſuperare non potuerunt. Dum præda onuſti Comum regrediuntur, Dretii incolæ facto agmine Comenſium copias aggrediuntur in via, ſed victi Ronagum fugiunt. Ronago à Comenſibus pulſi, Trevanum, & Ogiatum petunt, ſed & hinc à Comenſibus pulſi, alii aliò diſperſi ſunt, & Comenſes abductâ prædâ feliciter Comum redeunt.

A. C. 1122. Mediolanenſes Lugani lacum navigiis in Lavenæ portu conſtructis infeſtant, ac populum Luganenſem à Comenſibus abſtrahunt, atque ab eo S. Martini caſtrum obtinent. Comenſes interim duabus navibus in Melani portu compactis, munito foſſa, & lignea turri loco prædatûm eunt. Prœlium navale cum Lavenenſibus miſcent, quouſque naves iſtorum fractæ Lavenam reficiendæ confugiunt. Comenſes accitis Como militibus Lavenam aggrediuntur, at impotes expugnare caſtellum, vicum incendunt, & aliquot Lavenenſium onerarias naves Melanum abducunt. Luganenſes fortuna Comenſium territi oppidum deſerunt, ſeque in caſtrum S. Martini recipiunt. Comenſes terra, & lacu caſtrum obſident, & oppugnant, donec Luganenſes per montium prærupta diffugientes Comenſibus caſtrum relinquunt.

A. C. 1123. Mediolanenſes Porletiæ portum navibus armatis inſtruunt, Inſulanis annonam, milites, & nautas in eorum auxilium tranſmittentibus. Caſtrum S. Michaëlis, cui Comenſes præſidio erant, terra, & lacu obſident. Diu fruſtra oppugnato caſtro

Lega-

Digitized by Google

Legatos ad Anſelmum Puſterlam (de quo lege notas ad verſ. 687.) atque ipſum hortantur, ut Porletiam veniat. Anſelmus Porletiam venit, ac deinde ad caſtrum Sancti Michaëlis ſe transferens, promiſſis & minis nequidquam hortatur obſeſſos, ut ei ſe dedant. Regreſſo Mediolanum infecta re Anſelmo, Comenſium naves Porletiam deferuntur, & hoſtium naves incenſas, & captas Melanum abducunt. Comenſibus Comum reverſis Arduinus Advocatus, qui Melanum pro Comenſibus tuebatur, auro corruptus, Melani turrim, & naves Mediolanenſibus tradit. Comenſes proditionis admoniti duas bellicas naves plauſtris impoſitas noctu è Comenſi portu in Lugani lacum tranſvehunt. Lavenam petunt, quò Mediolanenſes acceptas ab Arduino Comenſium naves abduxerant. Naves ſuas Comenſes recuperant, & aliquot inſuper hoſtium naves captas Melanum deducunt, turrim reficiunt, atque ibi relicto præſidiario milite Comum redeunt, dumque hyems prætereat, feſſas vires in patria urbe reficiunt.

A. C. 1124. Mediolanenſes Pantagani caſtrum proditione obtinent. Grabedonenſes hoc circa tempus in Comenſium gratiam redeunt. Comenſes ad Inſulam navigantes reliquam Campi partem ſaxis impoſitam diripiunt, & incendunt. Triduo poſt ad Inſulam redeunt, & petitione facta, ut ſe Comenſibus dedant, rejiciuntur. Quare Comenſes indignati omnia latè depopulantur, ac diruunt à Manſo Meſagrii uſque Colonum. Poſt aliquot dies Comenſes Menaſium petunt, ac turrim campanariam, quò incolæ confugerant, quatiunt, & expugnant. Comenſes domum regreſſi Canturienſium copias in inſidias trahunt, & ad Aquam nigram profligant. Mediolanenſes iterum Comum obſident. Comenſes annonæ penuria laborantes, naves mittunt, ad victualia civibus advehenda. Inſulani Comenſium naves annonam vehentes aggrediuntur, at repulſi diffugiunt. Comenſes tota claſſe Inſulam petunt, & oppugnant, ſed repelluntur, & Comum redeunt. Mediolanenſes obſidionem ſolvunt ſub feſtum Paſchatis, & Mediolanum regrediuntur. Triduo poſt Comenſium reditum ab Inſula Neſſium noctu petunt, & capto caſtro captivos, & prædam navibus impoſitam Comum vehunt. Leucenſium claſſis triginta navium pro Mediolanenſibus in futurum annum paratur. Comenſes aliam inſtruunt decem & octo navium.

A. C. 1125. Mediolanenſes iterum Comum obſident. Leucenſium claſſis, cum illa Inſulanorum, Comenſium claſſem aggreditur, at amiſſis quatuor navibus retrocedit. Comenſes Comum reverſi Mediolanenſes à mœnibus urbis repellunt, atque urbem obſidione ſolvunt, tum Vogenzatum petentes eos incolas cædunt, & fugientes Cinimidum uſque perſecuti, locum illum unà cum Templo, quò ſe hoſtes receperant, igne comburunt. Paulò poſt Comenſes Vertematum expugnant, ac diruunt. Guido Epiſcopus moritur, & Comenſium res in deterius ruere incipiunt. Comenſes Marlianum oppidum diripiunt, at Comum prædam advehere feſtinantes, à Mediolanenſibus intercepti profligantur, unde maximus Comi luctus. Arialdus Advocatus Comenſis auro corruptus Mediolanenſibus Lucini caſtrum tradit. Otho ejus frater ut caſtrum recuperet, præſidiarium militem in inſidias trahit, at lancea confoſſus rem infectam relinquit. Grabedonenſes à Comenſibus opem petunt. Comenſes Gryphum bellicam navem in Grabedonenſium auxilium mittunt. Inſulani reſtaurant Capellæ caſtrum, ac turrim. Quinque Leucenſium naves ad Capellæ caſtrum calcem, & commeatum devehunt. Duæ Comenſium naves, ac duæ Grabedonenſium illis occurrunt, & prœlio navali congrediuntur, atque una Leucenſium navis diffracta eſt, una verò Grabedonenſium capta. Altera Grabedonenſium navis ſequenti die ad locum certaminis redit, ut colligat ſuorum cadavera, ſed Azonem ſagitta confixum Grabedonam refert ſepeliendum. Duæ Comenſium naves viris, atque armis inſtructæ Gallitiam Vicedominam ad caſtrum Domoſoli devehunt, tum Comum Olonio redeuntes ad Leuoi partes divertunt, ſed ab incolis eorum locorum viſæ, Leucenſibus inſequentibus, fugam arripiunt, & vento contrario pulſæ Bellanum petunt, ubi Comenſes navibus egreſſi in carcerem conjiciuntur. Invento tamen foramine captivi diffugiunt, & lacum trajicientes, itinere pedeſtri Comum redeunt amiſſis navibus. Conradus Mediolanenſis Dervii caſtri Præfectus caſtrum Comenſibus tradit, qui relicto præſidiario milite ad ejuſdem caſtri cuſtodiam, ſpolia Comum advehunt. Comenſes Dervium mittunt navem, cui nomen Lupus cum milite, qui caſtrum defendat. Comenſes ergo Lupo vecti hoſtiles oras latè percurrunt, & prædam avehunt, at Lupus tandem ab hoſtium navibus intercipitur, & quotquot Lupo vehebantur, aut capiuntur, aut trucidantur. Quare Comenſes, ut captivos redimant, Dervii caſtrum Mediolanenſibus reddunt. Mediolanenſes Vallem Tellinam Comenſium ſociam invadunt, ac diripiunt. Milites indigenæ apud Barbennum cum Mediolanenſibus pugnam miſcent, at cæſi fuſique ſunt. Mediolanenſes prædam abducunt. Comenſes Antiſiti caſtrum occupant juxta Leucum, & hoſtium litora infeſtant. Mediolanenſes auxilium Leucenſibus mittunt, & noctu caſtrum aggreſſi, pleroſque Comenſium capiunt, ac trucidant.

A. C. 1126. Hyems præter morem hujus anni principio rigidiſſima, quod & Sigonius refert in Regn. Ital. ad hunc annum. Comenſes Albricum de caſtro Brignani accerſunt, à quo decepti apud Montem Surdum à Mediolanenſibus profligantur. Albricus Comenſes profugos ad Seviſonem uſque perſecutus, dum trajicere flumen parat, à Comenſi quodam Rhampagio ſagitta configitur. Mediolanenſes iterum Comum à longè obſident, colleſque circumſitos occupant, & vallem S. Martini. Caſtrum vetus in Gerbii colle reficiunt, & forum, & militum tabernacula infra caſtrum locant; quibus Caſtri novi, & Villæ novæ nomen imponunt, duo ſtadia Como diſtantibus, eorumque cuſtodiam Modoëtienſibus committunt. Comenſes Villam novam noctu aggre-

aggrediuntur, expugnant, & incendunt, atque in urbem captivos & prædam ducunt. Mediolanenſes Lugani vallem occupaturi duas Laudenſium centurias eò mittunt. Comenſes ut vallem defendant, milites eò tranſmittunt, qui Treſiæ pontem occupant, interea dum Caſtellanum montem Lavenæ oppoſitum milites indigenæ pro Comenſibus tenent, ac defendunt. Mediolanenſes Treſiæ pontem, & ulteriorem ripam aggrediuntur, at à Comenſibus repulſi montem Caſtellanum invadunt, militem indigenam diſſipant, ac deinde Comenſium copias terrâ aggrediuntur, quæ dum fortiter pugnant, à Laudenſibus cohortibus eò pervenientibus interceptæ, ripam deſerunt, & naves ingreſſæ Melanum fugiunt, relicta Mediolanenſibus Lugani valle. Mediolanenſes interea Cremenſium cohortes Comum accerſunt, quibus cuſtodiam Caſtri novi committunt, ſed Cremenſes à Comenſibus in valle S. Martini in inſidias tracti, partim necantur, ac partim collo vincti in urbem ducuntur.

A. C. 1127. Mediolanenſes accerſitis è variis Italiæ partibus peritioribus Architectis, & militaribus copiis, Comenſem urbem ex propinquo circumſident, belliciſque tormentis, ac machinis, muros urbis laceſſunt, donec poſt diuturnum laborem, atque obſtinatiſſimam urbis obſidionem Comenſes feſſi jam languent. Mulierum, & puerorum luctu perpetuo impletur urbs; quare noctu Comenſium Proceres mulieres, pueroſque navigiis imponunt, ac dimittunt, intereadum cæteri Comenſes excîto intra muros fragore magno, ne hoſtis egreſſas è portu naves inquietaret, ex urbe in hoſtes irrumpunt, ſed à Mediolanenſibus in urbem repulſi, eadem nocte navigia cum omnibus pretioſis exuviis, ac theſauris ingreſſi ad caſtrum Vici trajiciunt, atque ibi ſeſe defendere uſque ad extremum parant. Mediolanenſes facto mane urbem vacuam deprehendunt, & cognitâ Comenſium fugâ ad caſtrum Vici, eorumque conſtantiâ in ejuſdem caſtri, quod bellicis machinis inacceſſibile videbatur, defenſione ſuſcipienda, legatos ad caſtrum mittunt deditionem petentes, ac pacem, quam tandem cum pactione diruendorum urbis mœnium, Vici, & Coloniæ, dato utrinque jurejurando, confirmant.

DE

Digitized by Google

Stephanus Spargioni inu. et del. *Io. Baptista Sintes sculp.*

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

DE BELLO MEDIOLANENSIUM ADVERSUS COMENSES LIBER CUMANUS.

Ellum quod geſſit populus cum gente ſuperba
Olim Cumanus ſcripturus * ſum, at priùs apta
Sunt quædam ſupra libanda parum, memoranda.
Omnia plana magìs quòd (1) ſint * cunctis & aperta,
Vera referre volo, quantum queo, falſa tacebo,
Quæque meis oculis vidi, potiùs reſerabo:
Ut Mediolanenſes neſcientes atque ſagaces
(* Sicuti victores noverunt eſſe feroces)
Atque aliæ gentes, cunctæ mœſtæque coactæ (2)
Ad facinus tantum cum vi, non ſponte, trahuntur.
Jurant ad fratres & amicos bella gerendos. (3)
Jurant, quæ caros debent occidere natos. (4)
Tendere (5) non audent ad eos, nec ſumere debent.
Cùmque vident cives obſeſſos, atque coactos,
Jurant, ac bellum ſtatuunt graviter peragendum.
Omnia devaſtant manibus pedibuſque * deſertant.

Anno Chriſti MCXVIII. circa finem æſtatis.

* *MS. ſcripturus, ſed priùs &c.*

* *MS. & cunctis aperta.*

* *MS. ſic ubi.*

* *MS. conculcant.*

In-

(1) *Quod* pro *ut*. Ita ſemper Poeta noſter. Hoc eſt ut cuncta magìs plana, & aperta ſint omnibus.

(2) Mediolanenſium minis, qui cæteris legem dare affectabant.

(3) Hoc eſt jure jurando ſe obligant ad gerendum adversùs fratres, & amicos bellum. *Gerendos* pro *geſturos*, ſæpiùs uſurpat grammaticæ ignarus Auctor. Senſus ergo eſt: jurant ſe bella geſturos *ad* nempe *adversùs* fratres &c.

(4) Hoc eſt filios mittere ad certam necem.

(5) Tendere non audent Inſulani adversùs Comenſes, nec ſumere bellum deberent in eos. Sed ubi vident Comenſes cives obſeſſos, ac in arctum redactos, conjurant in ipſos.

Digitized by Google

Anno Christi MCXVIII.

Insula (6) dampnaris, mala fingere tanta probaris.
Sanguine tantorum rea nosceris esse virorum.
Victrix cunctorum præstas studiosa malorum
Undique * dans vastum. Te propter * depopulatus — * *MS. tam vastum.*
Stat Episcopatus, fuerat qui dives & altus, — * *MS. depopulatam.*
Et propriam tibi tu patriam facis æmula * tutam. (7) — * *MS. vitam.*
Prodiga vastatrix, & cunctis insidiatrix,
Cùm catulos lactas, proprio quos sanguine mactas. (8)
Non furiosa vides, (9) nec adhuc satiata cruore,
Interfectorum * nimii quantique tuorum — * *MS. nimius quantusque.*
Clamat in excelsis effusi sanguinis unda?
Quondam fulgentem Cumanam (10) destruis urbem, (11)
Niteris Ecclesiam Cumis prosternere matrem,
* Quantumcumque (12) potes agitas, quod desinat esse. — * *MS. Quantidemque.*
Cumano cœtu (13) quondam reminiscor in urbe,
Quòd priùs ut caros dixisti vendere natos, (14)
Quattuor inque fabis nimium dare velle * colonis — * *MS. solares.*
* Mandere, quàm turpem velles committere pacem. — * *MS. Mandare.*
Promissis istis, dictis * fallis quoque multis — * *MS. allis.*
Cives, namque (15) tuis, & tecum ad prœlia ducis.
Campus in Alebio tanta de cæde fatetur: (16)
Testantur montes, testatur & hoc Baradellus. (17)
Troja (18) suis ducibus * defenditur. Hector in illis — * *MS. defendit.*
Affuit, Æneas, nec non Paris. Hectoris omnes
Pugnabant fratres. Pugnat fortissimus Adam (19)
Deque Piro dictus duros deverberat hostes,
Hortatur socios, in pugna recreat omnes.
Pugna fit in campo, resonat clamoribus æther.
Fit fragor & denso tegitur de pulvere cœlum.
Concurrunt fugiuntque, iterum simul arma capescunt.
Giulitio (20) fatis occurrit ductus iniquis
Brocardus: sternit, dum sternit sternitur ipse,
Lancea quem * diri fodit Piperi Eriberti. — * *MS. diu.*
Stat prope Petrus Abas, cupiens succurrere, temptat.
Dum cupit & satagit vindex existere mortis, (21)
Non circumspexit: Petri cadit ense Caligni: (22)
Dum moritur, virides carpebat dentibus herbas.
Signifer interea Sicherius (23) intulit hastam

Pe-

(6) Alloquitur hîc Poeta Insulæ Comacinæ incolas, qui Comensibus subditi in ipsos arma converterant. Insula hæc, cùm sit unica in toto lacu, Insulæ nomen genericum suum fecit, ac dicitur Insula, Italicè *Isola*, eaque est à Larii parte dextra à summo lacu Comum proficiscentibus. Como distat in boream 16. milliaria Italica, à continenti pass. 50. Ejus ambitus unico milliario comprehenditur, eratque ibi tunc temporis arx munitissima. Insulani autem vocantur, & vocabantur, non ii tantùm qui Insulam, sed & ii qui vicina loca incolebant. De hac Insula vide plura in Sigonio de Regno Italiæ, & Eric. Puteano in Hist. Inf. atque in Paulo Jovio in Lar. descript.

(7) Insulani enim se tutiores futuros arbitrabantur, quo Comenses depressiores.

(8) Vide notas ad versum 12.

(9) Verborum ordinem suo more hîc Poeta perturbat. Sensus ergo est: Nonne vides furiosa, nec cædibus satiata, quantus, & nimius, tuorum sanguis effunditur?

(10) Comensem, ut in notis ad veterem schedam.

(11) Insula enim est, & erat, in Diœcesi Novocomensi.

(12) Hoc est *& quantum*.

(13) Subaudi *in*, hoc est: memini incolas tuos Comi palàm professos esse quòd &c.

(14) Memini quòd dixisti te potiùs paratam filios vendere, & fabas comedere, quàm &c.

(15) Interim ducis Cives nostros in prœlium tecum & cum tuis: hoc est, interim tuos tecum incolas in Comensium perniciem trahis, armasque contra datam fidem.

(16) Describitur hîc prima Mediolanensium cum Comensibus pugna in campis Alebii, sive Arebii, hodie *Rebbio*, qui primus pagus Como Mediolanum euntibus occurrit, Como distans in meridiem paulò plus mille passibus. Landulphus à S. Paulo cap. 34. Med. Hist. refert Mediolanenses primò castrametatos in Canneto. Est autem Cannetum vulgò *la Canneda* planities quædam Novocomensis agri, in qua hodie pagi duo Grandatum, & Lucinum, unde facilis, & obvia in Comenses irruptio per Alebii campos. Distat ea planities Como in meridiem 3. milliaria.

(17) Baradellus est vetus castrum in monte positum inter Alebium & Comensem urbem medio. Castrum hoc teste Sigonio Regn. Ital lib. 3. pag. 112. & Eric. Puteano Hist. Insubr. lib. 3. cap. 9. extructum fuit à Liutprando Langobardorum Rege circa annum Domini 724. Supereft adhuc ex eo castro pars mœnium, & turris ingens marmorea eleganti opere, & secula duraturo, constructa, de qua Rudolphus Gothofredus Knichenius in notis ad loc. cit. Hist. Insubricæ ita scribit: *Edito in monte, turrique excelsa eminens, è qua in campos subjectos liber latè prospectus pertingit. Carcerem hîc Neapus Turrianus, prœlio victus, habuit, & sua locum ærumna nobilitavit.*

(18) Non ineptè hîc Poeta patriam urbem cum Troja confert, quam Græci decennio expugnaverunt, cùm tantumdem temporis in Comensi expugnatione Mediolanenses impendesint, ut in notis ad superiorem Schedam ostendimus.

(19) Adam de Piro quis fuerit in notis ad superiorem schedam satìs ostensum est.

(20) Giulitio seu Guilitio Brocardus nobilis civis Mediol. ab Eriberto Pipero interemptus est. Ejus mortem meminit & Landulphus à S. P. Hist. Med. cap. 34.

(21) Brocardo datæ. Erat enim Petrus Abbas civis Mediolanensis.

(22) Petrus Calignus Novocomensis Petri Abbatis interemptor.

(23) Cognomento, sed Lanterius nomine, civis Mediolanensis, quem in hac pugna interemptum Landulphus à S. P. testatur Hist. Mediol. cap. 34.

Digitized by Google

Anno Christi MCXVIII.

Pectus in Araldi (24) * dicta de gente Caligni.
Providus ingenti clypeo se texit ab ictu;
Quem procul ut vidit pugnantem providus Adam, (25)
Advolat, & stricto temptat succurrere ferro.
Occupat ense virum. Caput à cervice revulsum
Ora retorquendo dejectum flendo cucurrit. (26)
Sudor * it in rivos madidos fluit unda * per artus.
Sanguine pulverei manabant undique campi.
Tendit ad occasum jam sol, cursuque peracto;
Partibus ambabus tandem clamore represso
Depositis acies telis tellure sedebant.
Nox tegit atra polum. Dirimunt à cæde catervas.
Sydera per totum fulgebant undique cœlum.
Discedunt turbæ, ac tandem sua castra tenebant.
* Indulgentque mero, tacito dant corpora somno
Curas postponunt animo, mentesque * resolvunt.
Somnus ubique volat, requies genus * omne (27) tenebat.
Lux exorta viros ad tempestiva remisit
Bella, sed incauti veniunt ad prœlia tardi
Cumenses equites * fidentes, non dubitantes.
At Mediolanenses taciti multùmque timentes,
Ante diem fossas ceperunt & ruinosas (28),
Et capiunt campos, anfractus, & loca pugnæ.
* Hesternæ pugnæ capiunt loca plurima densè,
At cives (29) tardi veniunt ad prœlia cauti,
Aptaque nulla vident, * loca quæ sint, unde repugnent.
Ut possunt instant illis, pro tempore pugnant.
De scopulis cernunt; silvas montesque tenebant.
Hostibus instabant, & corpora multa jacebant.
Hinc * atq; inde cadunt equites, peditesq; resolvunt (30).
Inclusam reddunt animâ * de corpore vitam.
Hic cadit in virides miles nam Presbyter (31) herbas
De Sumerade. Est is filius Arditionis.
Strenuus is fuerat pro libertate tuenda
Signifer, & peditum Hieronymus (32) vulnere fusus
Hic cadit amissis subjectis viribus herbis (33).
Dum sic decertant, * & corpora plurima mactant,
Hostes * connixi per fundum vallis Aperti
Fluminis (34) ad solam tendunt, urbemque relictam
Inveniunt *, intrant, vastant, pueroscque trucidant,
Omnia conculcant *, rabidorum more fremebant,
Detruncantque senes, nudant * pueros, mulieres (35).
Ecclesias prædant, altaria cætera fumant.
Hæc * postquam cives cognoscunt, prœlia linquunt,
Ascendunt tuti culmen montis Baradelli,
Inde vident urbem fumantem, sicque cremantem (36),
Atque per abruptum descendunt montis ad imum.
Se recreant niti * quòd (37) succurrant simul urbi.
Conscendunt (38), repetunt pariter citò..... Cumas.
Dumque vident hostes prædantes & spoliantes,
Acriter ad pugnam consurgunt undique cœptam.
Conversi fugiunt hostes, dant terga paventes,
Atque sequuntur eos * cives post terga frementes.
Corpora nuda jacent, & eorum viscera fœtent.

* *MS. dictus.*
* *MS. ait.*
* *MS. peratus.*
* *MS. Indulgent mero.*
* *MS. Revolvunt.*
* *MS. esse tenebant.*
* *MS. prudentes.*
* *MS. Externæ.*
* *MS. locaque.*
* *MS. Hinc inde cadunt.*
* *MS. animam.*
* *MS.* deest particula *&*
* *Non nixi.*
* *MS. intrati.*
* *MS. rabido more.*
* *MS. puras.*
* *MS. postque.*
* *MS. vicini.*
* *MS. civesque terga.*

Ab-

(24) Caligni Novocomensis.
(25) De Piro, de quo supra, Sicherii interemptor.
(26) Pilæ more, quæ per arenam rotetur.
(27) Animantium.
(28) Hoc est scopulis & anfractibus præruptа loca. Ita & alibi noster Auctor.
(29) Comenses intellige, qui se ea nocte in monte Baradello receperant, nec putabant Mediolanenses futuros fore tam vigiles, & solicitos.
(30) Turbant, confundunt. Equitatu confuso, turbatur & peditatus.
(31) De Sumeradæ Comensis (ex nobili forte gente Summeliana) Arditionis filius interficitur, qui, vel Sacerdos, pro patriæ libertate fortissimè dimicabat.
(32) Quis iste fuerit, latet. Comensem tamen fuisse censemus.
(33) Hoc est in subjectas herbas.
(34) Ita nomen torrentis est intra colles Comensem urbem circumsidentes fluentis. Per hujus torrentis vallem Mediolanenses ad urbem descenderunt, interea dum Comenses ad radices Baradelli distinebantur, nudamque præsidio urbem reliquerant. Apertus flumen vulgò *fiume Aperto*.
(35) Hîc & alibi semper penultimam hujus vocis producit rudis Poeta noster. Hac occasione Landulphum de Carcano è Comensium manibus liberatum refert Landulphus à S. P. Hist. Mediol. cap. 34. nec amplius ulla de ipso fit mentio, unde nos in prœlio mox sequuto interemptum putamus.
(36) *Cremantem* in sensu passivo, hoc est conflagrantem.
(37) Hoc est se invicem animant ad edendos conatus omnes, ut simul succurrant afflictæ urbi.
(38) Ita utrumque exemplar, sed verius contendunt; cùm enim Comensis urbs loco inferior illis esset, descendere potius, quàm ascendere ad illam oportebat.

Abſcondunt (39) fratres, attollunt undique natos. Anno Chriſti MCXVIII.
Poſt equites fugiunt pedites in morte relicti.
Sunt plures tenti (40), ſed ſunt plus mille perempti.
Vix fugiendo tenent tandem ſua caſtra, relinquunt
In bello cœſos crudeli morte peremptos.
Conſumendo meruñ capiunt ſua corpora ſompnum,
* Poſtquam ſunt feſſi cives (41) à cæde reverſi, * *MS. poſtque.*
Indulgentque mero, placido dant corpora ſompno,
Cũras poſtponunt, animos menteſque reſolvunt.
Alta quies volucres, homines, pecudeſque tenebat.
Inſula non dormit, nec jam tenet illa quietem.
Cogitat & vigilat, verſat furioſa quid agat,
Namque ſuos prodit ſocios (42) ut Juda Magiſtrum.
Dum quos (43) in bello firmatos undique cernit,
Infeſtumque illis valdè cognoſcit ut hoſtem,
* Turpiter à ſociis ſe dividit, atque ſacrata * *MS. Tempus.*
Quæ dudum fuerant inter * nos jura, relinquit. * *MS. quos.*
* Secum perque viros aliquos facit eſſe * rebelles (44), * *MS. Summa per viros.*
Bislatium (45) quoque, nec non Grabadona, Menaxum. * *In MS. deeſt* rebelles.
Sic (46) Mediolanum petit, & ſua cuncta fatetur.
Illis declarat mala conſcia (47) gentis iniquæ.
Illos auxilium, ſi vellent (48) *, poſcit & arma. * *MS. poſſit.*
Omnibus auditis gaudent, & talia fantur,
Omnia facturos (49) reſpondent, quidquid * adorant. * *MS. adorat.*
Promittunt (50) equites pedites frumenta daturos.
Cum ſupplemento ſpondent naves faciendas.
Illis affatim dandum (51) ſpondent comeatum,
Et cum Cumanis firmant ſua bella gerendos (52).
Turpia componunt..... (53) ſibi vincula collo.
* Pro conjuratis intrant, nec non ſociantur. * *MS. Cum pro juratis.*
Conjurant reprobi, * juſti reprobantur & omnes. * *MS. juſtè.*
Sic fiunt ſocii ſcelerati cum ſceleratis.
Invidiâ ſolâ (54) reprobis ſubdunt ſua colla,
* Se ſtygiis natoſque ſuos * livore * catenis * *MS. Feſtigus.*
Dampnant æternis. Conclamant (55) inſuper illos * *MS. luvione.*
Eſſe queat ſanguis ſuper & natos oriendos. * *MS. caducos.*
Æternis flammis natos tradunt trucidandos.
Interea mœſti Cumani deſociati Anno Chriſti MCXIX.
Fœdera deplorant, & plangunt proditionem:
Protinus, * egrediens per rura it ligna ſecare * *MS. aggreſſa periura lingua ſectare.* Confer verſ. 316.
Inſula, præproperatque rates componere ſeptem.
Inſiſtunt cœptis, ſatagunt, implereque temptant.
Cumanam patriam totam delere * minantur. * *MS. juvantur.*

Una

(39) *Abſcondunt* hoc eſt in tuto ponunt cives ſuos debiliores, & pueros amovent, ne quid mali in communi diſcrimine patiantur.

(40) *Tenti* hoc eſt capti, detenti, videlicet Mediolanenſes. Ita Corius, Calchus, & Jovius.

(41) *Cives* Comenſes domum è prælio reverſi.

(42) *Socios* Comenſes.

(43) *Dum quos* (Nempe Comenſes) videt obfirmatos in bello adversùs Mediolanenſes jam cœpto, & ſimul cognoſcit Mediolanenſium vires, quibus erant Comenſibus longè ſuperiores, à Comenſibus deficit Mediolanenſium partes ſecuta.

(44) *Rebelles*, hoc vocabulum deeſt in utroque exemplari, ſed ita ſupplendum carmen poſcebat hiſtoriæ ſeries, quam habemus ex Jovio & Calcho. Inſulani igitur per aliquot viros Bellaſium, Grabedonam, & Menaſium miſſos, eorum locorum incolas à Comenſibus abduxerunt, atque in Mediolanenſium partes adſociarunt.

(45) *Bislatium* hodie Bellaſium vulgò *Bellagio* eſt promontorium amœniſſimum in plures pagos diviſum Como diſtans in Boream 20. milliaria Italica. Bislatium dicebatur, quia hoc promontorio dividitur bifariam lacus, ac velut in duos ramos ſecatur, quorum alter Comum, alter Leucum deducit. Vide Paul. Jovium in Larii deſcriptione.

Grabadona eſt oppidum nobile ac pervetuſtum ad Larii dextrum latus, trium Plebium princeps. Como diſtans 36. milliaria in boream. Hodie Grabedona, vulgò *Gravedona*.

Menaxum hodie Menaſium, vulgò *Menagio*; eſt aliud oppidum nobile ad eandem Larii partem, Como diſtans 24. milliaria. Eſt à tergo Menaſii amœna vallis, quæ Porletiam uſque portenditur, & quodam quaſi commercio Comenſem lacum cum Luganenſi conjungit, ſeptem milliariis Italicis tantùm utrinque terreſtris viæ interpoſitis. Qui locus Porletia ſit, ſuo loco videbimus.

(46) *Sic* Inſulani Mediolanum petunt, & ſua quæque Mediolanenſium eſſe teſtantur, & ſuum illis iniquum conſilium aperiunt, cujus ipſi conſcii ſunt.

(47) *Conſcia* paſſivè ſumptum: nempe mala conſilia, quorum ſua gens conſcia eſt.

(48) *Si vellent* auxilio Inſulanis eſſe.

(49) *Facturos* ſubaudi *ſe*. *Adorant* pro *orant*. Ita ineptus Poeta verborum ſenſum invertit.

(50) *Promittunt* Mediolanenſes ſc Inſulanis daturos frumenta, & milites, & ſupplementum ad naves inſtruendas.

(51) *Dandum* à ſe, hoc eſt ſe daturos abundè commeatum. Poeta noſter ineptus corripit primam.

(52) *Gerendos* hoc eſt ſe geſturos. Ita & ſuperiùs ad verſ. 11.

(53) Intellige de Inſulanis, qui ſe Mediolanenſibus in ſervitutem dedunt.

(54) *Invidiâ ſolâ* hoc eſt ob invidiam tantùm, qua Inſulani Comenſes proſequuntur, Mediolanenſibus ſe ſubjiciunt, & ex livore ſuppliciis æternis ſe damnant.

(55) Conclamant Inſulani, ut Comenſium ſanguis ſuper ipſos ſit, & ſuper eorum filios, atque ita ſe & natos ſuos *oriendos*, hoc eſt orituros æternis flammis addicunt.

Digitized by Google

Una dies Cumis tantùm Jovis esse minantur (56). Anno Christi MCXIX.
Non erit, affirmantque, dies Jovis amplius una.
Quinta dies Jovis * est, referunt, ultra * nisi sola (57). * *In MS. deest particula est.*
Partibus * è multis assistunt undique gentes, * *MS. nixi?*
Quæ replent puppes ex omni parte refertas. * *In MS deest è.*
Convenit, * inque unum populorum turba vocata * *MS. in unum.*
Cogitur, ut properent naves citò scandere gressu.
Occupat incautam (58) sinè bello. Tendit ad urbem.
Navigat ad Lalium (59) navalis turba, * gregatim * *MS. greganti.*
Descendunt. (60) Socios expectat turba pedestris.
Contemplata suas ibi vires Insula tandem
* In tutum venisse, suos hortatur in hostes * *MS. Intentum.*
Bella gerant. Hostes invisos aggrediuntur (61).
Armorum strepitu fugiunt clamore fugaces.
Dividit agminibus portas Orator, * (62) & urbem * *MS. ad urbem.*
Dirigit; observent circum jubet agmina nubum.
* Divisis turbis finem facit ipse loquelis (63). * *MS. Divis.*
Classes ascendit, remos tenet apta juventus.
Transgressus (64) Turnum conspexit navita litus,
Quo fratres distant * insitu litora monstrant. * *MS. à loci situ.*
Est locus in longum (65) porrectus Bregia dictus.
Inde vident Turnum, * velis ardere (66) videbant. * *MS. vallis.*
Conspiciunt equites. Albentia signa patebant.
Insonat armorum strepitus, nec non & equorum.
* Hinnit equus, fremit alter equus: sonat undique clamor. * *MS. Ignit.*
Valles, & montes, cœlles clamore replentur.
Confugiunt omnes (67) rupes & saxa petentes.
Esse putant (68) socios, nec * festinatur, ad illos * *MS. festinantur.*
Descendunt (69) omnes, & litora plana replentur.
Armis instructi procedunt, parte relicta,
Litora cum ratibus pariter tuentur ut ipsi.
Descendendo, malum referunt (70). Sic longius ire
Constituunt, iterum plus tutum stare putabant.
Ad socios gressum convertunt, signa revolvunt.
* De latebris (71) equites pergunt * properanter ad illos, * *MS. De latesis.*
Inclinant hastas: scapulas per pectora fossa * *MS. properantur.*
* Transfodiunt, per * costas pectora. Signa patebant. * *MS. Transfundunt.*
Sanguine signa fluunt: calido de sanguine fumant. * *MS. capsas.*
Ad classes redeunt submersi morte propinqua.

* Subla-

(56) Sperabant Insulani se intra quatuor aut quinque dies Como potituros, & cùm fortasse dominica dies esset: ultra proximum Jovis diem, dicebant, quæ quinta ab hinc est, Comum non erit ampliùs Comum. Proxima quinta dies Comensibus erit ultima.

(57) *Nisi sola*, deest particula *non*. Volebat enim Poeta dicere: *non nisi sola*.

(58) Insulani Comensem urbem nihil tale expectantem bellica classe petunt, arbitrati se illam sinè discrimine occupaturos.

(59) Lalium hodie vulgò *Laglio* est vicus ad Larii Comum decurrentis dextram ripam, Como distans in boream septem milliaria. Eò Insulani aliquot pedestri itinere copias præmiserant, interea dum reliquas copias classe Lalium advehebant.

(60) *Descendunt* Insulani è navibus in litus.

(61) *Aggrediuntur*, hoc est in Comenses invisos hostes, Lalio digressi, proficiscuntur.

(62) Guido Episcopus Comensis de Insulanorum adventu certior factus, nec munus Episcopo indignum ratus ad suæ urbis defensionem evigilare, cùm bellum pro aris esset, officium Ducis implet. Sub Oratoris autem vocabulo Episcopum intelligi vult Poeta noster. Illo enim ævo barbaro id sonabat Orator, quòd homo Deum precari pro bono reipublicæ solitus. Vide Glos. Mod. & Inf. Latin. ad vocem *Orator*. Utitur & alibi hac voce Poeta noster pro Episcopo, ut videbimus ad vers. 1273.

(63) *Loquelis*, nempe sermonibus, quibus animos Civium ad urbis defensionem excitabat.

(64) Insulanorum classis, Turnum transgressa, Comum versùs proficiscebatur, atque Insulani, qui classem ascenderant, cæterarum iter copiarum, quæ Lalio Comum pedestri via tendebant, è navibus observabant, & litus indigitabant, quò eas ire contemplabantur. Pro *fratribus* Poeta noster intelligi vult socios. Est autem Turnum vicus, & promontorium ad Larii lævam Como distans 5. milliaria.

(65) Est quædam planities Como distans duo milliaria in boream, quâ torrens Bregia in Comensem lacum fluit. Hanc planitiem Comensium copiæ occupaverant. Illinc igitur Comenses Turni promontorium à longè prospicientes vident Insulanorum classem adversùs ipsos properantem.

(66) *Ardere*, hoc est clarè apparere inimica vela conspiciebant, & equos classe vectos, & albensia Mediolanensium vexilla cruce purpurea interfecta.

(67) *Omnes* Comensium subditi, qui circa ea loca habitabant.

(68) *Putant* Insulani, qui in classe erant, & videbant Comensium copias ad Bregiæ ostia perveniisse, *putant*, inquam, non eas Comensium gentes esse, sed socios suos, quos Lalio terrestri itinere eò præmiserant, nec opus erat ut nimiùm festinarent, cùm ea planitie suos jam socios potitos esse censerent.

(69) *Descendunt* (appulsa tandem ad Bregiæ litora Insulanorum classe) Insulani è navibus ad Bregiæ ostia, & relicta suorum parte ad navium custodiam, alii Comum iter arripiunt.

(70) *Malum referunt*, hoc est suum secum infortunium trahunt, incerti quid agant, nunc Comum versùs proficiscentes, nunc retrocedentes, nunc obviam sociis terrestri via venientibus ire deliberantes, nunc iterum signa retro vertentes.

(71) Comensium equestres copiæ visa Insulanorum classe ad Bregiam veniente, se intra vicina nemora in insidiis occultaverant. Visis ergo Insulanis ex classe in litus effusis, & quò se verterent insciis, è latebris repentè in eos prosiluerunt.

Digitized by Google

* Sublati nando gladiis, reteguntur ab undis. — Anno Christi MCXIX.
Tutores (72) trepidi defendunt litora donec — * *MS. Sub lances nando gladios.*
Naves solvuntur. Socii de morte levantur.
Conversi fugiunt, repetunt castrum bene tutum (73).
Quos misit lætos, modò suscipit Insula mœstos.
Sicque fit (74) ut letho pueros puellasque daturi,
Mortis in exitium, vix evasere periclum.
Hinc Mediolanenses commoti felle doloris
Omnia mirantur (75) non sic venisse putabant.
In bello quondam referebant esse fugaces
Cumanos cum gente sua, nunc stare (76) nequire,
Illos nec contra modò bellum posse tenere.
Mittunt (77) ad cunctas legatos agmina partes
Ducere, Cremonæ, Papiæ (78) mittere curant.
Cum quibus & veniunt cum Brixia, Pergama (79), totas
Ducere * jussa suas simul & Liguria gentes, — * *In MS. deest* jussa.
Nec non adveniunt Vercellæ, cum quibus Astum (80),
Et Comitissa (81) suum gestando brachio Natum.
Sponte sua tota cum gente Novaria venit.
Aspera (82) cum multis venit & Verona vocata.
Docta suas secum duxit Bononia leges.
Attulit inde suas Ferraria nempe sagittas,
Mantua cum rigidis nimium studiosa sagittis.
Venit & illa simul, quæ Guardastalla (83) vocatur.
Parma suos equites conduxit Carsanienses (84).
Tot sunt ut stellæ, maris * undæ, æquantur & herbis. — * *In MS. deest* undæ.
Ast alia de parte venit cum gente maligna
Insula, perjuros sceleratos ducit ad urbem.
Adveniunt Cumas jam gentes undique * dictæ (85). — * *MS. dictas.*
Urbs Cumana suas acuit fortissima gentes,
Et pedites equites una connumerat omnes,
In bello fortes, veluti cum nata leones
Pignora defendunt, ut nunc sua sic tueantur (86).
Conveniunt urbi de tantis partibus istæ
Gentes. Obsidium componunt agmina, tutum
Oppugnant Vicum (87); circumdant agmina murum.
Acriùs hinc paryam consurgunt in Cluniolam (88).
Turribus insignis consistit * in illa duabus. — * *Nempe* in duabus.
Inde (89) palosque, sudes, jaculos jacit, atque sagittas.
Conspiciunt illi (90) de longè se retegentes.
Unam post unam fundunt quandoque sagittas.
Emittunt voces, segetes arbusta secantes.
Prosiliunt (91) extra, cives illos revocantes.
Ardor non juvenum cessat clamare duellum,
Inter se conferre manus, si quisquis eorum (92)

Esset,

(72) *Tutores*, hoc est illa Insulanorum pars, cui navium tutela commissa erat.
(73) Castrum bene tutum, nempe Insulam, unde venerant.
(74) Sicque fit, ut Insulani, qui ne parcere quidem Comensium pueris, & puellis moliebantur, vix ipsi mortem evaserint.
(75) Hoc est, mirantur omnia longè aliter evenisse, ac sperabant.
(76) Hoc est nunc vident *se nequire stare contra illos*, nec cum illis bello posse contendere.
(77) *Mittunt*, nempe Mediolanensium Proceres nuncios mittunt, & oratores.
(78) *Cremonæ, Papiæ*, hoc est Cremonam, & Papiam.
(79) *Pergama*, hoc est Bergomum, quod & Pergamum apud barbari ævi Scriptores.
(80) *Astum*, sive Asta urbs vetusta, & nobilis Pedemontanæ provinciæ.
(81) *Et Comitissa* Blandrati, cujus nomen ignoramus, licèt Jovius *Romam* vocet, & Ballarinus *Pomam*, qua freti auctoritate, non liquet. Illius quidem filius, puer adhuc, erat Guido Alberti filius, quem plures, quàm annos quinque non habuisse compertum facit illius ætas, qua iterum Comensi excidio interfuit, post annos octo, cùm adhuc puerum fuisse, vel tunc Poeta noster, Jovius, Calchus, & Corius fateantur. Vide quæ nos adnotabimus ad vers. 1832.
(82) *Aspera* Verona vel ob montes ad quorum radices posita, vel ob Civium suorum belligerum genium.
(83) *Guardastalla*, olim etiam Guardastallum, & Vastalla, hodie *Guastalla*. Oppidum nobile Galliæ Cisalpinæ ad Crustulum amnem situm.
(84) *Carsanienses* Caferonianæ provinciæ incolæ. Est autem Caferoniana provincia, vulgò *Grafagnana* Parmensi provinciæ attigua, ultra Appenninum ad mare Ligusticum sita. Hodie pertinet ad Mutinensem Ducatum, cui simul attigua est.
(85) *Jam dictas undique gentes*. Ita utrumque exemplar, cùm deberet scribi *jam dictæ undique gentes*, si grammaticæ præcepta servaret Poeta noster.
(86 *Ut nunc sua sic tueantur* hoc est, ut & Comenses leonum more suam patriam tueantur.
(87) *Vicus* est suburbium ab occidentali Comensis urbis parte juxta Larii litus protensum, vulgo *Borgo di Vico*. Erat ibi tunc temporis arx munitissima, de qua sæpè sermo.
(88) *Cluniolam*. Cluniola, olim Coloniola, nunc *Borgo di S. Agostino*, est aliud Comensis urbis suburbium à borea positum, ita ut Vicus & Cluniola exhibeant duas cancri branchias, cum ipsa Comensis urbs cancri corpus referat, & tertium suburbium aliud vulgo *Borgo di Porta Torre* cancrinam caudam, unde urbi Novocomensi *cancrinæ urbis* epitheton datum ferunt.
(89) *Inde* hoc est à Cluniolæ turribus Comenses jaciebant palos, sudes, *jaculos*, hoc est *jacula*.
(90) *Illi* Mediolanenses.
(91) *Prosiliunt* è turribus Comenses hostem suum ad pugnam revocantes, hoc est provocantes.
(92) Hoc est, si quis Mediolanensium &c.

Digitized by Google

Eſſet, ut ad bellum vellet certare duorum. — Anno Chriſti MCXIX.
Nec * quiſquam venit, qui decertaret in armis, — * *MS. quiſque.*
Solus cum ſolo (93) vellet certare duello.
Navigat ad litus, non audet & Inſula ſtare (94).
Eſſe Deos rectos, laqueos & ubique paratos
Credit, in adverſam ſe * certa (95) evolvere foſſam. — * *MS. certam.*
Applicat à longè. Ramos devaſtat olivæ.
Huc fugit, inde redit; ſpargit tamen * uſque ſagittas. — * *MS. uterque.*
Solis equi lapſi cupiunt recreare ſub undis
Membra peruſta diu; merguntur in æquore feſſi.
Volvuntur ſubitò, qui dant ſua corpora ſompno.
Sic homines feſſi, citò ſunt ad caſtra reverſi.
Altera lux egreſſa viros ad bella reduxit.
Signa tenent acies; in aperto prœlia campo
Committunt gladiis, jaculis, & cominus haſtis.
Inter ſe fractis gladiis (96), geriturque ſagittis.
Inter condenſas acies conſpexit * Araldum (97) — * *MS. Arnardum.*
De tenebris, Judex Albertus provocat * enſe. — * *MS. eſſe.*
* Concurrunt, haſtas tendunt, & ſe ferientes, — * *MS. Convertunt.*
Callidus Albertus telum vibravit acutum,
Ad terras illum jecit cum pectore * foſſo. — * *MS. feſſo.*
Conclamant heu! heu! geminant clamoribus omnes,
Complentur montes, * geminant has ſaxaque voces. — * *MS. ſaxaque voces geminent.*
Prœlia linquuntur, ſua demum caſtra reviſunt.
Mittunt, qui referant infectum ſanguine corpus,
Ædes ad proprias, ut cognoſcantur (98) amicis.
Caſtraque tolluntur, redeunt, (99) urbemque reviſunt.
Aſt aliud ponunt (100) Auguſti menſe futurum
Bellum. Per multas conſcribunt agmina partes.
Auguſti medio præco denunciat eſſe (1).
Aſt alia de parte viros Cumani mittere notos
Non ceſſant, urbem veniant ſuccurrere, gentem
Atque ſuam poſcant Auguſti menſe vocato.
Interea foſſas renovant, (2) & robore portas
Firmant, obicibus murum, valloque recingunt.
Expectant (3) bellum * promiſſum ſic redituruni. — * *MS. permiſſum.*
Advenit ecce dies; promiſſum tempus in unum — Anno Chriſti MCXX.
Congregat à tantis diverſis partibus omnes.
Conveniunt populi diſtantes atque propinqui.
Plus ſunt quàm ſtellæ, plus ſunt quàm ſint maris algæ.
Fluctibus atque poli ſtellis referuntur (4) arenis.
Incendunt villas parvas, humileſque caſellas,
Vites, & ſegetes, & pinguia culta ruentes.
Omnia vertuntur, pedibus calcata teruntur.
Nox venit, & veniunt (5) fugientia luce. * Quieſcunt. — * *MS. quæ ſunt.*
Lux redit, & denſæ fugiunt à luce tenebræ.
Ad funeſta ruunt, mortalia bella repoſcunt,
Prœlia committunt, * furit utraque ſæva juventus. — * *MS. fuerit utramque.*
Acriter inſurgunt. Ferit hoſtis cominus hoſtem.
Inter ſe ſtridet mucro mucrone coruſco.
Peſque pedem, manus atque manum depellit, atrocè (6)
Confligunt clypeis, reſtantes (7) acriter omnes,
Et modò cedebant ſimul, & modò retro coibant.
Tergaque ſubmittunt, attollunt, & modò mittunt. (8)
Corpora multorum ſternuntur * utrinque virorum. — * *MS. uterque.*
Prataque ſanguineis tinguntur undique rivis.

Jam-

(93) *Solus cum ſolo*, deeſt particula *&*, hoc eſt *& ſolus cum ſolo vellet &c.*
(94) Inſulani ſuis navigiis ad Comi litus appellunt, at conſcii Deos eſſe juſtos, à longe ſtant omnia metuentes, & laqueis incurrere veriti, foveas timent, in quas ſe lapſuros certò ſciunt.
(95) *Certa*, non *certam*, ſcribi vult rectus ordo verborum.
(96) Fractiſque gladiis prœlium geritur ſagittis, cum potiùs à ſagittis ad gladios tranſitus fiat.
(97) Hunc Araldum Jovius Mediolanenſem facit, Albertum verò Novocomenſem, ſed, ut opinor, hallucinatur. Niſi forteſſe ly *Judex* ſit nomen dignitatis, non cognomentum familiæ. Familia enim de Judicibus inter patritias Mediolanenſes recenſetur, non inter Novocomenſes. Corius falsò Araldum *Caliganum* vocat, & fallitur ſcribens Albertum ab Araldo interfectum, cùm potiùs Araldus ab Alberto interfectus fuerit. Corio in hoc aſſentimur, quòd Araldus Comenſis eſſet, Mediolanenſis Albertus.
(98) *Ut cognoſcantur amicis*, hoc eſt, ut per hoc pium officium ſe amicorum ſuorum Manibus gratos oſtendant.
(99) *Redeunt* Mediolanum.
(100) *Ponunt*, hoc eſt diſponunt, *futurum*, hoc eſt gerendum.
(1) Per præconem Mediolanenſes indicunt bellum proximo Auguſti menſe inſtaurandum.
(2) Comenſes &c.
(3) *Expectant* hoſtes ſuos ad bellum redituros promiſſo tempore.
(4) *Referuntur*, hoc eſt æquantur undis, ſtellis, & arenis.
(5) *Veniunt fugientia luce*. Hoc eſt apparent ſtellæ, quæ die evaneſcunt.
(6) *Atrocè* pro atrociter.
(7) *Reſtantes* hoc eſt reſiſtentes, obſiſtentes &c.
(8) *Mittunt*, hoc eſt iterum ſubmittunt.

Digitized by Google

Anno Domini MCXX.

Jamque diu ſteterat partem pars altera contra.
Impiger interea circumvolat ecce Girardus,
Divitiis locuplex, quem nunc Modoëtia miſit.
Conſpicit Arnaldum, quem gens Cumana Calignum
Convocat, armatum telis, valdeque nitentem
* Urget equum, ferit Arnaldum cum cuſpide dira. — * *MS. niger.*
Fugit eam (9), clypeo mox haſtæ truncus adhæſit,
Et ſimul (10) Arnaldi ſuſcepit cuſpidis ictum,
Tranſigit adverſo * jam duraque pectora ferro. — * *In MS. deeſt* jam.
Sanguine fœdatam pulſat cum vertice terram,
Et moriens virides carpebat dentibus herbas.
Ut rapiant ſocium * currunt de cæde ſodales, — * *MS. concurrunt.*
Aſt alii campum nimium retinere laborant.
Clamor & armorum ſtrepitus datur inſimul. Omnes
Conveniunt iterum, mœſti de morte recedunt.
Interea juvenis (11) vita ſpoliatur, & armis.
Inter utrumque * latus vulſis à pectore coſtis. — * *MS. jacet.*
* Diſcedunt campo Girardum ſæpe vocando, — * *MS. Deſcendunt.*
Ingeminant iterum ſemper clamando Girardum.
Mittunt qui referant * triſtes ad caſtra cadaver. — * *MS. triſtum.*
Caſtraque tolluntur, redeunt ad mœnia mœſti, (12)
Dum ponunt (13) bellum Majo de menſe futurum.
Aſt Cumanorum fervor, * gemituque (14) dolorum — * *MS. gemituſque.*
Inſula non dormit. Fierent ut eorum naves, (15)
Protinus aggreſſi ſilvas incidere ligna,
Componunt (16) duodenas ſtemmate, & ordine, naves,
Signat (17) Apoſtolicus numerus, & ſtemma beatas.
Sed numero naves compleatur jam duodeno.
Guido (18) pius naves benedixit Epiſcopus iſtas.
Ærea ſigna tonant, & cornua, ſigna tubarum
Urbem replebant, * media de nocte ſonabant. — * *MS. à media nocte.*
Acriùs aſſurgit campo Cumana juventus.
Ad claſſes tendunt, remos capiunt, inimicum
Caſtrum dimittunt (19); neſcit ſed Inſula factum.
Naves appulerant, captum * Tremeſumque tenebant. (20) — * *MS. Tremenſumque.*
Præda fuit cunctis ardens locus ille ſuperbus.
Obſtantes truncant, vivos captoſque tenebant.
Præda nitens humeros onerat diffuſa carinis. (21)
Puppes aſcendunt amplis ſpoliis onerati.
Bella peracta crepuſcula luce fugata relinquunt, (22)
Inſignemq; novam retrahunt (23) navem * inde Tremenſem — * *In MS. deeſt* inde.
Illorum clypeis, telis, gladiiſque refertam.
Dumque ſimul tendunt pariter loca nota (24) relinquunt.
Fluctibus in mediis in puppibus Inſula ſtabat, (25)
Hinc iter incœptum ſperans illis fore demptum.
Prœlia committunt. * Illi (26) pro viribus obſunt. — * *MS. Illis.*
Ecce venit ratis, (27) eſt quæ velociſſima cunctis.
Verſat aquas deducta cavas juvenumque (28) lacertis,
Aſpicit inſignem noſtris de * puppibus unam, — * *MS. populis.*
Quam ferit, * at roſtrum (29) duro pro tegmine tentum, — * *In MS. deeſt* at.
Et renovata diu ſtatim perit * acta (30) ſub undis. — * *MS. jacta.*

Omnes

(9) Arnaldus Calignus Comenſis evitat clypeo ictum, quo eum Girardus Modoetienſis ferire meditabatur, & ſimul Girardi pectus lancea trajicit.
(10) *Et ſimul* Girardus ictum lanceæ ab Arnaldo incuſſæ pectore ſuſcepit.
(11) *Juvenis* Girardus.
(12) Mœſti Mediolanenſes Mediolanum redeunt.
(13) *Ponunt*, hoc eſt diſponunt; *futurum*, hoc eſt proximo menſe Majo reſumendum.
(14) Sicuti Comenſium ſolicitudo non ſinit ipſos dormire, ita nec ſuus dolor ac gemitus Inſulanos quieſcere patitur.
(15) *Eorum naves*, hoc eſt Comenſium, & Inſulanorum, de utriſque enim Poeta loquitur.
(16) De ſolis Comenſibus hoc videtur intelligendum. Compingunt autem duodecim naves ordine ſuo, & ſuis inſignibus diſtinctas.
(17) Apoſtolorum videlicet numerus, & ſui cuique Apoſtoli effigies impreſſa eas *beat*, & ſacrat.
(18) *Guido* Epiſcopus.
(19) Hoc eſt prætereunt, & ſeorſim relinquunt, neque Inſulani ſciunt, quò Comenſes tendant, & quid meditentur.
(20) Comenſium naves Tremenſum appulerant, & locum jam occupaverant. *Tremenſum* hodie Tremetium, vulgò *Tremezzo*, eſt promontorium amœniſſimum ad Larii Comum decurrentis ripam dexteram, pluribus pagis exultum, quorum ille, qui ſitus ad Larii litus eſt, Tremetii nomen ſervat, quaſi intra medium lacum poſitum, diſtat enim viginti milliaria Como, ac totidem à Larii capite, ubi Abdua fluvius in lacum exoneratur.
(21) *Diffuſa carinis*, hoc eſt navibus ingeſta.
(22) Nocte locum Comenſes occupaverant. Fugata die crepuſcula, *bella relinquunt*, hoc eſt bello finem imponunt. *Fugata crepuſc.* in caſu recto: *bella* in quarto caſu.
(23) *Retrahunt*, hoc eſt abducunt illinc, Comum redeuntes, captam Tremetienſium navem hoſtium ſpoliis onuſtam.
(24) *Loca nota* prætereunt, & ſeorſim relinquunt, ubi ſuos hoſtes degere animadvertunt.
(25) Inſulani Comenſium naves intercepturi, medio lacu conſederant.
(26) *Illi*, nimirum Comenſes.
(27) *Ratis* Inſulanorum, omnium velociſſima.
(28) Particula *que* transferenda eſt in principium carminis, ut conſtet ordo verborum.
(29) *At roſtrum* navis hoſtilis incuſſum noſtræ, reſiliit, retuſum noſtræ duritie, & cùm navis hoſtilis uſu continuo trita, & ſenio confecta, ſæpiùs refecta eſſet, fracta ſubmerſa eſt.
(30) *Acta*, hoc eſt hauſta.

Digitized by Google

Omnes merguntur, ſub aquiſque natando tenentur. (31) — Anno Chriſti MCXX.
Venit ad occurſum citò navis Bellaſienſis. (32)
Dum cupit illa ſuis ſuccurrere, capta tenetur,
Et trahitur religata retro: religantur in uno. (33)
Sic tribus ablatis ratibus manet Inſula triſtis.
Dum redeunt, lætos ducunt ex hoſte triumphos.
Navibus & ſpoliis, armis, redeunt onerati.
Civibus à lætis, & Præſule ſuſcipiuntur.
Exornant læti feſtis altaria ſertis,
Poſt renovatur iter * trina jam luce peracta, — * *MS. peracta jam trinaque luce.*
Bellaque mœſtorum repetunt (34) jam inimicorum,
Gentes, atque locum Lezenum nimium locupletem,
Quæ loca noſtrarum ditiſſima divitiarum.
Conſcendunt montes, rapiuntque oveſque boveſque,
Et ſpoliant villas, prædiſque caſas opulentas,
Inde ſuas naves urbi ducunt oneratas.
Lux tranſacta * bis eſt, redeunt (35) cùm tertia fulxit. — * *MS. dies.*
Conſpiciunt cunctas naves ad bella paratas
Ad terram * tentas, vinctas, domibus religatas. — * *MS. tectas.*
Conantur remis, & viribus inſimul omnes
Illorum * fregiſſe rates in litore ſtantes. — * *MS. frangere.*
* Conjunctis clypeis venientia ſaxa repellunt, — * *Fortaſſe* Convinctis.
Tædas (36) ardentes incendia ſæva ferentes,
Et ſubeunt fortes facta teſtudine turres.
* Unglis (37) porrectis retrahunt de litore naves. — * *MS. Nuglis.*
Flent miſeri tantas * ſeſe amiſiſſe carinas, — * *MS. ſic.*
Nullaque de tantis illis niſi fracta remanſit.
Litora tranſductæ ſunt ad Cumana carinæ.
Inſula mœſta parum poſt tempus ſuſcipit illos (38)
Non æſtimatos, citò * quòd (39) fuerint redituri. — * *In MS. deeſt* quod.
* Jam centum (40) venere rates, ſimul omnes unum — * *Incentum.*
Conſilium tractant, ſimul intrandi loca quærunt,
Quamque viam teneant. Puppis pro parte relicta (41)
Caſibus ad litus, deſcendunt, litora ſcandunt,
Invadunt hoſtes *. Illi (42) prope litora ſtantes. — * *MS. Illic.*
Fluctibus adſtantes perſtringunt cominus enſes,
In quibus it medius Beltramus civis (43) honeſtus,
Sternens, atque furens animoſi more leonis.
Heu cadit adverſo tranſjectus pectora telo.
Sanguine perfuſus retro tamen eſt citò tractus.
Pugna fit in Campo ante rates, & fit citò maxima cædes.
Dum ſic certantes (44) læti modò ſic, & ovantes,
Ex improviſo circumſtant agmina retro
Egreſſi puppes, adverſa parte ruentes.
Exitium nituntur tunc evadere mortis (45).
Corpora * viginti prope detruncata jacebant. — * *MS. ingenti*, ſed Jovius legebat *viginti*.
Armis abjectis ſtatim fugit altera puppis (46).
Civibus invectis prædæ loca cuncta fuere,
Expoliant, mactant, incendunt, omnia vaſtant,
Effodiunt muros, jaciunt in fluctibus * agros, — * *Fortaſſe* ægros.
Incidunt vites, & olivas fructificantes.
Ligna trahunt extra muros, & * tecta ferentes (47) — * *MS. tacta.*
Apportant ratibus, nec non & multa ferentes.

Pars

(31) *Tenentur*, hoc eſt capiuntur.
(32) *Bellaſienſis*, hoc eſt Bellaſio in ſubſidium Inſulanorum miſſa.
(33) Naves à Comenſibus captæ, nempe Tremetienſis, Inſulana, & Bellaſienſis ligantur unâ.
(34) Redeunt Comenſes ad bellum ſuis hoſtibus inferendum, nempe adversùs locum Lezzeni, ejuſque gentes, earumque armenta per montes illos errantia comprehendunt. Lezzenum eſt trium pagorum ſub hoc nomine collectio, qui ad Larii lævam ſiti ſunt ex adverſo Inſulæ litore. Como diſtant 15. aut 16. milliaria in boream. Falluntur Corius & Calcus, qui *Lucinum* hunc locum vocant, cùm Lucinum ad lacum non ſit, ſed in planitie ſitum ad Comenſis urbis hybernum occidentem.
(35) *Redeunt* triduo poſt Comenſes ad Inſulam, nempe Campum Inſulæ ſuburbium.
(36) Et repellunt ardentes tædas, quas Campi incolæ in Comenſes jaciebant.
(37) *Unglis* pro *ungulis*, ſive uncis.
(38) *Suſcipit illos*, hoc eſt iterum videt Comenſem claſſem ad ſe redeuntem.
(39) *Citò quòd*, hoc eſt quòd tam citò.
(40) Centum navibus Comenſes ad Inſulam acceſſerunt.
(41) Seorſim relicta eſt ad litus pro quocunque eventu.
(42) *Illi*, nempe Inſulani. Neque verò ad Inſulam ipſam Comenſes acceſſerunt, ſed ad vicinum Inſulæ vicum in continenti poſitum, cui nomen *Campum* hodie *Campo*, qui locus & Inſula ſimul appellatur, quamvis Inſula vera non ſit, duo ſtadia ab ea diſſitus.
(43) Beltramus Comenſis civis.
(44) *Dum ſic certantes*. Corrige: *Dum ſic decertant* Inſulani victoriæ penè certi, altera Comenſium pars, quæ ſeorſim relicta fuerat cum navi ſepoſita, navi egreſſa, Inſulanos ad litora dimicantes circumveniens, eos à tergo occupat.
(45) Nituntur Inſulani mortem fuga evitare.
(46) *Altera puppis* Inſulanorum. Non quia alia priùs navis fugam arripuerit; ſed quia altera Inſulanorum pars, quæ necem evaſerat, navem conſcendens ad Inſulam fugit.
(47) *Et tecta ferentes*, hoc eſt ferentes, quidquid ad tecti compagem ſervit, trabes, tabulas, clavos, &c.

Digitized by Google

Anno Christi MCXX.

Pars restat (48) vici, * quæ sicut structa remansit
Montibus & saxis, sic tunc invicta remansit.
Altera pars confecta * rogis attrita remansit.
Altera, post triduum (49) redeunt, lux bella requirit.
Bislatium repetunt, oppugnant mœnia * vici.
Volvuntur primo restantes limite vallo (50).
Turbati fugiunt ad tuti mœnia castri.
Interea vicus rebus spoliatur * & armis.
Deprædant villasque bovesque, * & oves rapiuntur.
Ad classes redeunt humeros prædis onerati.
Puppibus ingressi, patriam sunt inde reversi.
Postque dies iterum paucos ad bella recurrunt, (51)
Naves ascendunt, loca nando plura recurrunt,
Transque natant pelagum (52), * venerunt usque Liernum,
Oppugnant castrum * properanter ab hoste relictum.
Saxa petunt (53), & se latebris caveisque teguntur.
Alta stat in medio turris circumdata castro,
Cui caput ex lauro (54) contexerat alta corona,
Quæ fuerat completa viris nebulosa superbis (55).
Turpia jactantes nimium, nam verba ferentes (56),
Dum sic jactantes, dum talia verba loquuntur,
Desuper à tectis illos * injecta (57) cremavit
Flamma, ruit citò lapsa superbia, plana * resedit (58).
Funibus innexis dilabitur unus, & * alter,
Per portasque Lierni defluit unda Falerni.
Sparsa lacum faciunt refluentia vina retrorsum.
Flent lugubres miseri tam tristia dampna coloni.
Rebus * in extremi (59) funduntur vina * meroris.
Vana laborati (60) siccantur dampna * Lyæi.
At domi lætantes redeunt (61) satis ampla ferentes.
Inde domi lætos ducunt ex hoste triumphos.
Postquam securique solum natale tenebant,
Tractant consilium, quò tendant, & quid agendum.
Est iter inventum (62), cunctis placet hoc ad agendum.
Est locus * impulsas saxo positus super undas,
Qui locus incultis saxis relevatus & * undis,
His super impositum turris munimine castrum,
Per nostram linguam quondam clamata Capellam. (63)
Est iter arreptum, (64) tempus de nocte silentum.
Dum fuit * huc ventum, circumdant agmina castrum.
Oppugnant murum, scalas ad mœnia ponunt.
Scandunt, atque intrant, * quoscumq; (65) resistere, mactant,
Inveniunt. Turrim fodiunt, cum culmine sternunt.
Insula mœsta viros mittit defendere muros,
Ne * ruat, ut faciant (66), mandat succurrere turrim;
Quos procul ut cernunt venientes, arma capescunt (67),
Statim cunctorum spoliata * turre bonorum,
Classes conscendunt, * & contra pergere surgunt.

* *MS. tunc sic intacta remansit.*
* *MS. regit.*
* *MS. vicit.*
* *MS. in armis.*
* *MS. oveſque.*
* *MS. venitur.*
* *MS. properantur.*
* *MS. adjecta.*
* *MS. refendit.*
* *MS. alius.*
* *MS. in extinctis.*
* *hoc eſt mœroris.*
* *MS. Lierni.*
* *MS. impulſis.*
* *MS. aquis.*
* *MS. inventum.*
* *MS. quoſque.*
* *MS. ruant.*
* *MS. terra.*
* *In MS. deeſt &.*

Et

(48) Comensibus intacta, nempe illa pars Campi, quæ supra collem vicinum sitâ securiòr erat à Comensium accessu. Est autem Campo adnexus è vivo saxo arduus collis, & præceps, qui longo tractu in lacum procurrit duo stadia supra Insulam, qui quasi peninsulam format, vulgò dictus *Dosso delle laudi*, à Paulo Jovio dictus Lanacium. Qui de Insula, & Larii descriptione plura desiderat, eundem Paulum Jovium consulat in Larii descriptione.

(49) Hoc est, iterum triduo post Comenses redeunt ad eosdem Larii partes, & secuta post dies iterum Comenses ad bellum vocat.

(50) Bellasienses, qui primo in limite Comensibus obstiterunt, victi, præcipites in vallum evoluti sunt.

(51) *Recurrunt*, hoc est redeunt Comenses ad devastanda Insulanis amica loca.

(52) *Transque natant pelagum* hoc est, lacum trajiciunt supra Bellasium, & Liernum petunt, quod in altera parte lacus Leucum ducente situ erat. Est enim Liernum pagus ad lævam Larii Leucum decurrentis, in Diœcesi Mediolanensi.

(53) *Saxa petunt*, Liernenses ad montem diffugiunt.

(54) Liernenses ibi venalis vini tabernam aperuerant (quam & hodie ibi apertam habent) ac pro indicio turrim lauro coronaverant.

(55) In hac se turri concluserant aliquot Liernenses, qui vino temulenti Comenses cives conviciis onerabant.

(56) Verbis enim, non factis, se præliari ostendebant.

(57) *Injecta* à Comensibus.

(58) Hoc est, detumuit, subaudi particulam *&*.

(59) Hoc est in rebus extremi mœroris vina effunduntur.

(60) Mendosum carmen, nisi fortè dicat, siccatis vini doliolis, siccari etiam, hoc est subtrahi Liernensibus ebrietatis occasionem, quæ ipsis damno est.

(61) *Redeunt* Comenses ad patrium litus ampla secum spolia deferentes.

(62) *Est iter inventum*, hoc est jamque Comenses, quò tendant, constituunt.

(63) *Clamatâ Capellam*, hoc est quondam Capella dictum. Describitur hìc locus, ubi castrum antiquitus cum turri, hodie vulgò dictus la *Cavagnola*, ubi adhuc supereſt Ædicula antiqua, unde nomen Capellæ olim desumpserat. Ad lævam Larii Comum decurrentis, atque in prominenti montis angulo situm erat hoc castrum Como distans duodecim milliaria.

(64) Noctu Cives Comenses iter illò arripuerant.

(65) Ordo verborum est: mactant, quoscumque sibi resistere inveniunt.

(66) *Ne ruat ut faciant*, hoc est ut faciant, & impediant, ne castrum ruat.

(67) *Arma capescunt Comenses*. *Capescunt* prò capessunt. Poeta noster usurpat, ut sem per

Digitized by Google

Anno Christi MCXX.

Et placet intereà veloces mittere naves
Binas. * Alliciant (68) simulando fugam fugiendo
Post se; * ut si nequeunt restare, trahant simulando.
Hæc mandata ferunt. * A litore denique puppes
Incedunt pariter comitum mandata ferentes,
Inde vident hostes ad se valdè properantes.
Qui, percontati (69) quæ sunt, parum memorati,
Adveniunt (70) juxta, jactantes turpia verba:
Hic spectare famis vinclis (71) nimium cruciati:
* Noscite, quid valeant ultrices gentis amœnæ (72)
Dexteræ, * & oppositis tandem decernite telis.
Talia dum dicunt, nostri remos citò * stringunt,
Inde fugam faciunt, socios simulando reposcunt (73),
Dum fugiunt isti, præstant (74) fugientibus illi.
Cùm prope sunt litus, fuerant in litore nostri.
Prosiliunt puppes latebris de montis (75) operti.
Conversæ fugiunt * illæ, nostræque sequuntur.
Post illos classes (76) pergunt communiter omnes,
Dumque fugam nimiam noscunt (77) pro tempore longo,
Quæ gravior fuerat * tabulis in tegmine puppis
Est, nimia defessa fuga, retro remorata,
Atque suum tempus supremum noscit adesse.
* Unglis porrectis sibi jam fore capta tenetur.
Applicat ad scopulos (78) Varenæ litora mœstos,
Suspiciunt, (79) voces emittunt insimul omnes
Auxilium, flentes, homines terræque rogantes,
Auxilium miserisque ferant, & se tueantur.
Adveniunt homines à summis montibus omnes
Rupibus & scopulis * ingentia saxa ruentes,
Naves, & montes, & * litus, seque tuentes.
Inde fugam (80) levior tenet altera callida puppis.
Remos deducunt Crastina, Alberga (81), sequuntur:
Hæ geminæ validæque rates sic sunt vocitatæ.
Imminet ante, viam Crastinaque (82) clausit; * euntem
* Impulit ad litus. Tremefacti (83) litora linquunt,
Atque diu clamant, & * numina montis adorant.
Solvitur inde citò, trahitur de litore puppis.
Ad socios redeunt, secum navemque reducunt.
Inveniunt socios saxis * à monte repulsos
Infesto fessos longè * contendere Marte.
Tum subeunt * saxo firma testudine facta,
Et poscunt (84) flammas; satagunt componere tædas,
Componuntque struem sub fundo, subtus & ignem (85),
Accendunt navem * pix atque resina fluentem.
Partibus extremis comburitur atque * supremis,
Pars combusta rogis, pars incombusta remansit.
Alta petunt (86) homines prærupti culmina montis.
Flammâ collapsâ (87) ratis est ibi sola relicta.

* *MS. allectant.*
* *In MS. deest* ut.
* *MS. Allectare.*
* *MS. Noscere.*
* *MS. positis.*
* *MS. fingunt*, fortè *tingunt*.
* *MS. fugerantque nunc-que sequuntur.*
* *MS. tabellis.*
* *MS. Nuglis.*
* *MS. vigentia.*
* *MS. latius.*
* *MS. emittu:*
* *MS. Impellit.*
* *MS. minima.*
* *In alio MS. à nave.*
* *MS. concedere Marti.*
* *MS. bello firma testudine saxo.*
* *MS. pixque, resina.*
* *MS. supinis.*

De-

(68) Quæ alliciant post se hostes fugam simulando, ut si armis contendere vereantur, illos, fugiendo, in insidias trahant.

(69) Qui Insulani patum memores malorum, quæ sibi indurerunt. Percontor idem significat, ac *conto fundum stagni investigare*. Hîc sumitur pro investigare, inquirere, tentare.

(70) *Adveniunt juxta* Comensium naves, easque conviciis insectantes inquiunt: Hìc &c.

(71) Plebeja metaphora, quasi fames quibusdam funibus jejuna membra constringat.

(72) *Gentis amœnæ*, nempe generosæ, atque ingenuæ. Utitur & alibi hoc vocabulo sub hoc sensu Poeta noster incultus.

(73) *Reposcunt*, hoc est post se vocant.

(74) *Præstant*, hoc est instant, priùs enim Comenses ad litus pervenerunt, quàm Insulani.

(75) Hoc est de latebris operti montis prosiliunt in hostem cæteræ Comensium naves in insidiis positæ.

(76) *Classes*, hoc est *naves*. Classem pro unica nave usurpat, & alibi rudis Auctor. Servius tamen ad lib. VI. Æn. hanc vocem excusat.

(77) *Noscunt* fugientes Insulani.

(78) Mœstos inquit Poeta, quia Varenenses Insulanorum socii non poterant è sociorum infortunio non mœrere. Navis ergo Insulanorum, quæ cæteris gravior fuerat, à Comensium navibus vetita alias Insulam versùs sequi, fugit ad Varenæ usque litora, à Capella tredecim aut quatuordecim milliaria dissita, Comensium classe fugientem sequente. Varena est oppidum ad lævam lacus Leucum decurrentis è regione Bellasii. Como distat 22. milliaria in Boream. Qui de hoc oppido plura scitu digna desiderat Paulum Jovium consulat in Larii descriptione.

(79) *Suspiciunt* Insulani; Varena enim in alto posita erat.

(80) E Varenæ portu una Varenensium navis effugit, ne in Comensium manus incideret.

(81) Ita vocabantur duæ Comensium naves Varenensem insecutæ. Ben. Jovius Christinam alteram earum vocat, non Crastinam.

(82) Crastina velocior, fugienti præiens viam intercluſit, & coegit litus arripere.

(83) *Tremefacti* Varenenses, qui ad litus appulerant, navem relinquunt, ac diffugiunt. Comenses captam navem abducunt, & ad socios, qui sub Varenæ scopulis dimicabant, regrediuntur.

(84) *Et poscunt* sibi faces accensas dari, quibus Insulanorum navigium, de quo supra, comburant.

(85) *Subtus & ignem* applicant.

(86) *Alta petunt* relicta nave Insulani.

(87) *Flammâ collapsâ*, hoc est flammâ injectâ, fugatisque nautis, sola præsidio vacua relicta est navis.

Digitized by Google

Deducunt (88) uſtam media de rupe carinam, Anno Chriſti MCXX.
A ſcopulo fixam diſſolvunt ante catenam.
Hoſtibus à mœſtis redeunt feliciter omnes
Cumas, & * vitæ ſe reddunt atque ſaluti. * *MS. vici ſe redeunt.*
Suſcipiunt illos Cives juveneſque, ſeneſque, Anno Chriſti MCXXI.
Expectant (89) belli promiſſum menſe futuri
Majo de medio. Tempus properavit adeſſe.
Dum tempus ſpectant, * ſecum dum multa retractant (90), * *MS. ſecundum.*
Nobile conſilium ſtatim fuit ecce repertum.
Variſium (91) de nocte petunt. Fera bella Quiritum.
Invadunt equites (92) ſubito * ſtrepitum facientes * *MS. ſtrepito.*
Variſium, trepidi coguntur ſurgere nudi.
Arma tenent alii, fugiunt, aut arma capeſcunt
Viribus, ut poſſunt, illis (93) tamen uſque reſiſtunt.
* Obſiſtunt pugnæ, verùm pugnatur inanè: * *MS. Obſiſtens.*
Stare diu nequeunt, nam pugnando capiuntur.
* Præda nitens numeris omnes (94) onerat, * ſed inermes * *MS. Prædam.*
Quadrupedes referunt ea quæ ſpecioſa videntur. * *In MS. deeſt* ſed.
Sic prædæ totus datus eſt locus ille ſuperbus.
Deducunt captos manibus poſt terga ligatos
Cumas, & * viſi læti ſunt inde reverſi. * *MS. vici.*
Dumque diu (95) verſant, * inter ſe plura retractant, * *MS. in*
Conſilium vertunt, illis loca plura recurrunt.
Egreſſi repetunt Binagum, atque Vedanum,
Quæ loca magnarum ditiſſima divitiarum.
Hæc inter ſe juncta ſimul ſunt fœdere ſacro.
Binagum bello temptant, ſed pugna fit extra (96)
Ante fores, hoſtes adverſa parte ruentes
Sternunt, & longè magna virtute repellunt.
Hîc cadit Araldus (97) dictus panis Sigilinus,
Nobilis in Vico, famoſus, * vir generoſus. * *MS. vel.*
Invadunt hoſtes (98) * & amici morte dolentes * *In alt. MS. deeſt partic. &.*
Acriùs aſſurgunt, fugiendo confunduntur (99)
Hoſtes, in vallo confuſi ſunt moriendo,
Atque tenent ſolum, dimittunt omnia, caſtrum (100),
Vix * intra muros exhauſta penè ſalute, * *In alt. MS. extra.*
Sicque locum * tandem prædæque rogoque relinquunt. * *MS. tamen.*
Mittit ad occurſum pedites equiteſque Vedanum (1),
Qui prope dum fuerant, ardere vident prope caſtrum,
Quod * factum fuerat fumus declarat, & ignis (2). * *MS. fractum.*
Eſſe dolos rati (3), modicumque ibi ſunt remorati.
Tunc fuerant noſtri latebris equites adoperti.
Dum dubitare vident (4), * & retro * cedere vellent, * *In MS. deeſt partic. &.*
De latebris equites illos repetunt (5) trepidantes, * *MS. credere.*
Dumque fugam capiunt, circumfuſi capiuntur.
Ducuntur Cumas, alias ducunt (6) retro turbas,
Prædas magnarum conducunt divitiarum.
Inde parum tempus (7) repetunt rigidi loca * Dreci, * *MS. Doeci.*

Qui

(88) *Deducunt* Comenſes uſtam navem.
(89) *Expectant* promiſſum bellum medio menſe Majo inſtaurandum.
(90) *Retractant*, hoc eſt diu, atque iterum tractant.
(91) Variſium eſt oppidum nobile atque opulentum in agro Mediolanenſi, diſtans Como in Occidentem 14. milliaria Italica. *Fera bella Quiritum*, hoc eſt talia Romani bella ſuſcipiebant.
(92) *Equites* Comenſes invadunt Variſium.
(93) *Illis* Comenſibus.
(94) *Omnes* Comenſes. Sed æquis imponuntur ſpolia pretioſiora & pulchriora.
(95) *Dumque diu* inter ſe Comenſes differunt, & ſæpe cõſilium mutant circa ea loca, quò ferri debent, egreſſi Como Binagum & Vedanũ petunt. Vedanum Como diſtat in Occidentem 9. milliaria. Binagum 7. Pagi ſunt ambo Mediolanenſis agri circa viam, qua Como Variſium itur.
(96) *Extra* caſtrum Binagi. Sed hoſtes ibi commorantes fortiter pugnant, & Comenſes copias repellunt.
(97) Araldus cognomento Panis Sigilinus, vel Sigalinus, vulgò *Pan di ſegala*, nobilis Comenſis in Vico, Comi Suburbio, domum habens. Sigillinum eſt etiam pagus in plebe Agnii, Comenſis diœceſis, hodie ad ditionem Helveticam ſpectans. An inde nomen deduxerit Araldus iſte, in ancipiti eſt.
(98) Tunc Comenſes, ut ſui concivis mortem ulciſcantur, invadunt hoſtem.
(99) Hoſtes è Binago à Comenſibus cæſi fugiendo confunduntur.
(100) Relicto Comenſibus pago, ſe hoſtes in caſtrum recipiunt, ſeque ibi vix tutos credunt.
(1) Vedanenſes audita Binagenſium cæde, mittunt in eorum auxilium copias.
(2) Quid Binago contigerit, ex fumo & igne conjiciunt.
(3) Veriti ergo Vedanenſes, ne à Comenſibus in inſidias traherentur, paulum morati, domum redire meditabantur, at ex inſidiis Comenſes exiliunt, & Vedanenſes interceptos capiunt.
(4) Dum hoſtes ſuos dubitare vident, & retro cedere.
(5) *Repetunt*, hoc eſt petunt, aggrediuntur, occupant.
(6) Ducunt retro cæteras captivorum turbas.
(7) *Inde parum tempus* hoc eſt poſt parum temporis Comenſes aggrediuntur Drecium, non Deſium, aut Decium, ut male legunt Corius, Jovius, & Calchus. Decium enim aut Deſium eſt in planitie, decimo lapide Mediolano diſtans, neque ibi ſunt rupes ullæ, vel ſcopuli, neque credibile eſt, eouſque Comenſes auſos accedere. Drecium igitur vulgo *Drezzo* eſt pagus, cui quondam caſtrum adnexum in rupis vertice poſitum, cujus adhuc rudera ſuperſunt in plebe Ogiati ad fines Helveticæ ditionis; tria milliaria Como diſtans ad Occidentem.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXI.

Qui locus * est geminis tutus pro turribus altis,
Rupibus & fossis acer locus, undique fortis.
Aggressi villam præda capiunt vacuatam,
Dumque vident tutum forti munimine castrum
Stant procul, & rigidos jaciunt * hinc inde lapillos,
Dant voces, hastas, lapides, dant atque sagittas
Partibus ambabus, resonat clamoribus æther.
Quòd * nil proficiant (8) cernunt, cassumque laborant.
Quem * ferat ad castrum, faciunt ignem meditatum,
Ignea, * flammea, ferrea, splendida missa sagitta.
Emisitque Paganus * Præstinarius ipsam.
In stipulam * versam devênit missa sagitta.
Ardent continuò fumantia tecta. Rubigo
Mox tegit alta polum; trepidat formidine castrum.
Intrant, & capti circumdant (9) mœnia castri,
Et jaciunt vestes per muros atque fenestras.
Interea turris castrum defendit (10), & ignis
Et calor, & turris defendit mœnia castri.
Prosiliuntque foràs populus homineque (11) onerati.
Sed Mediolani quidam * nostris sociatus,
Quique Joannes nomen * fert, dictus Paliarus (12),
Percussus saxo cadit hic de turre Joannes;
Mortuus, à sociis rapitur de cæde retractus.
Dum redeunt (13) onerati * cives nil dubitantes,
In * patula manifesta via stans obvia fit gens; (14)
At nostri contra capiunt omnes simul arma.
In viridi medio committunt prœlia campo.
Sed ferus in pugnam socios deduxit in unum
Arnaldus (15), dudum qui portat signa Quiritum.
Datque * tubâ sociis (16) signum procedere turris.
Acrius aggressi (17) duros feriunt inimicos.
Depellunt equites, sellis volvuntur in herbas.
Converti dant terga retro, fugiuntque Ronagum (18).
Bis equites septem jactant cum sanguine vitam,
Inde repelluntur (19), Trevenumq; petunt, & Ogiatum (20).
Nec ibi stare diu tutum satis esse videtur;
Dispersi fugiunt partes plures retinentes (21).
Cives præstantes sic dimittunt fugientes.
Inde tenent iter & redeunt * properanter ad urbem;
Defuncti referunt corpus, prædamque reducunt.
* In sua tecta, Deo freti, sunt inde reversi.

Anno Christi MCXXII.

At Mediolanenses naves tunc hoc operantes (22)
Quod nequeant * nostri vallem retinere Lugani,
Dant operam demum * ut valeant implere quod optant.

* Hinc

* *MS. ab geminis &c.*
* *MS. quinque.*
* *MS. nihilo.*
* *MS. fuerant.*
* *MS. flaminea.*
* *MS. Pocinarius. Sed B. Jovius legit*: Præstinarius.
* *MS. vertam.*
* *MS. nostri.*
* *MS. prædictus.*
* *In MS. deest* cives.
* *In alt. MS. platea, manifestaque via omnesque stantes.*
* *MS. turba.*
* *MS. properant.*
* *MS. Insula.*
* *MS. mihi.*
* *In MS. deest* ut.

(8) Ubi Comenses vident se nihil proficere, conficiunt ignem studio inventum, quem ope sagittæ in castrum jaciunt. Hanc sagittam in castrum jecit Paganus Præstinarius Comensis, quæ casu lapsa in stipulam versam (à verro verris) hoc est in cumulum palearum aridum & siccum, incendium excitavit, quo territi castri custodes in turrim se receperunt, relicto Comensibus castro.

(9) Non extra, sed intra castrum, ejusdem mœnia, hoc est incolarum domicilia circumeunt, & diripiunt. Pro mœnibus enim sumuntur apud Poetas etiam privatæ ædes. Ut Servius ad Æn. Virg. lib. 2. vers. 234., & Ovid. Met. 2. vers. 204.

(10) *Interea turris castrum defendit*, non quidem castrum, quod Comenses jam occupaverant, sed tutiorem, & munitiorem castri partem, in qua ipsa turris erat. Defendebatur autem castri pars hæc flammis & jaculis.

(11) Comenses, puto, noster Auctor intelligit, nempe gregarios milites, & duces, ut constat ex versu 562. mox sequente.

(12) Joannes Palearius Mediolanensis, sed Comensium partes secutus, saxo percussus, de turri ejecto, interficitur. Non enim cadit de turre ut videtur intelligendum, sed saxo de turre jacto.

(13) *Dum redeunt* Comenses ad patrias ædes spoliis onerati &c.

(14) *Obvia fit gens*. Ly *gens* additum est à nobis in carminis, & sententiæ supplementum. Namque in antiquo exemplari aliud vocabulum scriptum est plurium syllabarum, quod ne lynceis quidem oculis legere licuit, ac divinare. Hæc autem gens erant incolæ Drecii.

(15) Fortasse Arnaldus Calignus, qui pro suis insignibus aquilam Romanam gerebat.

(16) Interea qui Drecii turrim defenderant, dabant è turri sociis signum tuba, ut procederent in Comenses.

(17) Acriùs Comenses aggressi tunc hostem.

(18) Fugiuntque Ronagum hostes à Comensibus cæsi. Ronagum & Trevanum pagi sunt in plebe Ogiati, de quo mox.

(19) Nempe hostis à Comensibus etiam Ronago depellitur.

(20) *Ogiatum* est pagus plebis caput, in Comensi Diœcesi. Como distat in Occidentem æstivum sex milliaria.

(21) *Partes plures retinentes*, alii alió fuga dilapsi.

(22) At Mediolanensium naves, quæ Lugani lacum circumibant, in id maximè incumbebant, ut Comenses è Lugani valle depellerent. Pro Lugani valle id omne locorum spatium intellige, quod Lugani lacum intercipit. Possidebant eo tempore Mediolanenses Lavenam, atque omnem Lacus oram, quæ Lavena in meridiem Varisium versùs descendit, atque insuper oram illam, quæ Melano Porletiam usque pertingit. Comenses verò potiebantur eo Lacus tractu, qui Comum versùs descendit, illoque simul, qui à Tresiæ ponte Luganum usque porrigitur. Luganum autem est oppidum nobile atque opulentum ad ripam lacus, cui de suo dat nomen, cùm olim lacus Ceresius vocaretur. Como distat 16. milliaria, atque ad Comensem diœcesim spectat, cùm tamen Helveticæ ditioni duobus ferè ab hinc sæculis subjectum sit.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXII.

* Hinc sibi subjectas naves à parte Lavenæ (23)
Mittere non cessant, nostras auferre laborant,
Vallem, castra, forum, cum cunctis omnia rebus.
Conficiunt geminas Lavenæ * ad litora naves,
Cum Mediolanenses * adjurant Luganenses (24).
Sancti Martini castrum sibi * dent ad habendum.
At Cives (25) contra sua jura tenere laborant
Litore Melani vallem firmando Lugani.
Effodiunt (26) altum vallum sub monte deorsum,
Atque lacum jungunt vallo cum monte seorsum,
Vallo * clausuram componunt insuper altam,
Conficiunt geminas Melani * in litore naves.
Confectis ratibus, prædæ rapiuntur ubique.
Partibus ambabus (27) deducunt sæpe rapinas.
Fortè (28) dies venit, * facerent ut monte rapinas:
Se procul * ecce vident, concurrunt infimul omnes.
Exclamant post hæc, & rostris se ferientes,
Dividit aurora (29) se major discooperta,
* Parsque intacta fugit, pars altera tota retracta (30)
* Major ut à socia (31) se vidit tota relicta,
Cum fugiente fugit (32) portum pariter repetentes.
Illuc dum veniunt, in portu suscipiuntur.
Exultant * trepidi (33), queis narrant prœlia victi,
* Commendant laceras Lavenæ in litore naves.
Postquam Lavenæ naves in litore stare
Cognoscunt cives, (34) pugnæ tunc sunt memorati.
Mandant ad cives tantarum nequitiarum
Sint memores, illis mittant equites peditesque.
Non cives (35) cessant sociis implere, quod optant,
Continuò pedites illis mittunt, equitesque.
* Adsciscunt socios, alios & ubique vocatos (36),
Illos defensam deducunt usque Lavenam (37).
Continuò captam circumdant (38) agmina villam,
Ad castrum properant (39), naves * abducere temptant,
Sed nequeunt, ambæ fuerant in turre ligatæ,
* Stat turrim juxta circum porrecta catena,
Hisque angusta data (40) fuerat non ampla catena.
* Oppugnant murum turris munimine tutum,
* Sed turrim & castrum dimittunt insuperatum.
* Accendunt ignem, totam comburere villam
Festinant, ambas comburit (41) flamma carinas,
Suntque diu fessi, læti tamen inde reversi,
Sicque lacum nostri retinent cum valle Lugani.
Belli Rectores (42) socios ad tecta reversos
Dimittunt, illosque rogant, socioque reverti,
Nuncia * ut audierint sibi ferre rogantia verba.

* *MS. In.*
* *In MS. deest* ad.
* *MS. adjuvant.*
* *MS. dant.*
* *MS. clausinam.*
* *In MS. deest* in.
* *MS. fecerunt ex monte.*
* *MS. esse.*
* *MS Parte fugit tecta.*
* *In alt. MS. deest hic versus.*
* *MS. trepidique narrant prœlia vici.*
* *MS. Commendat lateras.*
* *MS. Assistunt.*
* *MS. adducere.*
* *MS. Stant.*
* *MS. Expugnant.*
* *In MS. deest* Sed.
* *MS. Accedunt.*
* *In alt. MS. cùm viderint ad se rogantia verba.*

Cum

(23) A parte Lavenæ. Lavena est vicus ad lacus Luganensis sinistrum litus, quà Tresia in Verbanum vergit, à Tresiæ ponte mille passus distans, Como vero 16. milliaria. Ibi Mediolanensium naves portum elegerant.

(24) Precibus & promissis subornant Luganenses incolas, ut ipsis Mediolanensibus Castrum Sancti Martini custodiendum dedant. De Castro Sancti Martini vide notas ad vers. 629.

(25) *At Cives* Comenses suum tueri jus certant, & per Melani portum, quem optimè communiverant, Lugani vallem defendere. Melanum autem vicus est ad ripam Luganensis lacus Lugano oppositam, Como distat 10. milliaria in Diœcesi Novocomensi positum.

(26) *Effodiunt* ibi Comenses profundum vallum à monte ad lacum usque perductum, tum aggere perpetuo (hoc sonat in nostro casu *clausura*) lacum monte conjungunt.

(27) Ex Mediolanensium parte Comenses, ex parte Comensium Mediolanenses.

(28) *Fortè* accidit quadam die, ut Mediolanensium & Comensium naves, dum earum gentes ex monte quodam prædam abigerent, invicem se viderent, atque in occursum venirent.

(29) Nox erat, cùm sibi hostium naves occurrerunt, at aurora diluescente (ita sonat *discooperta*) major Mediolanensium navium pars reliquas in prœlio deserit, Lavenam versùs effugiens, atque ibi se recipit, à Comensium rostris illæsa.

(30) Hoc est: altera navium pars ab altera tota distracta est.

(31) Corrige: *Ut minor à socia &c.* Pars enim major eam deseruerat.

(32) Hoc est minor navium pars majoris exemplum secuta, Lavenam & ipsa confugit.

(33) *Exultant trepidi* hoc est soliciti de Mediolanensium navibus Lavenenses.

(34) *Cives* Comenses, tunc de suo periculo admoniti, mittunt Comum, qui auxilium petant.

(35) *Cives*, qui Comi erant, suorum Concivium vota confestim implere contendunt.

(36) *Alios & ubique vocatos*: hoc est & alios undique convocatos.

(37) Ubi ad Lugani lacum hujusmodi copiæ pervenerunt, Comenses, qui ibi commorabantur, eos Lavenam usque perducunt.

(38) *Circumdant* hoc est circumeunt. Cùm enim villa jam capta esset, cur eam circumdarent?

(39) *Ad castrum properant*, quod supererat expugnandum. Ibi naves repositæ fuerant.

(40) Catena solent ligari naves, quæ Luganensem Comensemque lacum permeant. Cùm igitur catena, qua ligabantur ad turrim Mediolanensium naves, *angusta nimis* hoc est nimium brevis esset, sinè Comensium periculo maximo abrumpi non poterat.

(41) Cùm ergo naves abduci non possent, injecto à Comensibus igne combustæ sunt.

(42) *Belli Rectores*, qui Comi erant, dimittunt socios è Luganensi lacu Comum reversos, at eos monent, ut parati redire sint, quoties admoneantur, ut redeant.

Digitized by Google

Cùmque ſuas noſcant fruſtrati ſpe Luganenſes (43) Anno Chriſti MCXXII.
Combuſtas naves, triſtes, mala cuncta timentes,
In caſtri Sancti Martini turre coacti
Sunt; mala quæ poſſunt in cives ſemper agentes,
Quos poſſunt cives (44) prædantes & capientes.
Quæ mala dum cives cognoſcunt non patienda,
Intelvum ſcandunt (45), & amicos (46) inſimul addunt,
Conſiliumque petunt, ſimul auxiliumque rogantes.
Promittunt (47), faciunt, pariter veniunt properantes,
Artificeſque boni (48) nimium ſatis ingenioſi,
Strenuus inter quoſque (49) rogatus * adeſſe Joannes * *MS. adire.*
Quique Bonus, de Veſonzo cognomine dictus.
Hic ferus armatus ſportam conſcendit * apertam, * *MS. advertam.*
Funibus hunc miſſum ſuſpendit ſporta deorſum,
Per ſcopulos montis dimittunt; ultima ſaxi
Deſcendendo petit; ſtat ſupra mœnia caſtri.
Inde * jacit lapides, funeſtaque prœlia miſcet * *MS. jacet.*
Horridus * armaturâ, ingentia ſaxa ruendo, * *MS. armaturis.*
Sed circumſtantes (50) illum peditesque juvando,
De * ratibus miſeri (51) telis coguntur acutis. * *MS. trabibus.*
Deſuper ille ferus jacit haſtas, imminet armis,
Frangit tecta, domos, ſaxorum grandine muros.
Tecta premunt pueros, fumant colliſa domorum
Tecta, domus homines reprimit ſub ſe morientes.
Impulſus paries ruit, & reprimit mulieres,
Perque viam ſtrictam (52) miſeri coguntur abire,
Ire per abruptum montem, dirum, ruinoſum.
Caſtrum dimittunt fugientes atque dolentes
Cum domibus natos, vallem linquunt Luganenſes.
Interea (53) cives victores ſeque * ſuoſque * *MS. victores.*
Dimittunt ſocios & amicos Inteluinos,
Cunctos donatos pariter ſimul, atque oneratos.
Ad Mediolanenſes tendunt tunc Lavenenſes.
Deportant illis (54), fuerant quæ facta, dolentes.
Finibus à propriis expulſos eſſe ſub illis
Se dicunt flentes, monſtrant & vulnera triſtes.
Poſtquam (55) tanta vident, quid agant ſimul omnia verſant.
Conſilium tractant, illis placet, (56) * hi quoque laudant: * *MS. his.*
Tuta placent illis Porlezæ litora terræ (57).
Hic aptare rates * ſtatuunt, reſecare * colonis Anno Chriſti MCXXIII.
Illius terræ citò ligna jubent, & meſſes; * *MS. ſtatim.*
Omnia præceptis iſtis implere parati (58), * *MS. columnas.*
Sicquè jubent aptare rates, quòd (59) cuncta tenere
Poſſint imperio tantorum ſub dominorum.
Improba cunctorum vaſtatrix Inſula (60) morum

Dat

(43) *Luganenſes*, qui à Comenſibus defecerant, ubi vident incenſas ſuorum ſociorum naves, in Caſtrum Sancti Martini ſeſe recipiunt. Caſtrum Sancti Martini in ea ora conſtructum eſt, qua Luganenſis lacus in Treſiam amnem deſcendit, Lugano diſtans unico milliario in meridiem.

(44) *Cives* Comenſes. Quoties autem in hoc vocabulum *cives* incideris, Comenſes intellige.

(45) *Inteluum ſcandunt*. Interluum, hoc eſt Vallis Interlaina, quam Paulus Jovius in Lar. deſcr. Intelevinam vocat, inter eos montes ſedet, qui ſex milliarium ſpatio Comenſem lacum à Luganenſi dirimunt. A tergo Argenii (oppidi Como diſtantis 12. milliaria in boream) ea Oſtenium uſque porrigitur. Oſtenium autem eſt vicus ad ripam ſitus Luganenſis lacus ex parte Lugano oppoſita. Diſtat Oſtenium Lugano 4. milliaria. Erat hæc Vallis, eſtque adhuc in Diœceſi Novocomenſi, Oſtenio excepto, quod ad Mediolani Diœceſim ſpectat. Dicitur etiam Vallis Interlevi, vulgò Val d'Intelvo, vel ab *intervallo* unius lacus ab alio, vel à torrentibus, qui Vallem *interluunt*.

(46) *Et amicos* interponunt.

(47) *Promittunt* omnem operam ſuam Inteluini Comenſibus.

(48) Illius Vallis incolæ liberalibus artibus pictura, ſculpturæ, architecturæ, ab eo uſque tempore ſemper addicti fuerunt, ut & nunc ſunt, virique in iis celeberrimi effloruerunt.

(49) *Inter quoſque*, hoc eſt inter quos Joannes Bonus de Veſontio vir fortis ad Sancti Martini caſtrum expugnandum profectus, montem, qui caſtro imminebat, aſcendit, atque illinc à Comenſibus, qui caſtrum obſederant, ſporta demiſſus, immania ſaxa in caſtri tecta evolvebat.

(50) *Circumſtantes*, nempe Comenſes caſtro circumſidentes juvabant illum, ſagittas jacientes è navibus (quibus arcem ex parte lacus obſederant) in obſeſſos. *Juvando*, cortice: *juvabant*.

(51) *Miſeri* Luganenſes ex alia parte ſagittis impetebantur.

(52) Hoc eſt coguntur caſtrum deſerere, ac fugam per anguſtos montium calles arripere.

(53) *Interea* Comenſes caſtro potiti dimittunt Inteluinos largè donatos, & ſpoliis oneratos.

(54) Hoc eſt nunciant illis &c.

(55) *Poſtquam* Mediolanenſes hæc vident &c.

(56) Hoc eſt Mediolanenſes conſilium proponunt, quod æquè placet illis, & Lavenenſibus.

(57) *Placet* Mediolanenſibus munire Porletiæ litora, atque ibi parare ligna ad conſtruendas naves, & frumenta ad militum commeatum. Porletia eſt oppidum ad borealem, & extremam Luganenſis lacus oram.

(58) *Parati* Porletiæ incolæ ad hæc præcepta omnia hæc implere, jubent conſtrui naves.

(59) *Quod* pro *ut*. *Tenere* hoc eſt defendere, conſervare, aut etiam obtinere.

(60) *Inſula* dat armorum, militum, atque nautarum ſupplementum, & commeatum. Quamvis enim Inſula eſſet in lacu Novocomenſi, poterat tamen hæc omnia Porletiam tranſmittere per Menaſii vallem. Menaſium enim, Inſulanis adſociatum, diſtat ab Inſula octo milliaria, & ſeptem Porletiæ.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXIII.

Dat supplementum pariter simul & comeatum.
* Mittit & ipsa viros, pugnent, navesque gubernent.
Jamque diu tantæ gentes venere vocatæ,
* Vallem quæ totam possunt complere Lugani
Agminibus (61). Naves Porlezæ litore ductæ,
Ad castrum Sancti veniunt nitidi Michaëlis,
Obsidium ponunt per aquas, pariter quoque terras (62),
Viribus ut castrum capiant totisque laborant.
Dumque diu fessi * nimbis pluviisque laborant,
* Nequidquam pugnant, sed ducunt tempus inane.
Viribus atque viris armatum * sat bene tutum
Esse vident castrum, pro rupibus aggere cinctum.
Qui ferus Anselmo (63) fuerat tunc mittere temptant,
Archiepiscopus intronizatus sed malè pactus,
* Ut veniatque fideliter, & sibi per sacra jura
* Adjuretque fideles successoribus atque
Esse suis semper sic demum jure perempto,
Perque datum sancti castrum, teneatur ab illis
Ambrosii, tuti quoque sint in valle Lugani.
Is (64) venit ad bellum, poscit tum denique castrum,
Et jurare fidem, promittit multa daturum,
* Obstringitque fidem, minitans illis animosè,
Ni sibi dent castrum cum defensoribus intus.
Talibus auditis proceres (65) animique feroces
Irati reputant quasi verba superba, ...
Nec sibi (66) dant castrum, nec jurant esse fideles.
Tristes discedunt (67), castrum cum valle relinquunt,
Sic propriam redeunt fessi patriamque revisunt.
At memores cives (68) tantarum nequitiarum
Consulibus mittunt Cumanis, ut sibi statim
Mittant auxilium socios peditesque probatos,
Quod citius faciunt, pugnatores sibi (69) mittunt,
Intelvum (70) repetunt, electos inde reducunt,
Porlezam veniunt, ibi naves (71) tunc religantur.
* Adsciscunt socios * Cumani bella gerendos (72).
Litora (73) Porlezæ defendit pessima terræ
Insula. Prosiliunt nostri, quoque (74) litora scandunt.

* *MS. Mittunt in ipsa.*
* *MS. Vallemque.*
* *In alt. MS. viribus, plurimisque laboribus.*
* *Alt. MS. Nequaquam.*
* *MS. ut.*
* *MS. Ut veniantque.*
* *MS. Adjurent.*
* *MS. Dirigit, atque eſdem.*
* *MS Assistunt.*
* *MS. Cumanos.*

Com-

(61) Porletiæ igitur structæ naves, milite armatæ, à litore solutæ veniunt ad castrum S. Michaelis, quod Comenses custodiebant, paulò infra Porletiam situm ad oram lacus occidentalem.

(62) *Pariter quoque terras*, hoc est, & quoq; per terras.

(63) Turbatus ordo verborum ita restituendus videtur, ut Poetæ sensus intelligatur: *Tunc* Porletiæ Rectores videntes castrum S. Michaelis armis expugnari non posse, *tentant mittere* nuncios ad Anselmum, *qui ferus* homo *fuerat intbronizatus* Archiepiscopus Mediolani, *sed* iniquis pactionibus. Nuncii autem Porletia Mediolanum missi, eundem Anselmum hortabantur, ut veniret ipse Porletiam, & præsens ipse suaderet Comensibus, qui castrum illud defendebant, ut (*adjuro* hic sumitur pro jusjurandum exigere. Vide Gloss. Med. & Inf. Lat.) *jurarent se fideles futuros fore sibi, ac successoribus suis*, atque ita omni lite submota (ita sonat *jure perempto*) per deditionem castri S. Michaelis Mediolanensibus (ita sonat *illis Ambrosii*) factam, Comenses tutò possideant Lugani vallem. Ita sensum Poetæ interpretamur, cimmeriis umbris obscuriorem. Tenebras auget historica series, cui noster Poeta religiosissimè inhæret, ut satis legenti patet. Cùm enim eruditissimus Saxius luculenter demonstret in suis ad Landulphum de S. Paulo doctissimis adnotationibus Anselmum Archiepiscopum Olrico substitutum anno 1126., videlicet post ejusdem Olrici mortem, Poematis hujus Auctor Anselmum *intbronizatum* refert hoc anno 1123, cui licèt opinioni Galvaneus Flamma, Corius, Calchus, Bened. Jovius, Sigonius, Puricellus, & Papebrochius faveant, Landulphus tamen à S. Paulo, quem Saxius sequitur, & vetereres Archiepiscoporum Mediolanensium Catalogi, quorum auctoritas cæteris posterioris ævi Scriptoribus præstat, Olrico tres addunt annos, annoque tantùm 1126. Anselmum Archiepiscopo Olrico dant successorem. Nec audiendi propterea viderentur allati à nobis Auctores, nisi Poematis hujus Auctor Landulpho coævus esset, & Chronologicæ seriei diligentissimus custos. Præterquamquod Puricellus, qui hoc Poema non vidit, legitque attentè Landulphum, ea tamen in Monumentis Ambrosianæ Basilicæ documenta producit, ut non immeritò Anselmum credat hoc anno Mediolani Archiepiscopum constitutum. Utcumque sit, sua cuique servata fide, utramque simul opinionem Poematis nostri verba conciliant. Namque tria illa verba *sed malè pactus*, Olricum inter & Anselmum pactionem aliquam præcessisse significant, qua alter alterum vivens adhuc acceperit successorem. Ne meo tamen ingenio nimis fisus eruditissimi Saxii opinionem, quod absit, in dubium vocem, difficultatem attigisse sufficiat, sitque judex benignus lector, ac maximè præstantissimus Muratorius, cujus est Palatinæ Collectionis Auctores omnes expendere, & si qua videt, in meis præsertim scriptis, obstantia veritati, corrigere, vel delere.

(64) *Is* Anselmus Mediolano vènit ad castrum Sancti Michaelis, illudque petit sibi dedi, & fidem sibi ab incolis illius jurari, promittit multa, & suam obstringit fidem.

(65) *Proceres* hoc est *arcis Præfecti* talibus auditis ad iracundiam concitati &c.

(66) Nec *sibi*: hoc est nec illi castrum dedunt, nec illi fideles fore se spondent.

(67) *Tristes discedunt* nempe Anselmus, & qui cum ipso venerant, & in patriam redeunt.

(68) *Cives Comenses*, qui castro præerant, nuncios mittunt ad Consules, qui Comum regebant &c.

(69) *Sibi* hoc est, ad illos, qui auxilium deposcebant, militares copias mittunt.

(70) *Inteluum*, Vallem Inteluinam ascendunt, validiores ex illis & belli peritiores legunt.

(71) *Ibi naves* Mediolanensium religatæ erant.

(72) *Bella gerendos*, hoc est bella gesturos.

(73) Hoc est milites ab Insulanis missi Porletiæ litora defendebant.

(74) *Quoque* pro *&*, ut sæpe Poeta noster.

Digitized by Google

Committunt dextras, pariter, ſonat undique * Mavors. — Anno Chriſti MCXXIII.
Auſugit, & litus dimittit peſſima (75) planum. — * *MS. muros.*
Conſcendunt montes, & maxima ſaxa ruentes
Defendunt puppes, multas jaciendo ſagittas.
De Quadrio (76) * carus foſſus cadit hîc Aledramus, — * *In alt. MS. deeſt* carus.
Quem ſocii triſtes rapiunt de cæde ſodales.
Acriùs ad pugnam conſurgunt (77) undique, flammas
Corripiunt; * ſupponunt ignem retro carinæ. — * *MS. ponunt.*
Comburunt ambas propè ſtantes * igne carinas. — * *MS. ſicque.*
Deducunt uſtas medias à monte carinas,
Secum defleti deducunt corpus amici.
Ad proprium redeuntque ſolum, Natale requirit (78).
Imminet ecce malum quod cunctis eſt reprobandum.
Dumque rates factæ Melani ad * litora ductæ — * *MS. litore.*
Stant ambæ junctæ * ſubter munimina turris (79) — * *In MS. deeſt* ſubter.
Lignea, quam cives fecerunt, atque dederunt,
* Quem protectorem ſibi jurant eſſe fidelem — * *MS. Tunc.*
* Arduinum reprobum nunc, qui quondam Advocatenſis, — * *In alt. MS. Arditium.*
Strenuus, * & fuerat ſapiens & nobilis ortu, — * *MS. ut.*
Traditor (80) atque malus * fuit & cunctis reprobandus; — * *MS. fuerat.*
Per regimenque ſuum * dignus ſuccedere cœlo, — * *MS. digno ſuccedere telo.*
Prodidit & notos & amicos * atque propinquos.
Cum Mediolanenſibus eſt tunc conſiliatus, (81) — * *MS. Cumanos atque propinquos.*
Illis multorum pro * munere denariorum
Tradidit & turrim, & commiſſæ (82) quæ ſibi naves — * *MS. numero.*
Tunc fuerant, & credita, (83) quæ data cuncta regebat.
Addidit atque nefas aliud ſimul * & memorandum, — * *MS. eſt.*
Convocat extemplo ſceleratos conſociatos,
Tradidit & ſocios (84) Cumanos atque fideles,
Inſuper & deditas armavit remige naves.
Navigat, atque lacum ſtatim circumvolat omnem. (85)
Eſſe putant homines (86) proprios cives neſcientes,
Sicque vocant multos ad naves nil dubitantes,
Quos capit inventor nequam, quos * fraude ſubornat — * *In alt. MS. fraudolator.*
Atque ligat, quoſdam necat, & * veſtes (87) ſpoliando,
Carcere tradendo, vel martyrio * perimendo. — * *MS. veſtibus ſpoliando.*
Attoniti tanto noſtri diſcrimine facto — * *In alt. MS. pereundo.*
Mirantur quòd homo generoſus * ſit ſceleratus — * *MS. ſit.*
Tam ſubitò factus, ſociis quòd diſſociatus (88)
Fœdera (89) quæ dudum fuerant jurata relinquat.
At Cumanorum Proceres, ex more priorum,
Non victu (90) molles, ſed ſunt certamine fortes.
Plurima juga boum citò * deducuntur in unum. — * *MS. deducunt.*
Multa ſimul collecta diu tunc plauſtra ligantur, (91)
His ſuperimpoſitæ naves, Alberga ligata,
Et navis Craſtina ſimul pariter ſibi conſociata;
Inde viam properant, ad Ripam nocte feruntur.
Litore Melani tacita de nocte locantur,
Adque lacum * latæ (92) properant intrare gaviſæ. — * *MS. Atque lacum latere.*
Inter aquas ſe ſtare rates gaudere videntur;
Inde volant, ſolitis præſtringunt litora remis,

Atque

---

(75) *Peſſima* hoc eſt Inſulanorum turba.
(76) Alediamus Quadrius Comenſis Patritius occiditur. *Aledramum* vocat Poeta noſter.
(77) *Conſurgunt* Comenſes.
(78) Imminens enim feſtum Dominicæ Nativitatis poſcebat, ut domum redirent.
(79) Melanum ductæ Comenſium duæ naves, turri lignea, quam in litore ſtruxerant, defenſæ; Arduino de Advocatis à Comenſibus in cuſtodiam datæ fuerant, civi nobili, *quem* Comenſes *juraſſent fidelem* fore navium *protectorem*.
(80) Ac denium Proditor fuit.
(81) *Eſt conſiliatus*, hoc eſt clam conſilium habuit, atque illis &c.
(82) Hoc eſt & naves, quæ illi commiſſæ fuerant.
(83) Hoc eſt, & ea omnia, quæ ſuæ fidei credita cuſtodiebat.
(84) Hoc eſt, & tradidit in Mediolanenſium manus Comenſes illos, qui ſub illo militabant.
(85) Circumvolat omnem Lugani lacum, decipiens incolas Comenſium ſocios, proditionis ignaros. Arduinus iſte Advocatus, ut refert Landulphus à S. P. cap. 34. Mediolanenſis Hiſtoriæ, Mediolanenſibus favebat, eoſque ipſe, ut bellum gererent in Comenſes, hortatus erat.
(86) *Homines* illi qui ea loca pro Comenſibus defendebant, *neſcientes* Arduinum à Comenſibus, turpiter defeciſſe, *putabant proprios cives eſſe*, & amicos, eos, quos cum Arduino advenire cernebant. Quare Arduinus illorum multos ad naves vocabat, & vinculis illigabat &c.
(87) *Veſtes* pro veſtibus.
(88) *Quòd diſſociatus*, hoc eſt quòd à ſociis diſſociatus.
(89) Promiſerant enim Comenſes à belli principio mutuam ſibi invicem fidem, quam etiam jure jurando firmarant. Arduinus ergo publicam fidem, & pactum fœdus infregit.
(90) Hoc eſt non victu molles ſunt, ſed in periculis fortes.
(91) *Plauſtra ligantur*, quibus impoſitæ duæ Comenſium naves Craſtina, & Alberga, ad pagum, cui nomen Ripa, ad Luganenſis lacus inferius litus poſitum, Como diſtantem octo milliaria, noctu tranſvehuntur, atque illic in lacum jactæ Melanum deducuntur.
(92) Hoc eſt ad alium lacum delatæ, ac ſulcare illum gaviſæ, properant &c.

Digitized by Google

Atque vident (93) * plenam jam navibus esse Lavenam. — Anno Christi MCXXIII.
* Incedunt pariter. Stabant prope litora scaphæ,
Distantes aliæ portabant pondera plures,
Quas capiunt naves. Tremefactus * fit locus ille.
Conscendunt puppes ablatas proditione,
Atque duæ pariter nostras utræque sequuntur.
A terra longè (94) naves postquam simul omnes
* Spectant, in pelago qui * sint, * hominesque rogantes
Unde gradum referant, vel quæ facienda, requirant,
Talia dum quærunt, sic illis (95) verba tulerunt.
Cives Cumani, qui defendendo Lugani
Nos sumus huc missi Vallem, cum gente tueri.
Plaustris * invectis (96) naves venisse videtis.
Talibus auditis, redeunt (97) portuque receptis,
* Sicut erant, sociis, sic tradita verba dederunt (98).
Tunc mala præcipuè proponunt multa cavere.
Parte timent (99) ignem, pariter quoque * proditionem.
Sicque trahunt naves à litore pulvere sicco (100)
Per luteum vallum prope castrum turre tuente,
Et citò congerie circa clauduntur, & infra (1).
Carcere deductæ (2) remanent * hinc inde sepultæ.
Et dantur illis custodes nocte dieque,
Inde lacum cives retinent cum valle Lugani.
Non Mediolanenses audent * in valle venire
Ast iter (3) ad Cumas disponunt esse futurum.
Imminet * indicti jam tempus ponere belli: — Anno Christi MCXXIV.
Tempus promissum (4) Majo de mense futurum
Urbs Cumana suas renovat cum robore fossas,
Acquirit (5) validasque balistas atque sagittas.
Unusquisque suum clypeum componit & arcum;
Comit equos, acuit gladios, nitidosque mucrones,
Loricas (6) sedulo deducunt furfure facto;
Sed Mediolanenses jam non sic facientes.
Intrant promissum jam longo tempore (7) bellum.
Pantaganum quærunt (8), post obsidium posuerunt.
Ignorante (9) cito circundant agmina castro,
Quod super impositum fuerat cum turre locatum
Saxo, sed pulcher muris (10), & rupibus * acer.
Sed * Giselbertus (11) quidam, qui * Clericus, intus,
Tunc plebis fuerat, natis cum conjuge stabat.
Illum (12) conveniunt, magno cum munere flectunt.
Ipsum cum castro se tradidit hostibus amens;
Prodidit & socios, notos, pariterque propinquos.
Hostibus in mediis tutus fugiens habitavit,

* *MS. planam.*
* *MS. Incendunt.*
* *MS. fuit.*
* *In alt. MS. Et stant.*
* *MS. sunt.*
* *MS. homines prærogantes.*
* *MS. invexis.*
* *MS. Sicut eis.*
* *MS. perditionem.*
* *MS. sic & inde.*
* *In MS. deest* in.
* *MS. indocti.*

Intrà

(93) Comenses duabus illis navibus vecti Lavenam petunt, & plenum navibus portum vident. Mediolanensium navium aliæ ad litus erant, aliæ lacum secabant mercibus onustæ, quas Comenses capiunt, & simul abducunt secum duas illas, quas Arduinus Mediolanensibus dederat, una cum duabus aliis Lavenensium scaphis.

(94) Comenses ergo una cum suis & hostium navibus captis lacum circumibant, cùm eorum locorum incolæ eos videntes è litore, interrogabant qui essent, unde venirent, quò tenderent?

(95) *Sic illis* Comenses è navibus responderunt.

(96) Potiùs *invectas*.

(97) *Redeunt*, hoc est *ad portum descendunt*, non enim audebant illos portu suscipere, ab Arduino semel decepti.

(98) *Sic tradita verba dederunt*, hoc est, sic Comenses incolas illos allocuti sunt, admonentes eos, ut inposterum caverent portu suscipere sub amicitiæ aspectu inimicos.

(99) Melanum Comenses abduxerant captas naves, cùm ad patrios lares redituri, ac metuentes, ne sua interim navigia ab hostibus incenderentur, aut simili alia proditione in hostium manus venirent, ea intra vallum traxerunt, & arenæ congerie operta sub turris tutela, & fidelium sociorum custodia reliquerunt.

(100) *Pulvere sicco*, hoc est in pulverem siccum.

(1) *Circa clauduntur & infra* hoc est ex omni parte cooperiuntur.

(2) *Carcere deductæ*, hoc est è Lavenæ portu liberatæ, Melani arena sepeliuntur.

(3) Interea Comenses disponunt se itineri Comum versùs, *futurum* pro *agendum*.

(4) Imminet promissum belli resumendi tempus, proximo mense Majo.

(5) *Acquirit* hoc est parat.

(6) *Loricas* furfure expoliunt, & rubigine inducta purgant.

(7) *Jam longo tempore* hoc est post longum tempus, seu multo post lapsum Majum mensem, quo promiserant se redituros ad bellum.

(8) Accedunt inexpectati ad Pantagani castrum, quod Comenses defendebant, & facta petitione ut Mediolanensibus dederetur, eâ non auditâ, castrum obsident.

(9) Hoc est suis agminibus castrum cingunt, priusquam ejus defensores hoc præsentirent. Pantaganum hodie vulgo *Pontegana*, est pagus, cui munitissimum olim castrum adnexum erat in saxea rupe constructum, Como distans tria milliaria in Occidentem æstivum, in plebe Balerni situs, ad Helveticam jurisdictionem spectans, sed ad Comensem diœcesim.

(10) Sed pulcher muris. Castrum pulcher, & acer, Grammatica reclamante.

(11) Sed *Giselbertus* cognomento Clericus cum natis & conjuge intra castrum degebat. Hunc Auctor noster virum *de plebe* vocat, ut innuat indigenam fuisse, non civem Comensem, aut ut eum fortè distinguat à Clericorum nobiliore familia.

(12) *Illum* Mediolanenses conveniunt, & ingenti pecunia ut castrum dedat, subornant.

Digitized by Google

Intra * Arciſadem (13) legit ſibi poſſe habitare.
Omnibus exoſus perjurus proditor ivit.
Sed Mediolanenſes (14) auxilium reputantes,
Caſtro cuſtodes (15) ibi decernunt habitare.
Inde domum redeunt, ſua jam tentoria vellunt,
Et natale ſolum repetunt, urbemque reviſunt,
Multum lætantes, nimium quoque tunc * & ovantes.
Et totum memorant, ſua factaque fortia laudant.
Gens Cumana nimis (16) * non juſtæ proditionis
Deflent amiſſum caſtrum cum turre remiſſum.
Aſcendunt puppes, repetunt loca peſſima cives (17).
Inſula gaudebat, tunc & ſecura manebat,
Non expectatos cùm cernunt (18) eſſe relatos
Cumanos cives ad terram jam properantes.
Pars defenſa diu (19) fuerat non capta relicta.
Aggrediuntur eam magno cum murmure partem,
Auctor (20) quam * ſupra ſcripſit: Non capta remanſit.
Arma citò capiunt (21), litus defendere * tendunt.
* Diſcurruntque citò triſtes per litora victi.
Tecta petunt, alii montes, alii tremefacti
Inde ferunt lapides, rupes funduntur in hoſtes,
Acriter armatis committunt prœlia dextris.
Æther ubique ſonat, * fervens Mars efferat omnes.
Dum furit Oldradus (22) civis Cumanus & altus
Hîc cadit armatus, duro teloque foratus
Militis Alberti Natalis, qui ferus olim
Præterito bello, telo percuſſit eodem
Bertramum civem validum, juvenemque ferocem.
Oldradum ſocii poſtquam videre jacentem
Continuò retrahunt ſpirantem ac nulla loquentem.
Acriùs ad pugnam ſurgunt, * ſuper undique ripam
Terga retro dantes cædentes acriter hoſtes (23).
Converſi fugiunt montes & ſaxa petentes
Mœnia dimittunt, captos in morte relinquunt.
Sunt ibi viginti juxta tunc corpora cæſa,
Qui fuerant primi majores & meliores.
Invaduntque domos alii, pellunt inimicos,
Et rapiunt aurum, * ſpoliantes & pretioſum,
Argenti marchas, gemmas, veſtes pretioſas,
Aurea vaſa ferunt, argentea pocula ſumunt,
Omnes complentur nitida ſupelectile naves.
Atque citò retrahunt reliquos * ibi manè repertos (24).
Omnia conſumunt, ignique cremanda reponunt.
* Dirumpuntque domos, non ceſſant ſternere muros.
Inſula (25) plana jacet, ſua facta merentia deflet,
Et ſedet interea anxia * totaque depopulata.
Puppibus aſcenſis redeunt (26) ad litora Cumis,
Magnis & claris multis ſpoliis onerati.
Poſt data (27) jam terris cùm lux tunc tertia fulſit.
* Incendunt Proceres ſocios, hortantur, ut omnes
* Aſcendant puppes, tendant properanter ad hoſtes,
Et clypeos & equos comant in manè reductos.
Parent hi monitis: juvenes pedites, equiteſque,
Naves aſcendunt, undas pulſando repellunt.
Dumque natando lacum tranſcendunt, litora * cernunt (28)

Anno Chriſti MCXXIV.

* *Alt. MS. Arcis ædem.*

* *In MS. deeſt* &.

* *In alt. MS. injuſta.*

* *Alt. MS. ſuperſcripſit.*

* *Alt. MS. tendit.*

* *Alt. MS. Deſtruuntque.*

* *Alt. MS. furiens.*

* *In alt. MS. deeſt* ſuper.

* *In alt. MS. & ſpoliant.*

* *In MS. deeſt* ibi.

* *In alt. MS. diruuntque.*

* *MS. & tota.*

* *MS. Incentum:*

* *MS. Aſcendunt.*

* *In alt. MS.* certant.

In

(13) Hoc eſt Arciſatum vicum agri Mediolanenſis circa viam, quæ Variſio Luganum ducit, Como diſtantem novem milliaria, & 6. Pantagano.

(14) *Sed* Mediolanenſes ex alterius ſcelere fructum ſe capere geſtientes.

(15) *Caſtro cuſtodes* imponunt, qui ibi commorantes illud defendant.

(16) *Gens Cumana nimis* dolens de iniqua Giſelberti proditione &c.

(17) Comenſes interea claſſem inſtruunt, & peſſima loca petunt, nempe Inſulæ caſtrum.

(18) *Cùm* Inſulani *cernunt* ad Inſulam revectos claſſe Novocomenſes inexpectatos.

(19) Ea pars Campi, quæ adhuc intacta Comenſibus remanebat, ut verſu 396.

(20) Cui ſupra oſtia neſcio quis vetus Auctor inſcripſerat: *Non capta remanſit*.

(21) *Arma citò capiunt* Inſulani, *litus defendere* pergunt, ſed *citò victi* diffugiunt.

(22) *Oldradus* patritius Novocomenſis ab Alberto Natali (qui præterito bello Bertramum Comenſem civem occiderat, ut verſu 379.) interficitur.

(23) Hîc loquitur de Comenſibus, quos acriùs inſurgere, fugientem *cædentes acriter hoſtem* Poeta ſcribit.

(24) Comenſes *retrabunt* inde ſuorum *cadavera ibi manè reperta*, & quidquid auferre non poſſunt, igne conſumunt.

(25) Hoc eſt reliqua pars Campi ſolo æquata jacet, & Inſulani flent malefacta ſua *merentia*, hoc eſt ſuo infortunio digna. Jam dixi alibi Campum ſumi pro Inſula.

(26) Comenſes Comum redeunt.

(27) *Poſt cùm* pro *poſtquam*, hoc eſt *poſtquam jam tertia lux terris data fulſit*, Comenſium Proceres cives ſuos, & ſocios *incendunt*, ut manè parati ſint &c.

(28) Hoc eſt: ad conſpectum litoris perveniunt, ad quod claſſe tranſvecti ſunt, eò nempe loci, ubi Inſula propria caſtrum tenet munitum &c.

Digitized by Google

In quibus adveniunt, * ubi tunc tenet Insula dirum
Castrum munitum murorum tegmine circum.
Descendunt naves, equites, * pedites properantes,
Jamque parant pedites totum vastare ruentes,
Sed priùs * accessum Proceres cohibere * volentes (29),
Ire jubent, omnes illos * audire loquentes:
Dumque diu * volvunt ad castrum verba * ferenda
Vera viros mittunt ad castrum verba ferentes.
Intrant Legati missi, castroque recepti.
A (30) sociis * missos se dicunt verba referre:
Bella magis cuperent, an pacem? * Atq; ut sibi narrant (31),
Sic audiverunt; sed ad hæc ita verba dederunt,
Pactum nec pacem facerent, sed quod potuissent.
Castro (32) contempti redeunt, sociisque recepti
Hæc ita despecti referunt mandata tyranni:
Nec cuperent pacem, nec pactum * condere vellent.
Signifer (33) interea vexillum ponit in hasta,
Atque equites illum, pedites omnesque sequuntur.
Messagrii Mansum (34) capiunt & adusque Colonum
Omnia sub pedibus devastant, atque * recalcant
Villas atque casas, comburunt cætera flamma,
Omnia truncantes, vites, arbusta cremantes.
Menaxum (35) mala quæ poterat cunctis faciebat,
Armatumque suorum campanile virorum.
Cumanas gentes expugnant (36), undique naves,
Nam quosdam cives * de Surgo (37) convenientes,
Othonemque ferum, & de Quadra (38) quos peremerunt.
Et secum cives * alii quoque quinque fuerunt.
At memores cives tantorum ad verba (39) malorum,
Menaxum repetunt (40), egressi mœnia quærunt,
Sedque domos vacuas postquam videre relictas,
Classes scandebant omnes, & abire volebant.
Turpia clamabant, de campanile fremebant: (41)
Ite quater victi (42), miseri nunc ite Raimundi.
* Non sumus ut vos victi, vel de gente Raimundi.
Talia clamabant, hæc illis improperabant.
Velle mori cupiunt (43) potiùs quàm vivere glisCunt.

Anno Christi MCXXIV.

* *In MS. ibi.*
* *MS. peditesque.*
* *MS. ad centum.*
* *MS. voluntas.*
* *MS. adire.*
* *MS. multum.*
* *MS. ferentes.*
* *In alt. MS. deest* missos.
* *In MS. deest* Atque.
* *MS. dare.*
* *In alt. MS. comburunt.*
* *Alt. MS. de Surico,* quod idem est.
* *MS. alios.*
* *Totus hic versus deest in alt. MS.*

Qui

(29) Priusquam Comensium Duces è navibus egredi milites suos sinerent, Legatos ad castrum mittunt, qui suorum mandata ad hostes ferant, atque ab iis responsa referant.

(30) A Comensibus dicunt se missos ut eos alloquantur, Ly *sociis* refertur ad Legatos, qui Comensium socii erant, non ad Insulanos, qui hostes erant.

(31) Rogabant ergo Insulanos Legati, num pacem an bellum mallent? Ut in mandatis habemus, ajunt, vos audivistis, cùm Insulani responderunt, se nec pacem, nec pactum esse facturos, at quod potuissent: facerent & Comenses, quod possent

(32) *Castro*, hoc est extra castrum Comenses Legati redeunt, atque ab hoste despecti, hæc responsa ad suos referunt, Insulanos nec pacem velle, nec pactionem. *Tyranni*, idest arcis Præfecti.

(33) *Signifer* Comensium. Comenses ergo ab Insulæ castro repulsi, vicinos agros devastant.

(34) Mansum Messagrii, hoc est Messagrii mansio hodie in duos pagos redacta est, quorum alter Masnagum, alter Mezzegra appellatur paulò supra Insulam intra continentem. Colonum verò est ignobilis pagus ad Larii dextrum latus, Como distans 14. milliaria.

(35) De Menasio vide ad vers. 127.

(36) *Expugnant*, hoc est Menasienses Comensibus infesti sunt, & Comensium navibus.

(37) De Surici pago. Suricum erat olim ignobilis pagus ad Abduæ ostia in Larium sub Rheticis alpibus influentis, at circa annum 1444. in oppidum conversum fuit, postquam Olonii oppido Abduæ paludibus merso, ejus Oppidani Suricum commigrarunt. Vide Acta Beati Miri, à me scripta, ubi quamprimum prodierint, namque sub prælo sunt. Menasienses igitur occiderant Othonem, atque alium civem de Quadrio, cum aliis quinque Comensibus, qui Surico Comum veniebant.

(38) Est publica via intra Comensis urbis mœnia, cui & hodie nomen est *Quadra*, circa quam Quadriæ gentis ædes extructæ erant, à quibus via nomen desumpsit. Benedictus Jovius idem interpretatur de Quadra, ac de gente Quadria. Ly *quos* ad implendum versum.

(39) *Ad verba*, hoc est ad nuncia.

(40) *Repetunt*, hoc est petunt. Ita & alibi adnotavimus. *Mœnia*, hoc est incolarum ædes. *Quærunt*, hoc est perlustrant.

(41) Dum Comenses proficisci parant, Menasienses campanariæ turri inclusi hostes suos conviciis incessebant.

(42) Ita Comensibus Menasienses improperabant quater victos fuisse, ac *Raymundos* vocabant. Quid sibi velit hæc vox *Raymundi*, ut pro convicio hoc nomen Comensibus adderetur, haud satis constat. Aut ergo illius expeditionis Duces ex nobili Raymundorum familia, quæ adhuc maximè floret Comi, fuisse dicendi sunt, aut cognomentum ejusdem familiæ hinc proveniisse, ut & nos putamus. Non enim credibile est Menasienses hoc nomen Comensibus imputasse, nisi hoc vocabulum aliquid sonuisset injuriosum. Certè Grotius in suo vocabulario dictionum Gothicarum, Vandalicarum, & Longobardicarum ad vocem *Ricimundus*, seu Rhimundus significari dicit hac voce, hominem *ore pollentem*, nec incredibile est Menasienses imputasse Comensibus eos fuisse homines glorioSos, qui magis linguâ, quàm manu præstarent. Aliam interpretationem suggerit nobis & Longobardicum idioma. Vox enim *Ray* apud Longobardos idem sonabat ac *cadaver*. Vox verò *Mund* idem sonabat ac *bucca*. Raymundus ergo idem sonat ac *os cadavericum*. Quid ni igitur arbitremur à Menasiensibus Comenses vocatos *ora cadaverica*? Meliùs interpretetur, qui potest.

(43) Hoc est Comenses hujus injuriæ impatientes mori malunt, quàm inulti discedere. Dissimulant tamen, interea dum fundas, & balistas parant, ut turrim evertant.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXIV.

Qui sic exprobrant, illos impunè relinquunt.
Componunt fundas, & circumquaque balistas,
Et subeunt * diram facta testudine (44) * turrim.
Conquatit hìc * aries murum feriendo deorsum, (45)
Desuper * ardentem fundunt picem, & insimul ignem.
Effodit (46) hîc lapides * aries feriendo minores.
Confossus paries, quæ sunt intus manifestat:
Hinc ignem mittunt, hinc tædas intro retrudunt, (47)
* Accensusque ignis tunc cum flamma citò surgit.
Vasa (48) cremare facit, refluit caro pinguis ad ipsos.
Clamant auxilium moribundi morte propinqua.
* Fune dato pariter dilabitur unus & alter.
Mortis in exitium sic evasere periclum.
Interea (49) gentes Cumanas Canturienses
Devastant ubicumque queunt, mala semper in illis (50)
Exercent, capiunt, ardent, prædant, perimuntque,
Atque necant captos missos in carcere multos.
Non cessant villas, casas obsternere multas,
Albatem (51) vastant, * Leppomum, sicque Trecallum.
At memores nostri tantarum nequitiarum,
Tractant consilium, componunt (52) illico signum,
Disponunt bellum, sicut tunc est faciendum;
Postquam (53) dimissi domibus sunt inde reversi,
Compositum signum * spectant ad bella futurum.
Altera lux egressa polo resplenduit orbi.
Aerea signa tonant, resonant quoque signa tubarum.
Tunc pedites veniunt, equites ad arma recurrunt.
Incœptumque tenent iter, ad loca pessima (54) tendunt.
Quinque viri miseri perdunt de corpore vitam.
Trux erat * ex illis unus Gasurius intus.
Abdita tunc (55) intrant loca, quæ fuerant sibi jussa.
Primi Canturium repetunt, vada fluminis intrant. (56)
Certatim currunt (57) omnes fera bella petentes.
Canturienses tunc tendunt pariter simul omnes.
Hostes (58) tunc fugiunt, omnes illosque sequuntur.
Conversi (59) fugiunt equites, socioque reposcunt.
Transgrediuntur eos, illi fugientibus instant.
Insidias postquam cognoscunt (60) esse, * regressus
Signa viris faciunt, latebrasque foventibus intus.
De latebris equites properant, * vada fluminis intrant.
Illic signa tenent, prohibent transire volentes,

* *Alt. MS. liram.*
* *Alt. MS. funi.*
* *Alt. MS. acies.*
* *MS. ardent.*
* *MS. acies.*
* *MS. Accensus ignis.*
* *MS. Fune dato.*
* *Alt. MS. Leponium.*
* *MS. spectabat.*
* *MS. in illis.*
* *In alt. MS. reversos.*
* *In MS. deest* vada.

Hîc

(44) *Facta testudine* de militum clypeis. Vide Lipsi. Poliorc. lib. 1. dial. 5.

(45) *Deorsum*, hoc est ad pedem Turris.

(46) Aries ita compactus erat, ut muro impactus, resiliret cum ea muri parte, quam percusserat, ac præcipuè secum traheret resiliens lapides minores, qui minùs impulsui resistebant.

(47) *Retrudunt*, hoc est intrudunt. Ita sæpe Poeta *repetere* pro *petere*, *recludere* pro *claudere* usurpat.

(48) *Vasa* in quibus fortè servabant victualia. *Resluit caro pinguis*, vel hominum combustorum, vel animalium, quibus ad cibum utebantur, extra turrim ad ipsos Comenses.

(49) *Interea* Canturienses infesti Comensibus ingruebant. Canturium est oppidum nobile agri Mediolanensis ad Comensium fines. Como distat quinque milliaria in meridiem.

(50) *In illis*, corrige *in illas*, nempe gentes Comenses.

(51) *Albatem* vastant *Leppomum* atque *Trecallum*. Albatum, Leppomum, & Trecallum tres pagi sunt in agro Novocomensi. Primum Como distat tria milliaria in orientem hybernum, secundum duo ex eadem parte, tertium duo & dimidium in meridiem, in ipsa via, quæ Como Canturium ducit.

(52) *Componunt* hoc est exponunt publicum belli signum.

(53) Postquam à publico conventu Comensium Proceres dimissi sunt, domum regredientes vident expositum belli vexillum. *Domibus* pro *in domos suas*. *Futurum* nempe *futuri belli*.

(54) Ita interpretati sumus obscurum vocabulum, iisdem ferè literis in utroque exemplari conscriptum. Utitur enim sæpiùs noster Auctor hac voce ad explicanda hostium loca. Inter Comum & Canturium media ferè via mons est Togollius, hodie vulgò *Mongollio*. Ibi Mediolanenses Gasurium quendam constituerant, cum aliquot militibus, qui locum illum defenderent maximè opportunum, ut refert Bened. Jovius. Illo repentè potiti Novocomenses Gasurium occiderunt, cum aliis quatuor.

(55) Tunc Comenses in duas partes divisi, unam Canturium versùs miserunt, alteram in insidiis abdiderunt. Hæc igitur posterior pars abdita loca penetravit, ut jussa fuit, expectans primam, quæ præmissa ideo fuerat, ut Canturienses, fugam simulans, in insidias traheret.

(56) *Vada fluminis intrant*. Inter Togollium montem, & Canturium humilis atque uda planities extenditur, quæ propterea hodie vulgò dicitur il Bassone. Hanc planitiem limosus rivus, aut potiùs palus intersecat, cui vulgo nomen Aquanigra, Italicè *l'Acquanera*. Paludem igitur hanc Comenses trajecerant.

(57) De adventu Comensium Canturienses admoniti ad arma concurrunt.

(58) *Hostes* hoc est Comenses fugiunt, seu potius fugam simulant. Canturienses illos insequuntur.

(59) *Conversi* retro Comenses equites ad socios in latebris positos fugiunt, eosque transgrediuntur, ut medios hostes intercipiant. Canturienses fugientibus instant.

(60) Postquam Comenses cognoscunt intra insidias tractum hostem, militibus suis dant signum, ut in hostem se convertant, simulque dant signum suis, qui in insidiis erant, ut è latebris egrediantur. De latebris egressi paludem transeunt, atque in adversa ripa consistunt, ut impediant Canturiensibus fugam.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXIV.

Hîc prohibet (61) greſſus ſtans * indefeſſa juventus,
Proſternit multos, morientum calcat acervos.
Fluminis in ripa ſunt omnia ſanguine tincta.
Sed qui tranſierant (62) occurſus denique ſpectant.
Hîc ſibi ſuccurrit miſeris via nulla ſalutis.
Quid faciant penſant, * ut tendant (63) mœnia clamant.
Confuſi fugiunt, fugiendo * confodiuntur.
Improperant illis equites (64) Albatem * atque Lepomum.
Poſt ictum factum referunt: * tu tolle Trecallum.
Corporibus * ſtratam proſpectant undique terram.
Sanguine concreto labuntur, & arma * ferendo.
Collecto ſpolio læti (65) ſunt inde reverſi.
Plus ſexaginta ſunt corpora foſſa relicta.
Ad Mediolanenſes mittunt Canturienſes, (66)
Dirigit atque ſuos Legatos Inſula mœſtos,
Atque ſuos triſtes ſocii mittunt ſimul omnes,
Ante pedes flentes, illoſque cadendo (67) rogantes,
Ut ſibi ſuccurrant. Hoſtes (68) nimis acriter inſtant.
Ferre diu tantos dicunt non poſſe labores,
* Sunt Cumanorum tam fortia facta virorum.
Iſtis auditis commoti felle doloris
Mittunt ad plures, conſcribunt undique gentes,
Partes, ut veniant Cumas, circumque reponant
Obſidium, pugnent ſic quòd non egrediantur. (69)
Convenere. Magis tantæ ſunt, quàm quot arenæ,
Gentes, oppugnent ut * mœnia nocte dieque.
Inveniunt (70) intus quales tunc Hector, & Ajax,
Et ſacer Æneas fuerant cùm Pergama ſtarent.
Hîc * indefeſſum decernunt agmina bellum.
Non prope ſtant murum, bellum dant agmina durum, (71)
Sed vallum citra (72) longè fit pugna diurna.
Manè tenent cœptum bellum, ſeroque remiſſum. (73)
Tranſierantque dies; (74) jam * noſtris præterit unus,
* Mandere cùm nequeunt, illiſque cibaria deſunt.
Tunc Proceres, (75) naves juvenes qui ſcandere debent,
* Decernunt, alios urbem debere tueri.
Scandunt * naves, dilectam repetunt Grabedonam,
Quò fuerant (76) cives Tellina Valle morati.
Hi duxere ſuos fictus, & debita quæque,
* Appulerantque (77) citò naves, & debita quæque
* Excepere ſinu, redeuntque viam per eandem;
Civibus, & ſociis ſatagunt ſuccurrere feſſis.
Dumque citò greſſu (78) redeunt properanter ad urbem,
Ecce via media ratibus ſtetit Inſula * contra,
Ferre ſuis ſociis (79) bellum communiter omnes,
Incipiuntque viros adversùs. Sed citò cives,
Aggreſſos poſtquam ſe noſcunt, roſtra revolvunt.
Atque ſupra tendunt illos, & in ordine pugnant,
Dirumpunt illos (80). Acies contra gradiuntur. (81)

* *In alt. MS. indefenſa.*
* *MS. ubi.*
* *MS. confunduntur.*
* *In alt MS. ſicque Leponium.*
* *MS. tutele.*
* *In alt. MS. ſternatam.*
* *MS. fluendo.*
* *MS. eſt.*
* *MS. optimè.*
* *MS. indefenſum diſcernunt.*
* *In alt. MS. deeſt* noſtris.
* *MS. Mandare.*
* *In alt. MS. cernunt.*
* *In MS. deeſt* naves.
* *Totus hic verſus deeſt in alt. MS.*
* *In alt. MS. Ex tempore ſenum.*
* *In alt. MS. tota.*

At

(61) Ex altera parte Comenſes in hoſtem converſi prohibent illi ulteriùs procedere, plurimoſque proſternunt. Canturienſibus terga vertentibus obſtant, qui paludem præoccupaverant. Plures ergo interempti ſunt &c.
(62) Hoc eſt Canturienſes, qui ut hoſtem effugerent, Aquam nigram tranſire putaverāt, *occurrere ſibi vident Comenſes* illos, qui paludem occuparant.
(63) Omnium una Canturienſium vox erat, ut ad patria mœnia fugam arriperent.
(64) *Equites* Comenſes.
(65) *Læti* Comenſes.
(66) *Canturienſes* & Inſulani Legatos Mediolanum mittunt.
(67) Hoc eſt procumbendo ad Mediolanenſium pedes.
(68) Comenſes intellige. Hæc enim Legatorum verba ſunt.
(69) *Sic, quòd non egrediantur*, hoc eſt, ita urbem Comenſem ſtringant, ut cives egredi nequeant.
(70) Hoc eſt: Verùm Mediolanenſes *inveniunt* tales in urbe defenſores, quales & Græci Trojæ invenerunt, ut Hectorem, & Ænæam. Ajacis autem Poeta noſter ſimilitudinem ſumit, ut ipſi fortitudine Comenſes aſſimilet. Cæterùm Ajax pro Græcis non pro Trojanis pugnabat, ut nemo neſcit.
(71) Frequentes Comenſium excurſiones non ſinunt hoſtem ad muros urbis accedere.
(72) *Citra*, hoc eſt *extra*.
(73) Pugnatur à primo manè ad noctem.
(74) Plures jam dies erant, à quo Cives obſeſſi fuerant, jamque una dies exceſſerat, qua Cives annonæ inopia maxima laborabant.
(75) Tunc Proceres urbis aliquos juvenes deligunt, qui navibus annonam quæſitum eant.
(76) Ubi commorabantur nonnulli Comenſes Cives, qui de Valle Tellina annuos reditus Comum advehere nitebantur. Hujuſmodi autem reditus colligebantur ex tritico, vino, legumine &c. quibus diu jejunæ urbi conſulerent.
(77) *Appulerantque citò* Grabedonam Comenſium naves iis obviam miſſæ, jamque victualibus oneratæ per eandem viam, qua venerant, Comum redibant.
(78) *Cito greſſu* hoc eſt citato per lacum itinere.
(79) Carminis hujus, ac dimidii ſequentis obſcura verba, ita nullo duce interpretamur: Inſulani Comenſibus obſtiterunt media via, & conſcii eos inferre bellum Mediolanenſibus Inſulanorum ſociis, priuſquam navibus ſuis Comenſium naves aggrediantur, aggrediuntur conviciis & ſagittis viros, qui in illis erant.
(80) *Dirumpunt illos*, hoc eſt irrumpunt Comenſium naves in Inſulanas, eaſque diſſociant.
(81) Tamen Inſulanorum, & Comenſium claſſis acie collecta concurrunt.

Digitized by Google

At ratis (82) una nimis velox ad jurgia ſolvit.
* Ora peroſa ferens jactabat turpia verba;
Quam ferit (83) una ratis velox, quæ * concita remis,
Et latus intus agit, quoque linea tegmina frangit.
Rima patens (84) intus permiſit mergere fluctus.
Icta fugit bello, (85) ferè demerſa profundo.
Dum percuſſa fugit loca ſtabiliora petivit.
Tunc iter * arreptum longo certamine tractum (86)
Uſque tenent (87) cives; qui non certamina * tractant, (88)
Sed tamen ut poſſunt hoſtem poſt terga ſequuntur,
Donec (89) * protractum bellum ſervant ad agendum,
Ante venit caſtrum; cùm longa lite retractum,
Hîc hæſit bellum, quia * confugium ſibi tutum
Eſſe putant caſtrum, forſan illis malefactum
Si fuerit bellum, vel quòd * ſit fortè periclum.
Conveniunt hoſtes, (90) circumdant agmine cives
Undique ſurgentes, * navalia bella petentes,
Et ſtrepitum dantes armorum, ſicque ruentes
In cives lapideſque, ſudes, jaciuntque ſagittas.
Tunc acie facta cives conſtanter ad illos
Vertunt roſtra ratum, ferìunt naves, quoque frangunt,
Et trabibus, roſtris geritur res, atque ſagittis,
* Et lapides, jaculoſque ſudes jaciunt ſimul omnes
Puppibus. Illarumque (91) duæ citò ſunt ibi fractæ,
Quæ niſi ceſſiſſent, ſub aquarum mole ſtetiſſent.
Tunc fugiunt aliæ, citò ſunt caſtroque receptæ.
(92) Aſt iter incœptum cives conſtanter apertum
Obſeſſos repetunt cives alimenta ferentes.
Interea Cumis * fera quotidiana geruntur
Bella ſub obſeſſos pluſquam civilia muros.
Nulla dies tranſit, quæ non pugnata fuiſſet.
Urbs Cumana nimis, ſed victrix uſque remanſit.
Manè tenet cœptum bellum, ſeròque remiſſum.
Hoſtibus à ſocii (93) defendunt mœnia telis.
Inſula non ceſſat ſemper de nocte furari,
Litoribus, ſcaphis, & civibus inſidiari:
Quos poſſunt perimunt, captos in carcere claudunt,
Humida (94) * fert potiùs piſcantes lina trahentes.
Conſilium cives tractant, ſimul omnia penſant.
Inſula conſilium tu nunc hoc experieris:
Secretum (95) tantum pro te decet eſſe relictum.
Quod * facis in nobis, hoc tu menſura videbis (96):
Tu facis obſidium, ſed obſidium patieris.
Conſilium cives * adhibent, ſtatimque recedunt, (97)
Tendunt ad caſtrum, cui nomen Inſula fertur. (98)
Obſidium ponunt inviſo denique caſtro.
Stant cupidè, circum decertant agmina caſtrum.
Saucia (99) turba fugit multis percuſſa ſagittis.
Icta petit latebras, nequit ultra ferre ſagittas.
Cætera (100) turba domos, * & muros ſuffodiebat.
Cunctaque vaſtabant, * & campos comminuebant,
Rura ſuper (1) firmos muros inviſa ruebant,

* *In alt. MS. Et impetum faciens.*
* *In alt. MS. cuncta.*
* *MS. abreptum loco.*
* *In alt. MS. tractum.*
* *MS. pertantum.*
* *MS. confugiunt.*
* *MS. ſeu.*
* *MS. vana alia.*
* *Totus hic verſus deeſt in alt. MS.*
* *MS. bella.*
* *In alt. MS. ſed potiùs.*
* *In alt. MS. feris.*
* *MS. habitum.*
* *MS. muroſque.*
* *In alt. MS. communiebantque campos.*

Cœ-

(82) *At ratis* una Inſulanorum, præiens cæteras, ore impudenti linguam ſolvit in fœda convicia.

(83) Quam ferit una Comenſium navis, illique latus infringit, & linea tegmina, quibus Comenſis lacus navigia operiuntur.

(84) *Rima patens* admiſit aquas, adeò ut illis pæne impleretur, ac mergeretur.

(85) *Icta fugit bello*, hoc eſt pugnæ ſe ſubtrahit, atque ad Inſulæ portum fugit.

(86) *Tractum*, hoc eſt in longum protractum.

(87) *Uſque tenent*, hoc eſt eouſque ſuſpendunt, donec &c. vide verſum 999.

(88) *Qui non certamina tractant*, hoc eſt qui eò non venerant, ut pugnarent.

(89) Ordo verborum hujus, & ſequentis verſus eſt: *ſervant* ſe ad acriùs pugnandum, donec *bellum pertractum fuerit ante Inſulæ caſtrum*, eùm tandem pugna longo Marte diſcuſſa, ſub Inſulæ caſtro recruduit, quia Inſulanis tutiſſimum erat ibi confugium, ſi malè ſe res habuerint, aut aliquod periculum ſit, ne malè res geſta ſit.

(90) *Conveniunt hoſtes* ad litus, naveſque conſcendunt, & acie inſtructa Comenſes medios intercipiunt, undique inſurgentes.

(91) *Illarumque* nempe navium Inſulanarum duæ confractæ ſunt, quæ niſi citò citiùs receſſiſſent &c.

(92) Aſt iter incœptum cives conſtanter repetunt, ferentes alimenta ad cives obſeſſos.

(93) *Hoſtibus à ſocii*, hoc eſt ſocii ab hoſtibus.

(94) Piſcatoriis tantùm navibus ignoſcunt.

(95) *Secretum* Comenſium conſilium, ſi cui tectum eſſe debet, eſt jure tibi, cujus in perniciem ſervatur implendum.

(96) *Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*. Luc. 6. 38.

(97) *Conſilio* habito, Comenſes è conventu recedunt, ut illud opere impleant.

(98) Tendunt videlicet ad caſtrum, quod erat in Inſula propria.

(99) *Saucia* Comenſium *turba fugit*.

(100) *Cætera* Comenſium *turba* (dum altera ſub caſtri mœnibus dimicat) in vicinum litus emiſſa, omnia latè vaſtat.

(1) Ordo verborum eſt: *Ruebant*, ſeu diruebant Comenſes ædium ruſticarum muros, & maceriam effundebant in agros. Sonat *ſuper rura* quod *ſuper agros*.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXIV.

Cæsaque multa trahunt in acervum ligna, cremabant. (2)
Stant trepidi, clauso nequeunt * discedere castro. * *MS. defendere.*
Nocte dieque simul circumdant agmina saxum.
Tollere (3) non possunt aliquid, vel vendere quidquam.
Atque diu duro * servant sua tegmina (4) saxo. * *In alt. MS. siccant.*
Inque duas naves (5) cives posuere balistas
* Quæ dirum feriunt * violento turbine castrum. * *In alt. MS. deest* quæ.
Castrum tormentis expugnant, atque flagellis. (6) * *In alt. MS. viam.*
Interea Cumæ nimis * oppugnantur iniquè. * *MS. pugnantur.*
Hostibus à sævis defendunt mœnia telis.
Cumani Proceres, depellunt longiùs hostes.
Insula sed (7) similique modo pugnatur ubique.
Sed tamen (8) à castro duros pellunt inimicos.
Devolat à castro velox nimis una sagitta,
Te Pagane (9) petens, oculum fixit tibi dextrum:
Transvadit, cuspis tunc se retro patefecit. (10)
Qui fueras rebus dives satis & generosus
De Beccaria Paganus nomine dictus,
Qui vivens, (11) tristes cives de morte * relinquis. * *In alt. MS. dolentes.*
Versantemque oculos, animamque per ora vomentem
Suscipiunt, urbique ferunt secum * ad humandum. * *In alt. MS. adjuvandum.*
Cùmque diu nimis esset tractum (12) tempore longo
Obsidium, partes (13) nequeunt jam ferre laborem,
Et pudet (14) argutas * acies fessasque videre, * *MS. aciesque videre fossas.*
Atque placet fessis propriam jam visere terram.
Deponunt animos fessi (15) non segniter omnes,
Castraque tolluntur, tentoria fracta resolvunt. (16)
Nec mora: sic lassi citò sunt ad tecta reversi,
Jam celebraturi festum Paschale reversi.
Prima dies Paschæ transit, transitque secunda,
Tertia lux radio cœperat clarescere mundo,
Adfuit ad solitum cœtum Cumana juventus,
Perfida de * Naxo (17) memorantes facta virorum, * *MS. Naxio.*
Olim quæ multis fecerunt, quos * peremerunt. * *MS. perimerunt.*
Impetus ut ventus (18) statim fuit omnibus intus,
Consona * clamabat super illos una voluntas. * *MS. clamabant.*
Currunt ad classes simul omnes arma ferentes.
Fit rumor & strepitus, resonabant litora plausu,
Aerea signa sonant, & cornea signa fremebant,
Ascendunt (19) omnes, solvunt de litore classes,
Propellunt rigidas immensi gurgitis undas,
Cæruleæ versantur * aquæ, virideque procellæ. * *MS. atque.*
Ad Naxum veniunt puppes prope litora stantes.
Tunc sibi quæque ratis * quæ sint loca tuta requirit. * *In MS. deest* quæ.
A socia divisa locis stat prima remota, (20) * *In MS. est alter hic versus*: Quæ ut exterior sunt tibi desuper omnes, *qui cùm nihil significet, meritò à nobis omittitur, ut spurius.*
* Inde tenent longè loca, quæ sint inde remota.
Sic sunt à sociis omnes longèque remotæ,
Pestiferique (21) suos anfractus undique spectant,
Atque suos aditus, & pervia quæque tuentur,
Saxa superfundunt, * inimicum à monte repellunt. * *MS. inimicos.*
Dum sic contendunt, & ludicra verba minantur, (22)
Diximus ut supra, (23) fueratque ratis super omnes

Emi-

(2) *Cremabant*, & illa comburebant, vel *cremanda*.
(3) Hoc est aliò in tutum transferre, vel aliunde comparare, vel aliis vendere.
(4) *Sua tegmina*, hoc est sua tecta. Non enim poterant prædatum egredi, ut solebant.
(5) *Inque duas naves*, hoc est in duabus navibus.
(6) *Flagellis* pro quibusque bellicis machinis ad evertendos muros appositis.
(7) Sed simili modo ex omni parte oppugnatur Insula. *Pugnatur* pro *oppugnatur*.
(8) *Sed tamen* Insulani Comensium conatus omnes retundunt.
(9) *Paganus Beccaria* Patritius Novocomensis dextrum oculum sagitta confixus cadit.
(10) Oculum sagitta pervasit, & ex opposita capitis parte emicuit.
(11) *Qui vivens* ad superiorem versum refertur, at meliùs *qui moriens*.
(12) *Tractum*, hoc est protractum in longum tempus.
(13) *Partes* Comensium.
(14) Hoc est, & pudet videre labore fessas Comensium acies quantumcumque strenuas, & laboribus assuetas. Ita enim sonat ly *argutas*.
(15) Comenses Comum redire constituunt, non segniter fessi, hoc est fessi, sed non segnes.
(16) *Resolvunt*, hoc est avellunt.
(17) Naxus, hoc est Nessium, vulgò *Nesso* est territorium ad lævam Larii Comum decurrentis, Como distans in boream 10. milliaria. Sunt in eo duo pagi scopulis impositi, quorum alter Como proximior *Nessium inferius*, alter *superius* appellatur. Habet à tergo vallem pluribus aliis pagis insperſam. Totum hoc territorium ad Comensem Diœcesim spectat, cùm olim subesset & jurisdictioni Comensium, sed à Comensibus ad Insulanos defecerat.
(18) Ut omnibus venit impetus. *Ventus fuit*, pro *venit*.
(19) *Ascendunt* Comenses *omnes* classem.
(20) Navis quæ cæteras anteibat superiorem litoris partem occupat, à cæteris navibus divisa: cæteræ tenent litus ab aliis remotæ, atque ita singulæ à singulis hinc & inde discretæ.
(21) *Pestiferique* Nessienses.
(22) *Ludicra verba minantur*, hoc est minas intentant à Comensibus joco acceptas.
(23) Vide vers. 1085. Illa igitur navis, quæ superiorem cæteris locum occupaverat, emisit in litus milites, qui hostem cæteras naves è scopulis observantem à tergo agressi, castro potiti sunt, ita ut Nessienses ad suos redire nequiverint.

Digitized by Google

Emiſitque viros, incautos occupat, hoſtes — Anno Chriſti MCXXIV.
Expulit à caſtro. Nequeunt ſuccurrere natis.
Sic intrant caſtrum captum ſinè Marte relictum.
Peſtiferos (24) captos ducunt in manè ligatos.
Hæc Mediolanenſes propter facta dolentes — Anno Chriſti MCXXV.
Continuò bellum mutant aliter peragendum.
Mandant ad Leucum (25), * quod ita ut famulus deſeruit, — * *In MS. deeſt* quod.
Naves atque jubent tot feſtinare (26) quot optant.
Mandant triginta quæ pugnam ſint quoque juxta. (27)
Hoc opus * in totum (28), per totum quod tenet annum. — * *MS. in tantum.*
Interea (29) ſemper non ceſſant quærere gentes,
Quæ veniant bello jam dicto tempore Majo,
Quæ repleant montes, naves pariter, quoque valles,
Obſideant colles, qui ſtantes (30) ſint ſuper omnes,
* Conducant equites, peditesque arcuſque ferentes, — * *MS. Conducunt.*
Expugnent hoſtem, partes per quattuor * urbem — * *MS. urbis.*
Circumdent totam, parvam nec non Cluniolam (31).
Viribus atque viris * arcem pariterque potentem (32), — * *MS. aciem.*
Expugnent circùm facientem prœlia Vicum. (33)
Mœnibus undoſis (34) ter ſenæ gente refertæ
Procedunt naves ad bellum ſigna ferentes.
Guido priùs naves benedixit Epiſcopus iſtas.
Tendunt ad Turnum (35), miſſum ſpectant ibi bellum.
Undique jam gentes (36) veniunt, populique ruentes,
Sicut magnarum in ſentina (37) rivus aquarum,
Partibus à cunctis refluunt, faciunt velut amnis,
In mare qui currit, ſociis junctis ſibi rivis.
Fluctibus & ſtellis, fulvis referuntur (38) arenis.
Circumdant urbem, Vicum, nec non Cluniolam.
Procedunt cives, pellunt à mœnibus hoſtes,
Bellum committunt, hoſtem feriendo repellunt.
Pugna fit ante fores, hoſtes ſternuntur atroces:
Defendunt Proceres quaſi jam (39) loca dicta leones,
Cùm ſua pro vita (40) defendunt pignora nata.
Dum ſic ad Cumas certantur (41), nec ſuperantur,
Non minùs ad Turnum bellum geritur furibundum; — * *MS. clauſere.*
Namque dies terris poſtquam * clareſcere cœpit,
Ecce movere (42) lacum pro tanta claſſe videtur,
Omne natare nemus credebant eſſe reciſum.
* Quique ſuper cunctos (43) ſe noſcunt eſſe futuros, — * *MS. Quaſque.*
Vocibus atque tubis & cornibus aëra pulſant.
Sunt etiam ſuperi colles de gente referti (44).
Emittunt cives clauſos de tegmine montis.
Alt medio (45) dudum pelago, durumque retractum

Com-

(24) *Peſtiferos* vocat Poeta noſter Neſſii incolas. *In manè*, hoc eſt manè facto. Noctu enim Comenſes Neſſium venerant.

(25) Leucum eſt oppidum nobile ad extremam Larii lacus oram, quà fluvius Abdua iterum fluit è Comenſi lacu, ac Padum versùs decurrit Laudem Pompejam præteriens. Leucenſibus igitur, qui Mediolanenſibus famulabantur ut ſervi, Mediolanenſes nuncios mittunt &c.

(26) *Feſtinare*, hoc eſt confeſtim parare, quot naves Mediolanenſes optant.

(27) Hoc eſt, quibus eodem tempore, quo Mediolanenſes terrâ obſident Comenſem urbem, Leucenſes ex parte lacus eandem ſtringant, & oppugnent.

(28) *Hoc opus in totum*, hoc eſt: Atque hoc ſuis navigiis toto anno ſervitium Mediolanenſibus præſtent.

(29) *Interea* Mediolanenſes haud ceſſant novas gentes conſcribere, quæ proximo menſe Maji ad bellum veniant.

(30) Hoc eſt colles eminentiores occupent.

(31) *Cluniolam*, ſeu ut in alio MS. *Cruniolam*, hoc eſt Coloniolam *Borgo di S. Agoſtino*.

(32) *Arcem pariterque potentem*, hoc eſt arcem quam habebant Comenſes in Vico ſuburbano.

(33) *Facientem prœlia Vicum*, hoc eſt totum Vici ſuburbium, unde tot ſtrenui viri adverſùs Mediolanenſes prodibant.

(34) Hoc eſt: extrà Comenſis urbis mœnia in lacu fundata procedunt in hoſtem decem & octo Comenſium naves armatæ, Comenſium inſignia præferentes.

(35) *Tendunt ad Turnum* hoc eſt ad Turni promontorium, de quo ad verſ. 170. atque ibi expectant naves Leuco venientes adverſùs ipſos miſſas, ut eas aggrediantur.

(36) Undique jam Comum conveniunt gentes à Mediolanenſibus in ejuſdem urbis excidium miſſæ.

(37) *Sentina* propriè ſignificat navis inferiorem partem, in quam confluunt ſordes omnes, ſed hîc ſumitur pro cloaca.

(38) *Referuntur*, hoc eſt æquantur. Ita & alibi noſter Auctor.

(39) Hoc eſt: Defendunt loca ſuperiùs dicta, quaſi jam leones.

(40) *Pro vita* ſervanda ſuis catulis.

(41) *Certantur* hoc eſt prœlio detinentur.

(42) Hoc eſt: ecce undare lacus videtur tot remis fractus, & natare reciſum nemus: tot erant Leucenſium naves, quæ Comum versùs adveniebant.

(43) Hoc eſt, qui cæteros ſuis navibus anteibant.

(44) Cùm autem plures gentes in Comenſium damna concurrerent, quàm capi navigiis poſſent, ex utraque lacus parte per montes pedeſtri itinere plures adproperabant.

(45) Obſcura & mutila ſunt hæc duo carmina, ſed Poetæ mens patet. Viſo enim hoſtilis claſſis adventu, Comenſes è Turni promontorio ſub quo latebant ſua in hoſtem emiſere navigia. Sed poſtquam medio lacu diu incerto marte certatum fuit, Comenſium naves retro roſtra vertebant, ac prœlio ſe ſubtrahere nitebantur.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXV.

Commissum bellum convertunt rostra retrorsum.
Ire ferire * timens sibi navis quæque cavebat.
Sed levior (46) ratis una minor, quæ prompta ferire
Ictum famosum primum cupiebat habere,
* Cui fuerat nomen Rattus, nec non simul * ortis
De Vico stipata viris, armataque remis,
Hæc volat, atque furit; demens! perit icta sub undis,
Quam socii (47) lapsam satagunt relevare foratam,
Excipiuntque viros sub aquis * nantes perituros.
Mortis in exitium tamen evasere periclum,
Sed remanent pauci cum piscibus associati.
Talia dum fiunt, alia de parte (48) profundum
Una fuit confracta ratis, tetrumque tenebat.
* Quam sociæ naves sataguntque juvare ruentem,
Sed nequeunt, sub aquis cum * nautis illa tenetur.
Ad bellum Cumis fera quam nunc Insula misit (49),
Hæc inimicis mœsta fuit circumdata diris,
Capta suis omnino viris spoliatur, & armis,
In qua (50) sunt hostes duo capti nave feroces.
Proditor est Arialdus, dictus qui * & Paradisus,
Nec non Albertus Natalis, qui ferus olim
Interfectorum fuit actor ille duorum,
* Ut super Oldradi, & Bertrami carmine scripsi.
Horrendum bellum (51) fuit hoc nimiumque pavendum.
Quisque videre lacum poterat tabulis adopertum,
Et trabibus, * velis, clypeis, armisque refertum.
Namque rates aliæ fractæ pluresque foratæ
* Furcis & trabibus fuerant quasi discoopertæ.
Quæ modò veloces fuerant, sunt nunc graviores.
Pro * rebus fractis factæ sunt jam pigriores.
De Leuco geminæ (52), * fuerantque parum memoratæ,
Hostibus argutis præventæ, sunt citò captæ,
Armis, atque viris & remis sunt spoliatæ;
Cùmque vident hostes captas sic quattuor (53) istas,
Conversi fugiunt, istos (54) in morte relinquunt,
Et repetunt castrum (55) nimium longè sibi tutum.
Cives ad Naxum fugientes usque sequuntur.
Jam signum resonante tuba datur omnibus ire (56),
Ut redeant, socioque (57) juvent, urbemque revisant,
Quosque sciunt longo nimium certamine fessos,
Et secum captas retrahunt tunc quattuor istas
Naves, quas duro ceperunt Marte perempto (58).
Excipiunt illos cives, & Episcopus omnes,
In portum redeunt, captos in carcere (59) trudunt,
Continuò validum subeunt depellere bellum (60),
A Vico pellunt hostes, & ab urbe feroces.
Tunc Mediolanenses ad * tentoria tristes,
Se credunt tristes, tantorum morte dolentes.
Nocte petunt (61) * inter media veniente catervæ,
In feretris referunt clam cæsa cadavera secum.
Sunt * plures rediti (62), sed sunt plus uno perempti.
Bello truncati sunt plures quàm revocati. (63)
Distribuunt (64) spolium victores insimul omnes,

* *MS. timent.*
* *MS. Cum.*
* *MS. ortus.*
* *MS. natantes.*
* *MS. Quæ.*
* *MS. à nantibus.*
* *MS. est.*
* *MS. Sicut sub.*
* *MS. viris.*
* *MS. Furcibus, & trabibus.*
* *Fortasse* remis.
* *MS. fuerant.*
* *MS. temptoria.*
* *MS. iter.*
* *In MS. deest* plures.

Vota

(46) *Sed levior* una navis, quam strenui quidam juvenes è Vico armaverant, cùm omnium prima hostem aggredi cuperet (erat navi nomen Rattus) fracta submersaque est.
(47) *Quam socii* Comenses.
(48) Hoc est ex parte Leucensium alia navis fracta est, ac tetrum profundum tenebat. Ly enim *profundum* huc transferendum est, ut constet ordo verborum.
(49) Altera navis, quam Insulani Leucensibus mixti advehebant, capta est, cùm eam Comensium naves mediam intercepissent.
(50) *In qua* navi capti sunt à Comensibus duo ipsis hostes infensissimi, nempe Arialdus Paradisus, qui Comenses prodiderat, & Albertus Natalis, qui Oldradum & Beltramum Comenses cives occiderat, ut superiùs vidimus ad vers. 381. 828. 832.
(51) *Bellum* pro pugna passim ab Auctore nostro usurpatum.
(52) *De Leuco geminæ* naves parum à nobis memoratæ, hoc est de quibus mentionem facere omisimus, à Comensibus interceptæ captæ sunt. Ly *argutis* idem significat ac solertibus, callidis, & promptis.
(53) *Quatuor*. Nempe una Insulanorum, ac tres Leucensium, quarum tamen una submersa non capta est.
(54) *Istos*, nempe vel captos, vel lacu mersos, ut suprà diximus.
(55) *Castrum* Insulæ.
(56) *Ire*, hoc est *eundi* Comum versùs.
(57) *Socioque* Comi obsessos, quos sciunt longo certamine fatigatos.
(58) *Marte perempto*, hoc est prœlio ad finem ducto.
(59) *In carcere* hoc est in carcerem. At errata Grammaticæ hìc emendare non vacat.
(60) Navibus egressi Novocomenses illico subeunt fessis, atque hostem ab urbe repellere connituntur.
(61) Hoc est nocte media interveniente Mediolanensium catervæ ad mortuos efferendos eunt, ac secum suorum cadavera sepelienda Mediolanum ferentes, obsidium solvunt.
(62) *Sunt plures rediti*, hoc est Mediolanum *regressi*.
(63) *Revocati* nempe ad patrios lares reversi.
(64) *Distribuunt* Comenses inter se spolia.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXV.

Vota ferunt templis pro caris dona maritis.
At memores (65) cives Bertrami morte dolentes
Ad * Vogenzatem tendunt : ibi pectore * fossus
Bertramus Brocchus vir dives & generosus,
* Quadrupedis tergo cecidit resupinus in armis.
Ast Vogenzenseſque (66) parant contendere contra.
Obvius hîc aderat Guidonis filius unus (67)
Albertus, * cui pauca fuit jam vita, vocatus,
Occidit infelix læthali vulnere stratus.
Reddidit hic animam calido cum sanguine mistam.
Cum sociis fugiens Manfredus (68) bella relinquens
Cinimidum fugiendo petit, statimque subintrat
* Eccleſiam, atque fores sociis secumque recludit.
Ast hostes (69) circumveniunt, ignemque reponunt,
Accendunt villam, statim rogus occupat illam,
Uritur * ac illud cum villa nobile templum,
Prosiliuntque viri, se reddunt hostibus usti:
Ducuntur capti, clauduntur carcere vincti.
Dumque iter ad Cumas (70) illis via publica donat,
Inque * revertentes simul adsunt Vertematenses,
Jactantes jaculos, & turpia verba ferentes,
Transitus hinc illis * ne sit, pro posse (71) laborant.
Denotat (72) hîc illos clam tunc exercitus omnes,
Pauca tamen dicunt, ad jurgia verba remittunt:
Pœnam solvetis * sed in isto mense gemetis.
Tunc insultabant, * illi post terga fremebant.
Postque dies paucos (73) semitam redeunt per eandem,
Ad loca quæ dudum fuerant disposita tendunt,
Inque via pedites tunc stabant Vertematenses,
Et jaciunt hastas, jaculos, funduntque sagittas:
Sic iter * impediunt, nequeunt transire volentes.
Vertematensis miles protectus * in armis,
Cominus ense parat duro contendere ferro.
Committunt (74) bellum pedites communiter omnes:
Hæc equites cernunt, continuò signa resolvunt, (75)
Voces emittunt, sic ad certamina tendunt,
Obstantes pellunt, vallo (76) pluresque revolvunt.
Dant trepidi tergum, stant in villa prope castrum,
De villa certant, illam defendere temptant.
Tunc validi pedites sternunt in limine stantes,
Inde petunt ignem, certant succendere villam,
Accenduntque rogum; comburitur igne peremptum
Castrum cum villa, nec non animalia multa,
Et pedites, equitesque simul, pariter mulieres,
Fortes, infirmi, juvenes simul, & seniores,
Ferro mactantur, sed plures igne cremantur.
Tunc (77) equites flentes tantorum morte dolentes
Continuò circùm discurrunt undique castrum,
Ardentes retrahunt, illos & ab igne tuentur,
Illis & vitam conservant, & suppellectilem.
Centum viginti (sunt plures igne cremati)
Sunt interfecti, sed sunt magis (78) igne cremati.

Tunc

* *MS. Vogenzadem.*
* *MS. fusus.*
* *MS. Quadrupes.*
* *MS. qui*
* *MS. Eccleſiamque.*
* *MS. ast illud.*
* *MS. vertentes.*
* *MS. nescit.*
* *MS. quod.*
* *MS. illis.*
* *MS. impendunt.*
* *MS. marinus.*

(65) *At memores* Comenses cives injustæ necis, qua Vogenzatenses Bertramum Broccum Comēsem Patritium, Vogenzato transeuntem, affecerant, Vogenzatum tendunt. Vogenzatum hodie *Guanzatum* est pagus agri Mediolanensis Como distans in merid. 6. m.

(66) *Ast Vogenzenseſque*. Particula *que* superaddita est ad complendum versum.

(67) Inter Vogenzatenses Comensibus in occursum venerat Albertus Guidonis filius, in Vogenzatensium auxilium vocatus, at brevis illi vita fuit à Comensibus interempto.

(68) *Manfredus*, alter Vogenzatensium dux una cum suis effugiens, Cinimidum se recepit, seque ibi cum suis in templo clausit. Cinimidum seu Cirimidum est pagus in agro Mediolanensi, ita dictus quasi *cis limites*. Como distat septem milliaria in meridiem.

(69) Hoc est Comenses.

(70) Redibant Comenses Cinimido Comum, cum Vertematenses Comensibus obviam facti, sagittis atque conviciis eos incessunt, eisque reditum impedire contendunt. Vertematum est vicus & castrum agri Novocomensis Como distans quinque milliaria in meridiem.

(71) *Pro posse*, hoc est pro viribus.

(72) Comensium agmen ibi eos observat, & convicia conviciis reddit, at viam prosequitur dicens: Pœnam quamprimum solvetis &c. Insultabant Vogenzatenses, ac *post terga fremebant*.

(73) *Postque dies paucos*: hoc est: Verùm paucos post dies Comenses per eandem viam redeunt ad ea loca, quò arma convertere destinaverant. Vertematenses in occursum veniunt.

(74) Committitur inter pedites utriusque partis pugna, cùm equites Comenses hoc viso in auxilium suorum peditum veniunt.

(75) *Signa resolvunt*, hoc est signa movent adversùs Vertematenses, inclamanteque ad certamen feruntur. *Continuò* hìc fit trisyllabum.

(76) *Vallo*, hoc est in vallum Vertematensis vici. Vertematenses effugiunt, ac prope castrum consistunt.

(77) *Tunc* Comensium equestres turmæ Vertematensium cladem misertæ, hostes suos è flammis extrahunt &c.

(78) *Sed sunt magis*. Sed sunt plures.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXV.

Tunc redeunt omnes tantorum cæde (79) gementes,
Tristes tantorum deflent de morte virorum.
Est infirmatus tunc * noster Episcopus almus
1245 Guido (80) Dei famulus legem semper meditatus,
Qui Domino vixit, multos etiamque lucratus,
Dumque diem mortis sibi sensit adesse propinquum,
Ad se subjectum Clerum mandat properare.
Non percõntati veniunt, (81) omnesque vocati.
1250 Dum simul astarent, omnes audire jubentur;
Solvit & ora * docens, lacrymis ita fatur obortis:
Vos rogo nunc fratres, populum remonere frequenter
Catholicam retinere fidem. * Pro turbine nullo
Sedem Romanam dimittat, semper * adhæret. (82)
1255 Post mortem * meam patriam cerno ruituram,
Cum patria multum populum simul esse casurum
Pro nimio peccato hominum, quod stat manifestum,
Ante Deum semper, diræ pro crimine gentis (83)
Ecclesiam contra, semperque fuere rebelles
1260 (Catholici * fuerint (84) alii) plures scelerati.
Vos tamen (85) usque Dei teneatis, jussaque legis.
Vos adversa monent: non * frangant prospera mundi.
Mutua sint (86) prius omnia, continuè charitatem
In urbis retinete pia vice; cura salutis
1265 Sit, moneo fratres. Cupio vos vivere sanctè,
* Vestraque ut exemplum fiat pia vita bonorum.
Hæc & multa magis piè * sat composita dixit. (87)
Dum finem verbis posuit, quoque dixit, avete.
Vos commendo Deo quoque, * Spirituique Sancto:
1270 Hæc dicendo animam sanctam dimisit ad aulam. (88)
Fratribus hîc coram cunctis in pace quievit.
Heu cecidit Cumana salus, quoque gloria, * lausque.
Heu! * erat Orator (89) nam pro populoque precator.
Pro meritis ejus fuerat victoria Cumis,
1275 Namque (rei cujus * certum patet) hæc ita facta. (90)
Constituta dies (91) vênit, sed & hora diei:
* Ærea signa tonant, equites (92) veniunt in apertum
Campum cum signis positis, hastisque levatis,
Canturium repetunt, & dimittunt Viezolum, (93)
1280 Marlianum (94) nunc inde petunt, prædamque reducunt.
Ast Mediolanenses clam tunc prosilientes,
Et se miscentes cum istis Canturienses,
Cum quibus & multi sunt juncti de comitatu, (95)
Undique consurgunt equites peditesque fluentes.
1285 Invaluit bellum nimis acriter undique cœptum.
Cumani cives cernunt hostes superantes, (96)
Instantes hostes nequeunt jam ferre, paventes
Conversi dant terga retro; fugientibus hostes
Instant, Cumanique cadunt in pulvere campi.
1290 Corpora sternuntur, per campos * confunduntur.
Ast vênit Arnaldus (97) quondam, dictusque Calignus,
Dum capit auxilium sessis conferre salutis,

Qua-

* *MS. jam.*
* *MS. docet.*
* *MS. nullo pro turbine Sedem Romanam nunquam dimittat.*
* *Fortasse* adoret, *vel* adhærens.
* *Fortasse* nostram, *aut* mecum.
* *MS. fuerant.*
* *MS. fragantur.*
* *MS. Vestra quod.*
* *MS. sic.*
* *MS. Spiritui Sancto.*
* *MS. laus.*
* *MS. Erat enim Orator.*
* *MS. certa.*
* *MS. aere.*
* *Fortasse* confodiuntur.

(79) *Tantorum cæde* hoc est de tot hominum cæde Novocomenses gemebant, hostium infortunium miserati.
(80) Guido de Grimoldis Novocomensis Episcopus moritur.
(81) *Veniunt* qui vocati, & qui vocati non sunt. Idem sonat ly *percontati*, ac *venire rogati*.
(82) *Semper adhæret* pro semper ei adhæreat.
(83) *Pro crimine gentis Ecclesiam contra*. Improperat Guido scelus à nonnullis Comensibus in Ecclesiam Cinimidi perpetratum, cùm eam flammis dederunt, ut supra ad vers. 1197. Ac profecto post illud scelus, & Guidonis mortem omnes ferè Comensium expeditiones in auctorum perniciem redierunt, ut mox videbimus.
(84) Hoc est, licèt inter Comenses plurimi sint verè Catholici, plurimi etiam sunt scelesti &c.
(85) *Vos tamen* semper Dei, & legis Christianæ præcepta servare memineritis.
(86) *Mutua sint vobis*. Omnia vestra in mutuum beneficium redundent: mutuam in vobis metipsis caritatem continuam habeatis. Petri. ep. 1. cap. 4. num. 8.
(87) Hoc est satis ad pietatem composita.
(88) *Ad aulam* superni Regis, videlicet ad cœlum.
(89) En ut iterum sub Oratoris nomine Episcopum Poeta noster intelligit.
(90) *Hæc ita facta*, nam pro certo habemus ex meritis precibusque Guidonis Episcopi Comenses hactenus in bello victores fuisse.
(91) *Constituta dies* resumendi belli jam venerat.
(92) *Equites* Comenses.
(93) *Viezolum*, vulgò *Vigazolo*, est pagus agri Mediolanensis in plebe Canturii, Como distans in meridiem circumcirca sex milliaria.
(94) *Marlianum* petunt. Marlianum, sive Marianum est oppidum in agro, ac diœcesi Mediolani. Como distat 8. milliaria in merid.
(95) *De comitatu*, hoc est de vicinia. Vel idem sonat, quod apud Italos *di compagnia*. In alio enim loco utitur hoc vocabulo noster Auctor ad explicandam *societatem*, nempe vers. 1719.
(96) *Hostes superantes*, hoc est hostes suos numero, & viribus superiores. Comenses ergo impotes instantem hostem ferre, pavent, & terga retro convertunt.
(97) Arnaldus Calignus Comensium fortissimus Mulizonem Bandum equo mortuum deturbat, at simul ipse hostium multitudine obrutus interimitur.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXV.

Quadrupedis sella Mulizonem pellit in herba,
Bandus qui dictus, concreto sanguine fusus
Ore vomit, miseram fundit de corpore vitam.
Obrutus à multis Arnaldus spirat in armis,
Quem levat exceptum de terra sanguine * ....
Albertus (98) socer * illius de Curte vocatus,
Et de Canonica Pandulphus (99) gloria magna.
Is cadit infectus perfusus sanguine pectus,
De Fontanella (100) recubat Rogerius unà,
Spirat & unà simul, * vitam quos ibi juxta
Spirans & Cardus (1) pulsat cum vertice terram.
Ast Equitaneus juxta moriens ibi Rusca
Afflando viridem carpit cum dentibus herbam.
Deque Casella mox ruit . . . . Euticus unà.
De Vico nati sunt isti vel generati.
Sunt alii puberes, defuncti sunt ibi plures.
Cumenses matres (dolor heu!) teneræque puellæ
Fletibus ora rigant, & acutis * vocibus (2) arctant.
Dirumpunt crines totis digitisque decoros.
Ast aliudque malum venit hoc prope grande paratum.
Lucinense (3) fuit quondam * pernobile castrum:
Hostibus hoc sævis Arialdus tradit iniquus.
Triste nefas cunctis, & non res digna videtur
Nobilis (4) ut Miles tantorum proditor esset.
Prodidit ipse suos & amicos, atque propinquos.
Flentque sui tristes conjuncti sanguine fratres,
Deflent extranei, deflent pariterque propinqui.
Advocatus Otho (5) cum fratre * dolens Arialdo
Cogitat Otho suum, quod vindicet ut sibi castrum.
Strenuus (6) & egregius fuit Ad, sed & Otho vocatus.
Insidias castro posuit tunc nobilis Otho.
Parte latent equites, alii strepitum facientes. (7)
De castro (8) statim post illos acriter omnes
Emittunt, & equos, stimulis urgentibus illos,
Festinant equites, hostes ut capiant fugientes.
Dumque suum tendunt, occultis, properè cursum
Insidiis equites surgunt, strepitum facientes.
Terga citò dant hostes ad castrum redeuntes,
Dumque suos hostes Otho sequitur fugientes,
Dum furit, ecce duos adversa cuspide * sternit.
Tertius infelix fosso cum pectore sedit;
Ossibus in cujus cuspis confracta remansit.
Advolat, & strictum retinet sua dextera ferrum.
Dum trepidi fugiunt, sua se post arma (9) relinquunt.
Hasta levis (10) fragili ramo tunc molliter hæsit,
Quam non prævidit, sed desuper, Otho, cucurrit.
Sic (dolor!) Otho perit: vitam cum sanguine fudit,
Quem levat à terra deflens, tristisque caterva,
Ad Sanctum Abundium (11) corpus deduxit humandum.

deest
* *vel sanguine* tinctum, *vel sanguine* tincto, *vel sanguine* junctus.
* *Ita sensus poscebat: deerat enim pronomen* illius.
* *MS. via.*
* *MS. oculis.*
* *MS. quod nobile.*
* *MS. dolet.*
* *MS. cernit.*

In-

(98) Albertus de Curte, Arnaldi socer, illius corpus sublatum de terra Comum deferri curat *sanguine* infectum.

(99) Pandulphus de Canonica, dū corpus Arnaldi subtrahere prœlio nititur, interfectus & ipse cadit.

(100) Rogerius Fontanella Novocomensis eadem via, qua Pandulphus, animam effundit.

(1) Cardus etiam civis Comensis, & Equitaneus Rusca patricia gente natus, exanimis cadit, & simul cum ipso Eutichius Casella. Hi duo extremi oriundi erant dè Vico suburbio.

(2) Hoc est præstringunt adstantium animos. Utitur & alibi Poeta noster hoc verbo in hunc sensum.

(3) Lucinum erat Castellum in agro Novocomensi tria milliaria Como distans in Occidentem hybernum. Nunc diruto castello supereſt pagus. Arialdus de Advocatis Patritius Comensis tradit Lucini castrum Mediolanensibus.

(4) Hoc est: indignum nefas videtur, quod vir nobilis fide deficiat, & patriam prodat.

(5) *Otho* de Advocatis Arialdi frater, dolens de fratris scelere, cogitat quo pacto Lucini castrum recuperet.

(6) Hoc est: Fuit & Otho ipse de Advocatis, at strenuus vir, & egregius. Advocati ea ætate vocabantur illi, qui Episcopo, & Clero, & Ecclesiæ patrocinabantur, eorumque jus defendebant, qua dignitate atque officio functi eorum filii, & nepotes, inde quoque familiæ cognomentum desumpserunt. Dividit autem Poeta vocem *Advocatus* in duas nempe *Advocatus* per tmesim, interpositis tribus aliis: *sed & Otho*.

(7) Pars equestrium copiarum in insidiis collocatur: pars altera cum strepitu ad castrum accedit.

(8) Qui castro præerant, emittunt in Comenses potiorem equestris præsidii partem, quæ stimulans equos festinat iter, ut Comenses equites ex industria in fugam versos comprehendat; dumque celeri cursu in eos fertur, ex occultis insidiis altera Comensium pars in hostem prosilit strepitum ciens; jamque Otho duos hostes manu sua interfecerat, ac tertio quoque pectus trajecerat.

(9) *Sua se post arma* hoc est arma sua post se relinquunt, ut leviores effugiant.

(10) Hoc est: Levis hasta in arboris fragilem ramum casu delata, atque ideo Othoni non prævisa in ipsum cecidit, & miserum extinxit.

(11) *Ad Sanctum Abundium* Othonis corpus delatum, in eo insigni templo, quod perstat adhuc, tumulatum fuit. Ejus autem sepulcro hanc Benedictus Jovius inscriptionem præfixam puniceis caracteribus in muro scriptam, ac pene longa temporum serie deletam se legisse testatur:

Hoc in sarcophago requiescit nobilis Otho
De quo plus credas, quàm quoque fama refert.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXV.

Interea (12) Cumis sociæ fuerant Grabadonæ
Legatæ naves. Poscebant (13) tunc rogitantes
Auxilium conferre suis, * illisque tuendis (14)
Delegant cives socios cum remige fortes,
Et navem (15) mittunt illos pariterque tuendum,
Quæ melior fuerat cunctis, est Grypho vocata.
Temporis illius turris fuerat * relevata,
Civibus (16) ad terram quam diximus esse revulsam,
Per nostram linguam, quam dicimus esse Capellam;
Jamque die quadam cives in litore quodam,
Et Grabadonenses illic pariter sapientes
A longè properare rates vexilla ferentes
Conspiciunt, (17) illas agilis nam ventus agebat.
Leucades * hæ fuerant, calcemque, alimenta, ferebant
Inclusis turri, qui tunc fuerant ita missi.
At Grabadonenses currunt simul arma ferentes,
Ascenduntque suas forti cum remige classes.
Hoc faciunt cives illis (18) cum tunc properantes.
Quattuor insignes adversùs prœlia quinque (19)
Ire rates illas contra committere temptant.
* Leucades hoc veriti bellum spectant pavefacti.
* Ad Montis litus bellum pensant faciendum,
Atque equites turris currunt ad litora montis,
Confugium (20) tutum possint * ut habere paratum,
* Sicque ad terram naves fugerunt laceratæ. (21)
Grypho ratis fortis, fuerat quæ fortior * armis,
Ante volat cunctas sulcando fortiter undas,
Obvia (22) cum valida fit cui virtute superba
* Una gerens turrim trabibus * sudibusque referta.
Callida Grypho ratis rostrum submisit (23) in * undis,
* Percutiensque latus, tabulas dissolverat intus,
Quæ ni cessisset, (24) sub aquis confracta perisset.
Applicat ad terram. Defendunt fortiter illam,
Qui stabant equites, sub aquis retrahunt morientes.
Quodque (25) vident aliæ, fugiunt naves citò versæ.
Dum Grabadonenses illas cernunt fugientes,
Una (26) ratis confisa magis * furit, & cita remis,
* Dum cupit audacter retinere fugam, dedit inter
Litus, (27) & ante rates cupiens retinere fugaces,
* Dum nequeunt illæ cursum vetitum retinere,
Dumque ruunt, * simul illa ruit sub litore montis,
* Quam (28) retrahunt equites, homines tristes capientes,
De quibus obtruncant, alios in carcere mandant,
Deducunt in * aquis captos ad mœnia turris.
Inde (29) revertuntur tristes ad mœnia cives,
Et Grabadonenses sociorum morte dolentes.
* Nox tegit atra polum, serpit super omnia somnus.
Manè venit rebus * color, & lux prima refulsit.
Flammea de superis * lumen dedit orbita solis.
Tunc Grabadonenses (30) natorum funera flentes

* *MS. illosque tuendum.*
* *MS. revelata.*
* *MS. Quæ Leucades fuerant.*
* *MS. Quod Leucades veriti.*
* *MS. deest* Ad.
* *MS. esse.*
* *MS. Sique.*
* *MS. amnes.*
* *MS. Hanc.*
* *MS. subtusque.*
* *MS. amnis.*
* *MS. Quod iniquè latus ferit tabula differat intus.*
* *MS. fuerat cito remis.*
* *MS. Se cupit.*
* *MS. Sed.*
* *MS. & illa ruit.*
* *MS. Quas.*
* *MS. undis.*
* *MS. Hos tegit ante polum.*
* *MS. non habent* color.
* *MS. limine.*

Con-

(12) *Interea* Grabedonâ Comum navis pervenerat auxilium à Comensibus petens adversùs Mediolanenses, qui ea litora inquietabant.
(13) *Poscebant* à Comensibus ii, qui ea navi Comum legati fuerant, ut suis Grabedonensibus opem ferrent.
(14) *Illisque tuendis*, hoc est ad tuendos illos.
(15) *Et navem* Comenses Grabedonam mittunt. Navi erat nomen *Gripho*, seu potiùs Gryphus.
(16) *Civibus*, hoc est, à Comensibus civibus solo æquatam, ut diximus ad vers. 479. & seq.
(17) Comensium, & Grabedonensium naves ad quoddam litus appulerant, cùm viderunt Leucensium navigia secundo vento ad Capellæ portum properantia. Ferebant navigia hæc commeatum, & calcem ad eos, qui Capellæ turrim, & castrum, reficiebant.
(18) *Illis cum*, hoc est cum illis.
(19) Quinque Leucensium naves erant, Comensium simul, & Grabedonensium quatuor, quæ adversùs eas ire, & pugnam committere moliuntur. At Leucensium naves medio lacu congredi veritæ, aspiciebant quò se converterent. Ad montis igitur litus, cui castrum erat impositum, divertunt iter, ut qui castro præerant, eas à Comensium incursu defenderent.
(20) Hoc est, ut Leucensium naves paratum sibi confugium sub eorum tutela haberent.
(21) Laceratæ à Comensium navibus, priusquam litus attingerent.
(22) *Obvia* cui fertur una Leucensium navis lignea turri, & armis instructa.
(23) Navium Comensium rostra erant è ferro longo, & acuto, ita dispositi ut loco moveri possent, hoc est attolli, ac deprimi, quandocumque res postulasset.
(24) Quæ ni cessisset, hoc est nisi præproperè recessisset &c.
(25) *Quod* ubi vident aliæ Leucensium naves.
(26) *Una* Grabedonensium navis &c.
(27) Hoc est mediam se inter Leucensium naves, & litus invexit, dumque illas præire, ac fugam ipsis impedire contendit, à fugientibus impulsa offendit in litus, & capta est.
(28) *Quam* lacu extrahunt milites, qui litora defendebant.
(29) *Inde* Comum Comenses, Grabedonam Grabedonenses revertuntur, infortunio suo tristes.
(30) *Tunc Grabedonenses*, qui conterraneos suos amiserant, manè facto, ascendunt naves, & ad locum hesternæ pugnæ redeunt, quærentes, si quem è suis reperissent, aut mortuum, aut vivum in litore.

Digitized by Google

Conſcendunt navem, repetunt & litora tandem
Quò fuerat bellum * ſiniſtro marte peremptum.
Litora perquirunt, unum ſi quem reperiſſent,
Et nullum * vivum, vel defunctum reperiſſent, (31)
Et facerent reditum. De turre volante ſagitta,
Venit ad Azonis (32) pectus, confixa reſedit.
Ore vomit * calido mixtam cum ſanguine vitam,
* Et datus eſt tumulo, fuit ut mox Grabadonæ.
* Inſtabat tempus quo vellet viſere natos
Fœmina, quæ conjux fuerat Domini Vice Cumis, (33)
Nomine quæ * domina fuerat Gallitia dicta,
Jordani domina domini fuerat Vice conjux.
Optabat natos, carumque videre maritum;
Tempore quo caſtrum * Tellina in Valle regebat,
Nomine quod caſtrum dictum fuerat Domofoles.
* Ducit & ipſa (34) ſuos, qui dicunt eſſe fideles,
Ad natos ſecuta, nec non caſtrum Domofolem.
Tunc diſcernuntur (35) ſecum juvenes ad eundum.
Arma citò capiunt validi, geminas ita ſcandunt
Canceraſque citas, (36) decet ut Dominam Vice ducant.
Remos deducunt, ſtatim loca peſſima (37) linquunt.
Linquitur Inſula, Bislatium, retinent Grabadonam,
Domaxum mittunt, Suregum nec non ita linquunt.
Olonii litus quos Abdua ſuſcipit intus,
Inde ſuam Dominam deducunt ad Domofolem,
Quos vultu læto (38) Dominus Vice ſuſcipit intro,
Suſcipit & caros cara cum conjuge cives.
Poſtque dies paucos redeunt, veniunt Grabadonam;
Inde revertentes, & Bislatium repetentes,
Hoſtibus inſidias quò poſſint tendere penſant.
Undique per totum fulgebant * ſidera cœlum,
Perque lacum tendunt, ſimul & loca tecta (39) requirunt,
Uſque fluunt Leucum, (40) juxta * recubant prope ſaxum,
Inque lacum reſident, homines ſi quos reperiſſent.
* Jamque diem terris lux nunciat eſſe propinquum.
Præda ſuis oculis nulla eſt de parte redacta (41).
Poſtque diù ſteterunt (42), prædam nullam reperiſſent,
Perflabant (43) etiam rigidi tunc flamina venti.

Anno Chriſti MCXXV.

* *MS. ſiſto.*
* *MS. unum.*
* *MS. calidam.*
* *MS. Et datus tumulo fuit ſic mox Grabadonæ.*
* *MS. Sed nobis inſtabat tempus &c.*
* *MS. donna.*
* *MS. Valle-Tellina regebat.*
* *In alt. MS. Mittit.*
* *MS. undique.*
* *MS. reprobant.*
* *MS. atque.*

De

(31) *Reperiſſent*, corrige potiùs *repererunt*.

(32) Azo Grabedonenſis ſagitta è Capellæ turri ejecta confixus moritur.

(33) Gallitia nobilis matrona Novocomenſis Jordani Vicedomini conjux maritum, & filios viſere cupiebat. Degebant illi tunc temporis in Valle Tellina, intra caſtrum Domofoli, cui Jordanus præerat. Erat hoc caſtrum paulò ſupra Trahonam (oppidum nobile illius vallis ad Abduæ in Larium decurrentis dextrum latus) in montis dorſo conſtructum, atque ad Vicedominorum familiam, aut potiùs ad Comenſem Epiſcopum pertinebat, ab extremo Larii margine 8. milliaria diſſitum, ac 52 Novocomo. Vicedominorum antiqua familia Comi extincta nuper eſt. Supereſt ejus ſtipes Trahonæ, ſed proximè interiturus.

(34) *Ducit & ipſa* ſecum famulos ſuos fideles, ut ipſi ſe profitentur.

(35) *Tunc diſcernuntur*, hoc eſt eliguntur & alii nobiles, ac ſtrenui Juvenes, qui cum ipſa eant, atque ipſi in itinere cuſtodes adſint, ne quid infortunii ab hoſtibus patiatur.

(36) Hoc eſt inſtruunt duas naves, quas Poeta canceras vocat, veloces, atque ipſas ſcandunt. Erat tunc apud Italos in uſu navigii quædam ſpecies, quæ *Ganzara* vocabatur. Vide Gloſſ. med. & inf. Latin. Hujuſmodi naves Poeta noſter canceras vocat, vel à figura, quam Cancro ſimilem habèrent, vel à tabulis, quibus veluti Cancer armatæ eſſent, & undequaque contectæ.

(37) *Loca peſſima* vocat Poeta, quæ à Comenſibus rebellaverant, eaque erant: Inſula, Bellaſium, Domaſium, & Suricum, de quibus alibi mentionem fecimus. Appellunt igitur Grabedonam, & Olonium, oppida Comenſibus amica, tum Olonium appulſi Abduæ alveum ingrediuntur, qua uſque ad Vallis Tellinæ fines extremos ducti, matronam illam Domofolum comitantur. Olonium erat eo tempore oppidum celeberrimum ad extremam Larii oram, ubi Abdua fluvius in eundem lacum exoneratur. Tertium jam ſæculum eſt, à quo Olonium Abduæ paludibus merſum eſt, nec ejus ſupereſt, niſi turris, & reliqui oppidi rudera, quæ adhuc ex aquæ fundo conſpicua ſunt. Olonii turris Como diſtat in boream quadraginta milliaria.

(38) *Quos vultu læto* Jordanus Vicedominus intra caſtrum ſuſcipit. *Dominus vice*, hoc eſt Vicedominus. Vicedominus quoque illo ævo dignitatis non familiæ nomen erat. Erat autem ille, qui vices Epiſcopi gerebat in rebus ad ſolum Epiſcopum pertinentibus, aut profanis, aut ſacris: habebant enim Epiſcopi oppida, & caſtella, quæ ad ipſos (excluſo civium dominio) pertinebant. Cùm autem eo tempore præcipuum in civitate dominium penes Epiſcopum eſſet, ita Epiſcopus domini, ejus verò Vicarius Vicedomini nomen aſſumebat. Cùm verò Vicedomini munus in filios ac nepotes demandaretur, hinc titulus dignitatis in cognomentum familiæ aliquando transferebatur, ut contigit in Comenſi Vicedominorum familia. Vide Gloſſ. med. & inf. Lat. ad vocem *Vicedominus*.

(39) *Loca tecta*, hoc eſt à conſpectu prætereuntium remota, in quibus hoſtium naves abſcondebantur.

(40) *Uſque fluunt Leucum*: hoc eſt Leucum uſque perveniunt, ac juxta illud litus ſub ſinu montis in inſidiis latent, & in lacum incubant, ſpeculantes, ſi qua navis præteriret.

(41) *Redacta* nempe oblata.

(42) *Poſtque diu ſteterunt*, hoc eſt poſtquam ibi diu conſtiterunt &c.

(43) *Perflabant* venti contrarii ad reditum. Tunc Comenſes ex Valle Tellina eò delati, è latebris proſiliunt, & venti contrarii vim remis propulſare contendunt, cùm eos ex alto vident eorum locorum incolæ, qui pro Mediolanenſibus ſtabant, & Comenſium naves inſecuturi, ſuas inſtruunt, & ventum expugnare conſtituunt.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXV.

De latebris surgunt, duras undasque rescindunt:
Montibus è summis à multis conspiciuntur:
Conclamant homines de montibus, * undique currunt. * *MS. ubique.*
Extendunt jaculos, exertaque brachia vibrant,
Omnes concurrunt, lethum crudele minantur:
Ire super ventos pugnant, tenduntque lacertos,
Iraque ventorum nimis acris flat rabidorum.
Deducuntque rates (44), * quæ jam capiant fugientes. * *MS. quod.*
At cives duras conscindunt fortiter undas.
Desuper unda * laci (45) gravida ratis influit alvo, * *MS. Laci pro lacus.*
Invaluit ventus sævas agitando procellas,
Dumque magis tantum nequeunt superare periclum,
Bellanum (45) repetunt ad portum * quàm citò possunt. * *MS. quod.*
Classes descendunt (47), repetunt à litore castrum,
Quos homines terræ capiunt in robore castri.
Deducunt portas, immoto cardine claudunt,
Mortis ab incursu * servari in carcere mandant. * *MS. servant.*
Hostibus à sævis captos, * & in ima recluſos (48) * *Deest in MS. &.*
Defendunt portis tunc, obicibusque reductis,
Perque dies paucos cohibent in carcere captos.
Inveniunt aditum (49) fuerat quod nuper apertum,
Inde per abruptum descendunt montis ad * imum, * *MS. unum.*
Inveniuntque duas comptas cum remige scaphas.
Transque natant stagnum, sed navigium * retro linquunt. * *Deest in MS.* retrò.
Montis ad accessum tendunt, & culmina linquunt.
Montis * ad extremum descendunt vallis ad * imum, * *MS. per.*
Per quam dum tendunt, propriam patriam prope noscunt, * *MS. unum.*
Ad propriam læti sunt urbem * exinde reversi. * *MS. inde.*
Ceperat interea de Dervo proditor arma (50)
Conradus contra caros fidosque * propinquos. * *MS. propinqua.*
Nobile nam castrum cunctorum moribus (51) aptum
Hostibus is sævis Cumanis prodidit illud.
A sociis sceleris promissum tempus * adesse * *MS. abesse.*
Expectat (52), sceleris tanti * quo compleat actum, * *MS. quòd.*
Dum sævos hostes (53) * solito de more domandos * *MS. solita de morte.*
Cives venissent, * & jam loca tuta petissent. * *MS. sibi.*
Ducere sic possunt optatæ tempora noctis.
Inveniunt (54) aptum tunc inter flumina portum.
Dumque ibi descendunt, spatiando litora vadunt,
Transq; lacum spectant, ibi * tunc rubra signa patebant (55). * *Deest in MS.* tunc.
Qui noti sceleris fuerant * clamore fremebant, * *MS. clamare.*
Subveniant sociis. Ascendunt illico classes,
Clamantesque: citò * sociis succurrite cives: * *MS. socii.*
Nec mora: transcendunt (56), de Dervo litora scandunt,
Sic sceleris (57) castrum notis aperitur, & intrant.

Omne

(44) *Deducuntque rates* è portu, quibus Comensium fugientes naves assequantur, & capiant.

(45) Hoc est: unda contraria Comensium naves implebat.

(45) *Bellanum* Comenses petunt, cùm alio navem convertere obstante vento, atque hoste insequente, non possent. Bellanum est oppidum nobile ad lævam Comensis lacus Leucum decurrentis, Como distans 28. milliaria. Bellanum autem, ut spectans ad Mediolanensem Diœcesim, Mediolanensium parti adhærebat.

(47) *Classes descendunt*, hoc est descendunt è navibus, & castrum ascendunt, ubi capti carcere clauduntur.

(48) *Et in ima recluſos*, hoc est in ima castri parte concluſos, januis clausis, ductisque repagulis eos custodiunt.

(49) Tunc Comenses invento foramine, per quod effugerent, castro exeunt, & per abruptos anfractus ad litus descendunt, ac duabus scaphis inventis, quæ remis instructæ erant, eas ingressi, lacum trajiciunt, & relictis in litore adverso navigiis, montem scandunt, è quo in vallem delapsi, per montium, & vallium præruptа, Comum tandem perveniunt.

(50) Conradus interea, Præfectus castri Dervii, Mediolanensis, in suos arma converterat, ac Dervii castrum Comensibus Mediolanēsium hostibus infensissimis tradere constituerat.

(51) Hoc est Mediolanensium rebus, negotiis, expeditionibus, & consiliis exequendis accommodum.

(52) Expectabat igitur destinatum tempus, quo suum scelus impleret. Operiebatur enim eorum Comensium adventum, quibus se Dervii castrum traditurum pepigerat. Dervium est oppidum ad lævam Larii in Diœcesi Mediolanensi Como distans 30. milliaria.

(53) Hoc est, interea dum venirent Comenses ad suos hostes domandos noctu, & locum securum nanciscerentur, ex quo dato signo ad Dervii castrum procederent, atque ubi interim tecti requiescerent.

(54) Comenses ergo proditionis conscii constiterunt in adverso Larii litore, atque ibi invento portu securo, nocte destinata ad eum appulerunt. Portus autem erat inter flumina, hoc est in quodam sinu, quem ipsis obtulerat torrens in lacum fluens, nec alius torrens ille esse poterat, quàm ille qui sub Aquæ Seriæ nomine in lacum influit paulò infra Retionicum promontorium, Como distans 27. milliaria, Dervium spectans ex adversa ripa. Ibi tutò Comenses quiescere poterant, & spatiari per litora, cùm ibi nullum domicilium esset.

(55) Dum igitur ibi per litora spatiantur Comenses & facto manè Dervii litus ex adverso litore spectant, vident exposita rubra vexilla; vexilla quippe Comensium rubra sunt alba Cruce intersecta. Quare ii, qui conscii erant sceleris ad socios conversi, exclamare cœperunt, ut statim naves ascenderent, lacum trajicerent, ac sociis auxilium ferrent.

(56) *Transcendunt*, hoc est lacum trajiciunt.

(57) Sic castrum scelere acquisitum conscius aperitur.

Digitized by Google

Omne tenent caſtrum plenum cum turribus aptum. Anno Chriſti MCXXV.
De Dervo proceres ſimul omnes arma capeſſunt,
* Et caſtrum repetunt, * ut poſſunt, prœlia temptant. * *MS. ad caſtrum.*
Sed ſufferre diu nequeunt, ſine marte recedunt. * *MS. poſſint ut.*
Tunc (58) ſpoliant caſtrum, magnas gazaſque repertas,
Apportant, multas res inde trahunt pretioſas,
Veſtes, argentum, nummos, portant ſimul aurum.
Divitias iſtas nemo de civibus optat, (59)
Nec tetigit, nec * quiſquam habuit, modò ſed ſcelerati (60) * *In MS. deeſt* quiſquam.
Sed tamen & caſtro tutela relinquitur iſto,
Dumque ſuas tenuere domos, veniunt ſimul omnes, (61)
Diſtribuit caſtro tutelam quiſquis adire.
Signum cùmque datum fuerit, tunc eſſe parati
Debent electi, nam ſunt poſt hæc honorati. (62)
Cives decernunt puppem cunctis leviorem:
Dicta Lupus fuerat tali cognomine ſolo. (63)
Illam permittunt (64) tutelam civibus eſſe,
Civibus armata eſt, volat illa levis ſuper undas.
Nocte tenent curſum, cœlum tegit omnia nocte.
Illa volat ſubitò, dimittitur Inſula, retro
Bislatium ſtetit, & ſic Menaxum retro manſit.
Ad caſtrum veniunt, tunc à ſociis capiuntur, (65)
Deducunt, & eos intus, & piſce cibantur.
Perque dies paucos illic in turre morati,
Intrant quiſque citò * ſcapham, perque æquora tendunt, * *MS. ſcandunt.*
Atque citò (66) ſcandunt, denſas ex more rapinas,
Undique non ceſſant magnas deducere prædas,
Quoſque notant hoſtes (67) * & euntes, & redeuntes. * *Deeſt in MS.* &.
Inſidias circùm componunt undique caſtrum,
Clam pedites equiteſque ex una parte ſedentes,
Aſt alia de parte rates tectæque morantes.
Inſidiæ tectæ circumſtant, ſunt & ubique.
Aſt Lupus ex ſolito de litore more * ſolutus * *MS. ſalutis.*
Progrediturque foràs, portum de nocte relinquit,
Atque laci multas * circumvolat undique plagas. * *MS. circumdans.*
Jamque ſuos manifeſtat equos * aurora propinquos, * *MS. aut via.*
Datque diem terris, aſtris cœloque fugatis,
Solque ſuper terram radios * patefecit anhelos. * *MS. perfecit.*
Conclamant omnes (68) de monte Lupumque videntes;
Aſt Lupus ad portum vertitque per æquora roſtrum,
De longèque rates (69) retro cernit venientes.
Jam prope cernebant ſocios armiſque paratos,
* Expectantque ratem cupidè portumque petentem, * *MS. Excipiuntque.*
De latebriſque rates (70) ſurgunt, contraque * ruentes * *MS. reſtantes.*
Ante vetant, portum ut * nequeant intrare ſolutum. * *MS. nequeunt.*
Ad terram vertunt, (71) fugiunt, navemque relinquunt,
Quos capiunt equites, captos trucidant fugientes,
Deque viris * tantis niſi captus nemo remanſit, * *MS. captis.*
Mortuus, aut captus qui non ſit, nemo remanſit.
Sicque patet cunctis (72) reus * aſtus proditionis. * *MS. actus.*

Car-

(58) *Tunc* Comenſes caſtrum ſpoliant ac diripiunt.
(59) Comenſes illi, qui caſtrum Dervii ſpoliaverant, ſpolia Comum detulerant, quæ tamen nemo Comenſium cæterorum attigit, ut ſpolia malè parta.
(60) *Modò ſed ſcelerati*, hoc eſt: ſed tantùm ſceleris conſcii, qui tamen Comum profecti reliquerunt in caſtro præſidiarias copias, quæ illud interim tuerentur.
(61) *Veniunt ſimul omnes*, hoc eſt omnes cives in unum conveniunt, & omnium una vox fuit, ut mitterentur ad caſtrum auxiliares copiæ, quæ illud defenderent.
(62) Inhoneſtum enim fuit caſtrum ſcelere obtinere, ſed honeſtum putabant illud virtute defendere.
(63) *Tali cognomine ſolo*, ex quo conſtat ſæpiſſimè plura navibus data nomina.
(64) Hoc eſt illum Dervium mittunt, ut Civibus caſtrum defendentibus pro tutela ſit.
(65) *Capiuntur*, hoc eſt intra caſtrum admittuntur.
(66) *Atque citò* hoſtium litora *ſcandunt*, & denſas, hoc eſt multas, & frequentes prædas abducunt.
(67) Hoc eſt: Quos ubi inimici vident hinc inde diſcurrere, inſidias ponunt &c.
(68) Ex frequenti Comenſium excurſione per hoſtium litora, cognita jamdudum erat, & celebris toto lacu ea navis, cui nomen Lupus. Quare omnes Mediolanenſium ſocii in id maximè incumbebant, ut eam comprehenderent. Viſo igitur quadam die ab illorum locorum incolis eo infeſto navigio, omnes arma conclamant, atque ad litus properantes navigia ingrediuntur Lupum inſecuturi, ſed Lupus arreptâ fugâ jam portum versùs redibat.
(69) Comenſes illi, qui Lupo vehebantur, jam hoſtium naves poſt ſe venientes videbant, atque altera ex parte videbant in portu ſocios ſuos ipſorum reditum expectantes, jamque illos ex propinquo cernebant paratos Lupum defendere, ubi litus attigiſſet.
(70) Cùm repentè proſilientes è latebris aliæ hoſtium naves, Lupum intercipiunt, nec portum ingredi ſinunt. *Solutum*, hoc eſt liberum. Sed rectiùs *ſolutæ*, ideſt periculo liberæ.
(71) Illi ergo qui Lupo vehebantur, ad litus ſibi proximius roſtra vertunt, & navigio egreſſi diffugiunt, relicto hoſtibus Lupo. Sed & hoſtes in litus egreſſi fugientes inſequuntur, & captos partim trucidant, & partim ligant.
(72) Sicque patet cunctis, quàm ſæpe ſua in auctorem ſcelera redeant, & quanti ſæpe ſit damni proditio, vel ipſis illis in quorum bonum redire videbatur.

Digitized by Google

Carcere de captos triſtes cives redimentes, (73) Anno Chriſti MCXXV.
Illis & caſtrum concedunt, & quoque portum.
Vallis erat (74) formoſa ſatis, nimis apta colonis,
Moribus ornata, eſt Vallis Tellina vocata.
Arboris eſt (75) * illic, vitum generoſa propago, * *MS. frugum.*
Fertilis eſt frugum, ſatis eſt ibi copia lactis,
Caſtaneæ multæque, nuces (76) ibi ſunt quoque plures,
Somnia ſed * faciunt (77) ibi plura papavera nata. * *MS. faciebant. Deeſt hic verſus in alt. MS.*
Hac in Valle (78) fures intrant ſubtiliter hoſtes,
Deprædant Villas, ſpoliant armentaque multa,
Inde trahunt & oveſque, bovea, capras, quoque * vaccas. * *In alt. MS. vaſſes.*
Quodque vident (79) equites in tali Valle morantes,
Conveniunt pariter ſimul & pedites properantes,
Ante tenent curſum, (80) quos contra prœlia ducunt,
Inque via media properant contendere contra.
Barbennum juxta (81) * concurrunt infimul unà, * *Alt. MS. committunt.*
Partibus * hi magna vi decertatur utriſque. * *MS. in.*
Pars parti reſtat, pugnat quoque dextera dextræ,
Enſe ſonat, mucro teritur mucrone coruſco.
Conclamant omnes, reſonat clamoribus æther,
Decertant omnes, pugnantque viriliter hoſtes.
Iſti pro vita, pro libertate tuenda,
Pugnant adverſi (82) ſola pro lite ſuperbi.
Cognoſcunt (83) hoſtes, armis nec * obeſſe potentes * *MS. adeſſe.*
Eſſe vident * illos. Ibi non Cumana juventus. * *In MS. deeſt* illos.
Acriter inſurgunt, hoſtes tunc undique ſternunt,
Converſi dant terga citò de Valle coloni,
Montes confuſi ſtatim repetunt pavefacti.
Aſt hoſtes læti tanta de cæde ſuperbi
Deſpoliant cæſos, vivos vincliſque ligatos
Deducunt ſecum propriis armis oneratos,
Carcere concluſos, & dira compede ſtrictos.
Sunt interfecti, ſævo qui Marte perempti,
Pluſquam triginta ſex, & capti ampliùs ultra.
At lugubres miſeri triſtes ex more Coloni
Dant tumulis cæſos, redimunt de carcere captos.
In patriam læti * victores ſuntque reverſi. * *Hoc eſt Mediolanenſes.*
Jam fuit antiquum quondam de litore caſtrum, (84)
Litoris Antiſiti fuit hoc * ſub nomine Grati. * *In alt. MS. ſub monte Griati.*

Con-

(73) Comenſes audito ſuorum infortunio, ut ex captivitate redimerent ſuos, Dervii caſtrum, & portum hoſtibus reddunt. *Carcere de captos*, hoc eſt *captos de carcere*.

(74) Vallem Tellinam intelligit Poeta noſter à Tillio ejuſdem vallis oppido antiquo ita denominatam, quam & alii Volturrenam vocant. Eſt ea vallis amœniſſima ad fines Inſubriæ poſita citrà Rhæticas alpes, ex quibus Abdua fluvius originem ducens totam eandem vallem decurrit, donec in Larium defluens, eundem valli, quem ſibi, finem imponit. In longum ea porrigitur ſexaginta milliaria Italica. Ab Oriente contigua Rhætiæ in Occidentem hybernum vergit, atque ibi cum Lario terminatur. A dextra, hoc eſt à borea, atque ab ortu Rhætiam habet, à læva, hoc eſt à meridie Brixienſem, & Bergomenſem provinciam, à pedibus, ſive ab Occaſu, ſuperiorem Ducatus Mediolani partem. Plura in ea ſunt oppida inſignia. Vino abundat, & paſcuis, nec alia Italiæ vallis, aut locorum amœnitate, aut oppidorum frequentia, aut incolarum humanitate ipſi comparanda. Subeſt duobus ab hinc ſæculis Rhætorum dominio, cùm olim ſui juris eſſet, quouſque, ſub Duces Mediolani translata juriſdictione, eam tandem Maximilianus Sfortia Mediolani Dux Rhætis anno 1513. dono dedit. Subeſt Novocomenſi Diœceſi, eoque ævo, quo bellum, à Poeta noſtro deſcriptum, geſtum fuit, Comenſibus adhærebat, qui plurimum hinc annonæ extrahebant, ut alibi vidimus.

(75) Delevimus ly *frugum* huc è ſequenti verſu malè tranſpoſitum, & ſuppoſuimus *illic*.

(76) Hoc eſt: & multæ caſtaneæ, & plures nuces ibi ſunt.

(77) Quid ſibi velit Poeta noſter hoc verſu, vix ipſe ſciat. Otioſam puto regionem innuere voluiſſe, nec vacat ariolari, quid aliud indicare voluerit. Papavera certè ſomnum cient.

(78) Hoc eſt *in hanc vallem* ſe fures Mediolanenſes intruſerant.

(79) Hoc eſt: quod ubi vident militiæ illius provinciæ.

(80) *Ante tenent curſum*, hoc eſt in occurſum veniunt illis, adversùs quos arma diſtringunt.

(81) Barbennum eſt ejus vallis oppidum nobile ad Abduæ dextrum latus extructum, Como diſtans ſexaginta ferè milliaria.

(82) *Adverſi* nempe Mediolanenſes.

(83) *Cognoſcunt* Mediolanenſes ex pugnæ ſucceſſu ſe hoſti ſuperiores, nec eum ſibi armis obſiſtere poſſe, nec enim Comenſium ullus aderat, qui pugnantem ſuſtineret. Acriùs ergo Mediolanenſes inſurgunt &c.

(84) Fuit olim antiquum caſtrum ad Larii litora poſitum ex ea parte, qua Leucum versùs extenditur idem lacus, ut ex ſequ. manifeſtè conſtabit. Quodnam autem ſit litus Antiſitum, & quis ille Grati mons ſit vel caſtrum, nec à libris, nec ab ullo eorum locorum incola ſcire potuimus. Caſtrum erat antiquitus paulò ſupra Malgratum ejuſdem litoris pagum, lacui imminens, à quo jactum ſagittæ diſtat in alto ſitum, ita ut medium eſſet inter Malgratum & Paretium pagos ad lacum ſtructos, ac paulò à Leuci oppido diſſitos. Nomen montis & caſtri delevit antiquitas. Supereſt tamen celeberrima piſcium ſpecies, quos antiſitos vulgò appellamus. Sunt autem piſces hujuſmodi agonum, ſive aquonum minorum ſpecies ſapidiſſima, neque in altera Larii parte frequentiores, quàm circa Leucenſe litus, ubi quoque Malgratum ſedet. Aut piſcis à litore nomen olim deſumpſerit, aut litus à tali piſce, non liquet. Malgratum fortè antiquitus Gratum dicebatur, at poſtea aliquod infortunium de Grato Malgratum fecit, & contigit fortè mutatio hæc, poſtquam Comenſes rati ſe gratum locum occupaviſſe, pernicioſum experti ſunt.

Digitized by Google

Confugium (85) tutum cives hoc esse futurum — Anno Christi MCXXV.
Pensant ad naves * & euntes, & redeuntes. — * *In MS. deest* &.
Intus in hoc fracto posuerunt agmina castro.
Undique non cessant magnas deducere prædas,
* Civibus ac prosunt, & sævis hostibus obsunt. — * *MS. ac cives.*
Castrum forte tenent, inimicos undique terrent,
Nam terram retinent, & * litora navibus urgent; (86) — * *MS. castrum.*
Quosque vident hostes * miserorum tecta cremantes (87) — * *MS. in eorum nece cremantes.*
Ad Mediolanenses tristes hæc facta reducunt,
Pensant, & stimulant, & eorum facta retractant. (88)
Tunc Mediolanenses ad Leucum properantes
Conscendunt naves * post se se equites retrahentes. (89) — * *MS. post se equos.*
A longè castro statim tranant inimico. (90)
Nubibus infectum fuerat tunc undique cœlum,
Alta quies populos, & nox tegit * atra superbos. (91) — * *MS. ante.*
Ad castrum veniunt, circumdant undique castrum.
Sompno pervigiles (92) intus * tum se recreantes — * *MS. dum.*
Tristes consurgunt, cum castro tela relinquunt,
Ad naves fugiunt, sed ab hostibus inveniuntur.
Circùm mactantur sinè bello * confodiuntur, — * *MS. confunduntur.*
Sicque trucidantur, sunt & sinè marte perempti
Cuncti, qui castro custodes (93) sese dederunt;
Sed ni cessissent, statim navesque petissent.
Sic gladio cuncti (94) * citò sunt sinè marte perempti. — * *In MS. deest* citò.
Plus sunt viginti, qui sunt in morte relicti.
Ad naves fugiunt, & in altum sese reducunt,
Hinc discedentes spectant de * navibus hostes; (95) — * *MS. manibus.*
Donec discedant * illinc, illos ita spectant. — * *MS. illic.*
Postquam (96) digressi cuncti citò sunt inimici,
Ad terram redeunt, sociorum corpora tollunt,
Ad propriumque solum (97) transducunt funera secum.
Suscipiunt lugubres cives (98) in morte jacentes,
Dant tumulis dignis sociorum corpora Cumis,
Cùm celebraturi Natalis festa fuissent. (99)
Frigidior mensis fuerat de mensibus anni, — Anno Domini MCXXVI.
Vix glacies (100) totam * non strinxerat undique terram, — * *MS. stringebat.*
Atque Capricorni tunc sol in sede manebat.
In centum (1) venere suis de partibus omnes
Cumani Proceres, capiant & * qualiter hostes — * *MS. æqualiter.*
Consilium tractant, pariter quoque multa repensant.
Hoc placet ut tandem * Cumas revocent sceleros̃am. — * *In MS. deest* Cumas.
Albricum à Castro, cui quondam tota propago
Bregnani fuerat. Statim venit is, (2) quoque narrat
* Ven-

(85) Confugium ibi se habere tutum Comenses rati ad hostium naves illac prætereuntes aggrediendas, castrum illud præsidiario milite munierunt.
(86) Nempe hostium litora navibus infestant. In MS. *castrum* lego non *litora*; sed amanuensium oscitantia intrusum puto, ubi sensus Auctoris *litora* non *castrum* scribi exigebat.
(87) Quos ubi eorum locorum incolæ viderunt sua tecta diripere, & incendere, Mediolanum nuncios mittunt, qui supremi belli Rectores de hoc admoneant.
(88) *Retractant* hoc est commemorant.
(89) *Post se equites retrahentes* hoc est secum ducentes equestrem turmam. Vereor tamen, ne hìc, & alibi Poeta noster sæpissimè, pro voce *equites*, milites quoscumque velit intelligi. Inducit enim sæpiùs equites eò etiam, ubi eos angustia loci non patitur, ut locorum illorum peritis manifestissimum est.
(90) *Castro tranant inimico* hoc est ad inimicum castrum, ubi Comenses erant, trajiciunt.
(91) *Superbos*. Hoc noster Auctor vocabulo ex more suo Mediolanenses exornat.
(92) Excubiæ somno se recreantes, tumultu expergefactæ *tristes consurgunt*, & fugam abjectis armis arripiunt.
(93) *Cuncti qui castro custodes* impositi se hostibus dediderunt, occisi sunt, & naves etiam Comensium comprehensæ ab hostibus fuissent, nisi pauci illi, qui hostium manus evaserant, naves ingressi in altum recessissent.
(94) Non cuncti, sed cæteri, qui fuga non evaserunt, absque certamine interempti sunt.
(95) Comenses illi, qui fugerant, navibus in altum provecti, ex alto prospiciebant, expectantes Mediolanensium discessum, ut redirent ad suorum cadavera colligenda.
(96) *Postquam* castro Mediolanenses digressi sunt, Comenses ad litus redierunt &c.
(97) *Ad propriumque solum*, nempe Comum sociorum cadavera transvehunt.
(98) *Lugubres cives* hoc est Comenses mœsti suscipiunt mortuos.
(99) Hæc refert Poeta noster contigisse sub festum Dom. Nativitatis.
(100) Hujus hyemis frigidissimæ meminit & Sigonius libro XI. Regni Ital. pag. 487. qui eam anno 1126. affigit, & consonat nostræ chronologiæ. Cœpit hoc frigus sub finem anni 1125. nec desiit nisi sub finem hyemis anni 1126. Vid. P. M. Camp. Hist. Plac. l. 14. tom. 2. pag. 1.
(1) Fortasse *in centum*, aut *jam centum* è partibus convenerunt in unum Comenses cives, invicem consulturi, *qualiter* hostium conatus retunderent, cùm tandem omnibus hoc consilium placuit, ut Albericum quendam à Castro Bregnani facinorosum hominem Como proscriptum, ad urbem revocarent. Degebat ille cum tota familia sua Bregnani. Est autem Bregnanum pagus agri Novocomensis Como distans sex milliaria in meridiem. Est & aliud Bregnanum trans Abduam ad fines Ven. Dom.
(2) Statim ille Comum venit, & consulentibus eum Comensibus, quid agendum esset, ut Mediolanensium conatus eluderent, ille *seriem venturi narrat*, hoc est proponit quo ordine ac modo procederent.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXVI.

* Venturi seriem : sunt huc equites (3) properantes:
* Ad Concurretium descendite, ponite circùm
Insidias, equites nocte * custodiente sagaces.
Ad fora (4) conveniunt homines * nihil hinc dubitantes,
Undique vendentes pariter veniunt, & ementes,
Sicut aquæ refluunt, & ad hæc fora currere debent.
Civibus instructis (5), dictus mox ille recessit,
Ad Mediolanum factum gerit ille relatum,
Nunciat ad multos, quod fecerat (6), ille profanus.
Tunc Mediolanenses clam de nocte levantes (7)
Arma citò capiunt, & equis properanter adhærent,
Ad dictumque locum (8) se præstolantur in unum,
Donec se magnum totum simul aggreget agmen.
Interea (9) cives Cumani dicta profani
Iamque diu spectant, simul & complere volebant.
Venerat ecce dies, quod tempus (10) postulat ire,
Ad positum venere locum de more paratum, (11)
Hastis signa (12) ligant, & in * hastis signa videbant.
* Incedunt equites pariter loca dicta (13) petentes,
Montem (14) transcendunt surdum, collemque * reclivem.
Consita sylva patet, nemorosaque frondibus, atra
Arboribus densis, equites (15) reteguntur in ipsis,
Ad fora prospectant cives si quisque recurrat.
Cùm Malus ecce venit (16) quidam Caput ille vocatus,
Solus cum solo veniebat milite parvo (17).
Hunc rapiunt equites citò de latebris properantes,
Cives retro * ligant, quem per pueros properantes
Ad Cumas mittunt, socium pariter (18) quoque ducunt.
Ast equites spectant, veniant ut dicta profani (19),
Ex improviso veniebat Proditor ante,
* Tum Mediolanenses valde tunc properantes;
* Ante alios clamans non evadetis, iniqui,
Tempus adest vestrum completum, solvite colla (20).
Tunc citò Cumani surgunt ad dicta profani,
Alba vident (21) vexilla citò venientia retro.
Undique dum tantum longè spectant equitatum (22),
Non sufferre queunt, quæ spectant, agmina tanta.
Vertunt signa * retro, dant dorsa retro fugiendo.
Sed Proceres aliqui cupiunt (23) * magis ecce mori, quàm
Turpiter ut fugiant, & quàm quòd signa relinquant.

* *MS. Venturi serie sunt equites hæc properantes.*
* *MS. Ad Concurrentium.*
* *Fortasse* occultante.
* *MS. hincque.*
* *MS. astris.*
* *Incendunt.*
* *MS. redimunt.*
* *In MS. deest* ligant, *vel* tenent.
* *MS. Jam.*
* *MS. Ante alios clamando venit.*
* *MS. citò.*
* *MS. illicque magis mori.*

Cum-

(3) Hæc Alberici verba sunt : habetis hìc paratos equites, qui properè impleant quæcumque jussseritis. *Ad Concurretium nocte descendite, circum insidias* loco disponite &c. Concurretium hic locum significat, (ut patet ex versibus subsequentibus) quò diversis è partibus hominum multitudo concurrit. Est igitur locus hìc illa planities, quæ Como Mediolanum euntibus prima occurrit post Vertemati castrum, Como distans in meridiem sex milliaria. Num tamen huic planitiei sit nostro ævo idem Concurretii nomen, an non, nemo fuit à quo scire potuerim. Est alius certè locus, cui Concurretii nomen in collibus Brigantinis, 11. milliaria Mediolano in ortum æstivum distans. At hunc Poeta fortasse denominavit à plurium viarum concursu in unam, quæ Comum ducit.

(4) Hoc est ad nundinas & mercatus, quæ statis hebdomadæ diebus Comi celebrantur. Rustici autem, qui Comum ad mercatus hinc inde conveniebant, in hac planitie se jungebant, una & eadem via Comum profecturi. Mercatum Comi celebratum sæpe in hebdomada multo ante tempora hujus belli constat ex documentis allatis à P. de Tattis in Ann. Sacris Comensis urbis decade 1. lib. 10. num. 42. & 92. Ex dipl. Caroli Magni, & Ludoviçi III.

(5) *Civibus* Comensibus *instructis* hoc est admonitis, quò proficisci deberent, atque ubi Mediolanensibus insidias tenderent, Albericus discessit, & Mediolanum petens, Comensium insidias, eorumque consilium omne Mediolanensibus aperuit.

(6) *Quod fecerat*, hoc est quidquid cum Comensibus deliberaverat vir *profanus*, hoc est sacrilegus.

(7) *Levantes* hoc est surgentes.

(8) *Ad dictumque locum*, hoc est ad condictum, ad destinatum cum Alberico locum.

(9) Interea Comi expectabatur destinata dies, qua cum Alberico determinatum opus implerent.

(10) *Quod tempus*. Melius *quo tempus* poscebat, ut Comenses equites ad destinatum locum procederent.

(11) *De more paratum*. Botius *de more parati*.

(12) *Signa*, hoc est *insignia*. Jamque Comensium insignia à longè distinguebantur.

(13) *Loca dicta* nempe planitiem superiùs dictam.

(14) *Montem* transcendunt *Surdum*. Planities illa à borea Vertemato, à meridie Monte Surdo concluditur. Mons enim Surdus est primus collis, qui Como Mediolanum euntibus post Vertematum occurrit, Como distans fere sex milliaria in meridiem. Circa hunc collem silva surgebat.

(15) *Equites* Comenses in ea silva occultantur, & spectant prætereuntes. *Si quisque*, hoc est *si quis*.

(16) Cùm ecce Comenses venire vident nescio quem, qui Malum Caput vocabatur, hoc est Malatesta.

(17) *Parvo*, hoc est brevis staturæ. Erat enim unus ille, qui Malum Caput comitabatur.

(18) *Socium pariter*, hoc est militem parvum illum.

(19) Interea Comenses equites expectabant, ut Albericus promissa servaret, ac Mediolanenses in insidias traheret. Cùm ex improviso Albericus Mediolanensium agmen, quod eum properè sequebatur, anteiens, inclamare coepit adversùs Comenses: Non evadetis iniqui &c.

(20) *Solvite colla*, si potestis, quasi jam collo vinctos teneret.

(21) *Alba vident* insignia Mediolanensium explicita, quæ Albericum sequebantur.

(22) Ubi Comenses excìti tot equites Albericum sequentes vident, nec se pares obsistere tot hostibus sentiunt, vertunt signa retro &c.

(23) Sed Comensium nobiles aliqui malunt illic consistere ac mori, quàm signa relinquere, ac fugere.

Digitized by Google

Cumque suo nato stabat Wuldradus (24) amato, — Anno Christi MCXXVI.
Jam * juveni validoque, Piro de nomine dicto, — * *MS. novo.*
De Fontanella fortis Petrarius una,
Gonfredus validus manet * in certamine dictus, — * *MS. hoc.*
Nobilis Arnaldus de Vertemate vocatus.
Marcus * & est captus, quondamque Azzola (25) vocatus. — * *MS. deest &.*
Factus erat firmus, quòd * non interficiendus, — * *MS. non erat interficiendus.*
Spes data cui fuerat, hunc proditor Aldo tenebat,
Ictus ab infido est de Vogenzate maligno,
Et Stephanus (26) frater fuerat quoque proditor ille,
Mortuus istorum est sic proditione duorum.
Bessola qui fuerat * cadit hic, milesque, Joannes (27), — * *MS. caditque miles Joannes.*
Est & Cumanus pariter Dominus Vice captus.
Plus sunt triginta capti, quoque vel trucidati.
Hic expectantes (28) se stant in margine ripæ;
Albricus venit ecce, fuit qui proditor, ante.
Intrat aquas fluvii proclamans: * ite repulsi. — * *MS. iste.*
Non sibi provisum ferit hic Rhampagius illum,
Corporis infectum dimisit sanguine ferrum.
Inde retro redeunt, captos in carcere trudunt:
Victores lætos ducunt ex hoste triumphos.
Cumani cives redeunt ad mœnia tristes,
Deflent & captos necnon in Marte peremptos.
Me piget (29) istorum tantum narrare malorum,
Ampliùs eventus & conculcare virorum,
Quamvis (30) multa scio, quæ * desunt scripta libello. — * *MS. desunt.*
Vera * juvat narrare magis, quàm falsa referre. — * *MS. mutat.*
Omnia si vellem (31) certo componere facto,
* Deseret ante dies, quàm possim cuncta referre. — * *MS. Deserit.*
Ut maris (32), & cœli stellæ numerantur, arenæ,
Singula sic poterit * quis quæ sunt gesta referre. — * *MS. quisque.*
Ut Mediolanenses arctatos acriter hostes
Esse suos cernunt, componunt illico castrum (33),
Ante fores urbis * distans duo stadia non plus; — * *MS. distant.*
Planities sed amœna jacet, tamen * inter utrumque. — * *MS. utrumque iter.*
Illic exosum componunt * illico castrum, — * *Ita supersius ad vers. 1679.*
Quodque novum quondam cuncti clamare solebant,
Firmatum geminis intus cum turribus altis.
Ante fores dicti faciunt consistere castri
Villam, sicque novam fuerat cognomine dictam,
Undique clausuris, fossis, circumdata muris,
In qua ad vendendum fora rerum sunt, * & emendum, — * *MS. & ad emendum.*
Hoc faciunt equites, ne queant exire volentes,
Utque fame proceres citò deficerent pereuntes.
Hæc ubi facta sciunt Cumani cuncta requirunt,
Attollunt animos, & conveniunt simul omnes.
* Exploratores mittunt ex more feroces. — * *Explorantes vitant.*
Omnes veloces statim mittuntur ad hostes.
Explorent (34) aditum, castrum, quoque mœnia circùm,
Ut veluti constant, sociis quæsitâ reducant,
Jussaque legati (35) citò sunt implere parati.
* Incedunt, cautèque sub umbra noctis opacæ. — * *MS. Incendunt.*

Ex-

(24) VVuldradus Pirus cum filio juvene valido, Petrasius de Fontanella, Gonfredus Validus, Arnaldus de Vertemato strenuè dimicantes interimuntur, Comenses omnes.

(25) *Marcus Azzola* Comensis & ipse capitur, & vitâ ei permissâ, & promissâ, Aldo cuidam de Vogenzate in custodiam traditus, qui contra fidem datam captivum obtruncat.

(26) *Et Stephanus* Aldi frater, & proditor, ut & frater, fraterno sceleri adjecit manus.

(27) Joannes Bessola, & Vicedominus, Comenses ambo, interfecti sunt.

(28) Comenses illi qui fugerant à principio, ad Sevisonis ripam constiterant, ut expectarent cæteros à prælio revertentes, cùm ecce Albericus adest, ac Sevisonem trajiciens, ut profugos Comum usque persequeretur, à Rhampagio Comensi cive telo confossus cadit, & ferrum cum sanguine expellit. Hinc Mediolanenses recedunt &c. Rhampagium hunc Franc. Ballarinus ex nobili familia Bajacca Novocomensi fuisse scribit.

(29) *Piget* tot mala describere, & ulterius *conculcare* hoc est *reculcare*, seu *repetere* eventus tristes &c.

(30) *Quamvis* multa sciam, quæ referuntur ab aliis, à me silentio prætermissa in hoc libro, ea tamen mihi sit satis exposuisse, quæ certò scio, quin persequar & incerta &c.

(31) *Omnia si vellem* stylo describere; ita sonat *componere* in casu nostro.

(32) Hoc est; æquè difficile est gesta quæque narrare, ac numerare arenas, & stellas.

(33) *Componunt illico castrum*, hoc est: ubi Mediolanenses vident suos hostes tot cladibus attritos, Comum versùs approperant, & castrum extruunt cum geminis turribus, & Castrum Novum illud denominant; duo stadia ab urbe procul in colle, quem Zerbium vocant. Ad ejusdem Castri ostia villam extruunt sub nomine Villæ-novæ, vallo & mœnibus communitam, atque in ea forum cupedinarium locant, ne suis militibus evagari permitterent, atque ut urbem arctiùs stringerent.

(34) Hoc est: ut aditus omnes explorent, & suos admoneant, uti se res habent.

(35) Hoc est exploratores à Comensibus ad Castrum missi.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXVI.

Explorant * diu, tum ſociis ſua facta reducunt (36):
Dicunt (37) ad factum veniſſe * Modytia caſtrum, * *Fortaſſe* loca.
Officioſa (38) venit quòd perdat tempora triſtis. * *Modoëtia.*
Talibus auditis dictis, fulgentibus armis
Procedunt equites, pedites pariter ſimul omnes
Tendunt ad caſtrum, pugnant & mœnia circum,
Expugnant aditum, irrumpunt acriter intus,
Intrant; & Villam ſuccendunt ignibus illam,
Et capiunt omnes equites, pedites ſimul omnes.
Permanet invictum (39) caſtrum cum turribus intus,
Non expugnatum præda faciente relictum.
Præda ſuis collecta viris religataque plauſtris,
Magna boum, necnon & equorum turba, pedeſtris,
Inclyta turba virum ſimul hæc infertur ad urbem.
Permanet * inque novo triſtis Modoëtia caſtro, * *MS. inde.*
Expoliata ſuis ſociis, quoque rebus, & armis.
Eligit in caſtro (40) ſemperque habitare profano,
Donec pro tanta vice debet mœſta manere.
Aſt Mediolanenſes tanta de cæde dolentes
Ponunt (41) irati Vallem vaſtare Lugani.
Mittunt ad ſervos ambos citiùs comitatus (42),
Ut ſimul adveniant Laudenſes hi comitatus.
Non audent miſeri, quod non faciant, quaſi ſervi.
Conveniunt tandem properantes uſque Lavenam (43);
At citò Cumani contra defendere vallem
Ad Treſiam fluvium ſatagunt defendere. * Vallum * *MS. vallem.*
Obicibus firmant, illic defendere certant.
Mons Caſtellanus (44) * ſuperextat magnus & altus. * *MS. superstat.*
Occupat hunc collem, ſatagit defendere montem
Signifer Arnaldus, qui ſic de plebe vocatus
(45) Albeleti caſtro quondam reſidente ſuperbo,
Dives & altus, rebuſque & famulis honoratus.
His circumfultus plebejo milite tutus,
Et ſimul aſſiſtit cum quo tunc turba pedeſtris,
Vallatuſque iſtis mentem defendere dicit (46),
Cives adfluvium, ſed & hi defendere collem
Certant, in plano Cives contendere bello
Non dubitant, duris committunt tunc inimicis (47),
Depellunt hoſtes à flumine nil dubitantes.
A ripa fluvii longè ſunt inde reverſi:
Agnoſcunt Cumenſes illic pugnare feroces (48):
Montis ad excelſum collectaque turba ſeorſum
Dimicat (49) adverſum montem conſcendere furſum.
Nec mora turba ruens, lapides, & ſaxa revolvens
Deſuper inſtantem properant defendere montem.
Mons Caſtellanus (50) fuerat quia magnus & amplus,

Non

(36) *Reducunt*, hoc eſt reportant, referunt.

(37) *Dicunt*, hoc eſt reverſi Comum exploratores referunt caſtrum Modoetienſibus in cuſtodiam traditum. Modoetia eſt oppidum celeberrimum 10. milliaria in ortum æſtivum Mediolano diſtans, ubi Regum Italiæ Corona ferrea cuſtoditur.

(38) Hoc eſt: Mediolanenſibus obſecuta Modoetienſium gens, ut tempus inutiliter terat, ad caſtrum vênit.

(39) Villam Comenſes incendunt, ac dum prædæ vacant, caſtrum inexpugnatum relinquunt.

(40) Hoc eſt: tandiu in profano illo caſtro conſiſtere vult, quandiu ſe non ulciſcitur.

(41) *Ponunt*, hoc eſt conſtituunt, determinant &c.

(42) Duas Laudenſium centurias Mediolanenſes conſcripſerant, Illas advocant, atque ad occupandam Lugani vallem has mittunt. *Comitatus* hic ſumitur à Poeta pro militum centuria, quæ Italicè dicitur *compagnia*, nec aliud ſonat Latinè, quàm comitatus. Vocat autem Poeta Laudenſes *ſervos*, quia coacti Mediolanenſibus ſerviebant, poſtquam eorum urbs à Mediolanenſibus everſa fuit anno 1111. Vide Sigon. de Regno Italiæ lib. 10.

(43) *Lavenam* ergo Laudenſes mittuntur. Comenſes admoniti mittunt ad fluvium Treſiam, qui Lugani vallem defendant. Treſia flumen eſt, quo Lugani lacus effunditur in Verbanum. Aggeribus excitatis Comenſes ripam omnem à Treſiæ ponte ad Caſtellanum uſque montem communiunt.

(44) Mons Caſtellanus attollitur ex adverſo Lavenæ.

(45) Signifer Arnaldus indigena. (Hoc ſignificat ly *de plebe*) vir dives, & potens ab eo uſque tempore, quo Albeleti caſtrum vigebat. Ubi ſitum hoc caſtrum eſſet, & quando dirutum fuerit, ut videtur innuere noſter Auctor, haud nobis conſtat. Arnaldi patriam hoc fuiſſe, nec procul à monte Caſtellano facilè conjicere eſt. Nos Albeleti caſtrum putamus illud fuiſſe, quod hodie vulgò *Caſtel rotto*, cui adnexus eſt pagus, vulgò Bèrede, antiquitus Albèrede. Caſtrum hoc Treſiæ imminet ex alto colle, eique à tergo eſt pagus Alberedi. Montem igitur Caſtellanum Arnaldus, qui pro Comenſibus ſtabat, occupavit, & ſuis famulis ſtipatus, ac milite ex illa plebe collecto, ad ejuſdem radices montis adſedit.

(46) *Dicit*, hoc eſt promittit ſe montis acceſſus defenſurum, interea dum Comenſes in plano, Treſiæ, ac Monti Caſtellano interjacentem ripam defendunt.

(47) Hoc eſt pugnam Comenſes miſcent cum hoſtibus, qui ripam aggrediuntur, hoſtemque à ripa nil dubitantes repellunt.

(48) Ubi hoſtes vident Comenſem ſibi militiam ſuperari non poſſe, ad Caſtellanum montem arma convertunt, & *ſeorſum* à Comenſibus collecto agmine montis acceſſum tentant, & eum nituntur aſcendere.

(49) *Dimicat*, hoc eſt nititur, contendit &c.

(50) At quia Mons Caſtellanus nimiùm loci occupabat, nec eum defendere adversùs tot hoſtes collectitia illa gens poterat, ſurſum hoſte irrumpente, illa fugam deorſum capit.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXVI.

Non valet hæc montem defendere turba pedestris,
Accessis cunctis inimicis undique sparsis.
Irrumpit sursum, fugit hæc tunc turba deorsum.
Rustica turba fugit, loca montis dant inimicis.
Signifer Arnaldus tanto discrimine fractus,
Dat citò terga fugæ, cives dimittit in * arcto (51),
Expositos bello * certantes Marte propinquo.
Dum sic decertant inimicos undique turbant (52).
Ecce vident multos venientes esse, propinquos,
Esse putant cives primùm, rubra signa ferentes,
Noscunt inde suos inimicos esse propinquos,
Ferre graves cernunt tantos nequeunt inimicos,
Prœlia dimittunt, naves, scaphasque resumunt.
Excipiunt fratres cunctos ad se fugientes.
Sed tamen in bello capti gladioque perempti
Sunt prope viginti, non plùs, quia cætera novi,
Talia dum fiunt, & dum de Valle recedunt,
* Tunc Mediolanenses sese glorificantes
Fortia laudantes, ad cœlum facta ferentes
Distribuunt acies, dant ad præcepta cohortes (53),
Dant ad præsentes * absentes jussa Cremenses
Ad Cumas tendant, Castrumque novum tueantur.
His monitis structi (54) discedunt denique * cuncti,
Suntque domum læti victores inde reversi.
Nec mora, ferventes * hæc jussa implere Cremenses
Se sua cuncta parant, ad prœlia tendere mandant, (55)
Festinant omnes, non quæ ventura caventes.
Ad Cumas veniunt, acies ad prœlia ducunt.
Plurima ferventes exornant bella Cremenses,
Nulla dies, & nulla quies sinè Marte * feroci (57).
* Contendunt (58) transire truces ad bella ruentes,
Perque dies aliquot non cessant acriter hostes
Impugnare suos, (nequeunt (59) bene noscere mores)
Hæcque dies faciunt (60) * omnes, sinè fine superbi.
Quodque vident (61) cives, qui sunt ex more sagaces:
Deducunt equites peditesque in * valle sedentes,
Nocte struunt latebras * cautè sine murmure * tecti,
Dumque dies terris resplendet * reddita, solis
Orbita * consurgens, udis caput extulit undis,
Descendunt de monte truces ad bella ruentes.
At contra gnari cives restare parati
Procedunt omnes, veniunt ex urbe potentes,
Committunt dextris (62), fractis sonat æther ab hastis,
Ensis ab ense sonat, miles pro milite clamat.
At citò Cumenses perturbant acriter hostes,
Attollunt animos, sternunt per corpora campos (63),
Incumbunt, sternunt equites, & ubique potentes
Detruncant pedites, calcant pedibus fugientes.
At citò cedentes citò dant sua terga Cremenses,
Concussi terrore pavent, * turbæ quoque languent;
Dum sua castra (64) petunt, equites fugientibus obstant,
Celati latebris fuerant qui valle retecti,

* *Deest in MS.* tunc.
* *MS. adstantes.*
* *MS. castri.*
* *MS. jussumque.*
* *MS. ferocis.*
* *MS. Concidunt.*
* *MS. certi.*
* *MS. valva.*
* *MS. cauti.*
* *MS. tectis.*
* *MS. indita.*
* *MS. consurgit.*
* *MS. turbant.*

Jam-

(51) *Cives dimittit in arcto*, hoc est relinquit Comenses in majori discrimine.

(52) Dum igitur ex propinquo Comenses cum hoste dimicant, eumque turbant, venire vident à longè ingentem militum multitudinem insignia rubra gestantem, eamque rati propterea amicam sibi gentem, majorem victoriæ spem concipiunt, at ubi accessisse vident, inimicam gentem esse admoniti, (erant quippe Laudensium copiæ à Mediolanensibus eò missæ) nec pares tot inimicis obstare sè cognoscentes, arreptâ fugâ conscendunt naves, & sociis fugientibus intra naves acceptis, Lugani vallem Mediolanensibus derelinquunt. Laudensium insignia rubra erant, flava Cruce intersecta, unde primo aspectu Comenses decepti sunt, arbitrati eos Comenses esse ab insignium similitudine.

(53) Hoc est: dant præcepta ad Laudensium cohortes, quæ Lugani è lacu Comum reversæ præsentes erant, ut ad patrios lares redeant, & moneant Cremensium copias, (est enim Crema Laudi Pompejæ proxima) quæ procul erant, ut Comum properent, & Castrum novum, Modoetiensium loco, defendant.

(54) *His monitis structi*, hoc est instructi Laudenses læti, & ovantes in patriam redeunt.

(55) *Ad prœlia tendere mandant*, hoc est suis copiis jubent, ut Comum veniant &c.

(56) Hoc est prœlia plura commiscent.

(57) potiùs *feroci*.

(58) *Contendunt* in prœlia ruere.

(59) Hoc est: at benè adhuc Comensium mores non agnoscunt.

(60) *Hæque dies faciunt*, hoc est, & singulis diebus hoc peragunt.

(61) Hoc est: quod ubi vident Comenses soliciti, ac sagaces, deducunt ex urbe noctu equites simul, ac pedites.

(62) *Committunt dextris*: hoc est pugnam miscent.

(63) *Sternunt per corpora campos*, hoc est *corpora per campos*.

(64) *Dum sua castra* Cremenses in fugam versi repetunt, Comenses equites fugientibus obstant, egressi latebris, in quibus locati fuerant, nempe ex vicina valle, intra quam se se occultaverant. Eodem enim tempore quo Cremenses cum altera Comensium parte prœliabantur, altera Comensium pars è latebris egressa eorum castra occupaverat.

Digitized by Google

* Jamque diu illorum prædantes caſtra tenebant.
Hæc poſtquam noſcunt ſimul omnes arma relinquunt
Omnia, coguntur (65), nequeunt evadere, circùm
Partibus a cunctis infeſti ſtant inimici,
Se ſua cuncta feris citò tunc * reddunt inimicis,
Inde capiſtrati (66) fortèm ducuntur ad urbem,
Carceribus triſtes dantur ſua facta gementes.
Dum Mediolanenſes captos eſſe Cremenſes
Cognoſcunt, illos etiam quoque carcere ſtrictos,
Has geminant voces: eheu, eheuque dolentes
Deplorant ſocios tam forti Marte peremptos,
Deplorant illos in carcere compede ſtrictos,
Deflebant prædas, & ab illis eſſe retractas, (67)
Deflent illorum combuſtaque caſtra virorum.
Omnia dimittunt, combuſtaque caſtra relinquunt,
Sumptus ad mœſtos (68) mittunt in carcere clauſos.
Ad planum redeunt, nova ſtatim caſtra recondunt. (69)
Ante fores urbis veniunt properanter, * & illic
Non longè ſiſtunt, ſua ſic temptoria figunt.
Mandant ad ſocios ubicumque manent, & amicos,
Ut veniant properantes * ſuccurrantque labori.
Ad Leucum mandant, inciſa ut ligna remittant
Grandia multa nimis variis rebus faciendis;
Non * audent (70) illi quod non faciant ceu ſervi,
Ligna reciſa nimis ſtatim mittuntur ab illis.
Inde (71) procelloſam Januam, ſatis ingenioſam
Urbem, confeſtim repetunt, per nomina quærunt
Artifices notos, qui ſunt * hac arte peritos,
Lignea componant, (72) aptas, caſtella, baliſtas:
Artifices noti, qui ſunt ſatis ingenioſi
Ad debellandos atroces acriter hoſtes;
Et repetunt Piſas (73) nec non ſatis ingenioſas.
Acquirunt (74) multos qui ſunt hac arte peritos,
Artifices doctos ad muros effodiendos,
Ad Mediolanum læti ſunt inde reverſi.
Iſtis confiſi * Cumana ad mœnia læti
Depoſcunt plures, (75) conducunt undique gentes,
Nam Papia ſuas cum magno robore gentes
Miſit, & * adverſis decertant prœlia dextris,
Huc venit * infeſtis etiamque Novaria telis,
Sed priùs ante ruunt Vercellæ, * ad prœlia mittunt.
De * Blandrate Comes (76) ſævæ puer indolis, annis
Exiguus cum * Matre vênit, cum gente ſuperba.
Provocat hic omnes ad prœlia alacriter hoſtes.
Aſtum (77) atque Alba ſimul nec non Albegena vênit.
Prœlia committunt, mortalia funera cernunt.
Aſt alia de parte ruunt, ad prœlia currunt
Copia Cremonæ, venit hæc ad bella, vocatæ.

Anno Chriſti MCXXVI.

* *MS. Jamdiu prædabant.*

* *MS. redeunt.*

Ann. Chriſti MCXXVII.

* *In MS. deeſt* &.

* *MS. ſuccurrant laberantes.*

* *MS. audiunt.*

* *MS. hic.*

* *MS. Cumanorum mœnia.*

* *M. verſus.*

* *infeſtant.*

* *In MS. deeſt* ad.

* *MS. Brandade.*

* *Ita legit B. Jovius, & Corius, licet in MS. noſtro legatur* Marte.

Gen-

(65) *Coguntur*, hoc eſt in arctum rediguntur, quin evadendi ſit via.

(66) *Capiſtrati*, hoc eſt *collo vincti*.

(67) *Retractas* hoc eſt abſtractas.

(68) *Sumptus ad mœſtos*. Comum mittunt pecuniam ad alendos in carcere captivos.

(69) Mediolanenſes Comenſis urbis obſidium ſolverant, cùm ſequenti anno Comum redeunt, nec urbem ampliùs à longè obſident circa eos, qui ipſi circumſtant colles, ſed in ipſam planitiem, in qua ſedet urbs ipſa, deſcendunt, & ante urbis ipſius fores caſtra locant.

(70) *Non audent* Leucenſes quidquam, quod à Mediolanenſibus juſſi non faciant, quaſi ſervi.

(71) *Inde* Januam Mediolanenſes legatos mittunt, qui egregios inde Architectos & fama celebriores pacta mercede conducant, qui &c.

(72) *Lignea componant* caſtella apraſque baliſtas.

(73) Hoc eſt mittunt & Legatos Piſas, qui alios inde Architectos ducant.

(74) Hoc eſt Legati Mediolanenſium multos inveniunt bellicæ artis peritos.

(75) Hoc eſt plures auxiliares copias ab Italicis urbibus poſcunt, quas Comum ducant.

(76) De Blandrate Comes Guido adhuc puer, quem iterum veniſſe cum matre ſua ad Comenſis urbis obſidium refert Bened. Jovius, & Bernard. Corius. Fuit hic Guido Alberti filius. Albertus hic cum exercitu Chriſtiano in Paleſtinam profectus eſt anno 1100. ut refert Ordericus Vitalis. Eccl. Hiſt. lib. 10. pag. 789. In Italiam paulo poſt reverſus, anno 1111. ex parte Henrici V. (qui & IV. apud alios) firmavit unà cum aliis pactiones inter Paſchalem II., & eundem Henricum. Mortuus eſt Albertus ante annum 1120., ut vidimus ad verſ. 208., & fuit primus Blandrati Comes, de quo mentio in hiſtoriis habeatur. Guido poſtea ejus filius, de quo nunc in poemate ſermo eſt, duxit uxorem filiam Gulielmi IV. Marchionis Montisferrati, Senis dicti, & ſimul cum Gulielmo V. March. Montisferr. cognato ſuo in Paleſtinam profectus eſt anno 1147. ut refert Benven. à S. Georgio in Chron. Montisferr. Caſal. impr. pag. 24., & 25. Vide Radevicum lib. 1. cap. 40., & Oth. Morenam, ſed integram Comitum Blanderati Chronologiam, quam Benvenutus à S. Georgio ſcripſit, adhuc ineditam, in lucem dabit eruditiſſimus Juvenis Donatus Silva Comes Blanderati, ac Mediolanenſis patritius, qui manu ſcriptam apud ſe tenet. Meminit & Baronius Guidonis hujus ad ann. 1152. num. 5. atque ad annum 1159. num. 34.

(77) *Aſtum*, nempe Aſta, de qua ad verſ. 207. *Alba* Pompeja in Principatu Pedemontano. *Albegena* hoc eſt Albingaunum, vulgò *Albenga* Liguriæ litoralis urbecula è regione Inſulæ Gallinariæ poſita.

Digitized by Google

Ann. Christi MCXXVII.

Gente Placentina cum se vênit quoque Parma,
Mantua cum nimiis venit huc onerata sagittis,
Fertilis in ferris (78) venit huc Ferraria dives,
Docta Bononia vênit & huc cum legibus * unâ, * *MS. usa.*
Huc veniunt equites pariter quoque Carsanienses,
Mutina cum multis venit huc armata sagittis,
Venerat & sævis pariter Vicentia telis,
Partibus à multis armata superbia vênit
Ad Mediolanenses, * invexit, (79) misit & omnes, * *MS. invexitque misit omnes.*
Utque super paucos (80) tantas deducere gentes
Deberent, hominesque suos dampnare cremandos,
Sanguinem & interfectorum donare suorum,
Exutas animas peccati mole sepultas
Interfectorum (81) * pro certa clade suorum, * *MS. pro certo dicto.*
Non Cumanorum patriamque tuendo bonorum.
Postquam collectæ sunt gentes undique tantæ
Urbem pugnabant, montes, camposque tenebant,
Atque tegunt terram possessam fortiter amplam,
Cingebant acrem per gyrum duriter urbem.
Hæ superant stellas, bibulis * æquantur arenis: * *MS. coæquantur.*
Gentes ex tantis sunt partibus huc revocatæ.
Plus sunt quàm volucres, quàm pisces, quàm Maris undæ,
Quàm nemorum frondes, herbæ pratoque recisæ.
Omnia (82) complebant, pariter fuerant * adoperta, * *MS. adopertæ.*
Pauca superfuerant, jam non constat nisi cœlum.
Ast alia de parte (83) loci properando profani
Insula cum sociis perituris omnibus (84) ibant.
Undas sulcabant remis, * & aquæ resonabant, * *MS. sed.*
Voces mittebant, armis strepitum faciebant.
Urbs erat in medio magno circumdata vallo,
Stabant in medio loca jam tunc urbis in * arcto. * *MS. atro.*
Dumque vident hostes urbem sic esse coactam,
Quatuor ex lignis componunt illico turres (85)
Artibus ex variis compræque sagaciter, aptè
Grandibus * & densis trabibus primùm coopertæ, * *MS. ex.*
Quas super impositæ crates (86) sunt arte locatæ.
Hæc super (87) impositæ pelles, sunt undique tectæ.
Terga boum (88) quondam gesserunt, & genuerunt.
Inter aguntque duas gattum cum tegmine turres, (89)
Inter utrasque alias alium * condunt quoque gattum, * *MS. conducere.*
Ut turres faciunt, parilique modo coopertum,
Et simul erectas ducunt pariterque balistas: (90)
Quatuor has validas in eodem tegmine factas.
Hæc ita conclusam perfecta trahuntur ad urbem
Cum sonitu vocum, vel cum clamore tubarum.
Armorum strepitu tunc muta stupent elementa,
Nam montes resonant, & aquarum tuta petebant
Pisces attoniti sonitu strepituque virorum.
At contra tantum Cumenses stare tumultum
Viribus ut possunt, defendere * seque parabant. * *MS. stare.*
Et renovant fossas, vallum cum robore (91) cingunt,
Et naves * onerant remis, armisque laborant, * *MS. oneraverant.*
Defendunt muros, turres, urbemque coactam, (92)

De-

(78) Non quia Ferraria sit fertilis ferro, sed ita digerendus est ordo verborum: Fertilis Ferraria & dives, Mediolanum venit in ferris, hoc est ferro armata. Sed fortè legendum erat: *Fertilis in terris.*

(79) *Ad Mediolanenses invexit* hoc est deduxit has gentes omnes *armata superbia.*

(80) Hoc est: ut adversùs paucos Comenses tot gentes armarent, hominesque suos æternis ignibus concremandos addicerent, ac suorum sanguinem effunderent, atque æternæ damnationi tot animas in suis sceleribus consepultas ob factum Comensis urbis excidium devoverent.

(81) Hoc est: atque ob certam cladem suorum tot populorum à Deo meritò puniendas, cùm potiùs bonorum Comensium patriam tueri debuissent.

(82) *Omnia* loca complebant: omnia suis castris loca operuerant. Vix palmus terræ supererat, quod armis non obtexissent. Solus cœli conspectus Comensibus liber erat.

(83) Ast alia de parte (nempe ex parte lacus) Insulani ad obsidendam urbem convenerant.

(84) *Perituris omnibus*, non in bello, sed in æterna damnatione, nisi fortè scribendum *perjuris*.

(85) Turres ligneas in usu fuisse ad urbes obsidendas, jam omnibus notum reor.

(86) *Crates*, ne tabulis tectæ plus nimio gravarentur.

(87) Crates enim turribus impositæ boum corio tegebantur, quibus ab igne, atque à saxis è mœnibus jactis, defenderentur.

(88) Hoc est: hæ pelles erant è tergo boum.

(89) Atque inter binas ac binas turres gattum collocaverunt, eodem corio, quo turres, obtectum. Gattus erat arietis species ad evertendos muros idonea, neque ab ariete diversus erat, nisi quòd ferro adunco armabatur, quo traheret secum muros, dum à muro retrahebatur. Cati autem effigiem exhibebat, ut arietis aries, unde nomen accepit gattus, & aries. Vide hujus tormenti bellici descriptionem in Vocabulario Etruscæ linguæ ad vocem *Gatta*.

(90) *Balistas*. De balistis, ac ligneis turribus vide Godesc. Stevech. in notis ad Veget. Vide etiam Lipsii Poliorcetica.

(91) Hoc est roboreis trabibus sepiunt.

(92) *Urbemque coactam*, hoc est in arctum redactam.

Anno Christi MCXXVII.

Defenduntque lacum, pellunt gentemque profanam.
* Aſt Mediolanenſes jam ſe, turreſque ſubjectas,
Defendunt gattos .... poſitaſque baliſtas,
Fundere non ceſſant, & * acutas inde ſagittas,
Urbem per totam ſundebant ſaxa baliſtæ (93).
* Effodit hic aries murum de vimine tectus,
* Effodiunt murum, vallum coëquantque profundum.
Aſt iter explanant, ſcopuloſque * aperire (94) laborant,
Ut valeant equites aditus intrare patentes.
Inde parant contra Cumenſes reddere vices,
Egrediuntur enim portantes fortiter ignem,
Inſtantes turres cupidi ſataguntque * cremare,
Sed nequeunt nimia ſaxorum grandine (95) miſſa.
Et feriunt equites, & tela volantia, turres
Deſuper incumbunt, Cumenſes (96) inde repellunt.
Obicibuſque * aditus, firmantque viriliter intus,
Et jaciunt tædas, jaculos, ignemque, ſagittas,
Et muros relevant, atque obice pervia firmant.
Vulnera multa dabant, plures hinc inde cadebant,
Corpora multorum recubant proſtrata virorum.
Nocte dieque ſimul non ceſſant ſaxa baliſtæ
Fundere per totam magnis clamoribus urbem.
Hîc labor eſt feſſis, (97) dolor adfueratque perennis,
Armati juveneſque, ſenes, pueri patiuntur, (98)
Conclamant pueri, trepidique ſenes, trepidæque puellæ,
Deſuper & cœlum, * terras teſtantur, (99) & aſtra,
Ut Deus aſtrorum factor, * rectorque polorum
Vindicet (100) iſtorum pius &, ſanctuſque malorum.
* Jamque (1) diu tantum nequeunt ſufferre laborem,
* Namque loricati nequeunt incedere nati, (2)
Nec clypeos ſufferre queunt, nec arma tenere.
Reddere jam ſolitos non poſſunt hoſtibus ictus, (3)
Feſſi ſunt tantùm, (4) retinet vix dextera ferrum.
Quid faciant penſant, conclamant, omnia verſant,
Inſtantemque diem ſpectant, noctemque futuram, (5)
Ut pueri (6) & mulieres poſſunt ſcandere puppes,
Dum nox atra polum tegit, aſtra micantia fulgent.
Alta quies pecudum genus &, volucrumque tenebat,
* Adque laci ripam naves ſcaphaſque tenebant (7),
Ut valeant (8) pueri & mulieres, ire parabant,
Quodque recordati (9), debent exire coacti.
Urbem dilectam florentem ſemper, amœnam,
Sic remanere vident, opulentam ſtare relictam,
Jamque (10) mori cupiunt potiùs, quàm vivere gliſcunt.
Dant ſuper aſtantes inimicos arma ferentes (11),
Et ſtrepitu vocum ſimul armorumque fugaces (12)
Attoniti fugiunt inimici cuncta paventes,
Et tenebras fugiunt & opacæ tempora noctis.
* Poſt tergum feriunt fugientes tela inimicos.
Ad ſtrictam (13) fugiunt urbis portamque, cadentes

* *In MS. Et Mediolanenſes jam turreſque ſubjectas.*
* *MS. argutas.*
* *MS. Effundit hìc paries.*
* *MS. Effundunt.*
* *MS. aperireque.*
* *MS. crematæ.*
* *MS. aditis.*
* *MS. terra.*
* *MS. tectorque.*
* *MS. dum.*
* *MS. Nam.*
* *MS. Atque.*
* *MS. Poſt terga.*

Con-

(93) *Fundebant ſaxa baliſtæ*. De inſtrumentis hujuſmodi ad ſaxa projicienda conſtructis vide Lipſ. Poliorc. lib. 3. dial. 3.
(94) *Scopuloſque aperire*. Pro ſcopulis: hìc Poeta intelligit, quidquid impedimenti obſtitebat.
(95) *Saxorum grando* à Mediolanenſibus *miſſa*, & eorum tela volantia feriunt Comenſium turbam.
(96) Comenſes nituntur hoſtem repellere, & repellunt ubi poſſunt, obicibuſque aditus obſtruunt &c.
(97) *Hinc labor eſt feſſis*, hoc eſt hinc jam Comenſes labore defatigantur, nec requies eſt dolori, quo miſeri ſe oppreſſos vident.
(98) *Patiuntur* paſſivè dictum, quod idem eſſet ac dicere infirmantur, debilitantur &c.
(99) *Teſtantur* hoc eſt *precantur*.
(100) *Vindicet* Comenſes de tot malis.
(1) *Jamque*. In altero MS. lego *dum*: in altero *nam*; ſed neque *dum*, neque *nam* Poetæ ſenſus admittit.
(2) *Nati*, hoc eſt pueri imbelles, quos etiam arma capere neceſſitas cogebat.
(3) Non ampliùs hoſtem propulſare, ac ferire Comenſes poſſunt, ut ſolebant.
(4) *Feſſi ſunt tantùm*, hoc eſt, uſque adeò feſſi ſunt.
(5) *Futuram*, hoc eſt *ſequentem*.
(6) Hoc eſt recogitant, quomodo pueros imbelles, ac mulieres navibus imponant, & noctu ab urbe dimittant, ut eas incolumes ſervent.
(7) In portu naves paratas habebant, quibus infirmiorem ſexum aliò transferrent.
(8) *Ut valeant*, hoc eſt ut *è periculo amoverentur*, jam pueri, & mulieres *ire parabant*.
(9) *Quodque recordati*, hoc eſt quodque ſemper inpoſterum recordentur &c.
(10) *Jamque* Comi ſuperſtites viri, dimiſſis infirmioribus, malunt mori, quàm urbis excidio ſupereſſe.
(11) Hunc ſtrepitum Comenſes ciebant, atque inhoſtes è mœnibus erumpebant, ne interim hoſtis puerorum, & mulierum diſcedentium ejulatus audiret, & fugientes inſequeretur. *Dant*, hoc eſt *irruunt*. Phraſis Italica *dar ſopra il nimico*.
(12) Audito Comenſium ſtrepitu, & viſa eruptione inexpectata, ignari Mediolanenſes, quid Comenſes molirentur, primo incurſu terga vertebant, at hoſtium impetum ſenſim languere admoniti, adversùs ipſos arma verterunt, & urbem iterum ingredi coegerunt, interfectis Comenſium pluribus ad portam urbis anguſtam, cui & hodie nomen *il Portello*.
(13) Deeſſe hîc aliquem verſum ſuſpicamur, quo ſignificetur Comenſium impetum paulatim deferbuiſſe, ac Mediolanenſes in hoſtem è fuga converſos, vires, & animum, reſumpſiſſe.

Digitized by Google

Anno Christi MCXXVII.

Confunduntur ibi triſtes, cedunt morituri.
Dum ſic arctantur (14) ſemper, mala cuncta queruntur,
Cumenſes juvenes, pueri ſimul, ac mulieres
Naves aſcendunt, hoſtes, urbemque relinquunt,
Et ſecum ſua cuncta ferunt, nil urbe relinquunt.
Ut Mediolanenſes cognovere ſagaces
Urbem deſertam cultoribus eſſe relictam,
Accendêre focos tunc quiſque per agmina multos,
Urbem temptabant, ſed adhuc intrare timebant.
Expectant læti ſolitum lumenque diei,
Aſcendunt cautè muros nullo prohibente,
Inviſam retinent urbem ſolamque relictam.
Attamen invicti Cumenſes mœnia Vici
Defendunt, naves ſcandunt (15), ſimul arma capeſcunt,
Acriter abſentes (16) depellunt longiùs hoſtes,
Pellunt infanam longè, gentemque profanam.
Tunc Mediolanenſes (17) conſtantes inimicos,
Cernentes, cupiuntque mori, quàm vivere gliſcunt,
Dumque vident bellum longo certamine * tractum, * *MS. ſtratum.*
Partibus ambabus multos nimis eſſe peremptos,
Et ſimul exutas animas ad tartara miſſas,
Carcere dampnatas æterno ſtare ſepultas,
Cognoſcunt Vicum ſimul omni parte ita firmum,
Quod neque caſtellum, nec gattus lædere poſſet,
Et nequeunt aliquæ Vicum * referare baliſtæ, * *MS. referre.*
Nemo poteſt Vicum vivens ſuperare ſuperbum,
Legatos cernunt, & verba precantia mittunt,
Ut placeat tandem bello componere finem,
Et ſimul adjungant * ſocialia fœdera pacis, * *MS. & alia.*
Conjurentque (18) * ſimul, quotquot pretioſa videntur, * *MS. quæque.*
Aurum, vel veſtes, gemmas, pretioſa ſupellex,
* Conveniant etiam (19), quod ſtat, vel quodque movetur, * *Deeſt totus hic verſus in altero MS.*
Et fera conjurent (20) animalia quæque tueri:
Hæc mandata ferunt & Abates, & ſacer Ordo (21).
Tandem Cumani ſurgunt, & ad hæc ita fantur,
Quis Deus afflictis poterit ſuccurrere nobis?
O Deus (22) ex meritis dic quæ mala tanta fuere,
Quòd ſumus à noſtris domibus patriaque repulſi?
Quid veteres meruere Patres, aut * jure Nepotes? * *MS. re.*
Hoſtibus in fævis (23) mala nec commiſimus iſta,
Ut nos ex domibus deberent pellere noſtris.
Vindicet, (24) & videant qui talia cuncta retractant,
Vindicet iſta Deus Judex pius, Actor & æquus.
Qui jurare volunt (25), nobis ſuper omnia dicunt:
Irrita jam noſtris illorum ſunt ſacra rebus,
Novimus in rebus tranſactis vana fuiſſe;
Sed quia mutari neſcit ſententia cœpti,
Pergant majores (26) qui nos ſunt ante priores,
Illos monſtrantes, nos tunc imitando ſequemur.
Nuncia militibus Legati verba tulerunt.
Hæc illis placuere ſimul, delataque verba

Mu-

(14) Hoc eſt: dum hæc geruntur, atque urbs Comenſis magis, ac magis arctatur, & queritur ſibi omnia in malum verti, Comenſes juvenes, qui in urbe remanſerant, præmiſſis pueris, ac mulieribus eadem nocte navigia aſcendunt, & lacum trajicientes, in caſtrum Vici, quod erat inexpugnabile, ſe recipiunt, nihil in urbe relinquentes, quod hoſtes prædæ mandarent.

(15) *Naves ſcandunt*, hoc eſt, terra, & lacu Vici caſtrum defendunt.

(16) *Abſentes*, hoc eſt *à longè ſtantes*. Si enim abſentes eſſent, non eſſet, cur eos obſeſſi à caſtro depellerent.

(17) Tunc Mediolanenſes videntes hoſtem conſtantem eſſe, ac mori malle, quàm vivere, ac præterea bellum in longum trahi, multoſque ab utraque parte interfectos fuiſſe, nec non tot animas carcere æterno damnatas fuiſſe, atque inſuper Vici caſtrum inſuperabile, Legatos *cernunt*, hoc eſt Legatos mittere decernunt &c.

(18) *Conjurentque ſimul*, hoc eſt viciſſim jurent, ut ſua cuique bona ſerventur intacta, ut aurum, veſtes, gemmæ, ac pretioſa quæque ſuppellex.

(19) *Conveniant etiam* invicem, ut ſua quiſque conſervet bona ſtabilia, vel mobilia.

(20) Et invicem jurent, ſua cuique animalia fera (hoc eſt ratione carentia, ut equos, aſinos, mulos, boves, ac pecudes) indemnia, & intacta permitti.

(21) Legati Mediolanenſium ad Comenſes miſſi fuerunt Abbates, & Proceres Cleri.

(22) Quid mali meruimus, ut &c. *Quòd ſumus &c.* hoc eſt *ut ſimus &c.*

(23) *Hoſtibus in fævis*. Nihil profecto mali commiſimus in adverſarios noſtros, ut &c.

(24) *Vindicet* iſta Deus, & teſtes adſint, qui tot malorum cauſa extiterunt.

(25) Hoc eſt qui jurare parati ſunt, ſi verum fateri velint, ii dicent: Irrita ſunt ſacra per quæ nobis fidem ſuam Mediolanenſes obſtringunt, ut antea experti ſumus.

(26) Hoc eſt: At quoniam agi de pace jam cœptum eſt, nec mutare ſententiam licet, pergant Abbates, & Cleri noſtri Proceres, & pacta quæcumque libuerit firment. Nos eorum voluntati obſequemur. Erant enim à Mediolanenſibus ad Comenſes Legati miſſi Monaſteriorum, & Eccleſiarum Comenſium ſupremi Rectores, ut ſuos in caſtro Vici obſeſſos ad pacem hortarentur, ut Jovius refert.

Digitized by Google

Mutua jurantur laudataque (27) fœdera pacis, — AnnoChristi MCXXVII.
Inque vicem (28) pariter * jurant, quæcumque superstant — * *MS. jurantur quæque.*
Mœnibus exceptis urbis Vici Cluniolæ.
Partibus ambabus membranis facta notantur
Juramenta, simul pariter conscripta tenentur.
Illico per signum mandant prosternere murum,
Prosternunt turres altas, * atque insimul ædes, — * *MS. simul & ædes.*
Devastant urbem, succedunt acriter hostes.
Mœnia dirumpunt, & fundamenta * revelant. — * *MS. relevant.*
Interea longi prosternunt mœnia Vici,
Dejiciunt turres, * confringunt acriter ædes, — * *MS. conspargunt.*
Tectaque * dum flagrant intus, per culmina * fumant. — * *MS. constabant intus.* * *MS. firmant.*
Fit fragor, atque dolor (29) * vultus attingit apertos. — * *MS. multus attigit opertos.*
Ad terram refluunt turres, * ædes Cluniolæ.
Stant circùm mœsti, ruptis manibusque capillis
Contra spectabant, lugubres (30) sua mœnia flebant. — * *MS. sedesque Cruniolæ.*
Urbs dilecta (31) suis quondam nimis apta colonis!
Deflebant mœsti miseri sua mœnia Vici.
Cantabant reflui (32) Victores carmina læti;
Ad Mediolanum læti sunt inde reversi,
Et retinent mœsti sua parva mapalia victi.
Nemo potest tantas * Cumarum scribere pœnas, — * *MS. Cumanas.*
Et mala quæ victis fecerunt, dicere linguâ.
Nam sacra majorum (33) pia juramenta bonorum
Irrita fecerunt, & nulla tenere dederunt.
Villanos, famulos prædabant, & retrahebant, (34)
Undique Nobilibus (35) turbabant, vimque ferebant.
Hîc * habeat finem jam nunc liber iste dolorum, — * *MS. habet.*
Quos sibi fecerunt (36), & nunc facit ordo malorum.
Siste (37) tuos cursus defessus scribere versus,
Et depone lyrâm, * totam deminue & iram. (38) — * *In alt. MS. totam de minimo liram.*
Finito libro referatur gratia Christo.

(27) *Laudataque*, hoc est *probata*.
(28) *Inque vicem* jurant intacta servatum iri, quæcumque Comensibus bona supererant, mœnibus exceptis urbis, Vici, Cluniolæ, quæ funditus erui Mediolanenses volebant. Cæterùm deest verbum *servari*, ut propositio mutila compleatur. Ex parte Mediolanensium pactiones jurejurando firmarunt Clerombellus ab Anderlisio, Frogerius Ferrarius, & Massarius à Cremona, ut Benedictus Jovius refert in Historia Patriæ lib. 1. Ex parte Comensium nemo fortè subscripsit, cùm à Mediolanensibus pacta servanda essent, non à Comensibus, qui bello fracti non poterant refragari.
(29) Hoc est Comensium dolor metu occultatus ostenditur vultu.
(30) *Lugubres*, hoc est mœrentes cives.
(31) Comensium verba sunt.
(32) *Reflui*, hoc est hinc & inde discurrentes.
(33) *Majorum*, hoc est Abbatum, & Cleri Procerum, qui pacem pepigerant.
(34) *Retrahebant*, hoc est abstrahebant.
(35) Hoc est universa Nobilium bona turbabant, vimque inferebant. Ita sonat ly *ferebant*.
(36) *Quos sibi fecerunt*. *Sibi* pro *illis* sæpe ab Auctore nostro usurpatum. Sensus ergo est, quibus Mediolanenses hostem suum affecerunt, & nunc afficiunt.
(37) *Siste* sic secum Poeta loquitur.
(38) Cùm versus hic ne linceo quidem oculo legi potuerit, nec possibile sit ultimum ejus vocabulum *liram* esse, correximus ut potuimus, depravatam secuti adamussim lectionem, quæ videbatur hæc esse *totam de minimo liram*, vel *totam de numine liram*, si sensus rectè constaret.

EXPLICIT LIBER QUI VOCATUR CUMANUS.
Deo gratias Amen.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORUM OMNIUM
Quorum in Poëmate mentio fit.

A

ABdua *fluvius verſ.* 1415. *ad not.* 1528.
Adelebium *ad Sched. not. ee.*
Agnium *ad Sched. not. m.*
Alba Pompeja *verſ.* 1841.
Albatum *verſ.* 917. 947.
Albegena *verſ.* 1841.
Albeletum, *ſive* Alberedum *ad verſ.* 1729.
Albingaunum, *vide* Albegena.
Alebium *ad Sched. not. ee. & verſ.* 37.
Antiſitum *verſ.* 1562.
Apertus *torrens verſ.* 92.
Aqua-nigra *ad verſ.* 930. 938.
Aqua-ſerta *ad verſ.* 1467.
Arciſatum *ad Sched. not. bb. & verſ.* 807.
Arebium, *vide* Alebium.
Aſtum, *ſive* Aſta *verſ.* 207. 1841.

B

BAradellus *mons & caſtrum verſ.* 38. 99.
Barbennum *verſ.* 1540.
Bellanum *verſ.* 1442.
Bellaſium, & Bellaſienſes *verſ.* 127. 400. 1413. 1420. 1495.
Beredum, *vide* Albeletum.
Bergomum *verſ.* 205.
Binagum *verſ.* 515. 518.
Biſlatium, *vide* Bellaſium.
Blandratum *ad verſ.* 208. 1838.
Bononia *verſ.* 211. 1848.
Bregia *torrens verſ.* 172.
Bregnanum *verſ.* 1606.

C

CAmpum, *ſeu* Campus *verſ.* 383. *& ſequ.* 821. *& ſequ.*
Cannetum *ad verſ.* 37.
Canturienſes *verſ.* 912. *& ſequ. & verſ.* 1282.
Canturium *verſ.* 930. 938.
Capella, *ſeu* Cavaneola *verſ.* 433. 1350.
Carſaniana *verſ.* 215. 1849.
Caſtellanus *mons verſ.* 1726. 1744.
Caſtellum dirutum *ad verſ.* 1729.
Caſtrum *novum verſ.* 1682. 1708. 1766.
Caſtrum *S. Georgii ad Sched. not. m.*
Caſtrum *S. Martini verſ.* 589. 632.
Caſtrum *S. Michaëlis verſ.* 680. 692. 694.
Cavallaſca *ad Schedam not. e. & i.*
Cinimidum, *ſeu* Cirimidum *verſ.* 1201.
Claſcium *ad Sched. not. gg.*
Clivium *ad Sched. not. bb.*
Cluniola *verſ.* 227. 1109. 1121. 2001. 2012.
Coloniola, *vide* Cluniola.
Colonum *verſ.* 880.
Comenſes, *vide* Cumani.
Comum, *vide* Cumæ.
Concurretium *verſ.* 1608.
Cremenſes *verſ.* 1765. 1769. 1773. *& ſequ.*
Cremona *verſ.* 204. 1844.
Cumæ, *vel* Comum *paſſim in toto Poëmate.*
Cumani, *vel* Comenſes *paſſim in toto Poëmate.*

D

DErvium *verſ.* 1450. 1473. 1476.
Domaxum, *ſeu* Domaſium *verſ.* 1404.
Domoſolum *verſ.* 1406. *& ſequ.*
Dretium *verſ.* 539.

F

FErraria *verſ.* 212. 1847.

G

GEnua, *vide* Janua.
Gerbium *ad Sched. not. ff. & ad verſ.* 1682.
Grabadona, & Grabadonenſes *verſ.* 127. 976. 1338. *& ſeq.* 1357. 1377. 1387. *& ſeq.* 1419.
Gratum *verſ.* 1564.
Guanzatum, *vide* Vogenzatum.
Guardaſtalla, *ſeu* Guaſtalla *verſ.* 214.

J

JAnua *verſ.* 1832.
Inſula, & Inſulani *verſ.* 17. 119. 161. 195. 218. 239. 315. 335. 345. 371. 439. 674. 818. 851. 862. 954. 983. 1023. *& ſequen.* 1152. 1413. 1499. 1871.
Inteluum *verſ.* 636. 707.

L

LAlium *verſ.* 160.
Lanactum *prom. ad verſ.* 396. 821.
Lauda, & Laudenſes *verſ.* 1720. *& ſequ. Vide notas.*
Lavena *verſ.* 584. 587. 607. *& ſequ.* 763. 1722.
Lepomum *verſ.* 917. 947.
Leucum, & Leucenſes *verſ.* 1099. 1167. 1335. 1362. 1424. 1574. 1818.
Lezenum *verſ.* 354.
Liernum *verſ.* 409. 420.
Liguria *verſ.* 206.
Lucinum *verſ.* 1313.
Lugani *lacus ad Sched. not. m. & verſ.* 593.
Lugani *vallis verſ.* 626. 678. 693. 773. 785. 1718.
Luganum *verſ.* 582. 591.

M

MAlgratum *ad verſ.* 1562.
Malleaſium *ad Sched. not. m.*
Manſum Meſſagrii *verſ.* 880.
Mantua *verſ.* 1846.
Marlianum, *ſeu* Marianum *verſ.* 1280.
Maſnagum *ad verſ.* 880.
Mediolanenſes *paſſim in toto Poëmate.*
Mediolanum *verſ.* 128. 1614. 1831.
Melanum *verſ.* 591. 595. 725. 759.
Menaſium *verſ.* 127. 890. 1495.
Meſſegria *ad verſ.* 880.
Modoëtia, *vel* Modytia *verſ.* 294. 1700. 1713.
Mons Caſtellanus *ad Sched. not. m. & verſ.* 1726. 1744.
Mons Olympinus *ad Sch. not. gg.*
Mons Surdus *verſ.* 1626.
Mutina *verſ.* 1850.

Na-

Digitized by Google

N

NAxus, *ſeu* Neſſium *verſ.* 1073. 1083. 1173.
Neſſium, *vide* Naxus.
Novaria *verſ.* 209. 1836.

O

OGiatum, *ſeu* Ugiatum *verſ.* 574.
Olonium *verſ.* 1415.
Olympinus mons, *vide* Mons Olympinus.

P

PAntaganum, *ſeu* Pontegana *verſ.* 797. *& ſequ.*
Papia *verſ.* 204. 1834.
Paretium *ad verſ.* 1562.
Parma *verſ.* 215. 1845.
Piſæ *verſ.* 1828.
Placentia *verſ.* 1845.

R

RETionicum *prom. ad verſ.* 1467.
Ripa *verſ.* 758.
Ronagum *verſ.* 572.

S

SUrdus mons, *vide* Mons Surdus.
Surgum, *vel* Suregum, *vel* Suricum *verſ.* 887. 1414.

T

TEllina vallis, *vide* Vallis Tellina.
Tillium *ad verſ.* 1527.
Togollius mons *ad verſ.* 926.
Trahona *ad verſ.* 1400.
Trecallum *verſ.* 917. 948.
Tremenſum, *ſive* Tremetium *verſ.* 326. 352.
Treſia fluvius *ad Sched. not. m. & verſ.* 1724.
Trevanum *verſ.* 574.
Turnum *verſ.* 170. 173. 1115. 1128.

V

VAllis Lugani, *vide* Lugani Vallis.
Vallis Interlevi, *vide* Inteluum.
Vallis Tellina *verſ.* 979. 1405. 1528.
Varena *verſ.* 467.
Variſium *verſ.* 501. 503.
Vedanum *verſ.* 515. 529.
Vercellæ *verſ.* 207.
Verona *verſ.* 210.
Vertematum *verſ.* 1214. 1218. 1221. 1232.
Ugiatum, *vide* Ogiatum.
Vicentia, *vel* Vicetia *verſ.* 1851.
Vicus *verſ.* 226. 522. 1111. 1121. 1142. 1182. 1307. 1960. 1970. 2000. 2008. 2016.
Viezolum, *ſeu* Vigazolum *verſ.* 1729.
Villa nova *verſ.* 1686. 1706.
Vogenzatum *verſ.* 1192. 1195.

Z

ZErbum, *vel* Zerbium, *vide* Gerbium.

Digitized by Google

LANDULPHI
JUNIORIS,
SIVE
DE SANCTO PAULO,
HISTORIA MEDIOLANENSIS
AB ANNO MXCV. USQUE AD ANNUM MCXXXVII.

NUNC PRIMUM PRODIT

Ex MStis Codicibus Metropolitanæ Mediolanenſis Bibliothecæ.

ACCEDUNT NOTÆ

JOSEPHI ANTONII SAXII

AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN LANDULPHI DE SANCTO PAULO HISTORIAM MEDIOLANENSEM.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

POst Arnulphi, ac Landulphi Senioris Historias de Mediolanensium rebus agentes, praecedenti Tomo IV. jam evulgatas, succedit nunc tertia itidem *Mediolanensis Historia*, Auctore *Landulpho Juniore*, quem de *Sancto Paulo*, ut ab altero Seniore distinguatur, appellare consuevimus. Deducitur autem ab Anno 1095. usque ad Annum 1137. quibus temporibus floruit ejusdem Auctor, patria Mediolanensis, & dignitate Sacerdos. Quantum operae & curae ille posuerit in literis addiscendis, quantoque ardore usque in Gallias ad conquirendos Magistros se se contulerit, ex ipso discimus ita scribente de Liprando celebri Presbytero ac Avunculo suo Cap. X. *Cetera vero, quae possidebat in libris, & aliis rebus, statuit ut conservarentur Landulpho Nepoti suo, & Alumno, atque Ecclesiae Acolytho, qui tunc temporis discebat Aureliani ab egregio Magistro Alfredo, & nobili Jacobo*. Haec ille narrat ad Annum circiter 1103. Tum Cap XIII. addit: *Anselmo de Pusterla, & Olrico Vicedomino Mediolanensi* (ambobus deinde Archiepiscopatum Mediolanensem adeptis) *adhaesi. Cum Anselmo namque per annum & dimidium Turoni, & Parisinis in Scholis Magistri Alfredi, & Guilielmi legi, & legendo, scribendo, multisque aliis modis Anselmo multam commoditatem dedi:* quae ejus verba referenda sunt ad Annum circiter 1106. Tum in Patriam regressus, rursus habitare coepit ad Ecclesiam *Sancti Pauli in Compito*, quam Liprandus ejus Avunculus raedificaverat, multisque ornamentis ditarat, & quam ipse Landulphus *titulum meorum Ordinum* appellat. Hinc autem illi accessit agnomen *Landulphi de Sancto Paulo*. Imo is Cap. XXVIII. testatur, sibi *infantulo adjectum fuisse nomen, scilicet Clocham Sancti Pauli*: nos diceremus *la Campana di San Paolo*; in more quippe fuit eorum temporum agnomen aliquod pueris imponere, quod pro nomine, aut cognomine deinde usurpatum est, uti in Antiquit. Esten. jam monui.

Verum minime diuturna quies relicta est Historico nostro a potentioribus urbis. Erat ipse nimia affinitate ac familiaritate junctus Liprando, quem illi invisum prorsus habebant: proinde odia illorum in Nepotem quoque conversa sunt, atque is a sua est Ecclesia deturbatus, quamquam merita plura ipsum Populo Mediolanensi commendarent. Tunc enim, ut idem Auctor est Cap. X. *Lector, Scriba, puerorum eruditor, publicorum Officiorum & Beneficiorum particeps, & Consulum Epistolarum dictator* fuit, si quidem in haec verba nullus Librariorum error irrepsit. Studiorum autem causa bis ac ter in Gallias profectus fuisse videtur Landulphus. Rursus enim Cap. XVII. ait, suggestum fuisse *Olrico Mediolanensi Vicedomino, & Anselmo de Pusterla ire ad praecipuum Magistrum Anselmum de Monte Leoduni* (hoc est Laudunensem), *quibus duobus fuit gratum secum ducere me Landulphum Presbyteri Liprandi alumnum*. Haec acta circiter Annum 1109. Jordano deinde, dum curreret Annus 1112., electo & consecrato Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopo, quum Landulphus noster, Acolythus adhuc, *in communi beneficio Presbyterorum & Clericorum Mediolanensium* susceptus fuisset, indignationem incurrit novi Archiepiscopi, ejusque auctoritate denuo exclusus est *ab Ecclesia Sancti Pauli, quae*, ut ille repetit, *est titulus ordinationis meae*. Ita is Cap. XXV. Hujusmodi injuria incitatus Landulphus Romam se contulit Anno 1116. ad Synodum Lateranensem, sperans ibi aequiorem Judicem sibi praesto futurum; tum ante Callistum II. Papam Terdonae ac Placentiae suas querelas renovavit; sed in irritum semper cessere ejus conatus ac voces. Modoëtiensi quoque, inani tamen, Coronationi Conradi Regis, peractae

Digitized by Google

Anno 1128. narrat Landulphus se interfuisse, seque *ante ipsum Pontificem* (Anselmum videlicet Mediolanensem Archiepiscopum) *ipsumque Coronatum* (scilicet Conradum) *ab Ecclesia Sancti Michaëlis Pontificalem virgam in admirabili pompa usque ad Ecclesiam Sancti Johannis portasse*. Narraverat etiam antea, se electum ab eodem Anselmo, *ut praeesset suis Capellanis*. In Italiam deinde descendit Lotharius III. Anno 1136. Coronam Regni ac Imperii suscepturus, atque ante eum stetit Landulphus noster, ac justitiam imploravit.

Pauca haec adnotare placuit, ab Historico nostro diversis in locis Historiae suae de se ipso memorata, ut Lector hominem prius quam ejus Librum noscat. Nunc de ipsa Historia aliquid addamus. Brevis est, grandia tamen in Mediolanensi urbe gesta continet, & rerum perturbationes memoria dignas; graphiceque exprimit, quid in animis hominum eorum temporum potuerit, semperque poterit dominandi cupido. Neque intra pomoeria unius Mediolani consistit Landulphi narratio; multa etiam habet, quibus Italica ejus aevi Historia illustretur. Propterea Pagius in Crit. Baron. ad Annum 1136. num. VII. postquam variis ejus lacinijs antea editis usus fuerat ad Annales Ecclesiasticos exornandos simulque corrigendos, in haec tamdem verba erumpit: *Ita finit Historia Landulphi Junioris, pertingens usque ad Annum MCXXXVII. quo elucubrata fuit. Ex ea, si tamdem lucem videat, Historia Ecclesiastica magnam lucem accipere poterit*. Unicus autem Codex MStus membranaceus, ac pervetustus, hujus Historiae habetur, mihi non semel perlustratus, in Bibliotheca Metropolitani Mediolanensis Capituli, qui pariter complectitur Historiam Arnulphi in praecedenti Tomo IV. jam editam, ac deinde *Passionem Beati Arialdi Martyris, qui ad Sanctum Dionixium est tumulatus*, hoc est idem Opusculum, quod Puricellius publici juris fecit. Habet & Ambrosiana Bibliotheca alterum Landulphinae Historiae exemplar, sed ex Metropolitanae Bibliothecae Codice expressum. Ceterum primus, qui Scriptori huic nomen apud Eruditos quaesivit, supra memoratus Puricellius fuit, qui tum in Monumentis Ambros. Basil. tum in Vita Sanctorum Herlembaldi ac Arialdi, ejus auctoritate non raro usus, complura fragmenta ex ipso evulgavit, pro ut sui instituti ratio exigebat. Eadem fragmenta rursus in Tomum IV. Italiae Sacrae intulit Ughellus, quae postea Eruditi, ac praesertim Pagius, in suam utilitatem converterunt. Verum Literariae Reipublicae intererat, ut integra jam tamdem Landulphi Junioris Historia evulgaretur, quae etiam carior futura nobis est, quam Landulphi Senioris ac Arnulphi Historiae Mediolanenses, quandoquidem Junior Landulphus Catholicum se ubique prodit, & a Schismaticorum erroribus alienum, & quaecumque sibi scribenda sumsit, accuratius scripsit. Ut autem foetus iste gratiorem adhuc se se exhibeat oculis eruditae gentis, prodibit ille una cum Notis Clarissimi Viri Josephi Antonii Saxii Ambrosianae Bibliothecae Praefecti, cujus cura ac studio illustrata habebis, quaecumque ei visa sunt aut lucem, aut majorem lucem exposcere. Quod si aliqua adhuc restant obscura, aut manca, id noris tribuendum Codici MSto, quem aliorum Codicum ope aut supplere, aut emendare non licuit.

LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

Collegio & Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus.

QUod in votis eruditorum hominum erat, ut jacentia in pluteis Patriæ noſtræ monumenta extraherentur in lucem, nec fruſtatim hac illac ſparſa, ſed integra, & per ordinem ætatum diſpoſita publico darentur conſpectui, quemadmodum Papebrochius Tom. VII. Maji, fol. Lxxx. enixè Mediolanenſes adhortabatur, id impræſentiarum aggreſſi ſumus, urgemuſque, manum ultro dante, ac facem præferente Cl. V. Ludovico Antonio Muratorio. *Nam præter ea ad urbem noſtram ſpectantia, quæ ſuperioribus Tomis vulgata ſunt, Codicem quoque Hiſtoriarum Landulphi à S. Paulo tandiu expectatum è typis dimittimus, rudem quidem obſcurumque in ſuo genuino textu, ſed Notis, quantum licuit, à nativa ferrugine eductum expolitumque, ac juſta temporum ſerie in ſuos annos diſtributum exhibemus. Hujus autem ſtudii laborem* Palatina Societas, *nulli & ipſa labori, ac ſumptui parcens, ut augeat cenſum hiſtoricæ ſuppellectilis, & patrimonium literarum, mihi benevolè magis, quàm meritò (abſit verbo invidia) demandavit: nihilominus imbecillis utcumque viribus, ingenioque ſentirem me eſſe, pro obſequii mei ratione hanc provinciam ſuſcepi, Notaſque adjeci, fuſiùs fortè, quàm aliquibus ſublimioris eruditionis neceſſariæ ſint, ſed quia non omnibus par librorum copia, aut antiquarum rerum notitia eſt, eas quoque bono uſui futuras aliquibus ſpero.*

Synchronus huic meo labori fuit labor longè dignior Doctiſſimi, mihique Amiciſſimi P. Stampæ, *ſed diſcors in ſupputandis eorumdem temporum eventibus ſenſus; Ille enim Anonymum Comenſem nuper excuſum ſuis Notis illuſtrandum aggreſſus, ejuſque veſtigiis pede poſt pedem, ut ajunt, inhærens, Anſelmum anno MCXXIII. Archiepiſcopum agnovit. Ego verò Landulphi mei teſtimonio fretus nonniſi anno MCXXVI. eundem electum in Archiepiſcopum aſſevero; unde Chronologica inter nos diſſenſio non modicæ difficultatis emerſit. Hanc, ut per literas familiares intellexit prælaudatus Muratorius, ea, qua præſtat, in hiſtoriis facilitate ſtatim conciliare ſtuduit, Præfationemque contexuit ad eundem Anonymum, in qua candidè affirmans Olricum, cui Anſelmus ſucceſſit, nonniſi anno MCXXVI. ex hac vita deceſſiſſe, ut ego ſtatui contra adductos ibi plures egregios Scriptores, nihilominus credibile ajt Olrico adhuc vivente electum etiam Anſelmum in Archiepiſcopum, ut nunc dicimus* Coadjutorem, *quemadmodum jam in uſu Eccleſiæ fuiſſe ex Thomaſſino liquet. Hujuſmodi autem conſuetudinem in Eccleſia quoque Mediolanenſi viguiſſe aſſerit, tum hoc Anſelmi exemplo, tum alio Algiſii, quem triennio ante mortem S. Galdini jam Archiepiſcopum opinatur, innixus ſubſcriptionibus ad Diplomata, de quibus in Notis erit ſermo, & auctoritate Anonymi ipſius, qui ad annum MCXXIII. de Anſelmo ſcribit:* Archiepiſcopus inthronizatus, ſed malè pactus. *At ego veneror eruditionem doctiſſimi viri, verùm in ejus ſententiam flecti non poſſum, argumentis haud levibus ductus, quæ ad Notam 6. Capitis XXXVII. rejeci, ne hìc diutiùs lectorem morarer: neque proinde vel minimam ducit Rimam illa conjunctio animorum, quâ nos arctiſſima neceſſitudo conſtringit; quin juxta leges ingenuæ amicitiæ eſt, poſſe unumquemque liberè ſincerèque expromere ſenſum ſuum, ut eligat eruditus lector, quam melioribus ſuffultam fundamentis judicaverit partem.*

Cæterùm, ut de præſtantia hujus Hiſtoriæ aliquid diſſeram, id unum proferre ſufficeret, ſtatim ac prodiere in lucem nonnulla ejuſdem fragmenta, Puricellio vulgante, excepta fuiſſe ab eruditis viris tanto plauſu, ut in ſuas quiſque lucubrationes illa certatim transferre curaverit. Iis enim Papebrochius exegeſim ſuam Mediolanenſium Antiſtitum auxit, Ughellus in Italia Sacra plurium Epiſcoporum lacunas explevit, Pagius uberiores ad Baronii Hiſtoriam criticas Notas adornavit, ut ſileam privatos quamplures urbium finitimarum, atque exteros etiam Scriptores, qui magni fecere auctorem noſtrum in deſcribendis Annalibus temporum illorum; cùm teſtis coævus, atque ut plurimum etiam præſens rebus quas narrat, indubiam ſibi fidem conciliet, ac tenebricoſo illo ævo, inopiâ Scriptorum non modicùm laborante, propitium veluti ſydus affulgeat. Id unum affirmare valeo, cùm Patriæ quoque noſtræ limites egreditur, Summorum Pontificum, Imperatorum, ac Principum geſta commemorans, ita veritati ſemper calamum attemperaſſe, ut à me collatus cum ætatis illius Hiſtoriis, ab exteris conſcriptis, conſentire cum iiſdem penè omnino videatur. Quæ tamen lucis plurimum arripit ex ſcripto Landulphi, Hiſtoria eſt Mediolanenſis, à Chronographis noſtris Corio, Calcho, Morigia, Ripamontio, aliiſque, in iis quæ ad illa tempora ſpectant, adeò confuſa, ut extricari vix poſſit. Mirum eſt quanta inter ipſos varietas ſit in aſſignanda Mediolanenſium Antiſtitum ſede, cùm integro quandoque decennio aliquorum ætas decurtetur, aliorum verò ultra modum producatur; præpoſtero etiam ordine eorundem ſucceſſio refertur, aliis ante alios malè collocatis; geſta denique quamplura diſſonis prorſus veritati narrationibus accumulantur. Rem exemplis firmarem, niſi ſupervacaneum crederem hìc, per compendium quoque congerere, quæ toto fermè opere adnotare minimè omiſi. His autem omnibus emendandis præſto eſt Landulphus, qui novam veluti faciem Hiſtoriæ Mediolanenſi, præcipuè Eccleſiaſticæ induxit. Quocirca etiam non incongruum putavi ſeriem Chronologicam rerum ad hoc Landulphi opus ſpectantium in prima ejuſdem fronte defigere, ut unico veluti obtutu rem omnem inibi pertractatam commodè Lector percipiat.

Digitized by Google

Ut hanc editionem adornarem duo mihi exemplaria ad manus fuere in Ambrosiana Bibliotheca, alterum à Clarissimo Muratorio in Præfatione sua memoratum, alterum verò quod ego postmodum reperi, cùm vastam Manuscriptorum molem evolverem, ut in suas thecas, atque Indicem redigerentur. Testatur autem in ejus fronte Jo: Antonius Castillioneus *publicus, ut ipse ait, Imperiali auctoritate Notarius se exemplar istud contuliſſe cum Authographo Caroli à Basilica Petri Episcopi Novariensis, in Collegio S. Marci Novariæ. Cum his ego (adlaborante etiam indefesso Viro* Philippo Argelato), *Metropolitanum Codicem contuli, atque inde varias nonnullas Lectiones decerpsi quas obscuribus locis auctoris nostri elucidandis satis opportunas censui, easque signavi numeris arabicis* 1. *&* 2., *ut ex quo codice erutæ forent Lector dignosceret; primo enim numero indicatur exemplar Muratorio jam notum, secundo alterum Caroli à Basilica Petri à me nuper inventum. Hæc sunt de quibus te monitum volui; si quid in hoc meo labore minùs probatum offenderis, benignè indulge, & vale.*

SERIES

Digitized by Google

SERIES CHRONOLOGICA
Rerum ad hanc Hiſtoriam pertinentium
IN COMMENTARIIS DIGESTA.

Anno 1093. *Conradus Henrici III. ſeu IV. Imp. filius Modoëtiæ, ac Mediolani ab Anſelmo Archiepiſc. coronatur.* Cap. 1. num. 21.

Anſelmus Mediol. Archiep. moritur. Ibid.

1095. *Urbanus II. Placentiæ Synodum celebrat.* Cap. 28. num. 6. *Mediolanum venit.* Ibid. num. 7.

Arnulphus Anſelmi III. ſucceſſor in Archiepiſcopum Mediolan. conſecratur. Cap. 1. num. 1.

Conradus Italiæ Rex in Thuſciam pergit nuptias celebraturus. Cap. 1. num. 31.

Beatus Albertus Cluniacenſis Pontidii Monaſterium condit. Cap. 24. num. 1.

1096. *Armanus Card. eligitur in Brixienſem Epiſcopum.* Cap. 1. num. 7.

Urbanus II. è Gallliis redux Mediolanum iterum venit, & in Templo Sanctæ Theclæ ſermonem ad populum è ſuggeſtu habet. Cap. 28. num. 7. & 8.

1097. *Arnulphus Mediol. Archiep. moritur.* Cap. 1. num. 8. & 28. num. 13.

Landulphus de Badagio in Archiepiſcopum à Clero Mediol. electus ab Armano Card. Brixienſi Epiſcopo rejicitur. Cap. 1. num. 5. & 9.

Anſelmus de Buis eidem ſubſtituitur, & ab Armano confirmatur. Ibid. num. 14. *Pallium ab Urbano II. per Legatum Apoſtolicum recipit.* Ibid. num. 18.

1098. *Anſelmus IV. Med. Archiep. Immunitatem indulget venientibus ad Feſtum SS. Protaſii & Gervaſii.* Cap. 2. num. 5.

1099. *Conradus Henrici IV. filius in Thuſciam ſecundò proficiſcitur.* Cap. 1. num. 31.

Urbanus II. Summus Pontifex moritur. Cap. 1. num. 32. & Cap. 8. num. 1.

Anſelmus IV. Archiep. Sancti Arialdi corpus transfert è S. Celſi ad S. Dionyſii Eccleſiam. Cap. 3. num. 5.

1100. *Groſſulanus in Epiſcopum Saonenſem eligitur, & conſecratur.* Cap. 3. num. 4. & 7. *Anſelmi Archiep. Mediol. Vicarius conſtituitur.* Ibid. *Biennio in eo munere perdurat.* Cap. 4. num. 6.

Anſelmus Mediolan. Archiep. ad Hieroſolymitanum bellum proficiſcitur. Cap. 2. num. 5.

1101. *Conradus Henrici IV. filius moritur.* Cap. 1. num. 32.

Anſelmus Mediol. Archiep. Conſtantinopoli obit Cap. 2. num. 8.

1102. *Groſſulanus in Archiepiſcopum Mediol. eligitur.* Cap. 5. num. 4. *De Simonia apud Summum Pontificem accuſatur.* Ibid. num. 8. *Pallium ſuſcipit à Sancto Bernardo Cardinali delatum.* Ibid. num. 11. & ſeqq. *Synodum Provincialem Mediolani celebrandam indicit.* Cap. 9. num. 2.

1103. *Synodus Provincialis tempore Quadrageſimæ à Groſſulano celebratur.* Cap. 9. num. 9.

Liprandus Presbyter innocuè per ignem tranſit die 25. Martii, ut Simoniam Archiepiſcopi Groſſulani Divino Judicio comprobet. Cap. 10. num. 5. & 6.

Groſſulanus ſtatim peracto ignis judicio Romam ad Paſchalem II. proficiſcitur. Cap. 11. num. 5. *Ab eodem Summo Pontifice eximiis honoribus cumulatur.* Ibid. num. 9.

1105. *Groſſulanus in Synodo Lateranenſi à Paſchali II. celebrata Sedi Mediolanenſi reſtituitur.* Cap. 11. num. 12. *à Mediolanenſibus pellitur.* Cap. 12. num. 5.

Landulfus de Vareglate poſt Synodum Lateranenſem in Atheniſem Epiſcopum eligitur. Cap. 11. num. 15.

Henricus Junior contra Patrem rebellat. Cap. 13. num. 3.

Reliquiæ inſignes in Eccleſia S. Mariæ ad Portam Mediol. reperiuntur, & ob id univerſi Cleri, & Populi ſupplicatio habetur, omnium ſolemnior. Cap. 22. num. 2. & ſeqq.

1106. *Cometes longiſſimum trahens crinem in Occidente apparet.* Cap. 13. num. 5.

Henricus IV. Imp. Leodii moritur. Ibid. num. 4.

Liprandus Presbyter in Vallemtellinam ſecedit. Cap. 16. num. 1.

Annua celebritas pro inventis Sacris Reliquiis S. Mariæ ad Portam publico decreto ſtatuitur. Cap. 22. num. 6.

1107. *Laudenſe bellum incipit.* Cap. 16. num. 1.

Liprandus Presb. è Valtetellina Mediolanum redit. Ibid.

1109. *Mediolanenſes urbem Laudenſem ex improviſo captam ſtatim dimittere à Cremonenſibus compelluntur.* Cap. 16. num. 5.

1110. *Groſſulanus Hieroſolymas peregrinatur.* Cap. 17. num. 9.

Ardericum Laudenſem Epiſcopum, ſuum Mediolani Vicarium deſignat. Ibid.

Olricus Vicedominus in Archipresbyterum eligitur. Ibid. num. 6.

Sacros Ordines Junius ſuſcipit. Ibid. num. 13.

Cremonenſes à Mediolanenſibus apud Bri-

Digitized by Google

Brixianorum campum victi. Ibid. n. 14.
Henricus V. in Italiam descendit. Cap. 18. num. 2.

1111. *Henricus V. Romam petit*. Ibid. num. 3.
A Paschali II. Idibus Aprilis coronatur. Ibid. num. 13.
In Germaniam redit. Ibid. num. 14.
Otto Mediolanensis Vicecomes Romæ interimitur. Ibid. num. 11.
Urbs Laudensis à Mediolanensibus capitur, ac deletur. Ibid. num. 18.
Jordanus de Clivi, postea Archiepiscopus, in Sacerdotem ordinatur Januæ. Cap. 19. num. 8.
Fluviarum, & fluminum mira exundatio, Octobri mense terrore populos implet. Cap. 20. num. 1.

1112. *Jordanus de Clivi in Archiepiscopum Mediol. Kal. Januarii eligitur*. Cap. 21. num. 3.
Eidem Pallium Româ defert Mamardus Taurinensis Episcopus. Cap. 21. num. 9.
Recusatum primò, post sex menses, die 6. Decembris suscipit. Cap. 25. num. 2.
Liprandus Presb. ad Pontidii Monasterium pergit die 6. Decembris. Cap. 24. num. 2.

1113. *Presbyter Liprandus in Pontidii Monasterio sanctè moritur 6. Januarii, & miraculis claret*. Cap. 24. num. 2. & 3.
Grossulanus à Hierosolymitana peregrinatione redux Mediolanum ingreditur mense Augusto. Cap. 26. num. 2.
Civilis pugna inter Grossulani, & Jordani fautores committitur. Ibidem num 7.
Pace composita Grossulanus Placentiam se recipit. Cap. 27. num. 1.
Andreas Primicerius Decumanorum moritur. Cap. 28. num. 3.

1114. *Nazarius Muricula mortuo Andreæ Dalvultio substituitur Primicerius Decumanorum*. Cap. 29. num. 1.

1116. *Paschalis II. Romæ in Laterano Concilium celebrat*. Cap. 29. num. 4.
Sententia contra Grossulanum in Synodo eâdem profertur. Cap. Ibid. n. 15.
Armanus Brixiensis Episcopus deponitur, atque in ejus locum sufficitur Villanus. Cap. 30. num. 2. & 3.
Jordanus Mediolanum redit; & Henricum Imperatorem excommunicat. Cap. 31. num. 2. & 3.

1117. *Grossulanus Romæ moritur in Monasterio S. Sabæ 8. Idus Augusti*. Cap. 29. num. 17.
Terræmotus quadraginta dierum in Langobardia excitatur die 3. Januarii. Cap. 31. num. 6.
Jordanus Concilium Provinciale Mediolani celebrat. Ibid. num. 8.
Ugonem de Noceto ab Henrico institutum Cremonæ Episcopum deponit, ac Ubertum substituit. Cap. 46. num. 7.

1118. *Paschalis II. moritur 21. Januarii*. Cap. 32. num. 1.
Gelasius II. in Sum. Pontificem electus, Henrici Imp. insidias fugiens Cajetam se recipit. Ibid. num. 5.
Ibidem Presbyter, & Pontifex consecratur. Cap. 33. num. 2.
Romam reversus in Gallias proficiscitur. Ibid. num. 4 & seq.
Henricus Imp. Romæ in Pseudopontificem eligi Burdinum curat. Cap. 32. num. 10.
In Germaniam redit. Ibid. num. 17.
Bellum Cumanum incipit. Cap. 34. num. 6.
Concilium Episcoporum, & Principum Langobardorum Mediolani celebratur. Cap. 34. num. 11. & 12.

1119. *Gelasius II. Cluniaci moritur*. Cap. 33. num. 7.
Callistus II. Gelasio succedit. Ibid. num. 8.
Remis Concilium celebrat 20. Octobris. Ibid. num. 10.

1120. *Callistus II. è Galiis in Lombardiam venit, ac Terdonæ consistit*. Cap. 35. num. 1.
Inde Placentiam progrediens ibidem Paschale Festum celebrat. Ibid. num. 5.
Romæ 3. Junii excipitur. Ibid. n. 16.
Jordanus Archiep. Mediol. moritur. Cap. 36. num. 2.
Olricus Vicedominus Jordano succedit 17. Novembris. Ibid. num. 3.

1121. *Burdinus Pseudopontifex capitur, ac Romam ignominiosè perducitur*. Cap. 35. num. 17. *atque in Cavensi Monasterio includitur*. Ibid. num. 18.

1122. *Burdinus è Cava extractus à Calliste II. in arcem Januæ transfertur*. Cap. 35. num. 18.

1123. *Calistus II. Concilium generale Lateranense primum celebrat*. Cap. 36. nu. 4.
Olricus Mediol. Archiep. Romam pergit, & in Concilio ad dexteram Summi Pontificis sedet, frustra contranitente Archiepiscopo Ravennate. Ibid. num. 8.

1125. *Henricus V. Imp. 10. Kal. Junii moritur*. Cap. 37. num. 5.

1126. *Olricus Mediol. Archiep. 28. Maji moritur*. Cap. 37. num. 6. & 7.
Anselmus de Pusterula in Archiepiscopum eligitur. Ibid. num. 7.
Romam ad Pallium suscipiendum pergit. Cap. 38. num. 2.
Id tamen è manibus Summi Pontificis suscipere abnuit. Ibid. num. 3.
Mediolanum reversus in Festo S. Michaëlis solemniter suscipitur. Ibid. n. 6.

1127. *Urbs Cumana deletur à Mediolanensibus*. Cap. 37. num. 10.

1128. *Conradus in Italiam venit*. Cap. 39. n. 2.
Modoëtiæ in Regem Italiæ coronatur 29. Junii. Ibid. num. 7. & seqq.
Iterum Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii Coronam accipit ab Anselmo Archiepiscopo. Ibid. num. 11.

chie-

Digitized by Google

1129. *Conradus in Germaniam redit*. Cap. 39. num. 17.

Concilium Provinciale à Jo. Cremenſi Card. Papiæ celebratur, ac in eodem Anſelmus Archiep. anathemate percellitur. Cap. 39. num. 18.

Cremonenſes contra Cremæ caſtrum exercitum admovent. Ibid. num. 21.

1130. *Honorius II. 14. Februarii moritur*. Cap. 40. num. 1.

Innocentius II. die 15. Febr. eligitur. Ibid. num. 2.

Anacletus Pſeudopontifex creatur die 16. Febr. Ibid.

Anſelmus de Puſterula Archiep. Pallium ab Anacleto Pſeudopontifice miſſum per legatos accipit. Cap. 40. n. 3.

1133. *Mediolanenſium agmen captivum Cremonam perducitur*. Cap. 41. num. 1.

Concilium Epiſcoporum Provincialium Mediolani celebratur. Ibid. num. 5.

Anſelmus Archiep. à Concilio, & univerſo Clero, & Populo ab Archiepiſcopali ſede extruditur. Ibid. num. 9.

Robaldus Albenſis Epiſcopus Vicarius Mediolanenſis Eccleſiæ conſtituitur. Ibid. num. 10.

1134. *Innocentius II. Piſis Concilium celebrat tertio Kal. Junii*. Ibid. num. 13.

Anſelmi Archiep. Mediol. depoſitionem confirmat. Ibid. num. 16.

Thedaldus Landrianus, Stephano de Guandeca mortuo, Archipresbyter Eccleſiæ Mediolanenſis renunciatur. Ibid. num. 14.

S. Bernardus Legatus à latere Innocentii II. Mediolanum venit. Ibid. num. 18. Cap. 42. num. 4.

In Mediolanenſem Archiepiſcopum acclamatur. Cap. 42. num. 7.

Infulam Mediolanenſem recuſat. Ibid. num. 11.

Conradus Lothario Imperatori obedientiam præſtat, ejuſque Vexilliſer conſtituitur. Cap. 42. num. 1.

1135. *Conradus iterum Lothario fidelitatem jurat*. Ibidem.

Robaldus Albenſis Epiſcopus in Archiep. Mediol. eligitur 29. Julii. Cap. 42. num. 17.

Mediolanenſes bellum Cremonenſibus indicunt, ſed exitu infelici. Cap. 42. num. 18.

Anſelmus Archiep. Romam pergens à Goyzo de Martinengo capitur, ac Piſas ad Innocentium II. tranſmittitur. Ibid. num. 22.

1136. *Cœnobium Carevallenſe Ciſtercienſis Ordinis conditur*. Cap. 41. num. 5.

Anſelmus Romam captivus mittitur ab Innocentio II. atque ibidem Auguſto menſe moritur. Cap. 42. num. 25.

Robaldus Archiepiſcopus Piſis Innocentio fidelitatem jurat. Cap. 43. num. 2.

Cremonenſes proſcriptos à Lothario Imperatore excommunicat. Ibid. num. 8.

Pallium ab eodem Summo Pontifice tranſmiſſum recipit. Ibid. num. 3.

Lotharius iterum in Italiam deſcendit. Ibid. num. 6.

In Ronchalia leges condit. Ibid. n. 12.

Papiam progreditur, ac deinde Abbiatum Craſſum, & Taurinum, ac Rhegium. Cap. 44. n. 11. & 45. n. 2. & ſeqq.

Papienſes à Conrado Lotharii Duce, prælio commiſſo in fugam vertuntur, ac deinde in gratiam Imperat. pactâ pecuniâ ſuſcipiuntur. Cap. 45. num. 6. & 8.

1137. *Innocentius II. menſe Martii Piſis Viterbium pergit, ut Lotharium Imperatorem excipiat*. Cap. 42. num. 3.

Cremonenſes ab excommunicatione in ipſos à Robaldo lata ſolvit. Cap. 46. num. 1.

Mediolanenſes Juvenaltam caſtrum Cremonenſibus eripiunt, & eorum Epiſcopum in bello captum in cuſtodia per plures menſes continent. Ibid. n. 4. & 5.

Epiſcopus Cremonenſis venenato Cuſtode, fugâ carcere elabitur, & Cremonam redit. Ibid.

Explicit Series Chronologica Landulphi Junioris.

Digitized by Google

Digitized by Google

Stephanus Spargioni inuen. et del. *Io: Baptista Sintes sculp.*

LANDULPHI
DE SANCTO PAULO
LIBER HISTORIARUM
MEDIOLANENSIS URBIS.

CAPUT PRIMUM.

Anſelmus de Buis in Archiepiſcopum Mediolani eligitur A. C. 1094. (1)

CUM in diebus Robaldi Albanenſis (2) Epiſcopi ferentis infulã Archiepiſcopatus Mediolanen. ingens dolor inſtaret Mediolanenſibus pro ſuis militibus, & civibus captis Cremonæ, atque Papiæ, (3) non ſum immemor Armani de Ganardo, (4) qui ſub ſpecie religionis plantavit quandam radicem novitatis (5), quæ paulatim non ſolùm Mediolanenſem Eccleſiam, ſed regnum Longobardorum per omnes ſuos ſtatus ferè perturbavit, donec Bernardus Abbas Clarevallenſis ad expellendum Dæmones, & ad ſanandum, & ad erigendum infirmos contractos ſecundùm juſſum hominum Mediolanenſium intravit. Armanus enim ille Monachus quaſi Cardinalis (6) Romanus, & à parte Brixienſium civium, atque favore Comitiſſæ Matildis in Eccleſia Brixienſi electus Epiſcopus, (7) defuncto Arnulpho (8) Archiepiſcopo Mediolanenſi ad alium eligendum vênit: (9) Qui ubi ſenſit nobilem multitudinem Mediolanen. convenire ad eligendum Landulphum de Badagio Sancti Ambroſii Canonicæ Præpoſitum in Archiepiſcopum, virumque moribus, & vita quàm bene ornatum, ſubſtitit, & electioni illi non conſenſit. Corona unde vulgi

(1) Anni hujus epocham eandem prorſus in omnibus MSS. Landulphi exemplaribus vidi. Falsò tamen iiſdem præfixam crediderim Amanuenſis imperitiâ, qui vel hiſtoriam Landulphi unico deſcriptam contextu in multa capita diſſecuerit, vel anni numerum malè intellexerit. Compertum ſiquidem eſt, anno ſæculi XI. nonageſimoquarto nondum fuiſſe in Archiepiſcopum Mediolanenſem conſecratum Arnulphum, qui Anſelmo huic proximè præceſſit, & anno tantummodo ſequenti à tribus Epiſcopis poſt Synodum Placentinam Mediolanum profectis, Urbano II. mandante, inunctus fuit, ut teſtatur Bertholdus illius ævi ſcriptor ad ann. 1095. Anſelmum verò nonniſi anno 1097. ad Archiepiſcopalem ſedem promotum fuiſſe conſtat, ut mox dicemus.

(2) Verè *Albenſis*, ſicuti legebatur in Codice antiquo Metropolitanæ Bibliothecæ, recenti manu malè correcto *Albanenſis*. Alba enim Pompeja, cujus ille erat Epiſcopus, urbs eſt Liguriæ ac Montisferrati, adhuc connumerata inter ſuffraganeos Epiſcopatus Mediolanenſis Metropolis. Quod adnotatum hîc volo pro omnibus hujus hiſtoriæ locis, in quibus, cùm de hoc Robaldo mentio fit, malè vox iſta *Albanenſis* ferè ſemper uſurpatur.

(3) Quæ hîc à Landulpho innuuntur, longè poſteriùs accidêre, quàm ordo præſentis hiſtoriæ poſtulat. Robaldus enim in Archiepiſcopum Mediolanenſem electus eſt ſæculo ſequenti jam multùm provecto, ut in poſtremis hujus libri capitibus videbimus. Cur autem hujuſmodi rerum memoriam, quæ longo poſt tempore contigere, hîc præmiſerit auctor noſter, exiſtimaverim id factum, ut comparationem quandam inſtitueret publici tumultus excitati tempore, quo ſcribebat, cum eo à quo hiſtoriam ſuam exordiebatur, atque inde occaſionem captaret cæteros perturbatæ illius ætatis eventus calamo proſequendi.

(4) Nomen oppidi quod novem milliaribus ad

vulgi, gratiâ Romanæ Ecclesiæ & Brixiensis, ac Matildis Comitissæ favore, putans illum fore religionis virum, mox ubi sensit illum Armanum huic electioni abesse, cœpit adversùs ipsam electionem insanire, & Clericos, & Sacerdotes pugnis, & fustibus vehementer lacerare, virum quoque de . . . civibus Paganum nomine, & in Porta Orientali . . . . in ipsa Ecclesia, quæ dicitur Hyemalis (10) præsumsit occidere. Hanc insaniam no-

orientem Brixia dissitum, ad oram Clusii fluminis statuit Ælias Capreolus in annalium Brixiensium tabula Geographica; unde etiam nobilis illius urbis familia *Gavarda* ab ipso sæpiùs memorata cognomentum traxit. Hinc corrigenda lectio Puricellii, qui num. 284. eum vocat *de Ganardo*,

(5) Non aliam fuisse arbitror novitatem hanc, quàm quæ proximè à Landulpho narratur, quòd videlicet rejecta electione Archiepiscopi Mediolanensis à Clero & Primoribus urbis statuta (recti animi colore, ut par est credere, & religioso aliquo prætextu interposito) Armanus iste in causa fuerit, ut circumstans ad modum coronæ inconditum vulgus in seditionem ageretur, ductumque opinione summæ integritatis, qua eum pollere existimabat, utpote tanta apud Romanam, & Brixiensem Ecclesiam, ac Mathildem gratia vigentem, alterum Archiepiscopum tumultuariis suffragiis elegerit contra antiquum morem hujus Ecclesiæ; Inde enim veluti ex noxia radice contentiones, dissidia, Schismata, & bella paulatim erupere, quibus non tam urbs nostra, quàm finitimæ gentes diuturna perturbatione afflictæ sunt, donec S. Bernardus Clarevallensis Abbas velut Angelus pacis ad nos missus, concussæ calamitatibus universæ Langobardorum Provinciæ suppetias tulit, veteremque decorem, ac quietem restituit, ut infra cap. 42. narrabitur.

(6) Particula *quasi* non ad minuendam significationem vocis, cui præponitur, sed potiùs ad designandam rem, vel dignitatem ab auctore nostro hìc & alibi in historiæ decursu passim usurpatur, idemque sonat apud ipsum ac altera hæc: *nempe*, *videlicet*: quod monitum lectorem ab initio volui, ne dubius hæreat, cùm offenderit in Landulpho rudes hujusmodi formulas *quasi Monitus*, *quasi Archidiaconus* &c. Cæterùm Armanum fuisse Cardinalem S. R. E. probat subscriptio adjecta diplomati primùm edito à Cl. V. Benedicto Bacchinio in hist. Monast. Padolironen., ac deinde inserto in nova Ital. sacr. editione tom. 4. col. 541. ab eruditissimo amico meo Paulo Galeardo, in hæc verba: *Ego Armannus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis confirmo*; quod tamen Ciaconio & Oldoino, necnon Brixiensium Episcoporum Chronologis Jo. Franc. Florentinio, & Ughello ignotum fuit: An verò hic Armanus idem sit ac Hermannus Presb. Card. tit. SS. quatuor Coronatorum, quem per eadem tempora floruisse compertum est, quique ab Urbano II. missus Mediolanum nuper fuerat ad Pallium deferendum Arnulpho nostro Archiepiscopo, dubitationi locum aliquem facit Ughellus, qui eundem Armanum æquè vocatum fuisse *Arimannum*, & *Hermannum* scribit: Attamen cùm Hermannum illum usque ab anno 1061. Cardinalem creatum ab Alexandro II. & ab Urbanno II. Archipresbyteratus S. R. E. dignitate auctum tradat Oldoinus, & nusquam eum viderim subscriptum, aut memoratum Episcopum; Brixiensem autem hunc Antistitem longè post sæculum XI. vitam produxisse repererim; anno enim 1116. ab Episcopatu depositum fuisse docet Landulphus cap. 30. & *Armanni*, non *Hermanni* nomine tum ab auctore nostro, tum in documentis manu ipsius firmatis appellatum fuisse constanter observaverim, in eam sententiam adducor, ut diversos illos omnino existimem. Quandoquidem verò de hoc Cardinali Armanno producenda hæc fuere, ut Landulphi Historia illustraretur, liceat mihi obiter refellere Puricellium, qui in dissert. Nazariana cap. 106. num. 4. ut lectori erudito satisfaciat quærenti cur S. Galdinus postquam Mediolanensem Archiepiscopatum susceperit, nunquam se Cardinalem subscripserit, cùm tamen citra dubium sit, eundem S. R. E. Cardinalem fuisse antequam ad hanc Insulam vocaretur, id factum ait, quòd (docente Panvinio in libro *de Episcopalibus, Titulis, & Diaconis Cardinalium*) antiquitus usque ad Alexandri III. tempora in more fuerit, ut qui ex Presbytero Cardinali Episcopus fieret, Cardinalis esse desineret. Quàm infirma tamen hæc ratio sit, quæ attulimus dilucidè probant. Armanum enim post initum Brixiensis Episcopatus regimen, longè ante Alexandri III. ætatem, S. R. E. Cardinalem subscriptum legimus, quemadmodum in Bacchinio, & Ughello supracitatis videri potest. Addo neque verum esse, quòd S. Galdinus, Mediolanensi Ecclesiæ regendæ addictus, hunc dignitatis suæ titulum perpetuò siluerit. Extant siquidem in tomo III. Thesauri Anecdotorum Edmundi Martene col. 1235. Breves literæ Alexandri III. ad Garinum Pontiniacensem Abbatem datæ III. Id. Novembris, ejusdem Pontificatus anno VIII. ideſt 1166. in quibus octavo loco se in hunc modum subscribit Galdinus.

† *Ego Galdinus S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis SS.*

(7) Ejus electionem ab Ughello anno Christi 1096. consignatam Bacchinius loc. cit. retraxit ad annum 1087. fretus diplomate ejusdem Armani à se ibidem producto, quod illo anno datum putavit: Verùm cùm diploma ipsum à me in opere Bacchinii diligenter examinatum, nonagesimum septimum annum expresse referat, & dies in eodem enunciatus anno huic, non alteri à Bacchinio assignato conveniat, solaque Indictio Amanuensis fortasse vitio corrupta dissentiat, ut eruditè adnotavit laudatus Galeardus, Armani electio ab anno 1096. minimè removenda.

(8) Obiit Arnulphus non anno 1096., ut perperam scripsit Ughellus, sed anno 1097. VIII. Kal. Octobris juxta calculum Papebrochii antiquis Catalogis innixum, & ipsius etiam Puricellii, qui in vita S. Herlemb. lib. 4. cap. 82. num. 1. sententiam suam in monum. Basil. Ambros. num. 284. prolatam, quæ Arnulphi mortem anno 1096. statuebat, irritam prorsus voluit.

(9) Vocari in dubium posset, an huic electioni interfuerit Armanus tamquam suffraganeus Episcopus electus, quemadmodum in more hujus Ecclesiæ fuisse colligitur ex hac ipsa historia; Landulphus enim cap. 37. Anselmum de Pusterula à Clero Metropolitano & Episcopis suffraganeis electum in Archiepiscopum narrat, & cap. 42. loquens de electione Robaldi, qui utpote jam multis ab inde annis Albensis Episcopus, consecratione non indigebat, ait, convocatos Mediolanum ab Ordinariis, & Decumanis tres suffraganeos Episcopos, ut *in Consilio suo* ad Archiepiscopalem dignitatem *sublimaretur*: An verò huc accesserit tamquam Legatus Apostolicus, ut sibi persuasum esse ostendit Papebrochius, dum in exegesi suprad. num. 103 inquit electionem Landulphi de Badagio irritam factam fuisse à Legato Apostolico, qui certè non alius fuit, quàm hic Armanus. Ego verius in hanc secundam partem inclinaverim, cùm nonnisi credendum sit, excelsiori aliqua auctoritate præditum eum fuisse, qui & collata à nobili multitudine suffragia abolere, & alterum constituere Archiepiscopum suo veluti nutu potuerit, ut auctor noster narrat. *Vicarium Papæ* appellatum fuisse Armanum in diplomate ab ipso dato in favorem Cœnobii S. Petri, tradit Florentinius jam cit. in indice Chronolog. Antist. Brixien. sed desiderandum foret, ut saltem annum dati diplomatis indicasset.

(10) Ecclesia hæc Deiparæ Virgini sacra hyemalis appellabatur, eo quòd Clerus Metropolitanus divina ibidem ministeria peragebat hyemis tempore: Sita autem erat in eodem loco, ubi nunc immane Templi maximi ædificium surgit à Joan. Galeatio Vicecomite Mediolani Domino, ac postmodum primo Duce, excitatum:

Digitized by Google

nobilis Landulphus vitavit, & descendens Secretarium (11) Ecclesiæ ad domesticam suam Ecclesiam, (12) quæ Sancti Joannis ad Quatuor Facies dicitur, pervênit. Armanus autem ille in tanta perturbatione in Ecclesia Sancti Ambrosii ait populo sibi congregato: Vobis fiet prout proverbium dicit: Populo stulto Episcopus (*) *surdus* (13). Hoc dicto statim elegit sibi, & illis (14) in Archiepiscopum Anselmum de Buis (15), hominem simplicem, & Canonicæ S. Laurentii Præpositum. Hic verò, ut sensit electum à Brixiensi illo Armano, & populo impetuoso collaudatum, illicò Cathedram Archiepiscopatus ascendit, & sedit. Et deficientibus sibi suffraganeis Episcopis omnes Ecclesiasticos ordines usque ad Presbyteratum (16), ordinationem quoque Episcopatus ab extraneis Episcopis suscepit: Virgæ quoque Pastorali per munus Matildis Abbatissæ adhæsit (17); Stolam (18) verò per A Legatum D. Urbani PP. sibi delatam induit. Deinde homo iste effectus prudens neglexit Obertum agnomine Baltricum, qui propter investituram Brixiensis Episcopatus, quam à Rege suo Henrico susceperat, Armano repugnabat, & Armanum, qui se in Archiepiscopum elegit, in Episcopum Brixiensem ordinavit. Hoc quidem prudentiâ Archiepiscoporum antecedentium sibi, videlicet Anselmi de Raude, & Arnulphi de Porta Orientali, facere vitavit (19). Cono (20) quoque Rex, qui dum pater ejus Henricus viveret per contractationem Matildis Comitissæ, & officium hujus Anselmi de Rode fuit coronatus Modoëtiæ, & in Ecclesia S. Ambrosii regali more, (21) ad horum Pontificum, scilicet Anselmi de Buis, & Armani Brixiensis, ordinationem non respexit, sed regnans in loco, qui Burgus S. Donini (22) dicitur, vidit Presbyterum Liprandum (23) propter Patariam (24) naso,

B

C

D

E

tum: Vocabatur autem hyemalis ad differentiam æstivæ, quæ Sanctæ Martyri Theclæ dicata erat: jacebatque in confinio porticus, cui nomen in præsens *Figini* est, ac tandem diruta fuit, atque unita Metropolitano Capitulo à sanc. mem. Cardinali Archiepiscopo Carolo Borromæo. De utraque hac Ecclesia plura tradit Puricellius in dissert. Nazar. cap. 100. & alibi in suis dissertationibus.

(11) Secretarium apud Ecclesiasticos scriptores idem sonat, ac *Sacristia*, ut docet Macrius in Hierolexico. In Metropolitana nostra Ecclesia locus ille per hæc tempora conditorium erat thesauri Ecclesiæ; Beroldus enim scriptor Mediolanensis, qui sub initium sæculi sequentis floruit, & cujus aliqua fragmenta edidit Puricellius in dissertat. Nazar. cap. 97. & seqq. describens ordinem Metropolitanæ Ecclesiæ ait, ex sexdecim Custodibus octo *majores* appellatos in id munus addictos fuisse, ut bini per hebdomadam unà cum Subdiacono hebdomadario jacerent *in Secretario ad custodiendum thesaurum Ecclesiæ*, qui statis deinde solemnibus per annum Festis super Altare proferebatur: Alii autem octo, *minores* dicti, in altero jacebant loco, qui *Ecclesiæ Tribunal* vocabatur.

(12) Idest ad Ecclesiam, quæ prope paternam ipsius domum erat. Nobilissimam enim familiam de Badagio fixo ibidem domicilio consedisse, argumentum est Ecclesia S. Hilarii in iis ipsis confiniis extructa ab Anselmo de Badagio Lucensi primùm Episcopo, ac postmodum sub Alexandri II. nomine Summo Pontifice, ut tradit Puricell. in monu. Basil. Ambros. pag. 284.

(*) A. 1. *lurdus*.

(13) Antiquitus in Codice Metropolitanæ legebatur *Surdus*. Recenti verò manu inducta in illum fuit hæc alia vox *Lurdus*, (Italicè *Lordo*,) quæ pariter in exemplaribus Ambrosianæ Bibliot. legitur. Quæcumque tamen ea sit, quæ tunc in adagium traheretur, congruere utraque optimè potest *populo stulto*.

(14) Non ipse elegit, sed electum tumultuariè à Populo, pejorum fortasse metu, eidem indulsit, & auctoritate sua confirmavit, ut ex ipsa hujus rei narratione patet, & clariùs etiam exprimitur cap. 28. Ibi enim Landulphus refert, *Nazarium Muriculam cum suæ connexionis turba, ferè quodcunque voluit, fecisse in Ecclesia Mediolanensi, & in Saona Civitate: In Mediolanensi namque sublimavit Anselmum de Buis hominem simplicem in Archiepiscopum Mediolanensem &c.* Quo autem anno electio ista contigerit; ex vetustis Catalogis à Papebrochio in memorata exegesi, & à Puricellio in vita S. Herlemb. cap. 82. diligenter expensis manifestè colligitur, consignandam eam esse anno 1097. die III. Novembris.

(15) Galvaneus Flamma in Chron. Maj. ad ann. 1094. ait, eum fuisse *ex Valvasoribus de Buysso*, qui pagus est decimo ab hac urbe lapide distans, sub Metrocomia, seu in Plebe Oppidi Decii.

(16) Hinc patet, prædictum Anselmum fuisse quidem Præpositum S. Laurentii, sed tantummodo electum, cùm nullo adhuc ordine sacro esset initiatus.

(17) Excidisse à calamo Amanuensis per errorem hoc nomen *Abbatissæ* loco alterius *Comitissæ* existimo, cùm nulla in historiis de alicujus Abbatissæ jure, aut patrocinio ad hanc electionem mentio extet: Item nemo credat, investituram aliquam, quæ iterato anathemate à Conciliis & Summis Pontificibus confixa tunc erat, intelligendam hìc esse, sed tantummodo, quòd in beneplacito Comitissæ Mathildis, quæ summa in Italico Regno auctoritate pollebat, ac Romanæ Ecclesiæ partes viriliter tuebatur, Archiepiscopalem Sedem Anselmus conscenderit.

(18) Hoc nomine ubique ab auctore nostro usurpato, indicatur *Pallium*, ut adnotavit etiam Du-Changius in Glossario.

(19) Ex hoc Landulphi contextu eruitur, à præcedentibus Archiepiscopis Mediolanensibus Anselmo & Arnulpho toleratum fuisse in Brixiensi Episcopatu Obertum Baltricum, prudenti, ut credendum est, consilio, ne Henricus ejusdem fautor acerbiùs irritaretur. Fortasse etiam reprobare in suffraganeo Episcopo non audebant quod in se ipsis admiserant; utrumque enim ab Henrico Imperatore, per virgam & anulum institutum Archiepiscopum affirmat Sigonius de Regno Italiæ lib. 9. ad annum 1084. & 1092.

(20) Idest Conradus filius Henrici III. dicti etiam passim IV. Imperatoris, quem numerum ego quoque imposterum in designando hoc Henrico, cum Pagio sequar.

(21) Coronatus fuit Conradus eo anno, quo rebelli in Romanam Ecclesiam Patri se rebellem fecit, descenditque in Italiam, nempe anno 1093. Solemnis autem hæc inauguratio peracta est ab Anselmo de Raude Mediolanen. Archiep. (vitâ etiam functo sub finem ejusdem anni,) qui Modoëtiæ primùm oppido insigni, ac deinde Mediolani in Ecclesia S. Ambrosii Regiam Italiæ coronam ejus capiti imposuit, ut ex coævis scriptoribus Landulpho nostro, & Bertholdo ad ann. 1093. patet. Coronationem hanc in patria sua peractam Barthol. Zucchius sedulus alioquin Modoëtiensium rerum scriptor ignoravit.

(22) Tunc insigne Oppidum, nunc urbs Episcopalis inter Placentiam, & Parmam posita, quæ olim *Julia Fidentia* vocabatur.

(23) *Luitprandum* appellat Arnulphus historicus jam editus in IV. hujus collectionis Tomo lib. IV. cap. IX.

(24) De *Pataris*, & *Pataria* nonnulla protulit Pagius in crit. Baronii ad ann. 1058., sed plura eruditè discussa legi possunt in Comment. prædicti Arnulphi editi eod. tom. IV. pag. 39. quæ hìc repetere non vacat. Id equidem adnotare licet, clarè colligi ex nostro auctore, *Patari* nomen tunc temporis proprium fuisse eorum, qui Pontificiis obsequentes mandatis, contra contumaces in nuptiis Clericos castimoniam propugnabant.

Digitized by Google

naſo, & auribus truncatum (25) euntem ad Urbanum Pont. Rom., cui Presbytero Rex ipſe cum devotione inquit: Cùm ſis Magiſter Patariorum, quid ſentis de Pontificibus, & Sacerdotibus regia jura poſſidentibus, & Regi nulla alimenta præſtantibus? Et Presbyter ipſe abſque ullo rancore in beneplacito Dei, & ipſius Regis reſpondit. Verumtamen altera die faciens iter ſuum cum Presbytero Arnaldo Magiſtro Scholarum Mediolanenſi, (26) & Syro Sacerdote (27) Eccleſiæ S. Mariæ Pedoni (28) captus eſt ab hominibus Parmenſis Epiſcopi, (29) qui ducebatur digerens pœnam ad locum, qui dicitur . . . . ibique per 4. dies retentus, & expoliatus, inde Mediolanum rediit. Rex verò ipſe, prout audivi, A à raptoribus illis emendam (30) & malum ipſius Presbyteri ſuſcepit, & mox in Thuſciam adire tentavit, (31) & cùm perveniſſet Florentiam, Rex ipſe prùdens, & ſapiens, atque decorus ſpecie (proh dolor) adoleſcens accepta potione ab Aviano Medico Matildis Comitiſſæ vitam finivit. (32)

CAP. II.

Anſelmus contra Saracenos transfretat, & in Conſtantinopoli moritur.

REge igitur in regno deficiente (1) ſupradictus Anſelmus de Buis Mediolanenſis B Archiepiſcopus quaſi monitus Apoſtolica auctori-

(25) Hanc injuriam paſſus eſt presbyter Liprandus paulò poſt martyrium S. Herlembaldi, teſte Arnulpho loco ſuperiùs citato, anno ſcilicet 1075., ut num. 23. ibibem eruditiſſimus Arnulphi adnotator contendit, quinimmo martyris titulo decoratus ob id fuit à Gregorio VII. in literis ad eundem datis, quas infra à Landulpho noſtro recitatas cap. VI. videbimus.

(26) Extitiſſe in hac urbe ſcholas illas, quas à Conciliis decretas ad erudiendos pueros, Clericoſque juniores in Cathedralibus præcipuè Eccleſiis olim floruiſſe docet Thomaſſinus de veter. & nova Eccleſ. diſciplin. part. 2. cap. 92. ad 100., dubitare non ſinit Beroldus jam memoratus, qui Metropolitanæ noſtræ Clerum deſcribens, quatuor magiſtros Scholarum pluries enumerat, quorum unus alternatim per hebdomadas cum ſacris myſtis Choro ſemper intereſſe debebat, omneſque ſimul, recurrentibus quibuſdam Sanctorum memoriis, divina cum reliquo ejuſdem Eccleſiæ Clero officia peragebant: Alterum igitur ex hiſce Magiſtris fuiſſe Arnaldum obvium eſt credere. Num verò hinc colligi poſſit veſtigium aliquod Palatinæ Mediolanenſis ſcholæ, quæ uſque ab Ambroſii Sanctiſſimi Archiepiſcopi temporibus celebris, magno Eccleſiæ Doctore Auguſtino hìc publico nomine ac ſtipendio Rethoricam docente, in noſtrum quoque ævum florentiſſima perduravit; conjectandi anſam præbet Exemplar Landulphi, quo uſus eſt Puricellius. In illius enim relato textu, tum in præfat. ad lib. 2. vitæ S. Arialdi, tum in vita S. Herlembaldi cap. 86. conſtanter legitur: *Magiſtro Scholarum Mediolanenſium*, qua appellatione opinari quis poſſet non alias indicatas hìc ſcholas fuiſſe, quàm quæ ab antiquis temporibus publica auctoritate, atque ære Mediolanenſis urbis conditæ ſunt. Sed non hic locus de his diſceptandi. Nonnulla ad hanc rem pertinentia fuſiùs proſequar in *hiſtor. literaria Mediolanen.* quam præ manibus habeo, (ſi per ocium tandem licebit abſolvere) typis committendam.

(27) Ab hoc Syro conſcriptam fuiſſe S. Arialdi vitam, quæ in præſens deſideratur, cenſet Puricellius in vita S. Herlembaldi cap. 86. cui adſtipulatur Pagius in crit. ad ann. 1061. nu. 6. Baronium & Bollandum refellens.

(28) *Pedonis* etiamnum ſacra hæc Deiparæ Virgini Eccleſia appellatur, eique nomen hæreditarium manſiſſe à primo conditore *Comite Pedone* tradunt Chronica MSS. in Ambroſ. Biblioth., queis titulus *Flos Florum* in Angilberto II. Mediol. Archiep.

(29) Quiſnam eſſet Parmenſis iſte Epiſcopus, à cujus hominibus captum Liprandum memorat Landulphus, ex hiſtoriis non liquet. Eberardus, ſeu Evrardus illius urbis Antiſtes ſchiſmaticus, fautorque Antipapæ Clementis, à quo Abbatem quemdam Romam ad Concilium properantem anno 1079. in carcerem conjectum ſcribit Ughellus in Epiſ. Parmen. num. 26., teſte Bertholdo miſerè jam obierat anno 1087. quo Urbanus II. nondum creatus fuerat Summus Pontifex, nec Conradus in Italiam deſcenderat. Quis verò eidem ſucceſſerit, ignoravit Ughellus, qui lacunam propè XX. annorum inter Heberardum, & S. Bernardum Cardinalem in hac ſerie reliquit. Vadonem quemdam illius urbis Epiſcopum nominat diploma Henrici IV. & Conradi Regis nomine datum, ac relatum à Franciſco Sanſovino in orig. illuſtr. famil. Ital. ubi agit de Martinenga familia. Hunc Vadonem fortaſſe etiam Guidonem appellatum (niſi etiam alius fuerit à Vadone, ſeu Vidone hic Guido) Epiſcopum Parmenſem fuiſſe confirmat charta conceſſionis ex archivo Canonicorum ejuſdem urbis producta à Bonvicinio in addit. ad novam Ital. Sacr. editionem Venetiis peractam; ſed cui anno conſignandum ſit initium aut finis Sedis ignotum prorſus eſt; atque ideo etiam latet, cui ſecurè Antiſtiti (certè tamen ſchiſmatico) tribuenda ſit illata hæc Liprando carceris, & expoliationis injuria.

(30) Emendam eſſe *pecuniariam multam*, *ſeu compenſationem damni*, tradit Du-Changius in Gloſſario. Hoc loco adhiberi ad ſignificandum pretium, quod pro ſua redemptione obtulerat Liprandus, adnotavit Pagius in crit. ad annum 1100. num. 22. Veriùs crediderim fuiſſe multam à Conrado inflictam raptoribus, ob injuriam Liprando irrogatam, ut ex textu patet.

(31) Perrexiſſe in Thuſciam, & Piſas Conradum cum regio apparatu anno 1095., ut filiam Rogerii Ducis Siciliæ in ſponſam acciperet, teſtis eſt Bertholdus ad illum annum; ſed inde reverſum fuiſſe, clarè oſtendit Landulphus; ait enim eum regnaſſe *in Burgo S. Domnini*, quo tempore electus eſt Archiepiſcopus Mediolani Anſelmus, & in Antiſtitem Brixienſem conſecratus Armanus, nempe anno 1097. Secunda igitur hæc in Thuſciam profectio eſt, quæ hactenus ſcriptores fugit, eamque anno 1099. ſuſceptam fuiſſe, contra Puricellium veriùs ſtatuit Pagius in crit. ad ann. 1100. num. 22.

(32) Obiiſſe Conradum nono anno poſt defectionem à Patre, atque ideo anno 1101., auctor eſt Abbas Urſpergenſis, qui non tam egregias Regis illius dotes, ſed etiam prodigium quoddam ab oculari teſte inſpectum in ejus obitu, & ſibi poſtmodum relatum narrat ad eundem annum. Idem confirmat coævus auctor Domnizo in vita Mathildis, qui tertio poſt Urbani II. Papæ mortem anno ereptum fato Conradum enunciat: Revera tamen vix incœptus eſſe debuerat tertius hic annus, cùm Urbanus II. deceſſerit anno 1099. eodem menſe Julio, quo etiam Conradus poſtmodum obiit.

AD CAP. II. NOTÆ.

(1) Hæc Landulphi verba mirè Puricellium ambagibus implicuere; cùm enim credidiſſet, auctorem noſtrum à morte Conradi reliquam hiſtoriæ ſuæ ſeriem fuiſſe exorſum, adverteretque omnia, quæ hìc narrantur de procurata per Anſelmum Archiepiſcopum tanto apparatu, tantiſque laboribus abſoluta in orientem expeditione, minimè componi poſſe cum obitu illius Regis producto uſque ad annum ſuperiùs ſtatutum, triennio eundem antevertit, aſſigens mortem Conradi anno 1098. quin immo ex Landulpho corrigendos eſſe auctores illos magni alioqui nominis ſuperiùs relatos cenſuit, pluraque congeſſit in vita S. Herlemb. cap. 86. ut ſcriptoris hujus Mediolanenſis, loquentis de re in hiſce regionibus acta, & ad Liprandum avunculum ſuum ſpectante,

Digitized by Google

ctoritate (2) jam dicto Presbytero nolente ſtuduit congregare de diverſis gentibus exercitum, cum quo caperet Babylonicum Regnum, (3) & in hoc ſtudio permonuit præelectam juventutem Mediolanenſem cruces ſuſcipere, & cantilenam de Ultreja, Ultreja (4) cantare. Atque ad vocem hujus prudentis viri plures viri cujuslibet conditionis per civitates Longobardorum, villas, & caſtella eorum cruces ſuſceperunt, & eamdem cantilenam de Ultreja Ultreja cantaverunt. Statuit quoque & ipſe dum eſſet in hac expeditione,

A (5) de reditibus Archiepiſcopatus non daretur Sacerdotibus, & Levitis, & cæteris Clericis beneficium, quod conſuevimus ſuſcipere per celebrationes Feſtorum Sanctorum Martyrum, Virginum, & Confeſſorum (6). Inſuper quidam peroptandus mihi frater nomine Giriſmannus ſpectans ad illius admonitionem, patrem, & matrem, ſorores, & fratres, uxorem quoque & filiam unicam in cunabulis dimiſit, atque (rediens à Hieroſolymis viam univerſæ carnis intravit) Babylonis terram, præſtante ſibi divina gratia, ſimul cum mul-

ctante, auctoritatem cæteris præferendam probaret. Refellit Puricellium Pagius, utque falcem veluti ad radicem mittat, malè ab ipſo intellectum Landulphum dicit in Crit. ad ann. 1100. num. 21. neque enim ſcribit ille peregrinationem Anſelmi in Orientem initam fuiſſe poſt Conradi Regis obitum, ſed tantùm *eo in Regno deficiente*, ideſt, *eo jam morti proximo*, *vel cùm prope eſſet*, *ut in Regno deficeret* : Ita Pagius. Equidem excuſare à manifeſta hiſtoriæ perturbatione Puricellium nequeo : attamen ut verum candidè fatear, nec Pagii interpretatio placet. Nimis enim aſperum, atque alienum ab auctoris ſenſu videtur, voluiſſe ab illo per *defectionem in Regno* defectionem virium, ac vitæ ſignificari. Ut igitur planiore via incedam, adverto in ſuperiori capite fuiſſe à Landulpho narratum, quòd Conradus regni ſui ſedem apud nos conſtituerat, dum ait : *regnans in loco, qui dicitur Burgus S. Domnini* : Cùm ergo relatis omnibus, quæ ad Conradum pertinebant, ad Anſelmi noſtri hiſtoriam texendam redierit, verbis illis *Rege in regno deficiente* nihil aliud exprimere voluit, niſi quòd, ob Regis profectionem in Thuſciam, ſedes Regni Langobardici ad Burgum S. Domnini jam fixa, & rudi formula pro more barbari illius ſæculi *Regnum* vocata, apud nos eſſe deſierit. Certè Anſelmus noſter in Orientem profectus eſt vivente adhuc Conrado, qui nonniſi poſtremis Julii diebus anni 1101. obiit, duobus nempe tantùm menſibus ante Anſelmi ejuſdem fugati, & gravem luctum Conſtantinopoli agentis, deceſſum, quo circa non vitam, ſed regnum Conradi, modo hîc explicato, defeciſſe dicendum eſt, cùm iter ſuum Hieroſolymas versùs moliri cœpit Mediolan. Antiſtes.

(2) Indictam fuiſſe Hieroſolymitanam expeditionem ab Urbano II. pluribus in Conciliis, Placentino, Claromontano, Lateranenſi, eidemque ubique promovendæ ſtudium omne impendiſſe Sanctiſſimum illum Pontificem, ex Baronio, Labbeo, aliiſque paſſim ſcriptoribus conſtat. Fortaſſe etiam, mortuo Arnulpho Archiepiſcopo noſtro, novas ad Anſelmum literas dederat Urbanus, ut ipſum ad tantam rem impigrè agendam adhortaretur; Id enim innuere videntur hæc Landulphi verba.

(3) Nobilis hujus conſilii originem, ſeriemque in iis præcipuè, quæ ad res noſtras pertinent compendioſa narratione collegit Calchus ad ann. 1087. quem vide.

(4) Vox iſta, quæ nuſquam, præterquam in Landulpho, occurrit, peculiaris eſſe debuit urbis noſtræ, & eo tantùm tempore enata, quo expeditio hæc parabatur. Ejuſdem ethymon indagare ſtuduit Franc. Bernardin. Ferrarius olim anteceſſor meus in Ambroſiana hac Præfectura; Libro enim VI. cap. VII. *de veterum acclamationibus*, *& plauſu* ait, conflatam eſſe ex duobus hiſce adverbiis *Ultra* & *Eja*, quibus ad generosè capeſſendum iter ultra mare Populi incitabantur; ſed confusè prolatis, corruptum hoc vocabulum *Ultreja* conditum fuiſſe. Conjecturam hanc parum certam affirmat Du-Changius in Gloſſario : Optandum tamen foret, ut alteram ipſe firmiorem produxiſſet : Interim eidem acquieſcendum eſt; niſi fortaſſe velis ab altero hoc adverbio *Ultro Eja* derivatam hanc vocem,

B quæ ſpontaneum, promptumque animum ſuſcipientium Crucem deſignaret.

(5) Bis in Orientem profectum fuiſſe Anſelmum, anno ſcilicet 1098., & 1100. ſibi perſuadere conatus eſt Puricellius, ſed citra verum, cùm nulla extent hujus iteratæ expeditionis veſtigia, & contra militet Landulphi auctoritas, qui de unica tantùm loquitur. Immo Puricellius ipſe non bene ſibi convenit; Ait enim circa medium anni 1098. Anſelmum Mediolani morantem publico decreto indulſiſſe immunitatem à vectigalibus pro Feſto SS. Gervaſii, & Protaſii, & ſub initium ſubſequentis deſcripſiſſe ſententiæ cuidam latæ in favorem Abbatis S. Simpliciani : Quis autem credat expeditionem tanti momenti tam celeriter peragi potuiſſe, ut intra breve paucorum menſium intervallum profectus reverſuſque foret Anſelmus? Adde, ab Urſpergenſi Abbate ad ann. 1101. narrari, Epiſcopos Mediolanenſem ac Papienſem auctores fuiſſe, ut quinquaginta millia Langobardorum, *quorum priùs votis timor*, *vel diffidentia*, *inopia*, *vel imbecillitas obſtiterant*, itineri ſe committerent; quod ſignum eſt, eos non antea profectos fuiſſe. Quo autem anno in Orientem conceſſerit Anſelmus, incertum eſt. Conſcendiſſe ipſum Genuæ claſſem, quæ Kalendis Auguſti anni 1100 inde ſolvit, à Liguſticis annalibus tradi, Calchus affirmat; nihil tamen de hac re habere Juſtiniani, & Fogliettæ hiſtorias, advertit etiam Pagius ad ann. 1101. num. 7. Ego potiùs crediderim, terreſtri Anſelmum itinere Conſtantinopolim contendiſſe ſub finem milleſimi centeſimi, aut ſub initium anni ſubſequentis; citatus enim Urſpergenſis refert, Longobardorum exercitum Carinthiâ permeatâ in Bulgariæ Civitatibus hyemaſſe, ac tandem illo eodem anno 1101. Conſtantinopolim perveniſſe.

(6) Mos erat in Ambroſiana Eccleſia, ut cùm præcipua per annum Feſta recurrerent, varia quædam munera, & nummi etiam præſtarentur ab Archiepiſcopo iis, qui Divino miniſterio, officiiſque intereſſent. Extat inter opera citati Beroldi peculiaris liber *de Ordine*, in quo id etiam legitur : *qualiter denarii omnium feſtivitatum dividuntur*. Ibidem minutim enumerantur, quæ Eccleſiaſticis miniſtris, ſpectata eorum conditione, ac varietate Feſtorum diſtribuenda erant ab Antiſtite noſtro, vinum nempe, panes ex ſecale, aut tritico, cera, aliaque id genus; quin etiam ſolidi, aut denarii ſuis quibuſque ordinibus ſtatuti : Inſuper recenſentur ſolemniores dies, quibus potior pars Cleri ad prandium in Archiepiſcopali domo, & cum ipſo quoque Archiepiſcopo vocari debebat; idque tunc publicè in Choro notum fieri per Primicerium Lectorum Archiepiſcopus mandabat, cùm inchoaretur Canticum *Benedictus* his verbis : *Reficite cum Domino* : Hinc ego colligebam olim in diſſert. mea typis data pro vindiciis ſecundùm poſſeſſionem Corporum SS. Gervaſii, & Protaſii num. 19. & 21. non omnino ſublata fuiſſe in Eccleſia noſtra antiqua illa convivia ad fovendam mutuam charitatem, quæ *Agapes Natalitiæ* dicebantur : Veſtigia enim illarum erant frugales hæ menſæ, quæ amoto luxu omni, & intemperantia vulgi promiſcui, Clero tantùm ſacra facienti indulgebantur, & uſque ad XIV. ſæculum Ambroſiano Ritu perduravere.

Digitized by Google

multis peregrinis intravit. Archiepiscopus verò ille de Buis à Turcis, & Saracenis fugatus (7) in gravi luctu Constantinopoli expiravit. (8)

CAP. III.

Anselmus Grossulanum in Saonensem Episcopum consecrat, & suum Vicarium facit in Mediolano ante transfretationem.

SEd ne finis mei laboris hîc intelligatur, dico: Cùm adhuc homo iste simplex (1) Mediolani viveret, & exercitum congregaret, habuit consilium statuendi sibi Vicarium hominem multarum artium; unde quidam sagacissimi viri ab eo ordinati Sacerdotes mandatum eundi Saonam (2) susceperunt, ut in ipsa civitate suo jussu, & auctoritate electionem Episcopi admoverent, & fieri cogerent. Qui dum iter facerent, venerunt Ferrariam, (3) in quo nemore amplexi sunt Grossulanum, & ejus consilium. Quorum Sacerdotum exercitium in tantùm valuit, quòd quidam ex Saonensibus ipsum Grossulanum in victu afflictum, in vestitu abjectum elegerunt sibi in Episcopum. (4) Et eligentes unà cum illo electo, & illis duobus Sacerdotibus ab Archiepiscopo missis, videlicet Presbytero Joanne Aculeo, & Presbytero Nazario Muricula Mediolanum pervenerunt; ibique per jussionem Archiepiscopi, qui jam erat in expeditione positus, (5) Grossulanus ab Armano Brixiensi, & Arialdo Januensi, (6) & Mamardo Taurinensi (7) ordinatus est Episcopus, & Archiepiscopi Vicarius. Verùm quia ipse

(7) Pugna improsperè adeò Catholicis cedens; ut in fugam Anselmus, aliique compellerentur, non alia fuisse videtur, quàm quæ in Orderico Vitali temporum illorum scriptore legitur: Postquam enim is narravit ad ann. 1101. *Archiepiscopum Mediolanensem, & Albertum de Blandraja* (seu Blandrate) *potentissimum Italorum cum catervis Ligurum iter Hierosolymitanum aggressos* esse, historiam suam prosequutus ait, Christianos variis undique circumventos infortuniis per devia sylvarum, ac pericula fluminum, ad magnam tandem Barbarorum urbem *Gandras* pervenisse, ibique acerrimum commissum prœlium ingenti utrinque cæde, quamvis in neutram partem inclinante victoria: Verùm instaurato à Turcis certamine fusum fuisse Christianorum exercitum, *Alberto de Blandrajo strenuissimo heroe* cum multis millibus in bello perempto: reliquos verò supremos Duces cum suis fuga elapsos Constantinopolim rediisse. His quoque Anselmum Archiep. se comitem fugæ junxisse, ex Auctore nostro credendum est. Cæterùm præterire nequeo testimonium Radulfi in Orientis partibus versati, utpote sub Tancredi vexillis anno 1107. militantis, qui num. 147. de Gestis ejusdem Tancredi hæc ait. *Tunc temporis Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus, Willelmusque Comes Pictavienſis contra Danismam in Romania prœliati, Archiepiscopus interimitur; Comes verò vix Turcorum manus evasit, fuga lapsus.* Quo posito, non Constantinopoli, sed in prœlio ipso obiisset Anselmus, delatus deinde ad eam urbem ut sepulcro inferretur. Attamen ne erroris insimuletur Auctor noster, credi potest Anselmum gravi vulnere in pugna dejectum, à suis sese à periculo fuga propipientibus curatum perductumque Constantinopolim, ubi ex eodem vulnere in gravi luctu interierit.

(8) Mortuum anno sæculari pridie Kal. Octobris Anselmum plures scriptores tradidere, Sigonius, Puricellius, Ughellus, aliique; sed falsum id esse ex supra deductis evincitur: quocirca nonnisi anno 1101. illius obitus adnotari potest, ut erroris sui conscius fateri dein coactus est ipse Puricellius in vit. S. Herlemb. cap. 83. n. 3.

AD CAP. III. NOTÆ.

(1) Idest Anselmus.

(2) Urbs est ad Ligustici maris oram posita, adhuc Mediolanensi Archiepiscopo suffraganea.

(3) Terrestri itinere Saonam contendisse Missos Anselmi nos monet pagus iste *Ferera* in tabulis Geographicis dictus, qui euntibus illuc per Alexandriam Statelliorum, & Aquensem urbem occurrit ad montium radices octo circiter milliaribus Saonâ distans, nisi fortè quis velit, locum, in quo constitere, fuisse *Ferrariam* in eadem vicinia sitam.

(4) Electionem hanc contigisse anno 1098. affirmat Ughellus in Episc. Saonen. num. 14. Seriùs tamen id factum ex Landulpho colligitur; cùm enim eum dicat eodem tempore ordinatum Episcopum, quo Archiepiscopi Mediolanensis Vicarius est constitutus, & in hoc munere per biennium perdurasse, donec videlicet certum de Anselmi obitu nuncium accepit, ut cap. seq. narratur, clarè deducitur non potuisse illum usque ab anno 1098. Episcopum eligi atque ordinari; secus namque quatuor annos in hujus Mediolanensis Ecclesiæ administrandæ officio insumpsisset, fide Landulphi repugnante. Statuenda igitur est hujusmodi electio anno 1100., & quidem ante mensem Julium, sicuti eandem Pagius in crit. ad hunc annum refert.

(5) Primam hanc fuisse Anselmi expeditionem in Orientem susceptam anno 1098. credidit Puricellius in Monum. Basil. Ambros. num. 284. falsò tamen, ut supra ostendimus. Eandem postea ad annum sequentem protraxit in vita S. Herlemb. cap. 86. sed ne hoc quidem cum ejusdem Puricellii scriptis componi potest: Ait enim, superstite adhuc Urbano II. collectum ab Anselmo exercitum, simulque deliberatum, ut sibi in longinquas terras proficiscenti Vicarius substitueretur; cùmque ideo Saonam misisset, tanta interim celeritate Anselmum Mediolano excessisse tradit, ut jam longè positus foret, cùm Grossulanus electus nullâ interpositâ morâ ad hanc urbem vênit. Debuit igitur, juxta calculum Puricellii, in Orientem processisse Archiepiscopus noster Julio mense, quo tandem Urbanus interiit, aut saltem paulò post, si ad hæc molienda, peragendaque tempus aliquod interceſſit: Atqui cap. 83. Puricellius ipse nobis exhibet, Anselmum multo post tempore adhuc Mediolani degentem; refert enim ab ipso translatum solemni pompa venerabile S. Arialdi corpus è S. Celsi ad S. Dionysii Ecclesiam, quod nonnisi sub finem hujusce anni fieri potuisse, ipsemet cogitur fateri, cùm Landulphus Senior ab eodem relatus, & in hac Collectione Tomo IV. editus., cap. 2. num. 6. asserat, id peractum *post biennium suæ consecrationis*, mense videlicet Novembri, quo biennium ab inita Mediolanensi sede explebatur, nisi etiam seriùs id contigit; neque enim Landulphus ait *statim post biennium* institutam ab Antistite nostro S. Arialdi memoriæ novam hanc sacri cultus magnificentiam. Inane igitur, & commentitium est primum hoc Anselmi in Syriam iter, undequaque difficultatum sentibus obsitum: sed imposuit eruditissimo viro formula hæc Landulphi *in expeditione positus* qua censuit non aliud exprimi, quàm profectionem Anselmi in Orientem, cùm tamen, ut optimè Pagius advertit in crit. ad ann. 1100. num. 21., eâ tantummodo indicetur Anselmum Mediolano abfuisse, ut reliquas Langobardiæ gentes ad Crucem suscipiendam accenderet, quod & obtinuit, narrante superiùs cap. 2. Landulpho; *ad vocem hujus prudentis viri plures viri cujuslibet conditionis per civitates Longobardorum, villas, & castella eorum Cruces susceperunt.*

(6) De hoc mentio recurret cap. 17.

(7) Hunc Episcopum ignoravit Ughellus, qui Umberto sub finem sæculi XI. vita functo successorem facit Amizonem II., cùm tamen illum proculdubio proximè exceperit Mamardus iste Taurinensi insula jam donatus anno 1100.

ipſe ordinatus Sedem Saonenſem nondum aſcenderat, ad ipſam civitatem adire temptavit, & quodammodo pervênit, ſed requies ibi, ſi quam habuit, parviſſima fuit. At citiſſimè inde exiens, Mediolanum rediit, cujus magnæ civitatis commonuit gentem, ut per ſingulas hebdomadas in ſecunda feria ad Sancti Ambroſii Eccleſiam convenirent, & pro Archiepiſcopo illo Anſelmo, ejuſque exercitu Litanias (8) facerent. Ipſe verò Groſſulanus non ſolùm in ipſis feriis, ſed ferè per ſingulas feſtivitates illi magnæ genti luculentè ſermocinabatur, & ſermocinando non magis affectabat (9) eam ſibi, quàm aſperitate veſtitûs, & cibi.

CAP. IV.

Presbyter Liprandus Groſſulanum de vili habitu repræhendit, & audita morte Anſelmi inſtat electionem fieri Groſſulani.

INterea Presbyter Liprandus ipſi Groſſulano adhærenti Cathedræ Archiepiſcopi (1) coram Andrea Primicerio (2), & quibuſdam aliis Sacerdotibus placidè dixit, ut horridam cappam exueret, & convenientem tanto Vicario indueret; Cui Presbytero ille Groſſulanus pretium emendi non habere reſpondit. Tunc Presbyter Liprandus ad Primicerium inquit: Primiceri, dives es, & potes hoc pretium bene præſtare. Verumtamen ſi placet præſtabo medietatem tanti pretii. Primicerius autem Presbytero: Hoc ſatìs perficiam in craſtino. Et Vicarius ait, quòd eam non indueret, cùm de contemtu mundi vitam agere propoſuiſſet. Hoc ut Presbyter ille Liprandus audivit, ſub quadam admirationis ſpecie protulit dicens: Cùm ſpernis mundum cur veniſti in mundum? (3) En civitas iſta ſuo more utitur pellibus variis, grixis, (4) marturinis (5), & cæteris pretioſis ornamentis, & cibis. Turpe quidem erit nobis, cùm advenæ, & peregrini viderint te hiſpidum, & pannoſum in nobis. Attamen Vicarius in hac ſua commoditate afflictionis, & orationis, atque ſermocinationis per duos annos (6) laboravit, & laborando certitudinem de morte prædicti Anſelmi de Buis accepit.

1100. quo Groſſulanus ab ipſo conſecratus in documento dedicationis Eccleſiæ S. Sepulchri ab Anſelmo Mediol. Archiep. eodem anno peractæ ſubſcriptus *Epiſcopus* legitur: An autem idem Mamardus ſit, qui cap. 21. à Landulpho Taurinenſis Epiſcopus memoratur, ſuo loco expendemus, ad idem nempe cap. XXI.

(8) Ideſt ſupplicationes, de quibus fusè Macrius in hierolexico.

(9) Intellige *conciliabat*.

AD CAP. IV. NOTÆ.

(1) Ideſt Vicarii munus exercenti.

(2) Plures eo tempore fuiſſe in Eccleſia Mediolanenſi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordines, quibus ſuus præerat Primicerius ex Beroldo ſæpiùs producto diſcimus. Deſcribens enim ille in *Ambroſiano Manuali* ſacros ritus in Divinis Officiis adhiberi ſolitos ab hoc Clero, Rubricam ſtatuit de iis, quæ præſtanda erant in Sabbato præcedente Dominicam diem Palmarum his verbis: „ Sabbato in ramis Palmarum Archiepiſcopus dat Palmas omnibus or„ dinibus Eccleſiæ Majoris hoc modo: Archi„ presbytero magnum ramum Palmæ, ex quo „ tribuit ceteris Presbyteris ſibi ſubjectis: Ar„ chidiacono ſimiliter unum, ex quo dat ille „ Diaconibus ſuis. *Primicerio Subdiaconorum* „ unum, ex quo tribuit Subdiaconis: *Primicerio* „ *Notariorum* unum, ex quo dat ille ſuis &c. „ *Primicerio Lectorum* unum &c. *Primicerio* „ *Presbyterorum minorum* ramum unum, ex „ quo dat omnibus ſibi ſubjectis &c. Alibi etiam *Primicerium Presbyterorum Decumanorum* recenſet; quin etiam ſuum quoque *Veglonibus* (quæ pars eſt Metropolitani Cleri, Schola S. Ambroſii appellata, etiam nunc vigens) *Primicerium* adfuiſſe ex antiquis Scripturis tradit Puricellius in Monum. Baſil. Ambroſ. num. 65a & in Diſſert. Nazar. cap. 100. num. 16. Quo igitur in ordine Principem locum teneret Andreas memoratus, quamvis hoc loco ſileat Landulphus, alibi tamen expreſsè prodit, eundem vocans *Primicerium Presbyterorum Decumanorum*. Quantæ verò amplitudinis hæc dignitas tunc foret, ex hac ipſa Hiſtoria colligere poſſumus. Cùm enim de novo inſtituendo Archiepiſcopo proximè ageret Groſſulanus, hunc primò adiiſſe narratur, ac ſi ab ipſo tanquam præcipuo Auctore tanti momenti petenda res foret; quinimò is dicitur, adhibitis in conſilium Clero, & Nobilibus, electionem ipſam ſtatuiſſe; inſuper cap. 12. formula ſummam dignitatem exprimente, *Primicerius Eccleſiæ Mediolanenſis* appellatur. Plura de hujus Primicerii ſumma auctoritate lege in Landulpho ſeniori tomo 4. lib. 1. In præſens hæc Dignitas antiquo quidem jure, ſed non ſplendore vacua translata eſt in unum ex Primario Metropolitanæ Clero, qui decorum hoc *Primicerii* nomen gerit, & tertium locum inter dignitates Capituli obtinet: Reliquorum verò adhuc nonnulla ſuperſunt veſtigia in *Primicerio Lectorum*, qui etiam *Magiſter Chori* dicitur, primiſque aliis ex quovis ordine, quibus peculiares quædam in noſtra Eccleſia prærogativæ manſere.

(3) Pro mundo hìc intelligenda videtur more Gallico, frequentia Populi, in quam ſe conjecerat Groſſulanus Vicariam induens Archiepiſcopi dignitatem. Congruentiùs tamen credideram indicatum hìc monaſticum inſtitutum, cui ſe addixerat Groſſulanus, (ut ad finem cap. ſeq. oſtendam) ejuſque profeſſione ſeſe extra mundum veluti collocaverat.

(4) Pelles pretioſæ ex Griſe animalculo. Vide Laurentium in Amalthæa Onomaſtica; Appellari hoc animal gallico idiomate *Vair* tradit Ducangius. V. *Griſeus*.

(5) Pelles ex Scythica muſtela, Italicè *Armellino*, quæ *Martes* & *Marterus* appellatur, de hoc Ruſſico animali fusè Aldrovandus loquitur, & noviſſimè Henricus Ruyſch in theatr. Animalium.

(6) Quo tempore hoc biennium incœperit, haud facile eſt decernere. Si verum eſſet, quod Papebrochius tradit in exegeſi Mediol. Archiep. num. 104. nonniſi elapſo prope anno ab obitu Anſelmi ſecurum illius nuncium ad hanc urbem perlatum, menſe videlicet Auguſti anni 1102. quo etiam menſe Groſſulanum Cleri ſuffragiis ad infulam Mediolanenſem evectum fuiſſe ex antiquo noſtro Catalogo colligit, dici poſſet ſtatim poſt peractam idibus Julii dedicationem templi S. Sepulchri arreptum ab Anſelmo Hieroſolymam versùs iter, atque inchoatum à Groſſulano laborioſum Vicarii munus ſextili menſe anni 1100. ita ut anno 1102. eodem itidem menſe biennium prædicationis & precum ab ipſo indictarum pro Anſelmo, & ejus exercitu compleretur. Certè in ſubſcriptione documenti relatæ dedicationis, in qua Groſſulanus ſe Epiſcopum nominat, Vicarii titulus deeſt. Attamen cùm ex Landulpho dixerimus, creatum fuiſſe illum ſimul Epiſcopum, & Vicarium, fatendum eſt, etiam ante dedicationem memoratam Archiepiſcopi vices Groſſulanum geſſiſſe. Ut itaque omnia concilientur, cenſeo ante Idus Julias exercitum hoc munus ab ipſo fuiſſe, quo tempore Anſelmus Mediolano abfuit, ſolicitandæ in proximis urbibus Langobardicæ expeditioni intentus: Profecto verò in Orientem ſub finem anni illius, aut initium ſubſequentis Archiepiſcopo noſtro, cœpiſſe ſtatim Groſſulanum ea peragere, quæ Landulphus narrat, donec anno 1102. ut dicemus, certus de Anſelmi obitu fieret; duos quidem annos, ſed minimè compleros impendens in hoc munere poſt ultimum Anſelmi diſceſſum ſuſcepto.

Digitized by Google

cepit. Primicerio ergo ipse Grossulanus, & Ordinariis Majoris Mediolanensis Ecclesiæ inquit, ut se præsente eligerent sibi, & populo Archiepiscopum convenientem, priusquàm rediret ad Episcopatum Saonensem.

CAP. V.

Grossulanus in Archiepiscopum eligitur, & à Romano Pontifice sibi stola transmittitur.

TUnc Primicerius habito consilio cum Nobilibus, Clericis, & viris Mediolani, coram populo, & ipso, alterum de duobus Landulphis Mediolanensis Ecclesiæ Ordinariis, videlicet de Badagio, (1) & de Vareglate (2) à Hierosolymis redeuntibus elegit, sed Grossulanus de absenti persona electionem fieri prohibuit. Pars itaque Cleri, & populi ad nutum Arialdi Abbatis Monasterii Sancti Dionysii clamavit, & laudavit Grossulanum sibi in Archiepiscopum, ipse verò statim ut vidit se à quadam magna multitudine vulgi, & Nobilium conclamatum, & ab Abbate illo plaudatum, (3) Archiepiscopalem Sedem ascendit, & sedit, (4) & sedens illum Arialdum Abbatem de Abbatia in Abbatiam majorem, videlicet Clarevallensem (5) transtulit. Sed ante hujus translationem contigit, quòd quidam, qui videbantur moribus, & vita probi (6) viri, & Clerici Mediolanenses, quædam turpia (7) de Grossulano, & ejus electione (8) Presbytero Liprando notificaverunt: Quibus viris, & clericis Presbyter ipse consilium præbuit, ut literas, & duos idoneos clericos mitterent Romam rogando Papam, (9) quatenus Grossulanum in Archiepiscopatu non firmaret, donec se ipsos mittentes literas in proximo tempore videret, & audiret. Bernardus autem Abbas Umbrosæ Vallis, (10) & Cardinalis Romanus (11) ad has literas, & nuncios, videlicet Obizonem, qui cognominatur Nigrum, & Heribertum de Bruzzano contemnentes Grossulani causam, ipsiusque (12) Legatorum verba, videlicet Arderici de Carimate, & Joannis Presbyteri de Ploltello coram Apostolico, & ejus Curia non respexit, sed acceptâ stolâ Curiam Comitissæ Matildis intravit. Ibique inito consilio in beneplacito Arderici de Carimate, qui pro Grossulano, & stola Romam iverat, Abbas ille Bernardus Mediolanum venire festinavit, & cùm procul vidissent Mediolanum, Ardericus idem in protensi (13) virga usque ad Majorem Ecclesiam (14) civitatis portavit, clamando: Heccum (15) la stola, Heccum la stola: Et in hoc clamore plenitudo vulgi fuit, & acclamavit: Moriatur quicunque contradixerit. Clamor iste ingens, & continuus fuit, donec Abbas ille Cardinalis, & Grossulanus pulpitum majoris Ecclesiæ Mediolani ascendit, & cùm uterque ibi videbantur in victu afflicti, in vestitu demissi, (16) in sermone præclari, tan-

AD CAP. V. NOTÆ.

(1) Eundem esse hunc Landulphum, quem altera jam vice communibus suffragiis Archiepiscopum designatum rejecit Armanus, ut sup. cap. 1. legitur, suadere videtur idem prorsùs nomen: atque huic conjecturæ subscribit etiam Puricellius in Mon. Bas. Ambr. num. 292.

(2) Castrum est uno tantùm milliario ab Astensi urbe distans, vulgò dictum *Variglia*, à quo familia hæc olim illius Domina nomen sumpsit, ut testatur Ughellus in Epis. Asten. num. 29. Landulphus iste primùm Basilicæ Nazarianæ Mediolani Præpositus, dein Astensis Episcopus, postremò sanctitatis fama conspicuus Cœlitum albo adscriptus est, ejusque vita à Philippo Malabayla contexta in Actis SS. ad VII. Junii legitur.

(3) Philippus Malabayla in vita B. Landulphi superiùs dicta refert, cùm vulgi & Nobilium favore in Archiepiscopum acclamaretur Grossulanus, Arialdum hunc Abbatem illico Episcopale paludamentum in illius humeros injecisse. Si aliqua istius narrationis ratio habenda sit, corrigenda fortasse videretur hæc lectio *plaudatum* in alteram *paludatum*, idest *paludamento indutum*: Ego tamen crediderim genuinam hanc in omnibus Landulphi MSS. vocem fuisse ab auctore latini sermonis valde imperito deductum à verbo *plaudo*, ita ut *plausu exceptum*, seu *collaudatum* significet.

(4) De anno, quo sedere cœpit Grossulanus, non una Auctorum sententia est. Successisse illum Anselmo anno 1101. scribit Sigonius, eique minimè refragatur Puricellius num. 291. Citiùs etiam initium sedis hujus Archiepiscopi statuit Donatus Bossius in Chron. Mediol. anno videlicèt 1100. E contra Ughellus, Pagius, aliique nonnisi secundo post 1100. anno datum viduæ Mediolanensi Ecclesiæ Pastorem hunc constanter affirmant. Mensem etiam designat Papebrochius loc. cit. Augusti nempe jam ad extremos dies perducti: Idque historicæ veritati magis consonum est, ut ex superiùs dictis patet.

(5) Legendum procul dubio *Clivatensem*, cui præfuisse Arialdum (fortasse hunc ipsum) postmodum tradit Landulphus noster cap. 14. Claravallense enim, seu potiùs *Caravallense* Cœnobium nonnisi XXXIV. post Grossulani electionem anno conditum fuit, ut in fine hujus historiæ innuetur.

(6) *probi* in omnibus MSS. deest, recentique manu scriptum legitur, & certè sensus ipse contextus id exigere videtur.

(7) Quæ forent hæc turpia de quibus accusabatur Grossulanus, colligere possumus ex cap. 9. ubi narratur, hunc Antistitem in frequentissima populi concione testatum fuisse, juramento ad sacrosanctos Evangeliorum codices emisso, se nunquam contra castimoniam peccasse.

(8) Pecuniâ ad Henricum Cæsarem palàm delatâ coëmptam fuisse à Grossulano Mediolanensem insulam in Ughello legitur, malè tamen; cùm Henricum IV. à civibus nostris multò ante ejuratum, sicuti & Henricum filium, constitutum quidem Regem à Patre anno 1099. sed Mediolanensibus minimè acceptum qui Fratri ejus Conrado adhærebant, sese hujusmodi electioni immiscuisse haud credibile sit, nec id Landulphi historia nusquam prodat; qua in re corrigendus quoque est Sigonius, Galesinius in tabul. Synodal. aliique scriptores, qui passim datum ab Henrico Insubricæ sedi hunc Antistitem tradunt. Occupatam certè simoniacis artibus Archiepiscopalem dignitatem à Grossulano, quæ in decursu narrantur, dilucidè ostendunt.

(9) Paschalem nempe II.

(10) Quartus ejusdem Congregationis Rector Generalis in SS. Catalogum postea relatus.

(11) Tituli S. Chrysogoni ab Urbano II. creatus anno 1097. Legati atque Vicarii Apostolici munere in Langobardiæ partibus Paschalis II. nomine tunc fungens.

(12) Idest Grossulani.

(13) Umbellæ forsitan genus *Protensum* esse censet Papebrochius ad diem 27. Junii pag. 311. n. 5. nisi forsitan legendum sit *Protensa*.

(14) Nempe hyemalem cap. 1. indicatam, quæ Metropolitana semper fuit, ac *major* vocata. Hinc patet Pallium ad Grossulanum Archiep. fuisse delatum post tertiam Octobris Dominicam, quo tempore in Ecclesia majori, idest Hyemali, officia celebrari incipiebant, ut infra cap. 28. num. 8. dilucidiùs explicabo.

(15) Lege *Ecce* sine aspiratione; vox enim latina est *ecce hîc* significans.

(16) Suspicatus fuerat aliquando Puricellius in Mon. Bas. Ambr. num. 321. Grossulanum Vallis-Umbrosæ Monachum fuisse, eique suspicioni occasionem dederat locus Landulphi, qui cap. 87.

Digitized by Google

tantum plausum audierunt sibi, velut si purè forent Angeli Dei. Ibique Grossulanus stola indutus, & Abbas in suo tempore remuneratus quievit, & recessit, & post paucos dies in gratiam prædictæ Comitissæ Matildis idem Abbas Parmensem Episcopatum suscepit. (17)

CAP. VI.

Grossulanus voluit Presbytero Liprando bullam exemtionis auferre, dum fateretur se adversariis favisse.

GRossulanus verò consentiens humanæ fragilitati usus est cibis delitiosis, & vestibus pretiosis, atque petiit subcingulum, (1) quo Presbyter Liprandus fruebatur in officio Missæ secundùm morem Cardinalis. (2) Sed Presbyter ipse ipsum cingulum Grossulano dare negavit. Deinde ipse Archiepiscopus quoscunque non potuit sibi blandire, (3) temptavit minis terrere, Presbyterum Liprandum præcipuè. Qui Presbyter cùm esset coram cuncto populo urbis Mediolani interrogatus, inquit: quàm plures de hîc consedentibus, & stantibus ad libitum suum, placitumque tuum loquuti sunt, atque de literis Romam missis, (4) propter quas super me intendis, tibi responderunt, quòd si vis meum inde habere responsum, dic mihi, si vis ut dicam tibi verum, an mendacium? alioquin non dabo tibi idem responsum. Grossulanus verò super hoc percunctatus, tandem in eodem conventu dixit: Volo ut dicas verum. Tunc Presbyter, (*) *qui* à Domino confortatus dixit: Literas, de quibus me interrogas, ego non dictavi, nec scripsi, sed & alias in divina pagina legi, & in ipsis non inveni verbum, quod confirmaret te jure posse esse Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum, atque consilium, & auxilium dedi pluribus clericis, & viris, qui miserunt Romam Obizonem Nigrum, & Heribertum de Bruzzano, ut rogarent Papam, ne tibi mitteret stolam. Unde Grossulanus commotus ait: Archiepiscopus nunc sum, & stolam habeo. Quòd nisi satisfeceris mihi de hac præsumtione, faciam de te, quod mihi pertinet facere. Tunc Presbyter porrexit sibi chartam sigillatam Apostolico sigillo (5) hæc continentem.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei Liprando Sacerdoti salutem, & Apostolicam benedictionem. Si Sanctorum memoriam veneramur, de quorum legimus morte, & abscissione membrorum, si patientiam laudamus eorum, quos à Christi fide gladius, nec ulla pœna divisit.

---

27. refert, eundem Mediolano excedentem, seu potiùs ferro repulsum à Jordani Archiepiscopi fautoribus, Placentiam contendisse, ibique in Monasterio S. Marci Congregationis Vallis-Umbrosæ hospitem fuisse receptum. Id expresè traditum lego in vita B. Landulphi, à Malabayla jam citato conscripta, ubi num. 4. Grossulanus Monachus Vallis-Umbrosæ appellatur: Quo admisso clariorem huic historiæ lucem quandam oboriri autumo. Explicari siquidem commodiùs potest, cur in pannoso & aspero amictu tandiu perduraverit, etiam cùm se Vicarium Archiepiscopi Mediolanensis gereret; cur suadenti nobilius indumentum Liprando responderit, se de contemptu mundi vitam agere proposuisse; Cur denique tam impenso favore illum prosequeretur Cardinalis Bernardus, utpote ejusdem instituti alumnum. Fortasse etiam uterque Monasticum Ordinis sui amictum gestabat, cùm in publicum adducti Ecclesiæ majoris Mediolani ambonem conscendissent; Id enim indicare videntur verba hæc: *Uterque ibi videbantur in victu afflicti, & in vestitu demissi.*

(17) Anno 1106. à Paschali II. Parmæ, causâ itineris in Germaniam, morante institutus ejusdem urbis Episcopus fuit, ut Mabillon. in annal. Bened. ad hunc ann. narrat; quo posito, quæ hîc narrantur de stola, seu pallio ad Grossulanum delato ad hunc eundem annum referri deberent, cùm post paucos dies asserat auctor noster, Bernardum Abbatem Cardinalem Parmensi infula decoratum. Attamen admitti id neutiquam potest, cùm alioquin universus historiæ hujus chronologicus ordo subverteretur, ut ex proximè dicendis patebit. Censeo igitur, vitiatum fuisse hunc textum, ita ut Amanuensis, loco hujus formulæ *post paucos annos*, scripserit *post paucos dies*, quemadmodum colligi potest ex verbis ipsis Landulphi paulò ante præmissis *in suo tempore remuneratus*, quæ diuturnius certè, quàm paucorum dierum intervallum videntur innuere: Nisi fortè ex auctore nostro corrigendi sint scriptores illi, qui annum hunc 1106. electioni Bernardi in Parmensem Antistitem assignavere, eaque retrahenda sit ad finem anni 1102., vel ad initium subsequentis; cùm in hac re implexa sit Parmensium Episcoporum series, quæ Antistitem proximè Bernardo antecedentem ignorat, nec securum aliquod fundamentum proferatur, quo Bernardi electio supradicto anno 1106. affigi debeat.

AD CAP. VI. NOTÆ.

(1) Genus sacræ vestis in parvi manipuli formam è latere sinistro usque ad genua delabentis, quam sibi veluti *pharetram appendere* Sacerdotem, sicuti *cingulo pro arcu se cingit*, ait Gem. lib. 1. cap. 83. Sacerdotalis hujus indumenti morem obsoleviisse in Ecclesia Latina, solo Summo Pontifice in solemni sacrorum celebratione id adhibente, tradit Macrius in hierolexico v. *cingulum*, qui etiam v. *epigonation* subdit adhuc in usu fuisse apud præcipuos Græcorum Mystas sæculo XVI. ut ex quadam epistola ab Oriente transmissa constat.

(2) Adhibitum fuisse ab Episcopis, aliisque Ecclesiasticis dignitatibus hoc indumentum testatur Macrius loco citato. Fortasse nomine *Cardinalis* innuuntur hìc Ordinarii Metropolitanæ Mediolan. qui olim hujusmodi titulo decorabantur; imò Galvaneus Flamma in Chron. Maj. cap. 396. ex Datio tradit eosdem Episcopalibus insignibus indui solitos à tempore Sancti Ambrosii; quod antiquum decus, rerum, & temporum varietate in desuetudinem lapsum renovavit Fel. record. Clemens XI. anno 1716. Idibus Junii, datis Brevibus literis, quibus omnibus & singulis Dignitatibus, & Canonicis Ordinariis Mediolan. perpetuò indulsit, ut in omnibus solennibus Ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra aliisque indumentis adinstar Abbatum usum mitræ habentium, tum in Urbe, tum in Diœcesi uti valeant, & gentilitiis insignibus mitram apponere &c.

(3) Idest *blanditiis allicere*.

(4) Iis videlicet, quas contra Grosulanum conscribi, ac à duobus idoneis Clericis Romam deferri consilio suo curaverat ipse Liprandus, ut superiori cap. narratum fuit.

(*) A. 2. *quasi*.

(5) Dederat has literas ad Liprandum Gregorius VII., statim ac fœdam aurium, & nasi mutilationem pro tuenda Sacerdotum castimonia passus fuerat anno 1075. easque conscripserat Sanctissimus Pontifex, non tantùm ut gratularetur illi adeptam Martyrii gloriam, sed etiam ut Ecclesiasticis impedimentis, quibus ob corporis deformitatem arceri ab Altaribus posset, auctoritate Apostolica ipsum minimè innodatum declararet. Cur autem has literas Grosulano obtulerit Liprandus, id in causa esse potuit, quòd Archiepiscopus indignatione commotus iis verbis, *faciam de te, quod mihi pertinet facere*, minari visus sit, velle illum sacris interdicere.

sit. Tu quoque abscisso naso, & auribus pro Christi nomine laudabilior es, qui ad eam gratiam pertingere meruisti, quæ ab omnibus desideranda est, qua à Sanctis, si perseveraveris in finem, non discrepas. Integritas quidem corporis tui diminuta est, sed interior homo, qui renovatur de die in diem, magnum sanctitatis susscepit incrementum: forma visibilis turpior, sed imago Dei, quæ est forma justitiæ, facta est in diminutione jucundior, in turpitudine pulchrior. Unde in Canticis Canticorum gloriatur Ecclesia dicens, Nigra sum filiæ Hierusalem. Quòd si interior species nihil passa est detrimenti, iis abscissionibus non est abscissum a te Sacerdotale officium, quod proprium est sanctitatis, & non tantùm consideratur in integritate membrorum, quàm in integritate virtutum. Unde Imperator Constantinus Hierosolymitani Episcopi cujusdam oculum pro nomine Christi erutum sæpe osculabatur, & exemplo patrum, atque documento majorum didicimus, non auferri sacrum officium Martyribus pro hujusmodi cæsura membrorum. Proinde Martyr Christi confortare in Domino, magis credas in te nunc esse Presbyteratus officium, quod priùs olei unctione, nunc verò tibi est sanguinis tinctione commissum, & quanto minùs habes, quod possit auferri, tanto minùs timeas prædicare, quæ recta sunt, seminare, quæ centuplicata reddentur. Scimus quidem te ab inimicis Sanctæ Ecclesiæ semper inimicari, atque affligi: Sed tu ne eos timeas, neque perterrearis, quia nos tam te, quàm tua omnia sub nostra, & sub Apostolicæ Sedis tutela cum magna charitate tenemus, & si in aliquibus tibi necessarium fuerit, Apostolicam Sedem appellare, concedimus, & si ad Nos, & ad sedem nostram veneris, cum gaudio, & magno honore suscipere parati sumus.

Iis perlectis Grossulanus, (*) *quasi* vellet destruere sigillum, strinxit, & cappâ suâ texit. Inde Presbyter ceu irato animo rem suam quæsivit, & requirendo Grossulano ait: Nisi sigillum, & chartam illæsam sibi redderet, civitatem totam inde commoveret. Et chartâ sigillatâ, & illæsâ sibi redditâ, Arialdus Abbas Monasterii Sancti Dionysii (6) seorsum Presbyterum fecit, & in cameram duxit, atque inter multa (*) *blanda* Presbytero ait, ut manum obedientiæ Grossulano daret, sed Presbyter ipse exaltando, & reiterando vocem, dixit: manum obedientiæ? manum obedientiæ? per viventem in sæcula, nec minimum digitum manus meæ darem pro hac re. Quod cùm audisset conventus Clericorum, qui adhuc aderat in Palatio, ait intra se: Hoc consilium non est in silentio: (7) Et cùm Abbas, & Presbyter cameram exissent, & Archiepiscopus signum dissolvendi consilii dedisset, Presbyter sibi silentium indixit, & audientiam habuit, dicens: Ne scandalum in me faciatis, scitote: ego in meo officio (8) .... secundùm quod ipse me servaverit in suo: & tali tenore præbuit manum Grossulano.

CAP. VII.

Liprandus Heribertum in domo suscepit ægrotum, unde jussu Grossulani à celebratione (*) abstinuit.

CUm alter alterum suspectum haberet, contigit quòd Heribertus de Bruzzano (1) valde aggravatus febribus vênit ad dictum Presbyterum supplicando, ut adversùs infirmitatem daret sibi remedium. Ministri verò Presbyteri ministraverunt cibum, & lectum convenientem illi ægrotanti, donec Dominus virtutum per impositionem manuum ejusdem Presbyteri præbuit salutiferum remedium ipsi ægrotanti. (2) Unde Grossulanus stimulatus ait ad Presbyterum, quia participasti Heriberto meo excommunicato, (3) præcipio tibi, ut Missam non cantes, quousque pœnitentiam inde susceperis, & mihi satisfeceris. Et Presbyter ad illum: Quod feci in Heriberto bonum fuit, & à Deo vênit, atque de bono, & Dei opere non novi pœnitere; & si non habes super me hanc potestatem, (4) tamen propter hoc scandalum vitandum, tibi contemperabo. Quendam igitur Sacerdotem scholasticum (5) in domo sui proprii juris Presbyter Liprandus induxit, qui sibi Missam cantabat in Ecclesia Sancti Pauli, quæ dicitur in *Copodo* (6) quam ipse Presbyter Liprandus unà cum Ecclesia Sancti Germani sita in Niguarda (7) reædificando, & magnificando ditavit, & ut nunc apparet, decoravit, accepto in se, suisque hæredibus jure fundationis, quemadmodum legitur in chartis à regalibus judicibus, (8) & viris, & Clerico

(*) A. 1. *Cum*.
(6) Grossulano impensè addictus, nondum tamen, ut hinc patet, pinguioris Abbatiæ superiùs memoratæ possessionem adeptus.
(*) A. 2. *Blandimenta*.
(7) Ista enim voce proditum fuerat.
(8) Verba, quæ desunt in MS. non alia fuisse videntur, quàm *servabo eum*.

AD CAP. VII. NOTÆ.

(*) A. 2. *celebratione Missæ*.
(1) Alter ex nunciis, qui Romam missus fuerat contra Grossulanum.
(2) Eximiam vitæ sanctimoniam, quæ in Liprando fulgebat, comprobatam à Deo fuisse testimonio miraculorum, ostendit tum depulsa hæc ab Heriberto ægritudo sola manuum impositione, tum plura alia, quæ in præsentis Historiæ decursu videbimus. Eadem in unum collegit Puricellius in vita S. Herlemb. cap. 91. quem vide.
(3) Ferali anathemate perculsos fuisse à Grossulano nuncios illos, quos jam diximus Romam missos contra ipsum, locus iste nos monet.
(4) Exemptus enim fuerat tum à Gregorio VII. qui in literis Apostolicis superiùs recitatis hæc ad illum scripserat. *Nos tam te, quàm tua omnia sub nostra, & Apostolicæ Sedis tutela cum magna charitate tenemus*; tum ab Urbano II., qui Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis ab eodem conditam, & ipsum Liprandum peculiari privilegio communiverat, ut mox videbimus.
(5) Varias hujus vocis significationes pro varia temporum antiquorum acceptione referunt Duchangius in Glossar. & Macrius in Hierolex. Crediderim, hìc innui virum, cujus munus in docendo foret, ac fortasse etiam Arnaldum, de quo cap. 1. mentionem habuimus.
(6) A. 1. *Compedo*, verius *Compito*; Ita enim etiam in præsens Ecclesia hæc *S. Pauli in Compito* nomen gerit. Hanc autem appellationem eidem inditam fuisse à spatiosa via, quæ ante illam jacebat, ac *Compitum* vocabatur, auctor est Galvaneus Flamma in Chron. Extravag. MS. in Bibl. Ambr. cap. 35. ubi plura de eodem Compito tradit.
(7) Pagus ad tria circiter milliaria extra portam Comensem positus, atque in præsens celebris ob ædes magnificas ab Excellentiss. D. Marchione Georgio de Clericis Senatus Mediolanensis Præside ibidem extructas, & viridaria ad omnem amœnæ voluptatis luxum, & delicias exculta.
(8) Seu missis Domini Regis, quos subscriptos videmus documento confecto anno 1123. & à Puricellio relato in mon. Bas. Ambr. num. 336.

Digitized by Google

co ordinario (9) subscriptis, & attestatis. Hinc est etiam quòd ipse stabiliùs Grossulano restitit, & cæteris inimicantibus, & sibi, & suis.

CAP. VIII.

Liprandus Ecclesiam Sanctæ Trinitatis cum exemptione Urbani II. fundavit.

UT securitatem sibi, & suis Clericis constitueret, (1) Ecclesiam quoque Sanctæ Trinitatis inchoavit, & in proprio suo allodio ad locum, qui pons Guinizeli (2) dicitur, (*) *scilicet* cum Landulpho suo Acolyto, & alumno (3) fundavit. Ipsam quoque Beato Petro obtulit, & Urbanus Papa II. suscepit, & cum privilegio ipsum Presbyterum, & Ecclesiam communivit, subscribens:

Bullæ Exemplum.

URbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Liprando &c. Statuimus Ecclesiam illam cum prædiolo, in quo fundata est . . . vel per alios fideles illic Domino largiente collata fuerint, ab omni sæculari oppositione quietam perpetuò manere, & liberam. Clericis verò ibi victuris vivendi regulariter concedimus facultatem, eosque decernimus tam proprias ordinationes, quàm altarium, & Ecclesiarum consecrationes, cæterorumque dona sacramentorum à Mediolanensi Archiepiscopo suscipere, si quidem Catholicus fuerit, & communionem, ac gratiam Apostolicæ Sedis habuerit, & si ea gratis, & non pravitate indulserit, aliàs autem liberum eis arbitrium sit sacramenta eadem suscipere à quocunque voluerint Catholico Episcopo. Decernimus ergo, ut neque Mediolanensi Archiepiscopo, neque alicui viventium liceat eandem Ecclesiam, & fratres, qui illic Deo servierint quolibet occasionis jugo de-

A *primere, aut bona eorum distrahere, & suis usibus applicare, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integrè conserventur vobis, & successoribus vestris omnimodis profutura, salvâ ejusdem Mediolanensis Archiepiscopi Catholicâ reverentiâ. Ad indicium autem hujus perceptæ libertatis à Romana Ecclesia, Mediolanensis monetæ nummos sex quatuor annis Lateranensi palatio persolveritis. Si qua igitur in crastinum ecclesiastica, sæculariseve persona hujus decreti paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, potestatis, honorisque dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque à Sacratissimo Corpore, & Sanguine*
B *Christi Dei, ac Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, & in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta servientibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hìc fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.*

CAP. IX.

Liprandus prædicat Grossulanum Simoniacum esse, & id se per ignis judicium probaturum.

C GRossulanus autem, & ejus turba ad hanc Apostolicam monitionem, (1) neque ad multas nobilium virorum preces pro Presbytero Liprando fusas respexit, sed cupiens subvertere illum sibi laboravit, ut Episcopos, & Principes Longobardiæ commoveret, & cum ipsis Synodum celebraret. (2) Hujus Synodi tempus dum appropinquaret, & multorum hominum tumultus multa turpia adversùs Grossulanum tumultuabat. (3) Et Grossulanus ad compescendum illum tumultum, quasi in prima vigilia (4) cujuslibet authenticæ noctis (5) matutinum pulsare fecit,

(9) Nempe Canonico Metropolitanæ.

AD CAP. VIII. NOTÆ.

(1) Securitatem, de qua hîc sermo est, longè ante hæc tempora sibi paraverat Liprandus, sub Urbano scilicet II. qui extremum diem clausit Julio expirante anni 1099. Recenset igitur auctor extra Historiæ ordinem tum Ecclesiæ ab ipso conditæ meritum, tum obtenti à Summo illo Pontifice gratiosi diplomatis decus, cujus etiam exemplum Grossulano mox obtulisse credendum est, non secus ac literas Gregorii VII. superiùs descriptas, ut illatam interdicti pœnam infringeret, seque ab ira minabundi Præsulis salutari veluti clypeo tueretur.

(2) Si constaret qua Mediolanensis urbis aut ditionis parte positus esset pons iste, securum aliquod indicium loci haberemus, in quo Ecclesiam suam, Privilegio Summi Pontificis decoratam condidit Liprandus; sed cùm evolutis diligenter historiis, ac adhibitis etiam in consilium rei antiquariæ peritis viris, nihil ubi tutum pedem figere hîc possim, emerserit, Vatem agere nolo.

(*) A. 2. *simul*.

(3) Ille idem Landulphus est, à quo hæc historia conscripta fuit, ut cap. seq. clariùs se prodit.

AD CAP. IX. NOTÆ.

(1) Recitatas nempe Urbani II. breves literas.

(2) Synodum hanc Mediolanensem indictam fuisse sub finem anni 1102. aut initium sequentis, credere jubet calculus ex rebus proximè narrandis deductus. Interim adnota Mediolanensis Archiepiscopi summam illo ævo auctoritatem ad cujus nutum non tam suffraganei Episcopi, quàm Principes Langobardiæ commoverentur.

(3) Idest mussitabat.

(4) Indicatur hîc summa sedulitas Grossulani, qua præter consuetum morem recitandi matutinas horas ante auroram, maturiori tempore easdem cani præcipiebat, dato sacri æris signo, ut excitatus novitate rei Populus frequentior adesset; Neque enim apud Ecclesiæ ministros mos invaluit, ut ad militiæ antiquæ normam, primas aut secundas noctis vigilias distinguerent

(5) Postremam Quadragesimæ hebdomadam, quæ *Major* passim appellatur, *authenticam* dici in Ambrosiana Ecclesia, compertum est: At de hac hebdomada minimè loqui Landulphum nostrum, ex ipsius facti narratione patet; refert siquidem cap. seq. post varia inter Liprandum & Grossulanum dissidia agitata, & celebratam etiam per duos dies in majori Ecclesia Synodum, fuisse tandem compulsum eundem Liprandum *vespertinâ horâ Dominicæ diei de ramis palmarum* ad judicium ignis parandum. Multò igitur ante debuit Grossulanus ea peragere, quæ hîc describuntur: quænam ergo essent illæ noctes, *authenticæ* ab auctore nostro vocatæ? existimaverim, non alias fuisse, quàm noctes sextam cujuslibet quadragesimalis hebdomadæ feriam præcedentes, quæ cùm ex Ambrosiano ritu Crucifixi Redemptoris venerationi dicatæ sint cultu adeò peculiari, ut eo die in reverentiam sacrificii cruenti à primo, & summo Sacerdote Christo Domino peracti, Sacerdotes à Sacri celebratione abstinere jubeantur, *authenticæ* dici potuere non secus, ac extremæ hebdomadæ dies, quos ideò *authenticos* dici credimus, quòd cruentæ Passionis Domini memoria, ac si in ipso archetypo expressa videretur, summa Fidelium religione ab Ecclesia recolatur; Præcipuè cùm advertam, in iis met noctibus â Grossulano habitum sermonem *de Passione Christi*, ut hîc Landulphus memorat.

Digitized by Google

cit, & gentem multam tam per se, quàm per suos Sacerdotes, & ministros occasione matutini habita congregavit, atque matutino cantato, multo populo coram ipso convocato, de passione Christi, & proditore Juda prolixum sermonem fecit, & suæ causæ ipsum sermonem coaptavit, atque in fine sui sermonis super Sancta Dei Evangelia nullo interrogante, publicè juravit, quòd à die, qua egressus est ab utero matris, pollutionem non fecit, & carnem suam non coinquinavit. (6) Arialdus verò Monasterii Sancti Dionysii Abbas, & Guazzo, qui cognominatur de Orreo id ipsum jurando firmaverunt, & mox Grossulanus adjecit dicens: si quis vult adversùm me dicere aliquid, nunc dicat; quòd si modò tacuerit, ampliùs adversùm me audientiam non habebit. Hoc cùm Presbytero Liprando renuntiatum fuit, & ipse (*) *plures* cives ad Ecclesiam Sancti Pauli vocavit in die, quibus dixit: Videtis me abscissum naso, & auribus pro nomine Christi, unde mihi magna retributio est promissa, si in fine perseveravero; Pro amore itaque Christi, vestraque salute, & pace, rogo vos, ut ad me, & ea, quæ vobis dixero, intendatis. Et cùm hæc & plura benè dicta, benèque sonantia adversùs præsertim simoniam dixisset, proposuit dicens: Grossulanus, qui pro Archiepiscopo tenetur est simoniacus de Archiepiscopatu Mediolanensi per munus à manu, per munus à lingua, per munus ab obsequio. (7) Et cùm hæc in suo proposito procederet, sæpissimè hortabatur omnes, ut convenirent ad veram cognitionem hujus propositi per divinum judicium (8) adprobatum in vita, vel morte sua manifestata per ipsum. Sed Grossulani turba hoc perturbabat auctoritate Pontificum, qui Mediolanum venerant ad celebrandum Synodum cum Grossulano. Verumtamen Presbyter ipse adversùs Episcopos disputans, rationibus, & exemplis suam sententiam sustinuit, nec dimisit. Grossulanus verò parvipendens hujus Presbyteri verba, veluti in præsentia ejus non essent prolata, Synodum suam in Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Hyemalis, per duos dies tractavit, (9) atque in tertia in prato, quod dicitur Brorium (10) coram infinita hominum multitudine dedit sententiam deponendi Andream Primicerium, & alios Sacerdotes, quos Anselmus de Rode Mediolanensis Archiepiscopus, & à Rege Henrico investitos (11) ordinavit. Quam sententiam multitudo Cleri illico, & populi, & non multum post

(6) Hinc non obscurè deducitur criminationum materia, quæ in Grossulanum intorquebantur, cùm adversùs illum turpia quædam obmurmurari à populo superiùs dixit Landulphus, quemadmodum cap. 5. num. 7. jam monui.

(*) A. 1. *principales*.

(7) Tria hæc præcipua capita sunt, è quibus Simoniam contrahi, Theologi omnes docent, quos consule: Hinc tantùm collige, quàm antiqua sit hæc stricta loquendi formula apud Scholasticos familiaris.

(8) Nempè ignis, ad quod provocare tunc licitum erat; Superiori enim sæculo idem examen indictum fuerat in Florentina urbe à S. Joanne Gualberto, qui Petro Monacho suo Vallumbrosano, postea Cardinali atque Episcopo Albanensi, transitum per ignem mandavit, ut Petrus Florentiæ Episcopus Simoniæ reus publicè comprobaretur; quod etiam ex voto accidit, innocuè flammas percurrente Monacho, *Ignei* propterea nomen adepto, ut Desiderius Abbas Casinensis, & Bertholdus ad ann. 1089. coævi narrant, atque ex eo Baronius ad ann. 1063. Puricellius in Mon. Bas. Ambr. num. 296. aliique: Postmodum sublata fuit hæc Judicii forma, cùm ultra quàm par est, tentari Deus videretur, gravesque ab Ecclesia indictæ censuræ, quas collegit in Epitom. Sacr. Canon. Cardinalis Lauræa, exponitque in Polyanthæa Pallavicinus u. *purgatio*.

(9) Hanc Synodum celebratam fuisse anno 1103. tempore Quadragesimæ dubitari vix potest; Cùm enim superiùs dixerit Landulphus, dum hujus Synodi tempus appropinquaret consuevisse singulis authenticis noctibus haberi concionem à Grossulano; judicium verò ignis peractum sit à Liprando hebdomada sanctiore post celebratum Concilium, apertè patet intra Quadragesimales dies, & quidem ad finem vergentes Synodum fuisse tractatam.

(10) Legendum *Brolium*, Galvaneus Flamma in Chron. Maj. cap. 68. & 73. *Brolium* fuisse ait Pomœrium arboribus consitum in tanta densitate, ut nemoris speciem referret, eratque positum in ea parte urbis, quæ intermedia est duabus insignibus Mediolani Basilicis S. Nazarii, & S. Stephani, quibus adhuc superstes nomen mansit *in Brolio*. Sed locus iste Synodo celebrandæ aptus esse non poterat, nisi fortasse excisis arboribus tunc temporis area patens inducta fuisset: Alterum Brolium describit idem Flamma in manip. Flor. MS. fol. 28. hæc habens: *Extra muros Civitatis erat Brolium magnum, ubi juvenes in armis, & pugnis diversis, exercitationis causâ, conveniebant*. Certè hoc sæculo XII. extitisse hortos, *Brolii* nuncupatos, in quibus militaria signa fixit Fridericus Ænobarbus, cùm castra in urbem nostram moveret, tradit Calchus ad ann. 1158. atque in hujus Brolii capite sitam fuisse Ecclesiam S. Babylæ ex Othone Morena ad eund. ann. discimus: Fortasse hoc ipsum Brolii pratum erat, de quo Landulphus noster loquitur.

(11) Alterum ex MSS. Bibl. Ambr. conformius ut arbitror ad auctoris mentem, quam prodit particula illa *&*, legit *investitus*: & sanè Anselmum ab Henrico Imperatore Ecclesiasticas investituras contumaciter tuente, fuisse in Archiepiscopum Mediolanensem electum, atque ideo à Gregorio VII. Summo Pontifice improbatum, tradit Sigonius de regn. Ital. lib. 9. ad ann. 1084. In hoc tamen aperti erroris illum redarguit Pagius in crit. ad ann. 1085. cùm Gregorius VII. vita functus eodem anno, ac etiam die, quo Tedaldus Mediolanensis Archiepiscopus obiit, successoris Anselmi electionem improbare non potuerit: Tedaldum autem fatis cessisse non anno 1084. ut crediderat Sigonius, sed sequenti; ex Bertholdo Synchrono scriptore id asserente indubium est: An autem hic Anselmus verè ab Henrico investitus sit Mediolanensis Antistes, Pagius negat, Bertholdi auctoritate inter alia fretus, à quo post narratam Tedaldi mortem, hæc scripta dicit: *De medio sublato potentissimo Mediolanensis ecclesiæ invasore, erigere caput ea cœpit, excussoque è cervicibus jugo Scbismaticorum Catholicum sibi delegit Antistitem Anselmum ejus nominis III.* Attamen eruditissimus vir hallucinatus est; nihil enim in Bertholdo à me diligenter evoluto de hac Anselmi electione legitur, verbaque relata non scriptoris illius, sed Baronii sunt ad hunc annum 1085. Corruit igitur præcipuum illius fundamentum; cætera verò, quibus ex eodem Bertholdo Pagius firmare sententiam suam nititur, rem minimè evincunt; quæ enim auctor ille de conjuratione Mediolani, & quarundam aliarum Langobardiæ civitatum contra Henricum in XX. annos indictâ, & de Anselmo *in causa S. Petri studiosissimo* tradit, ad annum 1093. postremum scilicet Anselmi vitæ, non ad primum, quo in Archiepiscopum electus est, referuntur. Itaque recedendum non est à Landulphi nostri fide, qui eum ab Henrico investitum apertè dicit; præcipuè, cùm Papebrochium in hac re consentientem habeamus in exegesi cit. num. 101. ubi quamvis & ipse perperam crediderit, verba superiùs relata verè in Bertholdo legi, attamen nihilum quidem à sententia sua discedit, qua An-

post tempus Paschalis Papa Romanus contemsit. (12)

CAP. X.

Presbyter Liprandus per ignem transivit illæsus.

ATtamen Grossulani turba dimicans adversùs Primicerium, Landulphum ejusdem Primicerii Clericum lapide occîdit, deindequasi in consensu totius civitatis dictum fuit Presbytero, ut ad faciendum judicium multa ligna congregaret in prato, quod clauditur in muro juxta Sancti Ambrosii Monasterium. Et Presbyter ipse plenus magno spiritu annonam, & vinum, quæ ad edendum habebat, pauperibus erogavit, suamque (*) *lupicervisam* (1) pellem pro lignis pignoravit, cætera verò, quæ possidebat in libris, & aliis rebus, statuit, ut conservarentur Landulpho nepoti suo (2), & alumno, atque Ecclesiæ Acolytho, qui tunc temporis discebat Aureliani (3) ab Egregio Magistro Alfredo, & nobili Jacobo. Statuit etiam, si contigerit illum mori in illo judicio, si quid corporis ejus residuum fuerit, portari ad Ecclesiam Sanctæ Trinitatis, quam ipse, sicut supra in privilegio legitur, in allodio suo fundavit, & B. Petro tradidit. His ita statutis, & ordinatis idem ... Ambrosii Ecclesiam ivit, & cùm ipse facturus judicium ... manus Grossulani prævaluit, & ipsa ligna in prato dispositadispersit, ipsumque Presbyterum ab illa dispositione separavit ignominiosè. Deinde indomo sua, & Sancti Pauli Ecclesia Presbyter ipse siluit, & quievit, donec pueri, & puellæ, mares, & fœminæ in proximo tempore clamaverunt: Foràs, Foràs Grossulane. Hunc clamorem Grossulanus cupiens compescere, habuit consilium cum satellitibus suis, quibus dixit: Ite & vos, & publicè eligite viros de populo, qui dicant illi Liprando, aut ad satisfactionem meam veniat, aut de Terra ista exeat, aut judicium, quod se facturum promisit, faciat. Consiliarii itaque de latere ejus venientes ad concionem populi in vespertina hora Dominicæ diei de ramis Palmarum, seu Olivarum (4) publicaverunt quæ audierant à Domino suo Archiepiscopo Grossulano, quapropter non solùm viri in concione electi venerunt ad Presbyterum hanc legationem dicere, sed innumera hominum multitudo vênit hanc legationem confirmare. Ad quorum clamorem clamantem: veniat Presbyter ipse Liprandus, ipse humilis exivit, & ut legationem audivit, & intellexit, manus ad Cœlos levavit, & Deo gratias egit, & interrogando legatos, inquit, vult, & mandat ipse, quod mihi dicitis? Qui omnes respondentes dixerunt, utique vult, & mandat. Et Presbyter ad eos, Terram non exeo, sed in istis duobus diebus jejunium ago, & in quarta feria (5) faciam judicium præstante Deo, sed undè ligna emam, non habeo. Tunc Grossulani, & Reip. ministri quercina ligna ad flammam, & ad calorem aptissima triginta solidis denariorum emerunt, quæ in campo ante atrium Ecclesiæ Sancti Ambrosii in duabus congeriebus respicientibus se composuerunt, longitudo quarum decem cubitorum fuit, & altitudo, & latitudo major statura hominis cubitorum quatuor, via verò inter ipsas congeries unius cubiti & semis. His ita dispositis, & quibusdam lignis in via interpositis, in quarta feria (6) Presbyter indutus cilicio, camisio, atque casula more Sacerdotis ab Ecclesia Sancti Pauli usque ad Ecclesiam Sanctorum Martyrum Prothasii, & Gervasii, & Beatissimi Ambrosii nudis pedibus crucem portavit, super quorum Sanctorum Altare, cæteris Sacerdotibus deficientibus, ipse sibi Missam cantavit (7), & Missâ cantatâ, Grossulanus quoque gerendo crucem, eamdem Ecclesiam intravit, & pulpitum cum Arialdo de Meregnano, & Berardo Judice Astensi ascendit, & facto silentio in populo, & Presbytero stante nudis pedibus super lapidem marmoreum, qui in introitu Chori continet Herculis simulacrum, (8) idem Grossulanus ait ad populum Attendite,

---

Anselmi electionem Henrici Schismatici Imperatoris auctoritati adscribit, *esto*, ut idem prosequitur, *Anselmus Schisma execratus, mox ut Victor III. vel qui ejus brevem Pontificatum excepit, Urbanus II. Gregorianis contra Schismaticos vestigiis insistens, agnitus Pontifex fuerit, & curaverit cum Ecclesia reconciliari.*

(12) Irritam cassamque cessisse hanc Depositionis sententiam probat exercita publicè ab isto Andrea Primiceriatus sui auctoritas, quemadmodum in decursu historiæ videbimus. De Paschalis Papæ decreto nihil apud auctores legitur; appellasse tamen ad summum Pontificem, Andream aliosque depositos Sacerdotes ex hoc loco clarè colligitur.

AD CAP. X. NOTÆ.

(*) A. 2. *lupitunicam*.

(1) *Lynx* Latina, seu potiùs Græca voce Peregrinum hoc animal appellatur, ejusque pellis varii coloris maculis punctatim insperfa adhuc in pretio est. *Lupum Cervarium* vulgari vocabulo dici, scribit Aldrovandus, fusè de illo agens.

(2) Qui hæc scripsit.

(3) Hinc Pagius colligit antiquitatem & famam studiorum Aurelianensium.

(4) Die 22. Martii, in quem anno 1103. hæc Dominica incidit.

(5) Nempe hebdomadæ sanctioris, sed cujus anni ea verè foret, prorsus ignoravit Puricellius. In monum. Bas. Ambr. num. 295. sententiam suam protulerat, qua judicium hoc ignis adscribendum anno 1101. *certa & evidenti*, ut ipse ait, *conclusione* statuerat. Postmodum lib. 4. vitæ S. Arialdi cap. 88. *mutata in melius opinione*, illud sequenti anno 1102. adjudicandum censuit. At neque hoc anno id contigisse ex superiùs dictis liquidò patet; cùm enim mense illius Augusto delatam plebis & nobilium acclamatione Mediolanensem insulam Grossulano ostenderimus, quis non videt innoxium hunc Liprandi per ignem transitum postremâ quadragesimæ hebdomada peractum nonnisi anno tertio sæculi ejusdem XII. posse affigi? Corrigendus itaque est error typographicus, qui in exegesim jam pluries laudatam Papebrochii irrepsit num. 104. ubi sub eodem anno 1102 & judicium Liprandi, & Grossulani electio ponitur, quamvis hæc facta dicatur prædicto mense Augusto: Cæterùm id securè discere poterat Puricellius ex Galvanei Flammæ chron. majori, & altero MS. *Flos Florum* ab ipso relatis, in quibus hæc habentur. *In millesimo centesimo tertio secundùm Chronicam Gotbofredi de Bussero, factum fuit judicium ignis Presbyteri Alisprandi Ecclesiæ S. Pauli in Compito*: Gothofredus enim de Bussero, cujus opus MS. de vitis SS. extat in Biblioth. Capituli Metropolit., propè seculum illud vivebat. Uberiora in hanc rem argumenta vide apud Pag. in crit. hoc ipso anno 1103. num. 6.

(6) XXV. Martii.

(7) In more positum fuisse, ut ante examen ignis missa caneretur, tradit Edmundus Marthene tom. 3. de antiq. Ecclesiæ ritibus pag. mihi 458.

(8) De hoc simulacro plura differit Purricellius in in monum. Bas. Ambr. num. 297. & in vita S. Her-

dite, quia in tribus verbis hunc hominem vincam, & ejus confusionem ostendam : Et ad Presbyterum inquit : proposuisti, quòd ego sum Simoniacus per munus à manu ; modò dic, cui dedi ? Tunc Presbyter super populum oculos aperuit, & digitum ad tres illos, qui stabant in pulpito, extendit, dicens : Videte tres grandissimos Diabolos, qui per ingenium, & pecuniam suam putant me confundere ; & non ne ille Diabolus, qui suasit illum fieri simoniacum per pecuniam, suadere potest, ut adhuc majorem pecuniam daret, & veritatem occultaret, & testes, & judices mundanos mihi auferret ? & non nescitis, quia propter vitandam astutiam Diaboli, & pravorum hominum, ego elegi Deum judicem, qui neque per pecuniam, neque aliquo modo potest falli in judicio ? ad cujus judicium, si vultis venire, paratus sum quod promisi facere. Et Grossulanus ad eum : modò dic de qua simonia dicis ? Et Presbyter ad illum : modò dic tu, quæ est bona ? Et Grossulanus aliquantulum subsiluit, & ait : Est simonia, quæ simoniacum non deponit. Et Presbyter ait, Ego dico de illa, quæ deponit Abbatem de Abbatia, Episcopum de Episcopatu, Archiepiscopum de Archiepiscopatu, in quo est. Et cùm in his verbis satisfeciſſet omnibus audivit populum clamantem : Exite foràs ad judicium, Exite foràs ad judicium. Et Presbyter in hoc multiplicato clamore, licèt senex, desuper lapide continente Herculis simulacrum prosiluit, & unà cum populo in campo, in quo erant lignorum congeries, vênit : Ibique dum ignis lignis accendebatur, Presbyter circumstantibus dixit : Vos præter me non cernitis Sacerdotem, qui hunc ignem mihi benedicat, (9) sed cernitis chartam hanc, quam teneo, in qua sancta verba, & signa sanctæ Crucis continentur : Et ego minister hæc verba, & signa inferiùs dicam, & faciam : Et Deus, qui est Dominus meus, desuper ignem benedicat : Et audientes, & benè intelligentes dixerunt, Amen. Atque cùm in circuitu ignis hæc verba dixisset, & signa fecisset, & aquam benedictam, & incensum super ignem, astante ibi Grossulano, aspersisset, dubitabat de ordinando sacramento apud Grossulanum, & Arialdum de Meregnano, qui erat quasi potentissimus Princeps Grossulani, & procurator judicii, & expectans Presbyterum per ignem in morte finiri, vel per nimium terrorem ad Dominum suum Grossulanum converti ; ipse namque (10) Berardo Iudici Astensi hanc legem non solùm per mortem, sed & per quamlibet ignitam læsuram in Presbytero factam condemnare dixerat. Absit quòd læsura (11), sed ignem adeò magnificabo, quòd procul oculos ignis de capite ejus eruet, & in ipso igne ardens cinis putrefiet. Attamen Presbyter cùm vidisset eos de ordinando Sacramento (12) dubitare, dixit ad eos : finite me, quòd ego bene ordinabo, nec finiam Sacramentum, donec dixero tantum, quantum vobis satisfecerit. Et illico in consensu eorum appræhendit cappam Grossulani, ipsamque quassavit dicens. Iste Grossulanus, qui est sub ista cappa, & non de alio dico, est Simoniacus de Archiepiscopatu Mediolani per munus à manu, per munus à lingua, per munus ab obsequio. Et cùm illis videbatur sufficere, addidit. Et ego ad fiduciam maleficii, aut incantationis, vel carminis non intro hoc judicium, sic me Deus adjuvet, & ista Sancta Evangelia in isto sancto judicio. Facto hoc sacramento concorditer Grossulanus equum ascendit, & ad Ecclesiam Sancti Joannis, qui dicitur ad Concam (13) vênit. Arialdus verò prædictus de Meregnano inquirens, & expectans plenitudinem ignis Presbyterum tenuit, & tenendo manum suam læsam procul ab ipso calore ignis sensit, & tamen ad Presbyterum inquit : Presbyter Liprande vide mortem tuam in igne, convertere ad Dominum meum Archiepiscopum, habita securitate tuæ vitæ, alioquin vade, & arde tè cum Dei maledictione. Et Presbyter ad illum : Sathana retro vade. Illo retrocedente Presbyter prostratus à terra levavit, & signo Crucis sibi apposito, ingens flamma ignis in meridiem, & septentrionem se divisit, & via apparuit, quam Presbyter intravit, & transiens per ipsos carbones ignis, ceu arenam calcaret, sensit, & dum per ipsam viam transibat, flamma post ipsum coibat, & ut ipse mihi dixit, & bene intellexi, donec in via hujus ignis fuit, hanc orationem Deo protulit, dicens : Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua libera me ; Deus in nomine tuo salvum me fac. Et dum tertiò proferret hoc verbum, fac, se extra ignem vidit, nec in se, nec in suis sacerdotalibus vestibus lineis, ac sericis, quibus erat indutus, sive in cilicio læsionem ullam sensit.

CAP. XI.

Liprandus in Synodo ante Paschalem Papam Grossulani præsentis Simoniam accusat, & ignis judicium manifestat.

TUnc Populus plenè, quasi ex uno ore, laudem Deo, & huic Presbytèro extra, & intra civitatem contulit. Grossulanus verò intrepidus Sedem Archiepiscopatus deseruit, & civitatem, quia apertè Communi civitatis (1) juratum erat, quòd neutri eorum, nec alicui de parte illorum pro hac actione malum fieret, nisi quod Dominus sibi faceret. Sed quia præsentia Episcoporum suffraganeorum (2) huic legi, & triumpho favorem integrè non præbuit, & ignis manum Presbyteri in projiciendo aquam, & incensum super ignem læsit, & quia pes equi Joannis de Rode (3) nudum Presbyteri pedem de igne exeuntis durè calcavit ; turba tristis de casu, & ruina Gros-

Herlemb. cap. 88. quamvis quæ de Comitibus Angleriæ, ac stemmate Vicecomitum antiquo ibidem leguntur, ego jam refutaverim in append. ad vindicias SS. Corp. Gervas. & Protas. num. 35.

(9) Etiam hoc servari solitum in hujusmodi judiciis per ignem tentatis, docet supracit. Marthene.

(10) Scilicet Grossulanus.

(11) Sensus esse videtur, quòd Berardus Judex non tam modicè libandam cutem Liprandi vasta illa ignis mole, quam excitare meditabatur, sed omnino absumendum esse intrepidè sibi polliceretur.

(12) Idest *jurisjurandi formula*.

(13) Ecclesia hæc in urbe nostra ad viam Romanam posita etiam in præsens nomen hoc gerit, cùm antiquitus diceretur Cœmeteriù Peregrinorum.

AD CAP. XI. NOTÆ.

(1) In altero ex MSS. Bibl. Ambr. legitur *communi civitatis ore*.

(2) Nondum enim Mediolano discesserant post Synodum recenter à Grossulano celebratam ; undè confirmatur initæ hujus Synodi tempus, superiùs statutum.

(3) seu *Rbaude* Pago, octo milliaribus Mediol. diffito.

Digitized by Google

Grossulani, in Presbyterum, & ejus legem post paucos dies scandalizavit (4), & scandalizando, hortatu quorumdam Sacerdotum prœlia & homicidia multa commisit. Interea Grossulanus D. Papam Paschalem gratum sibi invênit (5). Landulphus verò de Vareglate, (6) qui primus in Coritiana fuga (7) fuerat, rediens à Hierosolymis (8), Romam pervênit, atque in Grossulano jam inde regresso didicit non solùm quod actum fuerat Mediolani propter concertationem Presbyteri, & Grossulani, sed & quàm solemniter Romanus Pontifex post talia facta ipsum Grossulanum susceperat, quia ipse quidem Papa Paschalis super Sedem suam ipsum Grossulanum posuit, & per quot dies idem Grossulanus tunc temporis Laterani fuit, eumdem super Sedem suam sedere fecit, atque ipsi sedenti cessit, & locum dedit (9), suam quoque Curiam, & omnes causas Ecclesiasticas à se discernendas, & judicandas ipsi Grossulano ad discernendum, & judicandum tradidit. Sed tamen Landulphus ille de Vareglate veniens Mediolanum, non Presbyterum, nec ejus legem directè contemsit, sed Clero, & populo Mediolanensi promittens deponere Grossulanum ab omni Ecclesiastico officio juxta Canonum rationem, inquit: cur de lege Presbyteri Liprandi, & Grossulano contenditis, & prœlia, & homicidia in vobis facitis? En vobis certissimè dico, & per Joannem Vicomercatensem Grossulano mando, quòd ego apud Dominum Papam Paschalem, ejusque Curiam, vel Synodum certis cum rationibus, & justis, & sanctis Canonibus comprobabo illum non posse subsistere in numero Episcoporum, nec Presbyterorum, aut etiam in aliquo ordine Clericorum. Clerus verò & populus huic authentico viro (10), & secundùm quandam novitatem (11) Canonicæ Sancti Nazarii Præposito & Majoris Mediolanensis Ecclesiæ Ordinario, credulus unà cum Grossulano ad Romanam Synodum (12) pervenire studuit. Unde rigidus, & sapiens Capitaneus Mediolanensium (*) *Amigo* de Landriano ait: vos ludriam in aqua negare vultis (13); Sed Grossulanus nil moratus, ad pedes Apostolici provolutus, sibi, & suis iterum refugium susscepit. Presbyter verò Liprandus cùm jam senex esset, & duo anni (14) post legem ab ipso factam mansissent, provocatus,

(4) Idest à concepta priùs recta opinione de Liprandi transitu innoxio per ignem, recessit.

(5) Grosulanum, statim peracto judicio ignis, Mediolano excessisse, superiùs dictum est. Romam inde profectum hinc discimus, sed an hoc eodem anno 1103. an sequenti, incertum est, Hoc secundum erui *ex consequentibus* scribit Pagius ad ann. 1104. nullo tamen argumento id evincere mihi videtur; quinimmo verosimilius censeo, Grossulanum contendisse ad Paschalem Summum Pontificem illo met anno 1103. cui explendo post judicium ignis novem integri supererant menses: Ita enim intermedium aliquod moræ spatium statui poterit iteratis itineribus Romam & Mediolanum susceptis à Landulpho de Vereglate, quæ inferiùs describuntur. Adde hìc proximè narrari, Grossulanum ab urbe Roma jam fuisse regressum, cùm illuc redux à Hierosolymitana expeditione Landulphus pervênit. Quis verò sibi persuadeat, Archiepiscopum illum tanto auctum honore, tantisque in Curia Romana, ob causas omnes sibi commissas, negotiis implicitum, festinè adeò sese inde proripuisse, ut eomet anno ejusdem Romam profectio, mora, & reditus accidissent, antequam illuc adventaret Landulphus, Mediolanum postea & ipse profectus? Commodiùs itaque conciliari omnia possunt, si dicamus, Grossulanum, quem constat Mediolanam discessisse peracto statim Liprandi judicio, Romam recto tramite se contulisse anno 1103. sequenti verò Landulphum de Vareglate intellecto Romæ dissidio Mediolanensium, inde jam regresso Grosulano, in patriam reversum, ac demum an. 1105. utrumq; simul ad Synodum Romanam perrexisse, cùm, ut superiùs innuimus, nullum historicæ rationis momentum nos urgeat, ut universa hęc in unũ an. coacervemus.

(6) Unus ex iis, quos absentes in Archiepiscopum Mediolanensem eligi vetaverat Grossulanus.

(7) Pagius ad hæc verba inquit, se non meminisse vel in Guilielmo Tyrio de hac urbe *Coritio* lib. 10. cap. 24. loquente, vel in alio auctore de hac Mediolanensium, & Langobardorum clade aliquid à se lectum. Ego jam ad finem primi capitis ea retuli, quæ Ordericus Vitalis & Radulphus ævi illius scriptores in hanc rem narravere. Nunc Abbatem Urspergensem produco, qui ad ann. 1101. refert Christianorum exercitum, Nicomediam profectum, inde Romaniâ declinantem *ad Aquilonarem plagam contra terram Corizianam, quæ Turcborum est patria*, convertisse, ibique à quatuor millibus Turcarum afflictum adeò Langobardorum exercitum, ut alii caperentur, alii cæderentur, Paganis contra ipsos tela undique & flammis armantibus.

(8) Illuc enim comitatus fuerat Anselmum IV. Mediolanensem Archiepiscopum.

(9) Vix fidem invenire potest tanta honoris gratia Mediolanensi huic Archiepiscopo indulta, cujus non alterum in Historiis exemplum invenies.

(10) Idest summæ auctoritatis viro.

(11) Landulphum hunc de Vareglate prima adhuc juventa florentem, missum Papiam, ut in Cœnobio S. Petri in cœlo aureo pietate, ac literis institueretur, ibidemque postea Monasticæ vitæ adscriptum, S. Benedicti Institutum professum fuisse, refert Mabillonius in Annal. Benedictin. ad ann. 1102. num. 53. idemque asserit Philippus Malabayla supracit. in ejusdem vita num. 1., qui etiam exponens auctoris nostri textum, ait, novitatem, de qua hìc loquitur, in eo positam esse, *quod Monachus Canonicæ Clericorum præficeretur*.

(12) Synodum hanc, in qua de Grossulani caussa actum est, habitam fuisse Romæ à Paschali II. anno 1103. credidit Labbeus, qui ideo eandem in Append. ad Tom. X. Concilior. Col. 1833. retulit, fidem Puricellii interponens, Landulphum nostrum Scriptorem coëvum producentis. Attamen cùm turbatam ab ipso in hac Historia Chronologiæ seriem omnem jam ostenderim, & severioribus calculis adhibitis constet, Grossulanum nonnisi anno 1102. electum, factumque anno sequenti judicium ignis, ac duobus postmodum annis elapsis discussam Romæ Grossulani controversiam, corruit fundamentum omne commenticiæ Synodi, quam perperam ad tuendum propositum suum sibi finxit Puricellius. Adde ex Landulpho ipso clarè indicari annum, cui affigi debeat vera Synodus; cap. namque 22. hæc habet: *durante lite Grossulani scilicet MCV. septimo Idus Maji inventæ sunt reliquiæ &c.* Non igitur ante VII. Idus Maji hujus anni sententiam suam protulerat Paschalis de restituendo in sedem Mediolanensem Grossulano. Certum igitur fit, Synodum de qua hìc loquitur Landulphus, non aliam fuisse, quàm Concilium II. Lateranense à Paschali II. celebratum hoc ipso anno 1105. ut contra Labbeum, aliosque illud anno præcedenti affigentes, statuit etiam Pagius in Crit. ad hunc ann. num. 4. indictum putans circa diem VII. Kal. Aprilis.

(*) A. 1. & 2. *Amizo*.

(13) Idest suffocare. Adagium hoc vulgare tum fuisse existimat Puricellius in vita Herlemb. cap. 90. illudque usurpari solitum, cùm *quis contrario votis suis medio uti vellet ad assequendum finem, quem cæteroqui unicè optaret*. *Ludria* enim, seu *Lutra*, amphibium animal est in aquis simul, atque in arido per intervalla degens æquali vitæ integritate.

(14) Martio enim exeunte anni 1103. publicum ignis examen sustinuerat, ut superiori C. ostendimus.

Digitized by Google

catus, & quasi compulsus Romam ad Synodum vênit, in qua prædictus Landulphus de Vareglate, qui post ipsam Synodum fuit Astensis Episcopus (15), neque ante Papam, vel ejus Curiam, vel Synodum adversùs Grossulanum verbum ignominiosum protulit (16). Sed Presbyter Liprandus causam, quam adversùs Grossulanum habuit, purè notificavit, & Apostolicus non legem per ipsum Presbyterum datam, & sacramento, & igne notatam laudavit, sed gratiam, & officium Presbyteratus in illo firmavit, & dixit. Si hic Presbyter juraret, & duodecim Sacerdotes cum illo jurando affirmarent, quòd Grossulanus coëgit ipsum Presbyterum ire ad ignem, sustineret Grossulanus depositionem, atque super hoc, spatium consulendi per unam noctem dedit.

CAP. XII.

Grossulano coram Papa, se non coëgisse Liprandum ad ignem, jurante, Grossulanus restitutus est, sed à civibus non est receptus.

NOcte autem illa transacta, Apostolicus coram Synodo à Grossulano suscepit sacramentum, in quo sacramento Grossulanus sic ait: Ego Grossulanus gratiâ Dei Archiepiscopus non coëgi dictum Liprandum Presbyterum ire ad ignem, & facere judicium. Tunc & Ardericus Laudensis Episcopus (1) jurando firmavit id ipsum. Azoni verò Aquensi Episcopo (2) proferenti id ipsum jurare ex parte Grossulani ab Apostolico fuit condonatum. Grossulanus itaque accessit, ut acciperet gratiam restitutionis; & cùm ad accipiendum restitutionem accederet Gabuta (3), & Pastoralis virga, quam idem Grossulanus sua tenebat manu coram Synodo ad terram corruit, quod signum quampluribus fuit indicium, quòd sacramentum ejus fuit sacramentum mortis. Verumtamen nec Papa, nec ejus Synodus ad hoc tunc respexit, sed ipsum Grossulanum Azoni Aquensi, & Arderico Laudensi, atque Jordano de Clivi (4), & cæteris Mediolanensibus tam Clericis, quàm Laicis, verumetiam Episcopis ejusdem Ecclesiæ suffraganeis, volentibus eum habere in Archiepiscopum, licet otiosè (5) restituit. (*) *Quandoquidem* Presbyter ille Liprandus, licèt occasione hujus restitutionis foret suspectus, Grossulano restituto, & restitutum suscipientibus, tamen in Ecclesia Sancti Pauli, suaque domo fuit Sacerdos idoneus in suo officio per 7. annos post ipsam restitutionem. Grossulanus verò gratiâ Gulielmi Abbatis Monasterii Sancti Ambrosii, & Andreæ Mediolanensis Ecclesiæ Primicerii, & Ottonis Vicecomitis (6), & aliorum multorum prudentum tam Clericorum, quàm Laicorum, nec sedem, nec aliquam munitionem Archiepiscopatus post legem (*) *ipsam* à Presbytero factam, sive restitutionem à Synodo celebratam habuit.

CAP. XIII.

Perturbatione in Mediolanensi Ecclesia orta ob Grossulanum, Olricus Vicedominus, & Anselmus de Pusterla se Parisinum in studium transtulerunt.

IPsa quoque Ecclesia & Regnum (1), quæ pro Grossulano Synodum ipsam tractavit, in semetipsis (*) *dissensionem* servans servavit, & servando quis potest enarrare combustiones, cæso-

(15) Electum fuisse Landulphum à Canonicis Cathedralis Astensis in patriæ suæ Episcopum anno 1103. tradit Malabayla in ejus vita: Superiori anno 1102. Ughellus in Episcop. Asten., quem secutus est Mabillon. in Annal. Benedict. ad eund. ann. Ab his omnibus malè hujus sedis initium designatum Scriptoris nostri auctoritas probat, qui nonnisi post Romanam hanc Synodum ad eam insulam promotum Landulphum dicit: quocirca nec ante annum 1105. potuit Ecclesiæ illius Episcopus renunciari.

(16) Papebrochius in Append. de Ven. Presb. Liprando ad diem 27. Junii, hujus silentii causam fuisse ait, *quòd* Landulphus *prece fortassis, vel pretio in favorem Rei corruptus* fuerit. Injuriosum tamen nimis crediderim hoc suspicari de viro, cujus memoria inter Cœlites ascribitur. Non ita certè locum hunc interpretatus est auctor ejusdem vitæ Malabayla, qui illum *fletisse promissis* disertè asserit, sed *ita, ut nullum in Grossulanum ignominiosum verbum protulerit.*

AD CAP. XII. NOTÆ.

(1) Fuisse hunc Grossulani Vicarium, ac demum Placentiæ in Vallumbrosano Cœnobio Monachum, testatur noster Landulphus cap 27.

(2) Translatum hunc fuisse ad Vercellensem Ecclesiam anno 1135. refert Ughellus.

(3) Idem quod *Cabuta*, seu Cambuta. Hoc autem vocabulo significari *Pedum Episcopale*, tradunt Macrius, & Du-cang. Duplici autem voce unam, eandemque rem Landulphus explicavit, ita ut *Gabuta*, & *virga* idem exprimat, ac *Gabuta, seu virga Pastoralis*; quod etiam clariùs ex cap. 29. demonstratur.

(4) De hoc Jordane, qui electus postmodum fuit in Archiepiscopum à Mediolanensibus contra Grossulanum anno 1112. plura in decursu dicentur.

(5) Eidem enim, etiam sic restituto, potior Mediolanensium pars ita obstitit, ut nedum tranquilla pace frui hac in Sede, sed nec illam quidem attingere securè licuerit, ut in calce hujus cap. legitur.

(*) A. 1. *Qui quidem*.

(6) Hujus mentio non fit in altero ex MSS. *Bibl. Ambr.* sicuti neque in exemplari, quo usus est Puricellius. Cæterùm de hoc Ottone plura ad miraculum usque excelsæ virtutis traduntur à Scriptoribus nostris Corio, Merula, aliisque, quibus pedissequum se facit Sigonius lib. 9. de regn. Ital. Id in primis celebre apud ipsos est, cùm ipse Hierosolymæ obsidioni instaret, Dux Mediolanensis exercitus, singulari certamine stravisse Barbarum quendam *Volucem* nomine, qui corporis specie supra cæteros assurgens, armisque & viribus ferox omnibus terrori erat: Spolia verò ipsius fuisse vipereum insigne detractum è casside, quod postmodum in Legionum Mediolanensium vexillum, ac gentilitiam familiæ suæ tesseram, immortale rei tam præclarè gestæ monumentum, transierit. Attamen non ita credulus fuit Calchus, qui lib. 3. & 7. hist. patriæ, vanitatis & mendacii arguit Scriptores, qui hæc tradidere, gratiam potiùs nobilissimæ familiæ, quàm historicam veritatem sectantes: Et quidem ad fidem hanc enervandam plurimùm facit coævorum silentium; quis enim credat, tam illustre fortitudinis experimentum ita negligi ab omnibus potuisse, ut nostri quoque concivis Landulphi, expeditionem illam referentis, & Ottonis istius mortem cap. 18. summa cum laude narrantis, muta omnino in hac re foret historia? Absurdius est, quod in Catalogo Archiep. Mediol. inscripto *Successores S. Barnabæ* legitur, crucesignatum nempè fuisse Ottonem hunc Vicecomitem, & cum septem millibus militum Hierosolymam missum ab Arnulpho III. Antistite nostro; De hac enim tam festinata expeditione nullum in historiis extat vestigium.

(*) A. 1. *primam*.

AD CAP. XIII. NOTÆ.

(1) Ecclesiastici videlicet, ac Laici qui in hac Grossulani causa contrariis studiis agebantur.

(*) A. 1. *dessensionem*.

Digitized by Google

desolationes, abominationes, quæ combusserunt, & desolaverunt Mediolanum, & Regnum, ipsumque Sacerdotium, & tempore quo lex Presbyteri Liprandi vênit in ambiguum (2); etenim, ut taceam combustiones, quæ perturbaverunt, & perturbant Mediolanum, memor sum suggestionis Principum, quæ tunc suggessit Henrico dicere (3) Henricum patrem suum Regem, & Imperatorem Dominum. Ille quidem abhorrendo simoniam in patre patrem oppressit (4). In tempore hujus oppositionis egregia stella, quæ dicebatur Cometa (5) per plures dies, & noctes in tempore veris à Septentrione, & quasi in Occidente latè, & splendidè nituit, & mortem oppressi Henrici præsignavit. Ego quoque in hoc regali, & sacerdotali turbine crescendo tribulationes (6) improperiorum, quæ fiebant (*) mihi propter timorem (7) sæpe dicti Presbyteri Avunculi mei, salvâ ejus reverentiâ ipsius convictum vitavi, & Anselmo de Pusterla (8), & Olrico Vicedomino Mediolanensi (9) adhæsi, quibus duobus domi & foris, ut manifestum est, utilis, & rectus fui. Cum Anselmo namque per annum, & dimidium Turoni, & Parisinis in scholis Magistri Alfredi, & Gulielmi (10) legi, & legendo, scribendo, multisque aliis modis Anselmo multam commoditatem dedi.

CAP. XIV.

Historicus præsens Presbyterum Liprandum à Valletellina Mediolanum reducit.

MEus verò sæpe dictus Avunculus infra hujus anni, & dimidii spatium homines, A qui non pro amore divinæ legis, & Ecclesiasticæ consuetudinis litigabant de sua lege, & Grossulani restitutione, dimisit, & eorum civitatem exivit, atque Valtellinam vallem (1) à Mediolano ultra septuaginta milliaria remotam habitavit. Tunc ego subtractus à studio (2) inveni Sancti Pauli Ecclesiam, & meam domum isto meo patrono quasi desertam. Assumto igitur equo Anselmi (3), & meo, unà cum fratre meo, ad ipsum meum patronum festinavi, & cùm processissem 25. milliariis, mihi Angelus occurrit, dicens: Presbyter Liprandus rediens à Valtellina infirmus jacet ad Monasterium de Clivate (4). Citiùs igitur quàm speràssem inveni illum in lecto B sedentem, & lac edentem: Qui cùm me *viderit* (*), ambas manus levavit, & gratias Deo dixit. Arialdus verò illius Monasterii Abbas, (5) postquam audivit me advenisse, & consolationem ipsi ægroto dedisse, me, meumque fratrem extra cameram vocavit, & per plura verba, se trepidare fidelitatem, quam juraverat Grossulano nobis notavit (6), atque nescientibus Monachis nos admonuit, ut ipsum deportaremus ægrotum à Monasterio saltem duobus milliaribus. Infirmus autem ut sensit me, meumque fratrem sollicitari super sua infirmitate, & portatione, ait: Nolite turbari, quia per gratiam Dei nunc mihi multum est melius, & in crastino, Deo annuente, ad civitatem iter habebimus: & manè facto derudatas (7) quasdam suas vestes induit, ac C cibum sumsit, & quasi sanus factus super mulam sedit. Puer quoque ejus habens suum asinum

(2) Ob memoratam superiùs læsionem manus ante ingressum in ignem, & pedis post transitum.

(3) Altera lectio MS. Ambros. Biblioth. habet conformiùs ad hujus textus sensum *dejicere*. Insurrexit autem hic Henricus contra patrem rebellis in Noricis partibus anno 1105. *consilio Theobaldi Marchionis, & Berengarii Comitis sub specie religionis, eo quòd pater ejus à Romanis Pontificibus excommunicatus esset*, ut scribit Otho Frisingen. lib. 7. cap. 8. Acta hujus belli prolixè narrat Chronographus Hildensheimen. & Urspergensis Abbas, ex quo Baronius. Tragœdiæ hujus specimen quoddam tum Mediolani vigens deplorat Landulphus, cùm divisus in partes Clerus non secus ac Populus fraternas veluti acies in se ipsum armaret.

(4) Henricus IV. Imperio à filio spoliatus miserabili exitu diem clausit Leodii mense Augusto anni 1106. ut Domnizo in vita Mathildis, & Ordericus Vitalis, aliique passim testantur.

(5) De hoc idem Ordericus lib. 5. pag. 589. ita loquitur. *Anno ab Incar. Dom. MCVI. in fine Februarii Cometa longissimum crinem emittens in Occiduis partibus apparuit* A prima Quadragesimæ hebdomada usque ad Passionem Domini perduravisse tradit Annalista Saxo apud Eccardum tom. 1. Scriptorum medii Ævi fol. 611.

(6) Seu potiùs *crescentibus tribulationibus*.

(*) A. 2. additum habet *& fiunt*.

(7) Lectio alterius è MSS. Bibl. Ambr. habet *livorem* quem videlicet pars Grossulano favens contra Liprandum conceperat.

(8) Hic fuit postmodum in Mediolanensem Archiepiscopum electus, sicut etiam Olricus proximè hic memoratus, ut suo loco videbimus.

(9) Nomen officii, ac dignitatis notissimum.

(10) Scilicet Campellensis, ita dicti à Campello oppido Briegii, ubi ortum habuit. Vir magni nominis fuit; Archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis in eadem publicè Dialecticam docuit: Inde ad Canonicorum Regularium Institutum transiit, ac demum Episcopus Cathalaunensis renunciatus est anno 1113. mortuus anno 1121. De eo plura Mabillon. Tom. V. Annal. Bened.

Pagius ad ann. 1121. Gallia Christiana in Epis. Cathalaun. aliique.

AD CAP. XIV. NOTÆ.

(1) A Tillio, Principe illius loci oppido, Vallis-Tellina dicitur. Historiam antiquam, & novam hujus celeberrimæ Vallis decem libris Italicè scriptis, editisque in Curiensi Rhætica urbe anno 1716. complexus est eruditissimus, atque amore mihi summè conjunctus Petrus Angelus Lavizarius.

(2) Cui Turoni, ac Parisiis vacaverat, ut proximè dictum est.

(3) Scilicet *de Pusterula* studiorum suorum in Galliis Collegæ.

(4) Antiquitatem summam hujus Monasterii ex Calcho discimus, qui ad ann. Christi 755. de postremo Langobardorum Rege Desiderio ad Italici Regni solium ob Aistulphi mortem evecto loquens, inter prima illius gesta hoc narrat. *Cœnobium Clivati in Incinati Præfectura in honorem S. Petri Apostoli condidit, & locupletissimum fecit.* Quid autem in causa fuerit, ut pium hoc opus Desiderius aggrederetur, describit Corius parte prima. Ait enim, Algisium filium, cùm ibidem venatorio jaculo aprum insequeretur, subita cœcitate perculsum fuisse, atque inde S. Petri Apostoli ope, ex patris voto ad eundem concepto, visui restitutum: Collocatas etiam eo in Templo SS. Petri, & Marcellini insignes reliquias, Adriani Papæ dono, ad ipsum transmissas, memorat.

(*) A. 1. *vidit*.

(5) Arialdum S. Dionysii Abbatem impensè Grossulano faviisse, atque in præmium studiosi officii, quod eidem ad sedem Archiepiscopalem promovendo præstiterat, pinguiori Abbatia donatum fuisse, cap. V. narravit Landulphus; quocirca hunc eundem esse Arialdum ibidem memoratum, facilè credere possumus.

(6) Idest *notam fecit*.

(7) Exemplar, quo usus est Puricellius, habet *ocrudatas*. Crediderim iis verbis nihil aliud significari, quàm vestes rudes, & asperas, quas ipse ad mundi contemtum, ac corporis macerationem, consueto sanctis viris more, adhibebat.

Digitized by Google

num oneratum pellibus ſtambucinis, (8) licèt de ſolito bis, aut ter in die torqueretur caduco morbo, tamen Presbytero ſedente ſuper mulam, puer idem vênit nobiſcum in una die uſque ad Sanctum Damianum de Baraza (9) abſque ullo illius infirmitatis impedimento (10). Ibi gratiâ Dei, & Beatiſſimi Ambroſii, cujus locus iſte cella eſt (11), *bis* (*) recepti pernoctavimus, atque alteram diem dimidiavimus, & ante ſolis occaſum Eccleſiam Sancti Pauli (12), domumque noſtram intravimus, atque familiam, quæ ibi aderat, noſtram lætam feçimus.

CAP. XV.

Landulphus Hiſtoricus ſe à Presbytero Liprando ſeparavit.

GRoſſulaniſtas, & in parte altera fictos, & doloſos murmurare de reditu noſtro valde perſenſimus. At ego, ut minùs, & minùs eorum murmura timerem, & ut meam, & ipſius mei magiſtri cauſam ampliùs excuſarem, & comprobarem, domum inter cognatos, & vicinos meos non ociosè emi, quia in ipſa vivendo, lector, ſcriba, puerorum eruditor, publicorum officiorum (1), & beneficiorum (2) particeps, & Conſulum (3) epiſtolarum dictator (4), ſalvâ meâ querelâ (5) in Eccleſiam, & in ipſa civitate Mediolani videor parvi; (6) namque filii eorum, qui propter Patariam Herlembaldum occiderunt, & Presbyterum Liprandum naſo, & auribus truncaverunt (7), me ab Eccleſia Sancti Pauli, quæ eſt titulus meorum Ordinum exturbant, & quia non ſperno libertatem, & piam converſationem, quæ in ipſo Presbytero fuit, factus ſum quaſi obproprium illis, & me prohibente poſſident, & vendunt res, quæ ſunt proprii mei juris. Verumtamen non ab opuſculi mei propoſito.

CAP. XVI.

Exulante Groſſulano Mediolanenſes bellum inchoant cum Laudenſibus.

IGitur circa tempus, quo Presbyter Liprandus à Valtellina rediit (1), pars Cleri, & Populi Laudenſis metuendo perjurium in Epiſcopo ſuo (2), qui pro Groſſulano in Synodo Romana juravit, ipſum quidem Epiſcopum ſuſpectum habuit. Hinc eſt etiam, quòd *Gairardus* (*) frater ejuſdem Epiſcopi Laudenſis, & ipſe Ardericus Epiſcopus dicuntur fuiſſe fautores, & coadjutores Laudenſium militum ſuam civitatem deſtructioni tradentium. Mediolanenſibus quippe manifeſtè conantibus ad ipſius civitatis deſtructionem, ipſi duo fratres ſpiritualiter, & temporaliter dederunt conſilium, & auxilium (3). Infinita autem ma-

(8) Corruptum forſitan hoc vocabulum eſt, cùm ignotum prorſus ſit ejus nominis animal. Exiſtimo caprinas pelles fuiſſe: In lege enim Salica tit. 5. Caper *Buccus* dicitur, ut in ſuo Gloſſario Lindembrogius adnotat. Fortaſſe etiam recenter detractæ erant, atque ideo ſuo ſtamine, ſeu pilis refertæ *ſtambucinæ* dictæ ſunt.

(9) In Diplomate infra enunciando Caroli Craſſi hæc leguntur, *& dono ſimiliter in Baraza Eccleſiam unam, quæ vocatur Sanctus Damianus cum omnibus ſuis pertinentiis &c.* Ex pluribus autem documentis ſervatis in Archivo Monaſterii S. Ambroſii Mediolani, cui hæc donata fuere, colligitur Pagum hunc non longè à Modoëtia poſitum fuiſſe

(10) Alterum hoc argumentum eſt ſanctitatis Liprandi, quam Deus miraculis teſtatam ſæpiùs fecit, ut adnotavit Puricellius in vita Sancti Arialdi lib. 4. cap. 82.

(11) Hac voce Monachorum Cœnobium ſæculis poſterioribus indicari; & crebrò etiam pro *Monaſteriolis*, quæ olim *Abbatiolæ*, ſeu *Obedientiæ* vocabantur, eandem uſurpari apud auctores Du-Changius refert: Cujus autem Ordinis Monachorum domicilium foret hæc Cella, intelligere poſſumus ex prædictis documentis Monaſterii S. Ambroſii Majoris Mediolani, in quibus locus iſte ſub illius ditione fuiſſe dicitur uſq; ab anno 881. quo datum eſt Diploma Caroli Craſſi apud Puricell. in mon. Baſ. Amb. num. 131. Quocirca Monachi, ſi qui ibidem tunc erant, ejuſdem Inſtituti Cluniacenſis credendi ſunt.

(*) A. 1. & 2. *bene*.

(12) Scilicet in Compito Mediolani.

AD CAP. XV. NOTÆ.

(1) Hæc erant fortaſſe annualia *Communia* appellata, ad quæ non ii tantùm de ſeptuagintaduobus, ſed reliquus etiam Clerus admittebatur, & ſinguli ab Erogatario diſtributiones ſuas percipiebant, ut legitur apud Puricell. in diſſert. Nazar. cap. 112.

(2) Quid nomine beneficii intelligi hîc debeat, ſupra monuimus cap. 2. num. 6. ubi ſtatutum ab Anſelmo Archiepiſcopo Hieroſolymas profecto narratur, ne de reditibus Archiepiſcopatûs daretur Sacerdotibus, Levitis, & Clericis *beneficium*, quod accipere conſueverant per celebrationes feſtorum.

(3) Nempe Mediolanenſium, à quibus tunc rectam fuiſſe urbem noſtram in ſpeciem Reipublicæ ex Othone Friſingenſi, Morena, & Sigonio conſtat.

(4) Amanuenſibus forſitan præerat, qui reſcripta & epiſtolas Conſulum ad urbis regimen pertinentes aut ſuis formulis conceptas exponerent, aut in publicas tabulas referrent.

(5) Neque enim jure ſuo ſe abdicaverat, quamvis Liprandi avunculi conſortium, ſuique tituli Eccleſiam deſeruiſſet.

(6) Ideſt *contemptui habeor*.

(7) Genealogicam eorum ſeriem, qui Herlembaldo & Liprando infenſi fuere, cap. 44. recenſet.

AD CAP. XVI. NOTÆ.

(1) Hinc facilè conjicimus, quo anno illuc profectus ſit Liprandus: Cùm enim Laudenſe bellum per quatuor annos actum fuiſſe à Landulpho dicatur, atque ex hiſtoriis conſtet menſe Junio anni MCXI. deſiiſſe, excisa funditus à Mediolanenſibus urbe illa, perſpicuum fit, aſſignandum eſſe illius in Vallem Tellinam iter anno 1106. ſi poſt moram unius anni aut etiam longiorem ibidem protractam, ut cap. 14. innuitur, rediiſſe debuit ſub initium indicti contra Laudenſes belli, quod certè nonniſi ad annum 1107. referri poteſt, ut etiam Sigonius lib. 10. de regn. Ital. ad eund. ann. narrat. Valde igitur erravit Puricellius, qui in Mon. Baſ. Ambr. num. 295. cenſuit, Liprandum in Vallem illam conceſſiſſe, poſtquam Henricus V. Mediolani à Groſſulano (quod etiam falſum eſt) ac poſtmodum Romæ à Paſchali II. coronam accepit: Id enim anno MCXI. contigit, ut infra videbimus. Errori locum dedit ſeptennium, quo poſt prolatam in Romana Synodo favorabilem Groſſulano ſententiam, cap. 12. tenuiſſe dicitur Liprandus ſuæ domus, & Eccleſiæ S. Pauli imperturbatam poſſeſſionem: nonniſi enim eo elapſo ſeſe ab hac urbe proripuiſſe illum putavit. At malè à Puricellio intellectum auctorem noſtrum, adnotavit etiam Pagius ad ann 1105. num. 7. Neque enim immotum illum Mediolani perſeveraſſe tradit Landulphus, ſed tantùm neminem toto eo tempore obſtitiſſe, quin ad officii ſui munera exercenda tamquam idoneus ſacerdos accederet.

(2) Nempè Arderico. (*) A. 1. *Gajardus*.

(3) Proditione civium ſuorum captam, deletamque urbem Laudæ fuiſſe ſcribit Joannes Moſtus, ſeu Cadamoſtus in Chron. Lauden. MS. in Bibl. Ambr. ſervato: Alios tamen auctores commiſſi hujus in patriam ſceleris nominat.

Digitized by Google

mala, quæ operata sunt per quatuor annos in ipsa guerra non enumero (4), sed mortem Anselmi germani mei, & aliorum multorum propinquorum meorum, & civium per illam guerram manifestatam lugeo, nec tamen cœptum iter penitùs desero. Quia dum civitas illa Laudensis adhuc staret, & resisteret Mediolanensibus conantibus eam destruere (5), Grossulanus à Mediolano exulabat (6), & Laudensis ille Ardericus suam civitatem perrarum intrabat, sed Mediolanum frequentabat. Presbyter verò Liprandus in sua domo, suaque Sancti Pauli Ecclesia consolationem Regni, & Ecclesiæ devotè expectabat.

CAP. XVII.

Olricus, & Anselmus revocati à Studio ad Ordines sunt promoti.

AT quidam, qui dicebantur amici Presbytero expectanti, & Grossulano exulanti, dum hæc præfata guerra agebatur inter Mediolanenses, & Laudenses, Papienses quoque, & Cremonenses Laudensem civitatem defendentes, suggesserunt Olrico Mediolanensi Vicedomino, & Anselmo de Pusterla cognominato ire ad præcipuum Magistrum Anselmum de Monte Leoduni (1), quibus duobus fuit gratum secum ducere me Landulphum Presbyteri Liprandi Alumpnum. Et cùm (2) apud ipsum Magistrum, & fratrem ejus Rodulphum studeremus, nunciatum est *illic* (*), quòd Grossulanus Aronam (3) Arcem munitissimam Archiepiscopatus possidet. Quo audito Vice-dominus valdè infremuit, quia propter ejus absentiam dicebant, quòd hîc secundus (4) casus Grossulano contigerit. Et ideo, prout dicitur, Mediolanum redire *festinaverunt* (*), ipsamque arcem, & cætera ad Archiepiscopatum pertinentia, à jure & potestate Grossulani vacuam invênit. Et ii, qui in utraque (5) dicebantur amici, quorum hortatu ipse adivit Leodunum, in isto reditu, nescio quo spiritu, ipsum juvenem, & infra ordinem (6) Vice-dominum elegerunt in Archipresbyterum, & facta ista electione, ipsi, qui magis erant in parte Grossulani, præbuerunt Grossulano consilium, ut huic electioni nec laudem, nec vituperationem præstaret; sed Hierosolymam peteret, & Ardericum Laudensem Episcopum in Ecclesia Mediolani sui Vicarium faceret. In hac manifesta dispositione (7), & alia non pluribus cognita (8) Grossulanus Hierosolymitanum iter intravit (9). Electus autem iste Vice-dominus secutus consilium Arderici de Carimate, qui præcipuè elegit eum in Archipresbyterum in mense

AD CAP. XVII. NOTÆ.

(1) Celebre in historiis hujus Anselmi nomen est. Laudunensis enim Decanus Lutetiæ & Lauduni per XL. & ampliùs annos Theologiam publicè docuit; scriptis etiam, & egregiis discipulis clarus obiit anno 1117. ut contendit Pagius, apud quem plura vide in ejus laudem Scriptorum testimonia.

(2) De his Germanis Fratribus Laudunensibus Magistris mentio est apud Othonem Frising. de Gestis Frider. I. Imperat. lib. 1. cap. 50.

(*) A. 1. & 2. *illis*.

(3) De arce hac ad Verbani lacus oram imminente, aliisque pluribus oppidis, ac pagis, quæ ampliſſimum Mediolanensis Archiepiscopatus patrimonium olim constituebant, nonnulla ego protuli in append. ad Vindicias SS. Corporum Protas. & Gervas. num. 28. & seqq.

(4) ideſt *favorabilis*.

(*) A. 2. *festinavit*,

(5) intellige *parte*.

(4) Tristanus Calchus referens ad ann. MOXI. extremam calamitatem Laudensis urbis implacabili Mediolanensium ira ad solum dejectæ, fatetur, se jejunum Lectorem dimittere, qui fortasse de hac eversione uberiorem narrationem desideraſſet: Id tamen factum ait, quòd plura, etiam diligentiùs, persequenti ad manus non venerint. Posterioribus sæculis historicas illius urbis memorias collegere Defendens à Laude, & Jo. Bap. Villanova, apud quos fusè descripta invenies tum belli hujus occasionem, tùm reliquam rerum seriem, quæ his temporibus accidêre.

(5) Anno 1109. pulsis à Brixiæ obsidione Cremonensibus, ac eorundem sociis Laudensibus, Brixianos iratos, ulciscendæ injuriæ causâ, Laudem unâ cum Mediolanensibus accessisse, atque imparatam civitatem adortos levi momento in potestatem suam adduxisse, scribunt Antonius Campius Hist. Cremon. lib. 1. & Sigonius ad hunc ann. Irrito tamen conatu id tentatum iidem asserunt: Cremonenses enim admoniti de Laudensis urbis jactura, adauctis copiis continuò advolarunt, eamque receptam sociis reddidere. Ad hunc igitur annum, quæ Landulphus hìc, & cap. seq. narrat, referenda videntur.

(6) Prohibitus videlicet Archiepiscopalem sedem conscendere ab adversa Cleri & Civium factione, quam perpetuò sibi obsistentem Grossulanus persensit, ut in fine cap. 12. Landulphus retulit.

(6) Nondum enim ullo ordine initiatus erat, seu in ordinem Canonicorũ Metropolitanæ adlectus.

(7) In exemplari, quo Puricellius usus est, legitur *depositione*: unde Pagius ad ann. 1110. num. 2. hanc Grossulani peregrinationem pro abdicatione habitam fuisse putavit, ita ut scilicet ob profectionem, quam in terram sanctam susceperat Grossulanus, Archiepiscopalem infulam quasi abdicaverit, atque dimiserit: verùm cùm etiam in duobus MSS. Codicibus in Bibl. Ambr. servatis expressè legatur *dispositione*, lectionem hanc tenendam crediderim: Ex hoc autem textu nil aliud innui videtur, quàm quòd Grossulanus attento consilio sibi dato Hierosolymam petendi, se ad illud iter manifestè dispositum seu paratum ostenderit.

(8) Conjectari posset hoc loco, causam non pluribus cognitam, cur in Orientem proficisceretur Grossulanus, fuisse legationem ad Alexium Comnenum Constantinopoli imperantem, quam eidem commisisse Paschalem II. refert Baronius ad ann. 1116. & Ripamontius sub initium Decad. II. hist. Eccl. Mediolanen. Certè illum contra Græcos de Spiritus Sancti processione malè sentientes coram eodem Alexio disputasse, indubium est; Ejus siquidem orationem apud prædictum Imperatorem habitam, atque à Græco in latinum sermonem translatam, in suos Annales intulit Baronius præcitatus: Sed an verè à Paschali illuc missus fuerit, an capta solummodo occasione Hierosolymitani sui itineris proprio Marte contra Græcos disseruerit, incertum omnino videtur; cùm nullum extet hujusmodi legationis securum fundamentum in antiquis historiis, & Landulphus noster hoc unum expressè asserat, suasione amicorum Hierosolymam transmeasse Grossulanum, quemadmodum etiam Puricellius advertit in Mon. Bas. Ambr. num. 326. *Planè commentitiam* Legationem hanc vocat Pagius ad ann. 1116. num. 5.

(9) Puricellius minimè sibi constans, peregrinationem hanc, quam in cit. Monum. num. 308. anno 1109. assignaverat, libro IV. vitæ S. Arialdi cap. 90. ad ann. 1111. produxit: Neutrum autem verum esse Pagius ostendit, eandem probans affigi debere anno 1110. *Statim enim post Grossulani discessum initum mense Aprili, Olricus, & quatuor Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici in IV. temporibus Pentecostes Sacros Ordines Mediolani* (potiùs *Januæ*) *accepere, quæ eo anno contigere ineunte Junio, ut inquit Landulphus cit.*

Digitized by Google

se Aprili, quo electus fuit, Canonicam (10) ædificare cœpit, atque in subsequenti Junio ad Arialdum Episcopum Januensem cum quibusdam suis confratribus clericis ordinariis ivit. Et Episcopus ille, licèt foret Grossulano contrarius (11), tamen per repræsentationem Arderici de Carimate, qui primus, & maximus Diaconus (12) tenebatur in parte Grossulani, ordinavit ipsum Vice-dominum, Ostiarium, Lectorem, & Exorcistam, atque Acolytum. Widonem Fulcumanium fecit Subdiaconum, Anselmum de Pusterla, atque Henricum de Birago Levitam, Landulphum Caroniam fecit Presbyterum. Qui quinque Ordinarii in Junio (13) apud Januam ordinati planè videbantur infesti Grossulano, in quo facto Mediolanenses, qui lætabantur, etiam in majori gaudio gavisi sunt, quia in ipso mense susceperunt triumphum de Cremonensibus victis (14), & superatis apud Brixanorii campum (15).

CAP. XVIII.

Henricus Imperator Paschalem Papam cum Curia captivavit, & altera die pace facta, est ab eo solemniter coronatus.

COgnito hoc triumpho per Regna, Rex fortissimus Henricus cum ingenti exercitu (1) vênit in Italiam (2), atque Romæ in Ecclesia Sancti Petri discalciatus stetit (3) antè Paschalem Papam expectans coronam Imperandi, (4) quemadmodum promissum fuerat sibi (5), sed quia ipsam coronam sibi dare distulit (6) ipse Papa, ipsius Regis iram sensit, &

(10) Idest Canonicales ædes, fortasse Metropolitanæ Ecclesiæ, cujus ipse erat Archipresbyter electus. Alterum insigne pietatis monumentum reliquit Olricus, Beroldo teste, quod hîc silentio præterire piaculum ducerem. Cùm enim S. Abbas Odilo, superiore sæculo, in Cœnobia Cluniacensis sui Instituti ritum laudabilem primò induxisset, ut *Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum* statuta die celebraretur, eundem Olricus ad Ambrosianam Ecclesiam transtulit, affixitque secundæ feriæ post tertiam Octobris Dominicam, constituto annuo censu, ex quo Clerus universus, & ipse etiam Archiepiscopus præsens divinis Officiis emolumenta perciperet. Perduravit autem pia hæc consuetudo apud nos, etiam postquam Romana Ecclesia ritum hunc amplexa persolvendis communibus suffragiis erga detentas purgatorio igne animas, secundam Novembris diem solemnem voluit. Bis enim in liturgicis libris Ambrosiani ritus usque ad annum 1560. adnotata legitur hæc funebrium precum celebritas, die videlicet ab Olrico jam indicta, ac altera universim recepta.

(11) Hinc patet falsum esse, quod tradit Ughellus in Epis. Januen. num. 23. Aitaldum hunc seu Aycardum fuisse Mediolanensis Ecclesiæ Vicarium, cùm Landulphus noster apertè asserat, eundem Grossulano contrarium, & superiùs constet, Ardericum Laudensem ab eodem, cùm Mediolano discederet, sibi Vicarium constitutum.

(12) Idest Archidiaconus.

(13) Nempe die IV. ejusdem mensis, in quam eo anno 1110. Sabbatum IV. Temporum incidebat.

(14) Cladem hanc Cremonensibus inflictam à Mediolanensibus copiis in annum MCXI. refert Cavitellius in annal. Cremon. Falsum tamen id esse ex Landulpho nostro evincitur, cùm fusum Cremonensium exercitum dicat, antequam in Italiam properaret Henricus: Huc autem ille advênit præcedenti anno 1110. ut cap. seq. videbimus. Congruentiùs ad historicam veritatem scribit Sigonius ante adventum Henrici, profligatis acie civibus, Cremonam à Mediolanensibus captam, ac fœdo incendio penè deletam; præmaturè tamen nimis id narrat, ac si anno 1109. accidisset. Hoc certi ex auctore nostro eruitur, eodem Junio mense, quo memorati quinque Ordinarii Genuæ sacros Ordines suscepere, victos quoque Cremonenses fuisse, statimque subsecutam Henrici in Italiam protectionem; quæ omnia nonnisi sub anno 1110. collocari ex superiùs dictis, ac infra dicendis patet.

(15) Idest *Brixana* Italicè *Brezana*, qui pagus est ad Onginæ fl. oram positus propè castrum Bussetum, ut in tabula Topographica Cremonensis ditionis ab Antonio Campio confecta videri potest.

AD CAP. XVIII. NOTÆ.

(1) Triginta millia equitum electorum, exceptis his, qui ex Italia ad eum confluxerant, habuisse suis in castris juxta Padum positis Henricum, tradit Otho Frisingen. in Chron. lib. 7. cap. 14.

(2) Anno scilicet 1110. in ortu Autumni, ut scribit Domnizo in vita Mathildis. Circa medium mensis Augusti venisse in Italiam Henricum, testatur Chronographus Hildensheimen. à Pagio relatus, qui etiam tradit, ab eodem celebratum fuisse hoc anno Natalem Domini apud Florentiam. Extat penes Puricellium in Mon. Bas. Ambr. num. 311. diploma hujus Henrici datum Vercellis, 4. idus Octobris anni 1110.

(3) Ad Urbem pervênit III. idus Februarii, sabbato ante quinquagesimam, teste Petr. Diac. in Chron. Casinen. lib. 4. cap. 38., ficque anno MCXI.

(4) Regiam Italici Imperii coronam priùs Mediolani ab Henrico susceptam per Chrysolaum (veriùs Grossulanum) Archiepiscopum, impigrè affirmat Sigonius addit etiam Modoëtiæ: Galvaneus verò Flamma in Chron. Maj. cap. 251. insuper tradit comitem itineris sese junxisse Henrico Antistitem illum, ac Romæ in Cæsarem coronandum, Summo Pontificii præsentasse. Hos omnes manifesti erroris arguit Landulphus noster, qui Grossulanum jam longè ab urbe ista positum eo tempore scribit, utpote paulò ante Hierosolymam profectum; Unde nonnisi biennio post Mediolanum rediit, ut Puricellius etiam optimè advertit loc. cit. num. 310. Deteriori anachronismo peccat auctor *Manipuli Florum* MS. cap. 162. & Catalogus inscriptus *Successores S. Barnabæ*, in quibus legitur coronatio hæc Mediolani habita à Jordano Clivio Archiepiscopo, quem constat anno tantùm XII. illius sæculi in Archipræsulem Mediolanensem fuisse electum, ut cap. 21. ostendemus. Puricellius in dubio collati hujus regii honoris Henrico fluctuans, in eam tandem videtur inclinare sententiam, ut à Monasterii Basilicæ S. Ambrosii Abbate Italici regni diademate fuerit redimitus. Ego tamen asserere constanter non dubitaverim. Henricum illum Mediolani minimè coronâtum; Vix enim credi potest, rem hanc, quæ sacræ pompæ strepitu, ac celebritate non caret, à nullo ex tot auctoribus, qui eorum temporum gesta scripsere, literis consignatam, ac ne quidem à Landulpho nostro in hac urbe tunc degente, si revera accidisset; eoque validiùs in hoc proposito obfirmor, quòd videam prædecessoris Henrici, ac successoris Conradi Modoëtiensem simul ac Mediolanensem coronationes ab Archiepiscopis nostris peractas, minutim quoque, ut infra videbimus, ab hoc auctore narrari.

(5) Ea tamen lege per Legatos utrinque missos sancita, ut liberas Ecclesias dimitteret, atque ab omni earundem laica investitura imposterum abstineret, salvo regalium jure, quemadmodum Urspergensis ad ann. MCXI., & Petrus Diac. cap. 35. testantur.

(6) Causam hujus dilationis legimus apud Helmold. cap. 39. his verbis expressam. „ Ubi autem „ ventum est ad consecrationem, exegit ab eo „ Dominus Papa juramenta, quatenus in Catholicæ fidei observantia integer, in Apostolicæ Sedis reverentia promptus, in Ecclesiarum defensione solicitus existeret, sed Rex „ su-

& ſe, ſuoſque Cardinales, quomodo non poſcebat, ſive nolebat duci vidit. (7) Hìc ſtrages multa crevit. Romanorum namque turba, ut ſuum Papam, ſuoſque Cardinales liberaret, armata cucurrit, & Papa cum Cardinalibus in cuſtodia Theutonicorum (8) (*) *datis*, Rex diſcalciatus in atrium Eccleſiæ Sancti Petri vênit, ibique equum ferociſſimum aſcendit, & ut erat nudis pedibus in ipſo impetu ibi equitando, ipſos marmoreos Eccleſiæ Sancti Petri gradus deſcendit, & prout ad aures meas pervênit, cum lancea una quinque de Romanis occîdit (9). Otho autem Mediolanenſis Vicecomes (10) cum multis pugnatoribus ejuſdem Regis in ipſa ſtrage corruit in mortem amariſſimam (11) hominibus diligentibus civitatem Mediolanenſem, & Eccleſiam, ſed Regia (*) *facultas*, & multa Religioſorum Principum prudentia ita placidè, & benignè hanc perturbationem placavit (12), quòd altera die (13) in loco ſancto, ſcilicet in Eccleſia Sancti Petri, idem Paſchalis Papa Secundus cum Cardinalibus, & Epiſcopis, cæteriſque viris in religionem habitis ipſum Regem Henricum ſolemniter coronavit, & in Imperatorem exaltavit, & cum ipſo exaltato, & benedicto Corpus, & Sanguinem Chriſti ad Altare Sancti Petri communicavit. Demum idem Imperator in Germaniam feſtinavit (14), ubi vix requiem ullam habuit, quia cùm in Promontorio, quod ſecùs Guarmatiam (15) continet Abbatiam (16) ipſe Imperator torqueretur acutiſſimis febribus, Guarmatini, qui magìs de morte, quàm de ejus vita ſperabant, ut regalia ſibi vindicarent, armati exierunt, & conclamando ad ipſum montem appropinquaverunt. Quod cùm ipſe quaſi moriens perſenſit, ſub tenore juratæ fidelitatis, circumſtantibus ſibi miniſtris præcepit, ut ſe à lecto erigerent, & levarent, atque in-

„ ſuperbus jurare noluit, dicens, Imperatorem „ nemini jurare debere, cui juramentorum ſa„ cramenta ab omnibus ſint exhibenda. Facta „ eſt ergo contentio inter Dominum Papam, „ & Regem, & interceptum eſt opus conſe„ crationis. Alteram hujus dilationis cauſam aſſignat Ordericus Vitalis ſub initium libri X. inquiens, ideo Imperatorem ira commotum, quòd Paſchalis antequam ſolemne ſacrum faceret, juſſiſſet ab Eccleſia expelli quatuor Optimates Auguſti, quos ipſe nominatim Anathematis pœna damnaverat. De hoc tamen Card. Aragonius in vita Paſchalis Tom. III. hujus collectionis edita omnino ſilet.

(7) Captum fuiſſe ab Henrico Paſchalem Summum Pontificem *cum Epiſcopis, & Cardinalibus, cæteriſque ordinibus, & cum Proceribus quamplurimis II. Idus Februarii*, eo ipſo die Dominico, quo legebatur Evangelium: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas, de Filio Hominis, quoniam tradetur gentibus &c.* ſcribit Pandulphus in vita Paſchalis II. edita Tom. III. hujus Collectionis, quem vide.

(8) Commiſſum fuiſſe Ulrico Aquilejenſi Patriarchæ ut in cuſtodia detineretur, tradit Otho Friſing. loco ſupradicto.

(*) A. 1. & 2. *dans*.

(9) De hoc etiam fidem facit præcit. Friſing. Reliqua hujus tragicæ Hiſtoriæ acta prolixè Baronius ad hunc ann. deſcribit.

(10) Vocabulum hoc eſſe officii, non cognomentum familiæ, ſatìs dilucidè oſtendit interpoſitum illud verbum *Mediolanenſis*: quæ autem dignitas in urbe noſtra hæc foret, Beroldus pluries adductus, eorum temporum Scriptor enunciat; In opuſculo enim, cui titulus *Ordo Mediolanenſis Eccleſiæ*, deſcribens ordinem ſupplicationum, quæ celebrioribus Sanctorum natalitiis diebus, ac Dominicis Solemnitatibus per urbem habebantur, ait: extremum agmen claudere debuiſſe Vicecomitem, cui Ferula muneris inſigne præferebatur, quique poſtmodum ſubſequenti Archiepiſcopo viam parabat, ſervorum caterva ſtipatus *cum flagellis ligneis, & ſciſſis*. Prælato gladio incedere ſolitum hunc Vicecomitem Archiepiſcopi vices gerentem, atque omnia cum Conſulibus negotia pertractantem, tradit etiam Sigonius de Regn. Ital. ad ann. 973.

(11) Eam luculentiùs ex Actis Vatic., & Petro Diac. deſcribit ad hunc ann. Baronius his verbis: „ Poſtera die egreſſi Urbem (Romani) „ conſertâ pugnâ plurimos de Imperatoris exer„ citu obtruncant, & eorum captis ſpoliis ad„ versùs Theutones acriorem ineunt pugnam, „ adeò ut fortiùs eos penè propellerent, ipſum„ que Imperatorem equo dejicerent, atque in „ faciem vulnerarent. Hoc ubi Otho Mediola„ nenſis Comes (Vicecomes) aſpexit, pro Im„ peratore ſe objiciens morti, equum illi ſuum, „ ut evaderet, tradidit, qui, nec mora, à Ro„ manis capitur, atque in Urbem inductus, „ minutatim conciſus eſt, & carnes ejus in„ platea canibus devorandæ relictæ ſunt: Hinc autem refellas Corium, qui ad ann. 1065. refert, hunc Othonem cùm in Germaniam pergeret, improviſa morte ſublatum.

(*) A. 1. *facilitas*.

(12) Sexaginta & unum diem detentum in vinculis Paſchalem, ſcribit Baronius; pauciorem tamen numerum hunc dierum fuiſſe Pagius tradit, ut in ſubſequenti adnotatione dicetur. Interim ex Othone Friſingen. diſcere poſſumus, quomodo hæc perturbatio ſedata ſit; „ Ait enim: per aliquod temporis ſacrilego auſu „ tento Summo Pontifice, conventione facta „ Rex à civibus revocatur, & per conditionem „ dimiſſo Summo Pontifice, ac extorto ab eo „ per vim de inveſtitura Epiſcoporum privilegio, „ in Urbem ingreditur. Tunc quaſi pœnitentia „ ductus, cives, ac Pontificem muneribus con„ ciliat, ab eoque coronatus, favore omnium, „ Imperatoris, & Auguſti nomen ſortitur. Juramentum Cardinalium nomine Paſchalis Papæ, ſicuti etiam illud Henrici in hac conventione editum, lege apud Card. Aragon. in ejuſdem vita Tom. III. noſtræ Collectionis.

(13) Fuiſſe hanc decimam tertiam Aprilis, cenſuit Baronius: Verùm cùm auctores à Pagio relati aſſerant, Henricum Imperiali Corona inſignitum, octavo poſt Paſcha die, Dominica in Albis nuncupato, retrahenda videtur ſolemnis hæc inauguratio ad V. Idus Aprilis, in quem Dominicus ille dies anno MCXI. incidebat: adeòque etiam minuendum tempus captivitati Paſchalis à Baronio aſſignatum à diebus LXI. ad LVI. ut pluribus conatur oſtendere Pagius ad hunc ann. Card. tamen Aragonius *actum* id ait *Idibus Aprilis, quintâ feriâ poſt Octavas Paſchæ Indict. IV.* ſubjungitque ex auctore certè ſynchrono: *Hæc ſicut paſſi ſumus & oculis noſtris vidimus, & auribus noſtris audivimus, mera veritate conſcripſimus*. Vide Tomum tertium ſupracit.

(14) Tempus hujus reditus Henrici in Germaniam deſignat Sigonius, inquiens: illum ingreſſum fuiſſe Parmam, ac inde expleto triduo Bibianelli cum Mathilde, in Germaniam abiiſſe. Celebratam ab Henrico Veronæ Pentecoſtem, quæ hoc anno XXI. Maji contigit, teſtatur Annaliſta Saxo apud Eccard. loco cit. col. 627.

(15) VVormatiam, quæ urbs eſt vetuſtiſſima in Palatinatu ad Rhenum poſita.

(16) Conditum fuiſſe Cœnobium Monialium Ord. S. Bened. à Ludovico Pio in ſuburbiis VVormatiæ refert Mabillon. in Annal. Bened. ſub ann. 838. Addit Bucelinus part. 2. German. ſacr. fol. mihi 58. inchoatum fuiſſe in monte urbi proximo VVallenbergio, poſtea ad urbem translatum, ac Ciſtercienſibus datum. Inter Antiſtitas illius loci ſupra cæteras effulſiſſe D. Mectildem S. Burchardi VVormatienſium Pontificis, anno 1025. defuncti, germanam ſororem, ingenio, & meritis plurimùm celebratam, tradit idem auctor. Hæc igitur proculdubio eſt Abbatia, de qua loquitur auctor noſter.

Digitized by Google

induerent, & ſuper equum ponerent, atque armarent. His peractis ſudor ab ipſo, ceu aqua de fonte exivit, & ſtipatus à paucis, Guarmatinis obviam fuit, atque in primo congreſſu Guarmatinorum Vexilliferum in mortem projecit, ipſamque civitatem in ore gladii, & combuſtione ignis delevit. Illam tantùm turbam ejuſdem civitatis, quæ ad Eccleſiam Sancti tunc conſurgit (17), illæſam ſervari præcepit. Mediolanenſes quoque cùm iſte Imperator per Veronam à Roma in Germaniam properabat, gladiis, & incendiis, diverſiſque inſtrumentis funditus deſtruxerunt Laudem in Longobardia civitatem alteram. (18)

CAP. XIX.

Jordanus de Clivi à ſtudio revocatus eſt in Sacerdotio conſecratus.

URbs itaque Mediolanum cùm jam eſſet ſecura de victis ſuis inimicis, placuit Arderico de Carimate, & Vicedomino, & quibuſdam aliis Ordinariis valde ſtudioſis revocare Jordanum de Clivi (1) à Provincia, quæ dicitur Sancti Ægidii (2), in qua ipſe Jordanus legebat lectionem Auctorum non Divinorum, ſed Paganorum (3). Et, ut verum de eo dicam, pſalterio, & tympano, & cæteris benè ſonantibus in Eccleſia inſtrumentis commune in Choro Mediolani ita *pepercit*, & neque pſalmum, neque canticum muſicæ arti idoneum, nec ſingulariter, ſive communiter congruè ſonuit (4). Verumtamen blanda facies ejus ſpeciei adeò Groſſulano placuit, quòd ordinavit eum Subdiaconum, cùm ipſe Groſſulanus videbatur pacificè tenere Archiepiſcopatum (5). Demum Jordanus idem adeò ſtuduit in libro Epiſtolarum Pauli, quòd Paginus (6) lector fuit ejuſdem libri. Hunc quoque Ardericus prædictus (7) de Carimate in menſe Septembri (8), qui fuit quartus à Junio, quò civitas Laudæ deſtructa fuit, jam dicto Januenſi Epiſcopo (9) repræſentavit, & ipſe Epiſcopus ipſum Jordanum, & plures alios de Mediolanenſibus in Sacerdotes benedixit. Sciendum quoque eſt, quòd hic rudis (10) Jordanus Sacerdos reverſus Mediolanum à Gualdo miræ calliditatis (11) Presbytero diſcere ſtuduit qualiter Sacerdoti ſit ſacrificandum, & cum iſte (12) iſta, & alia ad Sacerdotis officium pertinentia diſceret.

CAP. XX.

Eliguntur aliqui Sacerdotes, qui debeant judicare, an Groſſulanus abſens dignè poſſit eſſe Archiepiſcopus.

OCtobri verò menſe, ſequenti flumina per continuam pluviam in tantum creverunt, quòd non ſolùm Villas, ſed ipſam Civitatem in mirum modum perturbarent. Quidam etiam ſibi, & mundo finem timuerunt, (1) quia homo imperabat (2), qui patrem ſuum oppreſſerat. Sed Guazo Cuminus unà cum Amizone de Sala, & aliis quampluribus, tam Clericis, quàm Laicis à Guazone, & Amizone inductis, tendentes ad alia cœperunt prædicare, & dicere diſcordiam de Groſſulano eſſe malitiam altero diluvio dignam; Ad quorum voces Joannes Maneri, & Petrus de Carate, qui erant primi, & maximi in parte Groſſulani pugnatores, & defenſores, & conſcii conſilii Guazonis, & Amizonis coram Populo reſponderunt, & illis dixerunt: Dicite quid vultis nobis fieri ex parte noſtra? Qui dixerunt: volumus, ut Ardericus de Carimate, qui Levita eſt Ordinarius, Presbyter Joannes Eccleſiæ Sancti Naboris Præpoſitus, Presbyter Nazarius Muricula, Presbyter Petrus de Sancto Carpophoro, Presbyter Lanterius de Sancto Prothaſio in Campo, Presbyter Albe-

(17) Legendum *confugit*.
(18) De Laude veteri anno MCXI. à Mediolanenſibus everſa, & duriſſimæ ſervitutis legibus ejuſdem populo indictis, lege Calchum ad hunc ann. & Sigonium, qui tamen ubi habet *Kal. Juliis* corrigendus eſt ex Auctore noſtro *Juniis*, ut cap. ſeq. videbimus.

AD CAP. XIX. NOTÆ.

(1) Vicus eſt in Inſubribus ſanè conſpicuus, qui in valle ad Lucanum excurrente lacum poſitus, ſibi ipſi nomen indidit in clivo conſtructus, à quo velut ſpecula, anterior poſteriorque vallis latè conſpicitur. De hoc Conſule Bonavent. Caſtillion. lib. de Gallor Inſubr. antiq. ſedib. qui eundem fusè deſcribit.
(2) Pars eſt Galliæ Narbonenſis, cujus Metropoli nomen dedit S. Ægidius in eadem degens. Galliam Gothicam olim appellatam, Gothis verò expulſis dictam fuiſſe Provinciam Sancti Ægidii, tradit Rob. de monte in ſupplem. Sigeberti ad ann. 1118.
(3) Fortaſſe Dialecticæ ſtudio tunc temporis in Gallia plurimùm florenti vacabat. Publicum ibidem lectorem eum fuiſſe cenſuit Puricellius in Mon. Baſ. Ambr. num. 314.
(4) Crediderim hìc allegoricè locutum auctorem noſtrum verbis ex pſal. 150. deſumptis, ut oſtenderet, eum adeò imperitum fuiſſe Ambroſiani cantus, aut vocis ita aſperæ & extra communem modulum vagantis, ut univerſam chori harmoniam confunderet, ſicuti indicare videtur corruptum illud verbum *pepercit*, cujus loco legendum arbitror *pervertit*.
(5) Contulerat enim eidem hunc ordinem, antequàm peregrinationem in Orientem ſuſciperet, & fortaſſe eo tempore, quo Aronæ arce occupata, abſente Vicedomino, videbatur pacificè ſuis juribus frui.
(6) Vox barbara, & gloſſariis incognita. Congruenter ad ſuperiùs dicta exiſtimo, velle hìc Landulphum exprimere, quòd cùm rudis atque indocilis ad Eccleſiaſticum cantum foret Jordanus, pertinaci adeò labore ſtuduerit rectè addiſcendis epiſtolis S. Pauli (quarum lectio frequentiùs in miſſis occurrit, eaque ad Subdiaconum ſpectat, cùm ſacra ſolemniter peraguntur) ut officio ſuo in hac re congruè ſatisfaceret, ſacras paginas publicè in Eccleſia legendo.
(7) Scilicet Archidiaconus Metropolitanæ Eccleſiæ.
(8) Die videlicet XXIII. ejuſdem menſis, in quem hoc anno MCXI. Sabbathum IV. Temporum incidebat.
(9) Arialdo nempe.
(10) In iis videlicet, quæ ad Eccleſiaſticum miniſterium pertinebant, ut ſtatim Landulphus explicat: unde confirmari, quæ ſuperiùs conjectavimus, puto.
(11) Cùm latini ſermonis valde ignarus ſit auctor iſte, ſaniori modo vocem hanc interpretandam arbitror, ut nempe à verbo *calleo* deducta ſit, laudemque potiùs ſummæ peritiæ, quàm malitiæ probrum Gualdo Presbytero affigat.
(12) Legendum *iſto*, ut ſenſus aliquis mutilæ huic periodo conſtet.

AD CAP. XX. NOTÆ.

(1) Periculoſam hyemem pluviis & nivibus ſupra modum gravem tunc fuiſſe teſtatur Ordericus Vitalis ſub initium lib. X. Calamitates verò, quæ Henrico in Germaniam reverſo accidêre, Deo veluti in vindictam armato, refert Sigebertus ad ann. 1113. quo etiam hiſtoriæ ac vitæ ſuæ finem impoſuit.
(2) Nempe Henricus V.

Digitized by Google

bericus de Sancto Dalmatio, Presbyter Anricus de Sancto Victore ad Theatrum, Presbyter Ambrosius de Sancto Joanne ad Concham, Presbyter quoque Galdo de Sancto Michele, quos omnes scitis esse defensores Grossulani. Et ex altera parte volumus, quòd Vicedominus, Anselmus de Pusterla, Anselmus de Badagio, Presbyter Richelmus Præpositus Ecclesiæ Sancti Nazarii, Presbyter Girardus Præpositus Canonicæ Ecclesiæ Sancti Ambrosii, *Rolucus* (*) quoque Præpositus Ecclesiæ Sancti Stephani, Presbyter Arialdus Amerii, Presbyter Lanfrancus Propheta . . . . . , & nos duo, videlicet Guazo, & Amizo cum illis jurabimus: quòd usque ad istas Calendas proximi Januarii concorditer dabimus justam, & rectam sententiam secundùm Canones de discordia Grossulani, si possit esse Archiepiscopus Mediolani, sive non; & si non poterit esse, de alia persona concorditer faciemus catholicam electionem in eadem die. Volumus etiam, ut Landulphus Carogna, qui est Presbyter Ordinarius, & Anricus de Birago, qui est Levita Ordinarius, Presbyter Joannes Actilens, Presbyter Olricus de Sancto Martino, Joannes etiam Manerius, Guazo Tastaguadum, & alii Clerici, & Sacerdotes, milites, & cives, quos nos vocabimus, veniant, & jurent tenere sententiam, quam nos decem & octo dabimus sinè discordia, & schismate de Grossulano tenendo, sive dimittendo, sive de alia persona, quam nos concorditer eligemus. Guazone, & Amizone poscentibus, ita pro posse meo restiti, & populo præsente illis dixi: Abraham, nec aliquis fidelis homo veteris Testamenti, vel novi tale consilium dedit, nec suscepit. Verumtamen & hoc procedens (3) Sacramentum, & hoc sequens sicut à Guazone Cumino, & Amizone de la Sala exposita, & expetita sunt, sicut à prænominatis Clericis, & Laicis, & Landulpho Carogna, & Jordano de Clivi Presbyteris Ordinariis, aliisque Presbyteris, & Clericis, militibus etiam & civibus jurata sunt, me humiliter seorsum existente. Sciendum quippe est, quòd Ardericus Laudensis Episcopus licentiam jurandi ista dedit (4), & Ardericus de Carimate primitus licentiam istam suscepit, & juravit, & primatum, & potestatem super hoc negotium sibi judicavit. Quia post multam pertractationem de Grossulano dimittendo, vel tenendo, atque de Jordano eligendo, vel non eligendo, demum dixit omnibus in isto conjurio sibi conjuratis: Proculdubio scitote: non dimittam Grossulanum, nisi habuero potestatem eligendi Jordanum, & propter hæc hujusmodi Arderici verba corda illorum, qui Grossulanum, & Jordani electionem spernebant, facta sunt quasi lapidea, & voluntati Arderici conligata.

CAP. XXI.

Jordanus de Clivi in Archiepiscopum eligitur, & consecratur.

SEd cùm in ultimo die Decembris Ardericus ille, & decem septem alii essent in concordia eligendi Jordanum, ego jussu Andreæ Primicerii, Presbyterorum, & Clericorum Decumanorum (1) Mediolanensium ad eos vèni, & ut ipse Primicerius mihi præcepit, eis dixi: Quòd malè consiliati erant. Verumtamen ipsi consilium non mutaverunt, sed manè facto, videlicet Calendis Januarii, Ardericus idem cum Vicedomino, & cæteris sibi conjuratis in abjiciendo Grossulanum, vel in suscipiendo, aut in alium eligendo Archiepiscopum catholicè (2) pulpitum ascendit; & facto silentio in populo, coram illa mixta multitudine loquens dixit: Nos salvâ reverentiâ Papæ, secundùm auctoritatem, & justitiam Canonum dicimus, quòd Grossulanus non potest esse Archiepiscopus Mediolani. Isto dicto, & confirmato, illico Presbyterum Jordanum de Clivi elegit in Archiepiscopum (3). Hoc cùm Presbyter Liprandus audivit, ægrotus à lecto surrexit, & in altera die illi electo piscem obtulit dicens: Gratias Deo, quòd nunc mihi testimonium perhibetis, (4) sed ii, qui te elegerunt in Archiepiscopum malè fecerunt (5), & Deus illis misereatur, quia tu posses esse unus bonus Presbyter de Claustro. Nunc autem masculus esto (6). Cùm autem electus ille, nec aliquis de tot circumstantibus ipsi Presbytero respondisset, Presbyter ipse propinquiùs accessit, & osculatus Jordanum sicut unum de cæteris sacerdotibus relinquit. Landulphus (7) autem Episcopus Astensis, & Arialdus (8) Januensis & Mamardus Taurinensis (9) non solùm ad osculandum venerunt, sed quasi ut ordinarent eum Episcopum in sequenti mense Februario ad ipsum venerunt. Sed Astensis cùm vidisset Episcopum Aquensem (10), & Laudensem (11), & cæteros suffraganeos, & comprovinciales Episcopos huic ordinationi, & novitati abesse, in-

(*) A. 1. *Rubricus*.
(3) Melius *præcedens*.
(4) Erat enim Vicarius Grossulani, ut vidimus.

AD CAP. XXI. NOTÆ.

(1) A centenario numero, qui ordinem illum complectebatur, dicti sunt Decumani. De his luculentam dissertationem Puricellius elucubravit, quam Deo juvante, si vita & vires suppetent, edere aliquando meditor unà cum aliis ad Ecclesiam Mediolanensem spectantibus sub hoc titulo *Ambrosiani ritus monumenta*.
(2) Idest *in publico cœtu* Pagius explicat ad ann. 1112. num. 6. Ego potiùs censeo sic legendum, *aut in alium eligendo Archiepiscopum catholicè, pulpitum ascendit*. Consonat enim iis, quæ superiori capite Guazo & Amizo proponebant dicentes, *concorditèr faciemus Catholicam electionem eodem die*.
(3) Electum fuisse Jordanum Kal. Januarii anni 1112. dubitari non potest, docente id Landulpho, qui præsens aderat. Emendandus itaque omnino est Calchus, qui electionem hanc anno 1110. contigisse asserit.
(4) Judicii nempe ab ipso per ignis transitum facti.
(5) Fortasse quia contra Paschalis decretum Grossulanum à sede Mediolanensi dejecerant.
(6) Scilicet *gere te, ut virum decet*.
(7) Nempe *de Vareglate*, de quo sup. cap. 5.
(8) Quem Grossulani quoque consecrationi interfuisse cap. 3. dictum est.
(9) Ughellus in Episc. Taurinen. Mamardum hunc, quem ipse Mainardum nominat, electum fuisse anno 1109. asserit, quo tamen fundamento, ignoratur. Amizonem II. ejusdem urbis Episcopum fuisse anno 1104. ex monumento marmoreo à Baldessano relato tradit. Ex nostro tamen auctore satis dilucidè colligitur, eundem omnino fuisse Mamardum, qui anno saltem 1100. Grossulanum in Episcopum Saonensem consecravit, & anno 1112. Jordano in Archiepiscopum Mediolanensem inungendo præsens adfuit: nisi quis dicere velit, duos fuisse Mamardos Taurinensis urbis Antistites, inter quos sedem illam obtinuerit Amizo; quod tamen vix crediderim; quocirca Baldessani relationem, quam ego ad manus non habui, diligentiùs examinandam censeo.
(10) Azonem.
(11) Ardericum.

Digitized by Google

invênit ordinationem Jordani differendam fore; & velut homo volens fugere, surrexit in nocte, & cum suis rebus cœpit abire. Sed cauta manus Jordani ipsum retraxit Astensem, ejusque Episcopi Diaconem vulneravit, pueros quoque eorum verberavit, & expoliavit. Die autem adveniente, habita cautione, D. Jordanus eundem Episcopum quasi vinctum, & absentem verbis valde ignominiosis increpavit. Attamen Astensis idem per admonitionem Januensis, suæque humilitatis post talem ignominiam sua, & suorum servientium spolia recepit, atque in altera die ordinationi, quam illi duo Episcopi (12) de Jordano fecerunt, interfuit, non ut Episcopus indutus, sed ut viator carens sermone ipsam ordinationem spectavit, & dum in Ecclesia, quæ dicitur Hyemalis, ordinatio ista agebatur, cives pro hac re prœlia gerebant, & canonicam (13) Presbyteri Joannis Aculei spoliabant. Tunc quàmplures super hac causa, & ordinatione murmurabant, in quo murmure Episcopi supranominati, videlicet Azo Aquensis, & Arderícus Laudensis videntur fuisse (14). Vigilante (15) itaque hoc murmure Mamardus Taurinensis illico Romam adivit, & stolam petiit, & rediens inde stolam, & chartam continentem sacramentum, quod Papa poscebat à Jordano (16), attulit, alioquin stolam dari Jordano Papa prohibuit, sicut idem Mamardus notavit. At Jordanus per sex menses jejunus fuit, & stolam non habuit, sed infra hoc spatium sex mensium Bernardo Episcopo Papiensi, & Jordano Mediolanensi consentientibus (17), Papienses, & Mediolanenses statuerunt, & juraverunt sibi fœdera, quæ nimium quibusdam videntur fuisse Imperatoriæ Majestati, & Apostolicæ auctoritati contraria; Et cùm isti cives jurarent sibi servare se, & sua contra quemlibet mortalem hominem natum, vel nasciturum. (18)

CAP. XXII.

De Festo Agios, quod fit ad Sanctam Mariam ad Portam Vercellinam die IX. Maji.

PUtavi non prætereundum silentio, quòd durante lite (1) Grossulani, scilicet 1105. (2) 7. Id. Maji (3) inventæ sunt reliquiæ pretiosæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Portam (4), unde Ordinarii cum universo Clero statuerunt. (5) Festum solemne illa die (6) in Ecclesia prædicta, in cujus rei testimonium talis extat Epistola.

Ordinarii Cardinales (7) *Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, necnon & Primicerius cum universo Sacerdotio, & Clero Mediolanensi, omni-*

(12) Scilicet Januensis, & Taurinensis. Hinc corrigendus Papebrochius, qui in exegesi cit. num. 105. consecrationem hanc à Bernardo Papiensi Episcopo, simul cum Taurinensi supradicto peractam fuisse putavit.

(13) Seu præbendæ suæ domum.

(14) Quodnam esset hoc murmur clarè enunciat epistola ipsiusmet Azonis Aquens. Episs. ad Henricum Imperatorem, quam è Cod. Udelrici Bamberg. Eccardus vulgavit tom. 1. Scriptorum medii Ævi col. 267. Nonnulla inde ad rem nostram elucidandam decerpere opportunum reor. Ait igitur: „ Mediolanenses quendam Archiepiscopum elegerunt (Jordanum) „ & à quibusdam Parochianis suis (intellige „ suffraganeos Arialdum Januen. & Mamardum „ Taurin.) eum consecrari fecerunt; quod ego „ videns contra Imperii vestri honorem fieri, „ omnino interdixi, & licèt ab ipsis multùm „ rogatus, hujusmodi consecrationi interesse, „ nec assensum præbere volui; imò dedi operam erigendi magnum parietem populi contra populum, sub occasione cujusdam alterius „ Archiepiscopi (Grossulani), quem pars illorum intendit deponere, Viri scilicet perfectissimè literati, & ingenio astutissimi & eloquentissimi, Curiæ vestræ valde necessarii, „ cujus partem propter honorem vestrum in „ tantum auxi, quòd medietas populi contra „ medietatem populi contendit. Nunc itaque „ videat pietas vestra, si ad hoc velitis me laborare, ut & populus ille maneat divisus, & „ antiquus ille Archiepiscopus à vestra Majestate adjuvetur, scribendo præcipite. Quid Henricus rescripserit nondum emersit. Hinc tamen dignoscimus quis fuerit auctor succensi in urbe nostra civilis belli, quòd magna cæde postmodum exarsisse Landulphus noster narrat cap. 25. & 26.

(15) Idest *vigente*.

(16) Procul dubio credendum est hoc fuisse juramentum fidelitatis, quod à Robaldo Archiep. Mediolan. præstitum Pisis fuisse Innocentio II. infra videbimus, indignante Clero & populo, atque ipso etiam Landulpho nostro, à quibus credebatur hujusmodi juramento abrogari antiquum Mediolanensis Ecclesiæ decus, ac libertas imminui. Ob id etiam recusatum fuisse à Jordano Pallium, sub ea indecora (ut tunc videbatur) conditione, facilè possumus opinari.

(17) Ughellus malè *Grossulanum* Archiepiscopum, loco *Jordani*, consentientem huic fœderi inter Papienses, & Mediolanenses inito adducit, in Epis. Papien. num. 64.

(18) Hujusmodi juramenti, quod barbaro vocabulo dicitur *ligium*, quia scilicet homo sic jurans quasi firmiter & solidè ligetur, ea est natura, ut intelligatur pacta fidelitas contra omnem hominem, nullo penitus excepto: Hinc patet, cur fœdera de quibus auctor noster hìc loquitur, Pontificiæ ac Imperatoriæ auctoritati contraria dicantur; quia nempe non fuit excepta persona Pontificis, & Imperatoris, prout jura exigunt, & docent communiter auctores Feudistæ.

AD CAP. XXII. NOTÆ.

(1) Idest cùm nondum discussa Romæ foret Grossulani causa, & Pontificio Paschalis decreto adjudicata eidem Sedes Mediolanensis, à qua repellendum illum curabat in Synodo Romana potior pars Cleri & Populi, ob Simoniam judicio ignis comprobatam, ut sup. diximus.

(2) Tristanus Calchus, quæ hìc narrantur, ad annum 1107. refert, sed citra verum, ut ex auctore nostro annum signante patet.

(3) Nonus hic dies Maji tam pretioso reperto thesauro insignis, eo anno incidit in feriam tertiam quintæ post Pascha hebdomadæ.

(4) Ita dictæ ex vicinia portæ, quæ Vercellas respicit, quamque tum proximè attingebat antiqua hæc Ecclesia. Mansit nihilominus eidem cognomentum istud, etiam postquam amplificata urbe primò post Ænobarbi excidium, indè sub Carolo V. longè multò retractæ sunt urbis portæ; atque in præsens quoque ita appellatur.

(5) Mediolanensem Ecclesiam sese tunc temporis gessisse, ac si Archiepiscopalis Sedes vacaret, quamvis revera Grossulanus Romana in Synodo legitimus Antistes Mediolanensis urbis declaratus foret, Festum hoc universi Cleri nomine indictum, ac celebratum, nulla prorsus Archiepiscopi mentione habita, perspicuè docet. Grossulanum siquidem etiam sic restitutum Mediolanensis Civitas Præsulem suum nunquam agnoscere voluit, ut in fine cap. 12. ajebat Landulphus.

(6) Credibile est, statim anno sequenti 1106. celebrari incœptum hoc festum, id exposcente *jugi & admirabili plebis utriusque sexus concursu ab eo die & deinceps facti*, ut in epistola mox recitanda legitur.

(7) Nomine hoc passim appellatos fuisse eo tempore Metropolitanæ nostræ Canonicos, antiqua ostendunt documenta; ex quo Mediolanensis Ecclesiæ dignitas conjici potest; quamvis enim tituli hujus ornamentum peculiare minimè foret

Digitized by Google

omnisque Populus, & omnis Ordo Laicorum, omnibus Sacerdotibus, & Clericis, & Laicis cujuscunque Ordinis in Diœcesi Mediolanensis Ecclesiæ constitutis pacem, & salutem à Domino, & pleni gaudii participationem. Quoniam ratio expostulat, & dignum est, ut exultante capite, cætera quoque membra exultationi congaudeant, ideo immensæ lætitiæ, quam nobis immeritis, & insperantibus Divina clementia contulit, vos exsortes esse non volumus. Notum ergo universitati vestræ fieri volumus, quoniam inextimabiles thesauros, & incomparabiles margaritas sole splendidiores, & omni aromate fragrantiores divino nutu, & munere nuper invenimus, videlicet partem de Sudario Domini, & de Sindone ejus, & de lapide ubi sederunt Angeli nunciantes Resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi, & de probato ligno salvificæ Crucis Salvatoris nostri, & de veste Sanctæ Mariæ, & de Ossibus Sanctorum Casti, & Polimii in Ecclesia S. Mariæ, quæ dicitur ad Portam. Quapropter non solùm in ea die, sed etiam ab ea die, & deinceps factus est ibi jugis, & celebris, & admirabilis concursus plebis utriusq; sexus Deum glorificantium, & magnificantium, quòd hoc tempore tales nobis thesauros suâ benignitate revelare dignatus est, quorum patrocinia non solùm nostræ, sed & universæ Diœcesi ejus per Dei misericordiam, protectionem, & salutem futuram etiam (*) *speramus. Facta est etiam generalis processio* (8) *ad honorem Dei, & Salvatoris nostri tam ingens, tam solemnis, tam admirabilis, qualem numquam retro ante tempora vel vidimus, vel meminimus factam. Ad hanc igitur solemnitatem annuè omnes Populi devotè concurrite tam mentium securitate, quàm corporum obsequio nihil hæsitantes deprimi magnificentissimam remunerationem. Quanta enim virtus sanctorum est, tanta salus occurrenti populo. Titulus autem, & nomen ejus eximiæ festivitatis est Sancti Salvatoris. Terminus autem hujus celebrationis est VII. Idus Maji. Rogamus etiam vos, & secundùm statutum Ecclesiæ nostræ singulis, & omnibus præcipimus, ut in die hujus festivitatis ad honorem Dei, & Salvatoris nostri ab omni opere servili vacetis, & abstineatis tanquam in die Resurrectionis, & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quo etiam die ad frequentationem hujus solemnitatis statutum est annuale* & (*) *mercatum, & omnibus venientibus ad hanc solemnitatem vel causa orationis, vel causa mercandi, & redeuntibus stabilita est ab omni civitate firma, & inviolabilis trevia* (9) *VIII. dies ante Festum, & VIII. dies post Festum. Quòd si quis hujus treviæ violator extiterit, indignationem Dei non effugiet, & iram totius civitatis super se, & super sua bona gravissimam indubitanter incurret.* Colonen (*), *quod vulgò Turadia dicitur, sive Portenaticum* (10) *in his præfatis diebus nulli omni modo tolletur. Ut autem magis sit autenticum, & nulla umquam oblivione deleatur, quod Deo inspirante ad honorem Dei, & Salvatoris nostri decrevimus per singulas Plebes singulas epistolas in audientia omnium habitantium in eis has literas legere, & ponere studeant, & in Martyrologio hoc Festum scribant; quatenus per singulos annos, & per singulas generationes istos dies nulla deleat oblivio, sed perpetuò, & solemniter honoretur. Hæc autem Epistola in scripturis Ecclesiæ diligenter & semper servetur valida.* Inventi autem sunt prædicti thesauri scilicet Reliquiæ: pars de Sudario Domini, & de Syndone ejus, & de Lapide isto, & de Ligno Sancto, & de Sanctis, anno Domini 1105. VII. Idus Maji in civitate Mediolanensi in Porta Vercellina in Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Portam; Fuerunt autem prædicti Sancti Confessores Castus, & Polimius Diacones Sancti Ambrosii (11), quorum corpora jacent in Ecclesia Sancti Victoris ad Cœlum aureum (12), quæ nunc dicitur Ecclesia Sancti Satyri sita juxta Ecclesiam Sancti Ambrosii requiescunt. In prædicto autem Festo ab Ecclesia Æstiva usque ad prædictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Portam Ordinarii hebdomadarii cum aliis hebdomadariis Mediolanensis Ecclesiæ processionaliter vadunt semper præcedentibus vicinis, & Parochianis ipsius Ecclesiæ Sanctæ Mariæ cum viridibus frondibus, & ramis arborum, candelis accensis alligatis (13) eisdem, & cantantibus *Agios* (14) propter quod dicitur festum *de Agios*, quod est nomen Dei. Qui dicti Ordinarii postea celebrant Missam in Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Portam. Deo gratias. Amen. Amen.

CAP.

ret urbis nostræ, ut præter Panvinium, & Macrium eruditè ostendit doctrina & pietate Eminentissimus olim Ursinus, nunc universo exultante Fidelium cœtu Summus Pontifex Benedictus XIII. in notis ad II. Provinciale Beneventanum Concilium, suo *Synodico* insertum, nonnisi tamen primariis Sacerdotibus Nobiliorum Ecclesiarum datum legimus. Perseveraſſe apud nos in longum ævum nobilem hanc appellationem, docet oratio in primis Sacri solemniis Fabricii Castrofranchi majoris Mediolanensis Ecclesiæ Cardinalis Ordinarii habita à Joanne Ambrosio Bulla & Mediolani edita anno 1557. Postmodum abrogata fuere à S. Pio V. hujusmodi Ecclesiarum privilegia (si quæ erant,) diplomate expedito anno 1568. 17. Februarii, ut testatur Cohellius cap. 2. §. *& ideò*.

(*) A. 1. & 2. esse.

(8) Procul dubio eo anno 1105. sed qua die, ignotum.

(*) A. 1. *caret hac particula* &.

(9) Immunitas, seù pax data quandiu nundinæ durant, Du-Chang. in Glossar.

(*) A. 1. & 2. Coloneum.

(10) De hoc vocabulo aliisque Synonimis hîc enunciatis, fusè Puricellius in dissert. Nazar. cap. 95. num. 7. ubi asserit, significari quoddam vectigalis genus à viatoribus persolvendum, præcipuè verò teloneum Archiepiscopi, de quo Galvaneus Flamma in Chron. Maj. cap. 227. in hunc modum scribit „ Archiepiscopus „ Mediolanensis quosdam alios maximos redi„ tus Imperiali auctoritate recipiebat, quia „ super stratas regales in exitu quolibet de Co„ mitatu (Mediolani) habuit teloneum, & „ dum intrabat aliquis extraneus in equo, vel „ cum curru, aut pedibus, dabat Telonario Ar„ chiepiscopi ..... censum.

(11) Hoc ex Paulino testatum habemus, qui etiam sub cura alterius ex hisce, idest honorabilis viri Casti Diaconi se degisse tradit in vita S. Ambrosii.

(12) De hac plura differit Puricellius in *tumulo Sancti Satyri illustrato* cap 10. & seqq. & in mon. Bas. Ambr. num. 304. ubi etiam expendit, num Martyres, ut alicubi legitur, an tantummodo Confessores fuerint prædicti SS. Castus, & Polimius.

(13) Peculiaris est, ac recensione dignus Ritus iste in Ambrosiana Ecclesia annuæ supplicationis cum frondibus, & ramis arborum ad cereos intextis; atque ideo Nicolai Serrarii libello *de sacris Eccles. processionibus* aliquando inserendus.

(14) Nomen hoc solemni huic Festo recèns instituto tunc inditum, Græcæ linguæ in urbe nostra vigentis eo tempore non spernendum vestigium est.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

Liprandus admonet Landulphum Hiſtoricum, ut à communicatione Jordani abſtineat.

NUnc ad propoſitum redeo. Presbyter Liprandus in ſumma ſua ſenectute poſitus mihi ait: Video te aliquantulum ſuper me erubeſcere propter ea, quæ adversùs Groſſulanum dixi, & feci, ſed ut minùs inde erubeſcas, verè dico tibi, quòd ego illam cauſſam reſervo ſoli Deo omnipotenti, & dum mihi ſupereſt ſpiritus, multum deſidero hujus mundi vitam meam finire in manibus eorum, quorum protectione corpus meum, & anima mea, præſtante divina gratia, protegatur à manibus eorum, qui protegendo Groſſulanum, veritatem Dei occultare voluerunt, & volunt. De Eccleſia autem iſta Mediolanenſi, in qua conſulis mihi manere, & vitam finire, dico, quòd illa eſt mihi cupienti Hieroſolymam (1) adire, ceu navis ſinè nauta & remige in portu puteſcens, quòd ſi vixeris ſecundùm ætatem tuam, eam talem eſſe experieris. Interim & ego conſulo tibi, ut participationem menſæ Jordani, ejuſque beneficia, quæ potes tenere propter electionem, & inveſtituram Diaconatus Capellæ ejus, quam ab eo ſuſcepiſti, me neſciente, quamcitiùs vales, & tamen honeſtè dimittas, nec umquam per illum proficere ſperes. Vicedomino verò dum gratus & benivolus tibi fuerit, ei tuum obſequium impendere non prohibebis. Per hæc quoque verba, quæ hic meus Magiſter mihi dixit, ipſe Jordanus, ejuſque *fabrica* (*) mihi ſuſpectus, & in parte ſuſpecta, atque grata quemadmodum in Vicedomino fuit.

CAP. XXIV.

Presbyter Liprandus in Pontidii Monaſterio obiit.

HUjus mei Magiſtri conſilium ſequens, cùm vellem prorſus dimittere Jordani adminiſtrationem, delatus eſt ipſe Presbyter ad Pontidii Monaſterium (1), me neſciente, in quo Monaſterio coram Monachis, & Fratribus in Feſto Sancti Nicolai (2) uſque ad Feſtum Epiphaniæ Domini ſplendidè (3) vixit, atque in ejuſdem feſtivitatis nocte quando ſpiritum emiſit, magnus, & ſuavis ſplendor domum in qua jacebat, admirantibus circumſtantibus illuſtravit, & illuminavit, & ſic ille prædixerat Fratribus; in hora illa, quando corpus ejus ferebatur ad ſepulcrum Solis ſplendor aërem illuminavit, & nubes cum nive ceſſavit. Ipſo quoque Presbytero exiſtente in vita, cùm Jordanus (4), & cæteri Groſſulaniſtæ calumpniabantur eum & ſuam legem, nobilis miles Placentinus de faucibus mortis ad laudem ejus ereptus eſt, quia cùm miles ille eſſet quaſi in ſompno ſenſit hunc Presbyterum palpare guttur ſuum, & ſtatim evomuit os piſcis, quod ſuffocabat eum (5). Eodem etiam tempore, cùm domus cujuſdam ſui affinis, & ſibi attrahentis arderet, repentè imber fuit, & paleam, & domum ipſius Presbyteri integrè ſervavit. Quòd ſi currerem per ſingula, quæ Deus fecit ad laudem ejus, deficeret quidem ſpiritus meus; ſed Deus, qui per omnia ſæcula vivit, & regnat nunc, & ſemper, animæ ejus benedicat (6). Amen, & mihi gratiam rectè ſcribendi tribuat, quia ſincerè adhuc cupio ſcribere ea, quæ in Eccleſia, & in Regno per Pontifices, & Abbates, & Sacerdotes, & Levitas, per Conſules, & Cives, & alios Eccleſiæ, & Regni miniſtros ſeminata, & operata ſunt, non tantùm ad augmentum, ſed etiam ad detrimentum Religionis, & directæ conſuetudinis.

CAP. XXV.

Jordanus ſtolam Papalem accipiens Clericos exturbat, Hiſtoricum ab Eccleſia Sancti Pauli removet.

IGitur Presbytero Liprando poſito in Pontidii Monaſterio fama de Groſſulano redeunte à Hieroſolymis aures Jordani, & Ordinariorum ejus implevit. Et Mamardus Taurinenſis Epiſcopus iterum Mediolanum vênit, atque ſtolam, quam in præcedenti anno (1) ſinè ſacramento Jordani dare noluit, neque dedit, nunc videlicet in Feſto Sancti Nicolai, quan-

AD CAP. XXIII. NOTÆ.

(1) Intellige *cœleſtem*.

(*) A. 1. *familia*.

AD CAP. XXIV. NOTÆ.

(1) In agro Bergomenſi ultra fluvium Abduam ſitum, cujus primus conditor & Abbas fuit Beatus Albertus Cluniacenſis inſtituti, anno 1095. Kal. Septembris defunctus, ut refert Mabillonius in Annal. Bened. ad ann. 1087. quo conditum fuit hoc Cœnobium, & S. Jacobo dicatum. Plura etiam tradit Puricellius in mon. Baſ. Ambr. num. 316. & 331.

(2) Ideſt à die VI. menſis Decembris anni 1112. uſque ad diem VI. Januarii proximè ſubſequentis.

(3) Nempe cum magno ſanctitatis ſplendore.

(4) Puricellius hoc loco ait, videri legendum *cùm Groſſulanus*: attamen cur emendari debeat hæc lectio, prorſus non video. Cùm enim ſuperiùs dictum ſit, Jordanum Groſſulano placuiſſe, & ab eodem in Subdiaconum fuiſſe ordinatum, non inveroſimile eſt, in illius Archiepiſcopi partibus olim ſtetiſſe; Imò id innuere videtur ipſemet Groſſulanus loquens apud Landulphum cap. 26. & querelas contra eundem Jordanum cum ſuis fautoribus inſtituens, quòd videlicet ipſe *ſibi juraſſet, & dejuraſſet*.

(5) Miraculum hoc narrat etiam Petrus Maria Campus Hiſt. ſuæ Placent. par. 1. ad ann. 1114.

(6) Vitam hujus Liprandi ſub titulo Venerabilis inſeruit Papebrochius Actis SS. in Append. ad diem XXVII. Junii poſt S. Herlembaldi vitam. Ibidem aſſerit, neminem meminiſſe ullius cultus eidem ut Beato poſt mortem impenſi. Attamen ubi agit de S. Davide Solitario Theſſalonicenſi ad diem XXVI. ejuſdem menſis, tradit ex Sanctuario Papienſi Jacobi Guallæ, die XXV. Julii, anni 1504. reperta fuiſſe in Eccleſia S. Petri in Cœlo aureo Papiæ inter cætera ſacra lipſana etiam oſſa S. Liprandi, ſeu Luitprandi, quæ ipſe credit, illuc è Pontidio translata, hujus Liprandi eſſe, cùm minimè *facilè ſit, alium hujus nominis invenire, cui potuerit datus fuiſſe titulus Sancti*.

AD CAP. XXV. NOTÆ.

(1) Verba hæc inextricabilem ferme nodum in hujuſmodi Hiſtoria intexuere; cùm enim certum ſit, eodem anno 1112. & electum fuiſſe Jordanum Kal. Januarii, & ſuſceptum ab ipſo pallium die VI. Decembris, ut narrat Landulphus, intelligi nequit, quomodo cum hiſtorica veritate componi poſſit, quod idem Auctor hoc loco refert, ſtolam videlicet à Mamardo delatam Româ fuiſſe *præcedenti anno*. Puricellius ut ſe difficultate exſolvat, morem illum producit ab aliquibus uſurpatum, ut annum à die XXV. Martii exordirentur, aitque illo uſum Landulphum, ita ut ab eo die alterum jam annum numeraret. Attamen ſen-

Digitized by Google

quando Presbyter Liprandus Pontidium intravit, super Altare Sancti Ambrosii posuit, & Jordanus osculatus eam de ipso Altari assumpsit: quæ positio, & assumptio absentibus Ordinariis, & Primiceriis facta fuit (2). Deinde securiùs idem Archiepiscopus, quos voluit læsit, me quippe eo tempore injustè turbavit. Quod cùm Presbyter Andreas Primicerius intellexisset, solempniter me suscepit in communi beneficio (3) Presbyterorum, & Clericorum Mediolanensium. Jordanus quoque cum Widoni Falcimario *conditori* (*) meo pro me dedit pecuniam, nec tamen indulsi ei (4), quam in me fecit offensam. Sed æquo animo sustinui illam, quia cùm enses, & lanceæ acuebantur, ut adveniente Grossulano ipse ab Archiepiscopali Sede ejiceretur, nimirum (5) si me humilem Acolytum neglexit, & Presbyterum Ariprandum Paliarium, virum sibi convenientem, & in bello potentem assumpsit, & prout quibusdam *placuit nondum esse absurdum* (6), quòd Gulielmus Venerabilis Abbas hoc in tempore subridens, & condolens de iis casibus Clericorum, Pontificum, Militum, & Civium deseruit Sancti Ambrosii Monasterium, & rexit, & regit Abbatiam Monasterii Sancti Solutoris (7) constructam in Episcopatu Taurinensium. Quòd si & ego non concupivi per illius Jordani manus ad Subdiaconatus gradum promoveri, convicini mei cur per ejus auctoritatem præsumserunt me exturbare ab Ecclesia Sancti Pauli, quæ est titulus Ordinationis meæ? Et Andreas Sugaliola, qui si Presbyter est, Plebejanus est (8), A quo jure potest ipsam meam Ecclesiam possidere? Insuper manus ejus cur ossa parentum meorum de proprio nostro, non suo sepulcro projecit, & suum mortuum in ipsum posuit? Præterea Sugaliola ille Andreas domos, campos, prata, vineas, sylvas, & alia multa, quæ mei proprii juris sunt, quare usurpat, vendit, & alienat? Hæc quidem si ille, ejusque manus, ejusque auctores religiosè, & rationabiliter fecissent, defensionesque meas si justè cæcassent (9), & decidissent, meos quidem oculos eruerem, & sepulturam intrarem. Sed ne moriar, sicuti illi mei adversarii moriuntur, & mortui sunt valde multùm desideravi, & desidero, ut ii, qui adhuc vivere B videntur, à sole justitiæ illuminarentur, ut depulsâ Schismaticorum, & superstitiosorum superbiâ, spernant suorum auctorum mendacia, atque diligant, & teneant quamoptimi Regis (10), ejusque Pontificis (11) patrocinia.

CAP. XXVI.

Inter Grossulanistas, & Jordanistas pugna committitur, ipsis Præsulibus ad suos sermocinantibus.

IN Augusto (1), qui fuit octavus mensis ab illo, in quo Presbyter Liprandus obiit. In isto enim mense & Grossulanus à Hierosolymis rediit, & priùs post legem factam de C eo ignitam intravit Mediolanum (2), ibique tunc ad locum ubi Sanctus Victor carceratus fuit (3) suos labores, suosque thesauros Sacer-

sententia hæc, quæ ingenio non caret, pluribus refelli potest. Primò enim non constat, hanc Incarnationis Æram ab Auctore nostro adhibitam esse in describenda hac Historia, cùm potiùs contrarium evincatur cap. 22. ubi Grossulani litem cum inventione reliquiarum in Ecclesia S. Mariæ ad portam ad VII. Idus Maji sub eodem anno 1105. ponit. Præterea etiam hoc misso, ipsa Landulphi Historia Puricellii dicto refragatur: Tradit enim sex mensium intervallum fluxisse à delato per Mamardum pallio ad ejusdem susceptionem die VI. Decembris à Jordano factam: Certè autem à die XXV. Martii non sex tantummodo, sed ferè novem intercessetant menses. Pagius, qui ad ann. 1112. num. 8. hæc optimè advertit, facilè se expedit, culpam in Amanuensem refundens, cujus è calamo per errorem excidisse ait *præcedenti anno*, cùm scribi debuisset *præsenti anno*. Papebrochius eadem via incedens, in vita Liprandi sup. cit. in altero ex his verbis vitium esse affirmat, ita ut *non præcedenti anno*, sed *præcedenti Junio* sit legendum. Porrò uterque apprimè rem explicat, sed læso Auctoris textu. Itaque si me immiscere viris tanti nominis licet, salva Manuscripti integritate omnia componi posse censerem, asserendo, Landulphum, qui jam processerat ad narrandam Liprandi mortem, & miracula ipsam subsecuta anno 1113., cùm revocaret calamum ad ea, quæ superiori anno contigerant, usum fuisse hac formula *præcedenti anno* relatè ad mortem Liprandi jam narratam, quamvis revera, quæ tunc referebat, anno proximè elapso accidissent.

(2) Fortasse acquieverat Jordanus Sacramento à Summo Pontifice requisito, atque ideo secretò ac veluti per umbras Pallium suscepit, nemine ex primoribus Cleri adstante, ne illorum indignationem contra se commoveret.

(3) Quodnam esset hoc beneficium, jam supra cap. 2. explicatum est. Fortasse etiam in cœtum Decumanorum illum admiserat, ut Presbyteris sacra peragentibus inserviret.

(*) A. 1. & 2. *crèditori*.

(4) Idest minimè oblitus sum acceptæ offensæ: quænam autem hæc esset inferiùs explicat.

(5) Existimo legendum *nil mirum*.

(6) A. 1. *placet, non debet esse absurdum*. Prudenter enim egisse videbatur Gulielmus Abbas recedendo ab hac urbe tumultibus plena.

(7) Migratio hæc à Cœnobio S. Ambrosii Mediolanensis ad S. Solutoris Taurinensis anno 1113. contigit, ut etiam Mabillonius in annal. Bened. ad eund. ann. adnotavit.

(8) Fortasse alteri Ecclesiæ in aliqua Plebe adscriptus: Videtur autem hîc innui antiqua illa Ecclesiæ disciplina, qua pluribus evulgatis Conciliorum decretis cavebatur, ne quis ab eo D titulo, seu Ecclesia, ad quam esset ordinatus, recederet, nec ad alterum, majorem licèt, titulum posset transmigrare. Vide epist. 173. Joannis PP. VIII., Synodum Rhemensem anni 813. cap. 20. Turonen. III. cap. 14. & alias apud Labbeum.

(9) Alterum ex MSS. Bibl. Ambr. legit *gustassent*.

(10) Henrici.

(11) Fortasse Grossulani; in quem Hierosolymis redeuntem enses & lanceæ acuebantur, ut paulò antea dixit Landulphus, qui ejusdem depositioni minimè consenserat, & Jordani Electoribus Andreæ Primiceriì dictum retulerat *quòd malè consiliati erant*. Cap. 21.

AD CAP. XXVI. NOTÆ.

(1) Anni scilicet 1113.

(2) Puricellius in Mon. Bas. Ambr. num. 320. & Pagius ad ann. 1113. num. 10. censent, his verbis indicari, Grossulanum hoc eodem E mense Augusto bis Mediolanum intrasse, primò scilicet anno 1105. post obtentam à Paschali II. hujus sedis restitutionem, secundò verò hoc ipso anno post reditum à Hierosolymis. Attamen cùm in fine cap. 12. Landulphus asserat, quòd Grossulanus *nec sedem, nec munitionem aliquam Archiepiscopatus habuerit post legem à presbytero Liprando factam, & restitutionem à Synodo Romana statutam*, censerem adverbio illo *priùs* indicari ab auctore nostro, *primitus*: ita ut primus hic fuerit ingressus hujus Antistitis in urbem Mediolanensem post ignis judicium contrà eundem susceptum.

(3) Carcerem, in quo S. Victor detentus fuit, extitisse, ubi nunc Ecclesia ejusdem nomini dicata *S. Victorelli* ad portam Romanam vulgò

eerdotibus, & viris, quos sibi putabat fideles explicavit, & explicando induxit (4) benignitatem, qua pavit, & induit Jordanum, quem fecerat Subdiaconum (5). Videbatur etiam instare adversùs Jordanum eo quòd dicebat, eum sibi juravisse, & dejeravisse (6), quod fortis, & valida turba Jordani non sustinuit, sed assumtis armis maximum insultum in Grossulanum fecit. Ipsius autem Grossulani caterva undique concurrens ferendo, & inferendo vulnerationes, orbitationes, & multas occisiones in equis, & in hominibus, fortiter, & prudenter ipsum Grossulanum per XV. dies in Turribus de Porta Romana (7) servavit. Interea Anselmus de Pusterla ad Ecclesiam Sancti Joannis, quæ dicitur ad Concham, audita strage vênit, & in concionem, quæ ibi tenebatur ex parte Grossulani locutus, plura consuluit, ut pernitiosa illa pestis cesaret, & certum locum, certumque tempus statuerent, & per legitimam, & generalem Synodum cognoscerent cujus causa justa foret. Hoc autem consilium, quia Jordano, ejusque fautoribus displicuit, pecunia utriusque Pontificis ad milites, & pedites bellatores, ad Clericos quoque, & mulieres bella instigantes pervênit, & Jordanus aperto ore coram sua gente de Grossulano, ceu de Simone Mago cantavit, & Grossulanus apud suam plebem Idolo, & Vitulo conflatili, atque homini perfido, & perjuro Jordanum comparavit. Ac sic stragem quamplurimam uterque Pontifex commiscuit, in qua Rogerius de Sorexina miles Capitaneus, & Ariprandus de *Lampugiano* (*) Vexillifer de Vavassoribus, & Ariprandus de Meda civis prudentissimus cum quampluribus ejusdem nobilitatis hominibus occisi sunt.

CAP. XXVII.

Datâ pecuniâ Grossulano, & Anselmo de Pusterla Grossulanus Placentiam adiit.

SEd cùm Grossulani manica (1) foret exhausta, & Jordani adhuc onerata, conventio facta est per pecuniam Grossulano promissam, quam ipse Grossulanus, prout dicitur, cum suis, & Jordanistis participavit, & facta participatione, Grossulanus Mediolanum exivit, atque Placentiam adivit, ibique in Monasterio Sancti Marci, quod est de Congregatione Vallis Umbrosæ hospitatus invênit Ardericum Laudensem, quem fecerat sibi Vicarium in victu, & in vestitu ejusdem Congregationis Monachum. Alter verò Ardericus de Carimate, qui licentiam jurandi ab isto, cùm esset Vicarius, suscepit, & occasione illius juramenti sententiam in Grossulanum dedit, & Jordanum in Archiepiscopum elegit, Grossulani adventum non expectavit, sed circuens transmarina loca inventus, & jugulatus est à Turchis. Sciendum quoque est, quòd Grossulano, & Jordano existente auctore (2) Mediolanensium per gratiam Domini Paschalis Papæ II. Clerus, & Populus Mediolan. natura nobilis, & religiosus in utraque parte, non sinè causa dicitur levis, & vanus, & ad cujuslibet novitatis præsumtionem promptus. Cujus enim religionis, nobilitatis fuit ille spiritus, qui monuit Jordanum, Clerumque suum, & Populum, ut exprobaret, & excommunicaret (3) Anselmum de Pusterla Diaconem Ordinarium, quia dedit consilium ut Grossulani, & Jordani causa discerneretur per legitimam, & generalem Synodum? Iterum qua ratione divulgavit eundem dici erroneum (4), quia cum Clero, & Populo Grossulani scrutinium (5) egit, & baptismum? Et contra Jordanum Apostolica auctoritate donatum (6) Archiepiscopum quis potuit dicere esse simulacrum, & hominem perfidum, atque perjurium. Nimirum (7) si quæro, quia dum Grossulanus in prædicto Sancti Marci Monasterio esset, & Anselmus Mediolani instaret, & obligationem conveniendi ad generalem Synodum quæreret, & Jordanus hoc fieri *prohibet* (*), dicitur, & creditur, quòd pecunia jurata, & data (8) fuit Grossulano, atque Anselmo, ne persona Jordani calumpniaretur ab illis in aliqua Synodo.

CAP. XXVIII.

De moribus, & imbratis (1) Presbyteri Nazarii Muriculæ.

IGitur hac cautione (2) facta per Presbyterum Nazarium Muriculam, & Lafrancum

appellatur (fortasse ob sacræ sedis angustias, quæ biennio proximè elapso elegantiùs extructa fuit, seu ut ab altera S. Victoris secerneretur, quæ etiam in præsens *magni* nomen obtinet) legimus in vita sancti hujus Martyris à Bonino Mobritio relata. Eidem autem antiquitus contermina erat porta, quam Romanam dicimus, quamque solummodo post Ænobarbicam eversionem, amplificata urbe nostra, multò remotiùs ab ista Ecclesia cives excitavere. De his sæpiùs loquitur in suo majori Chron. Galvaneus Flamma, idemque tradit Puricellius in dissert. Nazar. cap. 54. num. 21.

(4) Idest in sermonem induxit, seu commemoravit beneficia, quæ in Jordanum contulerat.

(5) Vide sup. cap. 19.

(6) Hinc patet Jordanum aliquando Grossulani factioni fuisse connumeratum, ut supra diximus.

(7) Suas cuilibet Portæ urbis Mediolanensis fuisse turres, pluribi tradit Galvaneus Flamma; excisa per Federicum Ænobarbum urbe nostra, abrasa mœnia sunt, turresque dejectæ. Eas tamen excitare, statim ac respirare Civitas potuit, primum consilium fuit, ut docet lapis adhuc infixus lateri arcus, qui Ponti Portæ Romanæ imminet, ejusque inscriptionem refert Puricellius in Mon. Basil. Ambr. n. 515.

(*) A. 1. *Lampugnano*.

AD CAP. XXVII. NOTÆ.

(1) Idest *peræ*.

(2) Forsitan *Antistite*; alter enim Paschalis II. decreto restitutus fuerat in sede Mediolanensi; alter verò ab eodem Paschali approbatus per pallii à Mamardo Taurinensi Episcopo delati missionem, ut sup. dictum est.

(3) Hinc colligitur, suasione Cleri, & Populi, qui Jordano favebant, Anselmum de Pusterula pacis consilia proponentem fuisse statim ab eodem anathemati subjectum.

(4) Vox ista videtur hìc pro seductore, seu impostore accipi, quemadmodum id quoque per illam significari tradit Du-Changius ex glossa Græco-Latina, & Henricus Stephanus in thesaur. Græcæ linguæ v. πλανος.

(5) Idest examen cathecumenorum habitum tempore Quadragesimali circa res Fidei, quo explorabant Fidei professores, an illi essent idonei ad recipiendum sacrum lavacrum in proximo Sabbato Sancto, ut explicat Macrius in hierolexico.

(6) Seu potiùs, Pallii missione confirmatum.

(7) Etiam hìc videtur legendum *nil mirum*.

(*) A. 1. *prohiberet*.

(8) Scilicet à Jordano, ut initio hujus cap. narravit Landulphus.

AD CAP. XXVIII. NOTÆ.

(1) Vox barbara, qua thecnas, seu conspurcamenta italico idiomate significare videtur.

(2) Scilicet erogatione pecuniæ facta Grossulano, & Anselmo, ut famæ suæ securitati caveret Jordanus; Eaque auctores præcipuos habuerat Muriculam, & Ferrarium hìc memoratos.

cum

Digitized by Google

eum Ferrarium, prout dicitur, contigit quòd Presbyter Andreas bonæ memoriæ Primicerius obiit (3), cui succeſſit dictus Presbyter Nazarius, de quo Nazario supereſt adhuc mihi quædam ſcribere veluti de homine, qui quaſi coætaneus, & condiſcipulus extitit mecum in una vicinitate, & ſub diſciplina hujus Presbyteri Andreæ, qui dictus fuit Dalvultum ſecundùm ſuam cognationem. Iſte itaque Nazarius, cùm eſſet infra Ordines Clericus, & juvenis ingenio acutiſſimus, non ſinè cauſſa mihi infantulo adjecit nomen, ſcilicet Clocam (4) Sancti Pauli. Inſuper ipſe dum ſingulariter habitaret ſolarium (5) ſuum, me, & Ruſticum Gemmarum, ſive Caccum, atque Nazarium Flotam ſuper ipſum ſolarium induxit, atque de noptiis fratris ſui ſuave, & dulce obſonium nobis præbuit, ubi per præcedentia, & ſequentia, quæ de libro cordis ejus legi, illius animum prævidi non magis appetere Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ decorem, quàm ejuſdem Eccleſiæ utilem, & honeſtam nobilitatem. In iſto namque tempore noſtræ coævitatis, & diſcipulatus Urbanus Papa Synodum Placentiæ celebravit (6), atque de Franzia Mediolanum redivit (7), in qua civitate cùm ipſe Papa ſtaret in pulpito Sanctæ

A Teglæ (8) immenſæ multitudini hominum utriuſque ſexus prædicavit, & prædicando de magna ſua ſapientia protulit: quòd minimus Clericulus de Eccleſia Dei eſt major quolibet Rege mortali. Addidit etiam: quòd Clerici, & Sacerdotes per pecuniam in Eccleſias non ſunt introducendi, ſed per electionem hominum, qui ſunt Eccleſiarum vicini, de quibus Apoſtolicis dictis Clerus (9) iſte Nazarius ingenio acutiſſimus, & Muricula cognominatus pennas aſſumſit, atque de ſolario ſuo ad Eccleſiam Sancti Babilæ, Sanctique Romani, quæ antiquitus dicitur Concilia Sanctorum (10), *ſine* (*) regali, & ſacerdotali auctoritate volavit, & habito favore vulgi illius vicinitatis ibi habitavit, & novum habitaculum B ædificavit, expulſis inde Sacerdotibus, & Clericis conſuetis deſervire ipſis Eccleſiis. Ad hujuſmodi *exemplum* (*) Albinus homo de Magenta, & Joannes Aculeus de Vicomercato, & Mayfredus de Limidi homines literati (11), & intonſi, ac plures urbani, & plebejani non habentes ſufficientiam, ſequentes partium vulgi clamores, & laudes, intraverunt Eccleſias, beneficia quarum ſuſceperunt, & inordinati poſſederunt, donèc Arnulphus de Porta Orientali (12) tunc temporis ſenex Medio-

(3) Obiiſſe hunc Andream ſub finem anni 1113. ex ſupra narratis colligi poteſt.

(4) Idem eſt ac *campana*: de hoc nomine antiquitus uſurpato in documentis plura diſſerit Puricel. in monum. num. 391. Alterum ex noſtris MSS. legit *Clerica*.

(5) Locus editus, in quo antiqui apricabantur. Cubicubum majus, ac ſuperius vocat Du-Changius.

(6) Synodus iſta celebrata fuit anno 1095. circa mediam quadrageſimam, teſte Bertholdo, qui eam luculenter deſcribit, aſſeritque tam frequentem fuiſſe, ut ad illam quatuor millia Clericorum, & pluſquam triginta millia Laicorum confluxiſſe perhibeantur.

(7) Abſoluta Synodo Placentina ſtatim in hanc Metropolim commigraſſe Urbanum II. prodidit Calchus ad ann. 1095. Vox iſta *redivit* ab auctore noſtro exarata, hoc dilucidè comprobat; idque confirmat diploma à Primo Aloyſio Tatto relatum in ſuis Annal. Comen. part. 2. pag. 865. & expeditum *Mediolani XVII. Kal. Junii, Indict. III. Incarn. Dom. anno MXCVI.* (ſcilicet Æræ Piſanæ, quæ nobis eſt tantùm annus 1095. quod non advertit ipſe Tattus, errorem ideo ſibi fingens in hujus diplomatis anno, quem corrigendum aſſerit ad ann. 1095. num. 27.) *Pontificatus Urbani II. Papæ anno VIII.* Reverſum autem è Galliis fuiſſe anno 1096. poſt celebratum in tertia quadrageſimæ hebdomada Turonenſe Concilium ex Bertholdo ad eund. annum diſcimus; quinimmo ex iis, quæ ſcriptor ille ſubdit, intelligere poſſumus Urbani reditum Mediolanenſem in urbem circa finem Septembris contigiſſe; Ait enim ibidem: *Dominus Papa bene diſpoſitis rebus in Gallia, poſt reconciliationem Regis Galliarum* (Philippi I.) *& poſt multa Concilia, tandem in Longobardiam cum magno triumpho repedavit, & exaltationem S. Crucis* (die 14. Septembris) *apud Hortarium prope Papiam ſolemniter celebravit*; Mortaria verò (quam eſſe locum à Bertholdo indicatam dubitari nequit, cùm nullum in tabulis Geographicis oppidum, aut caſtrum occurrat, cui hoc nomen conſonet) conceſſiſſe Mediolanum, eodem menſe credibile eſt. Pagius ad ann. 1096. num. 15. refragatur, & Bertholdum erroris arguit, producens chartam à Boucheo deſcriptam, in qua ſic legitur: *Notum fieri volumus, quòd Ven. Papa Urbanus anno Incarn. Dom. MXCVI. ſui autem Pontificatus octavo, III. Idus Septembris per Caſtrum Taraſconem tranſiens &c.* atque hinc probare contendit, non potuiſſe Urbanum in Feſto Exaltationis S. Crucis apud Mortariam eſſe, cùm triduò antè degeret Taraſcone quatuor

D

E

leucis ab Avenione diſtante. Attamen cùm etiam in hac charta Æra Piſana ſit adhibita, ut perſpicuum ſit ex Pontificatus Urbani anno VIII. ibidem expreſſo, quem perperam emendandum vult Pagius *anno IX.*, atque ideo charta hæc pertineat ad annum 1095., quo primùm in Gallias profectus eſt Urbanus, condemnari erroris Bertholdus minimè debet, qui eundem Urbani adventum ad Caſtrum Mortariæ ſub ſequenti anno 1096. ponit.

C

(8) Rectiùs *Theclæ*. Erat hæc Eccleſia illa, ad quam æſtivo tempore accedebant Metropolitani Miſtæ ad divina ibidem Myſteria celebranda. Incipiebat autem hoc tempus (docente Beroldo à Puricellio etiam in Diſſert. Nazar. cap. 100. relato) ipſo Dominicæ Reſurrectionis Paſchali die, quo Arcam in ſpeciem Arcæ Veteris Teſtamenti efformatam ſolemni ſupplicatione illuc deferebant, eandem poſtmodum reducentes æquali prorſus celebritate, cùm ad tertium Octobris Dominicum diem ſe ſe Hyemali Eccleſiæ reſtituerent. Ex his facilè percipimus, cur in Eccleſia S. Theclæ ſermonem habuerit Summus Pontifex Urbanus; perdurabat ſiquidem æſtivi temporis mora ibidem ſtatuta Metropolitano Clero ad ſacra officia peragenda. Hinc etiam confirmantur, quæ ſuperiùs aſſeruimus de tempore hujuſmodi adventûs Urbani ad hanc urbem; debuit enim proculdubio tertiam Octobris Dominicam præceſſiſſe.

(9) Legendum *Clericus*, ut paulò ante nominatur, licèt *infra ordines*, ideſt tonſura tantummodo initiatus.

(10) Uſque ad ſæculum XV. appellatam fuiſſe hoc nomine S. Babylæ Eccleſiam, patet ex Kalendar. Ambroſiano anni 1402., in quo ad 17. Septembris legitur: *Depoſitio Sancti Caji Epiſcopi. Statio ad Concilia Sanctorum.* Otto Morena ad ann. 1158. deſcribens Ænobarbicam Mediolani obſidionem, eam vocat *Omnes Sancti*, & *Eccleſiam omnium Sanctorum*.

(*) A. 1. *ſicut*.

(*) A. 1. *expulſionem*.

(11) Nomen hoc etiam pro Clerico accipi, Macrius in hierolex. teſtatur. Id in præſenti ſignificari minimè crediderim, cùm Landulphus ſtatim addat *& intonſi*, ex quo apertè conjicimus, eos tonſurâ caruiſſe. Dicendum igitur mutilam eſſe hanc vocem, ita ut loco *literati* legi debeat *illiterati*, quemadmodum etiam videntur innuere ſequentia verba, *ac plures urbani, & plebejani non habentes ſufficientiam*, ſcilicet doctrinæ.

(12) Bertholdus ad ann. 1093. eum vocat *de porta argentea*, ita enim tum temporis appellabatur

diolanenſis Archiepiſcopus in Clavatenſi Monaſterio fuit ſepultus (13). De cætero prædictus Nazarius cum ſuæ connexionis turba ferè quodcunque voluit fecit in Eccleſia Mediolanenſi, & in Saona civitate. In Mediolanenſi namque ſublimavit Anſelmum de Buis hominem ſimplicem in Archiepiſcopum, qui ſublimatus Albinum, Joannem Aculeum, & cæteros de turba connexionis Nazarii ſua auctoritate in Eccleſiis confirmavit, ipſumque Nazarium, & Groſſulanum ad omnes Eccleſiaſticos ordines promovit, & Sacerdotes fecit. Nazarius verò ipſe Presbyter factus unà cum Presbytero Joanne Aculeo, ſicut ſupra legitur, in Saona elegit Groſſulanum in Epiſcopum, & Anſelmi ſui Ordinatoris Vicarium, & ſucceſſorem. Præterea legem, quàm Presbyter Liprandus fecit adversùs Groſſulanum, iſte Presbyter Nazarius contempſit, domum quoque hujus Presbyteri Liprandi expoliari cognovit. Propterquam expoliationem Petrus Pazananus homo de doctrina hujus Presbyteri Nazarii occiſus fuit. Groſſulanum verò reſtitui in Romana Synodo idem Presbyter Nazarius cum gaudio vidit, & ipſum reſtitutum ſuſcepit, eique ſicut Catholico ſuo Archiepiſcopo per undecim annos (14) obedire cognitus fuit. Tandem ipſum Groſſulanum apud Hieroſolymam peregrinantem depoſuit, & Jordanum de ſuæ connexionis turba in Archiepiſcopum elegit. Unde contigit, quòd ipſe Presbyter Nazarius exprobratus à ſuis vicinis ſuam Eccleſiam dimiſit, & per auctoritatem pravorum hominum, & Jordani, quos juſtè tunc cauſabam, & cauſo, res, & Eccleſiam meam uſurpavit, & uſurpando invênit cilicium, quod Magiſter, & avunculus meus illæſum per ignem tranſportavit, à trabe (15) Eccleſiæ Sancti Pauli deponeretur, & ignominiosè conſumeretur.

A

B

C

D

E

CAP. XXIX.

Paſchalis Papa Jordanum confirmat, Groſſulanum deponit, qui poſt annum in Roma moritur.

TAceo multa, quæ ipſe Presbyter Nazarius egit ad mei dampnum, meamque injuriam, & ignominiam. Dicoque quòd poſt acceptam dignitatem (1) Primiceriatus à Jordano, hujus Primicerii prudentia tantum valuit, quòd furor armorum in Groſſulaniſtas, & Jordaniſtas ceſſavit (2). Ad Eccleſiam Sanctæ Teglæ, in qua fuit converſatio, & finis præcedentis Andreæ Primicerii ivit, & in ea habitavit, eamque dimiſit (3). Verumtamen tunc cùm meam dimiſit, alterum, ideſt Andream Sugaliolam ipſe unà cum Jordano eidem meæ Eccleſiæ intruſit. Ego itaque mœrens de hac intruſione, & omnis Eccleſiaſtici beneficii, & officii in me facta expoliatione ivi ad Synodum, quam Papa Paſchalis pro cauſa Groſſulani, & Jordani Romæ celebravit (4). In qua ſupradictus Anſelmus de Puſterla ſecundùm ſuam dignitatem (5) honeſtum locum habuit, & ſedit. Sed neque pro Groſſulano, neque adversùs Jordanum verbum bonum, aut malum in Synodo protulit. Jordanus verò à principio Synodi uſque in finem ſedens, & ſilens à dextera Apoſtolici nullo mediante in ipſa Synodo fuit (6). At Groſſulanus ibi ſtando, & ſedendo inter Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ceu vir prudens intendebat ad deſtruendam Jordani impoſitionem (7), & converſionem (8) eorum, qui ipſam fecerant impoſitionem, & intendendo ad iſta egregiè loquebatur de poſitione, & reſtitutione ſua, qua poſitus, & reſtitutus fuit in Mediolanenſi Eccleſia, cui viro homo, qui in iſta Synodo, ſive in Lateranenſi Palatio contradixerit, certum locum non habuit (9). Sed Dominus Papa Paſchalis quaſi affectans reddere illum placabilem Deo, & ſibi, ejus ſcientiam, ejuſque facundiam (10) commendabat, atque

tur Orientalis hæc porta, ab argenteis radiis naſcentis Solis, cui eſt obverſa, ut interpretatur Puricellius in mon. Baſ. Amb. num. 280.

(13) De hoc inſigni Cœnobio mentio ſuperiùs facta eſt ad cap. 14. Obiit autem Arnulphus Archiepiſcopus anno 1097. die XXV. aut XXVI. Septembris, ut ex Catalogis Archiep. Mediol. conſtat. Interim emendari hinc poteſt Ughellus, qui in Archiep. Mediol. num. 79. ſcribit, ſepultum fuiſſe Arnulphum hunc, *apud S. Victorem, cujus ille Templum ditaverat fortunis, gratiiſque, ac privilegiis exornaverat*, Non enim ab iſto Arnulpho, ſed ab altero ejuſdem nominis II. Templum, ſeu veriùs Monaſterium illud conditum, ac dotatum fuerat, ut in mon. Baſ. Amb. num. 213. Puricellius tradit. Hunc verò Archiepiſcopum in Clivatenſi, ſeu Clavatenſi (quod idem eſt) Monaſterio ſepultum Landulphi evincit auctoritas.

(14) His undecim annis, ſi ad arithmeticum calculum revocentur, locus eſſe non poteſt in Chronologia ſuperiùs ſtatuta, cùm electum dixerimus Groſſulanum ſub finem Auguſti menſis anni 1102. depoſitum verò per Jordani electionem Kal. Januarii 1112. Quocirca exiſtimaverim ab Auctore noſtro numeratos annos vulgari more, ita ut ſecundum & duodecimum, quos tantùm attigit in Archiepiſcopali ſuo regimine Groſſulanus pro completis annis computaverit, quèmadmodum uſurpatum à Domnizone vidimus ſub finem primi capitis, ubi Scriptor ille tres effluxiſſe annos à morte Urbani II. ad obitum Conradi Regis aſſerit; quamvis, adhibito intermedii temporis recto calculo vix biennium elapſum fuerit, ut ibidem adnotavimus.

(15) Mancus eſt hic locus, ac deeſſe videtur verbum hujuſmodi, *juſſitque ut à trabe*.

AD CAP. XXIX. NOTÆ.

(1) Nempe Primicerii Decumanorum, ad quam mortuo ſub finem anni 1113. Andrea Dalvulto ut diximus, ineunte ſubſequenti anno promotum Nazarium fuiſſe credere poſſumus.

(2) Ob cautionem videlicet initio cap. 28. memoratam.

(3) Legendum proculdubio *meamque dimiſit*, ut ſtatim ſubjungitur.

(4) Concilium hoc Paſchalis Pontifex celebravit Laterani, anno 1116., atque unicâ abſolvit hebdomadâ. Acta hujus Concilii ex Abbate Urſpergenſi deſcripſit Baronius, aliique.

(5) Cardinalis nempe Ordinarii Eccleſiæ Mediolanenſis, in cujus hierarchico ordine Levitæ, ſeu Diaconi munus exercebat, ut cap. 17. teſtatus eſt Landulphus. Hic autem obiter adnotandum quanto in honore haberetur Mediolanenſis Eccleſia, ac ſinguli illius primores Miniſtri.

(6) Etiam ex hoc loco ſumma Mediolanenſis Archiepiſcopi dignitas eluçet.

(7) In Archiepiſcopalem ſcilicet ſedem.

(8) Notari hìc videtur mobilis eorum animus, qui Groſſulano primùm faventes in Jordani poſtmodum partes deflexerant.

(9) Silente Anſelmo de Puſterula, ut proximè narravit Landulphus, nemo fortaſſe auſus eſt contra Groſſulanum inſurgere.

(10) Quanta foret in Paſchali opinio de Groſſulani doctrina, ea docent, quæ cap. XI. expoſita ſunt,

Digitized by Google

atque labores, quos ipse Papa per se, suosque Legatos Romæ, & per Longobardorum Provinciam pro ipso Grossulano sustinuerat (11) coram Synodo referebat, & ad leniendam duritiam, & asperitatem eorum, qui nec positionem, nec restitutionem Grossulani susceperant, vel suscipiebant, non solùm de Presbytero Liprando, ejusque lege mentionem faciebat, sed ruinam gambutæ (12) introducebat, quæ ruina tunc apparvit, quando ipse Grossulanus juravit, & ad recipiendam restitutionem ascendit. Insuper inferebat, quòd Grossulani translatio de Episcopatu Saonensi ad Archiepiscopatum Mediolanensem utilitatem non contulerat, quos casus Grossulanus clypeo Ecclesiasticæ consuetudinis, & legis (13) à se quodammodo repellebat. Verumtamen D. Papa, nec Synodus, neque in prima, neque in secunda, neque in tertia, sive in quarta die Synodi Grossulano per singulos dies pro se, suaque causa in Palatio, & Synodo agenti non satisfecit. Sed ipse Grossulanus in quinta die (14), qui fuit ultimus illius Synodi, Apostolico instanti suis cum prædictis objectionibus flendo inquit. Domine, Domine veniam ad vos, quamvis ii, quibus dedisti potestatem judicandi causſam meam, me non diligant. Tunc Portuensis Petrus Episcopus se & cæteros habentes hanc potestatem de malevolentia habita in Grossulanum honestè & sufficienter excusavit, & cùm excusasset, in communi concordia illius excusantis, & cæterorum habentium potestatem istam, prolata fuit sententia, quæ prohibuit Grossulanum Mediolanensem Ecclesiam inquietare, & ad Episcopatum (15) dixit ei redire. Ipse autem non ad Saonam ivit, sed in ipsa urbe apud Monasterium, quod dicitur Sanctus Sabaoth (16) per annum unum, & menses quatuor ut Episcopus vixit, atque ibi sepultus est 8. Id. Aug. (17).

CAP. XXX.

Jordanus Papæ gratias agens Episcopum Brixiensem consecrat, promittens Historico justitiam facere.

JOrdanus verò auditâ, & publicatâ illâ sententiâ de redeundo Grossulano ad Episcopatum coram ipsa Synodo Theatrum (1) ascendit, & ibi ad pedes Apostolici stratus, grates sibi reddidit, & elevatus ab ipso Apostolico gratiam, & virgam Pontificalem in ipso Theatro suscepit. Altera verò die ipse Jor-

---

sunt, Romanam scilicet Curiam, omnesque causas Ecclesiasticas Archiepiscopo huic nostro commendatas fuisse ab illo Summo Pontifice, ut in iisdem plenum jus diceret. Trithemius quoque, cujus verba exscripsit Baronius ad ann. 1116. nobile hoc eidem elogium „ texit: Chrysolanus (ita enim etiam à Baro„ nio nominatur) Ecclesiæ Mediolanensis Ar„ chiepiscopus, vir in Divinis Scripturis eruditi„ssimus, & in sæcularibus literis nobiliter „ doctus, Græcâ & Latinâ eloquentiâ insignis „ edidit quædam magnæ auctoritatis opuscula, „ quibus nomen suum ad notitiam posteritatis „ transmisit, de quibus ad manus nostras nul„ lum pervênit. Posterioribus sæculis repertus est tractatus ab ipso editus de Spiritu Sancto, quem primus vulgavit Baronius, mutilum tamen. Integrum asservari MS. in Bibliotheca Regia sub titulo *Petri Grossulani Episcopi de processione Spiritus Sancti* asserit Pagius ad ann. 1116. num. 5. unde prænomen *Petri* Grossulano fuisse cum Ughello in Epis. Mediolanen. deducere possumus.

(11) In Concilio videlicet Lateranensi II., in quo, Clericis Mediolanensibus, & Liprando ipso actore innocui per ignem transitus, de Grossulani Simonia contestantibus, ipsum absolverat, & fortasse etiam postmodum per Legatos adlaboraverat, ut Episcopis suffraganeis, ac civibus nostris, eundem à Sede Mediolanensi repellentibus, conciliaretur.

(12) Virgæ videlicet Pastoralis, quæ manu exciderat in supradicta Synodo, ejusque lapsus in argumentum perjurii captus ab aliquibus fuerat, ut cap. 12. narratum est.

(13) De consuetudine, ac lege translationum Episcopalium tùm in oriente, tùm in Occidente, consulendus Ludovicus Thomassinus *de veteri & nova Ecclesiæ disciplina* par. 2. lib. 60. & seqq. ubi rem hanc, pro more suo, eruditè ac fusè pertractat.

(14) Quintam diem, Synodi illius postremam, fuisse Sabbatum, ex Abbate Urspergense, discimus, à quo etiam testatum habemus, feria quinta Paschalem in Concilio non sedisse.

(15) Scilicet Saonensem.

(16) Legendum *S. Sabbæ*, quod tunc temporis in monte Aventino constructum Græci Monachi incolebant, eratque antiquissimum, cùm ejusdem mentionem fecerit Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni Summi Pontificis. Anno postmodum 1144. traditum fuisse Monachis Cluniacensibus à Lucio Papa II. testatur Baronius ad eundem annum, & patet ex epistola ejusdem Lucii ad Petrum venerabilem Cluniacensem Abbatem, in qua Monasterium S. Sabbæ à temporibus Beatissimi Papæ Gregorii (nempè Magni) Romæ fundatum, se eidem & successoribus ejus in perpetuum committere scribit; quamvis epistolam hanc ad annum sequentem pertinere Pagius ostendat in crit. ad ann. 1144. num. 5. Cur autem ad illud confugerit Grossulanus, conjecturam hanc producit Purricellius in vita S. Arialdi lib. 4. cap. 90. num. 17. quòd videlicet cùm in oriente (quo tempore Mediolano exulans Hierosolymam perrexerat (egregiè contra Græcos Schismaticos disputasset, Romæ postmodum moram trahens, cum Græcis Catholicis in eo Cœnobio degere, ac supremum illic diem obire lubens selegerit. Cæterùm emendandi hìc sunt Galvaneus Flamma in Chron. Maj. Galesinius in tabul. Synod. Catalogus inscriptus *successores S. Barnabæ*, aliique loco *S. Sabbæ*, *S. Sebastiani* perperam reponentes.

(17) Annum obitus Grossulani præclarè nobis indicat auctor noster; cùm enim Concilium hoc Lateranense absolutum fuerit Martii undecima die anni 1116. ipse verò superfuisse dicatur anno uno mensibus quatuor, liquido constat obiisse illum anno 1117. Verum quidem est, ex calculo quatuor mensium, quos supra annum à Synodo elapsum assignat Landulphus vitæ Grossulani, deduci, quòd ipse non 8. idus Augusti, sed V. idus Julii sepulchro inferri debuerit; totidem enim menses à Martio ad hanc diem intercedunt. Attamen existimo intelligendum auctorem nostrum de contubernio Grossulani apud Monachos illius Cœnobii anno uno, & mensibus quatuor expleto; illuc verò non statim à Synodo peracta se contulisse credi potest, sed aliquot interiectis diebus, iis videlicet, qui usque ad 8. Idus Augusti statutum à Landulpho, quatuor mensium computum superant. Ex his refelli debent auctores nostri, qui in designando extremo vitæ hujus Archiepiscopi anno, longè à vero aberrant, Galvaneus videlicet Flamma, qui annum 1120. ejus morti statuit, & Tristanus Calchus, qui graviori anachronismo ipsum anno 1110. jam defunctum intrepidè affirmat ad illum annum, ne quid dicam de Donato Bossio, qui etiam citiùs Grossulanum fato ereptum dicit, ideſt anno 1109.

AD CAP. XXX. NOTÆ.

(1) Locum nempe supra cæteros assurgentem, in quo defixus erat Paschalis II. thronus, theatrum fortasse appellatum, quòd ibidem nobile sui spectaculum faceret Summus Pontifex; Vox enim ista, prout à Landulpho nostro usurpatur, in glossariis deest.

Digitized by Google

Jordanus Archiepiſcopus monitus à Landulpho Aſtenſi Epiſcopo, & quibuſdam aliis Epiſcopis in quadam Eccleſia Lateranenſi vivo, & depoſito quondam Epiſcopo Armano Brixienſi (2), ordinavit Brixienſem electum in Epiſcopum nomine Villanum (3). In qua ordinatione ſecundùm ordinis mei officium legi lectionem de libro Exodi, atque Mitram de capite illius Villani caſu ruentem in ipſius capite firmavi. Quia Archiepiſcopus iſte Jordanus in diebus, quibus Groſſulanus cauſſam ſuam notificabat, & ego in voce humilitatis, & manſuetudinis geminata dominatione (4) quæſivi audientiam in Synodo, promiſit mihi ſatisfacere Mediolani de omnibus, quæ volebam adversùs ipſum Jordanum conqueri in ipſâ Romana Synodo. Cujus promiſſioni tunc malui credere, quàm Synodaliter decertare, quia ſi ea decertatio directè tractaretur, aut Groſſulanum, & ſuperimpoſitum (5) damnaret, aut divinam, & humanam legem cum ipſo Papa, ſalvâ reverentiâ ſedis copiosè (6) judicio hoc *dico* (*) ſepeliret. Verumtamen Pontifex ipſe Jordanus, quam Romæ ſuſcepit poſt victoriam, & ordinationem iſtam, nullam mihi fieri juſtitiam dilexit, nec fecit, ſed mœſtitiam in me augmentavit.

CAP. XXXI.

Jordanus Henricum Imperatorem excommunicat Mediolani, & Concilium Provinciale celebrat, à quo Hiſtoricum conquerentem expulit.

HEnricum Imperatorem, in quo quodammodo ſperabam, ipſe Jordanus, ſi fas eſt dicere, unà cum Clero, & Populo ſuo, Joanne Cremenſe Cardinali Romano (1) præcipiente (2) in pulpito Sanctæ Teglæ (3) Mediol. excommunicavit (4). Magis verò terræmotus, qui vigilante (5) iſta excommunicatione regnum Longobardorum penitus commovit, & quaſſavit (6), me nimirum vigilare fecit. In eo quippe tempore, gentes, quæ viderant magnas ruinas per civitates, & quælibet loca præſertim per Eccleſias, proferebant guttas ſanguinis ad modum pluviæ de cœlo deſcendiſſe, monſtruoſos partus, & alia multa prodigia in aëre, in aquis, in montibus, planitiis, ſylviſque vidiſſe, & ſubterranea tonitrua audiſſe (7), & in hac Divina viſitatione, & hi qui videbantur eſſe Sacerdotes, ignorabant quò fugerent. Longobardorum autem civitates, & earum Pontifices auditâ legatione Jordani Archiepiſcopi, & Conſulum ejuſdem urbis in ſtatuta die convenerunt (8) Mediolanum

(2) Cauſſam hujus depoſitionis nemo ſcriptorum, quos viderim, protulit. Fortaſſe illum Henrici Imperatoris ab Eccleſia damnati partibus ſe ſe devoviſſe quis ſuſpicabitur; ſed ne hoc quidem difficultate caret, cùm Joannes alter Brixienſis Epiſcopus ab Henrico Imperatore intruſus uſque ab anno 1107., ut docet Florentinius, perſeveraſſe in ejuſdem gratia conjiciatur ex diplomate dato in illius favorem à prædicto Henrico, anno 1123., quod in Epiſ. Brixien. Ital. Sacr. novæ edit. produxit laudatus Galeardus. Silente itaque hiſtoria, divinare illam nolumus.

(3) Legitimæ hujus conſecrationis, anno 1116. peractæ, notitiam auctori noſtro debet Brixienſis Eccleſia, quæ perturbatis eo tempore Eccleſiaſticis rebus, plures ſimul Epiſcopos ſortita, hinc Pontificia, inde Imperiali parte ſuum viciſſim Antiſtitem ſubſtituente, eorundem Chronologicam ſeriem valde implexam habet. Cæterùm hic Villanus, cùm Anacleto Antipapæ impensè faveret, ab Innocentio II. Summo Pontifice excommunicatus, ac Epiſcopatus honore exutus eſt, non anno 1131., ut ſcripſit Ughellus, ſed 1132. ut ex diplomatibus ab eodem Innocentio hoc anno Brixiæ datis colligimus, quamvis ea ſequenti anno 1133. exarata fuiſſe perperàm putarit Galeardus, non advertens annum Incarnationis more Piſanorum in iis anteverſum eſſe.

(4) Corruptus videtur hic locus, ita ut legi debeat *petitione*. Altera lectio MS. Bibl. Ambr. habet *geminatam donationem*; nihil tamen etiam ab ea recti ſenſus elicitur, niſi forſan legi debeat *geminata devotione*.

(5) Ideſt Jordanum, in Archiepiſcopum contra Groſſulanum electum.

(6) Affluentiâ nempè rationum, quas ipſe productus fuiſſet.

(*) A. 2. *dicto* non habet.

AD CAP. XXXI. NOTÆ.

(1) Præsb. tit. S. Chryſogoni à Paſchali II. creato, ut refert Oldoinus.

(2) De hac legatione Joannis Cremenſis nec Oldoinus, nec Baronius, nec alius quiſpiam aliquid edidere; ex noſtro tamen auctore conſtat huc miſſum, ut contra Henricum Imp. anathema publicè indiceretur; nonniſi enim Apoſtolica auctoritate id præcipere poterat.

(3) Hinc patet rediiſſe Jordanum in hanc urbem eodem anno 1116. atque excommunicationem in Henricum ab ipſo prolatam eſſe intra illud tempus, quod à Paſchate Reſurrectionis Dominicæ ad tertiam Octobris Dominicam interfluit, juxta ſuperiùs dicta de hac S. Theclæ Metropolitana Eccleſia in adnot. ad cap. 28.

(4) Cauſſa hujus excommunicationis non alia eſſe debuit, quàm quæ expoſita fuit in ſupradicto Lateranenſi Concilio à Conone Card. Epiſ. Præneſtino, ob videlicet captum indignèque tractatum Summum Pontificem, tractoſque in vincula, ac expoliatos Cardinales, & nobiles Romanos anno MCXI., propter quæ alibi pluries Henricus anathemate perculſus fuerat, ut Conradus Abbas Urſpergenſis ad hunc ann. narrat.

(5) Phraſis auctori noſtro familiaris, adhibita pro *vigente*.

(6) Feralem hunc Italiæ urbibus terræmotum contigiſſe anno 1117. ſcribit Rogerius de Hoveden ſcriptor Anglicus æqualis, qui etiam tradit, XL. dierum ſpatio duraſſe, eoque adeò concuſſam Longobardiam, ut plurima domorum ædificia corruerint. Rem quoque ſubdit ad urbem noſtram pertinentem, atque ideo „ minimè omittendam; ait enim. Viri Mediolani Patritiæ dignitatis dum de Republica „ tractantes ſub una reſiderent turri, auribus „ omnium vox foris inſonuit, unum ex illis nomine vocans, & feſtinatò exire rogans; quo „ tardante perſona quædam apparuit, quæ vocatum virum, ut egrederetur, prece obtinuit. „ Exeunte illo turris repentè cecidit, & omnes, „ qui ibidem erant, caſu miſerabili oppreſſit„ Diem quo primùm quaſſari tellus cœpit tam luctuosâ ædium ruinâ, adnotavit Chronographus Hildensheimen. apud Pagium num. 12., tertium videlicèt menſis Januarii anni prædicti.

(7) Fuſiùs hæc deſcribuntur à Sigon. de Regn. Ital. lib. X. & Conrado Lycoſtene in Chron. prodigiorum ad hunc annum.

(8) Concilium hoc Mediolanenſe inſtitutum fuiſſe ſub finem Februarii anni 1117., cenſuit Puricellius in Mon. Baſ. Ambr. num. 325. eo ductus argumento, quòd Landulphus noſter cap. ſeq. aſſerat, *poſt hoc colloquium & tempus terræmotus non ultra decem menſes & dimidium vixiſſe Paſchalem II.* Verùm, præterquamquod fallitur aſſerens Paſchalem *medio menſe Januario* obiiſſe, ut in adnot. ad ſequens cap oſtendemus, id etiam adverti debet, epocham obitus Paſchalis affigi à Landulpho non Concilio Mediolanenſi, ſed colloquio Aren-

Digitized by Google

num in Prato Sancto (9), quod dicitur Brolium, ubi Archiepiscopus, & Cos. duo Theatra constituerunt: In uno Archiepiscopus cum Episcopis, & Abbatibus, & Ecclesiarum Prælatis stetit, & sedit; In altero Cos. cum juris, legum, & morum Peritis, atque in circuitu eorum affuit innumera multitudo Clericorum, & Laicorum, mulierum quoque, & virginum expectantium sepelitionem vitiorum, & suscitationem virtutum. Verumtamen Presbyter Olricus de Sancto Martino, qui pro Domino suo Grossulano adhuc in Roma vivente Crucem ferebat, nec ego qui pro me, meoque Magistro, scilicet Presbytero Liprando jam Pontidii sepulto justitiam quærebam, & Crucem portabam, in eloquio illo, sive tempore audientiam habuimus, Jordano prohibente, atque in me furente. In isto namque tempore terræmotus Jordanus, ejusque Vicedominus Olricus unà cum quadam turba *pravorum* (*) hominum descendit ad Arenchium (10), ubi plures homines me absente invênit, atque ego cùm essem penitùs hujus concionis, sive Arenchii ignarus, Rolandus ablaticus Lanfredi coram Jordano, totaque illa gente mentitus ait: me fore perjurum Jordani, quem Jordanus mendacii hujus certissimus non correxit, sed conticuit. Vicedominus verò tenerè me excusavit, licèt illum Rolandum esse mentitum approbatissimè novit. At ego longè magis solicitus, altera die veni in locum, qui dicitur Brolium Archiepiscopi (11), ibique cùm tenerem Crucem (12), & pignus (13) in manibus meis, & pro justitia mihi conservanda quærerem audientiam ab ipso Jordano, & cuncto populo, ibi timore ruinæ materiarum congregato (14), ut Missam, & prædicationem audiret, idem Jordanus in me abusivè clamavit: Landulphe, homo Diaboli, tace. Sed & cùm vidissem populum, & gentem ferè totam intendere ad vocem meam, prosiluit de Cathedra cum furore dicens: Si illum audieritis, me non audietis. Tunc furentis turba populi oblita sui jurati juris (15), vociferavit mihi: Tollete hinc, tolle. Ab eis itaque recessi. Sed hi, qui ibi, & alibi pacem, & remissionem peccatorum (16) tam in isto Pontifice, quàm à Suffraganeis ejus, & Consulibus ejus susceperunt, non diu misericordes, aut pacifici habiti sunt.

CAP.

Arenghi, ubi remissionem peccatorum indulserat Jordanus, ut ostendunt verba initio capitis sequentis posita. Citiùs igitur, juxta hic narrata crediderim collectam hanc Synodum, circa medium nempe Februarium; id enim erui potest ex verbis paulò infrà hìc positis; *in illo namque tempore terræmotus*, quæ certè indicant intra XL. dierum intervallum hujusmodi terræ concussionis ab Hovedeno superiùs adnotatum, hæc accidisse; nec celeriùs statui potest, si aliqua inter indictam, & celebratam hoc anno Synodum istam, mora itinerum convocatis suffraganeis Episcopis concedi debet; Quamvis si candidè verum fateri debeam, valde arduum ad prudentem fidem videtur, credere, tempore ferventis in hac urbe terræmotus, confluere voluisse ad eandem provinciales Episcopos, ac celebratam tanta solemnitate Synodum memoratam; quocircà non abs re esset autumare, ea, quæ tanquam post Concilium acta inferiùs narrantur, contigisse revera tempore terræmotus, sed ea Landulphum nostrum hìc præposterè confessisse, ut ostenderet malè affectum semper fuisse erga se animum Jordani; Concilium tamen dilatum fuisse, quousque depulso timore præteriti infortunii, securiùs agi res posset. Hoc enim posito faciliùs admitti queunt, quæ Puricellius adnotaverat, videlicet celebratum verè fuisse Concilium decem cum dimidio mensibus ante Paschalis mortem; sic namque in VI. Martii diem Synodus incidisset, quo tempore pax animis agitatis redire potuerat, quieta jam tellure ab idibus Februarii. Ne tamen huic opinioni, à me prolatæ, indulgentior sim, verat Landulphus ipse, qui cap. 35. narrat in Terdonensi palatio, ab Episcopis & Cardinalibus Callistum II. comitantibus, declaratam fuisse irritam sententiam quandam *quam Jordanus Archiepiscopus cum suis Consulibus, in tempore terræmotus, de suo Theatro divulgaverat*; id enim procul dubio ad hoc Concilium referri videtur.

(9) Quinam esset hic locus, *Pratum Sanctum*, appellatus, nullum in antiquis urbis nostræ monumentis vestigium invêni. Fortasse in archetypo litera tantùm initialis *S.* legebatur, quam Amanuensis pro *Sancto* exarandam putavit, cùm tamen scribi deberet *scilicet*, quemadmodum in altero ex MSS. Biblioth. Ambr. expresse legitur. Certè Landulphus cùm de altera Synodo a Grossulano celebrata in hoc eodem Prato sermonem habuit cap. 9. *Sancti* vocem minimè adjecit: vide quæ ibidem retulimus.

(*) A. 2. *paucorum*.

(10) Describit hoc Galvaneus Flamma in Chron. „ Maj. cap. 43. his verbis: Inter Ecclesiam „ majorem, & Ecclesiam S. Theclæ fuit quod„ dam ædificium dictum *Arena*, nunc dicitur *Arengum*; & erat rotundum & magnum, cu„ jus muri erant alti, nigro, & albo marmore „ vestiti, & erat locus atrocitatis magis, quàm „ consolationis, quia rei ibi puniebantur &c. „ De hoc Arengo meminit Tristanus Calchus „ ad ann. 1162. & Puricellius plura disserit in „ Mon. Bas. Ambr. num. 441.

(11) In Catalogo Archiep. Mediol. MS. in Bibl. Ambr. quem conscripsit presb. Antonius Confanonerius anno 1408. ubi de Alamanno, seu Adelmanno Archiepiscopo nostro fit mentio, hæc leguntur: *Extra Civitatem erat Brolium, ubi nunc feria VI. fiunt nundinæ, quod appellabatur Brolium Archiepiscopale, ubi statutis horis diei aliquas pias causas audiebat.* Fortasse conditum erat hoc Brolium Archiepiscopi ea in area, quæ etiam in præsens nundinis præcipuè equorum quolibet Sabbato inservit, jacetque ante Ticinensem Portam in amplam protensa planitiem.

(12) Is enim Italorum mos erat, ut habentes querelas crucem manibus præferrent, teste Radevico in continuat. Ottonis Frinsingen. lib. 2. cap. 5. de quo fusè Felix Osius in notis ad Morenæ historiam num. 64. atque ad hunc morem revocanda sunt quæ de Cruce perlata vel à se vel ab aliis in hac historia pluribi narrat Landulphus.

(13) Nempe vadium, seu fidejussionem; ea enim formula olim in judiciis obtinebat, ut de prosequenda appellatione pignus daretur. Hujus rei exemplum reperies in annal. Rogeri de Hoveden. part. poster. pag. mihi 693. Plura lege in glossar. Du-Changii v. *Vadium*. Antiquis erat *vadari*, vel *vadimonium sistere*, *promittere*, *concipere*, & *obire*, ut in Brissonio de verb. signif.

(14) Hinc quoque dignosci potest, acta hæc fuisse, vigente adhuc terræmotu.

(15) Libertatis videlicèt publica auctoritate firmatæ, qua cuique licebat eo in loco jus suum proferre.

(16) Intellige *quo ad pœnam*, quæ Indulgentiarum munus est, nec plenaria dabatur, cùm permagna tùm foret Episcoporum parcitas in iis dispensandis, ut docet Thomassinus de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 15. num. 3. & seqq. Certè in dedicatione Ecclesiæ S. Sepulchri solenniter peracta anno 1100. Anselmus Archiepiscopus noster eandem visitantibus tertiæ tantummodo delictorum partis remissionem indulsit, ut in documento penes Puricellium ad annum illum relato legitur. Ex Urspergensi verò constat, etiam ab ipso Paschali II. Summo Pontifice nonnisi XL. dierum indulgentiam concessam fuisse anno 1116. visitantibus, ac venerantibus limina Apostolorum.

PUBLICA BIBLIOTECA DERECHO
Digitized by Google

CAP. XXXII.

Mortuo Paſchali Imperator Burdinum in Antipapam eligi fecit, quem Gregorium nominavit.

PAſchalis Papa, ad quem religio, & remiſſio peccatorum tunc ſpectabat, poſt hoc colloquium, & tempus terræmotus non ultra decem menſes, & dimidium vixit (1). In tempore cujus mortis Imperator, audita legatione Romanorum, (2) à Taurinenſium partibus (3) Romam adire feſtinavit (4). Ex qua urbe ſimul cum Romanis quarto nonas Martii miſit Gagetas (5) Legatos, legando Joanni Gagetano electo in Papam, Cardinalibus quoque, & Epiſcopis, qui cum ipſo erant Gajetis, uti Romam redirent, & in Eccleſia B. Petri hoc quod faciendum erat de Papa ſubſtituendo unà cum ipſis juſtè, & catholicè facerent (6). Sed ſeptimo Idus ejuſdem Martii in Eccleſia B. Petri præſente Imperatore Henrico, & populo Romano, Cleroque aſtante, in aliquo illud reſponſum, quod Legati Imperatoris Romanorum vel cum eligentibus à prænominato electo audierunt, & ſuſceperunt quodammodo relatum eſt, videlicet, quòd in proximo Septembri ipſe cum Cardinalibus, & Epiſcopis A Provinciarum, Mediolani, vel Cremonæ eſſet, (7) & tunc Romani, & Imperator quid agendum ſit de ſe in Papam electo, vel alium ſubſtituendo per doctrinam Cardinalium, & Epiſcoporum ſufficienter cognoſcerent. Romani verò non intelligentes hanc reſponſionem fore ſufficientem & legibus, & Canonibus, atque ſuis petitionibus convenientem commoti clamaverunt: numquid honorem Romæ volunt illi transferre Cremonæ? Abſit. Sed ut ubique valeamus aſtutias eorum opprimere, qui à nobis exierunt, & Cajetas fugerunt, ſecundùm auctoritatem legum, & Canonum eligamus nobis Papam prudentem, & bonum juxta iſtam, vel conſimilem formam verborum Romanorum. Magiſter Guarnerius de Bononia (8), B & plures legis Periti populum Romanum ad eligendum Papam convenit (9), & quidam expeditus lector in pulpito S. Petri per prolixam lectionem decreta Pontificum de ſubſtituendo Papa explicavit. Quibus perlectis, & explicatis, totus Populus elegit in Papam (10) quendam Epiſcopum Hiſpaniæ (11), qui ibi aderat cum Imperatore. Quem electum Imperator duxit in pulpitum, ubi ipſe electus interrogantibus de ſuo nomine dixit: meum nomen eſt Burdinus (12), ſed quando Papa Urbanus ordinavit me Epiſcopum, nominavit me Mauritium (13). Tunc quidam de indutis ha-

AD CAP. XXXII. NOTÆ.

(1) Obitus Paſchalis incidit in diem XXI. Januarii anni 1118. ut Petrus Diaconus, Chronographus Malleacen., & Pandulphus Piſanus teſtantur; quamvis hic poſtremus in vita ejuſdem Paſchalis ponat XV. Kal. Februarii, errore forraſſe Amanuenſis, cùm ſcribendum eſſet XII. Kalendas, ut ex ipſo met Pandulpho eruitur, qui poſt tres vacantis Sedis dies electionem ſucceſſoris die 25. Februarii contigiſſe aſſerit.

(2) Qua videlicet monebatur de feſtinata electione in Summum Pontificem Joannis Cajetani S. R. E Cardinalis ſub nomine Gelaſii II. Hujus Pontificis vita à Pandulpho Piſano familiari conſcripta cum prolixis commentariis Conſtantini Cajetani data eſt tomo III. hujus collectionis.

(3) Non à Taurinenſi, ſed à *Paduano* agro profectum fuiſſe Henricum, ut Romam ſe conferret, ſcribit Abbas Urſpergenſis ad hunc ann. 1118. idemque tradunt Gobelinus Perſonæ ætate 6. cap. 58. ac Sigonius de regn. Ital. Quid ſi fortè Landulphus ſcripſerit *à Tarviſienſium partibus*, ejuſque loco Amanuenſis, malè intellecto verbo illo, repoſuerit *Taurinenſium*? Si genuina eſſet lectio, quam affert Pagius junior in *Gregorio Antipapa* num. 5., ubi verba Urſpergenſis Abbatis adducens, loco *dum Paduanis regionibus immoraretur*, legit *Padanis regionibus*, conciliari optimè poſſent, quæ de diſceſſu Henrici *à Taurinenſium partibus* Romam versùs tradit Landulphus noſter. Attamen cùm in Chronicis Urſpergenſis Abbatis à me inſpectis clarè legatur *Paduanis regionibus*, nec aliud ejuſdem exemplar viderim, rem indeciſam relinquo, quam nonniſi ex diplomatibus, ſi quæ emerſerint, elucidari poſſe exiſtimaverim.

(4) Diem ingreſſus Henrici Imp. in Urbem adnotavit Falco in Chron. nempe ſecundam Martii ingredientem; noctis enim ſilentio, & inſtructis inſidiis Romam intraverat.

(5) Ideſt *Cajetam* Gelaſii II. patriam. Cauſam profectionis narrat prædictus Falco: Apoſtolicus itaque Regis ipſius adventum ſic latenter deprehendens, reminiſcens qualiter Rex ipſe Dominum Papam Paſchalem ejus prædeceſſorem, & Cardinales fraude, & dolo cepiſſet, abſque mora Cardinalibus convocatis fluvium Tyberis ingreſſus eſt, deinde proſperis ventis mare ſulcantes pervenerunt *Calenum* (veriùs *Cajetam*), ut notat etiam Pagius.

(6) Diverſimode legationem hanc refert idem Falco; inquit enim, delegaſſe Henricum ad Gelaſium II. nuncios, ut in Urbem reverteretur, quoniam ad ejus conſecrationem libentiſſimè intereſſe, & corroborare deſideraret, ſed animadversâ Imperatoris nequitiâ à Summo Pontifice increpatos fuiſſe Legatos, ac re infecta dimiſſos.

(7) Hæc eadem narrat Gelaſius ipſe in epiſtola ad Gallos, quæ in tom. X. Concil. Labbei pag. 817. legitur. Controverſiam tamen ibidem decidendam eam eſſe dicit Gelaſius, quæ inter Eccleſiam, & Regnum vertebat, non quæ hic ſubjungitur de electione facta, aut ſubſtitutione facienda Summi Pontificis. Item non in proximo Septembri ſe adfuturum Mediolani, vel Cremonæ ait, ſed in proxima B. Lucæ feſtivitate, quæ die 18. Octobris celebratur.

(8) Hunc memorat Otho Morena in hiſt. rer. Lauden. ad ann. 1158., eumque ait fuiſſe magiſtrum quatuor inſignium legis Doctorum, quos ad colloquium cum Italiæ Principibus in Ronchaliis initum Fridericus Ænobarbus acciverat, ſubditque Diſtichon, quod in extremis laborans confecit, cùm à diſcipulis ſuis interrogaretur, quem ex quatuor illis Doctoribus ſucceſſorem ſibi in Cathedra deſignaret.

(9) Ideſt *congregavit*.

(10) Quo die peracta fuerit nefaria hæc electio docet ipſemet Gelaſius in epiſt. ſuprad. in qua ſcribit fuiſſe diem XLIV. à ſua electione, nempe nonum, vel decimum Martii. Conſonat auctor noſter, qui ad VII. Idus ejuſdem menſis ferale hoc ſchiſma conflatum tradit.

(11) Fuerat primò hic Pſeudopontifex Epiſcopus Conimbricenſis, inde verò defuncto S. Gerardo Bracharenſi Archiepiſcopo, in illius ſedem ſucceſſerat anno 1110. Pallium à ſe eidem datum, (cùm videlicet ſub Paſchali II. Diaconi Cardinalis & Cancellarii munus obiret), teſtatur ipſe Gelaſius II. in epiſt. ſup. relata.

(12) Varia de hoc nomine inter ſcriptores agitantur, ut tradit Baluzius in ejus vita tom. 3. miſcell. inſerta, qui tamen Roderico à Cunha in hiſt. Eccleſ. Archiep. Bracharen. adhæret, ut credat, gentilitium hoc ipſius cognomentum fuiſſe.

(13) An primò inditum illi foret hoc nomen à Summo Pontifice, an verò proprium ipſius eſſet, definiri hinc facilè nequit. Mauritium Burdinum appellatum ſimul fuiſſe tradunt inſignes Scriptores apud Baluz. loc. cit. Fortaſſe, cùm ſe

Digitized by Google

habitu Ecclesiastico de pulpito ad Populum tertiò clamavit: Vultis Dominum Mauritium in Papam? Qui tertiò respondentes, & clamantes, dixerunt: volumus. Tunc ipse cum cæteris astantibus Clericis aperto libro super hunc Electum, & manto coopertum sublimi voce clamavit, dicens: & nos laudamus, & confirmamus Dominum Gregorium. Facta igitur electione ista ad hunc modum, Imperator hunc Papam suum Gregorium (14) permovit, & per castrum Sancti Angeli in Palatium Laterani perduxit. In quo iste Pontifex, si fas est dicere, cathedram sedit, & prandium sumpsit, & pernoctavit. Altera vero die nullo mediante idem Papa eumdem Imperatorem ad ipsum Palatium suscepit, & cum ipso ad Ecclesiam Sancti Petri rediit, ante cujus, & super cujus altare de Clero coram Imperatore, & pluribus Romanis in eadem die ad Ordines promovit, & Missam cantavit. Ibique per quòt dies, & menses habitavit (15), & fidelitatem suscepit, atque splendidè de lege Dei, & Ecclesiasticis consuetudinibus prædicavit absque ullo rancore, pacem regno, & sibi, & suum Papam Gajetano Joanni Papa electo exclamavit (16), donec Imperator iterum ad Germaniam rediens, (17) ipsum Gregorium suum Papam in Sutrina civitate, quasi securum fecit (18).

CAP. XXXIII.

Gelasius Papa Gajetæ consecratus Januam, & Pisas fugit, tandem in Franciam, ubi moritur.

IN temporibus autem istis, in quibus hic Gregorius de Clero quendam ante altare Sancti Petri ad Ordines promovit, Gajetanus in Papa electus, & Presbyter, & *propterea* (1) apud Gajetam solemniter est consecratus, (2) & Gelasius Papa Secundus est vocatus, qui etiam per plures dies, & menses (3) Cathedram Apostolicam in Laterano sedit, ipsumque palatium cum Cardinalibus, & Episcopis habitavit. Deinde ipse cum navigio Pisas, Januam, pluresque Civitates, & loca super mare posita quæsivit (4). Eadem navi ejus affixa S. Ægidio (5) Regnum Franciæ intravit, & cùm benignè foret receptus à Principibus illius Regni (6), de mundo migravit Duniaci (7). Cui Viennensis ille Episcopus successit (8), de regia stirpe genitus (9), & Synodum, quam ipse Papa Gelasius convocaverat, iste Archiepiscopus Rhemis celebravit (10): Sed priùs cum Imperatore col-

se priùs Burdinum tantummodo passim diceret, Summus Pontifex, pro more Episcoporum nullam familiæ mentionem suis in titulis gerentium, ipsum ex Baptismi nomine Mauritium nuncupavit.

(14) Nempe VIII. hujus nominis.

(15) Usque ad secundum Junii ejusdem anni 1118. Burdinum sub Gregorii VIII. nomine Romæ mansisse certum est ex Petr. Diac. lib. 4. cap. 64. qui eo die, Pentecostis solemnitati tum sacro, Henricum Imperatorem iterum coronatum ab ipso fuisse testatur.

(16) Seu *per contemptum desiit*.

(17) Statim à coronatione in Liguriam rediisse Henricum, tradit Petrus Diac. loc. cit. Continuator verò Chronici Sigeberti hæc insuper addit ad hunc ann. 1118. „ Henricus Imperator ab Italia in Lotharingiam repatriat, & „ secundùm illud: *qui à multis timetur, necesse* „ *est, ut multos timeat*, conjuratos in se Regni „ Principes modò minis, modò blanditiis, modò vi, modò satisfactione ad pacem invitat.

(18) Altera lectio MS. Bibl. Ambr. habet *securum duxit*, incongruè tamen; Henrico enim discedente, non illico Sutrium petiisse Burdinum, sed Romæ adhuc moratum fuisse ex Pandulpho in Gelasii vita discimus, qui de Henrico loquens ait *eâdem viâ, qua venerat, in Alamanniam rediit, idolo suo in urbe relicto.*

AD CAP. XXXIII. NOTÆ.

(1) Legendum *Papa*, pro ut in altero ex MSS. Bibl. Ambr. congruè scriptum reperitur.

(2) Eodem circiter die, quo superiùs diximus acclamatum Romæ Pseudo-pontificem Burdinum, consecratus est Cajetæ legitimus Pontifex Summus Gelasius; cùm enim tantùm Diaconus foret eo tempore, quo ad supremam Sedem promotus fuit, & teste Falcone Beneventano loc. cit. nonnisi jejunii tempore, idest in IV. Temporibus Sacri Ordines conferrentur, non potuit, nisi nona die Martii, in quam anno 1118. incidit Sabbatum IV. Temporum vernalium, Presbyter ordinari, dìeque X. Romanus Pontifex consecrari; quocirca emendandum Pandulphi textum malè ab Amanuensi descriptum, ubi legitur *Gelasius infra Kal. Martii in Papam consecratur*, advertit Pagius ad ann. 1118. num. 6.

(3) Uno tantùm mense, & paucis diebus Romæ sedisse Gelasium II. cùm primò ad Cathedram S. Petri ascendit, ex superiùs dictis patet; Creatus siquidem Summus Pontifex XXV. Januarii, die secunda Martii Urbe abscedere coactus est, metu Henrici jam ad porticum S. Petri concubia nocte latenter properantis: Burdino verò, atque Henrico post Pentecostis festum Româ digressis, in Urbem rediit Gelasius, peregrini tamen potiùs, quàm domini specie, ut loquitur illius itineris comes Pandulphus; sed pauco etiam tunc tempore morari potuit ibidem optimus Pontifex, Henrici fautoribus denuo in ipsum per arma insurgentibus, adeò ut Kalendis Septembris vix elapsis, Pisas solvere, atque in Gallias migrare selegerit, ut ex Falcone jam memorato testatum habemus.

(4) Glorioſa ubique pietatis, ac muneris sui Pontificii monumenta reliquit Gelasius, quæ hic recensere non vacat, sicuti nec loca mari circumflua ab ipso in itinere peragrata, quæ ab Auctore nostro innuuntur, cùm hæc in Pandulpho superioribus Tomis edito, & in utroque Pagio legi commodè possint.

(5) Attigisse portum S. Ægidii cum sua navi Gelasium scribit Pandulphus citatus. Cùm tamen Fanum S. Ægidii, in Occitana Provincia positum, unâ leucâ à Rhodano fluvio distet, appulisse ad Rhodanum Pagius asserit ubi supra num. 14.

(6) Id tradit etiam Falco loquens de Gelasii in Gallias accessu his verbis. *Continuò Archiepiscopi omnes, & Episcopi, Procereſque alii, gaudio cum ineffabili, & honore immenso eum susceperunt.*

(7) Legendum *Cluniaci*, quò se perferri, cùm Matiscone gravissima agritudine laboraret, instantissimè præcepit, ut Hugo Monachus Cluniacen. apud Pag. ad ann. 1119. num. 3. testatur, ibique extremum vitæ suæ diem imposuit, pleuritico morbo consumptus, die XXIX. Januarii anni 1119.

(8) Guido Viennensis Archiepiscopus post duorum dierum interpontificium, Kal. videlicet Februarii, ut contra Ordericum, & Papebrochium statuit Pagius loc. cit. num. 5, Gelasio successit sub nomine Calisti II.

(9) Patrem habuit VVilhelmum Burgundiæ Comitem, sororem verò nomine Gillam, quæ Humberto II. Comiti Maurianensi, seu Sabaudiæ nupta Adelaidem peperit Ludovico VI. Francorum Regi anno 1115. in matrimonium collocatam, ut Pagius loc. suprad. testatur. Consanguinitatis lineam à Regibus Alamanniæ, Franciæ; atque Angliæ duxisse scribit Pandulphus in ejus vita.

(10) Indictum fuisse à Gelasio II. Concilium in media Quadragesima Remis celebrandum tradit Eadmerus coævus Scriptor apud Pagium ibid. num. 2. Votum Gelasii absolvit Calistus II., à quo vigesima Octobris die anni 1119. celebratum Remis fuit. Concilium à Labbeo Tom. 10. relatu m.

colloquium (11) habere disposuit. De concilio autem isto, sive colloquio plura scribere, digitum meæ sexagenariæ ætatis (12) non constringo.

CAP. XXXIV.

Bellum inter Mediolanenses, & Cumanos oritur, in quo Civitas Cumana destruitur.

SEd ad prænotandam inquietudinem Langobardorum, meamque molestiam redeo. Quoniam quidem ubi Imperator à Roma exivit (1), & se à prædicto Papa Gregorio sive Burdino prolongavit, mox manus Guidonis Cumani Episcopi, ejusque militum, & civium violenter appræhendit Landulphum Carcanensem Mediolanensis Ecclesiæ Clericum Ordinarium, & ministrum (2), atque in ipsa appræhensione interfecit Ottonem ipsius Landulphi nepotem (3), & urbis Mediolani egregium Capitaneum. Hinc Jordanus Pontifex Mediolanen. concionem militum, & civium clamantium in Cumanos (4) intravit. Ibique connumerando, & lamentando quamplura mala, quæ Cumani fecerant in rebus, & hominibus Archiepiscopatus Mediolanen. ipsam turbam concionis ad faciendam vindictam inflammavit. Eodem quoque tempore idem Pontifex Jordanus obseratis januis Ecclesiarum suo populo negavit introitum (5), nisi materiali gladio vindicaret malitiam Cumanorum. Demum ad sonitum vocis, & jussu hujus Pontificis Mediolanensis populus cœpit facere guerram Cumanis, (6) atque in primo exercitu, quo Mediolanenses castram etati sunt in Caneto (7), civitatem ipsam Cumanam occupaverunt, ipsumque Landulphum, qui investituram Cumani Episcopatus à Rege (8), & ordinationem à Patriarca Aquilejensi (9) suo Metropolitano susceperat, de captione liberaverunt. Sed Cumani illico restituti Mediolanenses expulerunt, & quos invenerunt jacentes in fuga, sive in spoliis oneratos, in morte, & in ore gladii dimiserunt (10). Guilicionem verò Bucardum, & Lanterium Sicheri, quendam quoque meum nepotem, & plures de egregiis militibus, & civibus Mediolani resistentibus ipsis fugantibus occiderunt. Marchiones verò, & Comites Longobardiæ in hac tempestate (11) convenerunt Mediolani, ut ibi coram Episcopis Suffraganeis, & Comprovincialibus explicarent Imperatoris innocentiam, & ipsum Imperatorem perducerent in Archiepiscopi, & Episcoporum benevolentiam. Episcopi itaque consedentes in Palatio Mediolanensi, unà cum Archiepiscopo attentè audierunt Marchiones, & Comites fideliter loquentes de Domino suo, propter quorum verba quamplures arbitrati sunt Imperatorem esse alienum ab excommunicationis culpa (12). Sed dum Archiepiscopus, & Episcopi contentiosè adversùs Marchiones, & Comites, Duces, & Reges (13) disputarent, milites, & cives Mediolani in atrio Ecclesiæ jurabant facere guerram Cumanis, donec Vicum, & Coloniolam (14) destruerent,

(11) Series hujus colloquii verè statuti, sed minimè initi ob malam Henrici fidem, disertè describitur in Hessonis Scholastici Commentariolo de Actis hujus Concilii Remensis, inserto in Concil. Labbei Tom. X. col 872.

(12) Hinc annus, quo Landulphus in lucem editus est deduci potest, sexagesimus enim circiter sæculi XI. esse debuit, si calculus annorum ab hujus Concilii celebratione desumatur: Attamen cùm primo hujus Historiæ capite Landulphus asserat, se tempore Robaldi jam infulam Archiepiscopatus Mediolanensis ferentis scribere incœpisse, ætas illius nonnisi ab anno 1135. quo Robaldus electus est Archiepiscopus, aut aliis duobus, in quibus Historia hæc definit, computanda est: quocirca dicendum, Landulphum circa annum 1076. enatum fuisse.

AD CAP. XXXIV. NOTÆ.

(1) Post diem nempe 2. Junii anni 1118. ut superiùs dictum est.

(2) Idest *Diaconum*. Violentæ autem hujus appræhensionis ab Auctore nostro relatæ causa fuit, quòd Landulphus ab Henrico Imp. institutus fuerat ejusdem urbis Episcopus contra eundem Guidonem Gelasio II. legitimo Pontifici adhærentem, ut in decursu hujus cap. Landulphus noster narrat.

(3) In hoc tumultu non tam Ottonem, quàm alterum ex ejus nepotibus nomine *Bolanum*, imò etiam Landulphum ipsum Pseudo-episcopum, dum arma capiuntur, interemptum Tristanus Calchus lib. 7. hist. patr. & Ughellus in Epis. Comen. num. 48. tradidere; falsò tamen: Ex nostro enim Auctore constat, Landulphum prædictum à vinculis paulò post à Mediolanensibus ereptum, ut infra narratur.

(4) Tristanus Calchus loc. cit. rem narrat, quæ Mediolanensium iræ in Comenses succendendæ faces subdidit, eaque refertur etiam à Benedicto Jovio lib. 1. Hist. Novocom. videlicet, conjuges & propinquos interfectorum vestes laceras, & adhuc sanguine infectas Mediolanum detulisse, & cum lachrymis, ac miserabili ejulatu Jordano Archiepiscopo, & cuncto Populo ostentasse, rogasseque, ne tam sæva, ac inhumana crudelitas inulta relinqueretur: Moros inde lachrymis, & habitu squalentium cunctos ad commiserationem, tandemque decretum, bello prosequendam injuriam esse. Alteram tamen causam Jordano fuisse, ut ad bellum contra Comenses Populum suum armaret, affert Landulphus noster, nempe mala, quæ Comenses in rebus, & hominibus Mediolanensis sui Archiepiscopatus perpetraverant.

(5) Idest interdicti pœnam comminatus est.

(6) Incœptum fuisse hoc bellum contra Comenses anno 1120. Sigonius asseruit de Regn. Ital. lib. X., malè tamen, ut ex nostro Auctore perspicuum fit, illud affigente eidem anno, quo Henricus Imp Româ discessit, idest 1118. ut jam prænotavimus.

(7) Ager est adjacens duobus insignibus Vicis Comensis ditionis, *Grandato* videlicet, ac *Lucino*.

(8) Henrico nempe hujus nominis IV. qui eundem in Episcopatu substituit Hartuvico ejusdem urbis Episcopo ab ipso olim instituto, ac defuncto anno 1093. vel 1094. ut Primus Aloysius Tattus docet in Annal. Comen. ad ann. 1093 num. 18., propterea verò Landulphus ab Urbano II. excommunicatus, atque ab Episcopali dignitate detrusus fuit anno 1095. ut idem Tattus ad hunc ann. refert.

(9) Ulrico scilicet, quem ultra annum 1118. vitam produxisse, additamenta in Ughelli Ital. Sacr. Tom. V. edit. Venet. num. 57. comprobant.

(10) Pugnam hanc disertè Calchus describit; Plura in Comensi Anonymo superiùs edito leges.

(11) Idest hoc eodem anno 1118.

(12) Henricus in pluribus Conciliis excommunicatus fuerat, & in ipsa etiam hac nostra Ecclesia S. Theclæ, ut initio cap. 31. narrat Landulphus. Postremò etiam eum cum idolo suo, idest Burdino, anathemate confixerat Gelasius II. cùm Capuæ moraretur, teste Abbate Urspergensi ad hunc ann.

(13) Pagius ita explicat, *ideſt jura prætenſa à Regibus Longobardiæ*. Certè Italiæ Reges sese in jura Ecclesiastica plurimùm intrusisse, ex historiis illius Ævi notum est: contra hæc declamabat Archiepiscopus noster.

(14) Duo Comensis civitatis suburbia, quæ velut duo brachia Lacum influentem complectebantur.

Digitized by Google

rent, civitatem quoque ipsam dissiparent. Huic autem juramento manus Vidonis (15) Episcopi Cumanorum resistit (16). Sed Arduinus ejusdem Episcopatus Advocator (17) consensit, & ut ipsum juramentum compelleretur, multùm studuit. Verumtamen utrorumque, scilicet Vidonis, & hujus Advocati studium, rectè, sive non rectè, dicitur fuisse iniquitatis seminarium. In quo enim semine quis vivens vidit tot pessima opera? In hoc semine castra multa, & jucundissima, & oppida fortissima cum habitantibus, & villis suis utrobique, etsi non æquè combusta sunt, & destructa. Naves quoque multæ, & bellicosæ cum viris, & innumerabili multitudine hominum in lacubus submersæ jacent. Ipsa tandem civitas suis evacuata cultoribus, lacrymabilibus oculis suam ruinam quotidie videt (18), vel plures quoque de Clero, & populo totius orbis propter diversa studia (19) Romani Pontificis, & ejusdem urbis, & Ecclesiæ Patritii, & Advocati, sive piè, sive non piè, dicuntur certare ad animarum perditionem, & maximam corporum confusionem. Ego autem memor horum malorum diversas suffero perturbationes, non quia schisma sedeat in animo meo, sed quia Schismaticis usurpantibus res meas non consentio. De ipsis apud Pontifices, Sacerdotes, Milites, Cives, Consules, & Reges justitiam quæsivi, & quæro.

CAP. XXXV.

Historicus ante Calistum Papam Terdonæ, & Placentiæ de Jordano frustra conqueritur.

GUerra Cumanorum, & Mediolanensium durante, atque eorum Pontificum, & Consulum, vidi Dominum Papam Calistum, & Jordanum Archiepiscopum cum pluribus Ecclesiasticis, & sæcularibus viris illustribus consedere in Terdonensi Palatio, (1) in quorum præsentia querelæ meæ caussam protuli, scilicet de D. Jordano, & querendo introduxi

A injurias, & homicidium (2), quod manus ejus fecit in me, præter literas, quas D. Papa Gelasius misit illi pro me, quarum exemplum hoc est: *G. Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Jordano Mediolanensi Archiepiscopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Frater iste Landulphus ab Ecclesia sua se queritur exturbatum. Quod autem ab eo quærit* (3) *ut titulationis suæ certificationem* exhibeat (*) *secundùm B. Gregorium ridiculum demonstratur; Quod enim ait, juxta ejusdem Beati Gregorii dicta, & legum statuta probare*
B *debet, alioquin non est huic calumpnia hujusmodi occasionibus impingenda: sed nisi alia causa impediat, suæ restituatur Ecclesiæ. Datum Gaietæ Idibus Martii* (4). Ipse verò Jordanus cùm non haberet unde se, suamque turbam excusaret, & ibi coram Papa taceret, interrogatus ab Abraham Presbytero, & Magistro suo Capellano ait: Quid debeo ei respondere? Ille non tenet me pro Episcopo. Tunc Dominus Lambertus Hostiensis Episcopus (5), & Domini Calisti prolocutor (6), quasi Papa (7) sua manu apprehendit me stantem, & proferentem: Domine ad hæc debeo respondere, & ait mihi publicè: Frater deposuisti querelam tuam, & tempus Januarii non est aptum calcandi uvas in torculari (8), Dominus quippe Archiepiscopus occurrit nobis propter eos, qui insidiantur gratiam Im-
C peratoris (9); Volumus ideo nunc audire de ejus consolatione, & non perturbatione, atque cum ipso invenire, qualiter valeamus cum isto Domino nostro properè, & prosperè Romam adire, ejusque sedem obtinere. Interim Archiepiscopus cum istis, & aliis suis fratribus poterit habere consilium, & facere tibi bonum. Jordanus itaque ejusque cœtus locutus de sua opulentia in illa vespertina hora, & die altera Palatium descendit, & in tertia, quæ dies fuit Dominica de Ramis Palmarum (10) in Ecclesia Sancti Martiani cum suis Suffraganeis Petrum Terdonensem Electum, licèt modò abjectum (11) in Episcopum ordinavit.

In

(15) Nempe illa pars Populi, quæ Guidoni Comensi Episcopo adhærebat.

(16) Legè *restitit*.

(17) Deceptus est Tattus ad ann. 1124. ab hoc nomine existimans esse gentilitium familiæ, quocirca eum sub num. 114. apertè asseruit ex Advocatorum familia progenitum: quàm longè tamen hoc à vero absit, qui modicè in historia versatus sit, facilè deprehendet; Id enim officii nomen erat, ut dilucidè ostendit auctor noster, & fusè Du-Changius explicat, ubi de *Advocatis Ecclesiarum* differit in Glossar. tradens, eorum munus fuisse, jura & bona Ecclesiarum tueri, atque ideo *defensores* etiam passim solitos appellari.

(18) Bellum hoc, decennii odiis grave, fervensque assidua strage utriusque partis, ac ob lachrymabilem arcium pagorumque ruinam feralis memoriæ, magna ex parte descripsit Corius & Calchus lib. 7. hist. patr. Integro tamen poemate complexus est Anonymus Comensis eo tempore vivens, quod hîc proximè editum eruditis adnotationibus illustravit vir Cl. mihique ingenii amœnitate, ac doctrinæ præstantia summè charus P. Joseph Maria Stampa; quocircà hîc diutiùs immorari supervacaneum censeo, eidem gloriam elucidati hujus belli ultro relinquens.

(19) Schisma videlicet Burdini Catholicam convolvens Ecclesiam.

AD CAP. XXXV. NOTÆ.

(1) Anno 1120. Calistus II. *peragratis Provinciæ partibus, & Alpium difficultate transcensa*, ut loquitur Card. Aragonius in ejus vita tom. III. edita, *ad S. Ambrosium* (oppidum propè Susam) *cum jucunditate pervenit, inde ad*
D *populosas Lombardiæ Civitates* descendit, & Terdonæ circa finem Quadragesimæ constitit.

(2) Metaphoricè id asserit Landulphus, de juribus suis quodammodo jugulatis; mortuus enim conqueri non poterat.

(3) lege *queritur*, ut in aliis Bibl. Ambr. MSS.

(*) A. 1. cohibeat.

(4) Anni videlicet 1118. illuc enim appulerat sexta circiter ejusdem mensis die.

(5) Summus postea Pontifex sub nomine Honorii II.

(6) Vox ista pro *Advocato* sumitur, pluraque exempla profert Du-Changius in Glossar. præcipuè illud petitum ex vita S. VVillibaldi, in qua hoc habetur: *& in celebratione Concilii tamquam verus Cancellarius, ac Prolocutor Concilii à dextris Archiepiscopo proximus assidebat.*

(7) Altera lectio MS. Bibl. Ambr. meliùs habet *quasi propria*; particula enim *quasi* ab auctore nostro frequenter adhibita nil verbo, cui
E adjicitur, minuit, ut cap. 1. jam monuimus.

(8) Vulgare proloquium, ut quis importunitatis arguatur; neque enim tunc *Januarius* mensis, sed *Aprilis* currebat.

(9) Jordanus enim Archiepiscopus noster in Concilio Mediolanensi sup. relato, strenuè pugnaverat contra Marchiones & Comites, qui ad illud convenerant, ut innocentiam Henrici tutarentur, eumque in Jordani & suffraganeorum benevolentiam perducerent.

(10) Anno isto 1120 in diem XI. Aprilis incidit.

(11) Huic abrogatum fuisse ab Innocentio II. in Concilio Pisano Derthonensem Episcopatum ob manifestissimas vitæ culpas, testatur Ughellus in Epis. Derthon. num. 52.

Digitized by Google

In eadem quoque civitate & festivitate de Ramis Palmarum Guazo Clericus de *Orco* (*), & Mediolanensis Ecclesiæ Lector accepit chartam à Pontificibus, & Cardinalibus subscriptam confirmantem ipsius Guazonis conjugium esse legiptimum, quod Jordanus Archiepiscopus cum suis Consulibus in tempore terræmotus de suo Theatro (12) divulgaverat esse adulterium. In die autem altera, quæ fuit secunda feria, Dominus ipse electus Papa Terdonam exivit, cum quo Olricus Vicedominus Mediolanensis, Jordano Archiepiscopo redeunte Mediolanum, usque Placentiam ivit, qui Vicedominus cùm intenderet excusare suum Archiepiscopum, mihi reiteranti querelam in Placentino Palatio de sensu suo ait: Ferocem animum geris; Cui quidam meus frater, Liprandus nomine, respondit: si secundùm ferocitatem vellet agere, in una die posset quinque millia hominum excitare, qui pugnarent bellicis armis pro se. Huic verbo Vicedominus consensit. Et Dominus Papa surrexit, & cameram intravit, & cæteri, qui ibi aderant, potentes, tam Episcopi, quàm Cardinales de suis cœperunt loqui confluentiis (13). At ego illis dimissis, pervêni ad cameram, de qua Dominus Papa dignatus exire ad me dixit: Frater, pecunia est res, de qua homo potest facere multum bonum: Tu pecuniam non habes, nec tempus supersedendi causæ tuæ (14) nunc est: Sed Deus potens est dare, & transacto isto Paschali Festo (15) per Vicedominum mandabo Archiepiscopo, ut non sit tibi molestus, sed benignus. Sed post hoc Paschale Festum Romani properè, & solemniter susceperunt ipsum Papam Calistum (16), & ipse cum Romanis Sutrium compræhendit Burdinum Papam (17), deinde & in loco, qui dicitur Cana (18), posuit comprehensum.

CAP. XXXVI.

Mortuo Jordano Olricus eligitur in Archiepiscopum, qui ad dexteram Calisti Papæ sedit contranitente Ravennate.

DEus omnipotens neque per literas Domini Gelasii, neque per Legatum (1) Calisti Jordanum mihi suavem, sive benignum fecit, sed de mundo illum tulit (2), & gratia Presbyteri Nazarii Primicerii, & cæterorum, quos suspectos habebam, & habeo, Olricus Vicedominus Jordano succesit (3), qui ferè simili modo me gravavit, ut Jordanus, ferè quia hic in communi officio, & beneficio cum Ordinariis, & Decumanis Presbyteris non prohibuit. Verumtamen illo Olrico Archiepiscopo sedente in Roma tunc cum Papa Calistus Synodum Romæ celebravit (4): Ego ab Ecclesia mea exturbatus, & propriis meis rebus, & allodiis expoliatus, coram D. Papa Calisto, ejusque curia consedente in Lateranensi Palatio causam meam notavi, & ut eam explicarem in Synodo, Synodum intravi. In qua Synodo gratia antiquæ honestatis Mediolanensis Ecclesiæ (5), & condiscipulatus ejusdem Olrici, valde condolui de perturbatione, quam Ravennas Archiepiscopus faciebat sibi. Poscebat enim Ravennas locum sedendi in Synodo ad dexteram Apostolici nullo mediante, quem locum Grossulanus possedit quando restitutus fuit (6). Jordanus quoque, qui Grossula-

(*) A. 1., & 2. *Oreo*.

(12) Connotatur hìc à Landulpho Concilium alterum Mediolanense, ad quod solemniùs celebrandum duplex in prato Brolii theatrum excitari jusserat Jordanus; de quo vide cap. 31.

(13) Fortasse *opulentia*, ut de Jordano paulò ante narratum est.

(14) Idest *discutiendæ*.

(15) Moratum fuisse Placentiæ Calistum etiam transacto Dominicæ Resurrectionis festo, colligitur ex diplomate ibidem *dato IX Kalend. Maji, Indict. XIII. Incar. Dom. anno MCXXI.* (Æræ Pisanæ) *Pontificatus anno II.* in favorem Ecclesiæ S. Evasii de Casali, quod ex archivo ejusdem Ecclesiæ adhuc ineditum inseruit historiæ suæ Chronologicæ MS. prædictæ Ecclesiæ Benedictus Collius ex oppido Lù Montisferrati, antiquitàtis amantissimus, mihique humanissimè communicavit.

(16) Calistus Romam pervênit tertia Junii die, ut ex epist. Æginonis Abbatis apud Baronium ad hunc annum 1120. constat.

(17) Quæ hìc de Burdino pseudo-Pontifice narrantur, non ad hunc ann. 1120. sed ad sequentem pertinent. Ex Falcone siquidem Beneventano habemus, eundem victum armis, captumque Romam deductum fuisse, ibique ad IX. Kal. Maji camelo impositum, ac per summam ignominiam vestibus exutum, turpissimum sui feciisse spectaculum. Pompam hanc publici ludibrii luculentiùs narrat Card. Aragonius in vita Calisti sup. cit. quem vìdè in tomo III.

(18) Locus corruptus; legendum *Cava*. In arce Fummonis priùs concluSum, ac deinde ad Cavense Monasterium perductum Burdinum, *ubi perseverans in sua rebellione vitam finivit*, legimus in Card. Aragon. loc. cit. Rem aliter describit Baluzius tom. 3. miscell. Ait enim anno sequenti 1122. Burdinum à Calisto II. de Cava extractum in Janula, quæ arx est in rupe imminente civitati Sancti Germani ad custodiam fuisse traditum, id asserente Anonymo Casinensi, quem edidit Antonius Caracciolus: denique hinc etiam eductum ab Honorio II. anno 1124. in arcem Fummonis non longè ab Alatro civitate in Hernicis translatum fuisse; ibique ad extremum usque senium perductum, tandem vivere desiisse.

(1) Nempe Olricum Vicedominum, cui Calistus se injuncturum superiori capite pollicitus fuerat, ut è Placentia Mediolanum reversus Pontificium mandatum Jordano renunciaret, ne eidem Landulpho molestus esset, sed benignus.

(2) Obiit Jordanus Archiepiscopus die IV. Octobris 1120. ut ex Catalogis vetustis Archiepisc. Mediol. colligitur; quocirca corrigendus est Calchus, qui Jordanum è vivis excessisse ante annum 1118. scribit; quomodo enim occurrere potuisset Callisto II. Terdonam adeunti anno 1120. ut superiori cap. narravit Landulphus, si biennio ante fato ereptus fuisset?

(3) Olricus iste, quem alii Henricum, Honorium, & Honoricum vocant, electus fuit Mediolani Archiepiscopus die 17. Novembris anni ejusdem 1120. non 1121. ut malè asseruit Ughellus in eodem Olrico; id enim ex antiquis Catalogis clarè deducitur, ut videri potest incit. Exegesi Papebrochii num. 106.

(4) Concilium hoc generale Lateranense primum anno 1122. Baronius affixit; sequenti tamen anno 1123. celebratum fuisse XV. Kal. Aprilis ex antiquis scriptoribus evincit Pagius ad hunc ann. num. 1.

(5) Dignitas Primatus Ecclesiæ Mediolanensis supra cæteras, post Romanam, Italiæ Ecclesias comprobatus jam fuerat usque ab anno 501. 2. & 3. in tribus à Symmacho summo Pontifice Synodis celebratis, quibus præfuit Laurentius Mediolani Archiepiscopus, primusque omnium & ante Episcopum Ravennatem subscripsit, ut videri potest in Labbeo tom. IV. Conciliorum ad prædictos annos. Consule Puricellium, qui in vita ejusdem Laurentii fusè hanc prærogativam nostræ Ecclesiæ contra Rubeum pro Ravennatibus pugnantem firmat cap. 24.

(6) Anno videlicet 1105. quo Paschalis II. Synodum Romæ habuit, ut superiùs contra Puricellium eandem anno 1103. figentem jam diximus.

AD CAP. XXXVI NOTÆ.

Digitized by Google

fulano succeſſit eundem locum habuit. Tunc quando idem Groſſulanus eundem Jordanum deponere ſtuduit (7). Hac itaque ratione, & multis aliis, quæ tunc in memoria non habebantur (8), Dominus Olricus Mediolanenſis Archiepiſcopus locum illum obtinere non dubitavit. Sed tamen ipſe Mediolanenſis Olricus in feria ſecunda, qua incœpta, & celebrata fuit Synodus (9), loco vacante, neque in Palatio, neque in Synodo apparuit. Synodus verò tunc in tertia feria non fuit: & idem Mediolanenſis Palatium non intravit: ſed in quarta feria dum Synodus celebrata fuit, Olricus idem Mediolanenſis Archiepiſcopus ad dexteram Apoſtolici Caliſti nullo mediante ſedit.

CAP. XXXVII.

Hiſtoricus ſentit Imperatorem, ad quem pergebat, defunctum. Olricus moritur. Anſelmus eligitur in Archiepiſcopum.

EGo expectans alteram diem convenientem meæ cauſæ, meæque querelæ, ex improviſo vidi, & audivi, quòd Dominus Papa gratia conſecrandi Altare (1) diſſolvit Synodum in ipſa die Mercurii, nec ultra ab eo Synodum celebrari audivi, nec vidi. Sed ſperans in Domino perſenſi, quòd Dominus Olricus Mediolanenſis Archiepiſcopus prout moris, & legis conſuetudo exigit (2), pro Rege Henrico, oravit, & ei Ramos Palmarum per Landrianenſem Thealdum Mediolanenſis Eccleſiæ egregium Notarium in Germaniam miſit. Ego itaque ut ad ipſum Regem pervenirem, & ei ſicut Patri, & Domino meo cauſam meam notificarem, iter cum puero (3) ſubintravi, & vitans manus Cumanorum, qui tunc temporis guerram faciebant Mediolanenſibus Veronam adivi, ubi Bernardum Epiſcopum (4), meum quondam gratum condiſcipulum invêni, & per ipſum ferè uſque ad introitum Epiſcopatus Tridentini bene fui. Et cùm ſperarem ibi in meliùs procedere, piè, & tenerè condolui ſuper Regis Henrici morte (5). Unde valde feſſus redii ad domunculam meam cum mœrore: in qua ego ſedens, & de ſolito more pro victu meo ſcribens, audivi voces, & fletus de morte Olrici Archiepiſcopi (6), & ſubſequenter compulſus à promi-

(7) Nempe in alia Synodo ab eodem Paſchali anno 1116. celebrata, de qua recole cap. 29.

(8) Id præcipuè memorandum erat, quod Arnulphus Tomo IV. præſentis collectionis editus narrat, videlicet, cùm Romæ Imperiali diademate præcingendus foret Conradus (anno ſæculi præcedentis XXVII.) contendente Ravennate Archipræſule Mediol. Heriberto apud Sum. Pontificem dexteræ honorem, ſtatutum fuiſſe in plena Synodo, *ut Ravennas nullo modo in æternum ſe Mediolanenſi præferret Antiſtiti*.

(9) Ex hoc Landulphi noſtri loco morem in generalibus Synodis ſervatum, ne unquam diebus Dominicis prima ſeſſio inciperetur, Pagius confirmat num. 1. ad ann. 1123.

AD CAP. XXXVII. NOTÆ.

(1) Card. Aragon. in vita Caliſti II. Tomo III. hujus collectionis edita hæc habet. *Hic à fundamento conſtruxit in Palatio Lateranenſi Capellam S. Nicolai, ad aſſiduum Romanorum Pontificum uſum*. Hoc itaque fuiſſe Altare, cujus conſecrandi gratia Synodum in eodem Palatio coactam diſſolvit, valde veroſimile eſt.

(2) Quæ fuerit lex iſta, aut conſuetudo, cujus inveterato uſu Archiepiſcopo Mediolanenſi munus illud incumberet, ut Ramos Palmarum ad Imperatorem tranſmitteret, ex hiſtoriis noſtris colligi nequit. Id in honorem, ſplendoremque Eccleſiæ Mediol. trahit Puricellius in mon. Baſ. Ambr. num. 334. grandioribus ideo literis hanc Landulphi periodum, non ſecus ac alteram de Sede ad dexteram Summi Pontificis contra Archiep. Ravennatem obtenta, imprimi curans. Fortaſſe opinari quis poſſet, quemadmodum mos antiquus obtinuit, ut Romani Pontifices auream roſam quarta Quadrageſimæ Dominica ſolemni ritu benedictam Principibus viris dono mittant, ita inter reliqua Ambroſianæ Eccleſiæ decora hoc etiam connumeratum, ut præmiſſa precum celebritate luſtrali aqua conſperſi Rami Palmarum Cæſari ſacrum munus deſtinarentur. Attamen cùm Beroldus horum temporum Scriptor ſæpiùs relatus ritum omnem Dominicæ Palmarum, ac reliquarum Feſtivitatum deſcribens, morem hunc adeò ſplendidum ſilentio prætereat, inâni dicto onerare gloriam noſtram non auſim. Certè in uſu fuiſſe ſuperioribus ſæculis, ut Rami Palmarum ad Imperatorem mitterentur, luculentum nobis teſtimonium præfert epiſtola 32. Joannis Papæ VIII. ad Carolum Calvum Imp. apud Labbeum Tom. IX. Concil. col. 28. relata, quæ ſic incipit: *Inter cætera, quæ vera creſcente religione ob olim Eccleſiaſtica facta veſtræ pietati duximus intimanda, virentium vobis Palmarum ecce bravium miſimus*; & in decurſu: *optantes enim, vos de cunctis adverſariis triumphare, nihil aptius vobis, quàm Ramos Palmarum duximus offerendum*. Cur autem Olricus noſter hoc tantummodo tempore dicatur, pro Henrico oraſſe, & Palmæ donum deferri ad eundem cu-

raviſſe, ideo crediderim factum, quòd Imperator ille retroactis annis in Schiſmate fuerat, atqui ideo etiam Olricus Caliſto II., vero Chriſti Vicario, adhærens eundem in Italiæ Regem minimè recognoverit: Cùm igitur in Synodo Lateranenſi inter Sacerdotium, & Imperium firmata pax fuerit, & reſtituto in Eccleſiæ Rom. gratiam Henrico nullus jam obex adeſſet iis peragendis, quæ *mos, & legis conſuetudo* exigebat, muneri ſtatim ſuo ſatisfecit Archiep. noſter, publicè pro ipſo ad aras preces effundens, mittenſque ad eundem Ramos Palmarum, quibus Regiam Italici Imperii dignitatem in ipſo teſtaretur, ſimulque fœlicium eventuum omen præſtaret, quemadmodum offerri Palmam Galliæ Regibus, cùm primò ſolium adirent, Hincmarus tradit.

(3) Ideſt *famulo*; ſervulos enim etiam ſenioris ætatis *pueros* à Dominis dici aſſeruit S. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 9. quod adnotatum velim etiam pro cæteris hujus Hiſt. locis, in quibus hoc idem verbum occurrit.

(4) Præclaro genere apud Brixienſes natum, ad Veronenſem ſedem promotum fuiſſe anno 1123., in eaque uſque ad 1135. perduraſſe, Ughellus auctor eſt in Epiſ. Veronen. num. 78.

(5) Extremum diem clauſit Henricus V. Junior dictus anno 1125. X. Kal. Junii, teſte Abbate Urſpergenſi, aliiſque apud Pag. ad hunc annum n. 7.

(6) Gravis controverſia eſt inter hiſtoricos, quonam verè anno obierit Olricus. Pagius ad ann. 1120. n. 8. certum eſſe ait, mortem ejus incidiſſe in an. 1122. (lege 1123. quo Olricum Lateranenſi Concilio interfuiſſe ipſe Pagius teſtatur) In idem conſentiunt Calchus, Sigonius, Puricellius, Ughellus, aliique. Sed contra ſtat auctoritas Landulphi facto præſentis, qui auditâ morte Henrici Imperatoris, cùm in confiniis Tridentini Epiſcopatus moraretur, poſtmodum Patriæ ſuæ reſtitutus, conſidenſque in domo ſuâ, ex ululatu, & fletibus Civium de Olrici obitu admonitus fuit. Itaque non ante an. 1125., quo ſublatus fuit Henricus Cæſar, Olricum fatis conceſſiſſe dicendum eſt. Adde, quòd tabula Synodalis, aliique antiquiores Archiepiſcoporum Mediol. catalogi concordibus numeris V. annos, menſes VI., dies XI. regiminis Olrico tribuunt, unde ſequitur obiiſſe illum die 28. Maji an. 1126., ut in ſeq. Not. acuratiùs oſtendam. Abduxit celebres illos Scriptores in eam opinionem, quæ præripit mortem Olrici, documentum à Puricellio relatum in Monum. Baſil. Ambr. n. 336., cui ſubſcriptus legitur *Anſelmus Mediolanenſis Archiep.* nota autem anni eidem appoſita eſt 1123. ex quo inferunt mortuum eo anno Olricum, electumque Anſelmum ejus ſucceſſorem. Sed ego adverto illud idem documentum inchoari nomine Olrici Archiepiſcopi, in eodem legi inter quatuordecim alios ibi nominatos: *ſignum manuum Anſelmi de Puſterla, Arialdi Graſſi* &c. Itaque rationabiliter credi debet Scripturam illam fuiſſe conceptam primitùs notato anno, quo

erat

miscuo sensu meæ cognationis, & viciniæ, ab ipso officio meo surrexi, atque ad D. Anselmum de Pusterla à Presbytero Nazario Primicerio, & cæteris Clericis Ordinariis, , & Episcopis Suffraganeis in Archiepiscopum electum (7) pervêni. De cujus Anselmi morte nimirum valde

erat Archiepiscopus Olricus, & cùm versaretur circa quasdam lites inter Canonicos, & Monachos Ambrosianæ Basilicæ, novis in dies intervenientibus difficultatibus protractam suspensamq; tandiu hæsisse, donec rebus omnibus sub Anselmo compositis, ejus ad Archiepiscopatum evecti subscriptione fuerit firmata. Exemplum in promptu est ab ipso Puricellio desumptum. Profert ille Dissert. Nazar. c. 106. n. 8. duplicem chartam confectam anno 1173., in quarum utrâque hoc ad calcem legitur: *Ego Algisius Mediolanensis Archiepiscopus subscripsi*; cùm tamen certum sit, S. Galdinum, cui Algisius successit, triennio adhuc in hujus Ecclesiæ regimine supervixisse, defunctum solummodo anno 1176. Non aliâ se viâ expedit Puricellius, nisi asserendo „ binas illas Algisii „ subscriptiones non eo protinus factas tempo- „ re, quo documenta ipsa confecta fuere, sed „ post aliquos inde annos; fortè siquidem aliæ „ postea lites excitatæ fuerunt, quibus è me- „ dio tollendis prodesset, subscriptionem illam „ (Archiepiscopi) superaddi. Hæc eadem in præsentis documenti controversia Puricellio reponimus. Mihi certè ex contextu ipso documentorum hæc videtur genuina solutio nodi, quem implicant notæ annorum hujusmodi scripturis adjectæ; nam conjectura illa utcumque erudita, quòd viventibus adhuc Olrico, & Galdino electi fuerint in Archiepiscopos, ut vulgò dicimus, Coadjutores, Anselmus, & Algisius, nova omnino mihi videtur in hac Ambrosiana Ecclesia, in quam hujusmodi morem invectum credere vetat silentium veterum omnium, ac recentium Scriptorum, præcipuè Landulphi nostri, qui & Anselmi electionem post mortem Olrici, & eventus omnes etiam minoris momenti minutim describit, & substitutos absentibus Archiepiscopis Vicarios Grossulanum, atque Ardericum, & expulso à Mediolanensibus Anselmo hoc eodem, suffectum notat administrationi Ecclesiæ Robaldum Episcopum Albensem, quin tamen ullam de alia prævia Anselmi ante mortem Olrici electione faciat mentionem. At Poëta anonymus, coævus & ipse Scriptor ad annum 1123. vocat Anselmum *Archiepiscopum intbronizatum*. Non ignoro: sed quàm obscurè, quàm involutè scribit, ut arduum sit verum ejus sensum attingere? Deinde nec novum, nec Poëtæ injuriosum est dicere, quòd figuratè loquutus fuerit, quatenus eo anno cùm Olricum Romæ detineret Lateranense Concilium, partes absentis Archiepiscopi contra Comenses ageret Anselmus tam superbè, ut juxtà vulgare proloquium *intbronizatus* dici posset. Valdè autem Historico nostro injuriosum esset suspicari, quòd rem tanti momenti, cujus nullum aliud exemplum fuerat in Ecclesia Mediolanensi, & quam ignorare non poterat, cùm hujusmodi electiones fierent in publico populi conventu, negligenter omiserit. Fortiùs etiam ea conjectura eliditur in Algisio; nam S. Galdini vita, quam paulò post ejus obitum fuisse contextam Henschenius censet in Act. SS. ad diem XVIII. Apr. describens extremum diem quo S. Galdinus quievit, adhuc Cimeliarchę titulo Algisium notat dum ait: *quia corporis multâ debilitate laborabat* (Galdinus) *Missarum solennia à supramemorato Cimeliarcha, qui posteà successit, celebrari præcepit*.

Præterea vetustiores Catalogi Mediolanen. Archiep. apertè tradunt denas hebdomadas ac dies quatuor intercessisse ab obitu S. Galdini ad electionem Algisii: & Historici ferè omnes Mediolanenses, quin & Sigonius, & Ughellus asserunt in his comitiis divisum priùs fuisse Clerum aliis Archipresbyterum, aliis Archidiaconum promoventibus, tandem, ne longiùs protraheretur electio, deflexisse omnes in electionem Algisii Cimeliarchæ. His positis, an credi possit suffectus in Archiepiscopum Coadjutorem vivente adhuc S. Galdino, lector judicet, quem ne longiùs onerem, alia firmamenta omitto.

(7) Antequam diem electionis hujus Anselmi statuamus, cùm omnia hìc perturbata videam in exegesi Archiep. Mediol. à Papebrochio edita, sicuti & à Puricellio, & Pagio, necessarium duco, rem altiùs repetere, & collatis invicem Catalogis, quos Papebrochius, & Mabillonius produxere, cum altero, qui è Bibliotheca Capituli Metropolitani eductus, fortasse etiam illis antiquior huic Collectioni inseretur, seriem Antistitum nostrorum usque ad Obertum diligenti examine elucidare.

Certum est, Jordanum, de quo superiùs mentio fuit, electum fuisse anno 1112. Kalend. Januarii, ut testis est Landulphus electioni huic tunc præsens. Cùm igitur Catalogi omnes in hoc conveniant, eum sedisse annis octo, mensibus novem, & diebus tribus, atque obiisse IV. Nonas Octobris, constat, eundem mortuum an. 1120. die quarta mensis Octobris.

Sequitur Olricus, cui pariter concordes Catalogi annos V., menses VI., dies XI. Sedis assignant; obiisse autem asserunt V. Kal. Junii: retrocedendo itaque per hunc annorum, & dierum numerum reperimus, quòd electus fuit anno 1120. die XVII. Novembris, ita ut post Jordani mortem sedes vacaverit mens. I., & dies XIII., ac ipse Olricus obierit an. 1126. die XXVIII. Maji.

Anselmus inde occurrit, in cujus regiminis tępore consentiunt Catalogi, nisi quòd ille à Papebrochio editus diem mortis XIX. Kalend. Octobris designat; alter verò Metropolitanæ diem 19. (intellige Kal.) Septembris statuit. Errorem tamen Amanuensis in primo fuisse dilucidè ostendit modus ipse numerandi, idest XIX. ante Kalend. Octobris dies, qui in Septembri non reperitur, cùm ille mensis habeat solummodo XVIII. Kalendas; quocirca legendum est XIX. Kalend. Septembris; id enim cum Landulpho nostro concordat, qui mense Augusto Anselmum hunc defunctum scribit: statuuntur autem Anselmo Archiepiscopatus anni X., mensis I., & dies XIV. si itaque retrocedas à die quartadecima Augusti, qua obiit anno 1136. pervenies ad diem trigesimam Junii an. 1126. qua electus fuit, post mens. I., ac dies II. vacantis sedis à morte Olrici.

In Catalogo Papebrochii, antequam de Anselmo sermo sit, hæc leguntur: *Ab electione Anselmi de Pusterla ad electionem Robaldi sunt anni novem, dies vigintinovem*, quod in Catalogo Metropolitanæ & altero superiori T. edito nequaquam exprimitur. Si igitur computus fiat ab hoc numero annorum & dierum, dicendum erit, electionem Robaldi incidisse in annum 1135. die XXIX. Julii. Attamen hæc minimè accomodari possunt cum reliqua lectione Catalogorum, quorum alter, idest Papebrochii, statuit Robaldo regiminis ann. XI. mens. IV. dies XXIII. alter verò Metropolitanæ, sicuti etiam Mabillonianus, X. tantùm annos ultra menses IV., & dies XXVI. assignant: (quamvis crediderim errorem irrepsisse in illum numerum XI. qui in Catalogo Papebrochii expressus est, cùm ipse in elucidatione X. tantùm annos, ultra menses ac dies prædictos adnoret, sicuti etiam in numero dierum XXIII. in quo Pabebrochius corrigendum ait Mabillonii Catalogum, cùm tamen Mabillonianus cum Metropolitano omnino consentiat.) Obiisse autem Robaldum omnes referunt III. Kalend. Januarii; quapropter si hinc retrocedas, ad quartam Augusti diem anni 1135. te adductum videbis, atque ideo Robaldi electio, juxta hunc calculum, V. diebus distaret ab eo annorum IX., & dierum XXIX. numero, quem superiùs in Catalogo Papebrochii adnotatum vidimus. Rem tamen facilè conciliari posse puto, si dicamus, ab altero diem electionis, ab altero adnotatum diem initæ sedis, a qua arcebatur Canonum Decreto, vetante ne unius Ecclesiæ Episcopus ad aliam transferretur inconsulto Summo Pontifice. Ad ipsum autem Pisis morantem expediri Legatio potuit statim ac de eligendo Albensi hoc Episcopo à Clero, & Suffraganeis tractari cœpit, itaut V. post electionem die, favorabili jam obtento Innocentii rescripto eundem solemniter renunciaverint Archiepiscopum Mediolanensem, atque hinc desumpta fuerit ejus-

valde ſuſpiro (8), quia licèt ille fuerit mollis, & dulcis ſuſpectis meis, meiſque adverſariis, & ſuis proditoribus, tamen ipſe non fuit ceu Jordanus furioſus, nec immemor mei, ceu Olricus. In illa enim die, in qua electionem iſte Anſelmus Archiepiſcopatus ſuſcepit, me, ut præeſſem ſuis Capellanis (9), elegit, quorum Capellanorum conſilium, etſi non omnium, alienavit eum à me ferè in omnibus, quæ ipſe operatus eſt. In eo enim quo ipſe feſtinavit ad conferendam pacem Cumanis, quando eorum civitas ad deſtruendam capta fuit (10), mihi quippe placuit.

CAP. XXXVIII.

Anſelmus à Romano Pontifice reſpuit ſtolam ſuſcipere conſentientibus Mediolanenſibus, ne honor Archiepiſcopatus minuatur.

SEd cùm idem Archiepiſcopus ſecutus conſilium quorumdam Capellanorum, & Primicerii, Petri verò Terdonenſis Epiſcopi, contra publicum interdictum (1) Cleri, & Populi Mediolanenſis Romam ivit (2), mihi quidem non ſedit. Verumtamen ipſe, ceu vir prudens, & ſapiens cum Papa Honorio, & Cardinalibus ejus multa contulit, & conferendo Eccleſiaſticas conſuetudines Ambroſianæ Eccleſiæ, & honores ejus Archiepiſcopatus, &

ejuſdem Archiepiſcopalis regiminis Epocha. Certè in hac translatione Innocentii II. placitum interfuiſſe teſtis eſt S. Bernardus in Epiſt. de qua mentio erit cap. 42. num. 18. Quo circa dicendum, Robaldum electum anno 1135. die 29. Julii, & Pontificio Indulto ad ſedem promotum die 4. Auguſti, obiiſſe anno 1145. die 30. Decembris. Hoc unum adjicere libet, nullum dificultati propoſitæ locum futurum, ſi Catalogum Actis Eccleſiæ Mediolanenſis inſertum ſequi vellemus: in eo enim ſupra annos decem, integri menſes quinque Robaldi Sedi aſſignantur, quibus ſtatutis, illummet diem 29. Julii (ſi emortualem excipias) attingeremus, quo poſt novem annos, ac dies 29. ab electione Anſelmi donatum Infula Mediolanenſi Robaldum, Papebrochii Catalogus docet. Sed cùm in nullo veterum Catalogorum id adnotatum viderim, hunc unum vadem hujuſmodi firmandæ ſententiæ accerſere nolo. Hæc placuit examinare unico tantùm loco, ne repetita in ſubſequentibus capitibus diſcuſſio annorum, ubi de electione, aut obitu noſtrorum Antiſtitum agitur, lectori faſtidium crearet. Cæterùm, ut, unde divertimus, redeamus, ex dictis perſpicuum fit, Anſelmum de Puſterula electum fuiſſe die trigeſima Junii anni 1126. non autem 1123. ut Pagius, & Papebrochius, aliique ſup. cit. credidere; cùm Olricus eo tantùm anno deceſſerit, quemadmodum ſatìs ſuperque probatum ex huc uſque allatis crediderim. Hinc quoque eximi poteſt Ughellus à ſcrupulo illo, quo ſe vexari paſſus eſt, cùm in Laudenſibus Epiſcopis num. 20. retulit documentum ab Olrico Archiepiſcopo noſtro ſubſcriptum anno 1125. In appendice enim ad tom. IV. primæ editionis corrigendum hunc annum affirmavit, ejuſque loco reponendum 1123. quemadmodum etiam correctum fuit in nova veneta editione, omiſsâ omnino qualibet anni notâ, ubi de Arderico Lauden. Epiſ. agitur; ſed fruſtra, ut dilucidè jam oſtendimus.

(8) De morte Anſelmi præter ea, quæ adnotavimus num. ſuperiore, diſſerendi locus erit cap. 42.

(9) Etiam hinc non modicum lumen erui poteſt ad aſſequendum tempus mortis Olrici, ac electionis Anſelmi; cùm enim ſuperiùs dixerit Landulphus, ſe audito Henrici Imp. obitu reverſum fuiſſe in patriam, ac in domuncula ſua conſidentem, victum pro more ſcribendo captaſſe, perſpicuum eſt, eum neutiquam tum fuiſſe hujus præfecturæ honore ac beneficio inſignitum. Debuit itaque Anſelmi electio nonniſi mortuo Henrico accidiſſe, ſi illâ eâdem die, qua peracta eſt, deſignatus quoque Landulphus fuit, ut Anſelmi Capellanis præeſſet.

(10) Etiam in hoc excidii Comenſis anno aſſignando in contrarias ſententias dirimitur Scriptorum agmen. Deletam fuiſſe ultimo prœlio Comenſem urbem anno 1127. graves Auctores tradidere, Corius, Calchus, Sigonius, Jovius, Ballarinus, Tattus, aliique. E contra Auctor Chron. Flos Florum, Puricellius, & Pagius ſequenti tantùm anno id peractum teſtantur: Item inter ipſos de hujus ruinæ menſe non convenit; alii enim Martium, alii Julium deſignant. Ex Ottone Friſingen. colligi certè videtur eodem anno adventum Conradi in Italiam contigiſſe, quo everſa funditus urbs illa fuit; Ait enim lib. 7. cap. 17., Conradus à fratre, ac quibuſdam aliis Rex creatus, Pyrenæum per jugum ſeptimi montis, quâ Rhenus, & Ænus fluvii oriuntur, tranſcendit, ubi à Mediolanenſibus, qui *tunc* Comenſe bellum per decem annos pro afflictione Populi utriuſque civitatis miſerrimè protractum, capta, ac deleta urbe proſperè conſummasunt, honorificè ſuſcipitur. Cùm igitur Conradum deſcendiſſe in Italiam anno 1128. tradat Abbas Urſperg. *de annis Lotharii*, & alii paſſim Scriptores, eodem quoque anno dicendum eſt, Comenſem urbem direptam, ac ſolo æquatam fuiſſe. Porrò particula illa *tunc* minùs aptè appoſita videretur, ſi à Comenſi excidio ad Italicum iter Conradi præterfluxiſſet integer ferme annus. Præterea decem annorum ſpatium, per quos actum id bellum Friſingenſis teſtatur, nonniſi huic anno accommodari facilè poteſt, cùm inceptum dixerimus anno 1118., poſtquam menſe Junio Romana ab urbe diſceſſiſſet Henricus. Hæc ſunt, quæ ſuadere hujuſmodi ſententiam valent; eaque adnotare volui, ne partibus meis deeſſe viderer, illa prætereins, quæ ad veritatem propiùs conſectandam ex Hiſtoriis eluceant. Cæterùm ſcribentibus de patria ſua magis deferendum eſſe, quàm exteris, ultro profiteor; atque ideo libentiùs ſubſcribam ſententiæ, quam in Commentariis ad poëma de bello hoc Comenſi amplexus eſt prælaudatus P. Joſeph Maria Stampa. Imò ut amico huic doctiſſimo obſequium meum qualecumque teſter, ſolidis argumentis ab eodem productis, ut epocham Comenſis excidii ſuperiori anno figendam probaret, id in præſens addo, quod P. A. Criſpus in ſua Inſubrica Hiſtoria manuſcripta, Buſti, vulgò dicti Arſitii, religiosè aſſervata, teſtatum reliquit: cùm videlicet in Vico Olgiati Olonæ noſtræ Diœcèſis, ſolo æquaretur antiquiſſima Eccleſia B. Laurentio Levitæ & Martyri dicata, inventam fuiſſe tabulam marmoream in ingreſſu januæ majoris his literis inſcriptam:

✠ ANNO DNIC. INCAR. MILL. CENT. XXVII.
CVME DESTRVVNT. HEC PORTA ERIGIT.

AD CAP. XXXVIII. NOTÆ.

(1) Intellige Cleri ac Populi reluctantis clamorem, ne Romam pergeret Anſelmus pallium ſuſcepturus, quod injurioſum Eccleſiæ Mediolanenſi arbitrabantur, ut infra videbimus.

(2) Perrexiſſe ad Urbem Anſelmum noſtrum ſtatim ac electus in Archiepiſcopum fuit, ut pallium à Summo Pontifice reportaret, ea docent, quæ inferiùs narrantur. Cùm igitur Honorium II., qui vigeſimaprima Decembris anni 1124. creatus eſt ſupremus Paſtor, adiiſſe dicatur, hinc etiam ſatis perſpicuè colligitur, Anſelmi electionem longè poſteriùs accidiſſe, quàm Puricellius, & Papebrochius aſſerebant. Certè hoc Anſelmi ad Romanam urbem iter in annum 1125. conjiciunt Puricellius, & Pagius: Juxta calculum verò ex antiquis Catalogis ſuperiùs deductum, nonniſi poſt menſem Junium ſequentis anni 1126. Anſelmum hunc Romam proficiſci potuiſſe liquidò conſtat.

Digitized by Google

& urbis, vivis, & bonis rationibus defendit (3). Unde ipse Papa huic prudenti viro dixit: Frater meditatus (4), & Episcopus venisti. Sed si vis frui auctoritate Archiepiscopi in temporibus meis, necesse est, ut stolam suscipias à manibus meis, aut sicut ego suscepi, ad altare Sancti Petri. Hinc Dominus iste Mediolanensis Robaldum (5) Albensem Episcopum adjuravit, ut sibi consuleret. Tunc Robaldus ille Albensis sic ait: quòd priùs sustineret nasum suum scindi usque ad oculos, quàm daret sibi consilium, ut susciperet Romæ stolam, & Ecclesiæ Mediolanensi præpararet hanc novam, & gravissimam, quam Honorius Papa dicebat sibi imponere, mensuram. Mediolanum igitur iste Anselmus Archiepiscopus sine stola rediit (6), & eundem Albensem Episcopum secum reduxit. Verumtamen Archiepiscopalem sedem non ascendit (7), donec Ubertus de Meregnano ejus scriba non juravit, quòd ipse Dominus suus Anselmus nulli minuimento honoris Ecclesiæ Mediolanensis consensit, & ad ipsum (8) Albensis ille Episcopus Robaldus auctoritate sua confirmavit. Deinde Pontifex iste Anselmus sedem, & Castella Archiepiscopatus (9) in beneplacito Cleri, & Populi recuperavit.

(3) Consuetudo, honorque Archiepiscopalis suæ dignitatis, quam apud Honorium, & Cardinales præcipuè defendebat Anselmus ille, erat, quo donatam fuisse antiquitus Mediolanensem Ecclesiam ex Historiis colligimus, ut videlicet pallium à Summo Pontifice nonnisi per Legatos missum acciperet. Id in more positum reperimus usque ab anno 594. quo Indictione XII. scribens S. Geegorius Magnus Constantio Episcopo Mediolanen. epist. 1. lib. 4. hæc haber: *præterea pallium ad sacra Missarum solemnia utendum ex more transmittimus*. Sæculo decimo, anno circiter 930. conservatam hanc honoris prærogativam Mediolanensi Archiepiscopo legimus in Hist. Leodien. in qua Rhatherius Veronensis primò, ac dein Leodiensis Episcopus in epistola sua testatur, se Hilduino Antistiti nostro pallium detulisse à Joanne XII. ad eundem transmissum, ut Tomo III. hujusmet Collectionis pag. 300. jam adnotavi. Proximè verò ad hunc Anselmum peculiaris decoris testimonium receperat ab Urbano II. Arnulphus hujus nominis III. nec non Anselmus de Buis, & à Paschali II. Grossulanus, atque Jordanus, ut Landulphus noster narravit. Quanti verò momenti decus hoc foret ex Baronio intelligere possumus, qui ad ann. 1070. refert, Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo petenti, ut ab Alexandro II. pallium mitteretur, negatum id fuisse, atque ab Hildebrando Archidiacono, postea Gregorio VII. in hæc verba rescriptum: *Necessarium nobis videtur, vos Apostolorum limina visitare*. Præclarius est, quod in epistola sua apud Papebrochium in Exeg. num. 102. ad Arnulphum nostrum præmemoratum scribit Urbanus II. *Pallium fraternitati tuæ, præter consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ nulli hoc dignitatis genus, nisi præsenti concedit, liliteris tuis exorati ex Apostolicæ Sedis benedictione transmittimus*.

(4) Idest *rationibus præmunitus*.

(5) Seu *Robaldum*.

(6) De hoc Anselmi reditu Puricellius in Mon. Basil. Ambr. num. 338. asserit sermonem haberi in Catal. tam Metropolitani Archipresbyteri, quàm urbis nostræ secretarii his verbis: *Hic cum magna Comitiva Nobilium Mediolanensium in festo S. Michaelis per portam Ticinensem intrans in sede sua collocatur, ut mos est in talibus*. Si solemnem hunc ingressum tunc, cùm ab urbe reverteretur, peregit Anselmus, fatendum est, eum statim ac electus, & consecratus fuit, Romanum iter arripuisse antequam enim trium mensium spatium effluxisset, die 29. Septembris jam Mediolanum reversus erat.

(7) Non quia electus tantùm foret, & nondum consecratus, ut à Puricellio traditum Pagius censuit ad ann. 1125. num. 20. cùm eum jam ordinatum fuisse indicent ea verba: *Meditatus & Episcopus venisti*; sed quia Clerus & Populus eum Mediolanensis Ecclesiæ jura apud Romanum Pontificem violasse reputaverat, ut infra declarat auctor noster.

(8) Lege *idipsum*.

(9) Totam fermè verbani lacus oram cum adjacentibus oppidis atque arcibus paruisse Archiepiscopo nostro jam docui in append. ad vindic. Corpor. SS. Gervas. & Protas. num. 29. Plura legi possunt in Corio primæ editionis 1503. pag. 85. ubi Cassonus Turrianus Archiepiscopus in Matthæum Vicecomitem sacris diris invectus, multa Archiepiscopalis ditionis castella & loca enumerat, inquiens: „ Tu Matthæe rem universam Anglerienſem, Leucen„ sem, Bellanensem, Vallasinensem, Cattanen„ sem, Travallien sem, Brebien sem, quæ arces „ & loca sunt antiquitus Ecclesiastici nostri ju„ ris, tenes.

CAP. XXXIX.

Anselmus Archiepiscopus Conradum Imperatorem coronat, quem Honorius Papa rejecit, unde Anselmus jussu Papæ excommunicatur.

ANselmus in Castellis (1) habitans intellexit, quòd Clerus, & Populus Mediolanensis nobilem Principem Conradum cum Ecclesiastica pompa, & civili triumpho conveniente Regi naturali (2) suscepit. Cùm autem Clerus, & Populus idem de coronando Rege ipso tractaret, Pontifex idem Anselmus à Leuco descendit ad Modoëtiam, qui est primus locus Coronæ Regis Italiæ (3), ibique pernoctavit, & consilium redeundi ad montana suscepit. Et post trium dierum interpositionem Castellum, quod dicitur Plebia (4) ascendit, ibi plures sonos sonoros (5) de coronando Rege Conrado audivit. Et ego non in amaritudine ab ipso Pontifice audivi, ut citissimè Mediolanum adirem, & affectum civium omnium super hujusmodi regale negotium sibi renunciarem. Tunc Unifredus Aboriti,

AD CAP. XXXIX. NOTÆ.

(1) Archiepiscopalis nempe juris.

(2) Inter cætera, quæ Conradus armaverat, ut ad Imperium assumeretur, id etiam erat, quòd ab Agnete Henrici senioris filia in lucem editus, atque ideo Henrici postremò defuncti sororius Regnum sibi naturali jure competere affirmaret; Inde etiam Mediolanenses Conradum tamquam Regem suum naturalem susceperunt. Venisse autem Conradum in Italiam anno 1128. superius diximus: mensem quo apud Insubres fuit, nobi indicat Landulphus, cùm illum infra asserat vigesima nona Junii die, S. Petro sacra, Modoëtiæ coronatum.

(3) Hinc redargui potest Onuphrius Panvinius, qui in lib. de Comitiis Imperatoriis cap. XI. coronam ferream, qua inaugurari solent Italiæ Reges, in usu fuisse ante Friderici II. tempora Mediolani aut Modoëtiæ nequaquam credidit. Solidè illum refutavit quoque Puricellius in Mon. Bas. Ambr. num. 343.

(4) Idest *Brebia*, oppidum non longè à Verbano Lacu, antiquissimis monumentis refertum, atque olim celebre, nunc prope funditus dirutum, ut scribit Bonav. Castillioneus de Gallor. Insubr. antiq. sedib. col. mihi 373. qui nominis ethymon & reliqua insignis antiquitatis vestigia ibidem manentia refert.

(5) Idest famam latè diffusam communis plausus, ac consilii Mediolanensium.

Digitized by Google

riti, & Armiger ejus à veſpera hora diei uſque ad ſolis ortum mecum, & cum puero meo requiem non habuit, ſed ad plenitudinem concionis Cleri, & Populi convocatam, & congregatam Mediolani quaſi in hora tertia pervêni, ubi Clerus, & Populus quaſi homo unus ampliſſimè, & mirificè collaudavit, & conclamavit, ut Archiepiſcopus veniret, & Principem illum coronaret. Ad hæc quoque Rogerius Clivellus nobilis miles, & potens populo circumſtante ait: Per Corpus Domini, niſi voluntas Dei eſſet, ut hic nobilis Dominus coronaretur, iſte benedictus Populus nequaquam ad laudem ejus ita concorditer clamaret. Causâ itaque iſtâ ſic collaudatâ, & ſtatutâ Anſelmus de Badaglo Subdiaconus Ordinarius, Guido de Landriano electus Capitaneus, Guerenzus de Puzobonello Vavaſor (6) ſtrenuus, Rubacaſtellus civis, & eques nominatiſſimus ex parte totius Cleri, & Populi legationem de collaudato, & coronando Rege Conrado Pontifici Anſelmo contulerunt. Qui cùm eſſet in Caſtro Plebiæ, & intendiſſet ſuper horum legationem, & meam relationem, feſtinavit ad urbem. De cætero ipſe quaſi conſentiens communi omnium gentium voto in Eccleſia Sancti Michaëlis (7), quæ eſt Modoëtiæ benedixit, & unxit, & coronam electo Conrado in Feſto Sancti Petri (8) poſuit, altero Epiſcopo aſtante Regi coronando. In quo facto ego quippe piger non fui, ſed ante ipſum Pontificem, ipſumque coronatum ab Eccleſia Sancti Michaëlis Pontificalem virgam in admirabili pompa (9) per Dei voluntatem congregata ad honorem illius Regis uſque ad Eccleſiam Sancti Joannis bona cum voluntate portavi, & in Sancti Joannis Eccleſia (10) ſolemniter cum Rege iſto quàm optimo Miſſam audivi. Eandem quoque ſolemnitatem coronationis idem Pontifex in Eccleſia S. Ambroſii (11), me alibi non meo vitio (12) detento, celebravit. Verumtamen quidquid directè eſt actum in illo Domino meo Rege dilexi, & diligo. Hunc namque gradientem per Comitatus, & Marchias Lombardiæ (13), & Thuſciæ Comites, & Marchiones cujuſcunque nobilitatis viri potentes, & humiles cum gaudio ſuſceperunt, & amaverunt. Qui verò rebelles fuerunt, ejus acutiſſimi gladii fortitudinem ſenſerunt, atque mortem, & confuſionem, ceu Anſelmus Marchio del Buſco (14), & Illuſtris . . . Comes (15) ſuſceperunt. Alter quorum Anſelmus vitam, & abſolutionem ſuſcepit per gratiam Mediolanenſium, quibus in anguſtiſſimis prœliis campeſtris ceu miles fortiſſimus profuit: Alter verò, ſcilicet Comes vel mortem ſuſtinuit, ac ſic benignè, & fortiter agendo Romæ appropinquavit. Sed fortis manus Honorii Papæ ipſum reſupinavit (16), atque ad Germaniam, quaſi ad ſua propria loca redire fecit (17). Joannes igitur Cremenſis Cardinalis

(6) Seu *Valvaſor*, nomen illo ævo notiſſimum, quo Vaſſalli feudales majores aut minores indicabantur, ut ex Du-Changii Gloſſar.

(7) Hujus Eccleſiæ mentio fit in diplomate Clementis Papæ III. ad Obertum Modoëtienſem Archipresbyterum anno 1188. dato, & à Barthol. Zucchio cap. 20. exhibito; Eaque inter Eccleſias poſt S. Joannem prima recenſetur.

(8) Nempe die 29. Junii anni 1128. ut ſup. notavimus.

(9) Seu potiùs *Populi multitudine*.

(10) Eccleſia hæc antiquitate ſua venerabilis, utpote à Theodelinda Langobardorum Regina extructa, ac dotata, in præſens etiam celebris eſt, Pontificalium inſignium privilegio fulgens, & recentibus auri, ac picturarum ornamentis in nobiliorem ſacri cultus magnificentiam adducta.

(11) Nempe Mediolani, quod Sigonius omiſit, Modoëtienſem tantùm Conradi coronationem ad hunc annum recenſens.

(12) Ideſt *me legitimè impedito*.

(13) Non tamen omnes; nonnullæ enim civitates pro Lothario ſtabant, ut ex Landulpho ipſo in fine hujuſmet capitis colligi poteſt. Extat in Codice Babembergenſi apud Eccardum loc. cit. col. 361. Epiſtola Litifredi Novarienſis Epiſc. ad eundem Lotharium ſcripta, in qua hæc habentur: *Excellentia veſtra pro certo cognoſcat quòd Novaria, Papia, Placentia, Cremona, & Brixia, Civitates Italiæ firmiter fidelitatem veſtram cuſtodiunt, & adventum veſtrum unanimiter capiunt. Conradus autem Mediolanenſium Idolum, ab eis tamen relictum, qui arreptâ fugâ ſolùm Parmæ habent refugium ubi tam pauper, tamque paucis ſtipatus viliter moratur, quòd ab uno loco ad alium vix fama ejus extenditur.*

(14) *Boſcbum* locus eſt in agro Alexandrino ad Orbam fluvium in limite ditionis Genuenſis & Montisferrati, olim hujuſmodi Marchionum dominio & ſede celebris, quorum ſplendorum & jura ampliſſima deſcribit Hieron. Ghilinus in annalib. Italicis Alexandrinæ urbis poſtremo folio, aſſerens locum ipſum in quo excitata fuit prædicta civitas, illorum ditioni tunc paruiſſe.

(15) Hujus Comitis nomen, quod in archetypo temporum vetuſtate abraſo intercidit, ex cerebro ſuo ſupplere conatus eſt recens auctor Alex. Maximil. de Bode, qui in diſſert. jur. public. de Hetruriæ Ducatu edita Halæ Magdeburg. anno 1722. cap. 1. §. 22. pag. 22. hæc ait: „ Veriſimile eſt, illuſtrem Comitem, cujus nomen „ in Landulphi junioris MS. legi non potuit, „ Albertum fuiſſe, ſeu Ingelbertum, quem Ho„ norius II. Papa in Thuſciæ terra Marchio„ nem, & ſui Vicarium habuerat. Saltem Mu„ ratorius chaſtam hujus Alberti refert, in qua „ ſe cooperante gratia, & Beati Petri, & Do„ mini Papæ Honorii, ejus Vicarii munere ad „ hujus honoris faſtigia provectum fatetur. Fluxa tamen opinio hæc eſt; Illuſtris enim Comes, de quo in MS. noſtro fit mention, juſſu Conradi mulctatus gladio dicitur à Landulpho, certè ante annum 1130. quo Conradus ab Honorio II. repulſus in Germaniam redierat: Non ergo eſſe potuit Albertus ille Marchio, quem adhuc floruiſſe anno 1135. imò etiam 1146. Clariſs. Muratorius cap. eod. 30. antiquit. Eſten. pag. 293. & 94. ex documentis ibidem indicatis colligit. Idem de Ingelberto dicendum, quem adhuc viventem anno 1137. (rectiùs 1135.) refert Annaliſta Saxo apud Eccardum in hiſt. medii ævi, nec non Pagius ad ann. 1134 num. 1. ex Chronicis Piſanis genuinis ab Ughello relatis, nonnulla de hoc Ingelbertò dilucidiùs proferens. Quis autem fuerit iſte Comes, nihil in MS. noſtro innuitur, ex quo ſecurum de illo judicium capi poſſit: quocirca nolo cæcorum more in aëre digladiari.

(16) Ideſt à propoſito devolvit. Cur autem Honorius Papa Conrado infenſus eſſet, magis notum eſt, quàm ut referri debeat. Lotharius enim II. in Imperatorem electus fuerat anno 1125. tertio Kal. Septembris, ac Idibus ejuſdem menſis Aquiſgrani in Germaniæ Regem inunctus, id approbante per Legatos ſuos Eugardum, & Romanum Honorio. Conradus verò, qui poſt Fridericum fratrem ſuum in Lotharium inſurrexerat, ab Honorio excommunicationis ſententia perculſus eſt, ut Otho Friſingen. ejuſdem Conradi uterinus frater lib. 7. cap. 17. narrat. Atque hoc fortaſſe telum fuit, quo repulſum à Romanæ urbis ingreſſu Conradum refert auctor noſter, cùm armis contra eundem conflixiſſe Honorium nuſquam apud Scriptores invenerim.

(17) Anno 1129. Italiam adhuc contra Lotharium obtinebat Conradus, ut teſtatur ad hunc ann. Sigonius; imò neque receſſerat Septembri menſe; Extat enim in hiſt. Mathildis à Franciſco Maria Florentinio compacta lib. 2. pag. mihi

lis Romanus Episcopos Suffraganeos, & Comprovinciales Mediolanensis Ecclesiæ, ut excommunicaret Mediolan. Pontificem convocavit Papiæ (18). Quibus convocatis, & Cardinali, per plures viros, & Sacerdotes ipse Pontifex Mediolanensis mandavit, ne præsumerent (19), sed ipsum per unius diei spatium expectarent. At Papienses, Cremonenses, Novarienses quoque, & eorum Episcopi, & aliarum civitatum, prædicantes hoc Regium opus Anselmi, contrarium Deo, & magno Regi Lothario (20), nequaquam illius Pontificis legationem susceperunt, sed ipsum præstante Cardinali illo Ioanne excommunicaverunt, & Mediolanensibus protegentibus Castrum Cremæ (21) guerram facere statuerunt. Attamen in maxima parte Mediolanenses Catholicam reverentiam (22), vivente Papa Honorio, huic Pontifici præbuerunt.

CAP. XL.

Anselmus Archiepiscopus Anacleto Antipapæ adhæret, & ab ipso stolam recipit.

HOnorio defuncto (1) Anacletus Papa Romanorum Secundus (2) huic Mediolanensi stolam (3) per suos idoneos nuncios, videlicet, Joannem Palestinæ (4) Episcopum, & Beltramum Subdiaconum Romanum mandavit (5); quam stolam ipse Anselmus Pontifex Clero, & Populo Mediolanensi circumstante, & collaudante Anacletum Papam, ejusque Legatos, & Legationem, reverenter susce-
pit. Pars verò sibi adversa inde magis detrahere cœpit. At plenitudo Cleri, & Populi ad eum concurrebat, timorem quoque, & reverentiam Regi Conrado, & Papæ Anacleto ex dilectione portabat (6). Et dum hîc spes fuit (7) in plenitudine Ecclesiæ, & civitatis Mediolani, & venditiones (8), & privilegia, quæ egregii Capitanei de Besana (9), & de Porta Orientali (10), atque Lomagna (11), & Gregorius Papa Septimus, & Urbanus Papa Secundus

mihi 346. ejusdem Diploma datum Lucæ, ubi tunc ipse morabatur, 4. Septembris 1129. in quo nonnulla Monasterio S. Pontiani largitur. Intra tempus tamen, quod ab hoc mense ad obitum Honorii sub initium anni 1130. defuncti superfuit, rediisse Conradum in Germaniam dicendum est, si ab Honorio compulsus fuit illuc proficisci, ut narrat noster Landulphus; quod non advertit Puricellius, qui in Mon. Bas. Ambros. num. 353. rediisse in Germaniam Conradum scribit paulò ante quàm Innocentius II. è Gallia veniens Genuam appelleret, idest anno 1132.

(18) Concilium hoc Provincialium Episcoporum convocatum fuisse Papiæ anno 1128. Pagius ad hunc ann. num. 14. tradit; Illud tamen in sequentem annum referendum videtur, cùm auctor noster, post discessum Conradi ab Italia, quem vergente in finem anno 1129. contigisse ostendimus, congregatam hanc Synodum narret. Et valde credibile est, nonnisi expulso ab Italia Conrado processisse Honorium ad plectendum Anselmum illius fautorem.

(19) Idest ne præcipites in proferenda sententia forent, ipso absente, ac inaudito.

(20) Hinc patet à prædictis urbibus, ut supra innuimus minimè susceptum Conradum, cùm Lotharium Regem publicè profiterentur.

(21) Antonius Campus in hist. Cremonen. ad ann. 1129. refert Cremenses Ecclesiæ Cremonensi subditos, nullâ justâ premente causâ, rebelles ab eadem temere desciviisse, ac fœdus cum Mediolanensibus tunc Cremonensium hostibus percussisse, atque ideo ab indignatis Cremonensibus, ut se ab injuria vindicarent, contra ipsos bellum indictum.

(22) Tamquam legitimo suo Pastori.

AD CAP. XL. NOTÆ.

(1) Obiit Honorius II. die 14. Februarii anni 1130. ut rectè Pagius contendit ad hunc ann. num. 1. & 2.

(2) Sequenti post Honorii mortem die, idest 15. Februarii electus fuerat in Romanum Pontificem Gregorius Diac. Card. S. Angeli sub nomine Innocentii II., vir tanta morum integritate conspicuus, *ut unicus unicæ dignitati divina jam videretur providentia præformatus*, teste Arnulpho Sagiensi superiùs edito tom. 3. pag. 423. At postridie ad Innocentii electionem idest 16. Februarii in S. Petri Cathedram intrusus est Petrus Petri Leonis filius presb. Card. tit. S. Mariæ trans-Tyberim flagitiis omnibus deturpatus (ut cap. 3. idem Arnulphus describit) Anacletus II. dictus; proinde non Papa, ut in hoc MS. legitur, sed Pseudopapa procul dubio appellandus.

(3) Quam videlicet ab Honorii II. manibus sumere Anselmus detrectaverat, ut cap. 38. narravit Landulphus.

(4) Lege *Prænestinæ* Ecclesiæ non Episcopum, sed Pseudo-Episcopum. Legitimus enim illius Ecclesiæ Antistes tunc erat Guillelmus, qui invita Innocentii II. à Card. Aragonio conscripta, & tertio tomo pag. 434. inserta, primus numeratur inter Cardinales, qui ejusdem canonicæ electioni adfuere; quocirca credi potest in hujusmet electionis odium creatus alter Prænestinus Episcopus, ac fortasse ille idem Joannes, quem à Pseudopontifice Anacleto Sabbato Sancto anni 1130. una cum aliis renunciatum præsb. Cardinalem tit. S. Pudentianæ refert Oldoinus.

(5) Festinati hujus muneris causam prodit Sigonius ad ann. 1130. Anacletus enim ut in occupata dignitate Pontificia se se firmaret, instituit adversam partem sacris censuris premere, *& ad causam suam amicos, quamplurimos potuit, aggregare*. Eundem Anselmum ab Anacleto Cardinalem quoque creatum fuisse docet Oldoinus loco cit.

(6) Pessimæ hujus dilectionis auctorem Anselmum Archiepiscopum facit Sigonius loc. cit. inquiens: *Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus ei* (idest Anacleto) *se tradidit, atque, unà secum Populum Mediolanensem, ac plerosque Lombardiæ Episcopos traxit*.

(7) Alterum ex Bibl. Ambr. MSS. habet *dum hic spiritus fuit*, quæ lectio dilucidiorem sensum Landulphi facit in hunc modum, *dum videlicet spiritus concordiæ* (licèt pessimæ) *vigeret in universo ferme Clero & Populo pacificè Anacleto, & Conrado adhærenti*; Auctor enim noster ex ejusdem asseclis erat, Anacletum, ut vidimus, *Papam* vocans, & credens.

(8) *Quod præstatur Domino feudali pro distractionis, seu venditionis prædii facultate*, ut explicat Du-Changius in Glossar.

(9) Institutos fuisse à Landulpho Archiepiscopo nostro, anno 979. electo, Plebium Capitaneos, qui ab eisdem postea cognomentum accepere, ut Capitanei de Incino, de Missalia, de Meregnano, auctor est Galv. Flamma in Chron. Maj. cap. 712. Besana verò est vicus nostræ Diœcesis in Plebe Aliati.

(10) Etiam cuilibet urbis Mediolanensis portæ assignatos fuisse antiquitus suos Capitaneos, docet idem Galvaneus Flamma ibidem cap. 698. & 845., rudia quædam carmina, quæ nobiles familias enunciant sua ætate in id munus adlectas, proferens in Chronic. Extravag. quæst. 18. videlicet.

Ex senis portis sumptos Capitaneos urbis
Novæ, Cumæ, Ticinis, Orientis, Romæ, Vercellis,
Turres, Badagios, Busti, Oriens, Carrogia, Crassos.

(11) Pagus est agri Mediolanensis in Missaliæ Plebe.

Digitized by Google

cundus Presbytero Liprando fecerunt (12) vim suam obtinuerunt, & oculis omnium latuerunt (13), nulla guerra Mediolanenses ignominiavit, sed Papiensibus, Cremonensibus, Novariensibus, cunctisque suis inimicis latè, & splendidè ipsi Mediolanenses perstiterunt (14).

CAP. XLI.

Clerus Mediolani Anselmum de Archiepiscopatu pellit. Papa Innocentius id confirmat, & B. Bernardum Mediolanum mittit.

AT ubi Anselmus Archiepiscopus contra ipsas venditiones, & privilegia facere voluit, & fecit, & multitudo Cleri, & Populi, atque Consulum ipsas venditiones, & privilegia legere voluit, contigit, quòd quidam manipulus militum Mediolanensium captus est à *Mediolanensibus* (1), & plures de Ordinariis Decumanis Sacerdotibus cœperunt nescio quo spiritu super causa Regis Conradi aidere, & causam Anacleti latenter spernere. Hic Anselmus Archiepiscopus multos sustinens stimulos, tandem Presbyterum Azonem magistrum puerorum canentium principaliter in Missa Sacerdotum celebrantium Corporis & Sanguinis Christi Sacrificia, & quosdam alios, qui fuerunt dolosi in celebratione coronæ Regis Conradi, excommunicavit. Ex cujus excommunicationis radice circumcisi (2) Christum Filium Virginis ignorant, & maxima pars Quiritum, & Longobardorum auctorem divinæ, & humanæ legis minimè amant, sinè quibus auctoribus cœli, vel terræ pace frui non possumus (3). En etiam nunc dissensio multa, & pernicioſa nimirum orta est in Mediolanensi populo sub excommunicationis titulo, quia si Archiepiscopus excommunicavit hunc Presbyterum, & alios in pulpito S. Teglæ, & Episcopi Comprovinciales, & Suffraganei, sicut supra dictum est (4), excommunicaverunt illum Papiæ. Ordinarii itaque & Decumani Sacerdotes, & cæteri faventes Papæ Innocentio secundo, & insidias *perpetrantes* (*) hujusmodi Archiepiscopo, suas pecunias effuderunt, & ipsas legis, & morum peritis, atque bellatoribus viris tribuerunt. Unde ipse Archiepiscopus compulsus est intrare popularem concionem, ut ibi decertaret cum suis excommunicatis de excommunicatione. Cùmque ipse expectaret sagittas de justa, aut injusta excommunicatione, Nazarius Primicerius miræ calliditatis homo per prolixum sermonem cunctæ concioni induxit fastidium. Archipresbyter autem (*) Stephanus, qui cognominatur Guandeca, videns Primicerium suum fastidiosè fore locutum, vocem suam exaltavit, & contra Archiepiscopum sic ait: Hoc, quod isti nolunt tibi dicere, ego dico: Tu es hæreticus, perjurus, sacrilegus, & aliis criminibus, quæ non sunt hîc notanda, es reus. His auditis ex improviso Archiepiscopus obstupuit. Archipresbyter verò ille habens textum Evangeliorum ad manum continuò juravit, quòd ipse de istis rebus, quas dixerat esse in isto Anselmo, qui dicitur de Pusterla, in judicio Episcopi Novariensis, & Albanensis, qui sunt de Suffraganeis Ecclesiæ Mediolani, staret. Consules itaque Mediolani in concordia utriusque partis statuerunt, ut ipsi, & alii Suffraganei venirent. In statuta itaque die non solùm Suffraganei, sed quamplures purè induti rudi, & inculta lana, & rasi insolita rasura concurrerunt (5). Cùmque Archiepiscopus iste Anselmus vidisset

(12) Pontificia hæc diplomata jam Landulphus retulit cap. 6. & 8.

(13) Sensus est, *vim suam obtinuerunt, quamvis nec producta, nec quæsita fuissent*, ut initio cap. seq. ex verbo illo *legere* clarè colligitur: nisi fortè ibi legendum sit *ledere*, hîc verò *patuerunt*.

(14) Lege *præstiterunt*, ut in aliis Bibl. Ambr. MSS. Acta prospero eventu à Mediolanensibus bella, contra fœderatas Cremonæ, ac Papiæ urbes susceptа, luculenter describunt Antonius Campus in hist. Cremon. ad ann. 1130. & Sigonius ad ann. 1131. & 1132. Cum Novariensibus singulari acie congressos fuisse Mediolanenses, in historiis neutiquam legi: auxiliares tamen illorum copias, iisdem quibus amicæ ipsis urbes perculsæ sunt, cladibus afflictas dubitari nequit, auctore nostro id confirmante.

AD CAP. XLI. NOTÆ.

(1) Lege *Cremonensibus*, ut in Ambros. MSS. Hæc autem ad annum 1133. referenda Pagius censet in crit. ad ann. 1130. num. 48. idque asserere consentaneum est historiæ auctoris nostri: Cùm enim superiori anno adhuc splendidè agerent Mediolanenses adversùs hostes suos, terrorem undique ac cædes spargentes, ut in Sigonio legi potest, nonnisi post illum annum dicendum est, eosdem hac belli ignominia plecti cœpisse; præcipuè cùm hoc eodem anno constructum à Cremonensibus castrum Piceleonis, ut incursiones Mediolanensium faciliùs obtunderent suprаcit. Auctores tradant; eo enim propugnaculo tutati, confidentiùs in hostes irruere potuerunt, & palantem fortasse Mediolanensium manipulum occupare, ac in triumphum Cremonam perducere.

(2) Num Judæos Mediolani tunc degentes innuit Auctor noster? Eos certè in hac urbe constitisse retroactis seculis, probat rescriptum Theodorici Regis *Judæis Mediolanensibus* datum, quod lib. V. variar. Cassiodori legitur.

(3) Connotari in hac periodo Manichæos, *auctorem legis, aut Deum veteris Testamenti rejicientes, qui tunc in illis partibus multiplicabantur*, credidit Pagius ad ann. 1133. num. 15, incongruè tamen, cùm tunc temporis Quirites, ac Langobardos turpi hoc errore maxima parte infectos nullus unquam asseruerit; Id enim longè ab hac ætate, sub initium videlicet seculi superioris tantummodo accidisse testantur fragmenta hist. Franc. apud Baron. ad ann. 1017. & Glaber lib. 3. cap. 8. Obscurum itaque hunc auctoris nostri textum non aliter explicari posse crediderim, quàm dicendo, ex iteratis hisce, & contrariis inter se anathematum sententiis ita perturbatos animos fuisse, ut & Judæi in errore suo confirmarentur, & maxima Quiritum ac Langobardorum pars legitimum Pontificem ignorans, à Catholico erga Deum cultu averteretur, atque ideo violatæ humanæ ac divinæ legis rea se se infortuniis meritò objiceret.

(4) Cap. videlicet 39.

(*) A. 1., & 2. *præparantes*.

(*) *In margine additur* Decumanorum, *quod tamen in aliis MSS. deest*.

(5) Puricellius in Mon. Bas. Ambr. num. 358. censuit eos, qui à Landulpho narrantur cum suffraganeis conveniſſe purè indutos *rudi & inculta lana* fuisse Cistercienses Novitios, ad quos degentes apud Mediolanum & nuper conversos epistolam 134. direxit S. Bernardus. Contra Papebrochius in exegesi num. 116. insurgit, atque ex Codice Humiliatorum à Puricellio ipso allegato in eam propendet sententiam, ut non alios hoc loco indicari putet, quàm seculares Magnates, & nobiles Cives Mediolani, qui sub idem tempus à S. Bernardo spiritu divino inebriati formam vivendi in habitu religioso cum suis familiis inhabitando sumpserunt, dicti *Fratres S. Bernardi*, qui deinde fuerunt fundatores primi & secundi

set eos constare, & populo [*videri*] quasi si essent Angeli de Cœlis, ad ipsum Populum ait: Omnes illi, quos hîc videtis cum illis cappis albis, & grisiis (6), hæretici [*sunt*]. Inde simplices, & compositi (7) ad expellendum, & deponendum (8) bellum commoverunt. Verumtamen gladio Anselmi in die illa resistere non potuerunt. Sed mediante nocte per expansam pecuniam manus Primicerii, & Presbyteri [*Archipresbyteri*] Stephani fortissima in summo diluculo ipsum Anselmum à Sede compulit, qui cùm non invenerit, quò declinaret, paternam suam domum intravit, factoque manè die altera idem Anselmus coram humili sua plebe in Ecclesia Sancti Ambrosii congregata, se præsente jurare fecit Camerarium suum, ne iste Dominus suus effugeret judicium ipse Suffraganeorum, & coram eis responderet Stephano Guandeca dicto Presbytero de iis rebus, quas sibi objecerat, remotâ caussâ Regis Conradi. Joannes autem de Rode unus de Consulibus Mediolani reversus ad alteram partem, quæ eum miserat, de juramento isto Anselmi nihil retulit, sed ait: Dominus ille, ad quem me misistis, ad nullam rationem faciendam nobis venire promittit (9). Tunc qui in concione illa aderant, clamaverunt: Et ipse deinceps sit remotus à nobis. Ac sic quisque Suffraganeus ad sedem suam rediit, nisi Robaldus Albanensis, qui in crismate, & in cæteris Episcopalibus officiis Ecclesiæ Mediolani subvênit (10). Anselmus autem ille, quasi à cuncto Clero, & Populo abjectus, & expulsus, ad solita Castella Archiepiscopatûs exivit (11), in quibus qualemcumque requiem suscepit (12). Interim Innocentius Papa Pisis Synodum celebravit (13), in qua Robaldo Episcopo Albanensi *repræsentante* (*), Tedaldus de Landriano (14) Archipresbyter Ecclesiæ Mediolanensis, Amizo de la Sala Archidiaconus, Anselmus de Rode Levita Ordinarius, & alii plures ejusdem Ecclesiæ Ordinarii, & cum Primicerio Decumani Sacerdotes contra solitum decus Mediolani, & ejus Ecclesiæ Innocentio Papæ fidelitatem juraverunt (15). Cremonenses verò nequaquam propter hanc

" cundi Ordinis Humiliatorum. „ Ut hoc fidentiùs statuat, id facit, *quòd Cistercienses nec dum Mediolani fundati erant, sed illuc primùm introducti sunt post Concilium Pisanum, nec pauci illi, quos in suo Comitatu habuit S. Bernardus, potuerunt turbam hîc indicatam facere*. Fallitur tamen Vir doctissimus; Neque enim acta hæc sunt S. Bernardo Mediolani commorante, sed antequam ad Concilium Pisanum proficisceretur, quo tempore nondum Mediolanum advenerat. Constat autem ex eadem epist. sup. cit., Mediolanenses legationem direxisse ad S. Bernardum, ut fortasse ipsum ad sedandam discordiam, quam nuper narravimus, Mediolanum accirent; quocirca de iis, qui in comitatu S. Bernardi erant, cùm Mediolanum postea, Pisano Concilio absoluto, advênit, sermo esse non potest. Præterea dici etiam nequit, qui hîc memorantur, fuisse Magnates ac nobiles Cives Mediolani, qui *Fratres S. Bernardi* postmodum sunt appellati, ac fundatores primi & secundi Ordinis Humiliatorum extitere; Id enim nonnisi post secundum S. Bernardi in hanc urbem adventum contigit, anno videlicet 1134. ut ex ipso Humiliatorum Codice Puricellius affirmat, à cujus propterea sententia non esse recedendum existimo; quamvis enim verum sit, nonnisi anno 1135. seu etiam 1136. ut idem Puricellius num. 383. contendit, primò conditum fuisse Charævallense Cœnobium Cistercienſis instituti, fuisse tamen Mediolani domicilium aliquod in suburbiis, in quo recepti jam essent Cistercienses, docet titulus ipse epistolæ sup. dictæ, quæ ita inscribitur *ad Novitios apud Mediolanum conversos*; quod etiam Baronius disertè affirmavit; quidquid Ughellus dicat tom. 4. Ital. sacr. existimans in hac epistola, *Novitiorum* nomine, intelligendos esse eos, qui S. Bernardi operâ ad Pisanum Concilium pergentis, recèns conversi ejus se Magisterio ex animo jam devovissent.

(6) Hinc etiam validum Puricellii sententiæ munimentum adstruitur, Cistercienses videlicet fuisse eos, qui Populo adstabant; In historia enim occidentali Jacobi de Vitriaco, prope medium sæculi subsequentis defuncti, cap. 19. ubi institutum & mores Cistercienſium viridi adhuc observantia florentium describuntur, inter alia hoc legitur: *Primi igitur Cistercienses nigrum habitum in griseum commutantes, vetera reformare, & nova superaddere studuerunt*; griseus verò habitus non alius est, quàm ex alba & nigra lana contextus.

(7) Idest universus Cleri & Populi cœtus.

(8) Nempe Anselmum.

(9) Quàm verum sit, quod superiùs asseruit Landulphus, per *insidias* nempe actum esse cum Anselmo Archiepiscopo, apertum hoc mendacium comprobat.

(10) Rogatus nempe à Clero & Populo, ut credi potest, ne repulso à sede Anselmo Archiepiscopo, deserta jaceret Mediolanensis Ecclesia.

(11) Abjectum, expulsumque à Clero & Populo Anselmum nonnisi anno 1134. pro certo habuit Puricellius loc. cit. num. 351. E contra Papebrochius in Exeg. num. 107. & 114. disertè affirmat id pertinere ad annum 1132. deceptus tamen à præconcepta opinione (validè, ut arbitror, superiùs revulsa) quòd videlicet Anselmus anno 1123. Archiepiscopali auctus dignitate fuisset; inde enim numerandos censuit novem annos, qui ab electione illius ad electionem Robaldi, ut vices Archiepiscopi gereret, in Catalogis statuuntur. Mediam inter utrumque sententiam amplectitur Pagius ad ann. 1133. num. 18. eidem anno alligans hoc Anselmi infortunium; idque conformius esse reliquæ subjungendæ Landulphi historiæ ipse quoque crediderim.

(12) Hanc requiem habuit Anselmus non per duos annos, ut juxta calculum suum scripsit Papebrochius num. 117. suæ Exegesis, sed per illud temporis intervallum, quod ad Concilii Pisani celebrationem effluxit; nec ita tenue esse debuit, ut quievisse expulsum Archiepiscopum nostrum meritò dici possit. Proindè hinc etiam explodendæ Puricellii sententiæ in superiori adnotatione relatæ argumentum desumitur.

(13) Cùm Lotharius Imperator anno 1133. Romæ constitisset Imperiali etiam diademate pridie Nonas Junias ab Innocentio II. solemniter præcinctus (quod perperam Cavitellus anno 1137. peractum dicit) spes erat, fore ut præsentiâ Cæsaris, & armorum terrore, compulso ad meliora Anacleto, Ecclesiæ tandem tranquillitas redderetur: Sed prevalentibus adversæ partis viribus, & obdurato in Schismate Pseudopontificis animo pacis consilia eludente, satiùs habuit Lotharius in Germaniam reverti, Innocentius verò Pisas iterum se recipere, ubi tutò confidens Concilium ex universo Occidente indixit, quod etiam tertio Kal. Junii anni 1134. celebravit, ut docet Pagius ad hunc ann. num. 1. & 2.

(*) A. 2. *præsente*.

(14) Missus hic fuerat ab Olrico Archiepiscopo in Germaniam ad Henricum juniorem, cùm tantummodo Notariorum ordini (qui adhuc in Ambrosiana majori Ecclesia viget) adscriptus esset, ut cap. 37. vidimus. Dum itaque hic *Archipresbyter Ecclesiæ Mediolanensis* dicitur, credi potest suffectus fuisse Stephano de Guandeca, quem anno elapso auctorem acerrimum suæ ab urbe expulsionis Anselmus habuerat.

(15) Quondam esset hoc *solitum decus Mediolani, & ejus Ecclesiæ*, quod violari auctor noster arbitrabatur, explicat Pagius ad ann. 1134. num. 6. *Mediolanenses enim, qui hactenus antiquam*

hanc fidelitatem milites Mediolanenſes, quos captos habebant, dimiſerunt. Sed Papa Innocentius depoſitionem (16), & expulſionem ſæpè dicti Anſelmi de Puſterla firmavit. Attamen prænominati, qui fidelitatem juraverant, timentes hos caſus urbis, & Eccleſiæ Mediolani differebant redire Mediolanum, niſi haberent protectorem, qui coram populo Mediolani confirmaret Anſelmi expulſionem, & in nihilum reduceret Conradi coronationem (17), & populum tantæ urbis convocaret, & confirmaret ad Lotharii Imperatoris amorem, & ad ipſius Innocentii Papæ unitatem. Ad hæc peragenda Papa adeò idoneum Angelum habuit, ſicut Bernardus Abbas Claræ vallenſis fuit. (18)

CAP. XLII.

B. Bernardus facit Mediolanenſes obedire Eccleſiæ, & Lothario Imperatori. Robaldus in Archiepiſcopum eligitur. Anſelmus captus in Pado Romæ moritur.

INterea Princeps Conradus altiori conſilio potitus Imperatoris Lotharii Vexillifer eſt factus, (1) & prænominatus Abbas iſte nil moratus cum Carnotenſi Epiſcopo, (2) & Robaldo Albenſi (3) Mediolanum intravit, (4) quam civitatem nimirum prout voluit, formavit. Ad nutum quidem hujus Abbatis omnia ornamenta Eccleſiaſtica, quæ auro, & argento, palliiſque in Eccleſia ipſius civitatis videbantur, quaſi ab ipſo Abbate deſpecta in ſcrineis recluſa ſunt; & non ſolùm maſculi, ſed etiam mulieres tonſæ ſunt, & ciliciis, & laneis viliſſimis induti ad quælibet religioſa convertuntur, aqua in vinum mutatur, dæmones fugantur, contracti eriguntur, (5) infirmi etiam à quacunque infirmitate ſimiliter ſanantur, & quoſcunque captivos infirmos Mediolanenſes habebant de inimicis ſuis in cuſtodia Abbas ipſe ſolvit, & liberos dimiſit, & tantum populum ad amorem Imperatoris Lotharii, atque ad obedientiam Innocentii Papæ per ſacramentum panis, quod Abbas ipſe porrexit, confirmavit. (6) Tandem idem populus, ut haberet Abbatem illum in Archiepiſcopum (7) ad Eccleſiam S. Laurentii, (8) in qua erat hoſpitatus cum hymnis, & laudibus, & ſolito ſuo Kir. (9) cucurrit.

tiquam libertatem retinuerant, juramentum fidelitatis à Gregorio VII. decretum, quod hodie à Præſulibus exigitur, decori Eccleſiæ ſuæ adverſari ſibi perſuadebant.

(16) Ab Archiepiſcopatu Mediolanenſi, à quo dejectus jam fuerat in publica concione Cleri, & Populi hujus urbis, ac ſuffraganeorum Antiſtitum conventu, ut paulò ante narratum eſt.

(17) Ideſt, propoſitum malè ſuſceptum in Coronatione Conradi anno 1128. peracta, ipſo Conrado repudiato, nunc ejurarent.

(18) Multis ſupplicationibus expetierant Mediolanenſes S. Bernardum, ut ſchiſmatis conciliator ad urbem noſtram ſe conferret, idque multò etiam ante, quàm Concilium Piſanum celebraretur, ut ex epiſt. 132. & duab. ſeqq. ejuſdem S. Abbatis conſtat. Nunc à latere ſuo directum Innocentius II. ad reconciliandam hanc urbem S. Bernardum miſit, teſte Ernaldo in ejus vita cap. 2. lib. 2.

AD CAP. XLII. NOTÆ.

(1) Conradum Regni, & Imperii æmulum in deditionem, & gratiam acceptum fuiſſe à Lothario, non anno 1133. ut fortaſſe vitio typographi in Pagio legitur ad ann. 1135. num. 12. ſed ſequenti 1134. ut Trithemius tradit in Chron. Hirſaugienſi. Chronographus Hildensheimenſis apud eundem Pag. loc. cit. narrat in feſto S. Michaëlis anni 1135. in loco, qui dicitur Mulenhuſen, Conradum Imperatori reconciliatum. Bis igitur debuit Conradus amicum fœdus cum Lothario iniiſſe, (primæva pace anni 1134. ob aliquod interjectum diſſidium abrupta) ſi fides duobus hiſce Scriptoribus haberi debet. Niſi credere velimus, obedientiam primò à Conrado præſtitam Lothario anno 1134., iterato poſtmodum ſacramento, in publico Principum conventu firmatam anno 1135. Quæcunque tamen cauſa fuerit hujus ſecundi congreſſus, de prima Conradi reconciliatione loqui Auctorem noſtrum, ex iis, quæ ſtatim ſubdit, perſpicuè colligitur.

(2) Videlicet, *Gaufrido des Lieves*, qui ab anno 1116. uſque ad 1138. Carnotenſis Eccleſiæ regimini præfuit, ut in Gallia Chriſt. Tom. 2. legitur.

(3) Eo videlicet, quem Anſelmo depoſito Mediolanenſes delegerant Vicarium Archiepiſcopalibus obeundis officiis.

(4) Soluto Piſano Concilio ſtatim feſtinaſſe ad hanc urbem S. Clarevallenſem Abbatem illomet anno 1134. Auctores omnes tradunt. Adjecti fuere hujus Pontificiæ Legationis collegæ præter Gaufridum Carnotenſem, Guido Piſanus, & Matthæus Albanenſis Epiſcopus S. R. E. Cardinales, teſte Ernaldo in vita S. Bern. lib. 2. cap. 2 Quæ autem fuerit Mediolanenſium civium lætitia, & plauſus in tanti viri adventu, explicari vix poteſt. Ad ſeptem uſque milliaria obvium eidem occurriſſe Populum tanta ſexus omnis, ae conditionis frequentia, ut quaſi de civitate migraſſe videretur, Ernaldus idem teſtatur.

(5) Plura inſignia miracula Mediolanenſi in urbe à S. Bernardo peracta legi poſſunt in præcit. ejuſdem vita, ac in Puricellio in mon. Baſ. Ambr. num. 365. & ſeqq.

(6) Rem ita narrat Auctor ejuſdem vitæ: *Cùm tractatum eſſet in publico de negotio, propter quod tam vir Dei, quàm Cardinales advenerant, oblita fortitudinis ſuæ civitas, omni ferocitate depoſita, ſe ita Abbati ſubſtravit, ut obedientiæ eorum non incongruè ille poſſet aptari Poetæ verſiculus: Juſſa ſequi tam velle mihi, quàm poſſe neceſſe eſt.* Vide Epiſt. 137. novæ edit. S. Bernardi, in qua ad Imperatricem Ricizam ipſemet S. Abbas ſcribit quæacta ab ipſo ſunt in Mediolanenſium reconciliatione.

(7) In aſſignando vacantis Sedis tempore, quo S. Bernardo oblata eſt infula Mediolanenſis, mirè hallucinati ſunt Scriptores noſtri. Bernardinus Corius ad ann. 1115. Hiſtoriam omnem prævertens ſtatim poſt Jordanum Archiepiſcopum in hanc dignitatem vocatum Sanctum Bernardum ſcribit, nulla prorſus mentione habita ſucceſſoris Olrici; quo intollerabili errore Merula quoque non caret. Donatus Boſſius, à ſe ipſo diſſentiens, in Catalogo S. Abbatem Henrico, ſeu Olrico anteponit, quem in Chronicis poſteriorem fecerat. Sigonius ad ann. 1123. Morigia lib. 2. Bugattus lib. 3. Galeſinius in tabula Synodali, omneſque fermè recentiores Archiepiſcoporum Mediolanen. Catalogi ante Anſelmum de Puſterula electionem hanc ſtatuunt: quàm falsò tamen tradita hæc ſint, Landulphus noſter oculatus teſtis, vitaque ejuſdem Clarevallenſis Abbatis à coævis ſcripta abundè probat; nonniſi enim depoſito Anſelmo, ſuſceptaque ad nos legatione poſt Piſanum Concilium acclamatus in Archiepiſcopum fuit S. Bernardus anno eodem, quo Mediolanum primò ſe contulit 1134., ut ex Hiſtoria hac conſtat, Pagiuſque, ac Puricellius teſtantur.

(8) Nempe *majoris* appellati, quæ altera eſt ex quatuor inſignibus Mediolani Baſilicis.

(9) Cùm non agatur hìc de ſacra aliqua ſupplicatione, ſed de tumultuario populi accurſu, dubitatio mihi ſuboritur, num hæc fortaſſe peculiaris eſſet Acclamationis formula, quæ in electione Archiepiſcopi tunc temporis à Mediolanenſi populo adhiberetur. Acclamatum quandoque in Synodis hac voce *Kyrie eleiſon*, ſcribit Macrius in Hierol. De ea omnino filet Ferrarius in præclaro ſuo Opere *de Vet. Acclamat.* & *plauſu*. An recenſeri ibidè mereatur mos iſte urbis noſtræ, Lector decernat.

Digitized by Google

rit. Quod Abbas ille non tulit, (10) sed ait: Ego in crastinum ascendam palafredum (11) meum, & si me extra vos portaverit (12), non ero vobis quod petitis, ac sic à Mediolano recessit (13). Sed quidam de discipulis, ejus, qui remanserunt, per civitatem euntes, collectam multam de auro, & argento, & rebus pluribus sibi fecerunt, & faciunt (14). Mediolanenses verò Ordinarii, & Decumani, qui Papæ Innocentio fidelitatem juraverant, confortati de hac Mediolanensium conversione (15) fecerunt Litifredum Novariensem, Widonem Iporiensem, & alios Suffraganeos venire Mediolanum, qui in Consilio suo sublimaverunt Robaldum Albanensem Episcopum in Mediolanensem Archiepiscopum (16), habita *securitate* (*) retinendi, pro ut dicitur, Albanensem Episcopatum (17). Isto sublimato Mediolanum super Cremonenses exercitum A suum admovit (18), de quo exercitu ipsi Cremonenses apprænderunt CXXX. milites in nocte errantes. Anselmus autem de Pusterla audiens, & intelligens horum militum captionem *pli* (*), nullam suscepit consolationem contra Robaldi sublimationem (19), neque secundùm Consilium Alberti de Landriano, & amicorum ejus ambulavit. Sed credulus Ugoni suo Naso voluit cognoscere qualiter cum Anacleto Papa (20) Romanorum posset procedere. Attamen ipse cum isto suo Capellano ambulans Romam (21), in flumine Padi juxta Ferrariam à Gorio de Martinengo (22) captus est, & ad Innocentium Papam transmissus, qui Papa in mense Augusti à Pisis (23) illum B captum Romam misit: Ibique, prout fama est, Anselmus ille in eodem mense in manu Petri Latri (24), qui Procurator est Innocentii, vitam finivit. (25)

CAP.

(10) Non Mediolanensi solummodo insulæ, sed & pluribus aliis sibi oblatis constanti honorum contemptu repulsam dedisse S. Bernardum, ab Ernaldo intelligimus, qui lib. 2. cap. 4. ejusdem vitæ hæc habet: *quot Ecclesiæ destitutæ Pastoribus eum sibi in Episcopum elegerunt? Elegit eum domesticа Lingonensis Ecclesia, elegit Cathalaunensis. Intra Italiam civitas Januensis, & Mediolanum Metropolis Ligurum hunc optaverunt Pastorem, & Magistrum. Rhemi nobilissima Franciæ civitas, secundæ Belgicæ Provinciæ caput, ejus dominationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis non solicitavit animam ejus, honor oblatus, nec motus est pes ejus, ut inclinaret se ad gloriam, nec magis eum delectabat thiara, & annulus, quàm rastrum, & sarculus.*

(11) Idest *equum gradarium*, de quo vide Du-Chang. in Glossar.

(12) Incerta admodum est Puricellii conjectura, qui in mon. Bas. Ambr. num. 368. censet, S. Bernardum his verbis innuere voluisse, quod S. Ambrosio regimen Ecclesiæ Mediolanensis sibi oblatum recusanti contigerat, ut videlicet ab urbe fugiens, cùm Ticinum attingere putaret, manè ad portam civitatis Mediolanensis, quæ *Romana* dicitur se adductum reperit.

(13) Non acquievisse superiùs enunciato S. Abbatis responso Mediolanenses cives, atque ideo compulsum fuisse S. Bernardum latenter se ab hac urbe proripere, credere nos jubet id, quod Anonymus Auctor ex ore Ven. Ramaldi S. Bernardi socii, & facto præsentis, refert apud Manriq. in Annal. Cister. ad ann. 1134. cap. 2. videlicet, Mediolanenses *ita sibi in ipso complacuisse, ut cùm antea illum non vidissent, ingressum in urbem mox in Archiepiscopum unanimi consensu raperent potiùs, quàm eligerent; quod cùm ille recusasset, parati erant omnino vim facere, nisi in fugam latenter evasisset.* D

(14) Fortasse ad construendum Cœnobium instituti sui, quod verè etiam profusa civium largitate conditum fuit biennio post extra urbem, *Caravallis* nomine indito, de quo vide Manriq. eod. cap. 2. & seqq.

(15) Extat epist. 132. S. Bernardi gratulationis plena ad Clerum Mediolanensem.

(16) Electum fuisse Robaldum in Archiepiscopum nostrum anno 1135. die 29. Julii, jam ostendimus, cap. 37. E

(*) A. 1. *auctoritate*.

(17) De Translatione hujus Albensis Episcopi in Archiepiscopum Mediolanensem nobis fidem facit S. Bernardus epist. 131. his verbis: *Si voluistis licuisse vobis, quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, Sacri Canones judicant, Translationem Episcopi scilicet in Archiepiscopatum, concessum est.* Atque hinc refellendum censeo tum Mabillonium in notis ad eandem epist., tum Pagium ad ann. 1134. num. 18. qui asserunt hæc verba intelligenda esse de restitutione dignitatis Archiepiscopalis, quæ ob schisma ab Innocentio II. abrogata nostræ urbi fuerat; Loqui enim S. Bernardum, & Landulphum de Robaldo, qui cùm Episcopus esset alterius urbis, ad nostram translatus est, cuilibet ipsorum verba perpendenti perspicuum esse potest. Utrum verò Albensem quoque Episcopatum cum Mediolanensi simul retinuerit Robaldus, quemadmodum securitatem illum retinendi habuisse dicit Auctor noster, apud nullum Scriptorem invêni.

(*) A. 2. *probi*, meliùs *probè*; alterum MS. nihil legitur.

(18) S. Bernardus Mediolano recedens Papiam, & Cremonam adiit, ut diuturno bello, quod inter ipsas, & Mediolanensem urbem exarserat, pace tandem firmata, finem imponeret, sed re infecta Mediolanum rediisse ipsemet profitetur S. Abbas, Cremonensium contumaciam ad Innocentium II. testatus his verbis: *Cremonenses indurauerunt, & prosperitas eorum perdit eos; Mediolanenses contemnunt, & confidentia ipsorum seducit eos. Hi in curribus; & equis spem suam ponentes meam fruſtraverunt, & laborem meum exinanierunt.* Hinc enatum esse bellum, quod, Robaldo ad Archiepiscopalem Sedem evecto, contra Cremonenses Mediolanum promovit, credi potest, quamvis exitu infelici, ut mox narrabitur. C

(19) Quæ nempe ipso rejecto ac deposito, facta à Mediolanensibus, ac confirmata ab Innocentio II. fuerat.

(20) Quem ipse Anselmus in eo Schismate contumax, atque ideo anathemate vinctus, pro vero Pontifice habebat.

(21) Papebrochius in Exeg. num. 120. contendit legendum esse *Ravennam*, cùm id dictare videatur ratio itineris hìc descripti; sed pace viri doctissimi, non video cur emendanda sit hujusmodi lectio; neque enim iter describit Landulphus, sed mentem Anselmi connotat, Romam properare per Mantuanam, ac Ferrariensem viam eligentis.

(22) In Ambrosian. MSS. *Goizo*. Inter Cardinales ab Innocentio II. creatos, Goizum Presb. Card. tit. S. Cæciliæ refert Oldoinus, eumque subscriptum pluribus ejusdem Innocentii, Cælestini II. ac Lucii II. diplomatibus apud Ughellum videre licet. Fortasse ab hoc captus, transmissusque fuit ad Innocentium Anselmus noster.

(23) Usque ad Martium mensem anni 1137. moratum fuisse Pisis Innocentium II. testis est Falco Beneventanus in Chron. Qui prædicto mense, Indict. XV. Pisana Civitate dimissa Viterbium adveniſse Innocentium scribit, ut cum Lothario, quem præcedenti anno in Italiam advocaverat, colloqueretur.

(24) Videtur ille esse, quem Lotharius Imperator memorat in sua epist. apud Dacherium & Pagium ad ann. 1133. num. 7. quique ibidem inter obsides numeratur, quos una cum munitionibus sibi liberè in manu oblatos ex parte Innocentii II. ipsemet Cæsar testatur, cùm prædicto anno de Schismate tollendo cum Anacleti fautoribus Romæ tractaret.

(25) Mortuum fuisse Anselmum die 14. Augusti ferme omnes historici, ac Catalogi asserunt. De anno

CAP. XLIII.

Robaldus Innocentio Papæ fidelitatem jurat, Lotharium Imperatorem sociat, & Cremonensium castra diruit.

HIs ita perpetratis ad captionem Anselmi de Pusterla, vexilla Mediolanensium, & eorum agmina capta, aut fugata sunt à Papiensibus velut mitissima ovium pecora (1). Instantibus igitur iis infortuniis Mediolano, A & Anselmo, pro ut supra dictum est, mortuo, Robaldus ejusdem civitatis Archiepiscopus Pisis Innocentio Papæ juravit (2), & jurando libertatem Ecclesiæ Mediolanensi in contrarium convertit (3). Addito quoque isto infortunio (4) Imperator Lotharius cum Principibus cujuscunque dignitatis (5) venit in Longobardiam (6), in cujus castris iste Mediolani (7) cum suis Suffraganeis ad nutum Imperatoris circumferebatur, & circumferendo excommunicavit Cremonenses, quia non reddiderunt Imperatori Mediolanenses Cremonensium

anno gravior dissensio est apud scriptores. Tristanus Calchus, & Morigia hist. Mediol. lib 2. cap. 2. obiisse Anselmum tradunt anno 1133. Sequentem annum ejusdem morti assignant Puricellius & Pagius, ac recentiores Archiep. Mediolanen. Catalogi. Papebrochius in Exeg. num. 120. eam in annum 1135. conjicit; neque enim, ut ipse ait, videtur, res tot, tantasque à Landulpho narratas perfici potuisse illo met anno, quo celebratum est Concilium Pisanum. Ego verò tum ex hoc ipso Papebrochii argumento, tum ex iis, quæ cap. 37. num. 7. accuratè examinavi, seriùs etiam Anselmi obitum protrahendum censeo, nempe in annum 1136.

Cæterùm quanti momenti sit ad illustrandam Mediolanensem historiam scriptum hoc Landulphi nusquam magìs, quàm hoc loco discimus; tot enim commenta de Anselmo isto ubique in nostris annalibus tradita occurrunt, ut eadem ex auctore hoc emendare necesse sit, ne posteritati ampliùs imponant. Coronatum ab Anselmo Mediolani Lotharium Imperatorem refert Calchus ad ann. 1123. & fidentissimè Zucchius etiam Modoëtiæ, Ottonem Frising. testem producens, cùm nihil tale unquam narraverit scriptor ille, nec Lothario Anselmus adhæserit, Conrado addictissimus atque ob id etiam à sacris, & sede ipsâ Mediolanensi repulsus. Absurdius est, quod tradit Ripamontius lib. 1. hist. Eccles. Mediol. part. 2. iviisse videlicet Romam Anselmum petendæ à Pontifice absolutionis gratiâ, ibique magna dignitate transegisse velut in altera patria reliquum vitæ tempus, assiduum Pontifici Innocentio, qui amicè illum, liberaliterque tractavit; Innocentius enim nec Romæ tunc erat, nec diu in ea urbe supervixit Anselmus carceri mancipatus, ac mortuus illo met Augusti mense, quo Romam fuerat Pisis transmissus. Quid quòd Morigia loc. cit. Galesinius in tabula Synodali, & Catalogus inscriptus successores S. Barnabæ testantur ab Anselmo S. Bernardum sæpenumero hospitio receptum, ejusque intuitu Carævallense Monasterium ab Anselmo Archinto constructum, atque dotatum. Figmenta omnia fœdissima, cùm ex Landulpho constet, dejectum sede, atque extorrem fuisse hunc Antistitem, antequam redux à Pisano Concilio Mediolanum primò ingrederetur Sanctus ille Abbas. Adde à Calcho hunc Anselmum defunctum Mediolani affirmari, quo nihil à veritate magìs alienum; ut exteros auctores præteream, Angelum nempe Manrique, qui in annal. Cisterc. ad ann. 1134. cap. 2. num. 7. inter alia falsò narrata de nostro Anselmo toto illo capite, scribit, eundem sicuti Schismatis socium ita ducem pœnitentiæ Mediolanensibus fuisse, unionisque, & debitæ obedientiæ persuasorem, imò impetratum ab ipsis, ut in sede restitueretur; quæ quomodò cum auctoris nostri, de re sibi præsente scribentis, historia componi possint, prorsus non video; & Claudium Robertum, qui part. 2. Gall. Christ. sepultum illum scribit in Monasterio à se condito Carævallis: humatum namque Romæ in Ecclesia S. Joannis Lateranensis docent Catalogi vetustiores; Inde autem colligit Pagius ad ann. 1134. num. 12. pœnituisse Anselmum contumaciæ suæ, atque in Catholica Fide & unitate, anathemate solutum, obdormivisse.

AD CAP. XLIII. NOTÆ.

(1) Profectum fuisse S. Bernardum Papiam, statim ac Mediolano recessit anno 1134., ut illam, sicuti & cæteras Lombardiæ civitates ad pacem componeret, superiùs vidimus. Id in urbe Ticinensi obtentum fuisse à S. Abbate, credere licet ex ipsa S. Bernardi epistol. 314. novæ editionis, in qua de Cremonensium duritie apud Innocentium II. tantummodo conqueritur; Cùm igitur motum rursus bellum contra Papienses post captum Anselmum, ideft anno 1135. in Landulpho legamus, dicendum, novis invicem simultatibus exortis, veteres iras revixisse, pugnasque instauratas; sed de his altum in historiis silentium.

(2) Cùm auctor noster asserat, mortuo Anselmo Robaldum Pisas profectum fuisse ad Innocentium, ut coram ipso fidelitatis juramentum emitteret, liquidò constat, nonnisi post Augustum mensem anni 1136. id contigisse.

(3) Quænam esset hæc libertas, quam violatam Mediolanenses autumabant, cap. 41. jam ex Pagio adnotavimus. Interim subjungere libet conjecturam, quam ad hunc locum Puricellius exposuit in mon. Bas. Ambr. num. 376. videlicet Robaldum juraisse quidem Summo Pontifici fidelitatem, sed minimè voluisse, honori Ecclesiæ Mediolanensis detractum. Cùm enim ista ex veteri consuetudine peculiare id decus sibi venditaret, ut Pallium Archiepiscopale Antistes noster non præsens è Pontificis manu, sed absens per Legatos susciperet, existimat Puricellius Robaldum hac in re constantem fuisse, memorem consilii, quod Anselmo decessori suo Romæ dederat, ut cap. 38. jam vidimus. Transmissum certè fuisse Pallium ad Archiepiscopum nostrum Robaldum, petente id Ecclesia Mediolanensi, testatur S. Bernardus in epist. sua 131. ad Mediolanenses, ubi inter cætera Apostolicæ clementiæ munera, quæ inclytæ huic urbi Innocentius indulserat, hoc recenset: *in quo postremo quæcumque rationabilis petitio filiæ non dico repulsam, sed vel moram passa est apud piam matrem? En ad complementum Pallium præsto est, plenitudo honoris.*

(4) Nempe amissione libertatis, ut credebant Mediolanenses, ob juramentum à Robaldo præstitum.

(5) Ideft tam Ecclesiasticis, quàm Laicis, quorum plures nominantur in diplomate ipsius Lotharii dato pro Ecclesia Modoëtiensi, infra memorando.

(6) Expeditionem hanc Imperatoris in Italiam circa Assumptionem S. Mariæ anni 1136. contigisse, docet Chronographus Hildensheimen. apud Pagium ad hunc ann. num. 1. In Lombardiam tamen seriùs se contulisse Lotharium, discimus tum ex historia hac Landulphi, tum ex diplomate, quod ab Ughello refertur tom. 5. Ital. sacræ, novæ edition. in Epis. Veronen. col. 1013. *Datum apud Procelum juxta Miriticum* (legendum *juxta Mincium*, ut ipse Ughellus col. 777. eũ appellat) *VII. Kal. Octobris*; Unde corrigendum censeo Pagium, qui ad hunc eund. ann. num. 5. tradit, Lotharium jam mense Augusto in Longobardia versatum esse; Nititur enim diplomate supradicto Lotharii ad Canonicos Modoëtienses dato apud castrum S. Bassiani, quod tamen mense, ac die caret.

(7) Intellige *Archiepiscopus Robaldus*.

Digitized by Google

ſium vincula, & captionem ſuſtinentes (8). Mediolanenſium igitur exercitus confortatus præſentia Imperatoris, & vinculo excommunicationis, Sonzinum (9), Sanctumque Baſſanum, & alia multa caſtella Cremonenſium deſtruxerunt (10). Quibus deſtructis multitudo Mediolanenſium ad civitatem rediit. Archiepiſcopus verò, & quædam pars inclyta militiæ Mediolanenſium cum Imperatore in Roncalia (11) ſuper Padum caſtrametati ſunt; ibique per plures dies, & hebdomadas Imperator curiam *poteſtativè* (*) habuit, & leges dedit (12).

CAP. XLIV.

Per Imperatorem cauſſa Hiſtorici fruſtra Conſulibus Mediolani committitur.

TUnc ego quoque ibi per tres dies affui, & licentiam lamentandi ad Imperatorem à Domino meo Conrado Rege (1) præſente Sigifredo filio (2) ejus interprete ſuſcepi, & Principibus cujuſcunque dignitatis circumſedentibus, & vocem meam audientibus ſub temptorio Imperatoris querelam de Andrea Sugaliola feci (3), quam querelam Archiepiſcopus Taurinenſis (4) cum cæteris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque literatis viris intellexit, & me ſicut vir prudens, & ſapiens interrogavit, & poſt meam reſponſionem Domino Imperatori cauſſam meam per verba mihi barbara (5) revelavit, & Dominus Imperator ſecundùm petitionem meam, prout Pontifices mihi fidem fecerunt, imperavit Conſulibus Mediolanenſibus, ut Mediolani cauſſam meam juſtè, & paternè tractarent. Sed nimirum (6) ſi cœtus Conſulum huic præcepto non obedivit, quia Arnaldus de Raude unus ex illis Conſulibus in auribus eorum ſonuit, quòd inveſtituram de meo placito ſuſceperat (7). Hoc quidem mens mea nullo modo novit, nec jure eſſe potuit, quia Arnaldus hujus Arnaldi Avus Herlembaldum Protectorem Presbyteri Liprandi occîdit (8), ipſumque auctorem meæ cauſſæ ad truncationem naſi, & aurium, atque ad vincula, & carceres violenter adduxit (9). Ardericus quoque hujus juvenis Arnaldi patruus, eundem Presbyterum ad ignem, per quem tranſivit, (10), venire compulit. Ugo alter ejuſdem Arnaldi patruus, Andream, de quo juſtè queror, non ratione, ſed furioſè protegit, & Arnaldus iſte miræ calliditatis homo cùm nullum in mea cauſſa habeat acceſſum, ſtudet me, meamque cauſſam impedire per hujuſmodi inveſtituræ verbum. Quapropter Imperatoris præſentiam expectavi (11).

CAP.

(8) Sigonius ad ann. 1136. narrat. „ Statim ac „ Lotharius in Italiam venit, anxios ad eum „ Italicos conveniſſe, ac lites, quas initis diri„ mere certaminibus inſtituerant, continuò ad „ illius judicium revocaſſe. Quæ ad Cremonenſes ſpectant, Otto Friſingen. in Chron. lib. 7. cap. 19. in hunc modum refert: *Lotharius ad Padum uſque progrediens, Cariſtallium* (Guardaſtallum) *cepit. Ibi Mediolanenſes, & Cremonenſes diuturnum inter ſe ſe bellum habentes obvios habuit; diſcuſſáque utriuſque urbis causâ, Cremonenſes à Principibus Italiæ hoſtes judicantur, proſcriptique diſcedunt.* Huic Lotharii decreto Archiepiſcopalis ſuæ auctoritatis ſententiam, qua ſacris quoque interdicerentur Cremonenſes, anathemate ſancitam Robaldus adjunxit.

(9) Famam huic loco non mediocrem fecit mortuum ibidem ac ſepultum anno 1259. Monſtrum illud Tyrannidis terrorque urbium finitimarum Ezellinus, ſeu Actiolinus, ut eum vocat Calchus.

(10) Ex agro Mantuano, ubi juxta Mincium Lotharius diploma ſup. memoratum dederat, ad Caſtrum S. Baſſani ſe contulit, ubi alterum diploma expedivit in favorem Cleri Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Modoëtienſis, quod Bartholomæus Zucchius in hiſt. Coronæ ferreæ edidit, *datum anno Incar. Dom. 1136. & actum apud Caſtrum S. Baſſani*; Cùm itaque deſtructum fuiſſe à Mediolanenſibus hoc caſtrum referat Landulphus *præſentiâ Imperatoris confortatis*, credere poſſumus id contigiſſe Octobri menſe, tum ex diplomate ſup. relato, datoque *juxta Mincium* 7. Kal. Octobris, ex quo patet, illuc nec dum eo tempore Lotharium adveniſſe; tum ex legibus feudalibus datis in Ronchalia die 7. Novembris, quæ dilucidè probant, Lotharium eo menſe jam inde profectum.

(11) Locum iſtum Galliæ togatæ apud Placentiam urbem celebrem eſſe pluribus ibidem habitis Imperatorum Comitiis, cuique notum eſt.

(*) A. 1. *poteſtaturæ*.

(12) Feudales præcipuè, datæ die 7. Novembris ejuſdem anni 1136. ut diximus, quæ in novum juris civilis corpus illatæ ſunt.

AD CAP. XLIV. NOTÆ.

(1) Abdicaverat ſe multò jam ante, ut diximus, Italico Regno Conradus, eumque exercitus ſui Ducem conſtituerat Lotharius. At Landulphus, qui ſummo erga illum amore rapiebatur, quemadmodum verba illa cap. 39. hujus hiſtoriæ oſtendunt: *quidquid actum eſt in illo domino meo Rege dilexi, & diligo*, eundem etiam Regia dignitate ſpoliatum, Regem ex antiqua appellatione dicebat, colebatque.

(2) Nullum Conradi aut Lotharii filium nomine Sigifredum, hiſtoriæ, quas viderim, memorant, cùm illi Henricum ac Fridericum, huic verò Lotharium natos tantummodo aſſignent ſcriptores; quapropter honorarium fuiſſe Ephębum, qui Theutonicæ linguæ interpretem apud auctorem noſtrum ageret, & eo *filii* nomine indicetur, hunc Sigifredum exiſtimaverim. Si quis verò contendat, reputandum eum eſſe verè filium Conradi, vel Lotharii, acceptam hujuſmodi notitiam unicè Landulpho debebit.

(3) A quo ſe expoliatum fuiſſe omni Eccleſiaſtico beneficio jam doluerat cap. 39.; intruſus enim fuerat in ejus juris Eccleſiam S. Pauli à Presbytero Nazario Muricula eandem priùs occupante, & ad Primicerii dignitatem poſtea promoto.

(4) Error Amanuenſis, qui in omnia exemplaria irrepſit. Taurinenſis enim Eccleſia nonniſi anno 1515. à Leone X. Archiepiſcopali honore donata fuit. Arbertus autem tunc ſedebat, anno 1128. electus, protractuſque in annum 1147. ab Ughello in Epiſ. Taurinen. num. 31.

(5) Facilè *Theutonica*, quæ Landulpho illius idiomatis imperito barbara videbantur.

(6) Lege *nil mirum*, ut alibi etiam adnotavimus.

(7) Andræas nempe Sugaliola jam memoratus.

(8) Herlembaldus Apoſtolicæ Sedis contra Nicolaitas vexillifer in plebis tumultu contra ipſum excitato pluribus confoſſus ictibus ceciderat anno 1075. ut ſuperiùs monui. Ex noſtro Landulpho præcipuum tam nephariæ cædis auctorem intelligimus, Arnaldum nempe ſeniorem de Raude, quod idem prodidit quoque Galvaneus Flamma in Chron. Maj. cap. 250. tamquam ex Chronica Calendaria deſumptum, non Arnaldum tamen, ſed Arialdum eum appellans.

(9) De probris hiſce, ac vulneribus Liprando illatis ob Sacerdotum caſtimoniam ſtrenuè propugnatam, nonnulla legi poſſunt in adnotationibus ad cap. 1. & fuſè in Puricell. loc. cit.

(10) Vide cap. 10.

(11) Veniſſe ad hanc urbem Lotharium, atque Italicâ redimitum coronâ fuiſſe à Robaldo ibidem primò, ac poſtmodum Modoëtiæ, ultro admiſit Puricellus num. 382. in eo tantummodo Zucchium, alioſque id aſſerentes reprehendens, quòd Anſelmum hujus ſolemnis inaugura-

Digitized by Google

CAP. XLV.

Lotharius Papienſibus fuſis Mediolanum venit. (1)

LOtharius poſtmodum Imperator in quarta die, quæ fuit dies Sabbati (2) poſt meam querelam, ſecus Papiam eſt caſtrametatus ad locum, qui dicitur Lardiracus (3) ſuper flumen Oronam poſitus (4) : Cùmque Imperator ibi pernoctaſſet, & diem Dominicam (5) quaſi dimidiaſſet, militia ejus cucurrit ad Papienſes, qui armati exierunt; (6) in prœlio illo fortiſſima manus Principis Conradi quamplures de Papienſibus ejecit, & comprehendit, neque à prœlio ſe ſubtraxit, donec Papienſes ferè ad muros civitatis conculcavit, & appropinquavit. Tunc Papienſes valde perterriti, & metuentes hoſtilem exercitum Mediolanenſium concurrentium ad Imperatoris triumphum, in primo diluculo ſecundæ feriæ (7) cum maxima devotione (8) reddiderunt Imperatori quotquot habebant de Mediolanenſibus in ſua captione (9). Imperator commotus maxima pietate Papienſes eâdem die à ſua cuſtodia ſolvit, & liberos dimiſit, & die altera (10) ſua caſtra amovit, & ad locum, qui dicitur Abbiate Craſſum (11) pervênit, & omnis multitudo Mediolanenſium cum ſuis militibus à captione Papienſium liberatis rediit Mediolanum. De cætero Imperator Ticinum, atque Padum (12) ad ſuum commodum tranſivit. (13)

CAP.

---

gurationis auctorem faciant. Ego tamen, ſi quid ſapio, ne exceptum quidem Mediolani Lotharium crediderim; Antiqui enim ſcriptores de hoc adventu in urbem noſtram ſilent, ſerieſque itineris hucuſque deſcripti, ac deſcribendi credere id vetat, cùm è Ronchalia ad Lardiracum ſecus Papiam proceſſerit die 14. Novembris, ut cap. ſeq. dicemus; inde verò die 17. ejuſdem menſis ad oppidum Abbiati Craſſi ſe contulerit, ac ſtatim Vercellas, & Taurinum, ut ex Annaliſta Sax., & Othone Friſing. teſtatum habemus. Modica tamen ibidem Lotharii mora eſſe debuit, cùm paulò poſt Placentiam, Parmam, ac Regium adierit, ubi Decembrem tranſegit, Saxone cit., & Sigonio adnotantibus. Extat ejuſdem Diploma datum Regii XVI. Kal. Januarii apud Ughell. tom. 2. col. 288. novæ editionis. Januario anni ſequentis 1137. Ravennam in hiberna perrexit; inde Campaniam, & Apuliam peragravit, poſt multa per Flaminiam, Picenum, Umbriam, aliaſque regiones itinera peracta, quæ in Sigonio, & aliis legi poſſunt; In Germaniam inde rediens apud Tridentum in viliſſima caſa miſeram humanæ conditionis relinquens memoriam, ut Friſingenſis loquitur, obiit pridie Non. Decembris anni 1137. Nullus igitur ſuſcipiendæ Modoëtiæ, aut Mediolani italicæ coronæ locus eſſe poteſt in hac Lotharicæ expeditionis hiſtoria; quod verò ſcribit Sigonius Lotharium in reditu Mediolanum acceſſiſſe, belloque, Novembri menſe, in Cremonenſes moto, Soncinum, Baſſianum, multaque alia ex eorum juriſdictione caſtra deleviſſe, anachroniſmo laborat; acta enim hæc ſunt anno ſuperiore 1136. antequam in Roncalias proficiſceretur, ibique leges conderet ille Imperator, ut ex Landulpho noſtro conſtat; ex quo item corrige Campum, & Cavitellum ſimilia narrantes.

Præterea mirum valde eſſet, quòd Landulphus hiſtoriam ſuam proſequutus uſque ad annum 1137., atque ubique Imperatorem conveniens, ut cauſſam ſuam peroraret, nullum de ejuſdem adventu in hanc urbem verbum proferret, nullam de accepto Mediolani, ac Modoëtiæ regio ſerto memoremve vocem ſuis inſcriptis relinqueret, cùm alias hujuſmodi Regum inaugurationes utrobique peractas non tam retulerit, ſed minutim etiam deſcripſerit. Porrò tanti momenti hoc ſilentium Pagio viſum eſt, ut coronationem hanc omnino commenticiam affirmet ad an. 1134. num. 19. Hæc tamen dicta ſint quin mihi id invidiæ tribuatur, ac ſi gloriam hanc ab urbe noſtra, ac Modoëtienſi oppido propulſare voluerim. Veritatem ſiquidem conſectari ſtudeo, utique liberrimè manus daturus, ſi validiora ad novum hoc decus Patriæ meæ, ac Modoëtiæ vindicandum argumenta emergant.

AD CAP. XLV. NOTÆ.

(1) Malè ab Amanuenſi aliquo appoſitum fuiſſe hunc titulum docet tum Landulphus, apud quem nullum de Mediolano verbum, tum ſuperioris capitis poſtrema adnotatio.

(2) Cõtulerat ſe in Ronchaliam Landulphus eo tempore quo Lotharius Imperator ibidem Leges ſuperiùs relatas condebat; Cùm itaque illæ datæ ſint die 7. Novembris anni 1136. ut in Juris volumine ad eaſdem adnotatum legitur, dies Sabbati, quæ ſubſequuta tum fuit, in decimum quartum ejuſdem menſis incidit: eo igitur die Papiam versùs Lotharium moviſſe credendum eſt.

(3) Locus eſt Papienſis ditionis, cui è regione in præſens poſita eſt, paucis milliaribus diſſita, Ticinenſis Chartuſia, artis & magnificentiæ miraculum, à Joh: Galeatio primo Mediolani Duce conſtructa.

(4) Plures hujus nominis Oronæ ſeu Olonæ fluvios recenſent Gaudentius merula de Antiq. Gall. Ciſalp. lib. 1. cap. 7. & Bonavent. Caſtillionæus de Gall. Inſubr. antiq. ſed. Qui hîc memoratur, à Bernardo Sacco in hiſt. Ticinenſi in hunc modum deſcribitur. Olona ex Mediolanenſibus collibus vallibuſque dilapſa Circiatum, ac Caſtaneatum petens, ipſis primùm Mediolanenſibus uſui eſt, quibus potu exhibito Ticinenſem oram magnis circuitibus ambit, rigatque undis, tandemque Padum petit inter Vicum Spiſſiæ & Divi Zenonis, longè à Ticino urbe decem millia paſſuum.

(5) Ideſt 15. Novembris

(6) Infeſtos Mediolanenſibus acri bello Papienſes, ſuperiùs cap. 43. vidimus. Fortaſsè eâ victoriâ elati inſultanteſque Lotharii, qui Mediolanenſibus favebat, imperium pati renuerant. Certè nonniſi pactâ pecuniâ in gratiam ſuſceptos ab eo Imperatore teſtatur Otto Friſing. lib. 7. cap. 19. Sed fidem ſuperat quod Annaliſta Saxo jam cit. ſcribit, eam nempe fuiſſe *XX. millium Talentorum*; niſi fortè legendum ſit *Tertiolorum*, quæ moneta in uſu apud Papienſes erat.

(7) Nempe 16. Novembris.

(8) Cleri & Monachorum cœtus, aſſumptis crucibus & Sanctorum Reliquiis urbem egreſſos lugubri voce & habitu ad Imperatorem proceſſiſſe, ut ejus clementiam deprecarentur, legimus in ſuprad. Saxone col. 673.

(9) Eos videlicet, quos cap. 43. captos dixit Landulphus à Papienſibus *veluti mitiſſima ovium pecora*.

(10) Scilicet 17. Novembris.

(11) Oppidum etiam in præſens celebre quatuordecim miliaribus Mediolano diſtans, Viglevanũ versùs, quà deductum è Ticino Magnum Navigium ad urbem noſtram dilabitur. Caſtrum olim fuit munitiſſimum, reſque ibidem ſtrenuè geſtas à Mediolanenſibus pro reſtitutione Franciſci Sforciæ poſtremi Ducis ſui contra Gallos refert Galeatius Capella lib. 3. de Bello Mediolanenſi. Plura de hoc Oppido diſſerit Felix Oſius in Commentariis ad Othonem Murenam num. 275. & ſeq.

(12) Complectitur hoc loco Landulphus itinera, quæ ſuperiori cap. num. XI. jam deſcripſimus, ad Taurinenſem videlicet urbem, ac poſtmodùm Regienſem. Per agrum Novatienſem, ac ſignanter Vico *Momo* diverſatum fuiſſe Lotharium Calchus narrat ad an. 1138. brevi periodo ab univerſa Italica expeditione ejuſdem ſe exſolvens.

(13) Proſperè acta hæc itinera à Lothario fuiſſe, nemine inimicam manum in ipſum armante,

CAP. XLVI.

Mediolanenſes Epiſcopum Cremonenſem capiunt, qui venenato cuſtode de vinculis fugit.

AT Innocentius Papa Cremonenſes ab excommunicatione Robaldi Archiepiſcopi ſolvit (1). Verumtamen Mediolanenſis exercitus Cremonenſibus, nec eorum Epiſcopo pepercit (2), quia poſt abſolutionem (3) Juvenaltam Caſtellum eorum (4), & alia apprehendit, atque Epiſcopum eorum loricatum, & hortantem ſuos ad pugnam *proficientem* (*) homicidium de ipſo Caſtello pertraxit, & plures menſes in cuſtodia tenuit (5), donec Herlembaldus de Breſorio cuſtos illius cuſtodiæ contaminatus veneno, prout dicitur, ſubitò in mortem corruit. Et in ipſa nocte, qua ipſe cuſtos ſubitò occidit, Epiſcopus de ipſa domo, qua claudebatur, effûgit, & liberatus Papiam, deinde Cremonam pervênit. Hîc fortaſſis Epiſcopus iſte reminiſcitur amaritudinis (6), qua potatus fuit Mediolani in die ſuæ Ordinationis (7), ſed prout quibuſdam placet, non bene. Quia ſi Jordanus Archiepiſcopus, ejuſque Eccleſia amovit Ugonem de Noceto (8) nobilem virum, & Parmenſis Eccleſiæ quaſi Archidiaconum ab Epiſcopatu Cremonenſi, in quo Cremonenſes per ſuam electionem, & Henricus Rex eorum per inveſtituram ſuæ laudationis, & confirmationis ipſum poſuerant, & ſuſceperant per plures annos reverenter, & diu intus, & foris tenuerant: Quid mirum, ſi populus Mediolanenſis compulit iſtum Ubertum egregium virum jurare fidelitatem Eccleſiæ Mediolanenſi, & Archiepiſcopo Jordano, *quando* (*) ipſum Ubertum Epiſcopum conſecravit! Quòd ſi fortè quis dixerit, amotio Ugonis fuit juſta (9), ſed compulſio Uberti fuit iniqua, nec dicat cujus mortalis auctoritate principaliter eſt regenda Cremona, ejuſque Eccleſia (10): *ſi non* (*) dixerit, utrumque fuit malum, & iniquum: Surgat igitur Deus exercituum, qui Mediolanum, & Cremonam corrigat, & me Acolytum oppreſſum, & expoliatum, quemadmodum in hac mea copia continente probos, & pravos legitur, jure gubernet, & protegat.

Deo .·. gratias .·. Amen .·. Amen .·.

Explicit Liber Hiſtoriarum Landulphi de Sancto Paulo de Geſtis Mediolani ab Anno Chriſti MLXXXXIV. uſque ad Annum Chr. MCXXXIII. tempore Robaldi Archiepiſcopi, qui obiit Anno Chriſti MCXLIV. ſecundo die ante Kal. Jan., jacet in Eccleſia Hyemali. Huic ſucceſſit Ubertus de Pirovano, quo ſedente Mediolanum à Frederico funditùs evertitur. (11)

---

teſtatur Abb. Urſperg. in vita Lotharii inquiens. *Poſt uſque Taurinum progrediens, totam citeriorem* (non *liberiorem* ut Typographi fortaſſe errore in Struvii hiſtoriam German. Diſſert. 16. §. 26. irrepſit) *Italiam ſinè ferro ſubegit.*

AD CAP. XLVI. NOTÆ.

(1) Diſplicuiſſe Innocentio Papæ Robaldi Archiepiſcopi Mediol. ſeveram animadverſionem in Cremonenſes, eâque improbatâ, illos anathemate inflicto exſolviſſe affirmat Pagius ad an. 1136. num. 7. ſed quòd hoc anno id acciderit, aſſentiri eidem non ita facilè poſſum; cùm poſt trajectum Ticinum & Padum *ad ſuum commodum* ſub finem illiuſmet anni, abſolutos ab Innocentio Cremonenſes narret Landulphus; atque ideo videantur hæc ad annũ ſequentem pertinere quo jam Lotharius, & ipſe Cremonenſibus iratus, ab hiſce finibus exceſſerat.

(2) Obertus, ſeu Ubertus, ut illum infra appellat Landulphus, Cremonenſem tunc Infulam gerebat, uſque ad 1169. ſuperſtes, teſte Ughello in hujus urbis Epiſc. num. 46.

(3) Nempe Innocentii II.

(4) Non longè à Romanengo, ac Soncino celebre hoc caſtrum eſt in hiſtoria Cremonenſi, pluribus ibidem commiſſis prœliis; anno enim 1215. narrat Campus pugna improſperè Cremonenſibus cedente, captum fuiſſe Romanengum & Juvenaltam, ipſumque Carrocium, (quod in deteriori fortuna gravius tum damnum ac dedecus habebatur) à Mediolanenſibus ereptum; iterum apud Juvenaltam accerrimè cum iiſdem decertatum refert anno 1239. ſed pari cæde, ac nemine victore.

(*) A. 2. *perficientem*.

(5) Quamdiu in vinculis Mediolanenſium perduraverit Cremonenſis Epiſcopus ignotum prorſus eſt, cùm de inſigni hoc facto, prædaque divite in Cremonenſi agro à noſtris relata, nullum in hiſtoriis verbum offenderim. Narrat quidem Sigonius Cremonenſes iratos quòd Lotharii auxilio Cremenſium ulciſci injurias nequiviſſent, inſtaſſe oppido Cremæ anno 1139. armis & minis graves; Mediolanenſibus tamen properè accurrentibus, ab obſidione depulſos fractoſque fuiſſe, eorundem pluribus captis, atque in carceres Mediolanum tranſmiſſis; Sed cùm pugnam hanc apud Rivoltam, non parum à Juvenalta ſejunctam contigiſſe referat, alterum à præſenti bellum illud fuiſſe credendum eſt. Interim adnotare licet Landulphi hiſtoriam in annum ſaltem 1137. procul dubio protendi; Cùm enim Ubertum Epiſcopum per plures menſes detentum tandemque fuga elapſum, Cremonæ incolumem reſtitutum enarret, collatis quæ ſupra expoſuimus, perſpicuum fit in annum 1136. contrahi hæc minimè poſſe.

(6) Cauſſam hujus amaritudinis inferiùs exponit Landulphus, juramentum videlicet fidelitatis Eccleſiæ Mediolanenſi & Archiepiſcopo Jordano, ad quod compulſus eſt eodem tempore quo Mediolani conſecratus fuit. Id autem videbatur officere libertati, in quam ſe aſſeruerant Lombardiæ urbes, ut notum eſt.

(7) Suffectum fuiſſe in Cremonenſi Sede à Jordano Archiep. Mediol. Ubertum anno 1117. Ughellus aſſerit, ſed quo fundamento annum hunc ejuſdem electioni deſignaverit non video; cùm nihil certi de tempore quo VValterus proximus deceſſor obiit, aut intruſus eſt ab Henrico Imp. Ugo de Noceto, producat. Certè ante Octobrem anni 1120. quo vivere deſiit Jordanus electum atque inunctum fuiſſe hunc Ubertum ex noſtro Landulpho conſtat, qua in re gravi anachroniſmo erravit Ludovicus Cavitellus in Annal. Cremon. qui omnia confundens, VValterum mortuum anno 1129., ſequenti verò ſubſtitutum Ugonem, atque ipſo non multò poſt defuncto, eodem anno 1130. ſucceſſiſſe Ubertum tradit, quæ quàm abſurda ſint, hiſtoriæ hujus auctoritas evincit.

(8) De hoc Ugone nuſquam mentio injicitur, præterquam in Landulpho noſtro. Quæ Ughellus in Epiſc. Cremon. & Bordonus in Theſauro Eccl. Parmen. prodidere, ex eodem collecta ſunt.

(*) A. 2. *qui*.

(9) Pluribus enim Summorum Pontificum ac Conciliorum decretis in Laicas Inveſtituras, quas ſibi aſſeruerant Henricus IV. & V. Imperatores, declamatum fuerat, Cæſaribus ipſis anathemate perculſis.

(10) Innuit hoc loco Landulphus jura Metropolis, quæ fortaſſe prætendebant Mediolanenſes, ut ipſorum imperio reliquæ Urbes, atque Eccleſiæ finitimæ ſubderentur.

(*) A. 2. *ſi verò*.

(11) Quæ hîc leguntur, deſunt in altero ex MStis Bibl. Ambr. Addita fuiſſe ab imperito quopiam ex huc uſque expoſitis patet; cùm inchoatam ab anno 1097. hiſtoriam ſuam Landulphus uſque ad annum ſaltem 1137. produxerit. De Robaldi verò obitu vide quæ cap. 37. n. 7. diſſerui.

FINIS.

Digitized by Google

CARMEN

DE LAUDIBUS BERGOMI
MAGISTRI MOYSIS
BERGOMATIS,

QUI CIRCITER ANNUM CHRISTI MCXX. FLORUIT,

A MARIO MUCIO

OLIM EDITUM,

NUNC AUTEM OPE MANUSCRIPTORUM EXPURGATUM,
AC SUÆ INTEGRITATI RESTITUTUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN MAGISTRI MOYSIS BERGOMENSIS CARMEN DE LAUDIBUS BERGOMI.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

BErgomenſis civitas cum antiquitate originis, tum loci arduitate, incoliſque ex ingenii vigore laudatis, illuſtrem ſemper famam ſub Italico Coelo ſervavit. Ejus autem laudes Carmine hoc olim perſequutus eſt Magiſter Moyſes, & is quidem Patria Bergomenſis. Libellus neque apud ſuos, imo neque apud Eruditos ignotus. Eum ſiquidem jam Anno 1596. Bergomi primus evulgavit typis Comini Venturæ Marius Mutius, ſeu Mucius, junxitque Theatro Carminum Achillis Mucii patris ſui. Familiam Moyſis ſi quaeras, *Muciam*, fuiſſe (*Mozziam* vulgari ſermone appellant) frons Operis editi teſtatur, ubi etiam legitur accedere ejuſmodi Opuſculum ad Achillis Mucii Theatrum, *ut hereditarium, atque adeo a natura ipſa paene comparatum iſtiuſmodi eſſe Muciorum Familiæ ingenium ac ſtudium, optime de Patria & mereri, & modulari videatur*. Quo tempore floruerit, & haec ipſa ſcripſerit Moyſes, luculentiſſime edocemur ex Epiſtola Auctoris ipſius ad Juſtinianum II. Imperatorem, & apertius quoque ex poſtremis Libelli verſibus, ubi ſe is ſcripſiſſe profitetur Anno Chriſti DCCVII.

Poſt ſeptingentos Annos, ſeptemque peractos
Virginis a partu, & populos tibi Marte ſubactos.

Habemus ergo vetuſtiſſimum Poëtam, cujus propterea monumentum eo carius futurum eſt Italicis Ingeniis, intereratque in omnium manibus verſari. Atque ego quidem hac etiam de cauſa fateor me obſtrictum praeclariſſimo adoleſcenti Comiti Franciſco Brembato, ex antiqua Bergomate Familia orto, quae ante aliquot Secula Beatum Pinamontem Virum ſanctitate conſpicuum ſuae Patriae dedit, multa inquam debeo, quod non modo Achillis Mucii Theatrum editum, ſed & antiquiorem manuſcriptum Codicem mihi ſuppeditavit, ubi idem Moyſis Poëma occurrit. Ita factum, ut novam ego, eamque, ni fallor, majori fide dignam editionem rurſus inſtituere potuerim.

Verum ignoſcant mihi, quaeſo humaniſſimi Bergomates, ſi unam veritatem, quam ab ipſis ſupra omnia diligi puto, venatum ivero & ego, ſique heic libero ſermone utar, qualem Lector quiſque ab homine expectat, qui adulationem omnem peroſus, nec fallere, nec falli amat. In gravem primum ſuſpicionem, tum in certam ego ſententiam adductus ſum, Achillem Mucium, ſeu Marium illius filium, ſua illa editione illudere Literariae Reipublicae jamdudum voluiſſe. Scilicet, ut mihi videtur, non vixit Moyſes Juſtiniani II. temporibus, neque ex Familia Mucia, inter Bergomates olim perquam nobili, ſanguinem traxit. Haec autem liberaliſſime conficta reor ab Achille Mucio, ſeu ejus filio, ut ſibi gloriam quaererent, veteri hoc ſuam in Familiam Scriptore adſcito, atque ut ſui generis antiquitatem, vel ab exordio ducerent Seculi a Chriſto nato Octavi. Quae me impulerint in ejuſmodi opinionem, brevibus edicam. Ut edita ferunt, inſcribit Moyſes Libellum hunc *D. Juſtiniano hujus nominis Secundo Imperatori Conſtantinopolis* &c. Non erat iis temporibus in more, Imperatores ac Reges, imo neque Summos Pontifices, ab anteceſſoribus ejuſdem nominis diſtinguere titulo *Secundi*, *Tertii*, *Quarti*, ut nunc fit, ſed nudis ii nominibus appellabantur: quae conſuetudo tenebras interdum in Hiſtoriam invexit. Praeterea non appellaſſet Moyſes Juſtinianum herum ſuum *Imperatorem Conſtantinopolitanum*. Inveni mihi, ſi potes, qui iis Seculis Auguſtos hac appellatione donarit. Dicebantur illi *Romanorum Imperatores*, non *Conſtantinopoleos*: quo titulo uti ſolum coepere poſt annum DCCC. Latini, ut Orientis atque Occidentis Imperatores alterum ab altero diſtinguerent. Neque ſatis Seculum Chriſtianae Aerae Septimum, aut Octavum ſapit Inſcriptio illa *Splendore Juſtitiae* &c. & *Domino Juſtiniano*. Aliis dicendi formulis ad Imperatores, ac Reges aevo illo conſcribebantur Epiſtolae. Ita in calce Operis Imperator dicitur *Grajorum populorum ſumma poteſtas*. Erat ille, ut iterum dicam, *Romanorum*, non *Graecorum* Imperator; & tantummodo poſt diviſum Imperium inter Orientis, & Occi-

Digitized by Google

Occidentis Auguſtos illum Latini *Graecorum Imperatorem* dixere. Affirmatur autem ſcriptum Opuſculum *poſt ſeptingentos annos, ſeptemque peractos Virginis a partu*. Aeram Chriſtianam, ſeu Dionyſianam, quae a Nativitate Domini annos numerare incipit, norunt Eruditi, Anno 707. nondum uſurpatam a Scriptorum vulgo in Italia; & certe Conſtantinopoli ubi haec ſcripta dicuntur, in uſum deducta nondum fuerant. Tamdem verſus hi *Leonini*, & rythmo ſimiliter cadente compoſiti, ut ut ſpecies aliqua eorum apud veteres occurrere poſſit, initio tamen Seculi Octavi nondum aut in uſu, aut in honore erant; & certe ex iis integra Poëmata nequaquam conſtituebantur. Haſce delicias poſt Annum tantummodo a Chriſto nato Milleſimum, aut primum, aut frequentius ad demulcendas aures hominum Latini Poëtae uſurpare coeperunt. Quamobrem multa ſunt, quae nos deterrent, ne foetum adeo antiquum putemus, imo quae perſuadeant, nobis a Mario Mucio gloriae captatore fuiſſe illuſum.

Quod tamen non ſolum ſuſpicionem meam auxit, ſed ſiniſtram impoſturae nobis factae opinionem plane confirmavit, manuſcriptus ille Codex fuit, ubi idem Poëma legitur, longe ante Annum 1500. exaratus. Illic Muciorum genti minime attribuitur Moyſes noſter. *Magiſter Moyſes Pergamenſis* tantum appellatur: qui etiam *Magiſtri* titulus, Notariis, aut Grammaticis, aut Jurisperitis, aliiſque Artium, ac Scientiarum Profeſſoribus attributus, non ad Seculum VIII., ſed ad ſubſequuta ſpectat. Accedit, nullam in eo Codice apparere *Epiſtolam Dedicatoriam ad Juſtinianum II. Imperatorem*, uti neque poſtremos verſus, queis *Moyſes Mucius* dicitur, *& Actorum Imperialium fidelis Scriba*, neque Annus DCCVII. *Virginis a partu* memoratur. Quibus, quaeſo in Codicibus Marius Mucius haec invenit, quae in noſtro deſidera tur? Nonne ad amplificandam gentis ſuae gloriam haec ille de ſuo ingenio potius procudiſſe putandus? Neque ille, ut hoc addam, ſatis animadvertit, Familiarum cognomina, qualia nunc habemus, & ipſe Moyſes in deſcribenda *Muciorum* Familia agnoſcit, ſerius invecta fuiſſe, hoc eſt poſt Annum Chriſti Milleſimum. In laudato autem Codice Gloſſae quaedam leguntur, quarum una ad verſum illum Prologi. *Nam gens iſta tuas leges* &c. appoſita, ita ſe habet: *Dicitur, quod cum quondam Magiſter Moyſes Pergamenſis, valens & probus homo in Scriptura, eſſet in Curia Imperatoris Conſtantinopolitani, & laudaret ſaepe civitatem ſuam, ſicut eſt mos bonorum Civium, & Dominus Imperator ſaepe diceret ei: Libenter ſcirem ſtatum & conditionem illius civitatis, ipſe Magiſter Moyſes compoſuit hunc Librum ad preces ipſius Domini Imperatoris*. Nullum quidem hujuſce rei veſtigium in Moyſis verſibus ſinceris: attamen hinc Mario Mucio, ſeu ejus patri apertam fuiſſe viam ſuſpicor comminiſcendi Juſtiniani II. Auguſti, eique tribuendi Moyſem Bergomatem Scribam, ſive a ſecretis. Atque ita proceſſiſſe videtur fraudis hujus literariae commentum. Sed jam quis petat, quo Seculo Scriptor hic tamdem, certe antiquus, efflоruerit. Mea ſententia eſt, ipſum vixiſſe circiter Annum 1120. Conſule Cap. VI. ubi Moyſes Muciam gentem *ex antiqua Nobilitate* laudat, ne hilum quidem innuens, ſe eidem genti innexum, atque inter alia haec habet:

Hinc prodire ſolent ſapientum corda virorum,
Conſiliis cedunt urbana negotia quorum,
Ex quibus Ambroſius, quem plenitudo bonorum
Ornat ab aetatis puerilis tempore morum,
Quem dum vita comes fuerit ſenſuſque, colemus,
Carminibuſque novis, & digna laude canemus.

Tempore igitur hujus Ambroſii Mucii floruit Moyſes. At Gloſſa in Codice MSto, quem ad manus habui, jam nos monuit, quis ille fuerit; adnotatum quippe habet: *Epiſcopus Pergamenſis fuit*. Ambroſius autem Bergomenſis Epiſcopus e gente Mucia (uti non tantum Ughellus, ſed & Coeleſtinus Capuccinus, aliique rerum Bergomatum Scriptores agnoſcunt) Anno 1112. ſacram ejus urbis Cathedram aſcendit, ac Anno poſtea 1129. ad plures abiit. En ergo tempus, quo Moyſes noſter floruiſſe dicendus. Praeterea Cap. XIII. Civitatis ſuae regimen deſcribens Moyſes, in haec verba loquitur:

Tradita cura Viris ſanctis eſt haec duodenis,
Qui Populum juſtis urbis moderantur habenis.
Annuus his honor &c.

Tum dicere pergit, hos *Duodecimviros* tela, clypeos, equoſque frementes opponere hoſtibus. Antea quoque dixerat, Legum curam iis impoſitam, & Juſtitiae moderamen erga ſingulos. Hoc autem alterum eſt palmare argumentum, ad Annum Chriſti DCCVII. falſo ac inepte protractam fuiſſe Poëtae hujus vitam. Parebat tunc Langobardorum Regibus Bergomum, praetereaque a ſuo Duce regebatur: Et plane diverſis Magiſtratibus, ac judicandi ritibus uſa eſt gens Langobarda. Heic nulla Regis mentio, nulla Ducis, qui revera tunc domini, & moderatores rerum ac juſtitiae erant. Contra exhibetur Bergomum ad Reipublicae normam gubernatum, & ſumma poteſtas delata ad annuum Magiſtratum Duodecimvirûm. Accedit, quod Bergomenſis civitas laudato Cap. XIII. a Moyſe deſcribitur ſuis temporibus in feliciſſimae Pacis ſinu poſita:

Ligat ſtabili nodo Pax aurea Cives.

Neque

Digitized by Google

Neque ullum externum bellum, aut inteſtinum urbis infortunium recens memoratur. Verum, teſte Paulo Diacono de Geſt. Langobard. Lib. VI. Cap. 18. Ragumbertus Taurinenſium Dux, Cuniberto Rege mortuo, *Rhotbari Bergomenſium Ducem apud Novarias proelio vicit*. Tum idem Rotharis ab Ariperto rurſus ſuperatus, Bergomum civitatem ſuam rediens, Regnum arripuit. Sed adverſus illum ingenti exercitu proficiſcens idem Aripertus, jam in Ticinenſi urbe Rex creatus, Bergomum obſedit, eamque cum arietibus, & diverſis belli machinis ſine aliqua difficultate oppugnans, mox cepit Anno DCCII. Regnum Langobardorum iniit Aripertus, ac poſtea tot turbines Bergomenſem urbem, ejuſque Populum, ac Ducem concuſſere. Quei ergo Moyſes Anno DCCVII. ſi ſuperis placet, ſuam Patriam deſcribens, invidendam in ea pacem, aliumque rerum ſtatum delinearit? Certe nobis haec minime obtrudere poterit ſua tantum auctoritate Marius Mucius.

Sciſcitatus autem ſum per literas doctiſſimum ac Nobilem Virum Horatium Albritium Bergomatem, quo tempore arbitraretur ipſe invectum in Patriam ſuam Magiſtratum Duodecimvirûm, ſeu Duodecim Conſulum. Reſcripſit ille, nullam vetuſtiorem horum mentionem ſibi occurriſſe, quam quae habetur in Inſtrumento *ſententiae Anno* 1184. *latae pro Monaſterio S. Sepulcri a XII. Conſulibus*, quorum ſingulorum nomina ibi leguntur. Chartam ſcripſit Albertus Soſena Notarius. Tum altera ſimilis Charta eidem viſa eſt ſpectans ad Annum 1191. ubi itidem memorantur *XII. Conſules*. Magiſtratus autem hujuſmodi, vel poſt adſcitos Poteſtates in ea urbe diu poſtea perduravit, ut multae Notariorum Chartae a laudato Albritio commemoratae ad Annum uſque 1333. fidem faciunt, poſt quem Annum eorum numerus ad octo tantum redactus eſt. Fuit autem in more non paucis ex Italicis urbibus, ubi poſt Annum Chriſti Milleſimum ſexageſimum Reipublicae formam ſuſcepere, a Conſulibus regi, tamquam ſupremo Magiſtratu. Iique modo quatuor, modo ſex, & interdum majori numero adlecti ad tantum munus ex ipſis Civibus. Tum vergente in finem Seculo Chriſtianae Aerae XII. ſenſim Conſulum loco invehi coeptus eſt Poteſtatis unius uſus, quem ex alienis civitatibus fere ſemper adſciſcere ſolebant. In Pace Lunenſi Anno 1124. Lucae peracta, quam evulgavi Cap. 17. pag. 154. Antiquit. Eſtenſ. numerabantur *ſexaginta Conſules* ejuſdem civitatis. Fortaſſe qui regimini annuo praeerant, longe pauciores fuere iique appellati *de Credentia*. Quae omnia nos eo rurſus perducunt, ut Moyſem floruiſſe credamus circiter Annum 1120. non autem antiquis iis temporibus, quibus plane alius erat in Langobardorum civitatibus Magiſtratuum ordo. Quamobrem veritas tamdem vincat: vetuſtus quidem Scriptor Moyſes, ſed nequaquam ad Juſtiniani II. tempora trahendus, qualem ſtupidis ac bardis perſuadere voluit Achilles, ſeu Marius Mucius, ſive Mozzius. Ferdinandus Ughellus, neſcio quo monente, impoſturam hanc, & ipſe viſus eſt ſubolfeciſſe; haec quippe ſunt ejus verba Tom. IV. Ital. Sac. in Praefat. ad Catalog. Epiſcopor. Bergomat. *De Bergomenſi civitate ſcripſit Moyſes Mutius juſſu Juſtiniani Imperatoris, cujus erat a ſecretis Anno ſalutis 707. ſi iis, qui Librum emiſerunt in lucem, fides praeſtanda eſt*. Quid hac de re impoſterum ſentiendum ſit, Lectorum judicium eſto.

Neque vero ſat fuit Mario Mucio ut ſuae Familiae thura adoleret, affingere Moyſi invito quaecumque is voluit: A mendis etiam, quibus ſcatebat, repurgatum ejus Poëma nobis exhibuit. Hoc eſt pro ſuo libito non verba ſolum, ſed & ſenſa interdum in ejus verſibus mutavit, prout ipſi viſa fuit expoſcere aut Proſodiae lex, aut Elegantiae. Tantam licentiam in edendis veterum ac praecipue Poëtarum ſcriptis, pauci erunt, qui laudent, aut ferant. Neque enim noſtrum eſt Majores noſtros facere diſertiores, doctioreſque quam fuerint; & ſinguli cupimus eorum germanam faciem, & ipſos quoque naevos intueri, non autem aliena pigmenta. Itaque recudendos ego curavi Moyſis noſtri verſus, quales legebantur in Codice MSto, videlicet quales eorum parens efformavit. Tum ne quid editioni noſtrae deeſſet, appoſui correctiones ac mutationes a Mario Mucio factas, inter quas nonnullae etiam occurrent a mente Poëtae ipſius alienae. Quod ſupereſt, originem Bergomenſis urbis Moyſes multis fabellis infarſit, ſcilicet pro ſuorum temporum genio; ſed haec minime obſtant, quo minus ejus Opuſculum a non contemnenda vetuſtate laudatum, dignum ſibi in Collectione noſtra locum expoſcat. Atque utinam praeclariora, & antiquiora licuiſſet mihi exerere, quibus & nobili urbi decus augere, meumque ſaltem in eam ſtudium teſtari luculentius potuiſſem. Adjiciam tantum ſuo loco *Chronicon Bergomenſe Caſtelli*: at de illo, quum res poſcet, redibit ſermo.

Digitized by Google

Digitized by Google

MOYSIS MUTII BERGOMATIS
SCRIPTORIS VETUSTISSIMI.
CARMEN

De rebus Bergomenſibus Juſtiniani hujus nominis Secundi Byzantii Imperatoris (cujus à ſecretis erat) juſſu conſcriptum. Anno à ſalute noſtra DCCVII.

Nuperrimè autem ab Achille Mutio in lucem è tenebris revocatum, atque à mendis, quibus ſcatebat, repurgatum.

FRANCISCO MUTIO NOBILI, HENRICI FILIO,
VIRO IN PRIMIS HONESTO AC SPLENDIDO,
ACHILLES MUTIUS.
S. P. D.

FUit Moyſes Mutius, Muci Optime, ex ipſa noſtra Muciana Familia, cujus Nobiliſſima, & quantum ætas illa, plena armorum turbine, & manſuetioribus Muſis penè vacua ferebat, Poëta non aſpernandus. Nam etſi illis turbatiſſimis temporibus exquiſita illa priſca ſcribendi copia, & elegantia non excelleret, antiqua tamen, hoc eſt genüina dicendi gravitate, ſententiarum auctoritate, & puræ orationis ſuavitate præſtabat. Is igitur cùm à Juſtiniano, qui tunc Byzantii ſumma rerum potiebatur, cujus jamdudum fuerat à ſecretis, rogatus, ut aliquid de Bergomati civitate, Mucianæ noſtræ familiæ origine, & nobilitate conſcriberet, (multa enim de iis ſe audiiſſe aſſeverabat) ut ei rem gratam faceret, Opuſculum iſtud Heroicis Carminibus abſolvit, quæ quidem cùm paria paribus in calce reſpondeant, numerum eum, quem Græci ῥυθμὸν vocant, efficiunt, ut non modò animos, ſed aures etiam incredibili voluptate perfundant. In hoc opere Auctor Laconicam brevitatem potiùs, quàm Atticorum copiam ſecutus multa, & ea ſanè præclara de hujus urbis ſitu, locis, fontibus, & amœnitate: tum etiam de Muciorum ſtirpe, & nobilitate, Fabiorumque familiæ præſtantia, & tutela complexus eſt. Hunc ego cùm inter Schedulas reperiiſſem, legiſſemque, quantum licuit diligentiùs, à me non modò requiri officium meum, ſed committi etiam facinus exiſtimavi, ſi tribulis noſtri opus, ac tantus labor in tenebris deliteſcere ſuſtinerem. Quare omnem meam operam, curam, atque induſtriam poſui, ut illum corrigerem, emendarem, & mutilatum explerem. Erat enim, & librariorum inſcitia, incuriave, & temporis injuria mendoſus adeò, corroſus, & mutilatus, ut eum legere, nedum ſenſum intelligere vix quiſquam poſſet. Quare à me omni ſtudio, & diligentia, veræ, priſtinæque lectioni reſtitutum, Tibi, quaſi Achillis debita Ajaci arma deſtinavi. Tibi, inquam, ingenuarum artium, & Muſarum amantiſſimo Pergamenum hoc (ſic enim Auctor ipſe opus appellat) jure optimo, infinitis erroribus, & tenebris exemptum conſecravi. Tu, ut tua ſoles, quaſi poſtliminio reverſum peramanter amplectere, & tutare, neque enim indignus eſt, qui à te, tuique ſimilibus perlegatur. Vale, & me, meumque ſtudium dilige. Ex Muſæolo noſtro pridie Kalendas Septembris 1584.

Digitized by Google

SPLENDORE JUSTITIÆ,

CUM MAJESTATE IMPERIALI,

AC SAPIENTIA SINGULARI FULGENTI

D. JUSTINIANO

HUJUS NOMINIS II.

IMPERATORI CONSTANTINOPOLIS

&c.

MINIMUS SERVORUM SUORUM MOYSES MUTIUS PERGAMENSIS

Devotam ſervitutem, & proſperos ſucceſſus.

QUamvis Te Imperialis potentiæ gloria ſingularis magnificet, ac clariſſima decoret ſapientia, tamen noſtra humilitas præſumit de proxima ſemper Imperiali manſuetudine, quòd noſtra devotio à tua ſublimitate, ac munuſculum ſuſcipietur, etiam ſi longè impar ſit Tuæ Magnitudini. Nam, cùm noſtro labore, & induſtria Patriæ noſtræ potentiſſimæ, & antiquiſſimæ monimenta in hoc libello deſcripta legeris, de illius origine, incremento, ſitu, nobilitate, fontium, fluminumque miranda proprietate, Familiæ noſtræ, & loci origine, conditore, & fortitudine; Gentis Pergameæ ingenio, & affabilitate, ac Illuſtrium Fabiorum erga eam pietate, & benevolentia, tamquam in lucenti ſpeculo facilè cognoſcere poteris. Nec tamen omnia nos potuiſſe comprehendere, aut explicare fatemur: ſed ſtrictim, ac particulariter ſcripſimus, ut ſermo ſit legentibus planus, & non faſtidioſus, & ea legendo animum oblectes, curas Imperiales releves, pulchro otio vaces. Legat igitur Tua ſublimitas iſtum libellum, quem Pergamenum vocamus, ea alacritate noſtri memor, qua eſt tui devotione, & mandato conſcriptus. Vale.

Epiſtola hæc non legitur in MSto Codice; cur eam ab Achille Mutio confictam ego putem, cauſas ſupra indicavi in Præfatione. *Muratorius*.

MAGI-

Digitized by Google

MAGISTRI MOYSIS BERGOMENSIS CARMEN DE LAUDIBUS BERGOMI.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI PERGAMINI.

ALme Deus Rector, qui terræ (1) frena gubernas,
Nec finis abſque jugo (2) ſedes fluitare ſupernas,
Omnia Pergameæ, pie Rex, da (3) commoda Genti,
Peſtibus ut careant ſævis, caſuque (4) nocenti.
Nam Gens iſta tuas leges, & jura colendo
Non te deſeruit, peregrinum dogma ſequendo.
Hinc equidem magnam mercedem ſæpe ſecuta,
Hoſtibus in mediis fuit à diſcrimine tuta.
Namque peregrino vicinia diruta Marte
Sæpe fuit : ſtetit hæc ulla non territa parte.
Nunc age, Largitor cunctorum ſumme bonorum,
Annue me rerum breviter meminiſſe priorum.

CAPUT PRIMUM.

Narratio.

TEmpore, quo Galli Senones in Martis amore
Florebant, Italûm petierunt Regna furore.
Dux erat his Brenus gladio metuendus & haſta,
Cujus ad aſpectum nutabant Oppida vaſta.
Dicitur hic urbes Italûm poſuiſſe per arva,
Et validas arces, & non munimina parva.
Sed cùm Pergameos vidiſſet denique tractus,
Nunc ſum quod petii, dixit, ſæpiſſimè (5) nactus.
Hìc igitur cinxit tria mira cacumina muro,
Liber ut incurſu foret, atque timore futuro.
Turribus expoſitis per cunctas undique partes,
Ut nihil hoſtiles noceant his mœnibus artes.
His etiam caſtri munimen ſtruxit amœnum,
Hactenus ipſius dictum de nomine Brenum.

CAP. II.

De Pergami Monte, Brembo, Serio, & Murgula Fluminibus.

SI quis fortè ſitum neſcis (6) nomenque locorum
Sæpe brevem ſummam tibi (7) nos dicemus eorum.
Nomine quin etiam ſi diſcere quæris aquarum,
Nominibus propriis quaſdam referemus earum.
Sed memorabo tamen loca primitus exteriora,
Queis animadverſis exordiar interiora.
Inchoat Auroræ pes clari Montis ab axe,
Quinque ſub occiduum tendens quaſi millia laxè,
Sed duo portectis quaſi crux in cornua plauſtrum
Dexteriore petit, lævo declinat in Auſtrum.
Principium tenet urbs omni ſpectamine plenum,
Finis habet verbo durans in ſecula Brenum.
Hinc prætercurrunt duo flumina gurgite miro,
Montibus ex altis orientia murmure diro.
Serius à Solis naſcentis labitur ora,
Brembus ab occidua quatiens reſonantia lora.
Huic quoque vicinus currit ſæviſſimus amnis

Mur-

(1) *Editus à Mario Mucio legit* Mundi.
(2) *Abſque modo.*
(3) Pergameæ, *precor, annue* commoda.
(4) *Ventoque.*
(5) Dixit *per tempora nactus.*
(6) Fortè *Urbis mores nomenque* &c.
(7) *Scire cupit, breviter ſibi* nos &c.

Digitized by Google

Murgula nomen habens arvorum non sinè damnis.
Quis numerare queat quot ab hoc manantia monte
Flumina sint sacro (8) nascentia fonte?

CAP. III.

De Vico Fabriciano, & Pompiliano.

Hic locus est geminus Divina conditus arte,
Nulla gerens hominum quavis munimina parte.
Nomen utrique dedit proprium possessor eorum,
Cui situs in primis placuit, cultusque locorum.
Hic à Fabricio memoratur Fabricianus;
Pompilius nomen dedit illi Pompilianus.
Hic calidas oras pronus despectat ad Austri:
Ille perenne videt pigri juga frigida plaustri.
Si peteret quondam Romana potentia Pœnos,
Aut hos, aut illos, qui nolunt (9) sumere frenos,
Mille dabant isti Romæ thoracas ahenos,
Et validos bellis animos, vultusque serenos.
Sed fortuna bonis hominum malefida recessit,
Et loca tanta priùs sævissima sub pede pressit.
Nam modò vix equites capiunt hìc arma ducenti,
Unde phalanx ibat millena sub ære nitenti.

CAP. IV.

De loco Prætorii, & de Fonte de Cereto.

Tertius est ad Nothon, Prætoris nomine dictus,
Mille per anfractus, & mille volumina fictus,
Unde nec insidias, nec vim timet ille furorum,
Munere naturæ munitus & arte priorum.
Hîc veterum fulgent miranda Palatia Regum;
Hîc etenim viguit jus & celebratio Legum.
Hîc etiam gelidus fons est, ut dicitur, unus,
Cui natura potens dedit hoc mirabile munus:
Si quis hujus aqua (10) potatur sæpe serena,
Non timeat rabidos morsus, nec dira venena.
Huic vicina manet gens hìc secura timore
Libera, vexatur quo cętera terra labore.

CAP. V.

De Credacio (11), & ejus Columna.

Hinc ubi procedens paulum Titanis ad ortum
Respice Credatii felicem divitis (12) hortum,
Quem Regina potens ambivit marmore Grata,
Pergameæ sedis regeret cùm sceptra beata.
Illic omne viret genus omni tempore florum,
Ex quibus ægrotos sanans vis exit odorum.
Crotatius hujus avus Reginæ (13) dicitur illam
Constituisse bonis propriis magnopere Villam,
Unde fuisse locum veteres dixere vocatum,
Cujus & ipse locus conservat corpus humatum.
Signa rei manifesta tibi dabit alta columna,
Post obitum Domino quam Gens fabricavit alumna.

CAP. VI.

De Mucio, & Gente ejus. (14)

Plurima Principibus loca sunt ibi structa vetustis,
Carmine digna novo, Musisque canenda venustis,
Quæ quia Lectorem numerando gravare timemus,
Singula nominibus propriis idcirco silemus.
Est tamen ex illis unus non jure silendus,
Quem Mucius fertur Princeps statuisse verendus;

Unde

(8) *Puro.*
(9) *Nollent.*
(10) *Hujus aqua si quis* potatur.
(11) *Principe Crotatio.*
(12) *Crotacii* felicem *Principis* hortum.
(13) *Et Crotacius Gratæ hujus avus nam* dicitur &c.
(14) *De Vico Muciano, & Gente ejus.*

Digitized by Google

Unde locus nomen quoque ſuſcepiſſe putatur.
Nam Mucius gentis veteri de more vocatur.
Ipſius ergo ſitum breviter, gentemque canamus,
Nec latuiſſe locum tantum ſub nube finamus.
Incipit à Phœbi Collis fervore calentis,
Clima petens Arcti rigidæ, Plauſtrique gementis.
Hîc prope planiciem in tumulum ſubvectus acutum,
Geſtat ab inſidiis hoſtilibus undique tutum;
Utpote quem triplici muro (15) vis Mucia cinxit,
Præcipitiſque jugi pendente cacumine junxit.
Caſtaneæ, ſylvæ, ſemperque virentia prata,
Vites, poma, nuces, oleæ, fons, arva beata,
Sylvaque ditat eum, variarum plena ferarum,
Retibus aut canibus capitur pars plurima quarum.
Qui eget (16) ad vitæ re nulla munia digna,
Nobilitavit eum, quia ſic natura benigna.
Hunc tenet antiqua (17) Gens altæ Nobilitatis,
Finitimos ſuperans armis opibuſque beatis.
Hinc prodire ſolent ſapientum corda virorum,
Conſiliis cedunt urbana negotia quorum;
Ex quibus Ambroſius, quem plenitudo bonorum
Ornat ab ætatis puerilis tempore morum,
Quem, dum vita comes fuerit ſenſuſque, colemus,
Carminibuſque novis, & digna laude canemus.
Ducta propago datur cujus clariſſima Gentis
Principis Apponis (18) Regali ſtirpe potentis.
Hic quondam Gallos linquens, anguſtaque rura,
Itala dum (19) cuperet ferventè capeſcere cura,
Tranſiit adversùs hoſtes, & prœlia dura,
Arvaque multa manu cepit, caſtellaque plura.
Sed loca nulla tamen placuerunt viſa potenti,
Ut Mucii rupes (20) nido decorata nitenti.
Hanc igitur longa cepit vix obſidione,
Cetera conſueſſet quamvis ſibi ſubdere pronè.

CAP. VII.

De Longulo Vico Suburbano.

PRæteriturus eram te pratis, Longule, dives;
Carmine ſed noſtro ſpero per ſecula vives.
Tu Nothi ſpectas oras, Soliſque calores,
Et virides nutris oleas, Bacchique liquores.
Hîc fuit, ut perhibent, Fabii celeberrima ſedes,
Pergameas quondam miſſi tutoris ad ædes.
Hîc Martis juvenes affectabantur (21) ad arma,
Atque feras pugnas, ictuſque repellere parma.
Martius inde quidem campus locus iſte vocatur,
Quamvis nullus ibi ludus vel (22) pugna geratur.

CAP. VIII.

De Breno, & Quiſa (23).

VErtito, Muſa, viam, laxans retinacula freni,
Carminibuſque ſitum paucis mihi pandito Breni.
Rupe ſedens celſa nimiùm, ſimilique cadenti,
Non equitum turmas, peditumve phalanga timenti
Heſperon, & Solis currum jam pene tepentem,
Oceanique ſenis videt æquora ſalſa petentem.
Fertilitate ſua locus iſte beatus agrorum
Multimodis frugum ſpeciebus abundat eorum.
Hunc quoque percurrit flumen cognomine Quiſa,
Cujus aquâ melior nuſquam fuit altera viſa,
Quæ, quia læſiſti, tibi ſit, Gualdrice, venenum,
Exitus, ac tumulus poſt debita (24) funera cœnum.
Muſa, quieſce parum, feſſæque ſit hîc (25) tibi meta,
Ut recreata queas ad cætera pergere læta.

CAP.

(15) *Quem triplici muro, & valido* vis &c.
(16) *Quæque* eget.
(17) *Antiquæ*.
(18) *Othonis*.
(19) *Italiam* cuperet.
(20) *Sedes*.
(21) *Exercebantur*.
(22) *Nulla illic quamvis niſi ludicra* pugna &c.
(23) *De Valle, & Caſtro Breni*.
(24) *Emeritus tumulus poſt oblita* funera &c.
(25) *Feſſæ ſitque boe* tibi &c.

Digitized by Google

CAP. IX.

De Laudibus civitatis, & ejus priori forma.

PErgama ſi veteres habuiſſent alta Poëtas,
Herculis & Bacchi tranſiſſent nomine metas.
Sed Bellona furens omnes in bella trahebat:
Nullus erat vates, nullus bene geſta canebat.
Hinc periere, licèt (26) virtute manuque probati.
Pluraque liquerunt incommoda poſteritati.
Nam velut appoſito vires capit ignis ab igne,
Sic quis quando legit vel facta vel edita dignè.
Non igitur veterum verbis audita filebo,
Nec nocitura mihi livoris tela timebo.
Namque venenoſo laniet ſi dente laborem,
Fama mihi meritum poſt fata relinquet honorem.
Livor edax propriq paulatim ſolvitur (27) igni,
Cujus cura bonis eſt ſola nocere maligni.
Sed promiſſa tamen ſupra priùs ordine ſolvam,
Pergameæque ſitus urbis, gentemque revolvam.

CAP. X.

Item vertit ſtilum ad Mozzium (28).

NUnc mihi pande viam, cujus regit omnia Numen,
Ingeniique tuum mutuis mihi confer (29) acumen.
Paſſibus aſcenſis (30) quaſi mille rubentis ab ora
Auroræ, ſcopulis rigidis ſedet illa decora.
Partibus Arctois (31), & pigri ſidere Plauſtri
Tantundem plano ferè removetur & (32) Auſtri.
Hæc (33) quoque porrigitur ſpatio per montis acuta
Culmina, natura, manuumque juvamine tuta.
Sunt geminæ valles diverſis tractibus ortæ,
Obliquis oculis (34) in ſe vultuque retortæ,
Quæ penitùs reliquo ſejungant mœnia monte,
Adverſa ſeſe ferientes obvia fronte,
In medio modicus niſi collis ea (35) prohiberet,
Atque ſua ſeſe defendens mole teneret.
Non eſt mons alius meliot tibi, Bacche proterve;
Non alibi tantum placuit ſua ſylva Minervæ.
Nam velut alta caput gemmis auroque corona,
Sic urbem circa (36) loca cingitis omnia prona.

CAP. XI.

De quatuor Portis Civitatis.

QUatuor Urbs oris, portis patet ipſa quaternis,
Interiùs grummis, ceu diximus, edita ternis.
His quoque per montis recto juga limite poſtis,
Ut procul aſpiciens illos exhorreat hoſtis.
Inter eos plures linquit natura plateas,
Queis pueri faciunt ludos, Nymphæque choreas.
His quoque curſores, & ad aſpera bella legendos
Experiuntur equos cives, & pluris emendos.
Hìc gelidi laticis de ſaxis edita vena
Fontibus aut puteis hauritur ubique ſerena.
Sed celebrata magìs cunctis cultoribus urbis
Una fuit ſemper, non ullis arida turbis,
Quæ, licèt antiquis non ſit memorata Poëtis,
Non tamen eſt patriis ſolummodo cognita metis.
Nam quæcumque petunt (37) inſignia Pergama gentes,
Huc viſum veniunt, aliis recitare volentes,
Sed quia carminibus melius commiſſa ſciuntur
(Nam (38) non mutatis verbis repetita leguntur)

Car-

(26) *Periere Viri virtute* &c.
(27) *Abſumitur.*
(28) In edito legitur tantùm *Invocatio.*
(29) *Ingeniique tuo mihi munere creſcat.*
(30) *Emenſis.*
(31) *Arctoas.*
(32) *Fermè proſpectat ad* Auſtri.
(33) *Hinc.*
(34) *Tumulis.*
(35) In medio *collis modicus niſi quas* prohiberet.
(36) *Circùm.*
(37) *Quæ concapiunt* inſignia &c.
(38) *At.*

Digitized by Google

Carminibus fontis nomenque ſitumque canemus,
Quæve ſit illius natura potens referemus.

CAP. XII.

De Fonte Vagino, ejus ſcalis marmoreis, & mirabili proprietate.

SUnt duo vicini tumuli, quos horrida vallis
Scindebat penitùs, fuit urbs cùm condita Gallis.
Non tunc plauſtra boves, ſicuti nunc, inde trahebant,
Non equites illinc equitare profectò valebant.
Hanc igitur vallem clivis æquare volentes,
Ejus utrumque caput muris clauſere colentes,
Saxa velut (39) tenuem ſupero de vertice limum,
Quo via plana foret, traxerunt vallis in imum.
Fons erat in medio gelidus, viſuque venuſtus,
Nec Lunæ radiis, nec lampade Solis aduſtus.
Marmoreis igitur ſcalis per concava jactis,
Fornicibuſque ſuper firmis ſummopere tractis,
Tramite clivoſo (40), fontem traxere per ima
Vallis, ad Arctoum rugoſo frigore clima.
Hìc inter muros ſinus eſt in concava ſectus,
Parietibus cinctus ſolidis, & fornice tectus.
Infima ſunt merſis (41) de marmore ſtrata profectò
Montibus è celſis multo molimine ſecto,
Quo trepidante gradu veniens fons ille receptus,
Gurgitis ingentis fit ibi lacus (42) undique ſeptus.
Funibus hauritur modicis tamen unda liquoris,
Pauliſper diſtans ſupremi marginis oris.
Aſſiduos cantus gelidæ quoque noctis in horis,
Ac ſonos, veteris quos dat memor Echo (43) doloris,
Audit, & hinnitu crebro lætatur equorum,
Quos laticum potu levat anxietate (44) ſuorum.
Namque ſuos fontes puteoſque relinquere Nymphas
Sæpe videre queas, iſtaſque requirere (45) lymphas.
Huc pecus omne libens, unda labente relicta,
Currit, uti Paphiæ volucres, ad pabula ficta.
Non ſtupeas homines cupidè (46) meliora petentes,
Cùm potiora petunt pecudes ratione carentes.
Cur tamen hoc faciant, poſſis ut (47) mente videre,
Numinis auxilio ſummi tentabo docere.
Quamvis naturæ nequeat ſecreta latentis
Funditus humanæ ratio cognoſcere mentis,
Credo quòd unda diu laſſata cadendo rigorem,
Lædendique viam ponat, nocuumque vigorem,
Cùm ſuſcepta lacu requieverit ipſa (48) ſilenti,
Nec trepido curſu quatitur, nec flamine venti.
Hinc gravitate carens, leviùs per viſcera manat,
Membraque feſſa levat, languentia corpora ſanat.
Sed, ne fortè putes hæc quiſquam frivola dicta,
Expertus poteris cognoſcere non fore ficta;
Si tamen hujus aquæ phialas metire quaternas,
Alteriuſque pares menſuras (49) accipe ternas,
Inque pari trutina pones utrumque liquorem:
Vergere (mira fides) (50) miraberis ipſe minorem.
Quin etiam Bacchi ſi vis lenire furores (51),
Ejus inæquales capies duo vaſa tenores (52),
Huic dabis ex alio menſuras flumine ternas,
Huic ex præſcripto ſimiles impone quaternas:
Plus tamen amittet proprii natura ſaporis,
Cui fuerit lymphæ menſura jugata (53) minoris.

CAP.

(39) *Saxaque vel* tenuem.
(40) *Diviſo*.
(41) Infima *per mare ſunt* de &c.
(42) Gurgitis ingentis *lacus evenit* undique &c.
(43) *Quoſque Echo veteris gemitus dat cauſa* doloris.
(44) *Quos latices potant læva auxiliante* ſuorum.
(45) *Inviſere*.
(46) *Cuſpides*.
(47) *Quo*.
(48) *Pervenerit ipſe* ſilenti.
(49) *Paris menſuræ*.
(50) (*Quod mirum eſt*.)
(51) Si *vim* lenire *furoris*.
(52) *Optas æqualis* capies duo vaſa *tenoris*.
(53) *Injuncta*.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Item de Vagino, & de duodecim Viris, quibus civitas Pergami committebatur.

SI Fontis nomen cupias audire potentis,
Dum tibi Musa refert, vatis memorare canentis,
Vaginus antiquis dictus fuit inde colonis,
Quòd genibus vadit scalis per concava pronis.
Fors (54) quæ sit facies quæras quoque nosse domorum,
Vel qua materie sint aurea tecta (55) meorum;
Sed, ne manca voces ulla mea carmina parte,
Hoc etiam nostra dabitur tibi munus ab arte.
Optima quæque domus multo fundata labore,
Pauperis & ditis simili decorata nitore.
Saxea materies e montis viscere secta
Circuit omne latus, decoratque micantia tecta.
Rara sed (56) hac certè petit aëra turris in urbe,
Raraque ejus habent inter (57) se prœlia turbæ;
Namque ligat stabili nodo Pax aurea cives;
Pace manet pauper, pacis quoque fœdere dives.
Non aliàs (58) tantæ Leges, aut civilia jura,
Aut decus, aut pietas viget, aut concordia pura.
Tradita cura Viris sanctis est hæc duodenis,
Qui Populum justis urbis moderantur habenis.
Hi sanctas Leges scrutantes nocte dieque,
Dispensant æquo cunctis moderamine quæque.
Annuus his honor est, quia mens humana tumore
Tollitur, assiduo cùm sublimatur honore.
Tela, manus, clypeos, arcus, ensesque rigentes,
Cassidas, & triplices thoracas, equosque frementes,
Hostibus opponunt adversis absque timore,
Viribus audaces solitis animique vigore:
Nam pueri discunt simul arma, sitimque, famemque
Ferre, simul Solis gravidos (59) æstusque, hyememque.
Non igitur mirum, si nesciat illa timere,
Qui puer ista tulit, poterat cùm jure pavere.

CAP. XIV.

De Civitatis securitate.

SI quis opes optet cognoscere Pergameorum,
Quæ sint arma viris, cultusque notabit equorum,
Ornamenta quibus sint clara micantibus auro,
Intextis vario gemmis (60) cælamine Mauro.
Non tamen ulla viris in cultus cura nitore: (61)
Quisque magis gaudet proprio carere labore. (62)
His igitur cunctis urbs hæc quia condecoratur,
Cui vult blanditur, cui vult secura minatur.

CAP. XV.

De Breni consilio, & de ipsius fede.

HIc quoque fessa parum retinacula solve, Camœna,
Dum vigor exhaustus redit, inde resumito frena.
Pergameæ positum descripsimus hactenus urbis,
Quive sit illius mos, quæve potentia turbis. (63)
Nunc mihi sæpe senum verbis audita referre
Annue qui Cœlum colis, & regis infima terræ.
Tu mihi pande viam, tu Dux mihi carminis esto;
Tutus enim graditur, cui sit tua dextera præsto.
Ut virtute sua Brenus munimina facta,
Arvaque cuncta sibi vidit vicina subacta:
Nunc, ait, ô socii, tempus majora movere.
Nunc mihi credo viam, quaqua declino (64), patêre.

Nam

(54) *Fons.*
(55) Sint *culmina celsa* meorum.
(56) Rara *nec* hac.
(57) Raraque *habent ejus illic* se &c.
(58) *Alibi.*
(59) Ferre *imbres, solis radios*, æstusque &c.
(60) *Intexta ex gemmis vario, & cælamine &c.*
(61) In *cultu est cura nitere:*
(62) *Quin magis hi luxu gaudent fastuque carere.*
(63) *Qui sint illius mores, & robora turmis.*
(64) Viam *tutam, cælumque* patêre.

Digitized by Google

Nam (65) validæ nobis vires, animique vigentes,
Et ſuperi noſtris curis (66) cœptiſque faventes.
Ergo viri fortes, & jam mihi ſæpe probati,
Quàm citò (tempus enim nunc) armis eſte parati (67)
Dux ego manu vos conſilioque juvabo,
Vobiſcùmque mori, ſi ſors ferat atra, parabo.
Quam tamen haud vobis opus eſt, aliudve timere, (68)
Nam vis nulla poteſt nobis, caſuſve nocere.
Martis adulterio, coituque creata pudendo,
Vincere ſola parat (69) Gens omnia Regna premendo,
Cùmque paret cunctis, ſi ſors ita det, dominari, (70)
Præcipuè noſtræ genti ſolet ipſa (71) minari.
Hanc igitur ſtatui priùs obſidione petendam,
Aſſiduæque famis gravitate, ſitiſque premendam.
Hinc mihi victori naſcetur gloria prima,
Prædaque virtuti veſtræ ſervatur opima.
His igitur dictis, acies educit aperto
Limine portarum, perituras (72) omine certo.
Namque fuga celeri Latiis repedavit ab oris,
Omnibus amiſſis, rabieque cadente furoris.
At poſtquam victo priſcus furor excidit illi,
Prædaque cuncta fuit virtute recepta Camilli,
Italiæ fines vacuavit Gallica peſtis,
Romaque continuis agitavit gaudia feſtis.
Ne tamen his iterum fera bella parentur (73) ab oris,
Neu ſimul (74) peſtis premat Itala Regna prioris,
Præſidium cunctis imponit cura Senatus
Urbibus, ante quibus Brenus fuerat dominatus.
Pergameas igitur Fabius legatur ad ædes
Tutor, ubi Breni fuerat gratiſſima ſedes.
Hic ex illorum fuit unus ſtirpe decenti,
Qui nece pro patria cara cecidere trecenti.

CAP. XVI.

De Fabiorum nobilitate.

SI quæ nobilitas fuerit quæras Fabiorum,
Pluribus in vatum poteris reperire priorum.
Non igitur credas mihi me narrare neceſſe (75),
Narratum multis mirè quia noveris eſſe (76).
Hunc autem potiùs, cujus mihi mentio facta,
Carmina noſtra canent, & digna favoribus acta.
Namque vir iſte nitens omni ſpectamine vitæ
Nomen & ingenium gentis ſuperavit avitæ.
Artibus ingenuis nullus magis aptus Athenas
Ad ſtudiumve domos adiit (77) Romanus amœnas
Nemo magis viguit Civilis Juris honore,
Nulla magis nituit dicendi lingua lepore.
Fortior arma tulit Trojanas nullus ad oras,
Nec Danaos contra tulit arma, facesve (78) vaporas.
Pauperis ingenii non eſt, tibi dicere mores (79),
Multiplici quorum vicit candore priores (80).
Si tamen hos optes (81) noſtram tibi pandere Muſam,
Ne fore mendacem, fictiſve putaveris uſam.
Non fuit (82) Ænea pietate, rigore Catone,
Non Patriæ cura vel amore minor Cicerone.
Munificus tantum fuit, ut dare quæque deceret,
Morte magis ſæva quæſita negare timeret.
Non hunc auſa virum (83) fuit inſatiata cupido,
Non hunc auſa fuit tentare nociva libido.
Namque locus cuiquam fore non potuit (84) vitiorum,
In quo tanta fuit concordia juncta bonorum.

Jure

(65) *Sunt* validæ &c.
(66) *Armis*.
(67) (Tempus *adeſt*) *armis nunc eſte parati*.
(68) *Quantum ante haud nobis opus eſt aliunde* timere.
(69) *Putat*.
(70) *Romam præ cunctis, ſi ſors dabit, hanc* dominari.
(71) *Iſta*.
(72) *Perjuras*.
(73) Bella *indiceret* oris.
(74) *Aut talis* peſtis.
(75) Me *ſcripſiſſe notata*.
(76) *Aut quæ à multis tu noveris eſſe relata*.
(77) *Incoluitque domos melior* Romanus &c.
(78) Contra *gladios tadaſve* vaporas.
(79) Non eſt *hæc* dicere *cura*.
(80) Quorum *virtute eſt condere jura*.
(81) *Hunc* optes.
(82) Non *minor* Ænea.
(83) Auſa *unquam* fuit.
(84) Locus *nullus potuit fore in hunc* vitiorum.

Digitized by Google

Jure vir ergo fuit tanto ſublimis honore,
Pergameæ gentis regimen ſortitus & oræ (85)
Hic, ubi prima ſui cœpit moderamina Regni,
Deſidiæ vires tulit, adjumentaque ſegni.

Explicit Liber, qui dicitur Bergaminus, à Magiſtro Moyſe Pergamenſi compoſitus (86).

Dedicatio Operis.

HÆc tibi, Grajorum populorum ſumma poteſtas
Juſtiniane, dicat Moyſes, cui munera præſtas,
Mucius, actorum fidelis Scriba tuorum,
In quibus eſt urbis facies, hominumque locorum.
Pergama ſi nequeas oculorum luce videre,
Ut ſaltem valeas interna mente tenere.
His deſcribendis utor brevitate Laconum:
Sit licèt exiguum, non aſpernabere donum.
Poſt ſeptingentos annos ſeptemque peractos
Virginis à partu, & populos tibi Marte ſubactos.

(85) *Pergameæ gentis regimen ſortitus & oræ,*
Hoſtis ab inſidiis ſtetit hinc ſecura timore.

(86) *Atque hactenus Codex Manuſcriptus. Quæ ſequuntur, additamenta ſunt Achillis Matii.*

FINIS.

CAU-

Digitized by Google

GAUFREDI
MALATERRÆ
MONACHI BENEDICTINI
HISTORIA SICULA
AD FIDEM VETERUM MANUSCRIPTORUM
A JOANNE BAPTISTA CARUSIO
EDITA;

Nunc iterum cum prioribus Editionibus collata, multisque mendis expurgata.

BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

Digitized by Google

IN GAUFREDI MALATERRAE MONACHI HISTORIAM SICULAM.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ALter Normannicarum Rerum Scriptor in hac noſtra Collectione ſuccedit *Gaufredus Monachus* Ordinis S. Benedicti, agnomento *Malaterra*, qui res Seculo XI. geſtas a Normannis in Apulia, & Sicilia refert. Guilielmo Apulo Synchronus fuit hic Scriptor, atque ipſum, quod ille, argumentum pertractavit; ſed aliquot fortaſſe annis ſerius ſcripſit. Exorditur autem & ille a primo Normannorum adventu in Apuliam, ſuamque Hiſtoriam deducit ad Annum uſque XI. Pontificatus Urbani II. Papae, Indictionem VII. & *III Nonas Julias*, hoc eſt ad Annum 1099. quo idem Pontifex *IV. Kalendas Auguſti* e vivis ſublatus eſt. Auctor & ipſe gravis, eoque nomine etiam prae aliis commendandus, quod res geſtas ſub ſuis annis collocare nititur, unde plurima lux Chronologicae diſtributioni. Scripſit etiam Hiſtoriam hanc juſſu ipſius Rogerii Siciliae Comitis (qui Roberti Guiſcardi frater fuit), ut intelligas quanta in aeſtimatione is fuerit apud Principem illum; eamque inſcripſit Catanenſi Epiſcopo his verbis: *Beatae memoriae Georgio Catanenſi Epiſcopo Frater Gaufredus ab anteceſſoribus Malaterra agonem trahens*. Corrigendus heic proculdubio textus editus, & ſcribendum *agnomen*. Porro hinc diſcimus, quod olim & ego adnotaveram pag. 344. Antiquitat. Eſtenſ., titulum *beatae*, *bonae*, *piae*, aut *ſanctae memoriae*, viventibus etiam tributum. Deinde memorat Gaufredus *habitum Religionis*, *quo concingimur*: quae verba, ut & alia, quae adduntur, ſatis indicant eumdem ſub S. Benedicti Regula militaſſe. Adnotavit autem Rocchus Pirrus in notitia Eccleſiae Catanenſis, poſt expulſos e Sicilia Sarracenos Rogerium Nortmannum, ejuſdem Siciliae debellatorem, & Comitem, praefeciſſe Catanenſi Eccleſiae *Anſgerium* Monachum Benedictinum, ex Monaſterio Calabro S. Euphemiae adſcitum. Quare *ab initio ſub diſciplina regulari Ordinis S. Benedicti conſtituta eſt Catanenſis Eccleſia*, ita ut idem eſſet *Abbas* Catanae ac *Epiſcopus:* qui mos in ſubſequentia quoque Secula pertranſiit. Anſgerius vero ab Anno 1091. quo conſtitutus eſt Catanae Epiſcopus, eam Sedem implevit ad Annum uſque 1124., ut evincunt documenta a Rocco Pirro allata; ac proinde amplectendam puto conjecturam Clariſs Mabillonii in Annalib. Benedictin. ad Ann. 1098. putantis, pro *Georgio*, quod edita Gaufredi noſtri Hiſtoria habet, reſtituendum eſſe *Anſgerium*. Et ſane Librarii facile corruperint parum familiare Anſgerii nomen. Quum vero Catanenſis Epiſcopi refugium expetat Gaufredus, *ut tanto auxilio innixus, inimico dente mordere attentantes minus pertimeſcam, & Principis noſtri ſuſtentamine fruar*: arbitratur idem Mabillonius a Gaufredo implorari patrocinium *tum adverſus aemulos, tum erga Principem, ſcilicet Rotbertum, cujus mandato banc Hiſtoriam plano ſermone ſcribere aggreſſus eſt*. Verum nomine *Principis* indicari non Rotbertum, quia nullus tunc Robertus Siciliae dominabatur, & jam Guiſcardus obierat, ſed quidem *Rogerium* Siciliae ipſius Comitem ac Principem, certum mihi videtur; ac potiſſimum quum aperte idem Gaufredus prodat in Praefatione, ſe poſteris tradere velle triumphos *famoſiſſimi Principis Rogerii* (ita enim ipſe mandarat) & *qualiter primo Calabriam, deinde vero Siciliam armata manu ſubjugaverit*: quae uni Rogerio conveniunt, fratri videlicet Roberti Guiſcardi.

Gaufredo noſtro Italia minime Patria fuit. Is certe, quod fortaſſe quaedam aut praetermiſerit, aut *minus ordinate ſecundum tempora* deſcripſerit, ſe excuſat, utpote a *Tranſmontanis partibus venientem*, *noviter Apulum factum*, *vel certe Siculum*. Si Gerardum Johannem Voſſium audire velimus Lib. 2. Cap. 47. de Hiſtoric. Latin. *Gaufredus Hiſpanus* fuit. At ille duplici errore lapſus eſt, tum quod Lib. 3. Cap. 6. eumdem ipſum Gaufredum nobis exhi-

Digitized by Google

exhibet, veluti diverſum ab eo, quem ſupra commemoraverat, illius Librum à Hieronymo Surita, iſtius vero a Dominico Portonario editum commemorans: quum tamen idem Scriptor fuerit, idemque Opus, quod Surita Caeſarauguſtae Dominici Portonarii typis Anno 1578. primum edidit. Deinde quod Gaufredum *Hiſpanum* Voſſius exiſtimarit, id ea ratione factum puto, quia illius Hiſtoriam in Hiſpania editam ex aliorum relatione, hoc eſt ex Poſſevino audivit, a quo hic Scriptor Hiſpaniae adſcribitur. Recte haec perpendere Voſſius non potuit, neque enim ejus Librum tunc ſub manibus habebat, uti habuit poſtea, quum Librum Tertium de Hiſtoric. Latin. conſcripſit. At in Hiſpania, atque inter ipſos *Scriptores Hiſpaniae illuſtratae*, editi fuere non ſemel Hiſtorici ſub alio Coelo nati, & quibus numquam Hiſpanicam terram videre licuit. Itaque propius ad verum accedit ſententia Clariſſimi Pagii in Critica Baron. ad Annum 1099 cenſentis, Gaufredum *in Normannia Galliae Provincia natum*. Ille certe Normannos ubique *noſtros* appellat; & facile intelligimus non aliunde eum in Siciliam, aut ſponte, aut invitatum acceſſiſſe, niſi e Normannia, quandoquidem Normannus Princeps, tot debellatis Provinciis, Regnum ſibi in Sicilia conſtituerat, & ad eam ſuae gentis fortunam confluere jam a multis annis & alii Normanni conſueverant. Ac propterea ab Orderico Vitali, celebri Scriptore, & Monacho Uticenſis in Normannia Monaſterii, puto factam Gaufredi noſtri honorificam mentionem. Agens enim ille Lib. III. pag. 483. de Ducibus & Comitibus Apuliae, haec habet: *De quorum probis actibus & ſtrenuis eventibus Goiſfredus Manachus cognomento Mala-Terra, hortatu Rogerii Comitis Siciliae, elegantem Libellum nuper edidit.*

Quod reliquum eſt, edita primum fuit, ut diximus, Gaufredi Hiſtoria a Hieronymo Surita, & dicata doctiſſimo Viro Antonio Auguſtino Archiepiſcopo Tarraconenſi. Tum Francofurti recuſa eſt Anno 1606. Tomo III. Hiſpaniae illuſtratae, curante Johanne Piſtorio Viro Clariſſimo. Anno demum 1723. iterum in lucem prodiit aucta variantibus lectionibus a Clar. Viro Johanne Baptiſta Caruſio in ſua Collectione Scriptorum Siculorum, ope veterum MSS. quos ille in ſua Praefatione recenſet. Ego potiori jure ipſam Collectioni huic noſtrae inſeram, quum ejus Auctor de Italicis praecipue rebus agat; & ne quid ex veteribus editionibus Lectori Erudito deſiderandum ſuperſit, aliorum ante me vel Praefationes, vel Epiſtolas imprimendas curabo.

DE

Digitized by Google

DE MALATERRA, ET EJUS HISTORIA.

BREVIS NOTITIA

JOANNIS BAPTISTÆ CARUSII.

GAufredi Malaterræ Hiſtoriam laudavit Ordericus Vitalis Anglus ejus contemporaneus in hiſtoria Eccleſiaſtica, (1) ubi agit de Normannis in Italia dominantibus, & præcipuè de Roberto Wiſcardo ejuſque fratribus, dicens. (De quorum probis actibus, & ſtrenuis eventibus Goisfredus Monachus cognomento Mala-Terra hortatu Rogerii Comitis Siciliæ elegantem libellum nuper edidit.) Cardinalis quoque Baronius multoties commendavit auctoritatem Hiſtoriæ Gaufridi Malaterræ, confirmans ex ea ſuas narrationes, dum ait. (Gaufredus Monachus, qui tunc iſta, quæ inſpiciebat, & ſcribebat.) (2) Et aliquanto poſt ait: (nominatus eſt iſte Gaufredus, profeſſione Monachus Benedictinus, cujus opus antiquitate ipſa planè venerandum delituit penè ſepultum inter vetera monimenta Regum Aragonum ad noſtram uſque ætatem.) Voſſius nullo ſultus indicio Gaufridum fuiſſe Hiſpanum putavit, (3) ſed potiùs videtur Nortmannus. Hiſtoria quidem hæc, arte typographica nondum inventa, latuit per aliquot ſecula; ejus tamen extabant plura exemplaria manuſcripta apud viros eruditos, & rerum Siciliæ curioſos (ut videre eſt apud Pirrum) (4) de quibus adhuc nonnulla perdurant. Inter antiquiſſimos caractere, & notis literarum contractis vidi illud, quod extat in Bibliotheca Marchionis Jarratanæ. Vidi etiam antiquum, quod aſſervatur penès D. Octavium Montaperto Principem Raffadalis ad eum perventum à D. Fabio Montaperto ejus gentile Abbate Sancti Michaëlis civitatis Troinæ; & eſt vel illud ipſum, vel ſaltem exemplatum ab eo, quod ſcripſit Pirrus (5) fuiſſe repertum à præfato Abbate in eodem Monaſterio, & poſtea anno 1555. de mandato Proregis translatum ad Regiam Cancellariam. Aliud autem exemplar habuit præ manibus Hieronymus Surita, quod Typis Dominici à Portonariis publici juris fecit Cæſarauguſtæ anno 1578. etenim carmina, quæ in hoc leguntur non habentur in duobus Codicibus ſupra laudatis. Suritæ editionem iterum excudit Joannes Piſtorius Præpoſitus Eccleſiæ Uratislavienſis Tomo tertio Hiſpaniæ Illuſtratæ, Francofurti anno 1606. Hanc nos editionem Suritæ tertiò renovandam Typis duximus; adjectis tantùm in margine, ex Codice Jarrataneo nonnullis variantibus lectionibus, quibus corrigi poſſunt menda, quæ Portonarius aſteriſco notavit. (*)

(1) *Lib. 3. pag. 483. in Hiſtor. Nortm.*
(2) *Tom. XI. anno 1097. pag. 677. edit. Romanæ, & pag. 682.*
(3) *De Hiſt. latin. pag. 390.*
(4) *Notit. 1. Eccl. Panor. poſt eſactos Sarac. n. 4. pag. 90.*
(5) *Lib. 2. de Eccleſ. Troin pag. 454.*

(*) *In calce libri I. Caruſius idem Lectores monuerat ſe MS. alterum codicem poſt inchoatam editionem in Collegio Panormitano reperiſſe, unde varias lectiones alias notavit. Nos eas omnes locis congruentibus aptavimus & codicem illum initialibus literis C. P. de more deſignavimus.*

Digitized by Google

ANTONIO AUGUSTINO
ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI
OPTIMO ANTISTITI.

QUantum priſcæ vetuſtati ad magnas res conficiendas, juſtiſſimis de cauſis in omni artium, doctrinarumque ſtudio ſemper detuleris, optime Antiſtes, ſummo hujus ſæculi beneficio, perpetuæ tuæ lucubrationes, ſinè ulla intermiſſione teſtantur. Hanc te unam venerari, & colere, ſupraque oblectationem omnem, & humanarum curarum requiem ſuſpicere novimus: quam ſemper admirari, & in omnium proſpectum, cùm maximas legationes reipublicæ cauſa obieris, producere merito jure concupiviſti: cùm ejus affluentibus opibus, atque ornamentis locupletatus, ad ea, quæ in tantis horum temporum calamitatibus, quibus tot terrores, periculaque jam adeſſe, atque imminere videntur, univerſæ Chriſtianæ reipublicæ maximè conducunt, ſummè profeceris: & adversùs impiam hæreticorum contumaciam, qui Eccleſiam Sanctam Catholicam, quam Divina providentia afflictam ſemper excipit, corruere nunquam ſinit, perfidiam violare, & reliquas piorum gentes ſacrilego ſcelere contaminare nituntur, in eo officio, quod præcipuè tuum fuit, enixè ad Dei gloriam provideris, atque conſulueris. Illud certè majorum vigiliarum munus, quod ad ſummam virorum doctrina præſtantium exiſtimationem dimanavit, à te graviſſimi, & litteratiſſimi viri requirunt: atque efflagitant: quo innumerabilia Sanctorum Patrum, & Summorum Pontificum ſcita, atque decreta, & Sacras Synodos obliteratas in tot volumina retuliſti, ut ſingulari tua aſſiduitate, & vigilantia, cùm te totum ad Sacrarum Conſtitutionum ſeriem, & veritatem illuſtrandam traduxeris, quam maximus Canonicis ſanctionibus, atque decretis cumulus acceſſerit. In eo præterea te vehementer omnes admirantur: quòd in graviſſima, & perpetua ſacrarum ſanctionum commentatione doctrinarum omnium ſtudia promovere, & aſſidua, ac vehementi occupatione omnem conatum in contemplatione rerum, & liberalium diſciplinarum ſcientia collocare, & non ludis, & feriis, quod ſtudioſiſſimi viri ſolent, aut, quod ajunt, ſucciſivis horis, ſed omne id tempus, quo vitam vivimus, & maximè expeti, & ſuſtentari conſuevit, & communi ſpiritu fruimur, remiſſioris litteraturæ ſtudiis, tamquam allevamento quodam, & laxamento tribuere numquam intermittis. Hinc illæ divitiæ, atque ornamenta ingenii: quorum fructus adeò uberes, & fecundos es conſecutus, ut cùm ad hæc noſtra ſtudia, tamquam in leviorem ludum, & popularem lætitiam ad animi remiſſionem deſcenderis, majores omnis doctrinæ theſauros explices, ac propalam tollocs, quàm cæteri, qui omne otium, ac tempus in communium litterarum, aut politioris humanitatis meditationibus contriverunt. Sed quoniam neque inſtituti, aut judicii mei erat, tuas laudes, quæ graviſſimorum virorum ingeniis omnium mortalium fama celebrantur, perſtringere: tamen hanc me occaſionem, te graviſſimo vetuſtatis vindice, cuſtode, atque antiſtite non diffitebor arripuiſſe: ut vetuſtiſſimi hi rerum Scriptores, qui Principum Normannorum in Italiam adventum, & res ab eis in Campania, Apulia, Calabris, & Brutiis, & in Inſula Sicilia geſtas ante quadringentos annos poſteris tradiderunt, in tui primum nominis præſidio in lucem exeant. Neque inculta eorum, & derelicta oratio, & inops ſeries rerum, & inconditi Gaufredi Monachi verſus, quamvis hebetes, ac rudes, aut præpoſteri, perverſique numeri de ſententia demoverunt, quin res ipſæ à nemine auctorum, quod ego ſciam, ad hanc diem traditæ in publicum proferrentur. Tantum enim me in ea editione à reprehenſione ineptiæ abeſſe arbitrabar, ut prodius nihil ſit factum, quàm ut his Normannicarum rerum Scriptoribus Bartholomæi Neocaſtrenſis Siculi vetuſti ſcriptoris poëticum opus, cui Meſſanæ nomen indidit, & XV. libris hexametris verſibus compoſuit, adnecterem: tametſi non aliquo ſagacis, aut bonæ mentis inſtinctu, aut artificioſa conſtructione, ſed enormi, & pingui contextu de rebus à Petro Aragoniæ Rege in Sicilia, adversùs Carolum ejus nominis primum Siciliæ Regem opus id fuerit conſtitutum: adeò mihi prorſus perſuaſum eſt, verborum jacturam tolerabilem eſſe: cognitionis verò rerum, cauſarum, & eventorum inæſtimabilem. Perſpicuum enim hoc eſt, & in vulgari prudentia ſitum, principem, & primariam eſſe illam ſapientiam, qua majore voluptate afficimur ex rerum ipſarum ſcientia, vel viliſſima compoſitione traditarum, quas in animis inſitas, & quaſi conſignatas notiones inhærere oportet, quàm ex ſupervacanea, & diffluenti oratione: cùm præſertim eam maximè ex rerum ipſarum traditione efflorescere, & redundare conveniat. Quamobrem cùm tibi in univerſa rerum ſacrarum functione, & Pontificalis auctoritatis, & reliquæ juriſdictionis abſolvendæ provinciæ, atque in tanto officio, tantoque munere incredibilis cura numquam defuerit, quin doctrinarum ſtudioſis undique proſis, magna ſpe ducor, cùm tua ſumma gravitas cum ſingulari comitate coniuncta ſit, & qua es lenitate munitus minimum hoc munuſculum, acſi inſignitæ cuiuſdam notæ eſſet, te non aſpernaturum, aut refutaturum: ſi cujuſvis vel tenuiſſimæ utilitatis, & emolumenti fructum præbere, & vetuſtarum rerum memoriam, quas diligentiſſimi antiquitatis inveſtigatores omni inquiſitione veri indagare nituntur, poſſit patefacere. Ut eos tamen ſcriptores Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus geſtarum adjungerem, ea me ratio, & conſilium impulit: quòd, ut omittam Aragoniæ Reges ab hinc tercentum annis in Normannicam ſtirpem gemina cognatione ſe inſeruiſſe, ditiones omnes, quæ à Normannis, & mox Svevis Principibus tot victoriis quæſitæ, & partæ fuerant, Aragoniis poſtea Regibus, & hæreditario, & belli jure, & ab Eccleſia publicis conſiliis beneficii loco delato munere, cœleſti, divinaque ſorte obvenere. Ad D. Encratis ex ſuburbano Cæſarauguſtano Anno Domini 16. Kal. Maji 1578.

Amplitudinis tuæ obſervantiſſimus.

Hieronymus Surita.

DO-

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

PRINCIA
AR

EX PRIMA UXORE, *ſecundùm Malaterram*, *Nobiliſſima*, *nati*.

TANCREDUS Co
Uxoribus habuit
totam paulatim A

GUILLELMUS Brachio ferrus, venit cum fratribus in Apuliam, ann. 1035. Primò Aſcoli Com., deinde Apuliæ. Obiit ſinè liberis circa Ann. 1045.

& DROGO, qui ſuccedit fratri Apuliæ Com. II. obiit An. 1057. ſine liberis. Uxor filia Ranulphi Com. Averſæ.

& GOTFRIDUS, Com. Capitanatæ poſt Malgerium fratrem.

UMFRIDUS, Comes III. Apuliæ, fuerat priùs Com. Abagelardi.

Serlo, n
Patrem
mannia

ABELGARDUS Co. IV. Apul. ſed ejectus, & exilio mulctatus cum fratre. Obiit Cōſtantinopoli.

Hermannus, à Roberto, è carcere, exul Conſtantinopolim miſſus: ibi obiit.

Serlon
Patruos
liam. Fc
factus i
moritu

Robertus Co. Loritelli.

Gaufridus de Altavilla.

Albergardus Comes V. Apul. Exul cū Fratre, obiit Conſtantinop.

Richardus, cognatus, vel agnatus Boamundi Tarenti Principis. Obiit in militia Syriaca. Ex familia Brachioforti, ſed non filius, ut falsò putatur, niſi fortaſſe Spurius.
Uxor prima ſoror Joſellini de Cortenai, Com. Edeſſæ. 2. Uxor, N. Princeps fœmina.

Ex 1.
BOAM
Tarenti
Rogeri
litatum
fecturus
Princ. I
Conſtan
Reg. Ga

ROGERIUS, ann. 1030. R. I. Sicil Ux. fil. Petri Leonis. fil. Airoldi Com. Marſor. 3. Alberia fil. Alfonſi R. Caſtellæ. 4. Sibylla fil. Hugonis Duc. Burgundiæ. 5. Beatrix fil. Guiteri Com. Reatenſis. obiit an. 1154.

N. Ux. Roberti de Baſſavilla: Mater Rober. de Baſſavilla Co: Loritelli. & Mathildis Uxoris Raynulphi Co: Avellini.

Boamun
Infans re
tioch. P
gnatis ſ
mortuis
1118. P
tioch. d
in bello,
Aleidis
Reg. Hi

Robertus, Com. Avellini.

Adelais, Uxor Gaufridi de Aquila, Co: Fundani.

Raynaldus, Com. Avellini. & Robert. & Drogo.

Rogerius, Com. Avellini.

Rogerius, Com. Avellini, de quo Falcandus.

Willelmus de Altavilla. An. 1098.

Robertus Comes Averſæ.

Gaufridus de Altavilla. An. 1129.

Rodulphus, de Altavilla, M. Comeſtabulus ſub Rogerio R.

Henricus de Altavilla.

Conſtantia, Prin
pſit 1. Raymund
IX. Duc. Aquita
do de Caſtellion

Boamundus, Princ. Antiochiæ.

Baldovinus, ob. anno 1184. & alia Fil. nupta Marchioni Eſtenſi.

Philippa, nupta 1. Andronico Comneno Imp. C. P. 2. Humfredo de Toron.

Tom. V. pag. 543.

Digitized by Google

DOMINICUS A PORTONARIIS DE URSINIS

LECTORI.

IN editione horum librorum Gaufredi Monachi, & Alexandri Abbatis vetuſtorum auctorum, qui Normannorum Principum res geſtas conſcripſerunt, ut Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus geſtarum adjicerentur, in eo potiſſimum hæſimus, & ab initio cœpimus ſubdiffidere, quòd unicum exemplar nactis alterius Codicis præſidium deerat : quod maximè conſuevit eſſe adjumento, ut inveſtigatione certa, ac veluti quadam indagine menda librariorum tollantur. Nam qui corrigendorum librorum operam ritè navare inſtituunt, accurata conſideratione permoti ſummopere abhorrent, ne conjecturis, partim ingenio, & confidentia quadam impulſi in varias non modò partes, ſed in contrarias plerumque dilabantur : neve fœdè auctores, quos corrigere contendunt, miſerè dilacerentur. Propterea, ne hac corruptela his auctoribus graviores plagæ infligerentur, qui tametſi minimè videbantur vetuſtatem habituri, digni tamen fuerant, compenſatione rerum poſteris traditarum, ut debitus eis honos haberetur, ſatius duximus ad depravatos locos nõtam adponere, ut pro ſe quiſque, quo ingenioſior, & ſolertior, quo ad ejus fieri poſſit, vitioſis particulis, & corruptis, inciſis, exectis, ac reliqua ſtructura appoſitè interpuncta medeatur. Peræquum enim viſum eſt, ne vulnera, quæ ad incorruptam ſanitatem à nobis redigi nequeunt, non modò exulcerentur, ſed ne attrectentur quidem, ut ſaum munus ; penſumque iis relinquatur incolume, qui faciliori, & commodiori judicio, deſperatis etiam ulceribus opem, & incolumitatem ferre valent : & nobis ſatis, ſuperque ſit, lucis uſuram his auctoribus attuliſſe, qui noſtrâ operâ conſecuti ſumus, ut eis ſalus, atque priſtina valetudo ab aliis quandoque reddi, reſtituique poſſet. Præterea rem minimè dubiam arbitramur, eos rerum ſcriptores in ſua patria, privatis beneficiis, & eorum Principum amicitiæ decore floruiſſe, qui eorum hortatione res geſtas poſteris tradiderunt, quorum neque veterum quempiam, neque recentiore memoria Abbatem Trithemium, qui Bibliothecas omnes incredibili diligentia excuſſit : mentionem feciſſe mirum videri debet, & cùm ſupra quadringentos annos delituerint, ſartos tectos pœne ab omni periculo fuiſſe conſervatos. Gaufredus magna cum cura, & diligentia in notandis certis temporum intervallis, quod magnopere non ſolum delectat, ſed ſinè faſtidio, & ſatietate res plena oblectamenti eſt, in ea laude creber fuit : Alexander verò Abbas adeò in eo negligens eſt, ut ſeriem ipſam rerum geſtarum cùm arbiter interfuerit, & viderit præſens fermè labefecerit. Illud verò nolim à me eſſe omiſſum : Alberiam Reginam Rogerii Regis uxorem, quam inſignis religionis fœminam, digna laudis commendatione idem ſcriptor extulit, Alfonſi Regis maximi Hiſpaniarum Principis filiam fuiſſe, qui Toletum Regiam urbem, & Carpetanorum Oretanorumque civitates ab impio Sarracenorum dominatu eripuit, quam Rudericus Simenius Toletanus Antiſtes Geloiram, noſtri Elviram nominant, ut filius ejus, quem Alexander Anfuſum vocat, cui Campani Principatus honos eſt attributus, Alfonſi Regis avi materni nomen ediderit,

Digitized by Google

INCIPIT LIBER

DE ACQUISITIONE REGNI SICILIÆ, CALABRIÆ, APULIÆ, ET INSULÆ SICILIÆ

PER GLORIOSUM PRINCIPEM

ROBERTUM GUISCARDUM,

ET FRATRES DE NORMANNIA VENIENTES;

COMPILATUS

A GAUFREDO RELIGIOSO ET HONESTO VIRO BEATI BENEDICTI MONACHO:

Ad petitionem Illuſtris Principis Rogerii Trinacriæ Comitis, quam de infida tyrannide Sarracenorum ad devotionem Chriſti reduxit.

HIC SUNT CAPITULA PRIMI LIBRI.

Libri hujus ſunt diverſa diſtincta capitula:
Quæ paſſim ſubtitulare noſtra debet pagina.
Ut quæ voles perſcrutando citiùs invenias.

I. *Primum ſonat, quæ pars eſt Franciæ Normanniæ.*
Rholo Duce dat piratas per mare Noërveja.
II. *Hanc pervadunt: Rex occurrit, ut abinde arceat.*
Bellum differt, fœdus init, ſit eorum dominus.
Patria quibus claudatur adnotatur finibus.
Rhythmus ceſſet, proſa dicat, ſi quid eſt alterius.

III. DE More Normannicæ gentis ab Altavilla.
IV. De Tancredo, & prima, vel ſecunda uxore ſua, & liberis.
V. Qualiter primi filii Tancredi Guilielmus, & Drogo, & Huniſredus à Normannia digredientes Apuliam venerunt.
VI. Qualiter primùm Principi Capuano ſervientes, ab ipſo ad Salernitanum tranſierunt.
VII. Qualiter cum Maniaco Græco ad Siciliam debellandam primò tranſierunt.
VIII. Qualiter Arduinus à Maniaco cæſus ſit.
IX. Qualiter Melſa à Normannis ædificata ſit, & de legato à Græcis miſſo, & de primo congreſſu, quem cum Græcis habuerunt.
X. De ſecundo prælio ſub Montepiloſo.
XI. De junioribus filiis Tancredi, qui præcedentes fratres in Apulia ſubſecuti ſunt.
XII. De morte Guilielmi Comitis.
XIII. De morte Comitis Drogonis.
XIV. De Leone Apoſtolico, qualiter à Normannis captus ſit.
XV. Qualiter Leo Papa à Normannis cum honore dimiſſus ſit.
XVI. De Roberto Guiſcardo qualiter caſtrum S. Marci firmavit, & qualiter cum Sclavis pedes prædatum ivit.
XVII. De Roberto Guiſcardo, & Petro de Turra.
XVIII. Qualiter Robertus Guiſcardus Comes Apuliæ factus ſit.
XIX. De Rogerio juniore filio Tancredi.
XX. De Rogerio qui à Roberto Guiſcardo invitatus à Calabria in Apuliam vadit.
XXI. Robertus Guiſcardus, & Rogerius cum exercitu Rhegium vadunt.
XXII. Rogerius cum maxima præda Rhegium venit.
XXIII. Rogerius irato animo à Roberto Guiſcardo recedit.
XXIV. Rogerius à Guilielmo fratre benignè ſuſcipitur, & Scalea conceditur.
XXV. Rogerius Comes equos furatur.
XXVI. A Rogerio Malfitani capiuntur.
XXVII. Fames in Calabria ſit.
XXVIII. Calabri rebellantes caſtrum Leucaſtrenſe in dolo capiunt, pluribus ibi interfectis.
XXIX. De pace facta inter Robertum Guiſcardum, & Rogerium fratrem ſuum.
XXX. Robertus Guiſcardus uxorem Alberedam repudians Sigelgutam ducit, & Rogerius, & Guiſcardus reconciliantur.
XXXI. Robertus Guiſcardus ſuper Guilielmum fratrem ſuum, antequam nuptias celebret, vadit.

Digitized by Google

XXXII. Bellum apud S. Martinum cum Græcis à Rogerio fit.
XXXIII. In adjutorium Gaufredi fratris Robertus Guiſcardus, & Rogerius vadunt.
XXXIV. Guillamato debellato utrique fratres Calabriam vadunt.
XXXV. Robertus Guiſcardus Dux efficitur.
XXXVI. Guiſcardo apud Rhegium remanente, Rogerius caſtra Calabriæ expugnat.
XXXVII. Qualiter Scyllacium captum fuit.
XXXVIII. Qualiter Serlo Tancredi filius à Normannia in Brittanniam pulſus fit.
XXXIX. De militia ejuſdem Serlonis.
XL. De Tancredo, & Apro.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. COmes Rogerius primùm Siciliam intrat.
II. Dux Robertus Rhegium, & totam Calabriam procurandam delegat; ipſe in Apuliam vadit.
III. Becumen Almiraldus Siciliæ à ſuis expulſus ad Rhegium Comitem convenit.
IV. Conſilio Becuminis Comes Rogerius iterum in Siciliam vadit.
V. Comes Rogerius cum Meſſanenſibus præliatur.
VI. Mare turbatum ſedari Comes Rogerius voto obtinuit.
VII. Quòd præda ſuper paganos accepta Deo in ſacrificium ingrata non ſit.
VIII. Panormitani, ut noſtris tranſire volentibus prohibeant, in Pharum navigio veniunt.
IX. Noſtri tranſitum ſibi turbari videntes, adjutorem implorant.
X. Comes, neſcientibus hoſtibus, de nocte tranſiens Meſſanam capit.
XI. Sarracenus quidam ſororem fugientem deficientem interfecit.
XII. Panormitani ſe eluſos cognoſcentes recedunt, Dux liber tranſit.
XIII. Dux, & Comes pro libito ſuo Meſſanam ordinantes, Rametam obſeſsûm vadunt.
XIV. Chriſtiani de Valle Deminæ Comiti, & Duci munera offerunt.
XV. Dux, & Comes Centurbiam oppugnant.
XVI. Noſtri à planicie Paternionis ſuper fluvium Guedetam caſtrametati ſunt.
XVII. A noſtris cum Sarracenis prælium efficitur.
XVIII. Propter vicinam hiemem expeditio ſolvitur, & Chriſtiani Trainam dedunt.
XIX. Comes Rogerius uxorem ducit.
XX. Comes ergo nuptiis celebratis in Siciliam vadit.
XXI. Comes à Duce irato animo recedit.
XXII. Becumen in Sicilia occiditur.
XXIII. Dux fratrem Comitem apud Miletum obſeſsûm vadit.
XXIV. Comes Geracium traditione capit: & Dux apud Giracium capitur.
XXV. A militibus Ducis Comes, ut fratri ſuccurrat, inviatur.
XXVI. Comes Giracium obſidens Ducem à captione liberat.
XXVII. Caſtrum quod Dux apud Melitum firmaverat militibus Comitis fractum. Duciſſa Trepæam aufugit.
XXVIII. Dux Comiti Calabriam partit.
XXIX. Græci apud Trainam Comiti fraudem machinantur.
XXX. Comes à Sarracenis captus ſe ipſum enſe liberat.
XXXI. Comes in Calabriam vadit.
XXXII. Comes cum Arabicis Caſtri-Joannis præliatur.
XXXIII. Bellum Cerami ubi S. Georgius apparuit.
XXXIV. Piſani Comitem, ut Panormum obſeſsûm vadat, invitant.
XXXV. Milites Comitis, hoſtibus territis, Turronem, qui poſtea Garzonis dictus eſt, aſcendunt.
XXXVI. Noſtri à Tarrantis vexantur.
XXXVII. Agellum à Duce oppugnatur.
XXXVIII. Caſtrum apud Petrelegium fit.
XXXIX. Dux Montempiloſum obſidet.
XL. Dux Barum obſidens.
XLI. Comes Rogerius cum Sarracenis præliatur.
XLII. Columbæ Panormi ſuos victos nuntiant.
XLIII. Dux auxilio Comitis Rogerii Barum capit.
XLIV. Scyllum Duci reconciliatur.
XLV. Panormus capitur.
XLVI. Serlo occiditur.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. APud Paternionem, & Mazariam Caſtella fiunt.
II. Guiſcardus Salernum obſidet.
III. Malfetani cum Duce pacem faciunt.
IV. Salernum deditur.
V. Comes Rogerius Abagelardum apud S. Severinam obſidet.
VI. Dux S. Severinam recuperat. Caſtro S. Agadii Dux Abagelardum obſidet.
VII. Comes Rogerius in monte Calataxibet caſtellum facit.
VIII. Africani Nicotrum deſtruunt.
IX. Africani apud Mazariam vincuntur.
X. Hugo de Gircea apud Catanam occiditur.
XI. Trablas obſeſſione ad deditionem cogitur.

Digitized by Google

XII. Caſtrum-novum Comiti fœderatur.
XIII. Michaël Imperator ad Ducem venit.
XIV. Dux claſſem aptat versùs Græciam.
XV. Comes Tauromenium obſidet.
XVI. Eviſandus pro Comite occiditur.
XVII. Golafri ab Africa ſub Tauromenio viſi ſunt.
XVIII. Tauromenium capitur.
XIX. Eccleſia Trainæ fundatur.
XX. Jacenſes, & Cinenſes Comes obſidet.
XXI. Eoſdem capit.
XXII. Comes filiam ſuam Comiti Provinciæ dedit.
XXIII. Caſtum conjugium laudatur.
XXIV. Dux Romaniam vadit.
XXV. Dux Duracium obſidet.
XXVI. Dux cum Venetianis bellatur.
XXVII. Dux cum Imperatore præliatur.
XXVIII. Dux Duracium capit.
XXIX. Dux Caſtoriam capit.
XXX. Bennavet traditione Catanam intrat: & paulò poſt à noſtris recuperatur.
XXXI. Angelmartus apud Geracium contra Comitem inſurgit.
XXXII. Turribus Meſſana firmatur.
XXXIII. Dux à Gregorio Papa à Romania revocatur.
XXXIV. Duce revertente fraus populorum premitur.
XXXV. Dux fratre arceſſito ſuper Capuanum Principem vadit.
XXXVI. Jordanus contra patrem inſurgit.
XXXVII. Dux Romam vadit, & capit.
XXXVIII. Romani reprehenduntur.
XXXIX. Boamundus Imperatorem ſuperat certando.
XL. Dux Romaniam iterum vadit.
XLI. Eclipſis Solis fit. Papa moritur, & Dux, & Rex Anglorum.
XLII. Rogerius Dux efficitur.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

I. Benarvet Nicotrum vaſtat.
II. Comes cum Benarvet congreditur.
III. Piſani Africam oppugnant, & Comiti retinendam offerunt.
IV. Rogerius Dux, & Boamundus ejus frater reconciliantur.
V. Comes Agrigentum obſidet, & capit.
VI. Chamut Chriſtianus fit, Caſtrum-Joannis redditur.
VII. Comes Epiſcopos per Siciliam ordinat.
VIII. Rex Francorum Philippus filiam Comitis uxorem expetit.
IX. Mihera Majam intrat.
X. Boamundus Cuſentum pervadit.
XI. Mihera Monachus fit.
XII. Buteram Comes obſidet.
XIII. Papa Urbanus Comiti locutum in Siciliam venit.
XIV. Comes Adelaidam in uxorem ducit.
XV. Notenſes Comiti reconciliantur.
XVI. Comes Maltam vadit.
XVII. Dux, & Comes Cuſentum capiunt.
XVIII. Jordanus obiit.
XIX. Simon naſcitur.
XX. Dux Rogerius infirmatur.
XXI. Guilielmus de Grantavul Roſſanam intrat.
XXII. Dux, & Comes Caſtri villam obſident.
XXIII. Comes filiam filio Imperatoris Alamanorum dedit.
XXIV. Dux, & Comes Melfam obſeſsûm vadunt.
XXV. Rex Ungarorum filiam Comitis in uxorem capit.
XXVI. Comes Capuam obſidet cum Duce Rogerio, & Principe Ricardo.
XXVII. Urbanus Papa ad ipſos tendens pacem componere nititur.
XXVIII. Capua capitur, & Principi Ricardo reſtituitur.
XXIX. Urbanus Papa legationem Siciliæ, & Calabriæ Comiti concedit.

Digitized by Google

INCIPIT EPISTOLA
RELIGIOSI VIRI
GAUFREDI
BEATI BENEDICTI MONACHI

Deſtinata ab eodem ad venerabilem Patrem Dominum Catanenſem Epiſcopum.

BEatæ memoriæ (*) Georgio Catanenſi Epiſcopo frater Gaufredus ab anteceſſoribus Malaterra agnomen trahens, infelici curſu mundano cum Martha habito, ad felicitatem quietis Mariæ cum Lazaro fratri reſuſcitari. Quandoquidem, Sanctiſſime Pater, quadam peculiari familiaritate, à cæteris Epiſcopis, qui quantum ad habitum, alterius inſtitutionis eſſe præfigurantur, habitu religionis, quo concingimur, quamvis indignus, vobis me uniri cognoſco, peculiari etiam ſpe, à cæteris de vobis præſumens fruor, & vos mihi in omnibus negotiis tutorem expoſco. Per vos itaque, aut ſaltem veſtrâ præſentiâ librum hunc reputari expoſtulo, ut veſtræ auctoritatis favore Principi gratioſior fiat, vel ab æmulis, ſi fortè aliqui inſurgant, ob reverentiam veſtrî, minus remorderi præſumatur. Sciendum tamen vobis eſt, ſive alteri, quicumque libri hujus recitator, vel certè interpres acceſſerit, ſi ſeriatim, minus ordinatè, ſecundùm tempora, quibus facta ſunt, quæ adnotantur, vel certè aliqua oblivione prætergreſſa repereritis, non hæc tam mihi, quàm relatoribus, culpando adſcribantur: præſertim cùm de ipſis temporibus, quibus fiebant, præſentialiter non interfuiſſem, ſed à tranſmontanis partibus venientem, noviter Apulum factum, vel certè Siculum ad plenum cognoſcatis. Si autem de incultiori poëtrica quæſtio fuerit, ſciendum eſt, quoniam etiam ſi eſſet unde limpidius, aut certè pompoſius, eructare potuiſſem, ipſa Principis juſſio ad hoc hortata eſt, ut plano ſermone, & facili ad intelligendum, quo ut omnibus facilius quidquid diceretur, pateſceret, exararem. Ego igitur ſive iſtud, ſive illud opponatur, ſub umbraculo veſtri tutaminis refugium expeto, ut tanto auxilio innixus, inimico dente mordere attentantes minùs pertimeſcam, & Principis noſtri ſuſtentamine fruar.

OMnibus, quibus per univerſam Siciliam Epiſcopale, vel Clericale nomen aſſignatur, Gaufredus Malaterra cum aſſignatione nominis, & ſignificatum. Antiquorum philoſophorum traditione futuræ propaginis humanæ mos inolevit, fortium facta virorum, apicibus adnotata ad poſteros tranſmittere; ne facta memoranda cum ipſis, à quibus fiunt, ſilentio depereant: ſed potiùs ita literis commendata, & à futuris lecta, vel cognita, ipſos, à quibus facta ſunt, quadam vitæ memoria, quodammodo quaſi vivere faciat. Quod commendat Salluſtius ille inter hiſtoriographos laudabilis rhetor, qui in principio ſui libri ſcripſit dicens: *omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare animalibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, quomodo pecora, quæ naturâ prona, ventrique obedientiam finxit.* Talibus edoctus auctoribus, ſibi veterum hiſtorias recitantibus, famoſiſſimus Princeps Rogerius laborioſos, & non ſinè magno diſcrimine triumphos ſuos, qualiter videlicet primò Calabriam, deinde verò Siciliam armata manu ſubjugaverit, poſteris, conſilio ſuorum mandare decernens, mihi, ut ad hujus operis laborem dictandum accingar, injunxit. Sed quia præcedente in me beneficio ſuo, quidquid injunxit negare nequeo, minùs erudito ſtylo, & enervi poëtria. quaſi lacum profundiſſimum natandi neſcius, timidus ingredior: voſque veſtramque adversùm me indignationem plurimùm pertimeſcens, præſertim cùm vos limpidiſſimo fonte grammaticæ artis debriatos, non autem me, talis ſcientiæ pane jejunum ad tale opus accingi oportuit. Sed prædictus Princeps vos majoribus utilitatibus occupatos, interdum videlicet Eccleſiarum curis cum Martha, interdum vero beatæ contemplationi cum Maria inſudantes cognoſcens, vobis, ne à meliori propoſito vos revocet, parcit. Me verò, quaſi vacantem, & nulli exercitio deditum, quadam manu pulſationis vigilantiorem reddere ſatagit. Rogo itaque vos, ut memores ſcripturæ dicentis: *Invicem onera veſtra portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti*: & quod alibi dicitur: *frater fratrem adjuvans ambo conſolantur*: ad debile carmen meum ſuſtentandum pedem veſtri favoris porrigatis: ut clypeo veſtræ auctoritatis munitus incurſus detrahentium, & inimico dente aliorum dicta, vel facta rodere tentantium minus pertimeſcam. Sunt enim quidam, qui cùm alicujus ſcientiæ gradus utcumque attigerint, & exinde humanæ laudis favorem adepti fuerint, tumenti ſupercilio tanta invidia ſuperfluunt, ut neminem ſibi literis æquipollentem ex proximo habere velint. Sin autem eos habere contigerit opus alienum, detrahendo mordaci dente appetere non deſiſtunt alterius laude ſuam minui timentes. His competenter aſſignari poteſt illud Scripturæ, qua dicitur: *Scientia inflat: ſed non ſubſequitur in eis: caritas ædificat*. Adſunt alii econtra, quorum ſcientia, & mores ipſos in tantum nobilitant, ut quantùm plus philoſophico fonte debriantur, tanto minori extollentia rapiantur: greſſum mentis ſemper in humilitate figentes; aliorum dicta, vel facta non remordentes: ſed quod minùs ornatè dictum ab eis audierunt, cum manſuetudine intra ſeipſos, non autem in publico, ne fortè ſcandalizentur, corrigunt. Et ut eos apud potentes hujus ſæculi gratioſos verbis faciant, extollere nituntur; eorum laudem, vel lucrum, quaſi ſuum æſtimantes. Horum affectuoſam benevolentiam adversùm me invitari expoſco. Ego verò quæcumque dictavero vobis corrigenda, & roſis veſtræ ſcientiæ exornanda reputabo: ut vinea à vobis exarata, cultu veſtræ ſcientiæ potata, uberiores fructus reddens, in majorem laudem, & gratiam perveniat Principis.

(*) *Anſgrio.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Ant. Cricolini inu. e del.

Gio. Batta Sintes Sculp.

GAUFREDI
MALATERRÆ
MONACHI BENEDICTINI
HISTORIA SICULA.
INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Primùm ſonat, quæ pars eſt Franciæ Normanniæ.

Normãnia patria quædam eſt in partibus Galliæ, quæ quidem nõ ſemper Normannia dicta fuit: ſed regalis quondam Francorũ Regum fiſcus, cũ toto ſuo, cujus pars erat, generali nomine Francia nuncupabatur: uſque Rholo dux fortiſſimus pirata à Dacia, vel Norveja, coadunata ſibi plurima fortium manu militum, navali exercitu ſe pelago credentium Friſiam, & quæque maritima loca, versùs occidentem devaſtans, tandem in portu, quo Sequana fluvius in mare defluens intrat, appulſus eſt: cujus per alveum maxima claſſe profundiores partes Franciæ penetrans, amœnitate locorum inſpecta, præ cæteris, quas pertranſierat regiones, hanc amore amplecti, & ſibi adoptare fecit. Eſt enim piſcoſis fluminibus, & feralibus ſilvis abundantiſſima; accipitrum exercitio aptiſſima: frumenti, & cæterarum ſegetum fertilis: piſcinis uberrima: pecorum nutrix. Quamobrem ex utraque ripa proſilientes incolas illius regionis Imperio ſubjugare cœperunt.

(1) C. P. *Porrigitur itaque.*

CAP. II.

Rholo Duce dat piratas per mare Noërveja. Hanc pervadunt: Rex occurrit, ut abinde arceat. Bellum differt, fœdus init, fit eorum dominus.

REx autem, qui tunc temporis Franciæ præerat Ludovicus, ut crędimus, ſecundus, comperiens hoſtes fores Imperii ſui invaſiſſe, primò quidem indignatus, commoto exercitu, hoſtibus occurrendum, & Ducem, & eos à finibus arcere inſtituit. Sed cùm hoc non ſinè magno detrimento ſuorum, ſe agere poſſe cognoſceret, varios eventus belli pertimeſcens, ſuorum ſanguini parcens, ſeniorum uſus conſilio, fœdera pacis, & ſervitium, quod ab ipſis, ſibi offerebatur, accepit: eiſque maximam partem terræ, quam pervaſerant, in beneficium conceſſit. (1) Itaque terra illa (2) conceſſa, à pago Pontinienſi, quem ab orientali parte ſui habet, ſecus mare Anglicum, quod ab Aquilonari parte adjacet, uſque in Britanniam: quæ fines ejus occidentales claudit, ab occidentali verò, & meridiano cornu, pago Cenomanico terminatur

(2) C. P. *illis.*

tur usque in Carnotensem, & à Carnotensi clauditur Velcasino, & Belvacensi usque Pontinum. Hanc terram tibi determinatam à Rege Francorum Rholo dux hæreditali feudo suscipiens, inter suos, prout convenire cognoscebat, distribuit: pretiosiora quæque pro suis usibus reservans. Quia verò procinctus terræ paucis perstrinximus, de more quoque gentis aliqua dicere utile videtur.

CAP. III.

De more Normannicæ gentis ab Altavilla.

EST quippe gens astutissima, injuriarum ultrix, spe aliàs plus lucrandi, patrios agros vilipendens: quæstus, & dominationis avida: cujuslibet rei simulatrix: inter largitatem, & avaritiam quoddam medium habens. Principes verò delectatione bonæ famæ largissimi, gens adulari sciens, eloquentiis in studiis (3) inserviens: in tantum, ut etiam ipsos pueros quasi rhetores attendas: quæ quidem nisi jugo justitiæ prematur, effrenatissima est. Laboris, inediæ, algoris, ubi fortuna expedit (4), patiens. Venationi, accipitrum exercitio inserviens. Equorum, cæterorumque militiæ instrumentorum, & vestium luxuria delectatur. Ex nomine itaque suo, terræ nomen indiderunt. North quippe Anglicâ linguâ, aquilonaris plaga dicitur. Et quia ipsi ab aquilone venerant (5) terram ipsam etiam Normanniam appellarunt. In cujus quidem provincia civitas est, quæ Constantinum dicitur: in cujus territorio villa est, quæ Altavilla nuncupatur: non quidem tantùm pro excellentia alicujus montis, in quo sita sit: sed quoniam, ut credimus, aliquo auspicio ad considerationem prænotantis eventum, & prosperos successus ejusdem villæ futurorum hæredum, Dei adjutorio, & sua strenuitate gradatim altioris honoris culmen scandentium. Nam nescimus utrum in præcedentibus partibus, vel certè in postea futuris hæredibus, aut etiam in utrisque divina providentia quod sibi placeret inspiciens, hæredes ipsos in tantum (6) provexit, ut sicut Abrahæ repromissum est, in gentem magnam crescentes, & suum Imperium armis dilatantes, multarum gentium sibi colla subdiderint, quod paulatim perstringendo stylo prosequemur.

CAP. IV.

De Tancredo, & prima, vel secunda uxore sua, & liberis.

ERat miles quidam præclari admodum generis, qui ab antecessoribus suis hæreditario jure sibi hanc villam relictam possidens, Tancredus nomine duxit uxorem moribus, & genere splendidam mulierem, nomine .... (7) ex qua legali successione annorum, quinque filios postea futuros Comites suscepit: Guilielmum videlicet cognomine Ferrea-brachia, Drogonem, Hunifredum, Gaufredum, & Serlonem. Horum matre defuncta, cùm ipsa ætas adhuc viridis patri continentiam denegaret, honestus inhonestos coitus abhorrens, secundas nuptias celebravit, malens una, & legitima esse contentus, quàm fœdo concubinarum amplexu maculari: memor illius Apostolici dicti; *unusquisque accipiat uxorem propter fornicationem devitandam*. Et quod sequitur; *Fornicatores, & adulteros judicabit Deus*. Ducta verò Fransendis vocabatur, generositate, & moribus priore non inferior, quæ legitimis terminis marito septem peperit filios; non minoris pretii, vel dignitatis, à prædictis fratribus futuros; quorum nomina subtitulamus hîc. Primus Robertus Guiscardus, postea totius Apuliæ Princeps, & Calabriæ Dux, vir magni consilii, ingenii, largitatis, & audaciæ. Secundus Malgerius. Tertius Guilielmus. Quartus Alveredus. Quintus Humbertus. Sextus Tancredus. Septimus Rogerius minor; postea Siciliæ debellator, & Comes. Mater verò accuratissimè, & materno affectu filios suos nutriens, tanto amore ipsos, qui non sui, sed mariti sui, ex præcedenti uxore erant, amplectebatur, ut vix discernere posses, nisi ex aliqua causa didicisses, quis filius, vel quis non filius esset. Unde & à marito plus amabatur, & à circummanentibus plurimùm adpretiabatur. Infantes verò, ut ætas illis ministrabat, pueriles annos transcendentes, cùm jam adolescentiam unus post alium attigissent, cœperunt militaribus disciplinis adhærere; equorum, & armorum studia frequentare, discentes seipsos tueri, & hostem impugnare.

CAP. V.

Qualiter primi filii Tancredi Guilielmus, & Drogo, & Hunifredus, à Normannia digredientes Apuliam venerunt.

SEd cùm viderent, vicinis senibus deficientibus, hæredes eorum pro hæreditate inter se altercari, & sortem, quæ uni cesserat, inter plures divisam singulis minus sufficere, ne simile quid sibi in posterum eveniret, consilium inter se habere cœperunt: sicque communi consilio prima ætas, præ cæteris adhuc minoribus magìs roborata, primò patria digressi, per diversa loca militariter lucrum quærentes, tandem apud Apuliam Italiæ provinciam, Deo se ducente, pervenerunt.

CAP. VI.

Qualiter primùm Principi Capuano servientes, ab ipso ad Salernitanum transierunt.

AUdientes itaque inter duos famosissimos principes, Capuanum videlicet, & Salernitanum, quibusdam controversiis insurgentibus, inimicitias efferbuisse, causâ militariter aliquid lucrandi, quia viciniorem, viâ, qua veniebant, viam invenerunt, Capuano sese obtulerunt; ubi aliquantisper commorati, cùm multa strenuè, remuneratione accepta, peregissent, tenacitate Capuani cognita, illo spreto, ad Gaimarii (8) Salerni Principem transiverunt; à quo decenter suscepti, propter militarem laudem, quæ jam ipsos per universam Apuliam famosissimos effecerat, & maximè quia ab inimicante sibi Principe, ad se transierant, multis donariis ad fidelitatem ejus inflammati, diversis, & crebris incursionibus Ca-

(3) C. P. *eloquentiæ studiis*.
(4) C. P. *expetit*.
(5) *Normanni dicti terram etiam*.
(6) C. P. *quantum*.
(7) C. P. *Moriellam*.
(8) C. P. *Gaimarium*.

Digitized by Google

Capuanos laceſſentes, totam Provinciam, acſi peſtilens calamitas detonaret, adtriverunt (9) circumquaque : & Salernitani paſſim injurias Principis ulciſcentes, indefeſſi idem facere adiverunt, intantumque rebellantes antea Principi compeſcuerunt, ut omnia circumquaque ſe pacata ſilerent. Longobardorum verò gens invidioſiſſima, & ſemper quemcumque probum ſuſpectum habens, ipſos apud eundem Principem, inimico dente mordente, occultò detrahebant ; ſuggerentes quatenus eos à ſe repelleret, quod ni faceret, facile futurum, ut gens tantæ aſtutiæ, tantæ ſtrenuitatis, addentes etiam ex ſui cordis malitia, tantæ perfidiæ, ut Principe exhæredato, ipſi ſua calliditate, hæreditate ejus potirentur. Unde & cor Principis eiſdem artibus imbutum facilè in deterius proclive pervertunt. Sed Princeps, quamvis pravis conſiliis ſuorum aſſentiens, quod hortabantur facere moliretur, tamen ſtrenuitatem illorum timens, quod animo occultè agebat, minùs in propatulo aperire præſumebat.

CAP. VII.

Qualiter cum Maniaco Græco ad Siciliam debellandam primò tranſierunt.

MAniacus autem quidam natione Græcus, à Conſtantinopolitano Imperatore his, quæ apud Calabriam, vel certè Apuliam erant ſui juris, præfectus, Siciliam ad utilitatem debellandi applicare diſponens, undecumque ſibi auxilia conduxit : unde & ex parte Imperatoris Salernitano Principi, ut amico Imperii mandat, quatenus ipſos, per quos inimicos ſuos debellaviſſe fama erat, in auxilium ſui Imperii mittat, promittens etiam multis præmiis remunerandos. Princeps autem nactus occaſionem, qua honeſtè eos à ſe dimittat, vocat, acceſitos, ad quod hæc rogatus erat, hortatur; præmia, quæ pollicebantur, ut eos ad id faciliùs impellat, verbis enumerans, etiam de ſuis pollicetur. Porrò illi non tam imperio Principis, quàm ſpe eorum, quæ pollicebantur, illecti, apparatis, quæ neceſſaria erant, ad Maniacum uſque pervenerunt De quorum adventu Maniacus non minimùm gaviſus, plurimùm eorum auxilio fidens, navigio aprato, Siciliam numeroſo exercitu invadunt (10). Primòque Meſſanam, quia ripæ applicuit, contiguam oppugnans, deditione fœdus ſecum inire coëgit. Nam quamvis apud Meſſanam ſtrenuiſſimi ſuæ gentis milites eſſent, qui ab urbe progredientes, in congreſſu Græcos plurimùm collidebant, ſed tamen Græcis cedentibus, noſtris congrediendi locus patuit. Meſſanenſes, noſtrorum ſtrenuitate nondum experta, primò quidem acriter inſtare cœperunt. At ubi vident ſe plus ſolito vexari, quaſi novæ gentis militiam abhorrentes, terga præbuerunt noſtris, uſque in proximum urbis, extremos quoſque cædentibus. Maniacus noſtrorum causâ nactus urbem, in pretio eos habere cœpit, doniſque, & promiſſionibus corrigere (11) ad militiam. Inde ergo profundiores partes Siciliæ attentando, & omnia ſubjugando progredientes, Syracuſam uſque pervenerunt. Arcadius quidam, qui urbi principabatur, noſtris infeſtus, multas ſtrages dabat ; quo Guilielmus Tancredi filius, qui Ferrebrachia nuncupatur, plurimùm indignatus, impetu facto, ſuper eum irruit, fortiterque congrediens haſtili robore dejectum interfecit : unde & maxima laudis admiratione deinceps apud Græcos, & apud Siculos fuit. Siculi itaque uſque ad ſexaginta millia congregati Maniaco, & ſuis in partibus Trainæ urbis bellum offerre tentant. Porrò Guilielmus filius Tancredi laude militiæ ferox (12), armis ſtrenuus ; Græcos ad certamen præveniens, certamine inito, cum ſuæ gentis tantùm militibus cum hoſte congreditur, antequam Græci ad locum certaminis perveniant. Fortiter agendo plures ſtravit (13), reliquos fugat, victor efficitur. Græci ad locum, quo certatum fuerat, pervenientes, noſtris hoſtes inſequentibus, ſpolia diripiunt, inter ſe dividunt, nulla portione noſtris, qui ab hoſte excuſſerant, reſervata.

CAP. VIII.

Qualiter Arduinus à Maniaco cæſus ſit.

QUod cùm noſtri, à perſequendo hoſtes redeuntes, cognoviſſent, injuriam rati, per Arduinum quendam Italum, qui ex noſtris erat, quia Græci ſermonis peritiam habebat, Maniacum utique improviſè, an ex deliberatione induſtriæ ſpolia diviſerit, ad rationem ponunt. Porrò ille indignatus, quaſi poteſtati ſuæ contradicere præſumpſerint, cùm liceat de eiſdem ſpoliis ſibi, pro libito ſuo agere, per ſpatia caſtrorum fuſtibus cædendo, ad ignominiam gentis noſtræ contumeliis affici præcepit. Arduinus rediens cùm talia nuntiat, noſtri grave ferentes, in Græcos inſurgere deliberant. Sed Arduinus vix eos compeſcens, utilius conſilium dedit : ſcilicet, ut irâ diſſimulatâ, ipſe cultioribus veſtibus in præſentiam Maniaci procedat; donec illis minùs ſuſpicantibus, ipſe à notario Maniaci, cujus amicitia fruebatur, chyrographum, quo liberiùs tranſeant Pharum, quovis aſtu accipiant. Quod cùm ſic machinatur, Maniacus his, quæ agebantur, ignarus, benevolentiam militis laudare, munera promittere, ſubſannando tamen cum ſuis ridere. Ut autem chartulam à notario, quaſi aliquod negotium versùs Calabriam habens, Arduinus accepit, noſtri clam de nocte Meſſanam uſque progreſſi, Pharum impunè tranſeunt; ſicque versùs Apuliam tendentes, Calabriam, & quæcumque Græcorum juris eſſe ſciebant, vaſtant percurrentes. Sicque faciendo uſque in Apuliam pervenerunt ; ſed doloſitatem Gaimarii Principis cognoſcentes, ad ipſum minimè tranſierunt : verùm provinciam invaſtando, ſibi eam ſubjugandi conſilium accipiunt.

CAP. IX.

Qualiter Melfa à Normannis ædificata ſit, & de legato à Græcis miſſo, & de primo congreſſu, quem cum Græcis habuerunt.

SEd cùm ſinè caſtro, quo ſe tuerentur, patriæ illius incolæ (14) eſſent, caſtrum, quod Melfa dicitur, conſtruxerunt; ubi cùm quin-

(9) C. P. *addiderunt*.
(10) C. P. *invadit*.
(11) C. P. *arrigere*.
(12) C. P. *in armis*.
(13) C. P. *ſternit*.
(14) C. P. *incolis*.

quingenti tantùm milites essent, Græci, qui terræ illi principabantur, maxima multitudine ex Calabria, & Apulia sibi coadunata, usque ad sexaginta millia armatorum, ut eos à finibus suis propellerent, versùs illos ire cœperunt, legatoque præmisso mandant, ut quod maluerint eligant; aut certamen in crastino secum habere, aut pace sibi indulta, incolumes à pervasis finibus recedere. Legatus verò, qui ad hæc missus fuerat, cùm pulcherrimo equo insideret, quidam Normannus Hugo, cognomento Tudextifem (15), equum manu attrectare cœpit. Ut autem mirabile aliquid de se, sociisque suis, unde terrerentur, Græcis mandaretur, nudo pugno equum in cervice percutiens uno ictu, quasi mortuum dejecit. Reliqui verò Normanni prosilientes Græcum, qui cum equo dejectus fuerat, & solo timore læsus, quasi exanimis humi jacebat, erigunt; equum autem usque ad quoddam præcipitium pertrahentes, dejiciunt. Porrò Græcus, cùm vix consolatione Normannorum ad mentem rediisset, meliori equo ab eis accepto, certamen paratum sociis refert. Sed cùm quod acciderat, Principibus populi sui tantùm retulisset, illi admiratione, & metu percussi, verbum inter se comprimebant, ne fortè, si in propatulo diceretur, exercitus territus refugeret. Manè itaque facto, summo diluculo à Normannis occurritur, fortiterque congredientes acerrimè utrinque pugnatur. Intererant huic certamini de filiis Tancredi Guilielmus Ferreabrachia, & Comes Drogon: nec dum quisquam fratrum eos subsecutus fuerat. Isti verò, ut fortissimi milites socios animantes, sed & ipsimet fortiter agentes, multis ex hostibus prostratis, tandem in fugam reliquos dederunt, quos insequentes, & posteriores quosque cædentes victoriam obtinuerunt, multis hostibus in flumine, quod Olivetum dicitur, dum transnatare cupiunt, submersis.

CAP. X.

De secundo prælio sub Montepiloso.

VIcti, nec dum autem defatigati, sed se ipsos invicem animantes, multo ampliori exercitu congregato, duce Annone, qui ad hoc ab Imperatore Constantinopolitano missus fuerat, iterum bellum parant. Quibus Normanni bello non segnes, sub Montepiloso occurrentes, fortiter congressi, ostendentes se bellum nolle refugere, sed potiùs quasi ex delectatione appetere, in congressu Græcis contra ipsos fortiter agentibus, cùm jam Normanni fatigari præ nimia cæde cœpissent, Guilielmus quartanæ febris typo laborabat, & præ nimia infirmitate, qua premebatur, certamini interesse non poterat, sed procul jacens exitum rei expectabat, cùm videret jam suos minùs fortiter agere, & pænè deficere, indignatione, & ira, infirmitatis, qua præmebatur, oblitus, arma corripiens se se, quasi leo furibundus hostibus medium dedit, suosque verbis exhortatoriis recreans, fortiter agendo hostes in fugam vertit: duce (16) Anno, duce exercitus, qui caudatus erat, quasi bove interfecto. Viribus itaque suis diffidentes, & fortunæ minùs credentes, castra sua munientes ultra decertare cum Normannis, nisi muris interpositis, non præsumebant, sed neque ipsi muri contra Normannos tueri poterant. Nam crebris incursionibus eos lacessentes, vineta, & oliveta eorum extirpabant, armenta, & pecora, & cætera, quæ ad usum necessaria sunt, nihil extra castra relinquentes, diripiebant. Sed & ipsa castra, ipsis intra reclusis, exercitu vallantes oppugnabant, machinamentisque, quibus doctissimi artifices erant, ad id officii agendum, necessariis aptatis, muros, & turres crebris ictibus impingendo, funditus diruebant. Ruptis muris, aditis patentibus irrumpentes, omnia sibi diripiebant, unde & reliqua circumquaque castra, id sibi invicem cernentes, ultro se se eorum ditioni subdebant.

CAP. XI.

De junioribus filiis Tancredi, qui præcedentes fratres in Apulia subsecuti sunt.

JUniores verò fratres, quos ætas adhuc domi immorari cogebat, præcedentes seniores fratres apud Apuliam fortiter agendo, altioris culmen honoris, & dominationis ascendisse, fama referente cognoscentes, quamcitò ætas permisit (17), ipsi quoque subsecuti, duobus tantùm in patria relictis, ne hæreditas, vel competens stirps alienaretur. Abeuntes verò remanentibus, ut remanerent, vix persuaserunt, sed in hoc potiùs prævaluerunt, quòd hæredibus eorum, si se sequerentur, de his, quæ adquisituri erant, se se benefacturos polliciti sunt. Sed perlongum est huic operi, per singula perstringendo inserere, qualiter (18) apud Apuliam egerunt. Hoc tantùm summatim non solùm nos, sed etiam res ipsa testatur, quòd omnem patriam armis domantes sibi subjugaverunt. Subsequente enim se suorum, & parentum, & compatriotarum, sed & reliquarum circumadjacentium regionum spe quæstus, maxima multitudine, ipsi impigri largitores, quasi fratres suscipientes, equis, armis, & vestibus, ac diversis muneribus ditabant. Quibusdam etiam terrarum loca largissimè impertiebantur, omnibus divitiis hujus mundi, auxilia fortium militum præponentes. Quamobrem nihil incœpti incassum illis præteribat. Unde & illud Evangelicum illis provênit, ubi dicitur: *Date, & dabitur vobis*. Quantò enim ampliora largiebantur, tantò majora lucrabantur.

CAP. XII.

De morte Guilielmi Comitis.

IGitur seniore fratre, Guilielmo videlicet Comite, infirmitate præveniente, defuncto, magnus dolor omnes Normannos invasit. Quippe qui tanti consilii virum, tam armis strenuum, tam sibi munificum, affabilem, morigeratum ulteriùs se habere diffidebant. Sed exequiis, ex more accuratissimè, & cum magno planctu, non immeritò celebratis, secundus frater Drogo totius Apuliæ dominatum suscepit: vir quidem, ut succintè dicamus, per cuncta laudabilis. Hic fratrem suum Hu-

(15) C. P. *Tudebusem*.
(16) *Duce Annone, qui*.
(17) *Ipsos quoque subsequuti sunt; duobus tamen in patria relictis, ne hæreditas illis competens*.
(18) *Qualiter in Apulia egerit*.

Digitized by Google

Hunifredum Abagelardo (19) Comitem, apud caſtrum, quod Lavel dicitur, virum prudentiſſimum, conſilio Apulejenſium, & Normannorum ordinavit: Robertum verò Guiſcardum in Calabria poſuit: firmans ei Caſtrum in valle Cratenſi, loco, qui Scribla dicitur, ad debellandum Conſentinos, & eos, qui adhuc in Calabria erant rebelles.

CAP. XIII.

De morte Comitis Drogonis.

LOngobardi igitur Apulejenſes, genus ſemper perfidiſſimum, traditione per univerſam Apuliam ſilenter ordinata, ut omnes Normanni una die occiderentur, determinato die, cùm Comes Drogo apud Caſtrum Montis Olei, quod corruptè ab incolis Montolium dicitur, moraretur, ſummo diluculo, ad Eccleſiam, ut ſibi mos erat, properans, cùm jam Eccleſiam intraret, quidam Riſus nomine, ejus Comitis compater, & Sacramentis fœderatus, poſt januam latens, fœdere rupto, ferro eum ſuſcepit, qui cum pluribus ſuorum, paucis aufugientibus, occiſus eſt. Sed per diverſa Apuliæ loca plures hac traditione occubuerunt. Porrò Hunifredus Abagelardo (20) nece fratris turbatus, honorem ſibi vindicans, caſtra, quæ frater poſſederat, inſiluit: Normannoſque, qui periculum traditionis evaſerant, ſibi alligans, in vindictam fraternæ necis inſurgit, multoque tempore caſtrum, quo frater ſuus occiſus fuerat, oppugnans, tandem devicit, fratriſque interemptorem, cum ſibi aſſentientibus, diverſis cruciatibus afficiens, eorum ſanguine iram, & dolorem cordis ſui aliquantulum extinxit.

CAP. XIV.

De Leone Apoſtolico, qualiter à Normannis captus ſit.

APulienſes verò nec dum traditionibus exhauſti, per occultos legatos IX. Leonem Apoſtolicum, ut in Apuliam cum exercitu veniat, invitant, dicentes Apuliam ſibi jure competere, & prædeceſſorum ſuorum temporibus juris Eccleſiæ Romanæ fuiſſe, ſe illi auxilium laturos: Normannos imbelles, viribus enerves, numero paucos. Ille, ut aſſolet, quamvis prudentiſſimus eſſet, ambitione captus, Alamanorum exercitu ab Imperatore ſibi in adjutorio recepto, confidens in auxilio Longobardorum Apuliam intrat. Comes verò honeſtius ducens cum honore vitam finire, quàm cum dedecore, vita comite, ſuſcepto honore privari, commoto exercitu, audacter hoſtibus occurrit, ordinataque acie ſuorum certamen iniens, cùm primo congreſſu fortiter, ut ſolitus erat, agere cœpiſſet, Longobardi territi fugâ ſe ipſos tueri nituntur, Alamanis in prælio relictis. Qui cùm fortiter dimicarent, nullum refugium, niſi in armis habentes, Normannis vincentibus, pœnè omnes occubuerunt. Apoſtolicus fugâ vitæ aſylum expetens, intra Urbem Provinciæ Capitinatæ, quæ Cimitata dicitur, ſe ſe profugus recepit. Quem hoſtes inſequentes armato millite obſident: aggeres portant, machinamenta ad urbem capiendam

(19) C. P. *Adagelardum*.
(20) C. P. *Adagelardus*.
(21) C. P. *intus*.

A parant, incolas minis terrent, ut Apoſtolicum reddant. Illi verò ſemper perfidiſſimi, nulla pactione ad utilitatem Apoſtolici, niſi ut ſe ipſos tuerentur, adquiſita, eum per portas ejiciunt, quem hoſtes ſuſcipientes, ob reverentiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cum magna devotione, ejus provolvuntur pedibus, veniam, & benedictionem ejus poſtulantes. Sed & uſque ad loca, quo exercitus caſtra, & tentoria fixerat, eum omni humilitate illi ſervire executi ſunt. Quorum legitimam benevolentiam vir Apoſtolicus gratanter ſuſcipiens, de offenſis indulgentiam, & benedictionem contulit, & omnem terram, quam pervaſerant, & quam ulteriùs versùs Calabriam, B & Siciliam lucrari poſſent, de S. Petro, hæreditali feudo ſibi, & hæredibus ſuis poſſidendam conceſſit, circa annos 1052.

CAP. XV.

Qualiter Leo Papa à Normannis cum honore dimiſſus ſit.

APoſtolicum itaque Romam regredientem Comes Hunifredus, quouſque ſibi placuit, cum honore conduxit. Ubi verò licentiam redeundi conceſſit, in Apuliam reverſus omnem terram placidam, & ſibi obedientem invênit, quam longo tempore in pace rexit, C ut vix in aliquo loco ſuæ dominationis latro, vel qui ſuis imperiis contradicere auderet, poſſet inveniri. Duos itaque fratres ſuos Comites fecit: Malgerium Capitinatæ, Guilielmum verò in Principatu. Sed Malgerius moriens cùm omnem Comitatum ſuum Guilielmo fratri ſuo reliquiſſet, Guilielmus Gaufredum fratrem ſuum diligens ſibi conceſſit.

CAP. XVI.

De Roberto Guiſcardo qualiter caſtrum Sancti Marci firmavit, & qualiter cum Sclavis pedes prædatùm ivit.

D RObertus verò Guiſcardus cùm apud Scriblam moraretur, Calabros fortiter impugnans, cùm videret ſuos propter infirmitatem loci, & aëris diverſitatem langueſcere, ſaniorem locum expetens, non quidem hoſtes devitando, ut timidus retrorſum vadens, longiùs (21) receſſit: ſed potiùs quaſi in hoſtem hians, in viciniorem ſe conferens, caſtrum, quod S. Marci dicitur, firmavit. Sed cùm firmato caſtro, quid motus introduceret, non inveniret, abſtraxerant enim circummanentes ad proxima caſtra quæque habebant, ne ab ipſis diriperentur, quodam veſpere dapifer, qui omni domui ſuæ præerat, requiſivit ab E ipſo, quid in craſtinum comeſturi erant ipſe, vel milites ſui, dicens ſe, neque victum, neque pretium ad emendum habere. Quòd ſi pretium haberet, nuſquam, ubi cum pace adiri poſſet, inveniri poſſe. Guiſcardus uſque ad ſexaginta, quos Sclavos (22) appellant, totius Calabriæ gnaros ſecum habens, quos quaſi fratres fideliſſimos ſibi beneficiis, & muneribus miſſis effecerat, ſciſcitatus eſt ab eis, utrum locum adibilem ſcirent, quo præda (23) poſſet capi. Quibus reſpondentibus ſe ultra montes, viâ præruptiſſimâ, in profundiſ-

(22) C. P. *Scalonos*.
(23) C. P. *prædam*.

Digitized by Google

dissimis vallibus, permaximam scire : sed finè magno discrimine extrahi non posse, Robertus tale fertur dedisse responsum : Eja tutissimi vitæ meæ fautores, ita nè patiemini Guiscardum, (24) sed & ne vos fame affici ? Causa victus adquirendi, dubiâ fortunâ, usque in periculo vitæ temptanda est. Nam & temptantes sæpè triumphaliter evasisse audivimus, neminem verò, qui fame interierit, laudari. Ite inquit nocturni prædones, ebrietas Calabros minus vigiles esse permittit. Nam & hunc diem celebrem habentes, ex more conviviis, & potationibus (25) studuerint (26). Præite, subsequar militibus armatis. Sicque lecto parato, cùm jam collocatus esset, de nocte, nullo sciente consurgens vili veste, & scarpis, quibus pro calciariis utuntur, ad similitudinem abeuntium sese aptans, illis medius adjungitur. Sicque per totam noctem ignotus comes illis factus, nulli eorum verbum effecit. Nam neque excreare volebat, ne fortè ita quis esset deprehenderetur. Quia enim ejusdem gentis erant, non ex toto sese credebat illis. Porrò ubi ad locum prædæ ventum est, quidquid ibi invenerunt ante se colligentes, ipse crebris saltibus, & vibrante hastili, ut reditum accelerent, socios hortabatur. Sed antequam illucesceret, ii quibus damnum illatum fuerat, sua ablata perpendentes, cùm ducerent, militibus ut prædam excutiant, prosecuntur. At Guiscardus insequentes approperare videns, & socios, ne præda privari patiantur, sese invicem audacter cohortari audiens, ut audaciores redderet, jam quis esset, aperuit. Guiscardus inquit adsum particeps laboris vestri. Sinè me nil periculi patiemini. Forti animo estote, & insurgamus hostibus. Nam Deo fortunam prosperante, facilè prævalebimus. Hæc dixit : & hostibus cum maximo furore occurrens, dum certat, multos perimit, plures capit, reliquos fugat, victor efficitur. Sicque triumphalibus spoliis acceptis, de peditibus suis equites fecit, denique jam securus, captivos secum deducens, præcedit : paucis, qui prædam post se minent, relictis. Milites verò sui, cùm jam lux esset orta, eos armatos versùs castrum advenire cognoscerent, hostes suspicati, Dominum suum ubi esset, nescientes, per totum castrum clamore requirunt. Non invenientes turbantur, audacter tamen castro prosilientes illis, quos hostes suspicabantur, occurrere accelerant. Porrò Guiscardus equum in quo sedebat, calcariis urgens, alta voce Guiscardum ingeminando, occurrit : sicque agnitus ab illis, de præsentia sua, & de felicitate fortunæ omnes hilares reddit. Redarguitur tamen plurimùm ab ipsis, quòd talia præsumserit, & ne ulteriùs præsumat, admonetur, ne fortuna, quæ nunc arrisit, postmodum, si temptetur, in pejus cedat. Sic castrum præda, & redemptione captivorum ditans, Calabros crebris incursionibus plurimùm lacessivit.

CAP. XVII.

De Roberto Guiscardo, & Petro de Turra.

QUaliter verò Petrum de Turra, qui apud Bisinianum morabatur, acceperit, silentio prætermittendum non est. Erat quippe idem Petrus ditissimus civis Bisinianensis, sed & consilio, & virtute cæteris pollens, omnibus principabatur. Soliti antem erant multotiens convenire hîc, & Robertus Guiscardus, quasi ad placitum, de pluribus controversiis, quæ inter suos eveniebant. Porrò Guiscardus cùm sciret eum maxima pecunia abundare, & præ cæteris castro dominari, cœpit animo tractare, qualiter per eum & castro potiri posset, & pecuniam, quam possidebat, abstraheret. Quod secum diu revolvens, tandem consilio cum suis habito, quadam die, nullo fœdere interposito, extra castrum Bisinianense, in campo, in quo colloqui consueverant, cùm venissent, Guiscardus videns maximam multitudinem cum Petro venisse, nuntio præmisso mandat : se illi multitudini intermisceri nolle, ne fortè inter ipsos, tumultus ex aliqua re fieret : sed longiùs promotis utriusque partis sociis, ipsi duo in medium collocuturi convenirent. Prædixerat tamen suis, quid facere disponebat, & cùm necesse foret, sibi citiùs auxiliaturi occurrerent. Assentiente itaque Petro his, quæ à Guiscardo mandata sunt, sibi minùs prospiciens, sociis à longè dimissis, ipse medio loco, Guiscardo obvianti accelerat. Considentes ergo, & diu sibi ad invicem loquentes, cùm jam discessuri assurgerent, Guiscardus enormitate, & mole corporis illius inspecta, viribus suis minùs diffidens ; erat enim in omnibus præsumptuosissimus, & magnarum rerum audacissimus attentator, Petrum medium corripiens, collo suppositum versùs suos asportare cœpit. Accurrentibus itaque utriusque sociis, Bisinianensibus, ut Petrum eruerent, Normannis verò, ut dominum suum juvarent, Guiscardus Petrum enerviter reluctantem interdum portando, interdum volutando, interdum trahendo usque ad suos perduxit. Calabrenses verò de Petro jam desperantes, & pro ipso cum Normannis minimè certare prænitentes, fugiendo se se in castrum Bisinianense receperunt. Normanni verò gaudentes quasi de triumpho, usque ad castrum S. Marci Petrum secum adducunt : ubi aliquandiu in captione detentus, pecuniam mirabilem persolvens, seipsum à captione liberavit, sed civibus non assentientibus, castrum minimè reddere potuit. Tali calliditate, & huic similibus Calabrenses de Guiscardo compertis, genus formidolosissimum, omnes ante eum tremebant : quippe cui neminem assimilari posse armis, & ingenio, sed neque viribus dicebant.

CAP. XVIII.

Qualiter Robertus Guiscardus Comes Apuliæ factus sit.

TAntâ itaque pecuniâ Guiscardus acceptâ suos abundanter remunerando, in sui fidelitate roborat ; Calabrensesque infestiores reddit, quotidiano impetu lacessens Bisinianenses, & Consentinos, Marturianenses, & his adjacentem provinciam secum fœdus inire coëgit : tali videlicet pacto, ut castra sua retinentes, servitium tantummodo, & tributum persolverent, & hoc sacramentis, & obsidibus spoponderunt. Hunifredus igitur Comes Apuliam gloriossimè, & laudabili pace gubernans, infirmitate præventus, quod dolor est dicere, mortuus est. Quod Guiscardus, qui tunc temporis

(24) *Guiscardum, & vos ipsos fame &c.*
(25) *Potationibus studuerunt. Præcedite &c.*
C. P. *studuerunt.*
(26) C. P. *militibus ducentis &c.*

Digitized by Google

poris apud S. Marcum morabatur, audiens, versùs Apuliam magno cum dolore animi accelerat; susceptusque à patriæ primatibus, omnium dominus, & Comes in loco fratris efficitur, ordinatisque rebus suis, & tota Apulia sibi in pace conciliata, quod primùm animo conceperat, minimè oblivisci potuit, sed jam ampliori imperio dilatatus, & majoribus viribus, militum videlicet copia auctus, ad quod cœperat peragendum, iterum intendit. Exercitu itaque commoto, & his, quæ ad expeditionem necessaria erant, versùs partes Calabriæ aciem dirigit; pertransiensque Consentinos fines, & Marturianenses, juxta calidas aquas, super flumine, quod Nocato dicitur, biduo permansit, ut exercitum itineris asperitate fatigatum recrearet, & terram certiùs exploraret. Indeque pertransiens usque ad castrum, quod Scyllatium dicitur, juxta litus maris iter intendens, Rhegium usque pervênit: ubi triduo situ loci inspecto, cùm videret se cives urbis, nec minis, nec blandimentis flectere posse, quibusdam negotiis versùs Apuliam se revocantibus, reditum parat. Decedenti Leucastrum, & Maja, & Canalda pacem facientes se se dediderunt.

CAP. XIX.

De Rogerio juniore filio Tancredi.

ROgerius verò minor frater, quem adhuc domi juvenilis ætas, & amor parentum detinuerat, subsecutus in Apuliam vênit: de cujus adventu Guiscardus non minimum gavisus, honore, quo decebat, eum suscepit. Erat enim juvenis pulcherrimus, proceræ staturæ, eleganti corpore, lingua facundissimus, consilio callidus, in ordinatione agendarum rerum providus, omnibus jocundus, & affabilis, viribus fortis, militia, ferox quibus artibus, brevi tempore omnem gratiam meruit. Quia verò factiosus erat, & laudis, ut in tali ætate assolet, appetens, factiosos quosque sibi alligans, quæque habere poterat, libenter, & largissimè illis impertiebatur. Porrò Guiscardus fratris constantiam, & militarem audaciam certiùs experiri volens, cum sexaginta tantùm militibus plurima millia hostium debellaturus, in Calabriam dirigit, qui audacter pergens, in altiori cacumine montium Vibonensium castrametatus tentoria fixit, ut longè, latèque visus, incolas circumquaque faciliùs deterreret. Quod cùm compertum fuisset per omnes civitates, & castra illius provinciæ, & totius vallis Salinarum, territi omnes, legatos, qui pacem postulent, dirigunt; munera plurima dantes fortissima castra enerviter reddunt in servitutem, juramentis, & obsidibus fœderantur.

CAP. XX.

De Rogerio qui à Roberto Guiscardo invitatus à Calabria in Apuliam vadit.

SIc terrâ ad suam, & fratris fidelitatem pro libito ordinatâ, plurimum pecuniæ, quam acceperat, in Apuliam fratri per legatos misit: eventus suos, qualiter egerit, mandans. Ipse verò castrum, quod Incifola dicitur, studiosissimè turribus, & propugnaculis firmans, armatis militibus munivit: omnibus, quæ ad victum necessaria erant, sufficienter introductis. Guiscardus verò pecuniâ, quæ sibi à fratre directa est, acceptâ, & strenuitate ejus agnitâ plurimùm gavisus est; ejusque colloquium desiderans, ut ad se venire acceleret, mandat. Ille sex tantummodo milites secum ducens, reliquis ad tuendum castrum, quod fecerat, & provinciam premendam, ne fraudes præsumerent, relictis, in Apuliam, ad fratrem vênit; à quo cùm decenter fuisset susceptus, eventus suos alternatim conferentes, mutua collocutione locuti (27) sunt.

CAP. XXI.

Robertus Guiscardus, & Rogerius cum exercitu Rhegium vadunt.

SIcque cùm moratus est, donec communi consilio paratis his, quæ ad expeditionem necessaria erant, maxima manu equitum, & peditum juga montium Calabriæ transcendentes, versùs Rhegium incedunt. At cùm in vallem Salinarum ventum est, Guiscardus audiens Rhegienses omnia circumquaque, quæ ad victum necessaria erant, secum infra urbem clausisse, & nihil relictum, quod exercitui contiguum foret, providens ne obsidenda urbe famis angustia exercitum propelleret, Rogerium fratrem, cum trecentis militibus, versùs castrum, quod Geracium dicitur, in prædam dirigit; summopere admonens, ut quidquid ad victus necessaria rapere posset, apud Rhegium exercitui deferat, ipse recto itinere gradiens, urbem obsidere accelerat.

CAP. XXII.

Rogerius cum maxima præda Rhegium venit.

ROgerius verò studens ad gratiam fratris, & totius exercitus, quod sibi injunctum erat, peragere, altissimos colles, cum profundissimis vallibus perlustrans, ut fidelis, & studiosa apes onustissimus ad exercitum, cum maxima præda rediit: jamque pænè deficientes omnes abundantiâ recreavit. Guiscardus verò videns se versùs civitatem minùs proficere, & exercitum hiemis asperitate turbari, obsessionem solvens, discessionisque dans licentiam, ipse apud Majam hiemandi gratiâ, cum paucis secessit.

CAP. XXIII.

Rogerius irato animo à Roberto Guiscardo recedit.

ROgerius (28) itaque cùm, quod militibus suis largiretur, minùs abundaret, & ipsi sibi in exigendo importuniores essent, à fratre expetit. Ille verò pravorum consilio (29) versus, cùm cæteris largus esset, illi strictior quàm oportebat, esse cœpit. Videbat denique propter strenuitatem, quam habebat, militiam juvenum totius Apuliæ ei potiùs, quàm sibi adhærere; unde, & ne contra se insolesceret, metuebat, & ut paucis contentus secum morarètur, penuriâ cogere volebat. Por-

(27) C. P. *latati sunt.*
(28) *Rogerius verò cum quibusdam militibus suis, & quod ejus largiretur minus habetur.*
(29) *Consilio usus versùs eum cum cæteris largus esset, & illi strictior quàm.*

Digitized by Google

Porrò ille, ut magni animi erat, sciens se (30) à fratre recedens, in Apuliam ivit.

CAP. XXIV.

Rogerius à Guilielmo fratre benignè suscipitur, & Scalea conceditur.

QUod audiens frater suus Guilielmus, Comes videlicet totius Principatus legatos mittit; ut ad se veniat invitat, quæ habet simul accipiat; nihil se, excepta uxore, & liberis, ab illo proprium habere velle repromittens. Veniens itaque honore, quo decebat, susceptus est; aliquandiuque cum ipso moratur. Tandem castrum, quod Scalea (31) dicitur, ab ipso accepit, per quod multas incursiones versùs Guiscardum faciens, circumquaque lacessivit. Quod cùm Guiscardo relatum fuisset, exercitu moto dictum castrum obsessûm vadit. Guiscardus quidem oliveta, & vineta urbi contigua devastabat. Guilielmus autem milites ejus crebris congressibus, & hastili robore militariter dejiciens, numero minuebat. Ille verò cernens se versùs urbem minùs proficere, & numerum suorum diatim magis, ac magis minui, ne majori damno gravaretur consilio habito, à loco recessit.

CAP. XXV.

Rogerius Comes equos furatur.

NOn multò post per internuntios pace, ad tempus, inter ipsos facta, invitatus à fratre Rogerius cum quadraginta militibus fidis sibi servitûm vadit, ubi quidem plurimum penuriarum passus est; sed latrocinio armigerorum suorum in multis sustentabatur, quod quidem ad ejus ignominiam non dicimus; sed ipso ita præcipiente, adhuc viliora, & repræhensibiliora de ipso scripturi sumus, ut pluribus patescat, quàm laboriosè, & cum quanta angustia, à profunda paupertate, ad summum culmen divitiarum, vel honoris attigerit. Habebat siquidem armigerum quendam (32) Blettiva nomine, coram quo nil tuebatur, ad quod furandum intendebat. Hic ipse penuriosus adhuc (33) juvenis, postmodum ditissimus futurus Comes, cùm esset cupiens quosdam equos, quos apud Melfam in (34) ejusdem domo viderat, ad hæc persuasit, ut secum vadens, nocturno furto abstractos abduceret.

CAP. XXVI.

A Rogerio Malfitani capiuntur.

CUrriculo itaque mensium duorum fratris servitium studiosè peragens, cùm ab ipso, nil inter se, & omnes suos, causâ remunerationis, uno tantùm equo excepto, accepisset, quamvis non legerat, tamen quasi naturaliter sciens illud Sallustianum proverbium: *frustra niti, & ad extremum nil, nisi odium fatigando quærere, jam demùm extrema dementia est, & quod benè servienti fortuna necessaria est*, sibi verò eam minus favere, cum fratre plurimùm verbis altercatus, fœdere quod inter se, ad tempus habebant, reddito, Scaleam reversus est, statimque in eodem vespere, apud castrum, quod Narencium dicitur, milites suos super Guiscardum prædatûm mittens, provinciam spoliavit. At dum illos, quos prædari miserat, apud Scaleam præstolatur, Berver (35) quidam à Melsa veniens nuntiat Melfitanos negotiatores à Melsa versùs Melfam, haud procul à castro transire. Quo audito non minimùm gavisus, equum insiliens Gisenualdum, & Carbonariam cum octo tantùm militibus mercatoribus occurrit, captosque Scaleam deduxit; omniaque quæ secum habebant diripiens, ipsos etiam redimere fecit. Hac pecunia roboratus largus distributor centum sibi milites allegavit: quibus totam Apuliam crebris, & diversis incursionibus lacerans, Guiscardum in tantum sollicitum reddebat, ut adquirendæ Calabriæ oblitus, jam quod acquisierat pænè amitteret.

CAP. XXVII.

Fames in Calabria fit.

ANno 1058. clades permaxima, & flagellum iræ Dei, ut credimus, peccatis exigentibus divinitus immissum totam Calabriæ provinciam curriculo trium mensium, Martii videlicet, Aprilis, & Maji in tantum attrivit, ut trino morbo mortem sibi imminere cernentes, cùm unum ad vitæ periculum sufficere posset, vix ad quodvis horum, ne dum tria simul furiosissimè detonantia pericula se evadere posse existimarent. Nam una ex parte gladius à Normannis, vix alicui parcens desęviebat. Ex alia verò fames viribus exhaustis per languida æstuabat. Tertia verò (36) pruina mortalitatis horribiliter defluens, vix intactum percutiens, ut in arenti arundineto laxis habenis (37) furens incendium percurrebat. Pecunias habentes, quid emerent non habentes, atque (38) ipsos liberos ex ingenuitate procreatos vili pretio in servitium venundantes, dum ubi illud ad victus utilitatem expenderetur, non inveniebant, ad augmentum doloris sui, (39) amissione in cassa venditione liberorum, quasi quarta calamitate cruciabantur. Vescentibus carnibus, absque pane comestio, quibusdam vinum non habentibus, (40) ubi aquæ potu condiebatur dysenteriem faciens, multos dejiciebat; quosdam autem spleneticos faciebat. Ubi verò vino fortiori intemperatè superfundebatur calor naturalis, ejusdem perniciem lueri cor, quod panis non confirmabat, internis quadam æstuatione concedens debilitari cogebat. Quadragesimæ sanctam observantiam, (41) à Sanctis, &

(30) *Se sic à fratre tractari, recedens in Apuliam se contulit.*
C. P. *Se aut à fratre degenerem, vel indignum, quin gradatim ad alta, ut ille fecerat, & jam ipse, fortuna sibi favente, scanderet, irato animo à fratre recedens &c.*
(31) C. P. *Ascla*, & ita deinceps.
(32) *Quendam blettinam.*
(33) *Adhuc vivens, postmodum ditissimus futurus Comes causa esset.*
(34) *In cujusdam domo viderat, ad hoc.*
(35) C. P. *Benerus.*
(36) *Verò pugna mortalitatis horribiliter defluens vix aliquem permittens evadere, in tantum pertransiens.*
(37) *Habenis fervens.*
(38) *Suos liberos.*
(39) *Sui propter ammissionem incussa.*
(40) *Habentibus aqueo potu conducebantur.*
(41) *Dissolvit crudis carnibus, & fructibus arborum, vel corticibus utebantur in cibis.*

Digitized by Google

& Religiosis Patribus catholicè contraditam angustia dissolvit in tantum, ut non solùm lactis, vel casei, verùm etiam carnis comestione, reliquis temporibus concessæ, etiam ab ipsis, qui alicujus honestatis antea videbantur, violaretur. Sic herbarum virentia olera, quibus pulmentaria fieri solent terræ sterilitas subtraxerat. Ubi verò inveniebantur, quadam pruina vitiati aëris decocta post obesse, quàm prodesse degustata videbantur. Fluvialibus carectis, & quarundam arborum corticibus, cum castaneis, & quercinis, sive Ilicinis nucibus, quas glandes dicimus, porcis subtractis, & molâ post exsiccationem tritis, panes facere, modico milii admixto tentabant. Crudæ radices cum solo sale degustatæ ventris tumorem cum pallore vultus excitantes vitalia intercludebant. Matres pietate astu ab ipso liberorum ore cibum rapere potiùs, quàm administrare, impudenti violentia satagebant. Sic trino flagello usque ad novas fruges attriti sunt: sed novis frugibus supervenientibus fames quidem propulsa est; gladius verò mortalitatis, acutior factus est. Nam corpora famis penuriâ vacuata, & cibo insueta, quanto abundantiori cibo contra usum intemperanter reficiebantur, tanto citiùs periclitabantur.

CAP. XXVIII.

Calabri rebellantes castrum Leucastrense in dolo capiunt, pluribus ibi interfectis.

CAlabrenses denique genus perfidissimum, cùm viderent fratribus inter se dissidentibus, sese à nemine suscitari (42), cœperunt jugum Normannorum à se excutere, & servitium, quod juraverant, vel tributum minimè persolvere: unde & simulatione fidelitatis traditione composita, castrum Leucastrense accipientes, sexaginta Normannos, qui ad tuendum ibi castrum relicti erant, una die peremerunt.

CAP. XXIX.

De pace facta inter Robertum Guiscardum, & Rogerium fratrem suum.

QUod cùm Guiscardo nuntiatum fuisset, videns se versùs in Calabriam perdere, & Apuliam totam turbari, fratrem per legatos accersiens, pacem cum eo fecit; concedens ei medietatem Calabriæ à jugo montis (43) Intesoli, montis Scyllatii, quod acquisitum erat, vel usque Rhegium essent acquisituri.

CAP. XXX.

Robertus Guiscardus uxorem Alberadam repudians Sigelgutam ducit, & Rogerius, & Guiscardus reconciliantur.

POst hæc Robertus Guiscardus uxorem habens suæ gentis honestam, & præclari generis Alberadam nomine, ex qua habebat filium nomine Marcum, quem alio nomine dicebant Boamundum, consanguinitate adnumerata, Canonicis sanctionibus contrarius esse nolens, conjugium solvit; filiamque Gaimari Salernitani Principis Sigelgaytam nomine sibi in matrimonium copulavit.

CAP. XXXI.

Robertus Guiscardus super Guilielmum fratrem suum, antequam nuptias celebret, vadit.

ANno ab Incarnatione Domini 1058. hanc apud Salernum desponsatam, antequam convenirent, Rogerio fratri procurandam committens, ipse ut (44) Gisulphum fratrem suum Comitem Principatus in hæreditate illius firmaverat, quibus (45) ipsi plurimum infestus erat, dirutûm vadit: inde Melfam regressus, sollemnes nuptias celebravit.

CAP. XXXII.

Bellum apud S. Martinum cum Græcis à Rogerio fit.

QUibus expletis, Rogerius Guillielmo fratri, cum gratiarum actione Scaleam reddens, rogatus à Guiscardo in Calabriam vênit, Castrumque Melitense à fratre sibi hæreditaliter deliberatum habens, rebelles Calabros circumquaque impugnare cœpit. Quadam verò die cùm (46) Oppidum castrum obsideret, Episcopus Cassinianensis, & Giracii Præsopus, quem nos præpositum dicimus, maximo exercitu concitato, castrum, quod Sancti Martini dicitur, in Valle Salinarum oppugnatûm vadunt anno Dominicæ Incarnationis 1059. Quod cùm Rogerio nuntiatum fuisset, ab obsesso recedens, citato cursu, ubi eos esse audivit, advolat. Impetu facto, indeque quasi circumcingens, vix unum evadere permisit; de quorum spoliis, & equis, & armis omnes suos abundantes fecit. Quam ob rem Calabria, etsi non ex toto obediens, tamen à vicinitate ejus tremula, minùs eum prior irritare præsumebat.

CAP. XXXIII.

In adjutorium Gaufredi fratris Robertus Guiscardus, & Rogerius vadunt.

RObertus igitur Guiscardus rogatus à fratre suo Capitinatæ Comite Gaufredo, ut contra sibi reluctantes auxilium laturus in terra, quæ Gitium dicitur, quam, ut suos fines dilataret, debellare cœperat, veniret, in fratris sui Rogerii strenuitate plurimum fidens, ut ad se, secum illuc iturus, quamcitissimè veniat, invitat. Ille autem invitatione suscepta, & necessitate fratris sui cognita, quamvis suis utilitatibus disponendis occupatus esset, tamen quia sibi semper mos fuit, amicorum utilitatibus, uti suis subvenire, accuratissimè versùs fratris auxilium subvenire accelerat: sicque exercitu commoto, utrique in auxilium fratris aciem dirigentes, (47) Guillamatûm castrum oppugnantes capiunt: Galterio, qui castro principabatur, in Apuliam

(42) C. P. *visitari*.
(43) C. P. *Niclefoli*.
(44) *Gisulpho fratri puellæ ad votum ageret, duo castra, quæ Gulielmus*.
(45) *Ipse tamen*.
(46) C. P. *Oppium*.
(47) *Guilliniacum*.

Digitized by Google

liam captivum ducentes, oculos effodiunt: ne si oculos habens captione quandoque liberaretur, fratri iterum molestus fieret. Hic sororem quandam habebat, quæ cum ipso in captione abducta est; quæ etiam tantæ pulchritudinis esse testatur, ut si aliquando ad mare balneatûm veniisset, vel causâ experientiæ crura in aliquo piscoso flumine deponeret, pisces albedine ejus delectati adnatabant, ut etiam manu capi possent.

CAP. XXXIV.

Guillamato debellato utrique fratres Calabriam vadunt.

TUnc Comes Gaufredus (48) Guillamatum castrum adjutorio fratris adeptus, totam Teacinam provinciam debellare fortiter cœpit. Robertus verò Guiscardus cum Rogerio fratre in Calabriam secessit: ubi ad utilitatem suam, & fratris plurima disponens, & usque Rhegium prædatûm vadens, Rogerio in Calabria remanente, ipse in Apuliam hiematurus regressus est.

CAP. XXXV.

Robertus Guiscardus Dux efficitur.

HIeme verò transacta, magno desiderio Rhegium adipiscendi ardens, commeatu, & reliquis, quæ necessaria erant, magno studio præparatis, plurimoque exercitu anno Domini Incarnationis 1060. congregato, Calabriam vênit; fratremque secum accipiens, tempore, quo messes colligi incipiebant, Rhegium præoccupans obsedit. Porrò illis, quasi pro vita tuenda se se fortiter defendentibus, utrique fratres certatim suos cohortantes, ad oppugnationem castri excitant: unde cùm hostes interdum prosiliunt, multa militariter ab ipsis perpetrata sunt. Nam Rogerius ne alios ad militiam arrigeos, ipse refugere diceretur, in omni congressu se se sociis præponens, quendam fortissimum, & enormi corpore virum, exercitui Normannorum multis contumeliis exprobrantem, quem omnes quasi gigantem extollebant, impetu facto, hastili robore dejiciens interfecit. Hoc itaque taliter interfecto, reliqui, qui infra castrum erant, territi, cùm viderent machinamenta ad urbem capiendam parata, eamque usque perduci, viribus suis diffidentes, pactione facta, ut duobus, qui cæteris principari videbantur, cum omnibus suis abire liceret, cæteri omnes, urbe dedita, ditioni Normannorum se se subdiderunt. Abeuntes verò se se in castro, quod Scillacium dicitur, receperunt.

CAP. XXXVI.

Guiscardo apud Rhegium remanente, Rogerius castra Calabriæ expugnat.

IGitur Robertus Guiscardus, accepta urbe, diuturni desiderii sui compos effectus cum triumphali gloria Dux efficitur; magnasque gratias, cum meritorum recompensatione fratri, & reliquo exercitui, quorum auxilio tanti culmen honoris attigerat, referens, fratrem cum exercitu per urbes, & castra totius provinciæ, ut suo imperio subdantur, dirigit: ipse interim à labore se apud Rhegium recreans. Rogerius verò hujus artis non ignarus, sapienter exercitum ducens, brevi spatio temporis, nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo undecim famosissima castella lucratus est, in tantum, ut in tota Calabria nec unum castrum reluctari præsumeret, excepto solo (49) Xillano, quod illi tenebant, qui à Rhegio exierant.

CAP. XXXVII.

Qualiter Scyllacium captum fuit.

QUod Rogerius obsidens, cùm videret celeriter non posse capi, exercitum verò suum laboris tædio affici, castellum quoddam ante portam firmavit, militibus, qui Scillacium solicitarent, & his, quæ militibus necessaria erant, muniens, exercitum ad expeditionem solvit. Porrò illi, qui à Rhegio Scillacium ingressi fuerant, cùm viderent se nimiùm ab illis infestari, quos Rogerius in novo castro posuerat, nec diu ferre posse, de nocte navem ingressi, Constantinopolim aufugiunt. Scillacenses autem Rogerio arcessito, pacem Anno Domini 1060. facientes, castrum dedunt; sicque tota Calabria in conspectu Guiscardi Ducis, & Rogerii fratris sui sedata siluit.

CAP. XXXVIII.

Qualiter Serlo Tancredi filius à Normannia in Brittanniam pulsus sit.

SEd ne aliquis existimet illos, qui in Apuliam cum aliis fratribus non venerunt, minoris valentiæ à reliquis fratribus fuisse, & ideo in Normannia remansisse, de Serlone pauca dicenda sunt. Hic denique cùm in Normannia inter militiæ laudabiliores appretiaretur, à quodam potente injuriam passus, dum vindicari studet, illum interficit. Unde iram Roberti Comitis, filii Ricardi secundi, patris verò famosissimi Regis Anglorum Guilielmi ferre non valens, in Britanniam declinavit: ubi aliquandiu commoratus, omnium gratiam strennitate sua obtinuit; perque legatos pacem à Comite Roberto expetens, nec obtinens, multis incursionibus Normanniam lacessivit.

CAP. XXXIX.

De militia ejusdem Serlonis.

ET cùm quodam tempore idem Comes Robertus in confini Franciæ, & Normanniæ castrum, quod Taulerias dicitur, obsedisset, miles quidam Francigena à castro diatim exiens, & singulare certamen ab exercitu Normannorum expetens, multos prosternebat. Comes verò damnum suorum timens, omnibus interdixerat, ne aliquis illi obviaret: sic suis excusationem tribuens, ut, cùm quod periculosum erat, refugerent, non hoc jam timori, sed Principis interdictioni ascriberent. Quod cùm Serloni in Britannia, ubi tunc temporis morabatur, relatum fuisset, ignominiam populi sui non ferens, duobus tan-

(48) *Guilliniacum.*

(49) C. P. *Scyllacio.*

Digitized by Google

tantùm armigeris comitatus Taulerias vênit: ſummo diluculo ante portam ſingulare certamen offerens, de equo haſta innixus expectat. Porrò ille, qui alios dejicere ſolitus erat, indignatus, cum maximo furore ſplendidus in armis, ferventi equo advolat; quis ſit, requirit, ut à loco recedat, vitam tuendo hortatur. Illo nomen revelante, ſed à loco recedere nolente, dum fortiter congreditur, aliorum proſtrator forti haſtili proſternitur. Serlo pluribus utriuſque partis aſpicientibus, non tamen quis eſſet, ſcientibus, victor ad gloriam Normannorum efficitur. Sicque caput abſciſſum lanceæ ſupponens, per medium ſuæ gentis caſtrorum, nulli verbum faciens, in Britanniam redire accelerat. Comes ergo legatum mittens, quis nam ſit, perſcrutari jubet; & ut ad ſe veniat præcipit. Sed cùm renuntiatum fuiſſet hunc Serlonem filium Tancredi eſſe, & à Britannia causâ imperii à populo ſuo propellendi veniſſe, ſe autem iram Principis, quia infenſus erat, declinare; & patriâ, quamvis penurioſum, libenter, donec Principis ira ſedetur, dum ipſe juſſerit, exulare. Comes pietate motus, & tanto viro ulteriùs carere nolens, ad ſe jubet accerſiri. Venienti occurrit, gratiam ſuam indulget, oſculo ſecurè reddit, quæ habita amiſerat reſtituit; uxori, cui plures poſſeſſiones competebant, auget; inter ſibi familiariores retinet.

CAP. XL.

De Tancredo, & Apro.

DE Tancredo verò tantorum filiorum patre, aliquid memoria dignum dicere, nec abſurdum eſt. Tempore quippe juventutis ſuæ, militaribus exercitiis deditus, & diverſarum regionum, & Principum curias perluſtrans, multa ſtrenuæ laudis avidus agendo, cum ipſa laude, & plurima lucratus eſt. Cùm autem eſſet in familia Comitis Normannorum Ricardi ſecundi, qui quartus à Rhollo Duce fuit, quadam die idem Princeps venatûm pergens, tali enim exercitio, ut mos eſt divitibus, non minimùm delectabatur, aprum mi-

A

B

C

D

ræ enormitatis, quem Singlare dicunt, movit. Erat autem ſibi mos, ſicut & pluribus aliis potentibus eſt, ut venationem, quam ipſe moveret, nullus præter ipſum occidere præſumeret. Porrò canibus aprum velociùs inſequentibus, cùm Comes præ opaca denſitate, ſpinoſis ſaltibus tardiùs inſequeretur, canibus infeſtioribus aper timens à fine lacerari, rupe quadam inventa, ipſa pro muro à cauda utitur, & dentoſum caput ad ſe tuendum canibus offert. Sicque canibus venatoris auxilio deſtitutis, cùm jam aper de ipſis ſpumante dente multas ſtrages faceret, caſu Tancredus ſupervenit; viſaque ſtrage moloſſorum, quamvis morem Principis non ignoraret, tamen ſuccurrendum canibus accelerat. Aper verò ipſo viſo, canibus ſpretis firmo impetu ſuper eum irruit. Sed Tancredus cùm eſſet fortis viribus, audaci enſe illum ſuſcipiens, non quidem illum ictu feriendo, ſed acuto mucrone per duriſſimam frontem uſque ad præcordia impingendo, capulum fronti adjunxit: nihil ex longiſſimo enſe præter capulum extra corpus apri remanente. Sicque dejecto enſem in fronte linquens, ipſe, ne à Comite hoc feciſſe deprehenderetur, longiùs avulſus eſt. Comes verò veniens aprum mortuum miratus, utrum vulnus aliquod habeat, ſocios luſtrare jubet; deprehenſoque enſe adhuc in fronte defixo, impulſum miratur, cujus enſis ſit requirit; ne ſe hujus facti actor celet, ita condonatur. At cùm à Tancredo factum deprehenſum fuiſſet, à Comite, & cæteris omnibus plurima laude extollitur; & cùm antea in pretio fuerit, majori deinceps habitus eſt; & (50) dudum poſtea in curia Comitis decem milites ſub ſe habens ſervivit. Nunc verò quia non quidem omnia, quæ memoranda forent, ſed pauca, quæ famâ didicimus ab ipſis fratribus in Apulia, vel certè Calabria facta, quamvis ruſtico ſtylo exaravimus, ad ea, quæ apud incredulam Siciliam geſta ſunt (51), qualiterve diu rebellis ſubjugata ſit, intentionem vertamus. Ita tamen, ut cùm opportunitas expetierit, illa, quæ (52) poſtea in Apulia, vel Roma, ſive Græcia facta ſunt, ſuo (53) in loco oblivione non prætereantur.

(50) *demum*.
(51) *qualiter ne*.

(52) *quæ priùs in &c.*
(53) *ſuo loco oblivioni non prætereunte*.

Explicit Liber Primus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

SI (1) quæritur quòd Calabria, vel Apulia jam ex parte, non autem ex toto, quantùm ad ea, quæ in eis facta ſunt, deſcriptis, apud Siciliam deſcribentes (2) tranſeamus, iterum quaſi digreſſionem facientes (3) deſcribenda ſuum locum, quantum ad tempus, quo facta (4) ſunt, exigit rationis ſeries recto tramite (5) textatur; ut quæ priora facta ſunt, (6) præcedant: quæ verò poſteriora ſubſequendo ſcribantur. Comes enim Rogerius, cùm primùm Siciliam debellaturus egreſſus eſt, quæ apud Calabriam habebat non deſeruit: ſed cùm opportunitas exigebat, exercitu in Siciliam interim dimiſſo, ipſe ad ſua negotia diſponenda redibat; multotiens etiam Duci fratri auxilium laturus, vel certè in majoribus, & dubiis rebus conſilium daturus, ut ſtrenuus miles, & vir magni conſilii, in Apuliam uſque tranſibat.

CAPUT PRIMUM.

Comes Rogerius primùm Siciliam intrat.

ELegantiſſimus igitur juvenis Comes Calabriæ, cùm apud Rhegium cum fratre Duce, totâ Calabriâ debellatâ moraretur, Siciliam incredulam audiens, & breviſſimo mari interpoſito ex proximo intuens, ut ſemper dominationis avidus erat, ambitione adipiſcendi eam captus eſt; duo ſibi proficua deputans: animæ ſcilicet, & corporis ſi terram Idolis deditam ad cultum divinum revocaret; & fructus, vel redditus terræ, quos gens Deo ingrata ſibi uſurpaverat, ipſe in Dei ſervitio diſpenſaturus, temporaliter poſſideret. Hæc ſecum animo revolvens, eorum, ad quæ animum intendebat, non tardus executor, cum ſexaginta tantùm militibus, periculoſiſſimo, quamvis brevi pelago inter Scyllam, & Charybdim navaliter ſe ſe committens, Siciliam explorat: & gentis ſuæ militiam tentatûm tranſmeando vadit. Eſt portui, quò applicuerunt, populoſa civitas proxima: quæ à meſſe vocabulum trahens, eo quòd totius regionis meſſes, quantum Romanis in tributum antiquitus perſolvebatur, illuc congregari ſolebat, Meſſana vocata eſt. Hujus urbis cives, quorum plurima multitudo erat, hoſtes ſuos fines pervaſiſſe cognoſcentes, plurimùm indignati, maximè quòd paucos numero videbant, urbis portas maximo impetu proſilientes, ipſos occupatûm vadunt. Porrò Comes, ut ſemper aſtutiſſimus, & militia callens, primò timore ſimulato, cùm eos longiùs ab urbe ſeduxiſſet, impetu facto, acerrimè ſuper eos irruens, in fugam vertit. Sicque extremos quoſque cædendo, uſque in portam civitatis, longo reditu fugientibus viſus odibilis comminator, reduxit. Spoliis itaque, & equis illorum, quos dejecerat, acceptis, naves ſuas ingreſſus, Rhegium remeat, ad ducem fratrem ſuum.

(1) *Quæratur quare.*
(2) *Tranſimus.*
(3) C P. *Ad eundem ſtylum reducturi, ſciendum eſt quod unaquæque res deſcribenda.*
(4) *Eſt.*
(5) *Teſtatur.*
(6) *Additur ſubſequenda.*
(7) C. P. *Reſarciens.*

CAP. II.

Dux Robertus Rhegium, & totam Calabriam procurandam delegat; ipſe in Apuliam vadit.

DUx deinde Robertus cum Comite Rogerio fratre ſuo in Apuliam hiematurus, regreſſus eſt: ubi quia jam aliquantulum temporis tranſierat, ex quo abinde receſſerat, res ſuas quaſi ab acumine obtuſas, & minùs ordinatas inveniens, tota hieme conſilio prudentiæ ſuæ (7) refortiens, ad integrum reparavit: Apulienſeſque Principes de noviter adepto ducatu ſibi congaudentes pluribus donans, de expeditione versùs Siciliam in proxima futura æſtate facienda permonuit.

CAP. III.

Becumen Almiraldus Siciliæ à ſuis expulſus ad Rhegium Comitem convenit.

ROgerius verò Comes, Duce relicto in Apulia, Rhegium in prima ſeptimana ante quadrageſimam remeavit: ad quem (8) Becumen Admiraldus Siciliæ (9) à Belcamedo quodam principe prælio fugatus, eo quòd maritum ſororis ſuæ, honeſtum ſuæ gentis juvenem, vocabulo (10) Benneclerum occiderat, apud Rhegium profugus vênit, Comitem versùs: impugnationem Siciliæ multis exhortationibus incitans.

CAP. IV.

Conſilio Becuminis Comes Rogerius iterum in Siciliam vadit.

DE cujus adventu Comes non minimùm gaviſus eum honorificè ſuſcepit, ejuſque conſilio, nec dum hieme tranſacta, hebdomadâ videlicet proximâ ante Quadrageſimam, cum centum ſexaginta militibus, ipſum (11) Becumen ſecum ducens, Pharumque ad Clibana tegularum tranſiens, Siciliam invadit. Dumque Becumene, qui ad ſe transfugerat, ductore, versùs Melacium iturus, de nocte, haud longè à civitate Meſſana tranſiret, obvium habuit quendam Saracenum, militiâ inter ſuos nominatiſſimum, fratrem ſcilicet (12) Bennecleri, pro cujus occaſione Becumenà Sicilia ejectus fuerat. Hic nempe cùm in præcedenti veſpere perſenſiſſet, Comitem armata manu Siciliam intraſſe, militia ſua plus neceſſario præſumens, à Meſſana progreſſus nocturnus hoſtis, ut ſibi aliquod militare nomen, in damno hoſtium adquireret, tentatûm ibat. Comes verò Rogerius inermis excepto clypeo ſolo, & enſe, quo accinctus erat, armiger namque cum armis ſubſequebatur, ſocios præcedebat oculos intentiſſimè circumquaque ducens. (13) Dumque illum adven-

(8) *Betumen.*
(9) *Ab Elcarmedo.*
(10) *Beueclerum.*
(11) *Bittumen ſecum, eo quòd patriam ſciebat, ducens: Pharumque ad Clibanum.*
(12) *Benemencleri.*
(13) *Dum illum advenientem.*

Digitized by Google

ventantem sub pallore Lunæ deprehendisset, perlongum ducens ab armigero arma recipere, ne forte, si etiam ille sub umbra viseret, aufugeret, impetu facto, solo ense super eum irruens, unoque ictu medium corripiens, secavit: de corpore duabus partibus factis, equumque, & spolia cuidam suorum dedit. Inde Melacium, & Rametam usque pertransiens, plurimum prædæ accepto, ad tres (14) batus, juxta (15) Pharum, qui Praroli dicitur, hospitaturus rediit in crastinum ad (16) ultimas aquas usque prodiens, prædâ, quam acceperat, Rhegium (17) deferendâ navibus.

CAP. V.

Comes Rogerius cum Messanensibus prœliatur.

POrrò Messanenses putantes jam, quibusdam naves ingressis, se illos, quasi semipartitos posse faciliùs occupare, equitatu, & peditatu omnes urbe egressi, invadere vadunt. Verùm quia ventus contrarius erat, nullus armatorum naves intraverat. Comes verò cognoscens eos versùm se adventare, Serlonem nepotem suum, videlicet Serlonis fratris sui filium cujus superiùs in fine primi Libri mentionem fecimus, ne si fugere, sicut & fecerunt, vellent, liberiùs possent, sic præmissum, ipse velociùs subsecutus, dum fugere nituntur, ita intercepit, ut vix ex tanta multitudine evaserit.

CAP. VI.

Mare turbatum sedari Comes Rogerius voto obtinuit.

MEssanensibus suorum (18) vulnera flentibus, Comes penes civitatem transiens, in Insula S. Hiacynthi, haud longè ab urbe, hospitatûm vadit: summoque diluculo Messanam, quasi viribus exhaustam oppugnare vadit. Sed Messanensibus, quamvis paucis, qui adhuc supererant, cum ipsis mulieribus armatis, turres, & propugnacula, seseque certatim, ut pro vita, defendentibus, Comes, ne Sicilia tali facto excitata super eum irruat, ad tentoria sua rediens, de transitu versùs Rhegium tractare cœpit. Mare verò turbatum cùm periculosum transitum ostentaret, Comes sapienti usus consilio, totam prædam, quam ceperat, (19) S. Andronio, ad Ecclesiam suam reædificandam juxta Rhegium, dandam proposuerat. Destructa quippe erat noviter. Sicque meritis ejusdem Sancti, ut credimus, aura prosperè flante, mare sedatum sese transmeabile præbens, impunè transire permisit.

CAP. VII.

Quòd præda super paganos accepta Deo in sacrificium ingrata non sit.

NE videatur hoc factum, quòd prædam Deo obtulerunt, contrarium Canonicis sanctionibus, propter illud, quod dicitur, *qui immolat victimam ex rapina, vel ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris*: cùm hoc potissimum accipiendum sit dictum de substantia (20) pauperis Christi, de quibus & alibi dictum est, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum* (21), non esse scimus, qui Deum nec ore, nec corpore confitetur (22). Sed quod aufertur, Deo (23) offerre, haud absurdum videtur, nam acceptis (24) ingrati utuntur, à quibus ipse largitor non cognoscitur. (25)

CAP. VIII.

Panormitani, ut nostris transire volentibus prohibeant, in Pharum navigio veniunt.

COmes igitur Rogerius toto mense Martio, & Aprili per Calabriam utilitates prudenter ordinans navibus, & reliquis necessariis commeatibus expeditionem iterum versùs Siciliam certatim parat. Majo itaque intrante Dux ab Apulia cum maximo equitatu Rhegium veniens, etiam navalem exercitum per mare venire fecit. Belcamuer verò Almiraldus Siciliæ audiens expeditionem versùs Siciliam apparari, naves, quas (26) Cattos appellant, quæ hostium transitum impediant, à Panormo in Pharum mittens, per aliquot dies hostes transire impediunt. Nam quamvis noster navalis exercitus plurimus esset, eorum tamen amplior, & fortioribus navibus (27) erat. Nostri (28) denique tantummodo abundantior Germandos, & Galeas, Sicilienses (29) verò Cattos, & Golafros, & Dormundos, sed & diversæ fabricæ naves habebant.

CAP. IX.

Nostri transitum sibi turbari videntes. adjutorem implorant.

DUx ita sibi transitum turbari videns, cum fratre Comite, & sapientibus accepto consilio, divinum invitat auxilium. Exercitui, ut Sacerdotibus confiteantur, & pœnitentiâ acceptâ omnes communicent, indicit. Ipse cum fratre, si terra divino auxilio illis tribuatur, se se deinceps Deo devotiores futuros, voto promittunt: certa fide in mente retinentes quod scriptum est: *in omnibus negotiis tuis Deus adjutorem tibi assume, & habebis prosperos effectus*: &, quia non est consilium contra Dominum: &, quòd nulla proficiendi difficultas est, ubi Spiritus Sanctus cooperator adest: in omnibus, quæ facere disponebant, Deum ordinatorem, fortiorem gubernatorem lachrymabili compunctione cordis implorant.

CAP.

(14) *Lacus.*
(15) *Caroli dicuntur.*
(16) *Ad dulces aquas.*
(17) *Deferendum navibus ponunt.*
(18) C. P. *Funera.*
(19) *S. Antonio.*
(20) *Pauperum.*
(21) *Istis verò, quorum Regnum Cœlorum.*
(22) *Si quid.*
(23) *Afferre absurdum non est.*
(24) *Ingratis.*
(25) *Et cætera.*
(26) *RocKilias.*
(27) *Habundantior.*
(28) *Namque tantum.*
(29) *Kocleas, & Galafros.*

Digitized by Google

CAP. X.

Comes, nescientibus hostibus, de nocte transiens Messanam capit.

COmes itaque Rogerius videns hostes ex altera ripa contra suum exercitum adjacere, & nusquam promoveri, ad callida argumenta, ut solitus erat, ac si legisset; *quid refert, armis contingat palma, doliove*, convertitur, consiliumque Duci dedit, ut ibidem cum exercitu remanens se se hostibus ostentaret: ipse interim cum centum & quinquaginta militibus Rhegium usque progrediens, navibusque sibi abinde, sub nocturna umbra, contraductis, mare, nescientibus hostibus, transiens, Siciliam invaderet. Duce verò, timore amittendi fratrem, hoc negante, & dicente se nil per fratris mortem lucrari velle, sed potiùs fratris vitam omni lucro præponere, Rhegium præmissis navibus ipse Comes cum trecentis militibus subsecutus, ut semper militia præsumptuosus, & magnarum rerum attentator, mare (30) incautus hostibus impunè transiens, ad locum, qui communiter (31) Monasterium dicitur, applicuit, navesque remittens, ne fortè aliquis suorum ad illas refugeret, Messanam oppugnatûm vadit; quam inermem inveniens, nam jamdudum defensores ejus peremerat, urbe capta, turres, & propugnacula ejus diruit: quos invenerunt interfectis, quibusdam verò ad Panormitanas naves transfugientibus, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo.

CAP. XI.

Sarracenus quidam sororem fugientem deficientem interfecit.

INter quos & quidam juvenis, de nobilioribus Messanæ urbis civibus sororem habens pulcherrimam, dum fugiens secum adducere nititur, puella, ut tenuis virguncula, & debilis naturæ, laboris expers, timore, & insolito cursu deficere cœpit. Frater ad fugam dulcissimè verbis excitans, dum minimè proficit, viribus exhaustam videns, ne inter Normannos remanens, ab aliquo eorum corrumperetur, gladio appetens interfecit. Et quamvis præ dulcedine, langoris sororis lachrymis perfunderetur, unica enim erat, maluit sororis interemptor fieri, & mortuam flere, quàm soror legis suæ prævaricatrix fieret, & ab aliquo lege sua non contento stupraretur.

CAP. XII.

Panormitani se elusos cognoscentes recedunt, Dux liber transit.

POrrò Panormitani, urbe capta, se delusos ab hostibus cognoscentes, timentes ne fortè tum mare turbatum, si illic diutiùs morarentur, eos ad terram cogeret, & ab hostibus opprimerentur, confusi, vela, unde venerant, direxerunt. Ipsius verò urbis captæ claves Comes Rogerius ad Ducem transmisit; mandans ei, quatenus securè navigando acceleret ad se. Sicque mari hostibus purgato, patenti absque periculo transitu, Dux cum omni exercitu placito cursu transmeans, Messanam vênit, fratremque sanum inveniens, non minimùm congavisi sunt.

CAP. XIII.

Dux, & Comes pro libito suo Messanam ordinantes, Rametam obsessûm vadunt.

REbus itaque suis per octo dies sapienter dispositis, & urbe pro velle suo firmata custodibus diversis, equestri exercitu apud Messanam relicto, versùs Rametam utrique fratres intendunt. Rametenses autem dudum cognito, in parva manu hostium eorundem, maximam multitudinem Messanensium bellatorum occubuisse, ne quid simile sibi accidat, advenientibus hostibus, obviam territi legatos, qui pacem postulent, mittunt, urbemque, & se ipsos ditioni dantes, libris superstitionis legis suæ coram positis, juramento fidelitatis firmant.

CAP. XIV.

Christiani de Valle Deminæ Comiti, & Duci munera offerunt.

INde de prospero eventu, cum maxima lætitia recedentes, & debilitate gentis cognita, audaciores sub Scabatripoli hospitium sumunt. Inde in crastinum ad Fraxinos perveniunt, ab Fraxinis ad Maniaci pratum. Hîc Christiani in valle Demina manentes, sub Saracenis tributarii erant. De Christianorum adventu gavisi illis occurrerunt, multaque enxenia, & donaria obtulerunt. Hoc excusationis contra Saracenos assumentes, non quòd causa amoris, sed ut se ipsos, & quæ sua erant, tuerentur, hoc facerent; fidelitatem verò suam illis inviolabilem se servaturos. Fratres verò utique eos, cum maxima dulcedine suscipientes, multa beneficia se illis collaturos, si terra à Deo sibi concedatur, promittunt. Sic in pace dimissis, ipsi Centurbium usque pertendunt.

CAP. XV.

Dux, & Comes Centurbiam oppugnant.

SEd Centurbienses, quamvis strenuitatem eorum non ignorarent, mori non abhorrentes, cùm nullo modo servire volunt, in defensione urbis & sua propugnacula armant. Nostri verò fortiter oppugnantes, civitatem, cùm viderent suos à fundibulariis, & sagittariis vexari, & sinè detrimento suorum versùs urbem nil se posse proficere, ab oppugnatione desistunt: maximè cùm in proximo sibi à Saracenis bellum imminere audiebant, contra quos suos, ne vexarentur, vel numero diminuerentur, reservabant.

CAP. XVI.

Nostri à planicie Paternionis super fluvium Guedetam castrametati sunt.

SIc Centurbio relicto, in planicie Paternionis castrametati, tentoria figunt. Visaque planicie spatiosa, aptum locum ad præliandum judicantes, per octo dies illuc morati

(30) C. P. *incautis*.

(31) *trium*.

rati sunt, volentes, ut à Saracenis inibi sibi prælium disposítum offerretur. Sed cùm à speculatoribus Becuminis Saraceni, qui apud Rhegium ad Comitem transfugerat, & illos fidus comes, & ductor comitabatur, didicissent bellum necdum in promptu haberi, interiùs progredientes, apud S. Felicem, juxta cryptas subterraneas hospitati sunt, quas oppugnantes maxima ex parte cœperunt, pluribus ex inhabitantibus interemptis. Inde progressi ad molendina, ante Castrum Joannis, in ripa fluminis, quod linguâ eorum Guedeta dicitur, quod Latinè resolutum fluminis paludis interpretatur, castrametati sunt.

CAP. XVII.

A nostris cum Sarracenis prælium efficitur.

BEchamet igitur numerosa Africanorum multitudine, & Sicilienſium coadunata, bellum, quod diu disposuerat, hostibus offert, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimoprimo. Porrò Dux exercitum semipartiens erant enim tantummodo septingenti, & ex ipsis duas acies ordinans, unam fratri, ut priori, sicuti sibi moris erat, ut hostem feriat, delegat: ipse cum altera suos alacriter verbis exhortando, subsequi non tardat. Similiter Bechamet, cùm quindecim millia armatorum haberet, tres acies instituit, cum quibus primò quidem audacissimè hostibus occurrens, certamen iniit. Porrò nostri in primo, ex more, congressu fortiter agendo, plurimos sternentes, reliquos in fugam vertunt, quos cædendo, versùs Castrum Joannis persequentes, usque ad decem millia occiderunt. Sicque victoriam adepti, spoliis quidam sunt ditati in tantum, ut qui equum unum in prælio perdiderit, pro uno decem recipiens, consimili lucro, ad similem exercitum accedere non dubitaret. In crastino enim propiùs castrum progredientes, ad lacum, qui est inter Castrum Joannis, & (32) Irancuum sola nocte hospitati, die sequenti, in monte qui Calataxibet dicitur, tentoria figunt. Sed quia mons strictior erat, & minùs ad hospitandum exercitui sufficiens, ad planiciem Fontium transierunt. Comes verò Rogerius quietis impatiens, & laboris assiduus, trecentos juvenes secum ducens usque Grigentum prædatûm, & terram inspectûm vadit: totam Provinciam, incendio concremando devastans. Cùm redit spoliis, & præda totum exercitum abundanter replevit. Per mensem itaque ibi perdurantes, totam Provinciam diversis incursionibus lacerantes afflixerunt: sed Castro Joannis minimè prævaluerunt. In ipso anno Dux Castrum Marci fecit.

CAP. XVIII.

Propter vicinam hiemem expeditio solvitur, & Christiani Trainam dedunt.

HIemem itaque vicinam prævidentes expeditionem solvunt: Becuminem verò in sua fidelitate apud Catanam, sui enim juris, dimittentes, qui Siciliam interim lacessat, ipsi Messanam, militibus, qui eam custodiant, & his, quæ militibus necessaria forent munientes, Pharo transmeato, Dux quidem in Apuliam hiemandi gratiâ, secessit, Comes verò in Calabria remanet. Media verò hieme, intra Natale Domini, cum ducentis quinquaginta militibus iterum mare transiens, usque ad Grigentinam urbem totam patriam sollicitans, prædatûm vadit. Christiani verò provinciarum sibi cum maxima lætitia occurrentes, in multis obsecuti sunt. Inde Trainam adveniens, à Christianis civibus, qui eam incolebant, cum gaudio susceptus urbem intrat: pro velleque suo ordinans, ibidem Natale Domini (33) celebrant.

CAP. XIX.

Comes Rogerius uxorem ducit.

SIc legatus quidam à Calabria veniens nuntiavit Abbatem Robertum S. Euphemiæ à Normannia (34) à Delicia sorore sua, nepte Normannorum (35) Comitum ad nita mandare sibi, ut acceleret versùs nuptias celebrandas. Quod Comes audiens, multùm exhilaratus erat. Denique ex multo tempore eam cupiens, speciosa quippe, & præclari generis erat, quanto celeriùs potuit, versùs Calabriam repedans, diu cupitam puellam visûm ire accelerat. Venienſque in vallem (36) Salinarum, apud S. Martinum puellam legitimè desponsatam, Melitum cum maximo musicorum concentu deducens, illuc sollemnes nuptias celebravit.

CAP. XX.

Comes ergo nuptiis celebratis in Siciliam vadit.

QUibus consummatis, aliquandiu cum uxore commoratus, quò animum intenderat, oblivisci minimè potuit; sed exercitu apparato, Rogerium (37) armigerum secum ex parte ducens, juvenculâ in Calabria dimissâ, iterum Siciliam invadit: nullis persuasionibus lachrymantis uxoris detentus. A Catana itaque Becumine Saraceno per legatum arcessito, secum ducens Petrelegium obsessûm vadit. Porrò cives ex parte Christiani, & ex parte Saraceni, consilio invicem habito, pacem cum Comite facientes, castrum, se seque ditioni suæ dederunt. Comes verò castrum pro libito sub firmans, militibus, & stipendiariis muniens Trainam vênit, quam similiter muniens, Becuminem, ut Siciliam lacessitûm, & ad suam utilitatem applicatûm vadat, exhortatus, in Calabria, se desideranti, & de salute ipsius sollicitæ uxori sese repræsentans, de adventu suo non minimùm lætificavit.

CAP. XXI.

Comes à Duce irato animo recedit.

CAstrum itaque nullum in sua, à fratris potestate, excepto solo Melito, habens, à fratre, ut quod sibi promiserat, quando ab Scalea ab ipso invitatus ad invicem reconciliati sunt, medietatem videlicet totius Calabriæ impertiatur, maximè quia juvenculam uxorem exinde, utpote puellam, tam præclaris

(32) C. P. *Naurcium.*
(33) P. C. *celebravit.*
(34) *in dicta.*
(35) *Comitis adducta.*
(36) C. P. *Salmarum.*
(37) *Haurigum.*

Digitized by Google

ris ortam natalibus, decenter dotare volebat, requirit. Dux autem quamvis pecuniâ largus, in distributione quidem terrarum aliquantulum parcior erat ; fratremque per ambages differendo protrahebat. Porrò Comes fratris calliditatem animum advertens, ne diutiùs fallaciis passi sustinens, per meliores totius Apuliæ (38) ad rationem ponit, quod sibi promissum fuerat expetens : (39) atque nec ita proficit, (40) fœdereque inter se rupto, irato animo à fratre recedit, Melitumque veniens castrum viriliter firmavit : (41) optimosque milites undecumque sibi, in fratris damnum (42) ducens. Sed quamvis erga se fratrem (43) suum agere patulum esset, legalitatem tamen suam servans, per quadraginta dies à fratris injuria abstinuit ; ne si fortè infra hunc terminum erga se respiceret, ipse, qui de injuria conquerebatur, potiùs injurius haberi (44) vindicaretur : malens hujus dissensionis injuriosam culpam in fratrem potiùs, quàm in se retorqueri.

CAP. XXII.

Becumen in Sicilia occiditur.

BEcumen verò per Siciliam vadens, sicuti à Comite rogatus, quosque poterat, ad fidelitatem nostræ gentis applicat : quibus verò minùs persuadere poterat, ipsos impugnationibus vexare non desistebat. At cùm versùs castrum (45) Antulium, quod quondam suum fuerat, debellandum properaret, Nichel quidam potentior, castri quondam ejusdem Becuminis miles, in dolo verba pacifica mandans, ut cum paucis à suis semotus, Antulienses, quasi reconciliari volentibus, loco determinato locutûm veniat, mandat. Ille verò, quia jam plurima beneficia illis jamdudum, cùm secum bene erant, contulerat, minùs fraudem suspicatus, quò, & qualiter sibi mandabatur, venire non distulit. Antulienses itaque consilium venenoso corde Duce Nichele conceptum reperientes, equum ejus primitus spiculo transfigunt, ne sessor, ut sibi primò vulnus datum foret, fraude intercepta, equo sano liberiùs cum vulnere aufugeret. Sicque equo dejecto ipsum etiam in terra confodientes, cum sanguine ultimum vitæ flatum exhalare fecerunt. Quod audientes Normanni, qui apud Trainam, & Petrelajam ad castra, à Comite deputati erant, maximè turbati, ejus enim nomine præsidia quammaximè tuebantur, castris relictis, Messanam ad tuendum vadunt.

CAP. XXIII.

Dux fratrem Comitem apud Miletum obsessûm vadit.

DUx verò fratrem à se recessisse iratus, exercitu congregato, eum apud Melitum obsessûm vadit, anno Incarnationis Dominі 1062. Comes autem, quamvis tunc temporis typo febrium gravaretur, apud Geracium enim quibusdam negotiis se illuc vocantibus erat, ubi insolito aëre corrupto, ipse nihilominus infirmatus, quosdam suorum amiserat, tamen fratri, ut hosti venienti, in monte, qui S. Angeli dicitur, acerrimè occurrit ; multisque ex fraterna acie hastili robore, militari congressu dejectis, ne in ipso monte, vel certè in adjacenti, qui Mons-Viridis dicitur, castrum, sicut disposuerant, figant, impetu facto longiùs arcet. Urbe itaque obsessa, ex utraque parte ambitio laudis, & juvenilis ætas plures ad militiam exercendam impellebat ; unde cùm plures militaliter progrediuntur, juvenis quidam Arnaldus nomine, ex parte Comitis, gener quippe suus, & frater juvenculæ uxoris erat, vir militaribus exercitiis aptus, dum dejicere tentat, dejectus, quod dolor est dicere, occubuit. Unde permaximus dolor, & planctus, non solùm his, quibus adjutor erat, verumtamen his, qui à foris impugnabant, excrevit. Ac dum soror cum multa lamentatione exequias celebrans, funus, ut decebat, exequitur, Comes, qui non minùs sorore dolebat, in vindictam exardescens juvenis, congressu in hostem facto, multos militaliter sternens interimit. Dux itaque videns talibus congressionibus suos quotidie vexari, & minùs proficere, duo castella ante urbem firmavit ; putans fœdio, & fame sic eos faciliùs posse affici. Comes verò ipsa castella quotidie lacessens, cùm Ducem in uno esse sciebat, alterum oppugnabat : cùm verò ad id succurrendum venire videbat, illo relicto per medium civitatis ad aliud transibat ; sic assiduè certamen localiter alternans.

CAP. XXIV.

Comes Geracium traditione capit, & Dux apud Giracium capitur.

NOcte verò quadam Melitum cum centum militibus exiens Geracium vênit : urbemque sibi ab incolis traditam ingressus, in suos usus aptavit. Quod Dux audiens, maxima ira repletus, castella, quæ ante Melitum firmaverat, militibus muniens, cum toto exercitu versùs Geracium, extrà urbem tentoria fixit. Geracenses quidem sibi jamdudum fidelitatem juraverant, non tamen urbem, ut pro libito suo uteretur, reddiderunt ; ne si fortè castellum in ipsa firmaret, pro velle suo omnes prorsus subjugatos haberet. Dux verò quendam de potentioribus urbis notum habens, nomine Basilium, ab ipso ad prandium invitatus, capucio capite cooperto, ne fortè quis esset, perciperetur, urbem ingressus, ad palatium illius solus comestûm vadit. Quo ingresso, dum nil mali suspicans, nec dum cibo parato, colloquiis Melitæ uxoris illius, qui se invitaverat, uteretur, urbicenses per quendam famulum domus, Ducem infra urbem esse cognoscentes, traditionem suspicati, non minimùm turbantur. Undique concurrentibus tota urbs tumultuatur, omnesque in arma ruentes, ad domum in qua erat, cum furenti impetu illum extrahere vadunt. Ille verò, qui Ducem invitaverat, impietatem concivium suorum cognoscens, & viribus ad restituendum diffidens, dum versùs Ecclesiam profugus, vitam tueri nititur, patrio ense confossus occubuit. Uxor quoque ejus, cum tanta impietate à suis civibus attractata est, ut

(38) *mittens ad &c.*
(39) *ac cum.*
(40) *fœdere quod inter se habebant.*
(41) *optimos quoque.*
(42) *conducens.*
(43) *injustum.*
(44) C. P. *indicaretur.*
(45) *Antelium.*

Digitized by Google

ut ſtipite, ab ipſo anno, uſque ad præcordia transfixa inhoneſta morte vitam terminare cogeretur. Quo viſo, ſi Dux de vita deſperavit, mirandum non eſt, præſertim cùm videbat civem, à civibus, amicum, ab amicis, prælatos, à ſubditis abſque recordatione alicujus præcedentis beneficii, cum tanto furore, crudeli enſe perimi. Stat inter furentium hoſtium minantia tela miles inermis, quondam multorum millium hoſtium debellator: leoninam ferocitatem, quæ ſibi quaſi quodammodo innata erat, in agninam transferens manſuetudinem. At cùm videret ſapientiores quoſque, ita qui exitum rei prænotabant, ad hoc inniti, ut inordinatum furorem indoctioris vulgi, & minùs proſpicientis quid damni, quidve lucri, ſi occideretur, proveniret, animo aliquantulum reſumpto, talibus eos verbis alloqui adorſus eſt: Nolite, inquit, nolite ſuperabundantiori lætitia fallaciter extolli; ne rotalis fortuna vobis ad præſens arridens, mihi autem adverſa, arriſione ſua vobis indicium prænotet in futurum habendæ adverſitatis, cùm nulla poteſtas abſque divina diſpoſitione nemini attribuatur. Quo judicio in me poteſtatem habeatis, apud vos ipſos reputando conferte. Nec enim veſtris viribus præſens eſſe perductus ſum: ſed neque ego, ut vobis aliquid mali machinaretur, ingreſſus ſum. Vos quidem mihi fidelitatem feciſtis: ego verò quod pactum vobis promiſi, in nullo me violaſſe cognoſco. Sed fortè iſtud vobis ad utilitatem veſtram, aut experientiam contigit, ut veſtra fidelitas, cujus ſtabilitatis ſit, à nobis cognita, vos nobis gratioſiores, & præmio digniores præſentet. Tot millibus hominum uni ſoli caſualiter, non autem militaliter circumveniendo, intercepto fœdere, mentito, & abſque diſſenſione vitam auferre, nulla laus eſt. Sed neque, ut reor, quantum de me vobis aliquid proficuum. Mors enim mea, jugum gentis meæ non aufert, ſed in vindictam meam vobis infeſtiores exardeſcent. Sunt denique mihi fideliſſimi milites, ſunt fratres, ſunt conſanguinei, quibus, ſi perjurando vos manus veſtras meo ſanguine polluerit, nulla ratio reconciliare poterit; ſed & ubicumque terrarum hoc à vobis factum perſonuerit, opprobrium ſempiternum, propter perjuria, cum omni ſucceſſione generis veſtri incurretis, præſertim ſi ſinè diſcutione, aliquod præjudicium perpeſſus fuero à vobis. Talibus verbis, faventibus ſibi ſapientioribus urbis, ignobile vulgus tumultu ſedato, Ducem in captione, donec quid de ipſo faciendum ſit, conſilium capiant, ponunt.

CAP. XXV.

A militibus Ducis Comes, ut fratri ſuccurrat, invitatur.

EXercitus itaque Ducis, qui extra portam tentoria fixerat, audito (45) Ducem tali infortunio in (47) captionem detruſum, undique turbati, dum quid faciendum ſit, dubitantes inter ſe diſputant, tandem meliori conſilio accepto, per legatos comiti (48) rei eventum intimare accelerant. Sciebant quippe legalitatem animi ejus, & quamvis contentionem ſuam, expetendo versùs fratrem aliquam controverſiam, oſtenderet, tamen in conſideratione conſanguinitatis, fratrem (49) ſuum, ut fratrem diligere, & fraternam vitam in tanto diſcrimine poſitam ereptûm ire omni ſibi illata injuria oblita, quovis lucro præponere, (50) invitabit fratrem, ut fratri in (51) anguſtias poſito, auxilium ferendo ſubveniat, de controverſia, quæ inter ipſos erat, Duce erepto, jus teneatur, ſe ſe auxilium (52) illaturos promittunt.

CAP. XXVI.

Comes Giracium obſidens Ducem à captione liberat.

COmes itaque ſiniſtro rumore de fratris infortunio turbatus, fraterni ſanguinis affectu, totus lachrymis perfuſus, ſuos ſupplex exorat, ut fratrem (53) ereptum ſecum accelerent. Sicque arma corripiens Geracium citiſſimus advolat, urbicenſes, ut ſibi extra muros, fœdere interpoſito, ſecuri locutûm veniant, invitat, quos & ita alloquitur: (54) Eja, inquit, amici, & fideles mei (55) inimicari, & germanum (56) me obſeſsûm venientem cognoviſtis captum, & (57) mea fidelitate tenetis, gratiſſimum habeo. Et quia versùs me in tantum veſtra fidelitas progreſſa eſt, veſtro conſilio, non autem veſtris vel manibus, vel armis de ipſo ulciſci volo. In tantum enim me ad iram provocavit, ut nullo modo mihi ſufficiat, ſi alterius armis, quàm meis intereat: quod ne veſtra fidelitas, quaſi mihi gratum obſequium ſe præſtare credens faciat, omnimode ſibi interdictum ſciat. Accelerate igitur inimicum meum mihi reddendo. Sufficiet, ut de ſuppliciis ejus primò ſciatis. Veſtro conſilio ſatiatus, faciam cum tormentis vitam finire. Nulla in reddendo dilatio ſit: nam nulla utilitas me avellet ab obſeſſione hujus urbis, donec ulciſcar mihi ab ipſo illatis injuriis. Ecce omnis exercitus ſuus injurias ejus ultra non ferens, ipſo ſpreto, in meam fidelitatem tranſiens, me ducem elegerunt. Ecce vel modicum terræ ſub ipſo habere, indignus judicabar: eo perempto, omnia, quæ juris ſui hactenus fuerunt, fortuna favente ſuſcipiam. Non ſum, quem per ambages protrahere poſſitis: ſi diutiùs differre tentatis, ecce ad præſens vineta, & oliveta veſtra extirpabuntur. Urbe veſtra à nobis obſeſſa, machinamentis apparatis, nulla contra nos præſidia tuebuntur. Vos ſi inviti capiamini, pœnæ quæ hoſti repromittuntur, & vobis in ipſo repromittentur. Hac oratione habita, Geracenſes territi, licentiâ acceptâ, in urbem, concivibus ſuis relaturi, & conſilium pariter accepturi vadunt. Sicque conſilio accepto, dubii utrum ne ea, quæ à comite audierunt, ex induſtria, ut fratrem eripiat, aut certè ex vero odio dicerentur, juramentum à Duce expetunt, ne ſi ab ipſis dimiſſus, fraternas minas evadat, dum ſibi vita comes fuerit, caſtellum aliquod infra civitatem ſuam fir-

(46) *Duce.*
(47) *Captione.*
(48) *Fratri rei eventum intimari.*
(49) *Cum.*
(50) *Invitat.*
(51) *anguſtiam.*
(52) *Laturos.*
(53) *Suum ereptum.*
(54) *Etiam eya in quid.*
(55) C. P. *Ecce fidelitatem veſtram experiri incipio, & quia fratrem meum mihi obſeſſum &c.*
(56) *Meum.*
(57) *In mea &c.*

Digitized by Google

firmare faciat. Quo Sacramentò minùs discernentes calliditatem Ducis, decepti sunt: nam quod Dux se non structurum juravit, Comes non jurans, non multò post illis dolentibus perfecit. Sacramento itaque accepto, Ducem extra urbem adducentes, multis Normannorum præ gaudio flentibus reddunt: se se deinceps fideles utrique futuros multis assertionibus promittunt.

CAP. XXVII.

Castrum quod Dux apud Melitum firmaverat militibus Comitis fractum. Ducissa Tropeam aufugit.

DUx igitur, & Comes se se mutuò conspicientes, ut quondam Joseph Beniamin invisò, præ dulcedine in (58) aspero, in prosperum cedentis fortunæ, in lachrymas prorumpentes, mutuis amplexibus fruuntur. Dux Comiti, quæ promiserat, se amodo non retenturum promittit. Comes Ducem usque S. Martinum prosecutus, inde Melitum vadit. Milites verò Comitis, qui apud Melitum erant, audito Ducem in captione detineri, castella ejus, quæ ante Melitum firmaverat oppugnantes capiunt, milites, quos invenerant, in captione retinentes, suis militibus castellum, quod apud S. Angelum firmaverat, muniunt: aliud verò, quod forte videbatur, diruunt. Uxor verò viduationem suspicata Tropeam aufugit.

CAP. XXVIII.

Dux Comiti Calabriam partit.

DUx itaque hoc audiens, maleficii, quàm beneficii memor, maxima indignatione permotus conventionem, quam fratri promiserat, exequi denegat: donec sibi & castellum S Angeli, & milites, qui in captione tenebantur, restituantur, & de illata injuria jus teneatur. Porrò Comes fratri Duci omnem occasionem, ejus velle exequendo, auferre volens, milites reddit, castellum, & quæ in ipso retenta sunt, restituit. Sed cùm nec sic animum fratris, ut sibi jus teneat, molliri videt, traditione inhabitantium, castrum Messianum ingressus, Duci inimicitias mandat. Dux itaque (59) videns castra, quæ ante Melitum in ipsa Provincia habebat, sibi ablata, sciens totam Calabriam per illud facilè posse turbari, in valle Gratensi (60), fratri sibi conventionem executo Calabriam partivit: sicque in Apuliam vadit. Comes verò in Calabriam, portionem suam recepturus redit. At cùm videret suos, propter seditionem, quæ inter se, & fratrem hactenus fuerat, equis, vestibus, & armis minùs sufficientes per totam Calabriam, post quidem eis tributa expetitùm vadit: venienſque Geracium, quia eos, quasi infideliores, cæteris exosiores habebat, ut plus ab ipsis extorqueat, castellum extra urbem, procul se se figit. Geracensibus verò juramentum sibi à Duce factum objicientibus: Comes respondit, cùm medietas Geracii mea sit, Dux in sua parte juramenti sui ordinem, ne violetur, servare poterit: me verò, qui in mea parte quodlibet faciam, nec votum, nec promissio aliqua redarguit; Geracenses ergo cognoscentes se callidè à Duce juramento delusos, insipientiæ suæ deputarunt. Pacto cum Comite facto, à castello, quod fœdere cœperat, pecunia, potiusquàm armis illum avertunt.

CAP. XXIX.

Græci apud Trainam Comiti fraudem machinantur.

COmes verò suos abundanter armis, & equis, cæterisque, quæ necessaria erant, remunerans, & terram, quæ sibi sorte cesserat, fidelibus suis prudenter ordinans, iterum Siciliam cum trecentis debellaturus aggreditur, uxorem juvenculam, quamvis (61) audiebat renitentem secum ducens. Veniens itaque apud Trainam, à Christianis Græcis, qui eum jam altera vice susceperant, iterum & si non cum tanta, ut priùs, tamen alacritate suscipitur: urbemque, quamvis naturâ montis, in quo sita est, satis defensabilis foret, ad votum suum aptando, fortiorem reddens, uxore ibi cum paucis dimissa, circumquaque vicina castra lacessitùm vadit. Græci verò, semper genus perfidissimum, hoc solo offensi, quòd milites Comitis in domibus suis hospitabantur, de uxoribus, & filiabus timentes, quadam die, cùm Comes apud Nicosinum oppugnandi gratiâ moraretur, videntes paucos cum Comitissa remansisse, suspicati se in eodem facilè prævalere, ut eos ab urbe expellendo, vel certè occidendo, jugum eorum à se excutiant, oppugnare cœperunt. Sed nostri, quamvis pauci, animo tamen, & armis promptissimi, dolo cognito, in arma citiùs ruunt, dominam suam, se seque, pro vita alacriter defendentes, accerrimè resistunt, donec nox certamen diremit. Comes verò quod acciderat, per legatum cognoscens, citissimus advolat, Græcosque, qui jam urbe ad medietatem recisa, inter se, & Normannos quandam munitionem, ad se defendendum fecerant, minùs ad præsens proficiens, expugnabat. Sarraceni denique de vicinis castris quinque millia promptiores, audientes Græcos à nostris dissentire, non minimum gavisi, auxilium laturi, se jam ad illos contulerant: quorum præsidio Græci perplurimum tuebantur. Nam cùm diu taliter impugnando, nunc autem se ipsos defendendo, jugi incursione detenti, dum per diversa loca prædando victum quærere, ut soliti erant, impediuntur, famis angustiâ, & assidui certaminis, & vigiliarum æstu, quæ minimè sibi pariter conveniunt, perplurimum deficiebant. In tantum enim quisque sibimet intentus erat, ut etiam ipse Comes vix aliquem haberet, qui sibi cibum, excepta uxore, & armigeris appararet. Nam cùm infra urbem, ne extra prædatùm iret, jugi defensione interim detinerentur, extra autem omnium oculi ad hoc intenderent, ut si cum paucis latrocinari tentaret, deprehenderetur: quodvis horum agere, imminens periculum dehortabatur. Unde & tanta penuria inter eos fuit, ut neque rapere, neque gratia largiente, alter ab altero impetrare, vel mutuò ali-

(58) C. P. *Insperato.*
(59) *Castrum quod melius in ipsa provincia habebat, sibi ablatum, &c.*
(60) *Fratrem sibi accersiens ad pontem, qui Guiscardi tandem sibi conventionem executus Calabriam &c.*
(61) *Timidam, & in quantum.*

aliquid accipere poſſent : omnibus pæne ab ipſo Comite, uſque ad ultimum clientem, æquo pondere indigentibus. Veſtium etiam tanta penuria illis erat, ut inter Comitem, & Comitiſſam non niſi unam capam habentes, alternatim, prout unicuique major neceſſitas incumbebat, ea utebantur. Græci verò, & Sarraceni, quibus omnis patria favens pro libito patebat, plurima replebantur abundantia. Neque enim illis neceſſe erat victum quærendo, aliquorſum vagari : quippe quibus omnis Sicilia, quæque neceſſaria erant, certatim deferens ultro ſubpeditabat. Noſtri autem, quamvis tanta penuria affecti, famis, & laboris, vigiliarumque æſtu inter ſe ipſos flebiliores anhelarent, viriles animo, alter alteri flebilitatem ſuam, ne adinvicem dehortarentur, occultantes, quadam hilaritate, vultu, & verbis ſimulare tentabant. Sed juvencula Comitiſſa ſitim quidem aqua extinguebat : famem verò non niſi lachrymis, & ſomno aliquid unde non habens, refrenare ſciebat. Certamen aſſiduum (62) quod cibus non cibus ſubpeditabat, hoſtilis impugnatio abeſſe prohibebat. Sed interdum ne ab hoſtibus diffiterentur, ſi non (63) niſi impugnati in arma ruerent, ipſa animis eorum innata ferocitas, ſagaciter etiam (64) volentibus viribus repræſentabat.

CAP. XXX.

Comes à Sarracenis captus ſe ipſum enſe liberat.

QUadam itaque die certamine inito, Comes equo inſidens, ut ſuis ſuccurrat, ſeſe hoſtibus medium dedit. Hoſtes verò eo cognito, versùs eum fortiori impetu graſſantes, equum ejus ſpiculis confodiunt : ipſum cum equo humi dejectum, manibus corripiunt : quaſi taurum ad victimam reluctantem, uſque ad ſibi tutiorem locum nituntur pertrahere puniendum. Porrò Comes in tanto diſcrimine poſitus, priſtinarum (65) rerum haud immemor extrahere enſem, quo accinctus erat, (66) expetens, & in modum falcis, virens pratum reſecantis, circumquaque impiger vibrando ducens, pluribus interemptis, ſolâ dextrâ, & Dei adjutorio liberatur, tanta ſtrage de inimicis facta, ut ſicut in condenſis ſaltibus jacerent à vento diruta ligna, ſic circumquaque ſibi adjacerent hoſtium ab ipſo perempta cadavera. Hoſtes reliqui ſeſe in ſuam munitionem recipiunt : ipſe equo amiſſo, ſellam, ne quaſi timidus accelerare videretur, aſportans, versùs ſuos pedes regreditur. Noſtris igitur per quatuor menſes in tam laborioſo diſcrimine poſitis, hiems aſperrima, quæ ipſo anno, ipſis in partibus fuit, occaſio liberationis, hoſtibus autem damnationis exſtitit. Nam & à civitate Etnæ, quæ in eadem provincia haud procul exterminat, urbs certis temporibus, ab æſtuanti incendio ſulphurei montis æſtas acerrima, itàque certis temporibus inundatio tempeſtatis, procellarum, nivis, & grandinis aſperrima ſolet fieri. Quamobrem hoſtes balnearum æſtuationibus æſtuari aſſueti, frigidiori aura flante, dum vini potationibus naturalem calorem intra ſe excitare nituntur, ſomno vinum, ut aſſolet, ſubſequente tardiores ad excubias vigiliarum urbis eſſe cœperunt. Quod cùm noſtri cognoviſſent, cœperunt & ipſi ex induſtria tardiores apparere : & quamvis attentiſſimè vigilarent, clamoribus tamen obmiſsis, ut illos dolosè ſecuriores redderent, fingebant ſe quaſi non vigiles eſſent. Quadam ergo nocte cùm Comes, ut ſemper, nullo labore deficiens, excubias noctis cum ſuis armatis ſub algenti bruma, ſuis utilitatibus accuratiſſimè (67) intentis rebraret, hoſtes ſomno gravatos (68) intra ſuas munitiones, & neminem eorum, ex tanta multitudine vigilare deprehendiſſet, (69) caſtra eorum ſilenter irrumpit : (70) armataque manu incautos occupans, pluribus interfectis, munitionem accipit : plures capiuntur, ex adventiciis reliqui fugæ refugium petunt. (71) Porinus, qui caput traditionis exſtiterat, cum ſibi principaliter aſſentientibus laqueo ſuſpenſus, ad exemplum aliorum, vita privatur, plures diverſis pœnis afficiuntur. Spoliis itaque triumphali more acceptis, noſtri hactenus egentes, tanta abundantia frumenti, vini, & olei, cæterorumque, quæ ad uſum neceſſaria erant, ſunt repleti, ut meritò à conſimili argumento recordari poſſent illius, quod apud Samariam inſperatò à Deo ſubitò datæ abundantiæ ad verbum Eliſei dicentis : *Cras horâ iſtâ in porta Samariæ modius ſimilæ uno ſtatere erit* : cùm in præcedenti die, nullo quamvis magno pretio poſſet inveniri.

CAP. XXXI.

Comes in Calabriam vadit.

ORdinatis itaque rebus ſuis, & urbe meliùs ad ſuum libitum firmata, ut ſuis equos, quos amiſerant, reſtituat, versùs Calabriam, & Apuliam adquiſitûm vadit : uxore, & militibus ſuis apud Trainam dimiſſis, quæ quamvis juvencula, tanta ſtrenuitate cœpit eſſe ſollicita circa caſtrum tuendum, ut diatim circuens, ubi meliorandum videbat, ſtuderet ut fierent vigiliæ : reliquos omnes, quos ſibi dominus ſuus abiens dimiſerat, blandè alloquens, ut ſollicitè quæ ſervanda erant, providerent, hortabatur : multa in reditu domini ſui repromittens : ſed & tranſactum periculum, ne ſegniter agendo quid ſimile incurrerent, ad memoriam reducit.

CAP. XXXII.

Comes cum Arabicis Caſtri-Joannis præliatur.

COmes verò à Calabria, & Apulia, ut apes ſtudioſiſſima, his, quæ militibus ſuis neceſſaria erant, onuſtus rediens, omnes ſuos ſuo adventu lætificavit : equos, & cætera, quibus opus habebant, illis impertiens. Aliquantis ergo diebus equis, quos adduxerat à labore itineris recreatis, comperto quòd Arabici, & Africani, qui Arabiâ, & Africâ, quaſi auxilium laturi Sicilienſibus, causâ lucrandi advenerant, apud Caſtrum-Joannis, uſque ad quingentos morarentur, cupiens experiri cujus va-

(62) *Quo ad cibum, qui cibus non.*
(63) *Deriperentur ſi non impugnant.*
(64) *Nolentibus.*
(65) *Jurium non immemor eſſe.*
(66) *Exercens.*
(67) *Intentus celebraret.*
(68) *Inter.*
(69) *Caſtrum.*
(70) *Armata itaque.*
(71) C. P. *Polorinus.*

valentiæ eorum militia esset, illuc versùs aciem dirigit: præmittens Serlonem nepotem suum cum triginta militibus, qui se ante castrum ostendentes, extractos ad certamen excitarent: ipse cum cæteris, in quodam loco, in insidiis latens occultatur, ut dum suos ex industria, simulato timore, fugientes illi acriùs persequerentur, ipse insperatò, à loco insidiarum prorumpens, hostes longiùs à castro subtractos faciliùs occuparet. Quos Arabici, qui in castro erant, eminus adventare videntes, maximo impetu prorumpentes obvii sunt, fugientes persecuntur, accingentes diruunt in tantum, ut ad locum insidiarum non nisi duo ex nostris illæsi pervenirent. Porrò Comes suos, quos præmiserat, ex parte captos, ex parte dejectos videns, leonino impetu ab insidiis prorumpens hostibus occurrit: certamen iniit, fortiter utrimque congreditur; sed à longo, & acri certamine tandem Comes, Deo sibi propitio, paganis fugientibus, victor efficitur. Hostes extremos quosque cædendo plus milliario insequitur. Spoliis onustus lætus apud Trainam revertitur. Urbs gaudio repletur. Volensque Siculos undique lacessere, (72) Calabutor prædatûm vadit: unde rediens versùs Roccas Castri-Joannis, si fortè Arabicos à castro extrahere posset, attentans maximam prædam reduxit. Profundiores itaque partes Siciliæ cognoscere volens, longiùs progressus, usque (73) Buterum vênit, ubi non minimâ prædâ pecorum acceptâ, captivos plurimos secum reducens, apud (74) Avator hospitium sumpsit. In crastinum autem, quia pro longitudine itineris, & calore nimii æstus, sed & aquæ penuria plures equos amiserat, apud S. Felicem pernoctans, inde Trainam vênit.

CAP. XXXIII.

Bellum Cerami ubi S. Georgius apparuit.

AFricani ergo, & Arabici cum Sicilienſibus plurimo exercitu congregati, ut bellum Comiti inferant, advenire nuntiantur, anno Verbi Incarnati millesimo sexagesimotertio, quibus Comes cum suis alacriter occurrens in cacumen ejusdem montis super fluvium Cerami, ut eos plenius prospiceret, ascendit: videnſque eos trans flumen in supercilio alterius montis, diutiùs alternatim intuiti, nec his versùs illos, nec illis versùs hos transeuntibus, Saraceni priores locum mutantes, ad sua castra, quibus hospitati erant, regrediuntur: Comes verò apud Trainam revertitur. Sic triduò, flumine interposito, sese mutuò conspicientes, nec illi versùs istos transire flumen præsumebant. In quarto verò die Saraceni castra commoventes, ne ulteriùs, quasi ad tergum retrogradi viderentur, in monte, quo se jam triduò ostentaverant, castrametati sunt. Nostri verò hostilem affinitatem diutiùs impugnatam ferre nolentes, cum magna devotione, Presbyteris testibus, Deo confessi, pœnitentiâ acceptâ, Dei miserationi sese commendantes, & de ejus auxilio confisi, bellum hostibus inferre vadunt. Sed mediâ viâ nuntio accepto, quòd Ceramium ab hostibus impugnaretur, illuc Comes aciem dirigit, Serlonemque nepotem ejus cum triginta militibus prætermittit, ut castrum intrans, defendendo donec ipse veniat, sustineat. Cum centum militibus, non enim ampliùs habebat, ipse subsequitur. Serlo verò castrum ingressus, adventum subsequentis avunculi minimè sustinuit: sed per portas, ut leo furibundus in hostes prorumpens, multas strages dando, cùm triginta millia essent, exceptis peditibus, quorum infinita erat multitudo, quod mirum dictum est, ipse triginta sex milites habens, omnes in fugam vertit. Hoc facto patenter cognoscere possumus, Deum nostris fautorem fuisse. Nam humanæ vires, tam magnum quid, tamque nostris temporibus inauditum, nec præsumere quidem, nedum perficere potuissent. Si autem cum Propheta admirantes requirimus, *quo modo persequebatur unus mille?* nam hoc istis, ut quondam filiis Israël proveniſse cognoscimus, profectò nobismetipsis, ex ejusdem Prophetæ verbis, absque mendacio respondere possumus: *quia Deus suus vindicat eos, & Dominus in profundo iniquitatum suarum clavi iræ suæ concluserat illos.* Deus suus dico, non quòd eum colendo cognoscebant, sed quia quamvis indigni factori suo ingrati existendo, tamen ejus creatura erant. Deus suus inquam dico secundùm illud, quod ab Apostolo instruimur, ubi ait: *Nam idem Deus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Quodsi aliquis hanc sententiam dialectizando commutabilem astruere tentaverit, dicens: Si dives est Deus in eos, qui invocant illum, consequi oportet, ut pauper sit in eos, qui non invocant illum: respondendum est, quia Deitas ipsa augmentum, vel detrimentum non patitur, nec in natura sua recipit magis, vel minùs, sed semper in eodem statu permanens sui, peræquè omnia potest. Si autem pauperem dicere concludimur, non tamen quantùm ad ipsum, sed quantùm ad illos, qui se indignos exhibent, quibus misericordiæ suæ divitias Deus impertiatur. Comes itaque nepotem subsecutus cum centum militibus Ceramium veniens, hostesque à nepote devictos cognoscens, dum subsequi, ut plenius devincat, deliberat, quibusdam ex timore dehortantibus, & sufficere sibi victoriam à Deo per nepotem factam dicentibus, ne fortè ultra insequendo, progrediatur fortuna rotabilis, & in deterius cedat, Ursellus de Baliol (75) exploranti Comiti interminatus est, se numquam vel ibi, vel aliàs sibi auxilium laturum, nisi certamen cum hostibus ineat. Quod Comens audiens dehortantibus quidem multa convitia iratus intulit, citiùsque hostibus, versùs castra eorum, illuc enim aufugerunt, bellum offerre vadit. Porrò illi viribus resumptis, duas acies ex sese facientes nostris audacter occurrere accelerant. Comes etiam similiter duos cuneos faciens ex suis, unum nepoti, & Ursello, & Arisgoto de Puteolis, ut præcedentes primò feriant, delegavit; ipse cum altero subsequens, bellatûm, Deum sibi adjutorem invocans, vadit. Prima autem acies eorum Serlonem cum prima acie nostra declinando, montem super nostros præripere volens, ultimæ aciei nostræ, quam Comes ducebat, occurrit. Comes ergo, & Ursellus de (76) Baliol suos solito formidolosiores præ nimia multitudine hostium, quam (77) incurrebant, videntes tali-

(72) C. P. *Calatabuturum.*
(73) *Buterium.*
(74) *Anattor.*
(75) C. P. *exprobrando.*
(76) *Ballionis.*
(77) *Exberrebant.*

Digitized by Google

talibus exhortationibus timorem ab ipsis excutere nitebantur: Arrigite (78) animos vestros ò fortissimi Christianæ militiæ tyrones. Omnes Christi titulo insigniti sumus, (79) qui non deseret signaculum (80), nisi offensus. Deus noster, Deus Deorum omnipotens est, & ab ipso (81) omnis qui de Deo diffidens, (82) confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Omnia regna mundi Dei nostri sunt: & quibus volet ipse (83) impertietur. Gens ista Deo rebellis est, & vires, quæ à Deo non reguntur, (84) ocyùs exhauriuntur: ipsi in virtute sua gloriantur, nos autem de Dei præsidio securi sumus. Nam hequeat honestum est dubitari, quos certum est, Deo nos præcedente, ante faciem nostram non posse subsistere. Gedeon, quia de Dei auxilio non dubitavit, in paucis multa millia hostium stravit. Dum talia versùs certamen properando perorantur, apparuit quidam eques splendidus in armis, equo albo insidens, album vexillum in summitate hastilis alligatum ferens, & desuper splendidam crucem, & quasi à nostra acie progrediens, ut nostros ad certamen promptiores redderet, fortissimo impetu hostes, ut densiores erant, irrumpens. Quo viso nostri hilariores effecti Deum, sanctumque Georgium ingeminando, & præ gaudio tantæ visionis compuncti, lachrymas fundendo, ipsum præcedentem promptissimè sunt secuti. Visum etiam à pluribus in summitate hastilis Comitis vexillum dependens, crucem continens: à nullo, nisi divinitus appositum. Comes ergo aciei suæ primos exhortatus, Arcadium de Palerna, suam aciem, nostris exprobrando, promptissimè antecedentem, & splendenti clamucio, quo pro lorica utimur, armatum, certamine inito, fortissimo congressu, hastili robore dejectum, cæteris metum incutiens interfecit. Erat enim inter suos militia præclarissimus, cui etiam neminem armis resistere posse putabant, & (85) clamucium, quo indutus erat, nullis armis poterat violari: nisi (86) ab imo in superius impingendo inter duo ferrea, quæ per juncturas (87) cùm catenata sunt, ingenio potiùs, quàm (88) vi vitiaretur. Dum itaque utrimque fortiter dimicatur, nostri numeri paucitate multitudini intermixti ita concludebantur, ut vix aliquis nostrorum nisi armis sibi faciendo tumultum interrumpere posset. (89) Videns autem nostros (90) condensitatem circumdantium se hostium sternendo, ut à furenti vento solet condensitas nebularum disrumpi, & sicuti velocissimi accipitres imbecillem turbam avium disruptam sternere. Sed cùm longo certamine grassati, diutiùs nostrorum infestationem ferre non prævalentes, fugâ tueri potiùs, quàm armis nituntur, nostri audacter insequentes, extremos quosque cedendo perimunt. Sicque victores effecti, ad quindecim millia ex hostibus occubuerunt. Nostri itaque triumphalibus spoliis onusti, usque ad hostium castra regredientes, in eorum tentoriis hospitantur, camelos, & reliqua omnia, quæ invenerunt, sibi vindicantes. In crastinum verò pedites ad viginti millia, qui fugientes scopulos, & prærupta montis occupaverant, oppugnantes, plurima ex parte perimunt: reliquos verò debellatos vendentes, pecuniam infinitam accipiunt. Sed cùm aliquandiu commorati fœtore putrentium cadaverum occisorum hostium gravarentur, fœtorem abhorrentes Trainam reversi sunt. Comes Deo, & S. Petro, cujus patrocinio tantam victoriam sc adeptum recognoscebat, de collato sibi beneficio non ingratus existens, in testimonium victoriæ suæ, per quendam suorum, nomine Meledium camelos quatuor, quos inter reliqua spolia, hoste triumphato, acceperat, Alexandro Papæ, qui tunc temporis vice Beati Petri prudenter, & Catholicè exsequebatur, apud Romam repræsentat. Apostolicus verò plus de victoria à Deo de Paganis concessa, quàm de sibi transmissis donariis gavisus benedictione Apostolica, & potestate, qua utebatur, absolutionem de offensis, si resipiscentes in futurum caveant, Comiti, & omnibus, qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad fidem Christi retinendo auxiliarentur, mandat, vexillumque à Romana Sede, Apostolica auctoritate consignatum, quo præmio, de Beati Petri fisi præsidio, tutiùs in Saracenos debellaturi insurgerent.

CAP. XXXIV.

Pisani Comitem, ut Panormum obsessùm vadat, invitant.

PIsani ergo mercatores, qui sæpiùs navali commercio Panormum lucratùm venire soliti erant, quasdam injurias ab ipsis Panormitanis passi, vindicari cupientes, navali exercitu undique conflato, vela per mare ventis committentes, apud Siciliam, in portu vallis Deminæ applicuerunt, legatumque Comiti Trainam, ubi tunc morabatur, mittentes, mandant, ut equestri exercitu Panormi illis occurrat, se illi in urbe capienda auxilium laturos, vi talis præmii, acceptam vindictam illatæ sibi injuriæ expetente. Comes verò quibusdam negotiis se detinentibus, ad præsens ire distulit, mandans illis, ut modicum temporis sustinerent, donec hæc, quibus ad præsens intentus erat, expedirentur. Porrò illi commercialibus lucris, plusquam bellicis exercitiis, ex consuetudine dediti, sustinere, ne lucris assuetis diutiùs privarentur, nolentes, Panormumque per se incassum aggredi disponentes, vela in portum ejusdem urbis dirigunt, sed plurimam multitudinem hostium exhorrentes, & ob hoc à navibus progredi minimè præsumentes, catenâ tantummodo, quæ portum ab una (91) parte, in alteram claudebat, abscisâ, & hoc sibi, more suæ gentis, pro (92) proximo reputantes, Pisam reversi sunt. Comes itaque videns æstatem proximam, quæ præ nimio calore, à vicinitate Solis ferventis Caniculæ pluriores equitatus in prædali exercitio fieri prohiberet, fratri Duci in Apuliam interim, dum im-

(78) *Inimicos.*
(79) C. P. *&.*
(80) *suum, non.*
(81) *omnes quidem.*
(82) *confidet.*
(83) *impartitur.*
(84) *citiùs exaurientur.*
(85) *claviculus.*
(86) *ab uno.*
(87) *& catbenata.*
(88) *viribus inviceretur.*
(89) *Videntes.*
(90) *tantam condensitatem inimicorum paganorum, ac Sicilienſium simul existentium, & circumdantium &c.*
(91) C. P. *ripa in alia.*
(92) *maximo.*

importuna æstas pertranseat, ire disponens, ne uxorem suam, & milites cum ipsa remanentes absque stipendis derelinquat, Gulosam una die, secunda Brocatum, tertia Cephaludum prædatûm acie dirigit. Sicque Trainam multa abundantia replens, militibus suis, ut urbem attentissimè pervigilantes, incursus hostium prudenter caveant, & ne aliquorsum longiùs ab urbe, aliqua occasione intercurrente, progrediantur, multis exhortationibus commonitis, ipse versùs Apuliam cum fratre, quid ulteriùs agendum sit, tractaturus vadit: plurimaque ad invicem conferentes, tandem refrigerante calore, centum militibus sibi ab eo in auxilium acceptis, versùs provinciam Agrigentinam cum ducentis militibus prædatûm vadit.

CAP. XXXV.

Milites Comitis, hostibus territis, Turronem, qui postea Gatzonis dictus est, ascendunt.

UNde cùm maxima præda inde rediret, militum suorum prædam præcedere præcipiens, ipse cum reliquis inter duos cuneos minatur ne à fronte, vel certè à tergo aliquo hostili incursu excuteretur. Porrò Africani, & Arabici cùm essent cupientes ulcisci de victoria in Ceramensi prælio sibi ablata, & laudem, quam ibi amiserant, aliquando sibi favente fortuna recuperare, cognoscentes per nuntium, ita eos prædatûm isse, cum septingentis electis militibus, viâ, qua redire habebant, insidiantes occultantur. Nostri autem, qui præcedebant, ad locum usque pervenientes, illis ex improviso exsurgentibus, audaciæ, qua hactenus assueti erant, obliti, enerviter agentes, cum fuga potiùs, quàm armis mortis periculum declinare cœperunt. Montem quendam, quem ex omni parte præcipitium cingebat, solo, & arto aditu patente, pro auxilio expetentes ascendunt. Hostes verò parte armigerûm, qui prædam minabant, peremptam, ipsam etiam prædam excutiunt. Comes autem, qui subsequebatur, tumultum audiens, dum citiùs advolat, quæ acciderant cognoscens, maxima indignatione, & ira repletus, ut secum de hostibus ultionem expetant, suos immensis clamoribus, à monte, quem ascenderant, incassum revocare nititur, donec ipsemet turonem ascendens, & suos quemque nomine vocans, ne se inposterum fuisse excusarent, talibus verbis aggressus est: Ita ne, inquit, ò fortissimi hactenus, viribus exhausti estis, ut absque recordatione alicujus militaris laudis, in profundum putribundæ defectionis submersi, ulteriùs respirare nequeatis? Recordamini antecessorum, sed & gentis nostræ, nostræque hactenus habitæ strenuitatis præconizatæ, devitantes notas futuri vituperii. Recordamini quot millia hostium apud Ceramium pauciores, quàm nunc debellatores extinxistis. Fortuna tunc vobis arridens ab eodem, quo & nunc adhuc regitur. Resumite pristinas vires: victoria post fugam fortiter agentibus laudis reparatio est. Hæc, & alia exprobrando, plura locutus, vix eis exhortationibus recreatis, ad certamen properans cum hoste congreditur. Fortiter agendo gens Deo rebellis debellatur, præda excussa recuperatur. Nostri victores effecti triumphalibus spoliis ditantur. Trainam cum gaudio remeantes, excepto, quòd (93) de solo Galterio de Simula, qui inter omnes militari laude dignus, in congressu fortiter agendo, quod dolor dicere est, juventutis florem ab hostibus confossus amiserat, plurimùm tristabantur.

CAP. XXXVI.

Nostri à Tarantis vexantur.

DUx (94) verò Robertus cùm in Apulia esset, sciens fratrem suum apud Siciliam multiplici incursione ab hostibus lacessiri, plurimo exercitu ab Apulia, & Calabria congregato, nolens expers esse quæstus, laboris etiam particeps fieri, versùs Siciliam intendit. Comes verò fratrem adventare audiens, cum gaudio magno festinus illi apud Cusentum Calabriæ urbem occurrit. Sicque progredientes anno Dominicæ Incarnationis 1064. cum quingentis tantummodo militibus apud Pharum mare transmeantes, totâ Siciliâ, nullo adversùs eos aliquid præsumente, impunè peragratâ, Panormum usque perveniunt, atque in monte, qui postea Tarantinus, ab abundantia Tarantarum, à quibus ibidem exercitus eorum plurimùm vexatus est, jubente Duce, quem postea pœnituit, tentoria fixa sunt. Nam mons totus insitus Tarantis, viris, & mulieribus inhonestum, quamvis iis evaserint, ridiculosum hospitium præbuit. Taranta quidem vermis est, araneæ speciem habens, sed aculeum veneni feræ punctionis, omnesque quos punxerit, multa venefica ventositate replet: in tantumque angustiantur, ut ipsam ventositatem, quæ per anum inhonestè crepitando emergit, nullo modo restinguere prævaleant: & nisi clibanica, vel alia quævis ferventior æstuatio citiùs adhibita fuerit, vitæ periculum incurrere dicuntur. Tali inhonestate nonnulli nostrorum vexati, tandem locum mutare coguntur, vicinum urbi locum tutiorem, quo tabernacula figant, expetentes, ubi per tres menses commorati, Panormitanis fortiter repugnantibus, versùs urbem quidem minimè profecerunt, sed viciniora circumquaque loca plurima depopulatione vexaverunt. At cùm vident se versùs urbem minimè tunc temporis prævalere posse, castra moventes Bugamum oppugnare vadunt, civibusque ejusdem castri enerviter reluctantibus, funditus diruunt, incolas omnes cum mulieribus, & liberis, omnique supellectili sua captivos adducunt: sicque versùs Calabriam remeare volentes haud procul ab Agrigentina urbe, sic enim illis directior adjacebat via, tentoria figunt. Porrò cives ejusdem urbis, viribus suis plus necessario confidentes, per portas prorumpendo, forti strepitu super illos proruunt (95), incautosque hostium tacendo dum fingunt, usque in portas suæ civitatis persequuntur. Dux itaque digressus, in Calabriam veniens, expeditionem solvit (96): Bugamensesque, quos captivos (97) adduxerat, Scriblam, quam desertaverat, restaurans, ibi hospitari fecit.

CAP.

(93) C. P. *de sola morte Gualterii de Simila.*
(94) *ergo.*
(95) *incautique hostium cedendo dum fugiunt.*
(96) *Bugamenses.*
(97) *duxerant Scribam, quam desertaverant.*

Digitized by Google

CAP. XXXVII.

Agellum à Duce oppugnatur.

ANno verò Dominicæ Incarnationis 1065. Policaſtrum caſtrum deſtruens, incolas omnes apud Nicotrum, quod ipſo anno fundavit, adducens, ibi hoſpitari fecit. Antequam iret versùs Panormum Dux Robertus, & in monte Tarantarum tentoria fixiſſet, Dux, & Comes Rogerius priùs in provinciam Cuſentii Caſtrum quidem (98) Regale expugnaverant, & pro libitu ordinaverunt. Eodem anno caſtrum quoddam, quod Agel dicitur in provincia Cuſentii Dux oppugnare vadens, per quatuor menſes obſedit. Agellenſes autem extra caſtrum progredientes, cùm viciniùs tentoria hoſtes figerent, fundibulis, & ſagittis longiùs propellere nituntur: ſicque ex utraque parte mutua cæde fortiter congrediuntur. At dum noſtri maxima indignatione commoti, impetum in hoſtes facientes, ubi denſiores erant, prorumpere nituntur, Rogerius filius (99) Scolcandi jaculo confoſſus equo dejicitur: cùm etiam (100) Giſſibertus nepos ejus (101) eum relevare tentat, dejectus utrique occiduntur: de quorum nece Dux cum omni exercitu non minimùm turbati, erant enim inter familiares ſibi cariſſimi, eorum corpora apud Sanctam Euphemiam, ubi tunc Abbatia in honore Sanctę Dei Genitricis Marię noviter incœpta inſtituebatur, humanda mandavit: equos, & cætera quæ habebant, eidem Eccleſiæ, pro ipſorum ſalvatione contulit. Agellenſes itaque cognoſcentes pro tali, & ſimilibus factis Ducem ſe ſe graviter offendiſſe, pacem ab ipſo expetunt, ne ſi rebelles perſiſtendo vi caperentur, ab ira ejus, abſque recordatione alicujus pietatis, ut meriti erant, omnes pariter perimerentur. Dux verò quamvis anhelans eſſet cum ſuppliciis, de ipſis ultionem expetere, tamen ne diutiùs perendinando, aliàs intendens; demoraretur, paces cum ipſis fecit, caſtrumque ab eis deliberatum, in ſua virtute accipi, pro libitu ſuo diſpoſuit.

CAP. XXXVIII.

Caſtrum apud Petrelegium fit.

COmes verò Rogerius adquirendæ Siciliæ intentus, quietis impatiens erat, omnia perluſtrans crebris incurſionibus deterrebat, in tantumque ex conſuetudine labori continuus erat, ut hinc ne, hinc ve infeſtior eſſet, nec cœcitas obſcuræ noctis dehortari poſſet, quin de loco ad locum tranſiliens, per ſe ipſum omnia attentaret, ejuſque præſentiam, pluſquam omnia hoſtes exhorrebant, intantumque ejus veloci frequentia deterrebantur, ut nuſquam abſens putaretur. Sed quia ubi ſuis præſentibus, ipſe abſens ab hoſtibus deprehendebatur, ſui hoſtili incurſione interdum gravabantur, caſtrum, quo ſe, ſi fortè neceſſitas incumberet, faciliùs tuerentur, & à cujus vicinitate quæque proxima loca attentiùs ſubjugata ſibi concitè fœderarentur, apud Petrelegium, anno Dominicæ Incarnationis 1066. A turribus, & propugnaculis extra portam accuratiſſimè firmavit, per quod maximam partem Siciliæ, ad ſuæ dominationis jugum ferendum perdomuit. Filiis denique Tancredi naturaliter hic mos inolitus fuit, ut ſemper dominationis avidi, prout illis vires ſuppetebant, neminem terras, vel poſſeſſiones habentes ex proximo ſibi abſque æmulatione habere paterentur, quin vel ab ipſis confeſtim ſubjecti deſervirentur, vel certè ipſi omnia in ſua virtute potirentur.

CAP. XXXIX.

Dux Montempiloſum obſidet.

B INde & Robertus Dux, qui præ cæteris hunc morem ſibi vindicaverat, Gauridum de Converſana, nepotem videlicet ſuum, filius quippe ſororis ſuæ erat, ut de Montepiloſo ſibi ſervitium, ſicut & de cæteris caſtris, quæ plurima ſub ipſo habebat, exhiberet, adorſus eſt, quodque ab ipſo, ſicut & cætera, minimè acceperat, ſed ſua ſtrenuitate, Duce ſibi auxilium non ferente, per ſe ab hoſte lucratus fuerat. Id facere renuente Dux admoto exercitu idem caſtrum obſeſſûm vadit: multiſque militaliter ex utraque parte perpetratis, tandem, ut de eodem caſtro, ſicut & de cæteris ſibi ſervitium promittens exhiberet, compulit.

CAP. XL.

Dux Barum obſidens.

DUx itaque videns omnia, quæ ſolo incœptu attentabat, fortuna favorabiliter arridente, ſibi in proſperum cedere, famoſiſſimam urbem, quæ Barum dicitur, adhuc Conſtantinopolitano Imperatori ex fidelitate (102) adhærentem, ſibi verò rebellem, ex proximo, haud longè à Montepiloſo (103) habens, quibuſcumque Imperator præerat pactionibus, & ut ſibi faventiores redderet, ad impugnationem ejuſdem urbis ſecum (104) inſtans anno D Verbi Incarnati 1067. equitatu, & navali exercitu (105) eam obſſeſsûm vadit. Et quia ipſa civitas, quaſi in quodam angulo ſita in mare porrigitur, ipſe cum equeſtri exercitu ipſam partem, qua civitas versùs terram patebat, quaſi ab uno mari in aliud claudens, navibus per mare extenſis, una ad alteram firmiter ferreis catenis, acſi ſepem faciendo, compaginatis, ita totam urbem cinxit, ut nullo latere exitus ab urbe progrediendi pateret. Duos quoque pontes, unum videlicet ab unaquaque ripa conſtituens, qui longiùs in mare uſque navium funes, ab utraque parte attingebant, porrexit: ut ſi fortè Barenſes aliquem incurſum versùs naves attentarent, E directo curſu à militibus navibus expeditiùs ſubveniretur. Barenſes autem primò quæ agebant deſpectui habentes omnia vilipendere, ornamenta ſua, theſaurumque pretioſâ dependentiâ oſtentare, Guiſcardo plura convitia inferre, turribus ſuis fidentes rerum exitus minùs metiri cœperunt. Quæ res Guiſcardum ab incœpto quidem non deterrebat, ſed animus ambitionis cupidine fervens, quanto pretioſiora

(98) C. P. *Ragel*.
(99) *Scotlandi*.
(100) *Gilbertus*.
(101) *dum*.
(102) *adherens*.

(103) *quam habens quibuſcumque poterat pactionibus Imperator etiam*.
(104) *inflammas*.
(105) *oppugnatûm vadit*.

Digitized by Google

ſiora infra muros contineri dicebant, tanto ardentiùs ſpe ea lucrandi, ad quod cœperat perſiſtendum, mentis inſtantiam figebat, ſubridendo illis reſpondens: Quæ, inquit, oſtentatis mea ſunt, & quia à vobis voluntariè mihi præſentantur, habeo gratum. Eſtote fideles ad tempus in conſervando. Vobis quippe de amiſſione dolentibus fiam quandoque largus in diſtribuendo. Sicque ſuos ad urbem debellandam exhortationibus, & promiſſis inflammans, laboris ſui renunciationiſque præmium infra murum teſtatur eſſe. Ipſe mœnia circumire, aggeres comportare, urbem vallare, arietes facere, cæteraque machinamenta, quæ uſui capiendæ urbis neceſſaria erant, componere, ſuos inſtruere, hoſtes infeſtare, metum jugi inſtantiâ ſtudebat incutere. Barenſes ergo videntes conſtantiam Ducis ultra quàm rati erant, indivulſam perſiſtere, victumque infra urbem, nullo ad introducendum hoſtibus circumſetis, aditu patente, à multitudine inermis vulgi, mulierum ſcilicet, & puerorum inutiliter devaſtari, quod vi nequibant, dolo vitæ Ducis periculum parant, pretioque compoſito, à quodam levitatis viro, ut (106) urbe digrediens illum ſpiculo corripere (107) attentet, mercantur. Amerinus ergo avaritiâ captionis cupidine captus (108) appetendum tam nobile, ut ſibi videbatur, facinus accelerat, ſpiculoque venenis infecto ab edocentibus ſe tantæ verſutiæ fraudem accepto, urbe digreſſus, quaſi unus ex noſtris, lapides fundâ versùs hoſtes, ſupra muros jaciendo, adversùs caſtra noſtrorum doloſè ſpeculatum circumvenit. Sicque veſperaſcente die, nox intercludere Solis radios properat, cùmque cœnæ hora inſtante Dux in tabernaculo ſuo, ex folioſis arborum ramis compoſito ſediſſet, ille à tergo veniens, ramoſo pariete interpoſito, Ducem prævio oculo, deinde aure per vocem bene viſum credens, ſpiculum, quod ad hoc acceperat, fortiter impingendo, parte veſtium correpta, ſed Deo protegente, ipſo illæſo permanente in terram defixit: ſicque Ducem læſum credens incaſſo vulnere ſpiculo amiſſo, nihil ſibi fugâ utiliùs credens, quàm velociùs potuit, curſu ſe ſe infra urbem recepit. Ducis verò miniſtri tali facto expavefacti extra proſilientes, dolo cognito, noctis excubias ſolito attentiùs, vigileſque circa Ducem deputant, cœmentarios ex ejus edicto conducentes ſummo diluculo primùm domum brevi perficiunt.

CAP. XLI.

Comes Rogerius cum Sarracenis præliatur.

EA tempeſtate Comes Rogerius in Sicilia morabatur, crebris incurſionibus omnia hoſtiliter perluſtrans, ad ſibi ſubdendum nunc præmiis pulſans, modò minis terrens jugi exercitatione plerumque alios damnis afficiens, intantumque quietis impatiens hoſtes laceſſendo deterrebat, ut vix in ipſis munitionibus, nuſquam autem aliàs ſecuri eſſent. Nox, vel dies, veſper, & aurora, aura lenis, & aſpera æquo pondere infeſta timori erant. Unde & Sicilienſes conſilio intra ſe habito, mori potiùs, quàm cum tanta inquietudine infelicem vitam diutiùs protelare deliberantes, belli fortunam contra Comitem tentare parant. Denique versùs Panormum prædatûm proficiſcenti, exercitu innumerabili, undique conflato, ex improviſo apud Michelmir occurrunt anno Incarnati Verbi 1068. Porrò eos eminus conſpiciens totus infremuit, omneſque ſuos in unum coërcens ſubridendo ait ſuis: Eja, inquit, nobilium prædeceſſorum nobilitas fortuna vobis favens prædam, quam longiùs diſpoſueratis quærere, labori veſtro parcens, ultro vobis obviam, ne plus in conficiendo itinere fatigemini, adducit. Ecce præda à Deo vobis conceſſa. Auferte iis, qui ea indigni ſunt. Utamur ea dividentes Apoſtolico more, prout cuique opus eſt. Ne exhorreſcatis jamdudum, multotienſque à vobis devictos. Si Ducem mutaverunt (109) animo, non quo Duce id præſumunt, ejuſdem nationis, qualitatis, ſed & (100) regionis eſt, cujus & cæteri ſunt. Deus autem noſter immutabilis eſt. Si à vobis non mutatur integritas fidelis ſpei, nec ab ipſo mutabitur ſententia triumphalis auxilii. His dictis, acieque ſuorum prudenter ordinata, cum hoſte congreditur. Fortiter noſtris agentibus gens inimica in tantum debellatur, ut vix ex tanta multitudine ſupereſſet, per quem rei eventus Panormi renuntiaretur. Noſtri verò triumphalibus ſpoliis multùm ditantur.

CAP. XLII.

Columbæ Panormi ſuos victos nuntiant.

MOris verò Saracenis eſt, ut columbas frumento, & melle infuſo domi nutrientes, cùm aliquorſum longiùs digrediuntur, maſculos ſportulis incluſos ſecum ferant: ut cùm aliquid novi fortuna illis adminiſtraverit, quod domi ſcitum velint, chartulis eventus ſuos notantes, & collo avis, vel certè ſub ala ſuſpendentes, avibus dimiſſis per aëra, familiæ domi ſollicitæ, utrum proſperè erga peregrinos amicos omnia agantur, notificare accelerant. Avicula enim dulcedine grani melliti, quam domi guſtare ſæpiùs aſſueverat, illecta, reditum accelerat, chartulas, morem ſuum ſcientibus repræſentat. Hujuſmodi ſportulas cum avibus Comes inter reliqua ſpolia, accipiens, avibus cum infectis ſanguine chartulis dimiſſis, triſtis fortunæ eventus Panormitanis repræſentat. Urbs tota concutitur: lachrymoſæ voces liberorum, & mulierum per aëra cœlum attolluntur. Gaudium noſtris, illis triſtitia parturitur.

CAP. XLIII.

Dux auxilio Comitis Rogerii Barum capit.

PRincipabatur tunc temporis urbi Barenſi ſub Imperatore Græcus quidam (111) Argerius nomine, qui cum cæteris civibus (112) pro tempore, & loco conſilio habito, chartulis ærumnas urbis, civiumque, ſed & hoſtium infeſtationem adnotans, clam de nocte per quendam ab urbe digredientem (113) Diogeno Conſtantinopolitano Imperatori dirigit:

(106) *urbem.*
(107) *attentaret mercaretur. Animus eger.*
(108) *ad perpetrandum.*
(109) *ejuſdem nationis, & qualitatis mutav. &c.*
(110) C. P. *religionis.*
(111) C. P. *Argeritius.*
(112) *concilio, & loco habito.*
(113) C. P. *Diogerio.*

Digitized by Google

rigit: urbem, quæ ſola in ejus fidelitate perſiſtens undique hoſtili incurſione quatiebatur, niſi citiùs ſubveniat, ſe amiſſuros victûs penuriâ. Se jam tertio anno (114) inſtante hoſtibus circumſeptos, cujus diuturno certamine deficientes (115) deditionem parare. Niſi ipſam retineat, ſpem (116) nullam de recuperatione (117) pervaſæ ab hoſtibus patriæ ulteriùs reſervari. Legatus quod inſtructus erat, fideliter adimplere ſatagens, brevî magnum conficiens iter Byzantium vênit. Acceptas epiſtolas Imperatori repræſentare vadit: Epiſtolis orationem exhortatoriam, ut ſubveniat, addit. Imperator verò ſuſceptis epiſtolis, ac perlectis Duracium mittens, claſſem parare facit, cui (118) Gocelinum de Orencho quendam natione Normannum, & in palatio poſt Imperatorem ſecundum, paucis, quia ſtrenuus, armis, & conſilio callens erat, Ducem præponens, cum multis copiis Barenſibus ſuccurrendum diſponit. Porrò qui miſſus fuerat, juſſus ab Imperatore Barum regrediens, clam hoſtes urbem, ut exierat, intrat. Acta refert, ſignumque, quo auxilium veniens, eminus cognoſcant, edocet: ut ſimile ſignum de unoquoque propugnaculo contra advenientes faciant, faſces ſcilicet accendant, ne à certo portu devient, admonet. Barenſes hoc nuntio exhilarati, plus neceſſario feſtinantes, animo enim cupienti nihil ſatis feſtinatur, in proximam noctem faſces accendunt, clamoribus, & laudis plus ſolito lætitiam oſtendunt. Quid nam in hoc facto prætendant, inter noſtros quæſtio oritur. Fit de pluribus rebus conjectura, undique argumentatur, à prudentioribus rei veritas deprehenditur, auxilium videlicet per mare illis advenire. Advenerat in auxilium Ducis fratris plurimo remige Comes Siciliæ Rogerius noviter à fratre invitatus, leoninam in omni certamine habens ferocitatem, quem tamen prudentia regebat, & fortuna favens comitabatur. Hic callidè in hoc negotio agens, ſingulis noctibus ſpeculatûm ire jubet, ſi fortè eminus per mare adventantes naves aſpiciantur. Cùm ecce quadam jam nocte mediante quaſi ſtellæ lanternæ ardentes in ſummitate mali uniuſcujuſque navis eminus apparere conſpiciuntur. Quod cùm à Comite compertum fuiſſet accelerantiſſimè armata manu, plurimo ſeſe remigi credens, obviam hoſtibus ire accelerat, quos hoſtes eminus aſpicientes, Barenſes qui ſupra præ gaudio occurrerent rati, minùs ſeſe ad defenſionem aptant. Comes verò navem Gocelini, qui dux hoſtium erat, duabus lanternis à cæteris diſtinctam eminus cognoſcens, illam versùs impetu ſuorum intendere jubet. Dumque fortiter congrediuntur tanta vi quædam ex noſtris ſuper navem illorum graſſata eſt, ut ex uno latere cum pondere armorum incautè decurrente, centum quinquaginta loricati ex noſtris ſubmergerentur. Comes verò Gocelinum oppugnans ſuperat: quem in ſuam navem exarmatam recipiens, cum triumpho glorioſus ad fratrem remeat. Dux verò amittendi timore in certamine fratris, plurimùm angebatur, quippe nec ſuccurrere poterat, nec alium, excepto illo, cæteris defunctis, habebat. Attamen victor, & incolumis redire nuntiatur, nullî credulus fieri aſſerit, donec viſu ſibi ſatisfaciente. Utrum ſanus eſſet ſcrutando ingeminat cum lachrymis. Comes verò Gocelinum mirificè Græco more præparatum Duci, ad honorem repræſentat captivum. Barenſes itaque ſe ſua ſpe fruſtrati ulteriùs hoſtes ferre non valentes, deditione facta, Duci fœderantur. Anno Domini 1070. Dux voti compos effectus fratri, & cuncto exercitui gratias referens, urbe pro velle ſuo ordinata, fratrem in Siciliam præmittens, ſolito exercitu brevî iterum expeditionem versùs Panormum ſummovet. Toto Junio, & Julio menſe apud Hydruntum moratus montem, quo faciliùs deſcenſus ad mare, equos navibus introducens, fieret, reſcindere facit, unde & Duracenſes maximè ſunt territi, ne mare cum exercitu tranſmeans, eos impugnatûm veniret mulumque & equum ei, quaſi ad honorem mandantes, hac occaſione rem ſpeculatûm mittunt.

CAP. XLIV.

Scyllum Duci reconciliatur.

EA tempeſtate Coſta Condomicita, qui (119) Scyllum jamdudum Duci fraudolenter abſtulerat, veritus ne cùm Dux versùs Siciliam navigio tranſitum ſimularet, (120) Scyllum obſeſſûm diverteret, Duci reconciliatus caſtrum reddit, tali injuria ſe, ad quod fecerat compulſum dicens. Dux Coſtam Pelogam quendam Stratigotum ſtatuerat, qui nimia inſolentia defluens quoſque ingenuos viros, vel mulieres, nec etiam ſuæ conſanguinitati parcens contumeliis afficiebat. Hic inter cætera quandam ingenuam matronam nomine Reginam, aviam Coſtæ Condomicitæ gallinam auream cum pullis, quam habere dicebatur, ab ea extorquere volens, verberibus laniatam captione retruſerat. Coſta Condomicita in famulatu Ducis apud Inſulam Crotone detinebatur, cui cùm quod acciderat, relatum fuiſſet, injuriam aviæ reputans ſuam, infirmitate ſimulata, licentiam domi cauſa curationis à Duce expoſcens, vigiliâ Natalis Domini (121) Scyllum ingreſſus eſt, quem Stratigotus veniſſe audiens, piſcium ſibi enxenia per famulum mittit, qualiter ſe res erga Ducem habebat, requirit. Ille acſi nihil mali machinans, irâ diſſimulatâ, gratias remandat: ſed quod animo conceperat minimè oblitus, poſtquam comeſtum eſt, potentioribus urbis ſecretò circumventis, de ſibi illata, aviæque injuria querimoniam oſtentat: quibus reſpondentibus meritò ſibi talia accidiſſe, excuſationibus minimè uſus, facti ſe pœnitere aſſerens, uti contulerat, auferre tentaturum promittit, ſi tantummodo ipſis potiatur auxiliariis. Sicque à pluribus fide accepta, totam noctem inſomnem ducens, quoſcumque poteſt ſibi allegat: ſummoque diluculo, cùm omnes, qui hujus rei ignari erant, ut dies ipſa monebat, in Eccleſia Dei laudibus inſervirent, ipſe cum tredecim viris, gladiis cum capis accinctis, reliquis ſigno dato, & à foribus expectantibus, ad portam caſtelli accedens, janitor nil ſuſpicatus quaſi noto aperit; Ille cum ſociis in-

(114) *inſtantibus boſtibus circumſepto, cives diutino &c.*
(115) *deditioni parari.*
(116) *nulla.*
(117) *habetur.*
(118) C. P. *Gozelinum de Corintho quendam natione Normandum.*
(119) C. P. *Stilium.*
(120) *Stilium.*
(121) *Stilium.*

Digitized by Google

ingreſſus, hoſpitium Stratigoti intrat, arma, quæ invenit, corripit: versùs Eccleſiam, Stratigotum præoccupare volens, citiſſimus currit. Undique ergo inſurgente clamore, Stratigotus, inſidiis compertis, per feneſtram proſiliens, præcipitio delapſus, dum fugâ refugium petit, à civibus, quibus omnibus exoſus erat, compræhenſus reducitur. Coſta Condomicita, quia conſanguineus ejus erat, volente ei parcere, à populo condemnatur, ſicque cum ſuppliciis pœnas luens, à quibus mala intulerat, perimitur; quos religaverat liberantur, à fidelitate Ducis palàm avertuntur. Sicque per ſex ferè annos Duci rebelles per diverſa loca Calabriæ ab ipſis turbatio plurima facta eſt. Iſtud hîc inſcribimus, ut caveant Prælati ſibi ſubditos pravis miniſtris à ſua fidelitate divelli.

CAP. XLV.

Panormus capitur.

DUx igitur commeatibus, & cæteris, quæ expeditioni congruebant apparatis, fratrem, quem præmiſerat, ſubſecutus, apud Catanam, ubi Comes erat, vênit, fingens ſe Maltam debellatûm ire, quaſi de Panormo diffidens: ſed à fratre cohortatus, magno equitatu, cum navalibus, peditumque copiis ab inde progrediens Panormum vênit, ab oceano urbem navibus obſidens, fratremque Comitem ab uno latere ſtatuens, ipſe ab altero cornu Calabrenſibus, & Apulis muros ambit. Sicque quinque menſium circulo hoſtes urbis defenſionis attentiſſimè pervigiles, ipſe nihilominus impugnationi cum fratre intentus inquietare perſtuduit. Utrique pari ardore inflammati omnia circumire, ſuos inſtruere, omnia ordinare, hoſtibus interminari, ſuis plura largiri, ampliora promittere, primus, & frequentior adeſſe, nihil intentatum relinquere. Machinamentis itaque, & ſcalis ad muros tranſcendendos artificioſiſſimè compaginatis, Dux hortos cum trecentis militibus latenter ingreſſus, ex altera parte, qua videlicet navalis exercitus adjacebat, urbem infeſtare, fratremque à parte, qua erat, haud ſecus agere perdocuerat. Illi ſigno dato, quæ edocti erant, haud perficere ſegnes magno ſonitu irruunt. Urbs tota in arma ruens, quæ ſtrepitu tumultuantium accurrebat defenſioni, acceleranter graſſatur. A parte, qua minùs cavebant, vacillatur. A Guiſcardenſibus ſcalis appoſitis murus tranſcenditur. Urbs exterior capitur, portæ ferro ſociis ad ingrediendum aperiuntur. Dux, & Comes cum omni exercitu infra muros hoſpitantur. Panormitani deluſi hoſtes à tergo infra muros cognoſcentes, interiori urbe refugium petendo ſeſe recipiunt. Nox tumultum diremit. Proximo manè primores, fœdere interpoſito, utriſque fratribus locutûm accedunt, legem ſuam nullatenus ſe violari, vel relinquere velle dicentes, ſcilicet ſi certi ſint, quòd non cogantur, vel injuſtis, & novis legibus non atterantur. Quandoquidem fortuna præſenti ſic hortabantur, urbis deditionem facere, ſe in famulando fideles perſiſtere, tributa ſolvere, & hoc juramento legis ſuæ firmare ſpopondunt. Dux, Comeſque gaudentes, quod offerebatur libenter ſuſcipiunt anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo primo.

(122) C. P. *Braclem*.

A Adepti primò omnium, ſcripturæ fideles imitatores dicentis: *primùm quærite regnum Dei, & omnia adjicientur vobis*; Eccleſiam ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, quæ antiquitus Archiepiſcopatus fuerat, ſed tunc ab impiis Saracenis violata templum ſuperſtitionis eorum facta erat, cum magna devotione catholicè reconciliatam dote, & ornamentis Eccleſiaſticis augent. Archiepiſcopum, qui ab impiis dejectus in paupere Eccleſia S. Cyriaci, quamvis timidus natione Græcus cultum Chriſtianæ religionis pro poſſe exequebatur, revocantes reſtituunt. Deinde verò caſtello firmato, & urbe pro velle ſuo, Dux eam in ſuam proprietatem retinens, & vallem Deminæ, B cæteramque omnem Siciliam adquiſitam, & ſuo adjutorio, ut promittebat, nec falsò adquirendam, fratri de ſe habendam conceſſit.

CAP. XLVI.

Serlo occiditur.

CUm iſta geruntur, Serlo filius Serlonis, nepos videlicet utrorumque Principum iſtorum, cujus in præcedentibus mentionem fecimus, apud Ceramum morabatur ad tuendam provinciam ab incurſibus Arabicorum, qui apud Caſtrum Joannis ea tempeſtate morari dicebantur, à Duce, & Comite ſic juſſus. C Nam & medietas totius Siciliæ ex conſenſu Ducis, & Comitis ſuæ ſorti, Ariſgotique de Poteolis, inter ſe dividenda ceſſerat: eo quòd hic conſanguineus eorum erat, uterque autem conſilio, & armis probiſſimi viri erant. Arabici autem, qui apud Caſtrum Joannis morabantur, ſtrenuitate Serlonis, quia eis in multis infeſtus erat, plurimùm inimicabantur, jugique intentione dolo, vel armis ruinam ejus meditari nitebantur. Saracenus autem de potentioribus Caſtri Joannis nomine (122) Brahen cum Serlone, ut eum faciliùs deciperet, fœdus inierat, eorumque more per aurem adoptivum fratrem, alter alterum factum viciſſim ſuſceperat. Hic cum traditione cum ſuis compoſita, Serloni ſalutaria munuſcula cum amicabilibus verbis mandat, inter quæ etiam intulit iſta: Sciat fraternitas adoptivi mei, quòd D tali, vel tali die ſeptem tantummodo Arabici ex deliberatione jactantiæ terram tuam debent prædatûm adire, quod Serlo audiens ridiculo habere cœpit, minuſque ſibi proſpiciens, ex vicinis caſtris neminem ſibi in auxilium arceſſivit, ſed terminato die inconſultus venatûm feceſſit. Porrò Arabici, qui dolum compoſuerant, cum ſeptingentis militibus, & duobus millibus peditum de Caſtro Joannis digreſſi, haud procul à Ceramo in abditis locis inſidias ordinant, ſeptem tantummodo, ut (123) Brahen Serloni mandaverat, milites mandantes, qui Ceramo, prædâ captâ, Serlonem extrahunt. E Inſurgit clamor, ab incolis provinciæ tumultuatur, à Serlone, ubi venatûm ierat, tumultuantes cives audiuntur, ſed quia inermis proceſſerat, nuntium apud Ceramum, ad deferenda ſibi arma, ſuoſque invitandos mittens, ipſe quò clamor infeſtiùs urgebat, ſciſcitaturus quidnam eſſet, progreditur. At dum à ſeptem militibus præda abduci dicitur, arma ſibi delata corripiens adoptivi fraudi plus neceſſariò credulus improvidè ſubſequens, ultra inſidias progreditur. Illis autem ab inſidiis prorumpentibus, cùm hoſtes à tergo horribili armo-

(123) *Braclem*.

Digitized by Google

armorum turbine deprehenduntur, Serlo decertandi copiis, sed & fugæ præsidio diffidens, cum paucis, qui secum erant, petram, quæ ab ipso die Serlonis dicta est, cursu expetit: qua ascensa, à dorso pro muro ejus usus, diu fortiter, sed nullo aliunde auxilio adventante, incassum dimicatur, nam tandem confossus occubuit, nullusque ex omnibus, qui cum ipso erant, exceptis duobus, qui inter cadavera mortuorum latitaverant, evasit. Serlone exenterato Saraceni cor extrahunt. Ut audaciam ejus, quæ multa fuerat, conciperent, comedisse dicuntur. Capita verò occisorum in Africam Regi ad honorem mittunt, & caput Serlonis stipiti impositum, & per plateas urbis delatum à clamante est præconizatum, ejus esse, à quo præ cæteris Sicilia impugnabatur, hostes devictos nullo simili superstite.

A

B

Siciliam suæ sorti amodò (124) facere cessuram. Cùm ista apud Panormum Principibus nostris nuntiantur, exercitus totus turbatur. Comes amissione nepotis intolerabili dolore angebatur, Dux verò à lamentis fratrem suum coërcere volens, dolorem suum virili more occultare nitebatur: Fœminis, inquit, lamenta permittantur, nos autem in vindictam armis accingamur. Igitur, quia sejunctim ad invicem utrique fratres quisque suis utilitatibus lucrari studebant, excepto, quòd cùm necessitatibus incumberent, alter ab altero invitatus vicissim sibi ad invicem succurrendum venirent, huic libro, alium incœpturi finem ponamus, ut in sequenti de unoquoque nunc sejunctim, iterumque conjunctim, prout ipsa res expostulaverit, stylum alternemus.

(124) C. P. *facile*.

Explicit Liber Secundus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS.

QUoniam quidem arduas res, claroſque triumphos duorum procerum, Guiſcardi videlicet Ducis, Siciliæque Comitis Rogerii nunc ſejunctim, nunc verò gregatim, prout facere nos ſcripturas repromiſimus, limpidior poëtria ſi eſſet undæ, æſtuandum foret, ut res, quæ in ipſo nobili memoria clarent, nobilioris philoſophi penna chirographizaret, ne limpidiſſimus liquor, dum ad hauriendum porrigitur, fœtore incultioris vaſis etiam ab ipſis ſitientibus abhorreatur. Sed quoniam nos aureis fiſtulis paupertate prohibemur ad potandum, utimur interdum plumbea fiſtula, dulces liquores uſque deguſtaturi. Unde & lector quiſquis hiſtoriæ ſeriem perſcrutari temptat, non fallentia verborum commenta, ſed pompales triumphos memorandorum virorum attendat. Quæ enim inſeruntur non meæ, vel tuæ laudi, ſed illorum, qui faciendo meruere, ſubtitulantur. Quoniam ex edicto Principis tempus ſcribendi imminet, quod neglegendo hactenus minùs potatum eſt, ad fontem, quo hauriam, unde limpidiùs eructetur, recurrere ipſius Principis urguens feſtinantia prohibet.

CAPUT PRIMUM.

Apud Paternionem, & Mazariam Caſtella fiunt.

IGitur famoſiſſimus Siciliæ Princeps Rogerius Duce fratre, expeditione, poſtquam Panormum adeptus eſt, ſolita, à Sicilia verſùs Calabriam, & Apuliam, ut ſuas utilitates exſequeretur, digrediente, in Sicilia remanens, exercitus recedentis fratris minimam partem præmiis, & promiſſionibns illiciens, ex conſenſu ejuſdem Ducis ſibi retinuit. Siciliamque debellare ex omni parte aggrediens, jugi incurſione non minimum laceſſivit: & quamvis hactenus dum in his, quæ adquirebat cum fratre participaturus, ad plenum ſtrenuè egerit, nunc cuncta, quæ adquireret, ſuæ ſorti cedere certus, quaſi leo eſuriens, prædæque avidus, quietis impatiens, omnia circumire, periculoſioribus incœptis primus adeſſe, nihil intentatum relinquere patiebatur. Anno Dominicæ Incarnationis 1073. duo caſtella, unum apud Paternionem ad infeſtandam Catanam, aliud verò Mazariam ad debellandam adjacentem provinciam firmaverat: Dux verò à Sicilia in Calabriam veniens, apud Ruſſanum ejuſdem provinciæ urbem dolentibus urbicolis caſtellum firmavit.

CAP. II.

Guiſcardus Salernum obſidet.

GIſulfus ergo Salernitanus Princeps frater (1) Sigelgutæ uxoris Guiſcardi Ducis omnes (2) maritimos fines à Salerno, uſque ad portum, (3) qui Fici dicitur, Arecumque, & S. Euphemiam ſui juris eſſe volens, & partem à Guiſcardo (4) dietim pervadi audiens, versùs Ducem inimicitias injecit, omneſque ei adhærentes, quos capere poterat, contumeliis deturpans, noſtræ genti ſeſe inimicari non abſcondebat. Dux autem Guiſcardus, qui amicitiam ſibi promiſerat, primùm quidem patienter ferens, legatis ait ab incœpto reſipiſcat, convenire. At ubi videt, conceptam animo Principis malitiam, quanto plus lenire tentabat, eo ampliùs in deterius excreſcere, fœdere, quod inter eos erat, renunciato, inimicanti ſibi etiam ipſe inſedabiles amicitias parat. Sed quia inter ſe, & Ricardum Principem Averſæ inimicitiæ efferbuerant, veritus ne ab ipſo Giſulfo adversùm ſe ſuccurreretur, pacem cum ipſo fecit: quo in ſui adjutorium, quibuſdam pactionibus conducto, Salernum multis copiis obſeſſùm vadit.

CAP. III.

Malfetani cum Duce pacem faciunt.

MAlfetani verò Giſulfum exoſum habentes, timebant quippe ab ipſo puniri, eo quòd interfectores patris ipſius, dum eos ad ſubjugandum ſibi impugnaret, exſtiterant, à Duce invitati, ut ſibi ad obſidendum urbem navigio ſervitûm veniant, potentiores Duci locutûm ex conſenſu aliquorum accelerant. Dux itaque callidis pactionibus ſi aſſentiant, ſi autem diſſentiant minis terrendo attentans, tandem ad confœderationem compulit, ut ſi contra Giſulfum tuerentur, tota Malfa illi ſubjugata hæreditaliter fœderaretur. Duce verò omnia, ut expetebant, promittente, parte exercitus ad obſidendum urbem relicta, reliquam ſecum ducens, cum ipſis, qui inde venerant, apud Malfam vadit. Urbem ſibi à civibus deliberatam ſuſcipit. Quatuor caſtella in ea fecit. Militibus ſuis munit; inde cum multis Malfatanorum copiis Salernum redit. Sic deterrebat Malfatanos, ſi manus Guiſcardi quoquo modo evaderet timor Giſulfi.

CAP. IV.

Salernum deditur.

DUx verò navalibus, peditumque copiis, ſed & equeſtri exercitu Salernum vallans, frequenti incurſione congrediens undique deterrebat: in tantumque attrivit, ut nullo aditu ad victum introducendum, ſe, ſuiſque negantibus, patente, tantam famem ineſſe coëgerit, ut etiam vel mures, ſicut relatione eorum, qui præſentes adfuerunt, didicimus, à quibuſdam introrſum recluſis comeſſi ſint. Abagelardus verò filius Huniſredi Comitis, nepos videlicet Ducis, qui Salernum, propter inimicitias, quas cum Duce habebat, propter hæreditatem, quæ ab ipſo detinebatur ſibi, in adjutorium Giſulfi introierat, ingruente fame, Salerno clam de nocte digreſſus apud S. Severinam Calabriæ urbem Duci

(1) C. P. *Sigelgaitæ.*
(2) *maritimanos.*
(3) *quem fecit, & ſtatum fenham.*
(4) *diatim pervadere.*

Digitized by Google

Duci infestus fieri secessit. Dux autem in Siciliam ad fratrem mittens, ut Abagelardum nepotem apud S. Severinam obsessûm vadat, non incassum mandavit. Ipse verò urbis Salernitanæ infestationi indivulsè persistens, tandem ad deditionem coëgit: Gisulfo verò, quia frater erat suæ collateralis, liberorum fratrum avunculo, quocumque vellet abeundi libertatem dedit: urbem autem sua in virtute retinens, castellis, & munitionibus pro libitu suo aptavit.

CAP. V.

Comes Rogerius Abagelardum apud S. Severinam obsidet.

INde quietis impatiens, nulloque labore, ubi aliqua spes cujusque lucri designabatur, deficiens apud S. Severinam, ubi fratrem prævenire invitaverat, nepotem Abagelardum obsessûm vadit: fratremque, quem ad hoc invitaverat, ab uno latere urbem obsedisse inveniens, ab altero latere ipse consedit. Abagelardus autem diutim urbe digrediens, nostros ad certamen provocando, dum alternatim fortiter, sæpeque congreditur, multa militiæ congruentia perpetrata sunt. Porrò Dux videns se minùs in urbem proficere, consilio cum suis habito, tria castella firmavit. Unum Hugoni Faloch, alterum Rainaldo de Simula ad urbem infestandam delegavit, tertium autem Herberto fratri Hugonis, & (5) Custinobarbo fratri Rainaldi. Sicque expeditione soluta in Apuliam secessit, ubi non multò post apud Cavam, in quodam congressu Heremannum Comitem, fratrem Abagelardi capiens, Rogerio fratri in turri Melitensi retrudendum mittit: qui dum in vinculis obscuro carcere cruciaretur, Abagelardus fraterna compassione tactus, pactionem cum Duce, ut urbem sibi reddens fratrem recipiat, facit. Duce itaque, hac calliditate illum deludendo, fidem dante, ut cùm apud Garganum venirent, sic enim castrum quoddam dicebatur, fratrem sibi captione liberum redderet, ille incautus verba argumentosa minimè advertens, urbe digrediens Duci eam reddidit: sicque cum ipso aliquantisper commoratus fratris redditionem frustra suspicabatur. At cùm Russanum ventum est, asperiùs cum Duce, quòd nimium protraheretur, fermonem habuit: versùs Gargantum iter acceleret hortatus: tum verò Dux dolum aperit: infra septem futuros annos, se illuc, quò dixerat, non iturum asseruit. Ille sic calliditate verbi se circumventum animadvertens, plurimum cum Duce altercatus, irato animo discedens in Apuliam castro S. Agadii seditiosus sese cum suis recepit.

CAP. VI.

Dux S. Severinam recuperat. Castro S. Agadii Dux Abagelardum obsidet.

DUx itaque sciens illum ad hoc niti, ut totam Apuliam versùs se, pro posse, commoveat, exercitu excitato, illum insequens obsessûm vadit; sed castro natura, munitione, defensalibus firmissimo, cùm diutiùs in oppugnando persisteret, ipsis, qui intra erant fortiter agentibus, plus damno suorum perturbabatur, quàm versùs castrum proficeret. Abagelardi autem de amissione fratris dolor in dies excrescebat, neque vincula, quibus frater artabatur, ipsum haud secus, ac illum ex recordatione angebant, unde & frequentiùs casus fratris quibuslibet pactionibus meliorare attentans, vix tandem obtinuit, ut castro reddito, fratrem recipiens, quò & sibi liberet, abscedere liceret. Sicque fratre recepto pariter discedentes, mari transmeato, ad Imperatorem Constantinopolitanum transeunt.

CAP. VII.

Comes Rogerius in monte Calataxibet castellum facit.

FAmosissimus ergo Siciliæ Princeps, & debellator Rogerius apud Siciliam in omnibus strenuè agens morabatur. Neque enim aliqua delectatione se retrahente, hostibus absens fieri patiebatur, quippe quem egestas, labor, minæ hostis, imminens jugis decertatio, vigiliæ, vel vita asperior ab incœpto non deterrebant, sed potiùs quantò asperitatibus quatiebatur, eò ardentiori constantia, ipsa humano more animo suo innata dominationis cupidine, vincere, quàm vinci nitebatur. Et quamvis omnia cupiens esset, impensiùs tamen zelo potiendi Castrum-Joannis angebatur. Quod si adeptus foret, sciebat se, quasi (6) pro firmo ad totam Siciliam pro libitu suo ventilandam. Tali, tantoque urguenti desiderio anno Incarnati Verbi 1074. in monte Calataxibet castrum firmavit, quod militibus, & reliquis, quæ necessaria erant, muniens, Castrum-Joannis infestissimum redditur.

CAP. VIII.

Africani Nicotrum destruunt.

AFricani ergo Saraceni à familia Regis Tunicii ex ejus edicto, navibus per mare piratarum more vela ventis committentes, maritima litora versùs Siciliam, & Calabriam insidiatûm vadunt. Sicque Junio mense in vigilia B. Petri apud Nicotrum de nocte appulsi cives incautos, & præ gaudio instantis sollemnitatis, vino ex more, somnoque gravatos opprimunt, semisomnes alios perimunt, alios capiunt, ipsos etiam pueros cum mulieribus, omnique suppellectili vehibili prædam navibus inducunt, castrumque totum incendio concremantes, remige accelerato in altum recedunt. In crastinum ripæ propiùs accedentes pueros, & imbecilliorem familiam amicis redimere volentibus, pretio accepto, navibus ejicientes partim exonerantur, reliquos, qui alicujus utilitatis videbantur, adducunt, sicque vela ventis committentes patrios agros, unde venerant, læti revisûm tendunt.

CAP. IX.

Africani apud Mazariam vincuntur.

ANno verò Incarnationis Domini 1075 quia in præcedenti anno pro libitu sibi favente apud Nicotrum prosperè accurrerat, plus necessario cupidine avaritiæ insolentes, simile sibi evenire frustra rati, navibus ascensis versùs Sici-

(5) C. P. *Tristomo Barba.*

(6) C. P. *pro flagello uti.*

Digitized by Google

Siciliam fortunam tentatûm navigant, insulamque circumcurrendo tentantes, tandem apud Mazariam appulsi sunt. Navibus digressi urbem magna vi oppugnantes irrumpunt, castrum autem, quod infra erat, fortiter repugnantibus per octo dies obsident. Comes verò per legatum comperto castrum, suosque hostibus infestari, clam de nocte, armata manu castrum ingressus, summo diluculo per portas prorumpens, cum hoste in platea urbis ante castellum congreditur, fortiterque ex more agendo victor efficitur, pluribusque peremptis, reliquos fugientes extremos quosque in mare prosequitur. Mazara ducis strenuitate ab hoste eripitur. Gemebundus rumor à paucis, qui evaserunt, Africæ nuntiatur, sicque rotabilis fortuna homines primò prosperis successibus alludendo, illectos spe priorum eventuum deceptos risit.

CAP. X.

Hugo de Gircea apud Catanam occiditur.

COmes verò, quibusdam necessitatibus se avocantibus à Sicilia, versùs Calabriam digrediens, (7) Hugonem de Gircæa, cui propter strenuitatem, quam habebat, nam & præclari generis à Cenomanensi provincia erat, (8) totam servandam Siciliam delegavit, interdicens, ne si Bernarvet, quia vicinus sibi Syracusis morabatur, aliquem incursum versùs se faceret, callidas ejus versutias cavens, nusquam urbe digrediens, hostem persequeretur. Sed juvenilis animus militia fervens, & laudis avidus, quod sibi interdictum erat minùs servans, ad hoc niti cœpit, ut ante reditum Comitis aliquod nobile facinus, unde militarem laudem mereretur, perpetraret. Unde & Trainam usque progrediens, Jordanum Comitis filium cum familiari militia Comitis secum Catanam adduxit. Porrò Bernarvet magno electorum militum exercitu congregato de nocte accedens, haud procul à Catana in abditis locis insidiis occultatur, triginta militibus Catanam usque præmissis, qui eos ad certamen excitatos longiùs ab urbe protraherent. Hugo verò, & Jordanus militia ferventes, suos ad certamen cohortando, urbe cum magno impetu digrediuntur: trigintaque electos milites insidias speculatûm mittentes, ipsi incautiùs insequi accelerant. Porrò speculatûm præcedentibus locum insidiarum transgressi, dum à subsequentibus usque perventum est, illi ab insidiis prorumpentes, hostibus horribili turbine insurgunt. Itaque qui præcesserant, insidias à tergo videntes, nec ad suos, hostibus interpositis, regredi posse, Paternionem fugientes evadunt. Nostri verò dum fortiter congredi nituntur, Hugo Comitis gener cum pluribus occiditur, Jordanus autem hostes ferre non valens, cum paucis Catanam elabitur. Bernarvet lætus cum spoliis Syracusiam regreditur. Comes itaque rumorem hujuscemodi per legatum cognoscens reditum accelerat: exercituque adversùs Bernarvet commoto, castrum, quod Zotica dicebatur, oppugnans, funditus diruit, viros perimit, fœminas cum pueris in Calabriam venditûm mittit: anno Incarnati Verbi 1076. Sed quia animus Principis, dolore generi interfecti, ad mentis debilitationem pœne infectus nisi majori vindicta sanari minimè poterat, ampliorem vindictam expetens, usque ad provinciam Notensem profectus, ita omnia exterminavit, ut etiam ipsas messes, tempus enim trituræ instabat, quia asportari non poterant, penitùs igne combusserit: quod etiam passim per diversa loca Siciliæ facere addens maximam egestatem ipso anno eidem Insulæ incussit:

Nascitur ergo fames quia sustulit ultio panes.

CAP. XI.

Trablas obsessione ad deditionem cogitur.

ANno Verbi Incarnati transacto millesimo,
Adjectoque super mille septies undecimo:
Expeditionem movet Comes mense Madio.
Naves vela dant per æquor suffragante Zephyro.
Æra sonant, buccinando pontus plaudit jubilo.
Classis magni Alexandri non (9) hac pulchrior.
Aura ridet cum fortuna: pubes gaudet bellica.
Citharizant ad hoc docti, resonant & tympana.
Trablas (10) ergo oppugnatûm, nil tumescunt æquora.
Sed transcendit equitatu Comes fronte bellica,
Montium scopulosorum ima, sive ardua,
Bellicosæ juventutis multa fultus copia.
Clypeos auro fulgentes, & splendentes galeas
Sol cùm tangit, intuentum aciem reverberat.
Montes omnes splendescunt super clara sidera.
Equi fremunt, dant hinnitus, (11) æquè montes resonant.
Mille flante aura levi vexilla subventilant.
Horrido aspectu satis versùs Trablas properant.
Hostes vident: exhorrescunt hanc armorum nebulam.
Terra, ponto sonant tubæ, ut metum incutiant.
Clamor usque cœlum pulsat: hostes infra trepidant:
(12) Urbem vallant circumquaque æquore, vel arida.
Nautæ velis obumbrantur, terræ figunt anchoras.
Equitum pars frondes cædit, pars figunt tentoria.
Crebro currunt ad certamen, fortiter congreditur.
Hostis nisus repugnare, plurimùm (13) concluditur.
Castro luctus post certamen, nostris lyra additur.
Hostes viribus diffisi tandem pacem expetunt.
Cedit Comes, castrum reddunt, (14) ditionem subeunt.
Fœderantur more suo: sed dolentes faciunt.

Ab hac eadem urbe strictior sinus terræ ab utroque latere (15) mari urguente, longiùs in mare porrigitur, pascuis uberrimis abundans. Ibi armenta, & cætera urbis animalia hostili tempore pasci consueverant, quò cùm ex more, propter instantes hostes diatim exirent, nostri brevi sinu interposito conspicientes, cœperunt, ut in tali gente assolet, aviditate, si aliquo astu queant, adipiscendi agitari. Jordanus

(7) C. P. *Hugoni*.
(8) *cum filia sua de priori uxore Catinam dederat, totam &c.*
(9) C. P. *fuit*.
(10) *itur*.
(11) *echo*.
(12) *Urbs vallatur*.
(13) *colliditur*.
(14) *ditioni*.
(15) *mare*.

Digitized by Google

danus filius Comitis ad id negotii peragendi intentionem certiùs apponens, ut hanc sibi famam militaliter præ cæteris adquireret, agebat. Tandem itaque, ut erat vir præsumptuosissimus, & laudis avidus, cum sibi familiaribus consilio habito, quodam vespere centum sibi milites eligens, patre inconsulto naves ascendit, de nocte Insulam pervadit, applicans navibus digreditur : in concavitate quadam ejus Insulæ, antequam illucescat, occultatur insidiis. At ubi nocte recedente sol irradians terris illuxit, tota (16) civitas prædicta ex more, urbe digrediens, pascendi gratia ipsam Insulam sparsim præoccupat. Porrò Jordanus ubi in insidiis occultabatur, prædam longiùs ab urbe progressam conspiciens, impetu leonino à loco prorupit, usque in portam urbis prædam colligens prosilit, navibus introducendam illorsum minare accelerat. Cives itaque Insulam suam insperatò hostibus pervasam videntes in arma ruunt. Maximo impetu, usque ad decem millia ab urbe prorumpunt, hostes, ut prædam excutiant, inconsultè prosequuntur. Nam ubi Jordanus longiùs ab urbe eos progressos videt, spretâ prædâ, hostibus leonina ferocitate occurrit, congressuque facto, acerrimè utrimque pugnatur. Sed Jordanus, ut erat in congressibus fœcundissimus, suos verbis exhortatoriis promptiores reddens, fortiter agendo plures sternit, reliquos fugat, victor efficitur, quosque cædendo usque in portam urbis prosequitur, sicque ad naves regrediens maximâ prædâ (17) lætanter introductâ, ad patrem impunè cum triumphali laude redit. Hac re urbs quasi maximè territa ad deditionem, ut diximus, compulsa est. Comes itaque urbem nactus pro libitu suo castro, & cæteris munitionibus ordinat, militibus, & quæ iis necessaria erant, munit, turribus, & propugnaculis undique vallans. Sed undique adjacens provincia firmissimè circumsepta, munitissima erat, & ideò adhuc recalcitrans rebellat. Comes laboris indeficiens crebris incursionibus, ut sibi omnia substernat, infestare aggreditur, brevique termino usque ad duodecim famosissima castra suo dominio obediendo subire coëgit, quæ militibus suis distribuens ; cum omnibus appendiciis suis de se habenda delegavit. Sic exercitum, omnibus pro exhibitô sibi servitio gratias agendo, solvens, ipse Bricam à labore pausatûm secessit.

CAP. XII.

Castrum-novum Comiti fœderatur.

EA quidem tempestate quidam Saracenus Bechus nomine Castrum-novum possidens, illic morabatur. Erat autem idem vir magnæ superfluitatis, & arrogans, unde & ipsos suos fideles levitate sua interdum diversis contumeliis afficiens, sibi infideliores reddebat. Hic quadam die cum Molendinario suo iratus, ante se invitans verberibus deturpavit. Porrò ille se adeò grave ferre dissimulans, in vindictam tantæ dehonestationis animum intendens, secum tacitus agebat, quibus artibus vel damno rerum suarum, aut certè læsione corporis vicissitudinem recompensaret. Unde accidit, ut quodam vespere, de subjacentibus compli-

A ces sibi alligans, petram quandam, quæ omni castro supereminebat, & dominabatur, irrumpens pervadere, legatumque apud Bricam Comiti mittens, in sua fidelitate se ita egisse, & ut sibi succurrere acceleret, mandat. Hoc nuntio Comes accepto, plurimùm exhilaratus, cum quantis habere poterat, citissimus illorsum intendit. Porrò Bechus Molendinarium blanditiis, & promissionibus, ut ab incœpto resipiscat, sibi reconciliare dum minùs prævalet, frustra oppugnare nitebatur. Comes verò adventans propiùs accedit, Molendinarium amplissimis promissionibus in sui fidelitate arrigit. Ille cùm nulla ex parte aditus ad se accedendi nostris pateret, fune oblato demisso, B quosdam nostrorum ad se pertrahit. Bechus itaque videns nostros à Molendinario infra petram susceptos, spe retinendi castri amissa territus, castro spreto, omnia, quæ poterat, asportans aufugit, cives cum Comite pacem facientes infra castrum recipiunt. Comes verò sic castro potitus pro velle suo muniens ordinat, Molendinarium, ut cæteris, ad similes actus exequendos exemplum tribuat, pluribus benefactis, libertate etiam concessa remunerat.

CAP. XIII.

Michaël Imperator ad Ducem venit.

C EOdem anno Græcus quidam sub nomine Michaëlis Imperatoris Constantinopolitani ad Ducem in Apuliam vênit, auxilium expetens ad palatium (18), à quo, ut dicebat, fraude suorum, in die Sancto Parasceve dejectus fuerat, monachusque violenter fieri compulsus hoc solo crimine objecto, quòd filiam Ducis filio suo nuptui acceperat. Ipse quoque filius, ne spe aliqua recuperandi palatii, vel deductæ uxoris procurandæ propaginis reservaretur, turpiter eunuchizatus, usque ad exitum vitæ exilio relegatus est : alio in locum expulsi in palatio subrogato, quem nec aliqua, vel extrema antiquorum Imperatorum linea ad id hæreditatis jure gentium invitaverat. Timebant denique Græci, ne si ex nostræ D gentis uxore hæredes procreati in palatio (19) successerant, occasio liberiùs illuc accedendi nostræ genti daretur, & gens deliciis, & voluptatibus, potiusquam belli studiis ex more dedita, nostrorum strenuitate subjugata conculcaretur. Ipsam Ducis filiam reclusam diligenti custodia observabant, ne fortè si alicui potenti nuberet, quia hæreditali Imperatori semel in palatio coronata fuerat, ab ipso cui nuberet, aliqua hæreditas per ipsam in palatio proclamaretur. Michaël itaque à monasterio, in quo monachus coactus erat, habitu ejecto, ut dicebat, profugus, in Apuliam veniens à Duce Imperiali honore susceptus, per E omnes civitates Apuliæ, sive Calabriæ processionibus, & Imperialibus pompis ex edicto ejusdem Ducis accuratissimè obsecundatur. Et hoc quidem totum ex industria Dux faciebat, (20) quandoquidem animum eum in palatio restituendi haberet. Audierat nempe generum suum eunuchizatum, unde spe suscipiendæ de filia prolis, cui palatium jure hæreditali competeret, amissa, ad hoc inter se nitens (21) tutiùs agebat, ut sub nomine Michaëlis, quibusdam sibi faventibus, Græcis faciliùs debellatis,

(16) C. P. *tota civitatis prædicta.*
(17) *licenter.*
(18) *recuperandum.*
(19) *subscresçerent.*
(20) *non quod animum &c.*
(21) *tacitus.*

Digitized by Google

latis, cùm ad palatium usque perventum foret, vi coronam cum sceptro, & Imperialibus ornamentis pervadens, ipse Imperator fieret. Promittens tantùm se sibi auxilium laturum, per duos ferme & ampliùs annos honore, quo cœperat, eum secum detinuit, donec ea, quæ tanto incœptui necessaria forent, apparabantur. Erant autem tunc etiam quidam cum Duce, qui in palatio tempore Michaëlis Imperatoris servientes faciem ejus se novisse, & hunc simílem minimè, vel in modico assimilari dicerent: sed fraudulenter hunc speciali cujus à Duce accipiendi muneris advenisse. Porrò Dux, uterne, an pro certo esset æquipendens, cùm multus susurrus inter suos super tali negotio fieret, ab incœpto minimè deterrebatur, sed potiùs quod cœperat exequens, cùm ipse non esse hunc dubitaret, nil de hac re dubitare asserebat, & hoc ex industria quidem laudans suos faciebat, ne ab ipsis ab incœpto dehortaretur.

CAP. XIV.

Dux classem aptat versùs Græciam.

TAlia disponens, tacita sed mente reponens:
Sumptibus insudat, quo Byzantium sibi ludat.
Undiqué terrarum quærit spem materiarum.
Nulla remittuntur, nec rustica despiciuntur.
Sed prodesse queunt, quæ jam despecta fuerunt.
Ligni cæsores mandantur in arte priores.
Undique terrarum conducitur ars tabularum.
Robora cæsa cadunt, resecantur, sectaque radunt
Artifices ligni. Ferrum faber applicat igni.
Anchora conflatur, clavorum forma paratur.
Compago navis (22) texitur superaddita clavis.
Obducunt imas alii lanugine rimas,
Atque picem liquidam properant superaddere quidam.
Vela suunt isti, studium dant funibus isti.
Classis adaptatur, non navis sola paratur.
Crescat ut in numeros studiosiùs imminet heros
Omnibus aptatis, & navibus arte paratis,
Per liquidū pontū classis conflatur Hydruntum.

CAP. XV.

Comes Tauromenium obsidet.

INterim dum ista aguntur anno instante 1078. Comes Tauromenium obsidens viginti duobus castellis vallavit: ita ab uno in alterum sepibus, & (23) stropibus claudens, sed & navalibus copiis à procinctu maris cingens, ut nullo latere pateret aditus ad castrum volentibus hostibus aliquid introducendi, vel educendi. At dum quadam die de castro in castrum per præcipitia scopulosi montis Comes visūm transiret cum paucis, pars quædam (24) Sclavorum inter myrtetica virgulta latitans in quodam artioris transitus loco prorumpens irruit. Et nisi Evisandus quidam natione Brito, audito strepitu armorum se se Comiti, & hostibus interposuisset, de ipso Comite, ut ajunt, hostibus triumphus cessisset. Sed cordium solus inspector Deus bonam intentionem Principis in præcedentia, sive subsequentia per eum futura bene prænotans aliter (25), quàm illi moliebantur, rem transtulit. Scriptum quippe est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

CAP. XVI.

Evisandus pro Comite occiditur.

EVisando itaque in domini fidelitate taliter interfecto, dum nostri in arma ruunt, hostes per præcipitia scopulosi montis elapsi sunt. Sic mors Evisandi (26) vice Comitis sub Dei præsidio fuit. Comes autem fidelitatem ejus honestè remunerans, corpore humato decenter, multa beneficia egenis, & sacris locis pro redemptione animæ ejus, nec immeritò contulit. Montium autem cacumina cum ipsis vallibus perlustrans, peditum copiis iter faciens, à monte, qui ab incolis Gibel appellatur, quem nos Etnam dicimus, usque Trainam neminem ejusdem superstitionis impunitum dimisit.

Militibus multus planctus fuit, iste sepultus.
Nam suo merito carus fuit undique Brito.
Pro merito fidei sortem capiat requiei.
Cui cùm sit ita mors, est Comiti data vita.
A Juda (27) discat, quem tanta fides sibi dicat.
Ille Deum vendens, laqueo se postea pendens
Mortem mercatur, cum traditione notatur:
Hostili cultro spes hujus se dedit ultro,
Ut dominum servet, meritumq; sibi coacervet.
Non virtute pari debent ii subtitulari.
Traditor alter erat, ut salvet & alter anhelat.
Angelicam pennam capiet hic, ille gehennam.

CAP. XVII.

Golafri ab Africa sub Tauromenio visi sunt.

QUatuordecim ergo naves, quas Golafros appellant ab Africa regis Tunicii piratarum more per mare palantes sub Tauromenio appulsæ, quodam diluculo à nostris in mari haud longè anchoris fixis conspiciuntur. Nostræ autem naves armatis expositis, minùs erant ad exequendum paratæ. Comes autem latronem, quinam sint, quave de causa, vel unde, hostes ne, an pacem portantes advenerint, sciscitatūm mittit. Interminando subjunxit: si in tanto sui juris vel modicum quid injuriæ, vel feciſſent, vel facere, attentare præsumerent, nusquam impunitos à se evadere posse. Ac dum nil mali adversùs ea, quæ ejus juris erant, sub excusatione, & obtestatione legis suæ machinari renuntiantur, sed potiùs ex edicto Regis Tunicii, ut infestos piratas à mari, si invenirentur, propellerent, missos, ejus famulatui, si necesse foret, inservire paratos, primi cujusque navis ad amicum colloquium invitantur, ut si vel victu, vel aliis quibuslibet rebus minùs sufficientes essent, ejus munificentiâ supplerentur; qui dum invitationi assentientes fœdere suscepto advenire apparārent, aura contraria insurgente, naves cum ipsis per æquora pulsæ ab intuitu nostrorum protinus sunt avulsæ:

Sic quos invitat, boreas accedere vitat.
Et quod promisit dare, ne daret aura recisit.

CAP.

(22) C. P. *tegitur*.
(23) *scropibus*.
(24) *Scalanorum*.
(25) *& quàm &c.*
(26) *vitæ*.
(27) *distat*.

CAP. XVIII.

Tauromenium capitur.

AT Comes intentus fuerat quibus ante retentus:
Obsidet, & pugnat, castrum pro posse repugnat.
Certamen (28) datur, Comes huc (29) pertare conatur.
Quamvis cura ligat, tamen hûc res nulla fatigat.
Instat, & hortatur, hostes virtute minatur.
Dat, dare promittit, nil non tentando remittit.
Ad quod adhortatur socios, prior esse probatur.
Cùm sit certamen, & fratribus esse levamen,
Ante suos fertur, cum posteriore refertur.
Primus ad excubias (30) Othonus, alter Elias:
Tertius Arisgotus, Jordanus abinde remotus
Esse recusavit, socios hæc ars animavit.
Exiit edictum, liceat ne quærere victum.
Sic devincuntur, nostri statione fruuntur.
A montis magno prohibentur abundiq; stagno.
A (31) nullo subduntur (32): post addita deminuuntur.
Unde fames crevit, congressus ab hoste quievit.
Decrescit virtus, habet hostis jam prope victus.
Solo securus, quòd cingit abundique murus.
Ut det congressũ (33), cavet extra figere gressũ.
Deficit ut panis, populus superatur inanis.
Sic Comes accitur, castro pro velle potitur.
Arbore sub lauri curvantur mœnia Tauri.
Fœdere confecto, dolet hostis in hoste recepto.
Sed quamvis doleat, non dissimulando revelat.
Cur doleat nostris, quia lætus erat suus hostis.
Si sic fortuna diversa sit, est tamen una.
Illis fit tristis, gaudens cognoscitur istis.
Sextus erat mensis quo fervidus eminet ensis.
Piscibus obsedit, fervente Leone recedit.
Tanto sibi adjumento collocato divinitus,
Ne appareat ingratus vilipendens Rogerius,
Secum cœpit deputare quid litaret potius.
Cœmentarios conducens undecumque aggregat.
Templi jacit fundamenta in urbe Tainica.
Ad quod perstans (34) ævo brevi superat.
Laquearia tectorum ligantur Ecclesiæ.
Parietes depinguntur diverso bitumine.
Consecratur in honore Virginis Puerperæ.
Multa dote augmentatur, terris, sive decimis.
Ornamentis palliatur, & diversis copiis.
Cathedra Pontificatus sublimatur insulis.
Sacer Clerus augmentatur, prout sumptus suppetit.
Altaris vasa, vel vestis plusquam Clero sufficit:
Candelabra, cruces, textus, (35) ac cerafumbuli.
Ex metallo signa fiunt plebem invitantia.
Melodiam dulcem reddunt, (36) pulchrè consonantia.
Melodizat sacer Clerus hymnos sacrîs laudibus.
Præsul verba sacræ legis seminat in gentibus.
Divinus cultus arcessitur pluribus credentibus
Cui debent hæc ascribi nisi tanto Principi?
Qui reduxit sacram legem, unde priùs corruit.
Cujus ope fit hoc totum, & hanc legem (37) edidit.
Textum libri persequamur: nam ista sufficiunt.
Sermo nimis inculcatus interdum fit tædium.

(28) C. P. *durat*.
(29) *persistere curet*.
(30) *Crotonius*.
(31) *Nulla sub adduntur*.
(32) *prius*.
(33) *timet*.
(34) C. P. *studiosus*.
(35) *acerra, thuribuli*.

A Subsequens stylus narrabit, si quid est residuum.
Urbs Traina felix gaude, (38) da dignas laudes titulo.
In te primò reparatur divina (39) legio.
Messana consociata pari servit clypeo.

CAP. XX.

Jacenses, & Civenses Comes obsidet.

INcarnati Verbi anno millesimo septuagesimonono Jacenses naturâ montis in quo habitabant, numerosa multitudine suorum fisi; erant enim usque ad tredecim millia familiarum, jugum nostræ gentis abhorrentes statutum
B servitium, & censum persolvere renuntiant. Comes verò per legatos eos conveniens, nunc blandimentis eos mulcendo, nunc minis attentando, ne contra se insurgerent, neve (40) per vitium incurrerent, neve eum irritando contra se excitarent, ab incœpto detrahere nitebatur. At ubi minùs proficit exercitu admoto, quos blanditiis, vel minis nequit, virtute attentando flectere aggreditur. Mons autem, quem inhabitabant, ita ab omni latere scopuloso præcipitio erat munitus, ut ex nulla parte ascensus pateret, excepto uno solo arcto, arteque exciso aditu, quo civibus egrediendi, & ingrediendi iter porrigebatur, &
C hoc in excelsiori cacumine ejusdem ascensus porta, murusque ex utroque latere in longum porrectus munibat. At quia mons hic spacioſi ambitus minùs claudi obsidendo poterat, illis potissimùm in locis, ubi infestiorem se hostibus fieri posse existimat, sedes ponit. Porrò Jacenses ac si pro vita certare, instare, omnia circumire, nil remittere, quibus partibus plus timebant loca munire, inde fatigabiles adesse vigilanti cura studebant. Et quia armenta suа, & pecora secum in abditis ejusdem montis, cavernosisque locis à pervasione hostili tuta aggerebant, & minùs ab hostibus ea diripi metuentes, obduratiores erant. Comes autem quantò eos in sui defensione attentiùs instare videbat, tantò altiori ira inflammabatur, quò se eos minus lædere posse cognoscebat. Non ab incœpto deterrebatur, sed eo instantiùs quo prævaleret omnia conando nitebatur. Sicilienses ergo milites suos, quibus jam impertierat possessiones Insulæ, quantum subjugaverat, apud Parthenicum, & (41) Cortitum dimittens, Jacensibus infestos fieri præcepit: ipse cum Calabrensibus Cinisum, qui similiter contra se recalcitrabat, obsessûm vadit. Sicque uno, eodemque tempore uno in confinio duas obsessiones, & à se divisas ponens, utrasque fortissimè tenuit, atque de una ad aliam sæpissimè migrans hortari, instare, per se ipsum omnia attentare, hostibus infestus adesse, nunc minis, nunc incursionibus terrere, (42) suis blandiri, plurima largiri,
E ampliora (43) largire, in sui fidelitatem arrigere, hostibus infestos reddere non desistebat.

CAP.

(36) *pulchræ consonantiæ*.
(37) *addidit*.
(38) *digna laudis titulo*.
(39) *religio*.
(40) *perjurium*.
(41) C. P. *Cornilium*.
(42) *suos*.
(43) *permittere*.

Digitized by Google

CAP. XXI.

Eoſdem capit.

MEnſis erat ſextus (44) Sextilem denotat æſtus:
Hic ſtudet ut lædat, ſtudet alter ut ille recedat.
Lædunt, læduntur, ſic alternando premuntur.
Sic paribus votis non deficit hoſtibus hoſtis.
Tempus erat meſſis, armis macerat ita feſſis.
Uruntur meſſes, turbat res iſta Jacenſes.
Quodque (45) jam lædit Cinenſibus haud bene cedit.
Conſilium captant, ſuccurrere meſſibus aptant.
Sed cùm vi nequeunt, hoc artibus addere quærunt.
Conveniunt Comitem, tentant ſibi reddere mitem,
Fœdere componunt; fraudis munimenta reponunt.
Fruges ſalvantur, Comitique reconciliantur.

CAP. XXII.

Comes filiam ſuam Comiti Provinciæ dedit.

IGitur anno Dominicæ Incarnationis 1080. Raimundus famoſiſſimus Comes Provinciarum famam Rogerii Siculorum Comitis audiens, propter ſtrenuitatem, quæ de ipſo referebatur, legatos dignos, qui à tanto ad tantum dirigerentur, mittens Mathildim filiam ſuam, quam de prima uxore admodum honeſtæ faciei puellam habebat, ſibi in matrimonium copulandam expoſtulat, quod cùm à Comite conceſſum, (46) renuntiant, qua de re ille non minimùm gaviſus; erat enim propter formoſitatem, quàm de ipſa audierat, illam ardentiſſimo amore cupiens, audito termino nuptiarum, per ſe ipſum in Siciliam accedendo, diem prævenire accelerat, venientem Comes honore condigno excipit, pactiones renovantur, (47) dos puellæ ſub teſtamento (48) chirographizatur; ſponſalia præſentibus (49) utriſque partibus, precibus ab Epiſcopis, & ſacris ordinibus catholicè celebrantur. Qui jamdudum inter juvenem, & puellam paulatim adoleverat, prima nocte, ut aſſolet, immenſum excreſcit. Celebratis itaque, & non ſinè magnarum expenſarum ſumptibus nuptiis, ſocer generum ſuum aliquandiu ſecum retinens, tandem munificentiis benevolum, ut res ipſa expoſtulabat, factum, ſed & iis, qui cum ipſo advenerant ſingulis ſingula, prout quemque eſſe ſciebat, largiens, navibus apparatis placido æquore à ſe cum filia dimiſit. Illi autem vela ventis (50) accuratiſſimè comittentes, zephyro (51) ſuffragante, brevi tempore unde venerant, cum ſponſa (52) reducunt.

(44) C. P. *boſtilis detonat.*
(45) *Jacam.*
(46) *& ab utriſque partibus exſequendum Sacramentis firmatum fuiſſet, die nuptiarum ſtatuto, qui venerant pluribus donariis à Comite munificati, feſtiniore greſſu domino ſuo ſibi congreſſum renuntiant, &c.*
(47) *utriuſque partis proceribus.*
(48) *chirografatur.*
(49) *partis præſulibus, ab ipſis.*

CAP. XXIII.

Caſtum conjugium laudatur.

SPernit nata patrem, puduit nec (53) relinquere matrem.
Extremo Comiti (54) ſociatur delectari.
A quo nutritur caret, (55) hic alteroque potitur.
Pœna quidem multa cùm (56) nutrix, cùm ſit adulta.
Nec (57) quæ nutritur laſcivo fratre potitur.
Plus externum quàm quem ſit jure paternum.
Nec nimis hoc culpo, quamvis hîc talia ſculpo.
Nec prohibens vito, cùm fiat (58) invita marito
Diligat & juſtè fœdus ſervando venuſtè.
Nam quos lex jungit, ſententia nulla repungit.
Ut ſoboles creſcat, ne deficiendo tabeſcat.
Prima virago datur, primoque viro ſociatur.
Tali fortuna duo ſint ut carne ſub una.
Lex ita divina præcepit, non peregrina.
Pinxit ſcriptura quæ ſunt facienda futura:
Poſtponat patrem, poſtponat denique matrem
Quiſquis & uxori jungatur amore priori,
Jure maritali ſervatur linea tali.

CAP. XXIV.

Dux Romaniam vadit.

IGitur famoſiſſimus Apulorum, & Calabriæ Dux Robertus dietim inſtigante ſe Michaële, qui ad ſe transfugerat, ut cœperat, versùs Romaniam animum intendens, anno Dominicæ Incarnationis 1081. menſe Majo apud Hydruntum vênit: apparatiſque pro proceſſu ſumtibus tanto incœptui dignis, quindecim naves trans mare aliquam urbem præoccupatûm mittit: ut cùm ipſe cum reliquo exercitu ſubſequeretur imbecille vulgus, cujus pars maxima in expeditione erat, quo ſe ab hoſtili incurſu, ſi neceſſe foret, tueretur haberet. Illi verò vela ventis committentes de nocte apud Corofon applicant. Inſulâque de mari eminus inſpectâ, multitudinem hoſtium, quam invenerunt abhorrentes, minimè à navibus progredi præſumunt, ſed reditum acceleranteſ, Duci placidum, etiam ſi major eſſet exercitus, renunciant. Dux itaque plurimùm exhílaratus copiis navibus introductis feſtinus cum omni claſſe tranfretare accelerat, pluribus ex remanentibus amicis, quibus Apuliam, Calabriamque procuratûm delegaverat, timore eum, & qui cum ipſo abibant, amittendi, uſque ad ipſa lachrymarum indicia, quas affectus pietatis exprimebat, dolentibus, quibuſdam verò ex iis, qui cùm ipſo proficiſcebantur timore tam horribili, ad quod intendebat incœptus, ac ſi febrium typo gravarentur, militibus demiſſe trementibus. Nam quantæ audaciæ, cujuſve militaris ſtrenuitatis Dux iſte fuerit, cùm per multa exercitia ſatìs abundèque clareat, etiam ſi reliqua omnia ſileant, ex hoc potiſſimum indubitanter annotari poteſt, quòd cùm tam populoſum Imperium, tam-

(50) *attentiſſime.*
(51) *ſufflagrante.*
(52) *rederunt.*
(53) C. P. *linquere.*
(54) *delectatur ſociari.*
(55) *ac alterque.*
(56) *matris.*
(57) *qua.*
(58) *juncta.*

Digitized by Google

tamque copioſum Imperatorem, totve millia hoſtium parca manu ſpe ſubjugandi bello laceſſere tentatûm ire præſumebat, ipſe armatæ militiæ non pluſquam mille trecentos milites ſecum habuiſſe, ab eis, qui eidem negotio interfuerunt, atteſtatur. Porrò copias ei, vireſque, quas res ipſa, tempuſque quantùm ad numerum, oculorum intuitu minùs ſufficienter adminiſtrabat, ipſa ejus animo innata militaris ferocitas, ac ſi plus ipſis hoſtibus neceſſariis copiis abundaret, ſufficienter, ſupraque eum habere in mente repræſentabat: ſuorumque animos præ timore minùs hilares, lætum vultum oſtendendo, largis ejuſdem regionis poſſeſſionum, theſaurorumque, ac ſi jam debellaviſſet, promiſſionibus recreando, ſpe ea in poſterum recipiendi, ſi ſtrenuè ſecum agere volunt, ad militaris exercitus pericula tentanda, quæ formidoloſa æſtimatio dehortabatur, promptiores reddebat. Copiis itaque tanto incœptui dignis pro ſpe apparatis, dum naves per æquora prudente remige reguntur, aura leni proſperante ventoſa carbaſa, uſque ad portum placidæ applicationis impunè recipiuntur, parſque claſſis applicat in portum, qui Herico dicitur. Poſt autem ubi fluvius Bajoſæ in mare defluit, placido litori transfertur. Dux ergo pro libitu ſuo placido litore potitus, navibus digrediens, mox ut terram pedibus attigit, inſpecta amœnitate, ſituque locorum, ſuis dixiſſe fertur: O fortiſſimi milites, & honoris prædeceſſorum non degeneres hæredes, hæc eſt enim hæreditas vobis competens, pro hac adipiſcenda armis decertandum eſt. Non vos deterreat ignobilis vulgi, & imbecillis quamvis numeroſæ multitudinis ſtrepitus hoſtium, ſed adhortetur ſpecies, & fœcunditas hoſtilis adipiſcendi hæreditaliter agri, ſpecieſque, & abundantia poſt certamen, ſi ſtrenue agitis, vobis debitarum rerum. Hæc dicens, caſtrum, quod Caſopolis dicitur in Inſula Carofi oppugnans capit, & aliud caſtrum, quod ex nomine Inſulæ Carofium nomen accepit, cum tota inſula ſuæ mancipat ſervituti. Inde progrediens urbem, quæ (59) Avolucia dicitur, juxta (60) Pemachios campos, quia confinio, quo applicuerat, adjacens erat, mox oppugnatûm vadit. Porrò cives Ducis adventu audito, præſentiaque nimiùm territi, viribus ſuis ignaviter diffidentes, deditione à ſe ipſis facta, ejus ditioni cum ipſa urbe ſubduntur. Caſtrum etiam quoddam (61) urbe haud procul (62) ſitum, quod Canna dicebatur, à præſentia Ducis timore languidum, & eo maximè (63) quòd Avalonem, quæ bellicis copiis ſe abundantior erat, (64) deditionem fecerat, haud ſecus ſubditur.

CAP. XXV.

Dux Duracium obſidet.

FOrtunam ſibi Dux fatis bene cedere
Cognoſcens, adjicit plurima viſere.
Duraci mœnia obſidet, undique
Armata populi manu.
Sic urbs contremuit hoſtibus obſita,
Diffidunt ſibi jam fortia mœnia,
Inſiſtunt civibus tela minantia,
Alternant ſibi funera.
Sed plus atteritur aſperitatibus
Græcorum populus territus hoſtibus,
Nec reddit timidus aſpera vulnera:
Vires abſtulerat timor.
Conſtantinopolim Chartula mittitur:
Hoſtes in prœlio adſore dicitur.
Ereptûm veniant cum (65) pretio quæritur,
Ne ſubdantur ab hoſtibus.

CAP. XXVI.

Dux cum Venetianis bellatur.

IMperator itaque de præſentia hoſtium ſiniſtro nuncio accepto chartulis expeditionem ſubmonens, totum Imperium ſollicitat, multiſque millibus, paucis numero hoſtibus, ſed ſtrenuitate abundantioribus occurrere parat. Credenſque à multitudine ſuorum eos facilè occupari poſſe, Venetianis mandat, ut plurima claſſe apud Duracium ſibi occurrant, ut ſi ibi fortè noſtri bello ab ipſo devicti, fugientes per mare evadere niterentur, ab ipſis navali certamine præventi, faciliùs intercepti perimerentur. Qui juſſa fideliter complentes claſſem accelerant, triduòque ante ſibi præfixum ab Imperatore terminum, verſùs Duracium adventare à noſtris eminus in mari conſpiciuntur. Ad quorum intuitum noſtri in arma ruentes, navali congreſſu dimicaturi hoſtibus promptiſſimè occurrere accelerant. Sicque per totam diem utrimque acerrimè congreſſum eſt. At cùm jam die refrigerante Sol ad occaſum vergens liquidas undas Oceani quaſi ſubintrare videretur, prævalente hoſtibus ſtrenuitate noſtrorum, Venetiani viribus exhauſti deditionem pollicentes pacem, indutiaſque uſque in craſtinum, quo Duci, pro libitu ſuo fœderentur, expoſtulant. Sicque noſtris, quod expetebant, inconſultè concedentibus, certamen hac vice ſcinditur, noſtri in portum ſuum revertuntur. Noſtri itaque deditionis falſa pollicitatione deluſi, per totam noctem, quaſi jam hoſtes triumphaviſſent, gloriantes, dum uſque in craſtinum ſecuriùs ſuſtinent, Venetiani naves ſuas pluribus commeatibus aggregatas, nocturno ſilentio exonerando levigantes, & in ſummitate mali uniuſcujuſque navis ſolium duorum, vel trium hominum arte componentes, lapidibuſque, & pilis ad jacendum munientes ſe ſe ad defenſionem potiùs, quàm ad deditionem aptant. Dux verò doli ignarus, ſummo diluculo potentiores exercitus ſui, qui eos ſe ipſos ſicut promiſerant dedentes ſuſciperent, mittens, ſalvis omnibus, quæ ipſorum erant, uſque ad ſe deducere præcipit. Sed advenientibus, Venetiani arma potiùs, quàm deditionem oſtentantes, dum magno impetu verſùs ipſos graſſantur, noſtris, quia imparatiores proceſſerant, certamen declinantibus, ipſi in portum Duracenſem ad ignominiam, damnumque noſtrorum impunè applicant, ſicque facultatem liberam urbem ingrediendi habentes, viciſſim nautæ urbicenſibus, & urbicenſes nautis conſociantur, invicemque per totam noctem, & diem conſilium captantes plus minùs à medietate noctis tranſacta, ſub pallore Lunæ armantur, navibuſque

(59) C. P. *Avalona*.
(60) *Amathios*.
(61) *urbi*.
(62) *ſecum quod Canam dicebatur ex*.
(63) *Avalonam*.
(64) *deditione facta ſunt*.
(65) *prece*.

que litore ocyùs amotis, buccinis concrepando noſtris certamen offerre progrediuntur, quibus noſtri certatim occurrentes acerrimè utrimque congreditur. Sed illi artificiosè ignem, quem Græcum appellant, qui nec aqua extinguitur, occultis fiſtularum meatibus ſub undas perflantes quandam navem de noſtris, quam Cattum nominant, dolosè inter ipſas liquidi æquoris undas comburunt. Sed noſtri dolo cognito, facto impetu aliam navem de ſuis non minoris pretii penitùs in mare ſubmergunt, ſicque damno contra damnum compoſito, pari ultione faciliùs fertur, noſtriſque exhorreſcentibus dolum ipſorum, ipſis autem ſtrenuitatem noſtrorum, certamen utrimque diremptum quievit. Ipſi in portum urbis, unde exierant, regrediuntur, noſtri verò ubi priùs applicuerant, perſiſtunt.

CAP. XXVII.

Dux cum Imperatore præliatur.

PORrò in craſtino ſummo diluculo illucescente, menſe Octobri inſtante, dum pars exercitus noſtri pabulum quæſitûm ire appararent, Imperatorem cum innumerabilibus copiis adventare per ſigna in ſummitatibus haſtilium eminus eventilantia deprehendunt. Fit concurſus, & ſtrepitus in caſtris, alii terrentur, alii animo promptiores minùs fortes exhortantes, recreando robuſtiores fiunt. Dux verò videns ſibi belli certamen imminere, ut ſuis omnem ſpem fugæ auferendo, ad defenſionem ſui ardentiùs inflammaret, naves ſuas à mari (66) protectas omnes combuſſit: ne fortè cùm acriùs prælium noſtris immineret, timidi certamen declinando, ſpe tranſmeandi illorſum auſugerent. Imperator verò appropinquans haud procul à caſtris noſtrorum, ſed quaſi ſtadiis quatuor interpoſitis, caſtrametatur: exercitus abundique (67) ipſe facit, nemine ipſorum adversùm noſtros, ſed neque ex noſtris adversùm ipſos ipſa die aliquid præſumente. Sequenti nocte Dux primas noctis facit excubias. Secundas videlicet à media nocte donec dieſcat, Boamundus filius Ducis. Manè autem facto, Dux ipſe lucis crepuſculo, omneſque noſtri ſurgentes cum ſumma devotione hymnos Dei, cum Miſſarum celebratione audiunt: Presbyteris compunctivè confitentes peccata, muniunt Sacri Viatici miniſteriis. Sicque ordinatis aciebus ad certamen gradatim, & conjunctiſſimè progrediuntur. Imperator verò ſibi occurrens tanta multitudine undique (68) conſpicatur, ut nullius montis aſcenſus ad ſupervidendum extremitatem ejus ſufficere videretur. Angli verò, quos Waringos appellant, ab Imperatore primitias congreſſus expetentes, certamine inito, caudatis bidentibus, quibus hoc genus hominum potiſſimùm utitur, infeſtiſſimè inſtantes, noſtris admodum importuni primò eſſe cœperunt: cùm ecce quædam acies noſtra ex adverſo illis ſub nudo latere prorumpens, forti congreſſu ſauciatos, & ab incæpto deterritos in fugam cogit, qui versùs Eccleſiam S. Nicolai, quæ ibi contigua erat, vitæ (69) auxilium expetentes, dum alii quantùm capacitas permittebat, ſubintrabant, alii tanta multitudine tecta ſuperſcandunt, ut pondere (70) ipſa tecta diſſoluta conſubruantur, illos qui ſubintraverant, opprimentes (71) concluſi pariter ſuffocarentur. Porrò Imperator videns Waringos, in quibus ſibi maxima ſpes victoriæ fuerat, enerviter ſuperatos, & noſtros inſequentes adversùm ſe adventare, territus fugam potiùs, quàm certamen eligit, omniſque exercitus Græcorum, tentoriis cum omni ſuppellectili ſua relictis, quiſque prior fugæ fieri accelerat. Noſtri itaque victoriam adepti, Duce eos reprimente, haud longè fugientes perſecuti ſunt, ſed ad caſtra eorum regreſſi, Dux in tentoriis Imperatoris hoſpitatur, cæteri, qui priores accedebant, pretioſiora hoſpitia cum ſpoliis uſurpant. Dux ergo videns hiemem ſibi imminere, menſis enim erat Octobris, inde progreſſus, ſuper fluvium Dæmoniorum caſtrum ad (72) æſtivandum conſtruxit, quod ex ſuo agnomine vocans, Montem Guiſcardi appellavit, à quo etiam diatim uſque Duracium armata manu progrediens, diverſis incurſionibus crebrò lacesſebat. Caſtra verò diverſa ejuſdem Provinciæ ejus infeſtationem ferre non valentes, fœdere cum ipſo compoſito, deditionem facientes ſibi conciliantur.

CAP. XXVIII.

Dux Duracium capit.

ERat autem ea tempeſtate apud Duracium Venetianus quidam nomine Dominicus, nobili genere, cujus providentiæ major turris ad tuendum delegata erat. Hujus animum Dux quadam collocutione habita inter ſe frivola, quantiſper dignoſcens, aliquando, ſed rariùs per ſe, aliquando per alios, ne fortè fraus ab aliis inter ipſos componi deprehenderetur, attentans diverſis in conventionibus, de traditione urbis ſollicitare cœpit. Animus verò cupidine æger, ut à promittentibus avaritiæ luxuria admiſcetur, facilè corruptus, à bono, honeſtoque propoſito proclivis in deterius dilapſus eſt. Dux denique neptem ſpecioſæ formæ habens, filiam videlicet fratris ſui Guilielmi Principatus Comitis, ut ei in matrimonium cum hæreditate puellæ competenti ſociandam ſe dare ſpopondit, pro libitu ſuo favore uſus, Sacramentis ab utriſque partibus datis, illo ut urbem tradat, iſto ut neptem conferat jurante, nox per traditionem urbem ſubintrandi terminatur. Dux denanciſcenda urbe certus, ſcalas ad (73) tranſcendendum muros ex ligno componit. (74) Venetianus autem in adjutorium Ducis ex funibus (75) per lexas advenientibus hoſtibus de muro dependentes porrigit. (76) Et quia ſic ſcriptum eſt: *nullus perniciosior hoſtis eſt ad nocendum, quàm familiaris inimicus*: ab ipſo qui vi tueri debuerat, libera facultate urbem prorumpendi hoſtibus conceſſa, ſub nomine Guiſcardi, ſiniſtro clamore ſæpiùs ingeminato, buccinis concrepantibus urbs tota turbatur. Cives in arma ruentes ignari, quòd hoſtes jam ſe-

(66) *parvas*.
(67) C. P *ipſi taciti*.
(68) *conſtipatur*.
(69) *aſilum*.
(70) *ipſo certo diſſoluto cum ſubiciuntur*.
(71) *colli ſuffocantur &c.*
(72) C. P. *biemandum*.
(73) *tranſcendendos*.
(74) *Venitianus*.
(75) *perplexas*.
(76) *& quia ſicuti*.

Digitized by Google

secum (77) infra muros, & in altiori turri essent, incassum repugnare nituntur. Triduò tamen pro posse (78), sed frustra renitentes tandem vi coacti, fœdere composito, deditionem (79) ipsis facientibus, ditioni Ducis colla (80) submittunt.

CAP. XXIX.

Dux Castoriam capit.

IGitur Dux urbe potitus pro velle suo ordinans Fortino de Rosana procurandam delegavit. Ipse cum exercitu ultra progrediens, totam provinciam debellando sibi subjugatùm vadit. Unde & apud urbem, quæ Castoria dicitur, veniens, quia ditionem ejus subire recusavit, obsidione composita, eam undique vallavit, minisque terrendo, & interdum blandimentis mulcendo, aliquanto tempore infestus persistens, plurimùm lacessivit. Trecenti enim Waringi in eadem urbe habitabant, custodes ab Imperatore deputati, quorum præsidio, & opere non minimum defensabatur. At cùm nostros in oppugnando persistentes vident, machinamenta, quibus urbs faciliùs debeat debellari, & debeat apparere timentes, & capta urbe pejus fœdus inire, sibi in futurum præcaventes, fœdere confecto, deditionem faciunt, sicque urbe subjugata, omnes circumquaque provinciæ cum finitimis castris ejus ditioni subjugantur. Ipse quippe omnes, qui ad se convertebantur, cum summa honorificentia habebat, muneribus augebat, eorum consilio in iis, quæ facienda erant, plurimùm utebatur. Et hoc ex industria, ut alii cùm ista audirent, faciliùs sibi applicarentur, agebat. Timor autem ejus totum Imperium, usque ad ipsam Regiam Urbem tremere faciebat.

CAP. XXX.

Benarvet traditione Catanam intrat: & paulò post à nostris recuperatur.

CUm ista apud Romaniam à Duce agerentur, Sicilienſi Comite Rogerio apud Calabriam, & Apuliam fraternis negotiis uti suis intento, Benarvet apud Siciliam Christiano nomini infestus multa incommoda inferebat. Erat callidissimus, & militari exercitio deditus, audax, subdolus, aliud lingua proferens, aliud tacito pectore occultando gerens, Syracusi, & Noti princeps: cujus consilio omnes Saraceni, qui adhuc in Sicilia rebelles erant, innitebantur. Hic quendam paganum nomine (81) Bencimine, quem Comes apud Catanam majorem urbi præfecerat, callidis circumventionibus aggrediens, ad tradendam urbem multis munerum, possessionumve pactionibus sollicitabat. Paganus verò nominis sui competens imitator, avaritia cœcatus, fidei, Sacramentorumque, quæ Comiti dederat oblitus, statuto termino, (82) infra urbem illum cum maxima multitudine suorum fraudulenter de nocte accipiens, traditionis nomen sibi perpetualiter vindicavit. Quod factum cùm per totam Insulam personuisset, Christiani quidem eo quòd tam nefanda fraus inter ipsos reperta sit, plurimùm erubescebant; Saraceni autem passim de tanta Christiani nominis ignominia subsannando exhilarabantur. Porrò Jordanus filius Comitis, & Robertus de Surda-valle, & Elias (83) Cartomensis, qui ex Saracenis ad fidem Christi conversus, postea apud Castrum Joannis à sua gente hostiliter interceptus, quia negando apostata fieri noluit, martyrio vitam laudabiliter finivit, exercitu admoto versùs Catanam iter intendunt. Benarvet verò eos advenire, per speculatores suos, quos undique omnia visùm præmittebat, audiens, extra urbem copiam suorum ad præliandum ordinans dimicaturus occurrit. Pedites quidem usque ad viginti millia dextro latere suo in occursum hostium pauliſper anteponens, ipse cum equestri legione in sinistro cornu fixus manens, hostes præstolatur. Nostri autem cùm centum sexaginta tantummodo milites essent, nil remorati, certamen, Deum sibi propitium invocantes, ineunt. Tertioque super pedites impetu facto, cùm immobiliter persistentes flectere nequeunt, declinantes eos, super equites irrunt, fortiterque congredientes multa strage facta, in fugam vertunt, quos insequentes, & extremos quosque cædentes, usque in portam civitatis impellunt. Benarvet verò sic per fugam vix elapso, de peditibus maxima strages facta est. Nostri verò ante urbem tentoria figentes obsessionem prægravabant. Sed Benarvet clam de nocte urbe digrediens cum pagano traditore fugiens Syracusis se recepit. Sicque urbs à nostris recuperatur. Paganus traditor à Benarvet, ne Syracusam, sicut Catanam fecerat, tradat, dum præmia pollicita requirit, truncatur.

CAP. XXXI.

Angelmartus apud Geracium contra Comitem insurgit.

GRegarius autem miles quidam nomine (84) Angelmarus Comiti diu servierat, cui ipse Comes, quamvis infimioris generis esset, propter militarem tamen strenuitatem, quam in eo videbat, volens servitium suum honestè, ut sibi semper mos fuit, remunerare, uxorem nepotis sui Serlonis (85), videlicet apud Siciliam à Saracenis interemptus fuerat, cum omni (86) sibi competenti, ipsa multùm renitente, in matrimonium sibi concessit, ut præclari generis mulierem, erat enim filia Radulfi Bajanensis Comitis, militis generositas inter sodales clarior fieret. Ille verò apud Geracium, cujus quadrans ex dote mulieris sibi competebat, nuptiis sollemniter celebratis, non jam humilitatis honorem servans, ad sui generis debilitatem mentem reducebat, sed uxoris generositatem in animo sibi vindicans, æqualem se & genere, & dignitate illi, cujus antea uxor fuerat, jactans protervè appetebat. Hic apud Geracium, ubi Comes turrim firmaverat, demum defensabilem incipiens, paulatim provehendo, & interdum dissimulando fortissimam turrim effecit, Geracenses omnes suis adulationibus, & favoribus sibi attrahens, & Sacramentis datis, & acceptis in amicitia confœderans. Quod cùm Comiti renuntiatum fuisset,

(77) *in altiori terræ erant, incassum pugnare.*
(78) *posse renitentes.*
(79) *fecerunt, ipsumque facientibus.*
(80) *submittuntur.*
(81) C. P. *Betchumne.*
(82) *intra.*
(83) C. P. *Crotonensis.*
(84) *Englemarus.*
(85) *qui.*
(86) *omni dote sibi &c.*

Digitized by Google

fuiſſet, inſolentiam ejus animadvertens, & in futurum timens, ne fortè fiduciâ turris, in aliquod deterius conſilium reverteretur, turrim in modum domus habitabilis deponere humiliter jubet, increpans eum, quòd ſe inconſulto tale quid præſumpſiſſet. Ille verò cum Geracenſibus conſilium habens pravè (87) definito ipſis ſe ſibi laturos promittentibus, beneficii ſibi collati, ut aſſolet inter degeneres, oblitus contra Comitem recalcitrare, potiuſquam obedire, indecenter (88) elegit. Quod cùm Comiti compertum fuiſſet, Geracenſibus, ut turrim deſtruant, & (89) Angelmarum captioni ſuæ mandent, imperat: quibus non tam fidelitate Angelmari, ſed quia omne genus noſtræ gentis illis inviſum erat, & magis diſcordias inter noſtros, quàm pacem fieri exoptabant, ad id recuſantibus, Comes legalitatem ſuam ſervans, hactenus homini ſuo diffidentiam in poſterum mandat, ſicque admoto exercitu, versùs Geracium obſeſſùm pergit. Angelmarus verò aſtu Geracenſium animos demulcens, aliquanto tempore ſuæ ineptiæ complices detinuit. At dum vident ſe à Comite exteriùs, interiùſque prægravari, cœperunt & ipſi à ſtulto propoſito deficere, & fatigari. Quod Angelmarus advertens, territus ne ab ipſis Comiti traderetur, & ipſi reconciliarentur, profugus evagans diſceſſit. Uxor autem ejus ad miſericordiam Comitis veniens, pia recordatione nepotis, cujus uxor fuerat, ſalvis omnibus, quæ habebat, ad maritum conductum meruit, Comes verò reconciliantibus Græcis Geracium recepit.

CAP. XXXII.

Turribus Meſſana firmatur.

EOdem anno idem Comes ſumptibus pluribus apparatis, undecumque terrarum artificioſis cæmentariis conductis, fundamenta, caſtella, turreſque apud Meſſanam urbem jaciens, ædificare cœpit: cui operi ſtudioſos magiſtratus, qui operariis non deeſſent, deputans, interdum ipſe viſùm veniens, ipſos per ſemetipſum cohortando, feſtinantiores reddens, brevi tempore turribus, & propugnaculis immenſæ altitudinis mirifico opere conſummavit, & quia hanc, quaſi clavem Siciliæ æſtimabat præ cæteris urbibus, quas habebat, fidelibus tutoribus deputatis arctiori cuſtodia obſervabat. Eccleſiam etiam in honore S. Nicolai in eadem urbe cum ſumma honorificentia conſtruens, & diverſis poſſeſſionibus augendo dotans, Clericis ad ſerviendum deputatis, Pontificali Sede aptavit, ſed eam cum Trainenſi cathedra univit.

CAP. XXXIII.

Dux à Gregorio Papa à Romania revocatur.

IGitur famoſiſſimus Dux Calabriæ, Apulorumque Princeps Robertus Guiſcardus apud Bulgaros fortiter, omnia ſibi ſubjugando, agens, anno Incarnati Verbi 1082. à Romanæ Sedis Apoſtolico viro Gregorio literis continentibus anguſtiam ſuam acceptis, ut in adjutorium S. Romanæ Eccleſiæ reditum accelaret, multis precibus cohortatur. Imperator namque Alamanorum Henricus, quibuſdam controverſiis inter ſe ortis Romam cum exercitu veniens, obſeſſâ diutiùs urbe, eandem fortuna ſuffragante irruperat, Romaniſque potentioribus (90) ſibi injungendo confœderatis, ipſum Apoſtolicum virum in turri quadam, quæ Creſcentii dicitur, recluſum obſederat, aliumque in loco ejus, Archiepiſcopum videlicet Ravennatem Umbertum nomine, re indiſcuſſa, contra ſanctos Canones, quod nefas eſt dicere, Cathedræ Beati Petri ſubrogaverat. Ipſe verò tanta obſidione prægravabatur, ut neque ſibi uſquam progrediendi liber tranſitus pateret. Dux verò, quamvis ad id quod cœperat, intendere omnibus utilitatibus in animo præfert, tamen calamitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ audiens, & dominum ſuum, ſub quo omnia, quæ habebat, poſſidere ſe cognoſcebat, in tantum anguſtiari, fidem datam, & legalitatem ſuam ſervans maluit ſua, quamvis cara, ad tempus ponere, & Sanctæ Dei Eccleſiæ, vel domini ſui neceſſitatibus inſervire. Sicque filio ſuo Boamundo ſtrenuiſſimo militi, quæ cœperat exequenda committens, copiis omnibus ſibi delegatis, ipſe cum paucis placido remige versùs Apuliam, versùs Hydruntum applicat.

CAP. XXXIV.

Duce revertente fraus populorum premitur.

EA tempeſtate plures apud Apuliam propter abſentiam Ducis inſolentes, adversùs eum conſpiraverant, volentes ea, quæ ejus juris erant, uſurpare: putantes eum altioribus negotiis intentum ulteriùs regrediendi illuc non curare. Unde & Gaufridus de Converſana apud urbem, quæ Oria dicitur, haud longè à provincia Tarentina obſidionem ponens, plurimùm laceſſendo infeſtiſſimus erat. Dux verò apud Hydruntum applicans, audito urbi obſidionem imminere, illorſum cum paucis appropiare accelerat. Porrò illi, qui obſidionis primarii erant, per legatum Ducem adventantem cognoſcentes, præſentiam ejus exhorreſcentes ab incœpto deterriti, cùm plures eſſent, obſidione ſoluta quiſque fugam accelerans in ſua dilabitur. Cives autem ſic obſeſſione, qua prægravabantur eruti advenienti Duci occurrere accelerant, cum gaudio, & omni obſequio excipiunt. Sed per univerſam Apuliam ſeditiones, quas Infidelitas turbaverat, à præſentia ejus ſedatæ in conſpectu ejus, acſi numquam fuiſſent, ſiluerunt.

CAP. XXXV.

Dux fratre arceſſito ſuper Capuanum Principem vadit.

POrrò Dux fratre Comite à Sicilia arceſſito, admoto plurimo exercitu, ſuper Jordanum nepotem ſuum Principem Averſæ meſſes vaſtatûm vadit. Nam cùm antea inter ipſos diverſis controverſiis inimicitiæ efferbuiſſent, hoc ira in Principem plurimùm incaleſcebat, quòd noviter in damnum Apoſtolici, Imperatoris hominem ipſum effectum, & terram ſuam ſub ipſo deſerviendam ſuſcepiſſe audierat. Veniens itaque cum exercitu ante urbem Ca-

(87) *diffinito ipſis ſe auxilium.*
(88) *eligit.*
(89) *Engelmarus.*
(90) *ſubjugando.*

Digitized by Google

Capuanam, & Caſtrum, quod Averſa dicitur, ipſo invito, nec propulſare valente, per octo, & eo ampliùs dies commorans, multa depopulatione totam provinciam laceſſivit. Sed quia ipſe Jordanus elegantiſſimus miles erat, & elegantiſſimos ſecum habebat, multa militaliter diverſis congreſſibus utrimque perpetrata ſunt. Inde itaque rediens per totam Apuliam, & Calabriam exercitum perſcribens ſubmonet, ut proxima ventura æſtate ſecum Romam ſuper Imperatorem ituri expenſas, ſive commeatus aptarent.

CAP. XXXVI.

Jordanus contra patrem inſurgit.

COmes à fratre noviter à Bulgaria revertente invitatus, ſibi occurrere versùs Apuliam intendens, Jordano filio ſuo Siciliam procurandam delegat, interdicèns omnibus, ne quis in iis, quæ præciperet, ſibi contrarius eſſe præſumeret. Erat autem Jordanus ex concubina, tamen magnæ (91) viris animi, & corporis, & magnarum rerum gloriæ, ſuæ dominationis appetitor: & jamdudum conſilio pravorum ſibi adhærentium juvenum tacito ſub pectore uſus, inſurgendi conſpirationem verſans, ſic diſcedente patre, locum ſuæ pravæ diſpoſitionis, ut ſibi dicébatur nactus, plures callidè circumveniendo, fidem illorum, nec dum negotio (92) aperto, aſtu abſtrahit: ut quæcumque ipſe prior inciperet, ipſi complices in perficiendo perſiſterent. Talibus (93) itaque deceptis, tandem dolum diu diſpoſitum aperit. Cùm quibuſdam diſplicuerit, (94) pluribus placet. (95) Quibus quiſque (96) talibus aſſentire renitens (97) improbè hortatur, ne fidem datam mentiri velit. Sacramenta patri exhibita in hoc ſalva fore, quòd proficiſcens quidquid Jordanus vellet, vel præciperet, omnibus obedire debere imperaverat. Jordano plura promittente, ſic pravi conſilii aſſenſus inter plures à Jordano in iis, quæ patris erant, ultra quàm deceret, vel ab ipſo patre conceſſum erat, præſumitur. Nam caſtrum Sancti Marci, & Miſtretam ſibi uſurpans, detecta fraude prædas per totam provinciam ibidem introducit. Sed & versùs Trainam hoſtiliter accedens, patris theſauros, qui illuc ſervabantur, aſportare niſus, diſpoſitione ſua fruſtratus, vacuus redit. Nam fideles Comitis, fraude comperta, ſimul convenientes, hoſtiliter accedentem ab ipſis finibus arcent. Quod cùm patri renuntiatum fuiſſet, reditum accelerat, atque, ut vir ſapiens, providè agens, ne filius territus ad Saracenos, qui adhuc rebelles erant, tranſiret, versùs eum hoſtiliter ire diſſimulat, ſed omnia, quæ fecerat filius, juvenili ætate, & indulgentia digna aſcribit. At cùm filio, quæ fecerat patrem leviter ferre nuntiatur, minùs iis, qui ſecum erant, proſpiciens, flebili fœdere interpoſito ad patrem accedit. Pater ad tempus iram diſſimulans, advenienti filio lætum vultum oſtendit. Sed paucis diebus interpoſitis pater in futurum proſpiciens, ne ſi ii, qui tale conſilium filio complices facti dederant, impunè tranſirent, alii ad ſimile aliquid præſumentes raperentur, neſciente filio, duodecim priores hujus erroris, unum poſt alium arceſſens, oculis privari fecit. Quo facto filium etiam tali incœpto ulteriùs compeſcere terrendo volens, arceſſitum, idem cauſa juſtitiæ facere fingens minatur. Sed à fidelibus ſuis, quibus ex induſtria idem agere prædixerat, retentus, territo filio, de cætero pro libitu ſuo, ut decuit uſus eſt, nam diſciplina, & rigor juſtitiæ cum pace communionem habent, Pſalmiſta atteſtante, qui ait: *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt*. Sic enim miſericordia ſectanda eſt, ut juſtitia remiſſior in ultra, quàm decet, non ſit, ne vitia nimiùm inoleſcant. Unde & providus pater, ut ſapiens medicus, hunc ipſum filium ſuum, ut à pravitate compeſceret, tanto rigore territum attrivit.

CAP. XXXVII.

Dux Romam vadit, & capit.

ANno itaque Dominicæ (98) Incarnationis 1083. omnibus accuratiſſimè apparatis, equeſtri plurimo exercitu, ſed & peditum (99) copiis Dux versùs Romam (100) ad obſeſſionem Imperatoris, infideliumque Romanorum (101) Papam Gregorium, (102) qui & Ildebrandus ante ſuſceptum papatum dicebatur, (103) contra Cæſarem, ſi neceſſe (104) ſit, & niſi cedat, dimicatûm leonina (105) ferocitate iter intendit. At cùm jam prope ventum eſt, incautè incedere volens, ordinatis aciebus, mille electos milites, cum totidem vexillis præmittens, aliam aciem cum tribus millibus pedetentim ſubſequi præcipit. Ipſe cum reliquo exercitu, peditum copias, & quæque infirmiora ante ſe ponens providè ſubſequitur. Audierat quippe milites Imperatoris ſibi in occurſum, Romani ex parte aquæductus exiſſe, ſed hoc ſibi falsò relatum erat. Nam ipſe Imperator jamdudum multa ex parte exercitum ſuum à ſe dimiſerat, & cum minori militia, quàm acceſſerat, Romæ nil tale ſuſpicatus morabatur, dumque hoſtes adventare præſentiit, ſuis viribus minùs ſufficiens, & Romanorum fraudem, quamvis indeficientes illi adeſſe promitterent, pertimeſcens, cum maximo dolore animi cedens, Urbe digreſſus jam ante triduum receſſerat. Dux itaque neminem ſibi, ut ſuſpicabatur occurſantem hoſtiliter offendens, libero ad urbem acceſſu uſus, ante portam, qua via Tu culana porrigitur, juxta aquæductus caſtrametatur, ubi triduò commoratus, Urbe undique circumconſpecta, quodam diluculo cum mille & trecentis militibus ad portam, quæ S. Laurentii dicitur, ſub aquæductu juxta Tiberim, ubi minorem cuſtodiam, nemine in illa parte aliquid ſuſpicante, perſenſit, accedens, ſcalis ſilenter appoſitis muros tranſcendit, portiſque ferro apertis ſuos introducens, per plateas urbis, uſque ad pontem, in quo ſuus exercitus præ-

(91) C. P *vis*.
(92) *peracto baſſu attrahit ut quicumque*.
(93) *ita*.
(94) *&*.
(95) C. P. *Probus*.
(96) *&*.
(97) *improbo*.
(98) *incarnationis omnibus*.
(99) *plurimis*.
(100) *oſſidione*.
(101) *ad liberandum*.
(102) *quia Aldebrandus ſuum ſuſcepiſſe*.
(103) *contraque*.
(104) *eſſet*.
(105) *feritate*.

præstolabatur Guiscardum clamoribus ingeminando, civesque terrendo, portâque vi potiùs fractâ, quàm reseratâ suos intromittens Urbem irrumpit. Sicque directo impetu usque ad turrim Crescentii percurrens Papam eripit, eductumque honore, quo decebat, abducens palatio Lateranensi restituit, ubi Dux prior, & omnis exercitus subsequenter cum oblationibus ad pedes ejus, debito more provoluti plurimum thesaurum contulerunt. Porrò Romani viribus resumptis, conspiratione invicem facta, tertia die post congregati, per medias plateas Urbis impetu facto super nostros irruere conantur. Fit clamor, & strepitus in Urbe. Nostri à mensis quibus assidebant, prorumpentes, ocyùs in arma ruunt: hostibus hostes corruunt, dura frons ab dura fronte obviatur. Rogerius filius Ducis cum mille equitibus nesciente patre extra Urbem à Romanis infestari, citissimus cum impetu advolat. Sed Romanis fortiter insistentibus nullus impetus prævalebat, donec Dux ignem exclamans, Urbe accensa, ferro, & flamma insistit. Tunc demum Romani incendium ferre non valentes in fugam vertuntur. Dux fugientes extremos quosque cædendo, usque ad pontem persequitur. Urbs maxima ex parte incendio, vento admixto accrescente consumitur, nostri victores apud Lateranum revertuntur. Romani itaque hostes infra muros sibi imminere cernentes, & eorum infestationibus prægravari, ulteriùs ferre non valentes, consilio inter se prudentiores Urbis habìto, eligunt sanius Apostolico suo confœderando reconciliari, quàm diutiùs in incepta ineptia persistendo hostili gladio, nullo quæstu ventilari. Sicque pace expedita allocutûm accedentes pluribus circumventionibus de excusatione fraudis usi, tandem veniâ impetratâ reconciliantur. Sacramentis pro libito Papæ, & Ducis obligati fœderantur. Nostris recedentibus Urbs à calamitate hostili absolvitur. At vir Apostolicus perfidiam Romanorum cognoscens, & ulteriùs obsessione circumveniri cavens, consilio fidelium suorum usus, ad tempus Urbe digrediendo, Romanorum fraudem declinare, (106) quàm ibi persistendo, & libera facultate eis concessa de se ipso periculum faciendo utrum ea, quæ promittebant, fideliter, an non servarentur tentare, sed cum Duce in Apuliam secedens apud Beneventum vênit; sicque in Apuliæ partibus usque ad extremum vitæ Româ invisâ permansit.

CAP. XXXVIII.

Romani reprehenduntur.

ROma quondam bellipotens toto orbe florida,
Colla superborû domans perlustrabas climata.
Leges dabas, & habenis temperabas omnia.
Ante te tremebant Duces, Principes, Imperia,
Curvabantur colla Regum loris tuis domita.
Nil superba resistebant, ense tuo territa.

A Ordinabas (107) quod volebas. Duces, sive Principes.
Deponebas; (108) quos volebas servos dans humiles.
Artibus (109) exercuisti justos habens judices.
Dumque justa sectabaris, fruebaris prosperis.
Leges à te requirebant omnes reges sæculi.
Sententia per te data indivisa perstitit.
Tempore (110) haud longo talibus studiis
Implicaris fraude tua turpibus negotiis;
Fraude tua clarescente (111) mœres despicabilis.
Te jam nulli pertimescunt, terga præbes omnibus.
Arma tua hebetata carent acuminibus.
B *Leges tuæ depravatæ plenæ falsitatibus*
In te cuncta prava vigent, luxus, avaritia,
Fides nulla, nullus ordo, pestis Simoniaca
Gravat omnes fines suos; cuncta sunt venalia
Per te ruit sacer ordo, aquâ primùm prodiit. (*)
Non sufficit Papa unus, binis gaudes insulis
Fides tua solidatur sumptibus exhibitis.
Dum dat iste, pulsas illum, hoc cessante revocas,
Illo istum minitaris, sic imples marsupias.
Cuncto orbi dans errorem hæc miscendo schismata.
Ni cessassent bonæ artis in te prima studia,
Nulli Regi de te (112) cessisset victoria.
Miles (113) quidem iste Normannus, qui te
C victam superat.
Non terret te Apostolorum sacra præsentia?
Nec revocant ab incœptis (114) te sanctorum pignora?
Fons quondam totius laudis, nunc es fraudis fovea
Moribus es depravata esausta nobilibus,
Pravis studiis inservis, nec est pudor frontibus.
Surge Petre summe pastor finem pone talibus.

CAP. XXXIX.

Boamundus Imperatorem superat certando.

D DUce itaque apud Romam Apostolicis necessitatibus inserviente, Boamundus filius ejus apud Bulgaros, ubi à patre relictus erat, strenuè gerens, patris vices haud graviter exequebatur, urbemque, quæ (115) Arta dicitur, obsidens, plurimùm infestus persistendo, capere omnibus artibus nitebatur. Porrò Imperator audiens urbem sui juris hostibus prægravari, Ducemque, quem plurimùm pertimescebat, recessisse, absentiâ ejus viribus resumptis, exercitu admoto, urbi succurrendum multis copiis parat. Sed venienti Boamundus occurrens, certamine inito, bellum (116) comperit. In primo congressu, qui (117) primùm accesserant, collisi sternuntur, subsequentes visu (118) terrentur, fuga initur. E Imperator cum primis fugientibus esse utile (119) ducit. Imperatore fugato Boamundus victor efficitur.

CAP.

(106) C. P. *& in Monasterio Cassinensi Pontifex diu habitavit.*
(107) *quos.*
(108) *superbos.*
(109) *bis.*
(110) *hoc longè talibus à studiis.*
(111) C. P. *marces.*
(*) C. P. *Carmina ista supplentur, ut monuit in sua Præfatione Carusius pari characterum forma distinguens.*
(112) *posset.*
(113) *quidam est.*
(114) *tot.*
(115) *Arse.*
(116) *conserit.*
(117) *primi.*
(118) *suasequenter visu terruntur.*
(119) *fugam capere dicit; quo fugato.*

Digitized by Google

CAP. XL.

Dux Romaniam iterum vadit.

QUod cùm Duci cum triumphali gloria à Roma revertenti renuntiatum fuiſſet, filium à ſe non degenerare cognoſcens, & in hoc maximè, quòd uno in tempore duorum Imperatorum fuga triumphali gloria laus ſibi, ſuiſque conceſſa ſit, veniens in Apuliam miniſtros ſuos undecumque convocans, omnibus ſuis ordinariſſimè diſpoſitis, plurimo exercitu versùs Græciam, quæ cœperat, executûm accelerare diſponit. Navibus denique menſe Septembri à tota Apulia, Calabria, ſive Sicilia apud Hydruntum conflatis, copiiſque neceſſariis introductis, proſpera aura ſuffragante, optato portu applicans filium, & quos cum ipſo apud extremas partes dimiſerat, de reditu ſuo ſollicitando anhelos, plurimùm lætitiæ ſe ipſum repræſentando reddidit. Sicque ad quod venerat exequens, omnem patriam ſuo reditu turbabat, urbibus infeſtus obſeſſionibus (120) indefeſſus, congreſſibus prior, excubiis nuſquam abſens, nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo Imperium ſollicitum reddens ante ſe tremere faciebat.

CAP. XLI.

Eclipſis Solis fit. Papa moritur, & Dux, & Rex Anglorum.

MIrabile quoddam præſagium, quod per totam Apuliam, Calabriam, ſive Siciliam viſum eſt, huic operi inſerere dignum duximus. Maximè quòd ea, quæ tale ſignum portendebat, nos ex parte non ignorare putamus. Anno denique Incarnati Salvatoris 1084. ſexto die Februarii inter ſextam, & nonam Sol obſcuratus eſt per ſpatium trium horarum, in tantum, ut qui infra domos alicui operi inſudabant, non niſi luminibus accenſis interim quæ cœperant, exequi poſſent, qui verò de domo ad domum tranſmigrare volebant lanternis, & facibus uterentur. Sed antequam annus pertranſiſſet ſignificatio talis eclipſis, in quantum nos putamus pluribus cum maximo damno præclaruit. Nam eodem anno Venerabilis Papa Gregorius, cujus ſuperiùs mentio facta eſt, infirmitatis ſuæ à medicis medicamentum expetens, fruſtratis medicaminibus obiit. Dux Julio menſe, & famoſiſſimus Rex Anglorum, & Normannorum Dux Guilielmus nono die Septembris moriuntur. Ducis verò exequias uxor (121) Gayta cum filio Rogerio, qui tunc cum ipſo apud Bulgaros morabatur, & cæteri Barones ejus debito honore, non tamen ſinè (122) juſtitia exequentes, funus tranſmeatum Venuſium humatûm perferunt. Græcia hoſtibus recedentibus libera, læta quievit; Apulia tota ſive Calabria turbatur.

CAP. XLII.

Rogerius Dux efficitur.

JAm (123) fratribus Rogerio, & Boamundo, utroque Ducatum appetente, inter ſe diſſidentibus, & pluribus nunc ab iſto, nunc ab illo incrementa expetendo, lucrum ſuum quærentibus, multorum Apulorum fides quanti fuerit, experimento claruit. Rogerius tandem adjutorio avunculi ſui Siculorum Comitis Rogerii, qui vivente fratre, idem ſibi promiſerat, Dux efficitur. Omnia caſtella Calabriæ, quorum necdum niſi medietatis cujuſquam Comes Rogerius habebat, à nepote ad plenum ſibi conceſſa conſignantur. Nunc itaque quia ſuprema dies tanti Principis loquendi de ipſo, quantum ad librum finem facit, finis quoque, ut mihi videtur hujus hîc ponendus eſt libri, ut de novo Duce mixtim cum Comite loquentes novum librum obſequamur.

(120) C. P. *aſſiduus perſiſtendo.*
(121) C. P. *Sichelgayta.*
(122) *juſtitio.*
(123) *nam.*

Explicit Liber Tertius.

UNIVERSIDAD DE NAVARRA BIBLIOTECA GENERAL

Digitized by Google

INCIPIUNT GESTA

LIBRI QUARTI.

SI esset unde nova, & elegantior (1) poëtria, novo Duci adhibenda esset: ut facundior sermo à juvene (2) novorum, ut in tali ætate assolet, appetitore, novo stylo, novos favores, suo merito extorqueret. Sed ne stylum mutando hoc quasi adulatione facere dicamur, prioris (3) poëtriæ ordine servato, orationis seriem exequamur.

CAPUT PRIMUM.

Benarvet Nicotrum vastat.

IGitur Rogerio Comite nepotis utilitatibus, ut eum pleniùs in Ducatu Calabrensi, vel certè in Principatu, & dominatione Apuliæ contra voluntatem æmulorum suorum solidaret, intendendo præoccupato, Benarvet Syracusi navigio apparato, navali exercitu apud Nicotrum veniens, à radice destruendo devastat. Direptis omnibus quæ potuit, viros, & mulieres captivos asportat. Sicque ante Rhegium veniens, Ecclesiam haud longè in honore Beati Nicolai, & aliam in Beati Georgii sitam depopulat: sacras imagines deturpando conculcat: sacras vestes, vel vasa, suorum usibus aptando asportat. Inde progressus quandam Sanctimonialium Abbatiam in honore Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ in confinio Scyllaciensi, loco qui (4) Roca Asini dicitur, consecratam aggrediens devastat: Sanctimoniales abductas turpi stupro dehonestatas abducit.

CAP. II.

Comes cum Benarvet congreditur.

QUa de re Comes divinitus ira plus solito inspiratus, in ultionem tantæ Deo illatæ injuriæ ardentissimè insurgit: classemque, qua illum faciliùs circumveniendo opprimat, primo die Octobris aptare incipiens, vicesimo die Madii perficit: sicque sese affligendo, summa devotione in litaniis, nudis pedibus, per diversas Ecclesias processiones exequens, multa beneficia indigis largitus, navali periculo sese committens, versùs Syracusam vela dirigit: Jordanum verò filium suum cum equestri exercitu illuc sibi obvium fieri præcipit: videns naves nutu Dei agi: & nulla aura, vel remige impingente, rapidas (5) æquorum undas è recto sulcare: ut facilè perpenderet hanc expeditionem Dei (6) favorem comitari: & hostibus prævalere debere. Comes igitur (7) hoñsione de obtinenda victoria certior factus, prima nocte (8) Turoneum applicat: secunda verò apud (9) Longævam, tertia Resesalix. Hîc Jordanus filius suus cum exercitu equestri sibi obvius factus, multa inter se, de iis, quæ facienda erant, A consilio habito conferentes, Philippum filium (10) Georgii patrui, cum velocissima sagetia, versùs Syracusam omnem rem exploratùm mandant. Qui jussa fideliter complens, de nocte inter classem Saracenorum, ac si unus ex ipsis esset, circumnavigat: nam & lingua eorum ipse, & nautæ omnes qui cum ipso processerant, peritissimi erant: omnibusque prudenter circunspectis, rediens certamen paratum renuntiat: Deo propitio nihil periculi imminere: hostibus audacter occurrendum hortatur. Erat autem Sabbathum. Comes autem suos commonens, prima luce illucescente hymnos matutinos, cum missarum sacra executione audivit: Presbyteris confitentur: sacris mysteriis initiantur: per totam B diem ibidem morantur. Sequenti nocte mediante, æquore anchoris extractis, cum silentio procedentes, luna illucescente Syracusam, ubi Benarvet acerrimè cum classe sua præstolabatur, venerunt: certamen ineunt: utrimque congreditur. Benarvet instinctu diaboli, qui vitam ejus jam misera morte terminare volebat, quo navem Comitis eminus agnovit, magno impetu grassans illorsum irruit: acriter bellatur: sed acriùs excipitur. Nam à Lupino quodam primum jaculo confossus, dum à Comite, qui navim ejus insilierat, minaci ense persequitur, ipse proximam navem de suis ad fugiendum saltu appetens, in mare C cum pondere ferri demergitur. Sicque injuriam, quam Deo arroganter intulit, divino judicio condigna ultione multatur pœnas luendo perpessus. Reliqui verò dum fugere nituntur, à nostris citato remige persecuti truncantur. Si Jordanus interim urbem oppugnasset, profectò facilè debellata succubisset: sed pater minus providè interdixerat sibi ne fieret. A Majo igitur usque in Octobrem obsessione urbi dedita, ipsa multum recalcitrante, plurima infestatio utrimque facta est. Cives verò Christianos plurimos in captione infra urbem habentes solutos ab urbe ejiciunt: rati nostros sic facilè ab urbe processuros. At dum nihilominus persistere vident, uxor Benarvet cum filio, & melioribus urbis, navibus duabus de D nocte, per medias naves nostras rapidissimo remige evadentes se se Notum recipiunt. Reliqui fœdere composito, deditione se, & urbem reddunt: anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo quinto.

CAP. III.

Pisani Africam oppugnant, & Comiti retinendam offerunt.

CUm ista geruntur, Pisani qui apud Africam negotiando proficiscebantur, quasdam injurias passi, exercitu congregato, urbem Regiam Regis Tunicii oppugnantes, usque ad majorem turrim, qua Rex defendebatur, E

(1) *poema.*
(2) *novarum rerum ut vilitate assolet, & pectore.*
(3) *poema.*
(4) C. P. *Rocca dicitur.*
(5) *æquoris undas directo cursu.*
(6) *favore.*
(7) C. P. *ostensione.*
(8) *Tauromenium.*
(9) *Longinam, tertia Beselap,*
(10) C. P. *Gregorii patricii.*

Digitized by Google

batur, capiunt. Sed quia ſua virtute urbe expugnata, patriam retinere minùs ſufficientes, uſque ad majorem turrim, qua Rex defendebatur, capiunt. Sed quia ſua virtute urbe expugnata, patriam retinere minùs ſufficientes erant, Comiti Sicilienſi, quem talibus prævalidum cognoſcebant, eam, ſi recipere velit, per legatos invitantes offerunt. Porrò ille quia regi (11) Tunitii amicitiam ſe ſervaturum dixerat, legalitatem ſuam ſervans in damno illius aſſentire diſtulit. Rex verò (12) Tunitius cùm certando reſiſtere nequit, pretio pacem (13) mercatus, quos armis minùs ſufficiebat, pecunia (14) claſſe fines Chriſtiani nominis (15) pervaſum ulteriùs tentare, & quos ejuſdem religionis captivos tenebat, coactus eſt abſolvere.

CAP. IV.

Rogerius Dux, & Boamundus ejus frater reconciliantur.

DUx autem Rogerius apud Apuliam, & Calabriam ſua ſapienter diſponens, in omnibus ſtrenuè, & providè agebat: & quamvis juvenili ætate eſſet, ſecundùm quod agebat, eum non jam juvenem, ſed moribus feniſſimum judicare poſſes. Militiæ aſſiduus, frequentiam militum amans, colloquio affabilis, muneribus largus, labori, vigiliiſque indificiens, Eccleſiarum defenſor, pauperum, & mœrentium conſolator, ſuis clypeus, hoſtibus aculeus, juſtè judicans omnia, excepto quòd pietatis affectu obviante, in rigore juſtitiæ aliquantulum remiſſior erat. His artibus in ſe accreſcentibus omnium bonorum favorem brevî obtinuit. Hic Boamundus fratrem ſuum ambitione Ducatus à ſe deſciſcentem, qui jam urbem, quæ Oria dicitur, traditione civium adeptus erat, per quam provinciam Tarentinam, & Hydruntinam ſpe prædæ, complicibus undequaque ſibi alligatis infeſtabat, minùs adversùm ſe proficere videns, non quòd miles elegantiſſimus non fuerit, ſed quia ſumptus ad id negotii neceſſarii minùs ſuppetebant, fraterna pietate commotus, arceſſito ad ſe, & reconciliato, partem paternæ hæreditatis contulit, annuens ei ipſam Oriam urbem, quam pervaſerat, adjiciens Tarentum, & Hydruntum, ſive Galipolim cum omnibus appendiciis, & quidquid Gaufridus de Converſana ſub ipſo habebat cum famulatu ejuſdem. Reliquos verò, ſi qui adverſarii erant, ſua ſtrenuitate ſternebat: ubi verò minùs per ſe ſufficiebat, Sicilienſi Comite, quaſi pro verbere ad alios ſubjugandos utebatur, cujus virtute pluribus territis, minùs reſiſtere præſumebant.

CAP. V.

Comes Agrigentum obſidet, & capit.

COmes ergo Rogerius omnes potentiores Siciliæ à ſe debellatos gaudens, & nemine, excepto Chamuto, ſuperſtite, ad hoc aſſidua deliberatione intendit, ut ipſo circumveniendo debellato, omnem ſibi de cætero Siciliam ſubdat. Unde exercitu admoto, ipſo apud Caſtrum-Joannis immorante, uxorem ejus, ac liberos apud Agrigentinam urbem obſeſsùm vadit anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octogeſimo ſexto prima die Aprilis, quam undique exercitu vallans, diutina oppreſſione laceſſivit, ſtudioque machinamentis ad urbem capiendam apparatis, tandem viceſimaquinta die Julii viribus exhauſta imminentibus hoſtibus patuit; uxor Chamuti cum liberis, Comitis (16) inventa eſt captionisi. Comes itaque in urbe pro libitu ſuo poſitus uxorem Chamuti omni dehoneſtatione prohibita, ſuis cuſtodiendam deliberat, ſciens Chamutum ſibi faciliùs reconciliari, ſi eam abſque dehoneſtatione cognoverit attractari. Urbem itaque pro velle ſuo ordinans, caſtello firmiſſimo munit, vallo gyrat, turribus & propugnaculis ad defenſionem aptat, finitima caſtra incurſionibus laceſſens ad deditionem cogit: unde & uſque ad undecim ævo brevi ſubjugata ſibi alligat, quorum iſta ſunt nomina: Platonio, (17) Miſſor, Gaſtajel, Satuti, Racel, Biſar, Muclofe, Garo, Calateniſſa, quod noſtra lingua interpretatum reſolvitur, (18) Caſtra Fœminarum: (19) Lerata, Remiſe.

CAP. VI.

Chamut Chriſtianus fit, Caſtrum-Joannis redditur.

COmes itaque ſibi omnia proſperè cedere Dei miſeratione cognoſcens, adjicit caſtrum Joannis ſibi aut oppreſſione, aut certè aſtu, aliqua compoſita confœderatione ſibi applicare. Unde & quodam diluculo cum centum militibus versùs Caſtrum-Joannis properans, Chamutum fœdere interpoſito, locutûm invitat. Quem diverſis verborum circumitionibus attemptans deditione Caſtri, & converſione ad Chriſti baptiſmatis regenerationem pulſat. Porrò ille cognoſcens, experimento de aliis ſumpto, Comitem ad quodcumque intenderet, fortuna favente, nihil fruſtra niti, aliquantulum etiam de converſione ad fidem tacito ſub pectore inſpiratus, clam ſuis agit, ut ſtatuto termino Comes cum cum exercitu ante caſtrum veniens, ipſum cum omni ſuppellectili ſua ad ſe transfugientem ſuſcipiat. Timebat enim ne ſi in propatulo fieret, quòd caſtrum reddere, vel ad fidem Catholicam tranſire niteretur, à ſuiſmet perimeretur. Comes à tali promiſſione lætus apud Agrigentum redit: ſtatuto termino ſilenter exercitu conflato, haud procul à Caſtro-Joannis, loco inter ſe prænotato inſidiis occultatur. Chamut omnibus ſuis mulis, & equis ſuperpoſitis, quaſi aliquorſum proceſſurus urbe digreditur, ex induſtria ſuper inſidias noſtrorum incidit, à noſtris excipitur. Comperto Caſtrum-Joannis à noſtris oppugnatur. Porrò cives tali facto viribus exhauſti terrentur, prore, atque tempore conſilium aptant. Fœdere compoſito Comiti reconciliantur, Caſtrum deditioni adjicitur. Comes Caſtrum adeptus lætus efficitur, noſtræ genti ad tuendum fortiores turres aſſignantur. Chamut cum uxore, &

(11) *Tbumino.*
(12) *Tbuminus.*
(13) *mercatus, quamvis.*
(14) C. P. *finibus ſuis arcet, promittens etiam ſub oſtentatione legis ſuæ nulla claſſe &c.*
(15) *ulteriùs tentare pervaſum.*
(16) C. P. *innecta è captioni.*
(17) *Miſſar, Gnaſtilel, Satiri, Gemellos, Raſelbiſar, Micluſe.*
(18) *Caſtrum.*
(19) *Lecata, Remuniſſe.*

& liberis Christianus efficitur, hoc solo conventioni interposito, quòd uxor sua, quæ sibi quadam consanguinitatis linea conjungebatur, in posterum sibi non interdiceretur. Chamut inter suos ulteriùs commorari vel differens, vel diffidens, ne Comiti, quasi aliquam fallaciam miscens, suspectus fieret, vel minùs crederetur, apud Calabriam in provincia Melitana à Comite terram suis usibus sufficientem expetit, quod Comes sibi libenter annuens illuc secessit, sicque postea longo tempore vivens, ab omni fraude versùs nostram gentem sese irreprehensibilem deinceps exhibuit.

CAP. VII.

Comes Episcopos per Siciliam ordinat.

COmes videns propiciatione Dei omnem Siciliam, exceptâ Butera, & Noto suæ ditioni subeundo cessisse, ne ingratus tanti beneficii sibi à Deo collati existeret, cœpit Deo devotus existere; justa judicia amare, justitiam exequi, veritatem amplecti, Ecclesiam frequentare cum devotione, sacris hymnis adstare, decimationes omnium reddituum suorum sacris Ecclesiis attribuere, viduarum, & orphanorum, sed & mœrentium cum ratione consolator. Ecclesias passim per universam Siciliam reparat, ipse pluribus in locis de suo sumptus, quibus faciliùs fiant, attribuit. In urbe Agrigentina Pontificalibus infulis cathedram sublimat, terris, decimis, & diversis copiis, quæ Pontifici, & Clero competenter designata sufficiant, hæreditaliter chirographis suis dotat, ornamentis, & sacri altaris utensilibus ad plenum consignatis. Huic Ecclesiæ Gerlandum quendam natione Allobrogum, virum, ut ajunt, magnæ caritatis, & Ecclesiasticis disciplinis eruditum Episcopum ordinans, præfecit. Haud secus apud Mazaram facere addens, omnibus quæ ritè sufficerent Prælato, & Clericis ad plenum designatis, Stephanum quendam Rothomagensem, honestæ vitæ virum Episcopum ordinavit. Apud Syracusam verò idem adjiciens Rogerium Decanum Ecclesiæ Trainensis honestæ eruditionis clericum, & boni moris, & affabilitatis virum in Provincia ortum Pontificalibus infulis sublimavit: Trainensibus non minimùm de ejus amissione dolentibus, quippe cujus doctrina, & exemplo ad meliora semper hortabantur, & consilio, & eloquentia etiam in ipsis sæcularibus negotiis, quasi pro baculo sustentationis utebantur, nam & absente Episcopo vices sibi delegatas cum omni prudentia, & moderatione exequebatur. Apud S. Euphemiam verò monachum quendam, natione Britonem, virum religiosum, post Abbatem totam Ecclesiam prudenti moderamine audiens, ut hunc Ecclesiæ Catanensi (20) impetrare queat, Episcopum (21) ordinare intendit. Quare & per se metipsum illuc accedens, vix tandem Monachis hoc carere volentibus, ipso etiam præ cæteris ampliùs reluctante, obtinuit. Sicque sollemniter Episcopatum concedens, quod nulli Episcoporum feciſſe cognoscitur, totam urbem sedi suæ cum omnibus appendiciis suis sub chirographo, & testibus hæreditaliter possidendam assignavit. Porrò ille Ecclesiam minùs cultam, A utpote à faucibus incredulæ gentis erutam suscipiens, (22) juris studiis primò studiosiùs inhærens, brevî Ecclesiam omnibus necessariis provehens, ad Mariæ vices cum Martha exequendum transiit: Monachorum turbam non modicam sibi coadunans, districtæ regulæ jugo, verbo, & exemplo subesse, ut fidelis pastor coëgit.

CAP. VIII.

Rex Francorum Philippus filiam Comitis uxorem expetit.

EA tempestate Philippus Rex Francorum B uxorem habens legitimam, & præclari generis Bertam nomine, ex qua susceperat filium nomine (23) Leudovisinum, cui etiam ab omnibus curialibus regnum post se habere designaverat, contra jus legitimæ conjunctionis exosam habere fecit, & à se contra Canonum statuta libello repudii conatur repellere, nihil criminis objecto, excepto quòd sanguinitatem falsò adnumerare tentabat, nec poterat. Hic legatos apud Siciliam ad Comitem dirigens, filiam ejus nomine Eminam, quam de prima uxore speciosam puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expetit. Comes verò fraudis, quam versùs legitimam uxorem habebat, ignarus, cum multis sponsalibus se sibi daturum concessit, statutoque termino, navibus apparatis, eam usque ad S. Egidium cum pluribus thesaurorum C exeniis, quò Rex se obvium fieri dixerat, maritimo cursu transmittit. Habebatque fiduciam in Comite ejusdem provinciæ Raimundo, quòd eam Regi honestè consignaret, nam & ipse aliam filiam Comitis jamdudum duxerat. Rex verò pravorum consilio usus, ad hæc nitebatur, ut thesauris susceptis, & Comitem de filia, non ducendo ludificaret. Porrò Comes Raimundus regia fraude comperta, cœpit & ipse nihilominus aliam fraudem conjecturare, videlicet ut puellam dissimulata fraude cum honore susciplens, alteri probo viro in matrimonium consignaret, ipse verò D omnem pecuniam usurparet. Sed prudentes viri, quos comes cum familia miserat, prece puellæ pecuniâ exportatâ, fraudem quæ agebatur comperientes, anchoris extractis, velaventis committentes, puellâ cum sororis marito relictâ, placida aura sufflante, cum pretiosioribus thesauris ad Comitem in Siciliam revertuntur. Comes verò Raimundus fraude, quam machinabatur, ex parte frustratus, puellam Comiti Claramontis legalibus nuptiis copulavit, sicque sola Dei dispensatione solemniter maritata, & pater opprobrio, quod rex machinabatur, & filia inordinata, & contra jus quavis legali copulatione liberatur.

E

CAP. IX.

Mihera Majam intrat.

MIhera verò filius Hugonis Foloch vir magnæ levitatis, sed elegantissimus miles, læva, pro dextera utens, Roberto Duce defuncto in insolentiam prorumpens, vicinos circumquaque prædis, & diversis incursionibus lacessendo appetere cœpit. Possidebat enim

(20) C. P. *si.*
(21) *ordinet.*

(22) *Marthæ.*
(23) C. P. *Ludovicum.*

Digitized by Google

enim tunc temporis castra sibi à patre hæreditaliter relicta Catantiarum, & Roccam, plus verò armis ambiens, in ipso etiam Duce præsumens, castrum, quod Maja dicitur, traditione civium sibi usurpans irrumpit. Sed suis viribus auxilia addere volens, Boamundi fratris Ducis, qui jam fœdere rupto adversùs fratrem conspiraverat, homo efficitur. Majam, quam pervaserat, & omnem terram, quam hæreditaliter à patre sibi relictam sub Duce possidebat, ipso Duce renunciato, & Sacramentis confœderatus Boamundus ab ipso recipitur.

CAP. X.

Boamundus Cusentum pervadit.

AT Boamundus ambitione nanciscendarum, pervasione super fratrem, urbium avidus, cum Consentinis secretò de traditione urbis agit, promittens se castellum, quod Dux illis invisum in eadem urbe firmaverat, si eorum auxilio capere possit, funditus dirutum iri. Qua promissione illi ad fraudem proclivè illecti, Boamundo assentientes, illum infra urbem cum sua virtute suscipiunt. Sacramentis sibi confœderantur. Castellum vallantes oppugnatûm vadunt. Quod cùm Duci in Apuliam, ubi tunc morabatur, nunciatum fuisset, exercitum admovens illorsum accelerat, avunculumque sibi in auxilium invitans, ut sibi apud Cusentum obvius fieri non differat, mandat. Nam, ut diximus, contra omnes sibi adversantes illo, quasi pro flagello ad terrendum alios, utebatur. Comes verò militaribus, & peditum copiis apparatis invitanti se nepoti obvius fieri accelerat. Sed antequam ab utroque exercitu; Ducis videlicet, sive Comitis illuc perventum est, castrum, quod oppugnabatur, dum pro posse repugnat, machinamentis appositis, viribus exhaustum hostibus cessit, funditusque, ut à Boamundo promissum erat, dirutum fit. Porrò Dux sibi Comitem obviam habens, Rossanam, quæ Consentinis in fraude assentiebat, oppugnans capit, incendio omnia percurrens. Boamundus itaque, ne obsidione infra urbem clauderetur, devitans Hugonem Claramontis, qui Consentinos in sua fidelitate retineat, apud Cusentum relinquens, Roccam secessit. Dux verò, & Comes putantes eum apud Majam digressum, illuc præoccupare volentes accedunt. Sed cùm non ibi esse comperiunt, versùs Roccam properantes, loco, qui Lucus Calupnii dicitur, tentoria figunt, ubi per internuncios, pace quidem ab utrisque partibus interposita, apud Sanctam Euphemiam conveniendi, & plenius reconciliandi terminum statuunt. Sed Mihera huic termino assensit, non autem Boamundus. Ipse enim reconciliari differens, jam Tarentum recesserat. Instante itaque die præfixo, Mihera conductum, quo fœdere accedere, vel recedere liceat, expetit. Conceditur, accedit, Boamundo inconsulto, Duci reconciliatur. Maja reddita, Duci, cui jure competebat, reconsignatur. Fratres itaque post biennii dissensionem consilio utrorumque fidelium reconciliantur. A Duce, ut semper viro largissimo Boamundo Cusentum, & Maja conceditur, sed brevissimo intervallo, quia Boamundus Cusentinis juraverat, castrum ibi se non facturum, & Dux idem se Barensibus, cambio inter se facto, Dux Cusentum recipit, Barum fratri mutua vicissitudine concedit, ut salvo quisque in suo jure libera potestate quod volet faciendi utatur. Sicque amicitiam suam testibus, & chirographo confirmantes, deinceps indivulsam tenuerunt.

(24) *Lodocelli ductore superadditam mittens diutius incursione.*
(25) *Domini* 1087.

CAP. XI.

Mihera Monachus fit.

MIhera ergo Comiti Rogerio, & Radulfo (24) Loracelli sibi infestantibus diu rebellis, videns offensas suas modum reconciliationis excessisse, ulteriùs ferre non valens Adæ filio suo omnem terram suam assignat, putans eum auxilio ex parte matris parentum faciliùs resistere hostibus, aut certè reconciliari, ipse verò Beneventum secedens monachicè consociatus habitum induit. Nam neque Dux, neque Boamundus, quia vicissim utrumque fœdere rupto ludificaverat, amici erant: ob quam rem Comes, & Robertus Loracelli jam a Duce terram ejus sibi datam iri expetentes, faciliùs obtinuerant. Comes verò milites suos Rodulfo Loracelli ductore super Adam mittens, diutinis incursionibus aliquanto tempore repugnantem, tandem penuria afficit; qui cùm videt se ulteriùs ferre nequire, palatium suum, & omnes meliores domos nocte ubi oppugnabatur incendio destruens, castro relicto hostibus, recessit anno (25) Verbi Incarnati millesimo octogesimosexto. Comes verò, & Rodulfus Loracelli terram ejus, (26) ut à Duce concessum erat, inter se dividentes deinceps utpote sua (27) sunt.

(26) *à Duce ut concessam.*
(27) *forte.*

CAP. XII.

Buteram Comes obsidet.

IGitur Comes Rogerius omni Sicilia adversùm se fœdere compositio sedata, excepto quòd Notenses, quò uxor Benarvet cum filio transfugerat, & Buterenses adhuc pro posse incassum recalcitrabant, exercitu admoto Buteram obsessûm vadit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo octavo, inchoante Aprili.

CAP. XIII.

Papa Urbanus Comiti locutûm in Siciliam venit.

PRudenterque armata manu, hostiliter undique vallans, aliquanto tempore inclusos diversis calamitatibus afflixit. Sed dum machinamentis ad castrum affligendum apparatis attentiùs insudaret, Legatus Papæ Urbani cum literis ab ipso sigillatis adveniens nunciat eundem Apostolicum virum Siciliam intrasse, eique, ut apud Trainam sibi locutûm accedat, mandare, eum longo itinere fatigatum, à Terracina enim digrediens adveniebat, præ lassitudine corporis, & montosis saltubus adhuc interpositi itineris progredi nolle. Comes verò quid potissimum ageret sollicitus,

Digitized by Google

citus, nam ſedem belli deſerere damnoſum ducebat, Papæ verò, qui à tanto intervallo locorum ad ſe veniebat, non occurrere, modico itineris interpoſito indignum, ut Catholicus vir æſtimabat. Tandem conſilio vir prudens accepto, agit, ut neque ſedem belli deſerat, neque Apoſtolico non occurrendo inobediens exiſtat. Exercitu nempe fidelibus ſuis prudentibus viris, & talibus negotiis peritis delegato, hoſtes infeſtare inſtruit, ipſe cum paucis ſe invitanti Apoſtolico obvius apud Trainam occurrit, lætique ad invicem alter ab altero cum ſumma veneratione excipitur. Hic ab illo Apoſtolica benedictione ſub vice Mariæ, ille ab iſto in his, quæ corpori neceſſaria erant, obſequiis Marthæ, in craſtinumque ſummo diluculo convenientes agunt ad invicem de negotio, quod Apoſtolicum acceſſiſſe compulerat. Nam idem Apoſtolicus ante paucos dies Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum per Nicolaum Abbatem Cryptæ ferratæ, & Rogerium diaconum conveniens paterna increpatione commonuerat, quòd Chriſtianis Latinis, qui in ſua provincia morabantur, azymo immolari interdixerat, præcipiens in ſacrificiis more Græcorum fermentato uti, quod noſtra religio omnino non habet. Imperator verò increpationem ejus humiliter ſuſcipiens, invitat eum per eoſdem legatos chartulis, aureis literis ſcriptis, ut veniens cum eruditis catholicè viris Latinis, Conſtantinopolitano Concilio congregato, diſputatio fieret inter Græcos, & Latinos, ut communi definitione, in Eccleſia Dei illud ſcinderetur, quòd Græci fermentato, Latini verò azymo immolabant, unaque Eccleſia Dei unum morem teneret, dicens ſe libenter Catholicæ diſcuſſioni aſſentire, & quod auctenticis ſententiis, præſentibus Græcis, & Latinis aſſentiri definiretur, ſive azymo, ſive fermentato immolandum eſſet, ſe deinceps obſervare velle. Terminum etiam, quo Papa accedere deberet, ſtatuit, anni videlicet, & dimidii. Comes verò, ut tantum ſchiſma ab Eccleſia Dei amputetur, eundi conſilium dedit. Sed impedientibus inimicis Sanctæ Dei Eccleſiæ, qui Romæ ſibi infeſti perſiſtebant, iter prohibitum eſt. Comes itaque Papam pluribus donariis honoratum à ſe dimiſit, ipſe verò Buteram rediens, hoſtibus infeſtus tandem ad deditionem coëgit: ſicque caſtro potitus pro libitu ſuo diſponit, potentioreſque in Calabriam manſuros mittit, ne ſibi ibidem manentes, aliquam fraudem machinando, commotionem facerent.

CAP. XIV.

Comes Adelaidam in uxorem ducit.

ANno igitur incarnati Salvatoris 1089. Comes Rogerius uxore (28) Elemburgâ filiâ Guilielmi Comitis (29) Mortonenſis defunctâ, aliam duxit (30) Adelaidem nomine, neptem Bonifacii famoſiſſimi Italorum Marchionis, filiam videlicet fratris ejus juvenculam honeſtæ admodum faciei, duaſque ſorores ejuſdem puellæ, duobus filiis ſuis Gofredo videlicet, & Jordano in matrimonium copulavit: ſed Gofredo antequam nubiles annos attigiſſet, quod dolor eſt dicere, morbo prohibente minimè eam cognovit, Jordanus autem ſollemnibus nuptiis duxit.

(28) C. P. *Eremburga.*
(29) *Morintonenſis.*

CAP. XV.

Notenſes Comiti reconciliantur.

PORrò Notenſes videntes omnem Siciliam ſub Comite curvatam, ſeſeque ulteriùs incaſſum reſiſtere, conſilio inter ſe habito, Comiti reconciliari utile ducunt. Denique de ſe ipſis legatos eligentes ad Comitem dirigunt, qui apud Melitum, ubi tunc Comes morabatur, accedentes, pacem faciunt anno Dominicæ Incarnationis 1090. Februario menſe. Comes itaque cenſum duorum annorum illis condonans, Jordanum filium ſuum, cui etiam terram, & uxorem dederat, ut urbem ipſis dedentibus recipiat, cum ipſis mittit, qui à patre edoctus, urbe ſuſcepta caſtello munit, proque libitu ſuo in patris fidelitate diſponit, uxor autem Benarvet cum filio in Africam transfugit. Sedata itaque omni Sicilia, Comes Rogerius collati ſibi à Deo beneficii non ingratus exiſtens, omnimodè ſecundùm quod mundiales curæ, quibus occupabatur, permittebant, Deo cœpit ſe ſe devotum exhibere, & quanto ampliori honore terreno ſe à Deo provectum cognoſcebat, tanto ampliori ſtudio agebat, ut in perfectæ humilitatis ſtatu perſiſtens greſſum mentis figat. Militibus itaque ſuis, quorum auxilio tanti honoris culmen adeptus fuerat, arceſſitis, gratias cum omni manſuetudine referens, quibuſdam terris, & largis poſſeſſionibus, quibuſdam verò aliis diverſis præmiis laboris ſui ſudores recompenſat.

CAP. XVI.

Comes Maltam vadit.

SIc itaque omni Sicilia pro libitu ſuo ſapienter compoſita, Comes militaribus exercitiis aſſuetus, quietis impatiens, laboris appetens, lucris inhians, corpus ab aſſuetis exercitiis minimè deſueſcere paſſus eſt: ſed quæ tranſmarina Regna prima potiſſimùm ſibi ſubjuganda attento animo, jugi meditatione tractat. Unde & Melitam Inſulam, à referentibus viciniorem cæteris ſibi cognoſcens, claſſem, qua eam attentet, accelerare imperat, militibus ſuis, ut ſe ad id exercitii aptent, præcipiendo denuntiat. Dum iſta geruntur, Mainerius Gerenti à Comite, ut ſibi locutûm veniat invitatus accedere differt, cum arrogatione, præſente adhuc legato Comitis, reſpondens, ſe nunquam ipſum, niſi ut damnum ſi poſſit, inferat, viſum velle. Quod referente legato, qui miſſus fuerat, Comes audiens, plurimùm indignatus, feſtinus mari tranſmeato, à Sicilia in Calabriam vênit: Petrum Moritonenſem, cui vices ſuas plurimùm commiſerat, ut per Siciliam exercitum commovens poſt ſe acceleret, mittit: qui prudenter injuncta perficiens, infra octo dies ab omni Sicilia copioſo exercitu congregato (31) in Majo ad Comitem adduxit. Sicque Comes versùs Gerentiam accelerans, caſtrum terribili obſidione vallavit. Qua de re Mainerius territus ſe ſtultè, & feciſſe, & locutum cognoſcens,

(30) *Adelaidam.*
(31) *in prato Maji.*

Digitized by Google

ſcens, ſupplex ad miſericordiam Comitis vênit, equos, mulos, theſauros, & omnia quæ habebat, veniam petens in ejus diſpoſitione ponit. Comes ſuper his, quæ fecerat, eum pœnitere videns, ut ſemper pii cordis omnia condonavit, excepto quòd, quaſi pro diſciplina, potiuſquam ambitione, mille aureos ſolidos de ſuo accepit, ut eum à tali præſumptione coërceat: ſicque per ardua adjacentium montium inde digrediens Cuſentum vênit, & quia incolæ Provinciæ illius Duci recalcitrabant, triduò vineta, & oliveta eorum extirpans, inde Aratam feceſſit, ubi cum ſuis conſilium captans exercitum brevi tempore ſolvit, præcipiens, ut unuſquiſque ad expeditionem versùs Melitam domi aptatûm recedat, termino quindecim dierum interpoſito, quo ſibi apud Reſacrambam, illuc enim claſſem ſuam convenire fecerat, obvii fiant. Portus autem in ariditate naturæ à cæteris differt, ita ut ſi quis experientiæ causâ cannam, vel aliquid concavum accipiens (32) cubita duo à ripa in mare terræ tenus palmo tantummodo profunditatis figat, tantæ longitudinis, ut deſuper undas concava ſummitas quantùm volet attingat, cùm mare ſalſiſſimum ſit, dulciſſimas, & potabiles aquas per concavitatem in altum ebullire (33) vident. Hîc die terminato ab omni Sicilia, & Calabria plurimo exercitu Julio menſe conflato, quodam veſpere Comes naves (34) aggredi accelerat. Porrò Jordanus filius Comitis cùm claſſis aptatur, ſemper ſuſpicans erat, Comitem quidem versùs Melitam non iturum, ſed ſibi, ut ipſe exercitum illorſum conduceret, commiſſurum: Comes autem in ipſo ingreſſu navium arceſſito imperat, ut cum deſignatis, quos ſibi placuerit, Siciliam procuratûm remaneat. Urbem nullam, vel caſtrum ingredi, donec ipſe à Melita revertatur, præſumat, ſed in tentoriis habitans, ubicumque per Siciliam ad ſuccurrendum neceſſe ſit, paratus ejus regreſſum ſuſtineat. Porrò ille aliter, quàm ratus erat, patrem præcipientem audiens, totus admiratione attonitus fit, patremque ab iis, quæ dicebat dehortari niſus, cum lachrymis proclamat, dignum potiùs, ſi placet patri eſſe, ſe juvenem tanto labori aſcribi, patrem jam quaſi emeriti ſtipendii virum à laboribus plurimùm paſſum corpus recreando quietis oblectamentis uti. Minùs damnoſum ſi ipſe minoris pretii juvenis in tanto diſcrimine pereat, quàm vir tantæ auctoritatis, tantive conſilii. Comes verò ad verba filii indignatus eum, quamplurimum convitiatus in audientia omnium retulit, ſe numquam vel filium, vel aliquem, quo ipſe primus eſſe non audeat, miſſurum, & ſicut primus eſſet in poſſidendis, vel diſtribuendis, ita conveniens eſſe, ut prior fieret in adquirendis. Sic pluribus remeantibus pietate abeuntis, deinde lachrymantibus Comes naves ingreſſus buccinis ex ejus edicto concrepantibus, & diverſi generis muſicæ artis pluribus, ut quiſque doctus erat, inſtrumentis modulantibus, anchoris extractis, vela ventis plurimo apparatu committunt, auraque proſpera ſuffragante, ſecundo die applicant apud (35) Miletum. Navis verò Comitis cæteras velocitate præcedens, ut primùm terram attigit, Comes navi digreſſus, cum tredecim tantùm militibus equos aſcendens, plurimam incolarum multitudinem, quæ ut impedirent, ad ripam obviam fuerat, aggrediens, multos ſternit, reliquos fugat, extremos quoſque cædendo per longum inſequitur. Veſpere autem ab inſequendo regrediens in littore maris cum omni exercitu ſuo illa nocte hoſpitium ſumpſit. Craſtino verò illuceſcente propiùs urbem accedens obſidione vallavit, circumquaque per Inſulam ſuos prædatûm mittens. Porrò Gaytus, qui urbi, & inſulæ principabatur, cæterique cives bellicis exercitationibus minùs aſſueti, præſentia hoſtium deterriti, pacem liberè, ad colloquium cum Comite accedendi expetunt, qua à Comite conceſſa, ad tentorium Comitis ſibi locutûm, ut pacem faciat, accedunt. Diverſiſque circumlocutionibus uſi, tandem cùm calliditatem Principis minùs ſe fallere poſſe perpendunt, pro libitu Comitis, primò captivos Chriſtianos, quorum plurimam multitudinem infra urbem tenebant, reddunt, & equos, & mulos, & arma omnia, quæ habebant, cum infinita pecunia Comiti offerunt. Datam uno quoque anno perſolvendo determinantes, urbem de Comite ſe ſerviendam promittunt, ſicque more legis ſuæ ſacramentis datis Comiti confœderati ſunt. Videns autem captivos Chriſtianos ab urbe progredientes, præ gaudio ſuæ inſperatæ liberationis ab uno quoque cordis lacrymis profundi, ligno, vel calamis, prout quiſque primò inveniebat, compoſitas cruces in dextris ferentes Chyrieeleiſon proclamando, ad pedes Comitis provolvi, noſtros verò ad talem intuitum pietatis affectu lachrymoſo rore perfundi. Comes ergo taliter urbe ſibi confœderata, captivos, ut aſportet, per naves ordinans, reditum cum magno timore, præ nimio pondere captivorum ſubmerſionem veritus, accelerat, ſed dextera Dei, ut credimus ex eventu patuit, naves per undas ſublevans, cubitu uno liberiores ſuper mare ferebat, quàm in aditu ſuo, cùm eas minùs onus gravabat. At cùm mare ſic reditum accelerat, eminus inſulam, quæ (36) Golfani dicitur, intuens, illorſum, ut debellet, vela dirigi imperat. Quò applicans prædis aggrediens devaſtat, ſicque ſecum fœdus inire cognoſcens ſuæ ditioni aſſignat. Undique impunè per æquora vela dirigens, Siciliam reverſus deſiderantibus ſe fidelibus ſuis plurima præda onuſtus repræſentat. Captivos autem, quos captione erutos ſecum reduxerat, omnes convocans liberos facit, offerens eis ſi ſecum in Sicilia remanere velint, villam unam ſuis ſumptibus, loco, quo eligerent, conſtruere debere, & de ſuis ſumptibus neceſſaria ad lucrandum ſubminiſtrare, villam etiam eandem francam, ideſt liberam villam, eo quòd omni vectigali, vel ſervili exactione libera in perpetuum foret, ſubtitulare, ſed & illis deſiderantibus proprios agros, amicoſque viſere, liberam facultatem quò vellent, abeundi conceſſit: per totam terram ſuam neceſſaria, & abſque pretio Phari tranſitum tribuens. Porrò ipſi cum gaudio, & Comiti de ſua liberatione gratias referentes quiſque in loca ſua recedunt, per diverſa regnorum ſpatia, prout nationis erant, nomen Comitis magnificando dilatantes.

CAP.

(32) C. P. *cuaitu uno*.
(33) *videas*.
(34) *ingredi*.
(35) *Melitam*.
(36) C. P. *Golſa*.

CAP. XVII.

Dux, & Comes Cuſentum capiunt.

ANno ergo milleſimo nonageſimo primo, Rogerius Dux cõtra Conſẽtinos diu rebelles indignatus, exercitu ab omni Apulia coadunato, fratre Boamundo ſecum accepto, ipſos menſe Majo obſeſsũm ire diſponens, avunculum Comitem à Sicilia, ut ſibi auxilium ferendo illuc occurrere non differat, invitat. Ille amore nepotis ab omni Sicilia multa Saracenorum millia excitans, ſed & militum copias conducens, quò invitabatur haud ſegniter accelerat. Conſentini, hoſtes versùm ſe accelerare audientes, ſe ipſos vallo, & muris muniunt, arma, & quæ defenſioni neceſſaria erant, aptant, ſumptus naturæ neceſſarios infra urbem comportant, defendere, potiùs quàm ſuccumbere invicem cohortantur. Dux, & Comes ſe ſe invicem apud Cuſentum obviantes urbem undique vallant. Dux planiciem obſidione occupat. Comes montana conſcendens, quo major labor, & hoſtis infeſtior imminebat, caſtris ſuorum urbem gyrare imperat. Conſentinis itaque ex conſilio, & edicto Principis vallo, & ſepibus undique clauſis, ingrediendi, vel egrediendi, vel quidlibet introducendi facultate ſublata, plurimùm deterrentur. Sic jugis decertatio, certamen aſſiduum. Sed Conſentinis major ſpes defenſionis in fundibulis, & ſagittis erat. Propiùs accedere, ut enſe tenus cum noſtris decertarent, periculoſum ducebant. Porrò Comes interdum ad deditionem mulcendo blandiri, frequentiùs interminando deterrere, ſuos inſtare hortari, omnia circumire, nil intentatum relinquere, quæ facienda erant prior adire, ad certamen ſuos præcedere, in recedendo ſubſequi, omnia prudenti ordinatione providere ſtudebat, exemplo ſui, ad quæ facienda erant, omnes vigilantiores reddens. Conſentini itaque conſtantiam Comitis jampridem cognoſcentes, & hoſtes à finibus ſuis ſpe arcendi decidentes, conſilio inter ſe habito, urbis deditionem, ſi forte de offenſione ſuæ rebellionis veniam à Duce, & Comite mereantur, aptant. Primò quòd Comitem prudentioris conſilii virum ſciebant, & cujus ordinatione omnia regebantur, conventiones, ſe, ſuumque conſilium ſupplices ei committunt, ſinè ipſo nihil acturi, à quo ſciebant, poſtquam promitteret, ſinè fraude, vel ſui detrimento, ubi vitari poſſet, ſibi conſilium dari. Ille verò eorum verba, ut ſemper pius, & pacis amator ſuſcipiens, ita prudenter rem ordinavit, ut & Dux pro libitu ſuo urbe potiretur, & Conſentini Ducis gratiâ reconciliari non fraudarentur. Dux avunculi ſui ſtrenuitate urbe potitus, antequam expeditio ſolvatur, arte cæmentaria caſtrum ad urbem à tali præſumptione ulteriùs prohibenda, in altiori urbis jugo firmat. Comiti autem pro recompenſatione ſervitii ſibi exhibiti medietatem (37) Pauſemitanæ urbis aſſignat, ſicque expeditione menſe Julio ſoluta, Dux in Apuliam, Comes verò in Siciliam digrediuntur. Comes autem in ſua parte caſtrum firmat, urbemque, cùm jam communis eſſet, ita ordinat, ut plus ex medietate poſtmodum Duci pervenieret, quàm primò cùm ſinè comparticipes totius urbis redditus poſſideret.

(37) C. P. *Panormitanæ.*
(38) C. P. *Trainæ per porticum.*
(39) *Pentargæ.*

CAP. XVIII.

Jordanus obiit.

HIs itaque peractis, quia per ſucceſſionem temporum ea, quæ geſta ſunt, vel acciderunt, prout fuerunt, nos ſcripturos repromiſimus, ordo temporis damnoſum dolorem Siciliæ & Calabriæ, nos quin huic libro inſeramus prætergredi vetat: quamvis pluribus in præſentia ſui hoc idem ad memoriam revocare, oneroſum, quaſi dolorem renovando videatur. Nam ſunt nonnulli, qui præ nimio affectu, quem erga ipſum, de quo ſermo fit, habuerunt, ut ſi in eorum præſentia quod accidit, recitatur, a lachrymis minimè ſe poſſunt continere; acſi recens ſit quod narratur. Jordanus enim filius Comitis propter ſtrenuitatem ſuam omnibus amabilis, quem plures, quia jam Gaufredum, quod dolorem non minuit, morbus Elephantinus pervaſerat, Comitis hæredem futurum ſuſpicabantur, nam neque alium maſculum habebat, apud Syracuſam ſui juris urbem febris typo percutiùs eſt. Quod cùm patri nuntiatum fuiſſet illorſum prævenire mortem accelerat, ſed morbo ingraveſcente, ultima determinatio vitæ Jordani patre velocior fuit. Comes autem urbem ingreſſus, ut funus filii conſpexit, intolerabili dolore corripitur, omneſque, qui cum ipſo advenerant, doloris participes facti lachrymoſo planctu rapiuntur, plureſque patris dolor, quàm Jordani mors ad lachrymas pertrahebat. Urbs tota lachrimoſo ululatu ventilatur, in tantum, ut ipſos Saracenos noſtro generi inviſos, non quidem ex amore, ſed ex mœrore, quo noſtros affici videbant, pietatis affectus pervadens ad lachrymas uſque pertraheret. Comes itaque funus decenter ordinans, (38) Trainam per totam S. Nicolai ſollemniter humandum deducit. Multa beneficia eidem Eccleſiæ, ſed & aliis pro redemptione animæ ejus conferens anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo ſecundo. Porrò cives urbis (39) Peutargæ, quæ juris Jordani hactenus fuerat, mortem Jordani, quem plurimùm pertimeſcebant, audientes, caſſo gaudio rapiuntur, atque in inſolentiam prorumpentes, jugum noſtræ gentis, rebellando à ſe excutere fruſtra nituntur. Nam Comes filio humato nil remoratus, cum ſola familia ſua illos obſeſsũm vadit: expeditionem ab omni Sicilia ſe illuc ſubſequi imperans. Sicque vi ſuperans, illos, qui tam inepti conſilii auctores fuerant, ſuſpenſos extinxit, reliquos tormentis diverſis afficiens, urbis ſtultitiam (40) ſedat.

CAP. XIX.

Simon naſcitur.

PAtre orbo, gravi morbo ſic ſublato filio, (41) Unde doleret, quòd careret hæreditali gaudio,
Ditat prole, quaſi flore ſuperna proviſio.
Imprægnatur, ac gravatur, matris gaudẽs uterus
Intumeſcit. Infans creſcit naturæ ſucceſſibus.
Orat

(40) *ſedavit.*
(41) *Nè.*

Digitized by Google

Orat pater, sed & mater Deum, ut sit masculus.
Implet vota forma tota, dū (42) semen coagulat.
Fiat natura jam secura infra matris viscera.
Nonus mensis spe suspensis. Sic partus accelerat.
Infans prodit. Nullus odit. Fit cunctis lætitia.
Obstetrices sunt felices (43) à matris lætitia.
Nuntiatus puer natus nova præstat gaudia.
Mater audit, unde plaudit, sit doloris nescia.
Festinatur: nuntiatur hæc patri lætitia.
Qui congaudens, atq; plaudens tura precū cælitus
Supplex litat, atque ditat legatum muneribus.
Plura jubet, prout lubet largiri pauperibus.
Dolor mortis gravis sortis jam sublati filii
Fit (44) lucitus, & oblitus spe nascentis (45) gaudium.
Simon fonte, pictus frōte inunctione chrismatis
Hæredatur, solidatur Dux futurus Siculus.
Calabrenses suos enses sibi optant adjici.
Pater totū implet votū, (46) Dux concessit fieri.

CAP. XX.

Dux Rogerius infirmatur.

POrrò Dux Rogerius uxorem habens præclaræ nobilitatis, neptem videlicet Francorum Regis Philippi, filiam Flandrensium Marchionis Roberti, quem Frisium appellabant, Adalam nomine, de qua duarum sobolum pater existebat, apud Melsam Apuliæ urbem febre correptus acriter torquebatur anno Verbi Incarnati millesimo nonagesimotertio. Morbo itaque ingravescente, jam pæne (47) vitalibus intercluſis, cùm (48) ipsi in partibus peritissimi sic medici attestantur, (49) natura contra usum attonita oberrabat, ut ab ipsis medicis nec pulsu, nec urina, sed neque aliis pronosticorum indiciis (50) infirmitas determinatè posset comprehendi. Qua de re cùm de ipso etiam ab ipsis medicis desperari videretur, fama, quasi jam obiisset, totam Apuliam, sed & Calabriam turbavit. Ea tempestate Boamundus apud Calabriam morabatur, qui cùm fratrem, fama referente jam obiisse audisset, credulus castra, quæ juris fratris fuerant, irrumpens sacramentis sibi confœderare persuadet: ita tamen discernens, ut si frater, quod se nolle protestabatur, jam obiisset, salva fidelitate legalium hæredum suorum, videlicet fratris, sibi quasi fideli eorundem hæredum patruo, usque ad intelligibilem ætatem, qua ipsi legitimè terram regere cognoscerent, fideles persisterent. Comes autem Rogerius eum talia facere audiens indignatione commotus, quòd talia se inconsulto præsumpserit, veritus etiam, quamvis hanc fidelitatem honestè discernens susciperet, pictis verbis (51) fraudem occultans inposterum, contra nepotes ambitione captus aliquid fraudis machinaretur, à suis insequi præcipiens à tota Calabria arcet.

CAP. XXI.

Guilielmus de Grantaviil Rossanam intrat.

PLures etiam auditâ famâ mortis Ducis in insolentiam prorumpentes, de iis quæ Duci competebant, distrahendo sibi usurpare moliebantur. Unde & Guilielmus de (52) Grantemaniol, summa cupidine correptus, in insolentiam proclivis declinans, Rossanam Calabriæ urbem pervadens intrat: dicens sibi jure competere, ut qui sororem Ducis, filiam Guiscardi Mabiliam nomine uxorem habebat, hæreditatisque particeps fieret. Sic quæ Ducis fuerant, propter imbecillitatem hæredum quisque quantæ fidei erga ipsos hæredes fieret, ostentans sibi distrahendo usurpabat. Sed natura, quæ jam diu peregrina oberraverat, in sui juris proprietatem reversa, contra spem medicorum convalere incipit. Sicque sanitate diatim excrescente, ad integrum pristinæ restitutus est sanitati. Quod Boamundus audiens magna mentis alacritate Melfi, ubi fratrem esse sciebat, de ejus sanitatis recuperatione congavisurus occurrit, castra, quæ sibi confœderaverat reddens, quæ fecerat, non jam dolosè fecisse ostendit. Porrò Guilielmus de Grantamanil turpi illectus avaritia, nec de domini sui recuperatione sanitatis congavisurus, nec, ut urbem quam pervaserat reddens accedere curavit, sed impudenti fronte fraudem ostentans, eandem urbem pro posse muniens, contra ipsum Ducem, si fortè impugnare attentaret, armavit. Comes autem Rogerius super hac re plurimum indignatus, tamen ut sapiens vir, quia neptis maritus erat, legato ad ipsum misso, ad reconciliationem contra dominum suum urbem reddendo hortatur. At dum blandimentis minùs prævalet, in iram totus prorumpens, jurat se, & urbem, quam nequiter pervaserat, ablaturum, & omnia, quæ ex licentia Ducis ante tenuerat, exhæredato sublaturum.

CAP. XXII.

Dux, & Comes Castri villam obsident.

SIcque potiùs ipse Ducem ad expeditionem super Guilielmum urguens, quàm ipse à Duce ad injuriam ulciscendam submoveretur, exercitu admoto, ab utrisque Castri villam obsessum itur anno Incarnati Salvatoris Millesimo nonagesimoquarto. Hoc autem operimentum fraudis suæ Guilielmus sibi adaptabat, quòd cùm ab urbicolis primò infra urbem susceptus est, illis improvisa determinatione jurejurando firmaverat, se numquam alicui urbem redditurum, excepto Ludovisо filio Ducis, & hoc quia parvulus erat, post decem annos futuros, fidelitatem, quam Duci juraverat, solvere, minoris offensæ, vel opprobrii ducens, quàm quod perjuris, & fraudatoribus juraverat. Sic avara ambitio, sed & uxoris prava persuasio mentem juvenis à bono, honestoque discernendo proclive cœcatum sibi illexerat. Dux ab omni Apulia equitum, peditumque copiis, fratre Boamundo sibi in auxilium cum Hydruntinis, & Tarentinis, & reliquis, qui sui juris erant, assumpto, Vallem Gratensem, versùs Castri villam occupat. Comes verò multa millia Saracenorum à Sicilia, & Apulia conducens, equitum quoque, sive peditum Christianorum copias illor-

(42) *semet.*
(43) *ad maris indicia.*
(44) *lenitas.*
(45) *gaudii.*
(46) *dum concedit.*
(47) *in zilibus.*
(48) *cum ipsis in partibus.*
(49) *sic.*
(50) *infirmitatis determinatio.*
(51) *pacem.*
(52) *Grantemanil.*

forsum nepoti occurrere acceleranter non relaxat. Porrò Guilielmus de Gratemenul auctoritatis viros adversùm se conspirasse, & obsidionem sibi imminere cognoscens, se se ad defendendum pro posse aptat. Dumque sibi auxilia undecumque ducere nititur, quamvis mos sit juvenibus, talibus exercitiis causâ militaris laudis, sed & quæstus libenter interesse, tam iram Comitis, quàm Ducis veriti minimè sibi, cùm multa promitteret, associari præsumebant, maximè quia fortunam sibi adversam, propter quod ipsum cum aliqua inhonestate retorquebant, prænotantes metuebant. Dux autem in valle Gratensi Comitem, dum veniat sustinet, castrum quod Sancti Mauri dicitur, usque properans, deditione civium tali pactione suscipit, ut in perpetuum, dum vita comes fuerit, illud Guilielmo non reddant. Inde Rossanam usque pertransiens, quia Guilielmus filios potentiorum civium sibi obsides adduxerat, minùs sibi assentientes offendit. Sed quia ipse Dux jam ante annum, contra voluntatem Græcorum, qui eidem maxima ex parte principabantur, Græco Archiepiscopo ejusdem sedis defuncto, successorem Latinum eligendo, subrogaverat, sed necdum Sacramento, aut Sacra Unctione firmatus erat, electione Latini frustrata, dum à Duce conceditur, ut de sua gente Archiepiscopum sibi Græci pro libitu eligerent, favorem illorum adeptus, urbem quoque illorum deditione obtinuit, sed castrum oppugnans, fidelibus Guilielmi renitentibus minimè prævaluit. Porrò Comes cum exercitu veniens, de Duce, qui jam tantùm profecerat, gavisus, juxta castrum Tarsæ super fluvium qui à S. Marco defluit, quo jam Dux tentoria fixerat, castramentatus est. Hîc Guilielmus à Comite invitatus, ut securus ad colloquendum veniat accessit. Multisque circumventionibus usus, dum & fraudem suam operiret, quæ pervaserat, Duci restituit. Dux autem jussum expetendo, Guilielmum exequens reconciliari sibi, ut judicio Comitis, cæterorumque prudentum, qui intererant virorum jus teneat, quòd sibi tandiu injurius extiterat, sacramento, & fide promissa obtestatur. Qui sui reatus conscius, & judicio prægravari timens, dum renuit, licentiâ abeundi acceptâ, Castri villam impunè redit. Quem Dux, & Comes in crastinum cum omni exercitu subsequenti castrum obsidione vallant, sicque ligno, & armatorum copiis sepiendo cingentes, ut nulla ex parte aditus ingrediendi, vel aliquid introducendi Castrivillensibus esset, sed infra muros modicum victus habentes, dum per tres hebdomadas imminente hoste premuntur, exhaustisque, quæ ad victum habebant, Guilielmus, quod ut faceret primò expetebatur, ut si susciperetur expetens, se jus Ducis tenêre repromittit. Ad quod exequendum, dum fidejussores ad placitum Ducis non habet, quæ de ipso habebat, pro plegio ponit. Duci, in sua virtute, usque ad determinatum diem, quo jus teneatur deliberatum, per manum Comitis securus factus, quòd jus exequi prævaleat, castra sua sibi reddantur. Instante itaque termino juris tenendi, loco determinato convenientes, querimonias suas adversùs Guilielmum exponit. Sed ille modicum juris habens, dum minùs rhetoricè argumentatur, judicio, his, quæ sub Duce habet, privatur. At dum judicio contradicere molitur, minus facultatis, vel juris habens, ter-

A ris privatus cum uxore ad Imperatorem Constantinopolitanum transivit, ubi aliquantisper commoratus, tandem cum multa pecunia rediens, Duci, ut pio, & misericordi viro reconciliatus, terram, quam amiserat, excepto castro, quod S. Mauri dicitur, recipit.

CAP. XXIII.

Comes filiam filio Imperatoris Alamannorum dedit.

CUm autem inter Urbanum Apostolicum, & Henricum Teutonicorum Imperatorem dicerentur dissensiones efferbuisse, quibusdam controversiis, inter Conradum ejusdem Henrici filium, ac patrem, quod seriatim longum est enarrare, insurgentibus, Conradus irato animo à patre discedens ad Apostolicum, & Mathildem Marchisam, quæ ei ex fidelitate adhærebat, se contulit, eorum auxilio plurimùm per Italiam rebellis existens. At cùm juvenis & sinè uxore esset, & sumptibus, ad id quod cœperat, necessariis minùs abundaret, consilio Apostolici, & præfatæ Marchisæ Mathildis per Conradum Comitem, quem ad id legationis peragendum direxit, filiam Siculorum, Calabriensiumve Comitis sibi in matrimonium concedendam expetiit. Apostolicus etiam literas suas committit, ut sibi familiari, & amico, ad hoc idem dirigens, ad concedendum hortatur: dicens sibi magno honori, & proficuo futurum, si filia, filio Regis futuro sponso jungatur, & juvenis S. Romanæ Ecclesiæ fidelitate adhærens, sed sumptibus quibus contra patrem, qui eum injustè oppugnabat, minùs sufficiens, quos pater cum filio daret, viribus victus ad debellandos inimicos Sanctæ Dei Ecclesiæ prævaleret. Comes autem hac legatione percepta, & suasoriis literis Apostolici viri perlectis, usus consilio fidelium suorum, & maximè Roberti Trainensis Episcopi, per quem omnem convenientiam Conradi adquirit, nam Italus erat, & illarum partium gnarus, quod expetebatur, concedit, & ab utrisque partibus exequendum sacramentis firmare fecit. Nuptiarum itaque die determinato Conradus Comes à Comite Rogerio pluribus munificentiis honoratus, reditum unde venerat accelerat, anhelumque de relatione legationis dominum, nuptias concessas accelerans plurimùm lætificat. Porrò Comes Rogerius apparatis his, quæ ad effectum congruebant, plurima classe Episcopum Trainensem, & alios Barones suos filiam multis thesaurorum enxeniis ditatam Pisam usque conducere facit, ubi filius Regis obvius cum omni honorificentia suscipiens, auctenticè dispensata sollemnes nuptias celebravit anno Verbi Incarnati millesimo nonagesimo quinto.

CAP. XXIV.

Dux, & Comes Melfam obsessùm vadunt.

POrrò Dux Rogerius adhuc juvenis, & nil malæ suspicionis adversùs aliquem habens, sed ex sui cordis puritate aliorum mentes dijudicans, Longobardos æquè, ut Normannos, quia ex parte matris ex eorum gente erat, sibi fideles credens, & eorum genus, nostræ genti invisum minùs discernens, castra sua tuenda eis haud secus, ac Normannis delega-

Digitized by Google

legabat. Unde accidit, ut dum apud Malfam idem faciendo, minùs ſibi proſpiceret, Malfetani urbe, & caſtris, quæ Guiſcardus ad perfidiam eorum comprimendam ibidem fecerat, pro libitu ſuo utentes, liberam facultatem fraudis ſuæ exercendæ nacti, jugum gentis noſtræ, & Ducis, quia moris noſtri executor erat, à ſe excutere, nec tributum, & ſervitium ſtatutum perſolvere, ſed & ipſi Duci ad eandem urbem accedendi, omnibus fidelibus ſuis excluſis aditum denegarent. Dux autem videns tantum damnum ſibi illatum, de credulitate, quam erga eos habuerat, ſerò pœnitens, à Comite, & fidelibus ſuis conſilium ſubjugandi eos requirit. Sicque avunculo Comiti, ut ſibi attentiſſimè ſuccurrat, medietatem urbis ſibi, ſi ſubjugare poſſent, concedens, ab omni Apulia, & Calabria navali, & equeſtri exercitu admoto, peditum etiam copiis certatim accelerat, anno Incarnationis Domini milleſimo nonageſimo ſexto. Urbe itaque à procinctu maris navibus cingentes, per præcipitia circumadjacentium montium equitum, & peditum copias prudenter ex conſilio, & opere Comitis ordinantes, undique obſidione vallant. Sic itaque urbem opprimendo, profectò, ut credimus, obtinuiſſent, niſi infortunium tale, quale ſubtitulando adnotabimus, interceſſiſſet. Boamundus namque Ducis auxilio ſimulato, & ab ipſo ſubmonitus adveniens, plus fratri ad damnum, quàm ad proficuum, non tamen ut credimus, ex induſtria factus eſt. Ipſo anno ex edicto Urbani Papæ expeditio versùs Hieruſalem ab undique terrarum ferventiſſima erat. Boamundus autem, qui jam dudum cum Guiſcardo patre Romaniam pervaſerat, & ſemper ſibi ſubjugare cupiens erat, videns plurimam multitudinem per Apuliam, ſed ſinè Principe illorſum accelerare, Princeps exercitus ſibi eos alligando, fieri volens, ſignum ejuſdem expeditionis, crucem videlicet veſtibus ſuis apponit. Porrò juventus bellica totius exercitus, tam Ducis, quàm Comitis, novarum rerum, ut in tali ætate aſſolet, appetens, viſa cruce Boamundi, & ab ipſo ſubmoniti ad id faciendum certatim concurrunt: ſicque crucibus ſumptis, fines Chriſtiani nominis ulteriùs non attentare, donec Paganorum fines pervadant, abſque cunctatione voto obligantur. Dux autem, & Comes exercitum ſuum maxima ex parte ſibi taliter defeciſſe videntes, triſtes expeditionem ſolvunt. Sicque urbe, pœnè uſque ad deditionem vexata, tali infortunio privantur. Boamundus mare tranſiit. Dux in Apuliam ſecedit. Comes Siciliam revertitur. Urbs oppreſſione gaudens liberatur.

CAP. XXV.

Rex Ungarorum filiam Comitis in uxorem capit.

ALamanus autem Rex Ungarorum audiens famam Siculorum glorioſi Comitis Rogerii, legatos dirigens filiam ſuam in matrimonium concedi expoſtulat. Ille verò quamvis honeſti viri, qui ad hoc venerant, eſſent, tamen illos honeſtè à ſe dimittens, de ſuis etiam, ne fallatur, cum ipſis dirigens remandat, ut ſi executum quod cœperat velit, alicujus auctoritatis gradus, vel ordinis perſonas, quibus faciliùs credatur, ad id confirmandum mittat. Qui anhelus exequi Arduinum Jovienſem Epiſcopum, & Thomam Comitem idem expoſtulatum mittit. Comes autem eos honeſtè accipiens, ſecum detinuit, de ſuis honeſtos, & callidos viros apud Pannoniam mittens, in eorum præſentia à poſterioribus regionis illius exequenda poſtulabatur juramento firmare cogi. Quod Rex libenter annuens per ſuum Ducem nomine Alivum, & reliquos non minoris dignitatis viros, omnia, quæ mandaverat, exequenda juramento firmavit. Sicque legatos Comitis, ut pactum (53) firmatum renunciant, munificatos à ſe dimittit. Comes autem relatione ſuorum (54) accepta, haud ſecus & (55) ipſe legatos Regis à ſe dimittens, pluribus honoribus (56) à ſe compilavit: Regi terminum, quo ſibi filiam ſuam mittat, ſtatuit. Anno itaque (57) Incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, apparatis, quæ neceſſaria erant, menſe Majo cum trecentis militibus uſque Thermas conducere facit Henricum Leſcaſtrenſem Epiſcopum, & quoſdam de fidelibus ſuis abinde, (58) maritimo curſu uſque Pannoniam, cum puella procedere faciens, qui navibus apparatis, puellam cum multibus ſponſalibus (59) intromittentes, velis vento commiſſis, proſpera aura flante per æquora (60) feruntur: uſque dum in portum Albæ, (61) qui juris Regis Ungarorum eſt, impunè applicant. Hîc (62) Vincurius Comes Bellegratæ miſſus cum quinque millibus armatorum obvius (63) fuit, eamque cum his, qui cum (64) ea venerunt, decenter (65) excipiens, uſque ad Regem perduxit. Per totam (66) Pannoniam nuptiæ Regis præconizantur. Undique cum (67) enxeniis concurritur. Et cùm ſemper frequens, (68) & numeroſa manus ex more cum Rege (69) innumerabilem turbam plus ſolito (70) nuptiarum, & novæ Reginæ (71) viſendæ appetitis, conflavit, die terminato, præſentibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & diverſis ordinibus dos puellæ (72) legali more in publico proteſtatur. Rex, & Regina catholicè pariter deſponſantur, ſollemneſque nuptiæ in tentoriis, & ex virentibus ramis tabernaculis factis celebrantur. Nam nullæ domus tantæ multitudini ſufficiebant. Nuptiis itaque regalibus expletis, Rex Epiſcopum Lecaſtrenſem, & qui cùm ipſo reverſuri advenerant, aliquantiſper ſecum commorari faciens, ut videt de egreſſione feſtinos, legaliter munificatos à ſe dimiſit. Illi ad portum venientes, maritimo curſu regredi accelerant. Jamque noſtræ gentis fines appropiantes, cùm terram eminus conſpiciunt, navicula, in qua Epiſcopus erat, ſociis armis carentibus, à dua

(53) *confirmatum renuncient.*
(54) *ſuſcepta.*
(55) *ipſos.*
(56) *ampliavit,*
(57) *Domini* 1097.
(58) *maretimo curſu cum puella uſque ad Panormum præcedere faciens ubi puellam &c.*
(59) *introductione.*
(60) *ferentur.*
(61) *quem juris Regnum Ungarorum.*
(62) *Viricurius Comes Bellagrate.*
(63) *ſit, eumque.*
(64) *ipſa.*
(65) *recipiens.*
(66) *provinciam.*
(67) *exeniis.*
(68) *umbroſa.*
(69) *cum Rege ſit innum. &c.*
(70) *rumor.*
(71) *videndæ appetitus.*
(72) *in regali more.*

duabus piratarum navibus, quas galêas appellant, hoſtiliter aggreditur. Nauclerus qui navim regebat, jaculo confoſſus colliditur, navis remige carens ſubmerſionem minatur. Epiſcopus nullum refugium armorum habens, ſed neque hoſtibus deditionem ſubire volens, Dei auxilium implorans, ſocios hortatur. Ipſe idem faciens inter alia ſubjungit: Deus, inquit, ſi meis peccatis exigentibus minùs mereor exaudiri, exaudiar ſaltem per gratiam, quam erga progeniem Tancredi te habere multotiens oſtentaſti. Hîc enim interceptus ſum pro ſervitio filii ſui. Nondum dixerat, & ecce aura intercurrente, navis in qua erat, ab hoſtibus avulſa ſecuriores reddit, videns navim abſque remige directo curſu, ad jacentem inſulam tanta velocitate, per rapidas equoris undas ferri, ut hoſtiles naves remige, & velis inſequentibus minùs adversùs illam velocitatem prævalerent. Sicque directo curſu divinitus, ut credimus, regebatur, ut cùm idem portus condenſis ſyrtibus inſitus arto, & periculoſo aditu, niſi à peritis nautis attentetur ad inſulam pateat, impunè ſcopuloſas undas placito portu applicarent. Hoſtibus itaque fruſtratis recedentibus, ipſi proſpero æquore, in quo diſponebant applicantes ad Comitem perveniunt, ordinem actionis ſuæ exponentes. Quis dubitet progeniem hanc divinitus quadam felicitate denotatam? cùm in ſuis utilitatibus ubi (.·.·.) putes fuiſſe narrantur tot felicibus ſucceſſibus, fortuna etiam in ſuis fidelibus, ubi ſua negotia exequebatur, defuiſſe paſſa non ſit. Ad nominationem quippe gratioſæ fortunæ eorum navis hæc erepta eſt ab impugnatione hoſtium.

CAP. XXVI.

Comes Capuam obſidet cum Duce Rogerio, & Principe Ricardo.

COmes ergo totius progeniei ſuæ ſuſtentator, citra Romam versùs Siciliam, ſicuti maria ab undique cingunt, abundantiâ rerum, & induſtria callentis ſapientis conſilii præcellebat, unde & omnes ſua negotia ad ipſum conferebant, ut ſuâ prudentiâ, ut ferrum cote à Comite reſumpto ad ſua diſponenda prudentiùs callerent, & ejus, ubi neceſſe foret, auxilio potirentur. Porrò ipſe omnes, quemadmodum gallina pullos ſub alas, clypeo ſuæ protectionis, & conſilii fovens, ut pius patronus re, & conſilio, prout poterat, omnibus omnino defavebat. Unde accidit, ut Ricardus Juvenis, Jordanis Principis filius, Princeps & ipſe Averſæ defuncto patre orbus puſillus ſuperſtes, fraude Longobardorum urbe Capuana injuſtè jamdudum privatus, cùm jam ad intelligibilem ætatem perveniſſet, damnum ſibi illatum videns, & dolens, ac de auctoribus ultionem petere diſponens, ad ſibi conſanguineum Comitem prudentes viros ſupplex illorſum, ut ſibi auxilium laturus accelerare non differat cum ſervitio ſuo; vice recompenſationis Neapolim, quæ ſibi ſimiliter recalcitrabat, ſi prævalere poſſet, fiducialiter concedens. Dux, ut qui

A parti conſanguinei Principis favebat, non viliori legato, quàm laterali conjuge Adala, videlicet Marchionis Flandrenſis filia, ne cum exercitu venire differat, ac ſibimet auxilium laturus ſummopere invitat. Princeps causâ auxilii, quod ab ipſo ſperabat, homo Ducis factus fuerat, quod numquam Guiſcardus, cùm multarum artium, & virium eſſet, à Jordano Principe, quamvis hic avunculus, ille autem nepos, ſororis videlicet filius eſſet, vel vi, vel blandimentis extorquere potuit, cùm ſæpiſſime attentatus fuerit. Comes autem pietate conſanguinei Principis, & multis verbis Duciſſæ ſibi à Duce delegatæ, legatione deprecatoris, & humilitate exponentis illectus, & perſuaſus, exercitu, qualem nunquam B antea habuiſſe dignoſcitur, ab omni Sicilia, & Calabria forti imperio (73) conflato, primâ hebdomadâ Aprilis, ſecunda (74) pace Pharum tranſiens, illorſum accelerat, ſed in prato Marco aliquantiſper commoratus, (75) exercitum maris tranſmeatione, & (76) arto ſcopuloſorum montium tranſitu tardantem, dum veniat ſuſtinet, (77) videns juga montium Calabriæ (78) gregibus armentorum, & (79) pecorum, ſed & caprarum in uſus Saracenorum, quorum maxima pars (80) exercitui intererat, occupari, ut meritò à collatione ſimilis argumenti, gregum Laban, (81) & Jacob, ſi legiſſes, vel (82) certo deferente, didiciſſes, recordari (83) poteras. Congregato C exercitu, quis armatorum millia enumeret? cùm ipſa tentoria bitumine palliata vix ullo numero concludi potuerunt. Tam pompoſo plus ſolito exercitu Comes Apulos fines viſûm intendit, maximè quia Apuli expeditionibus aliquo annorum curriculo deſueti, corpus nullis plagis, & diutinis laboribus fatigando, quin recreando, ſibi potiùs indulgere, quàm expeditionibus iterum aſſueſcendo inſudare nitebantur: unde & ipſum Ducem, quaſi Principis præſentialiter auxilio deſtitutum minùs verebantur, ſed per loca adversùs eum inſurgendo, in inſolentiam prorumpentes ejus juſſa minùs exequebantur. Dux quoque ſimili argumento, de ejus versùs Apuliam expeditionaliter adventu minùs credulus, nam cupienti D nihil ſatìs feſtinatur, ut ſe ipſum ſubmovendo extrahat, versùs Calabriam accelerat. Versùs Apuliam proficiſcenti apud Liſcum juxta caſtrum Orioli occurrit, multùmque ad invicem lætati, Dux quidem versùs Melfam exercitum ſubmovendo accelerat: Comes autem ne greges ſui deficerent, iter conficiens Beneventum vênit, ibique in planicie ſuper fluminis ripam Calorii, ad pontem S. Valentini caſtrametatus eſt. Beneventani autem ejus adventum pertimeſcentes, pacem expoſtulantes jam triduò occurrunt. Comes autem ſciens urbem juri Apoſtolici Urbani, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ competere, ſuſceptis mille quingentis E aureis, & ſex ambulatoriis urbi, & meſſibus ſuis parcendum indicit, indeque pertranſiens ſuper fluvium, quod Sabbatum dicitur, tentoria figens Pentecoſten celebravit. Ipſe quidem legatos jam pridem Capuanis honeſtos viros præmiſerat, ſubmonendis hortando, ut ab inepto incœpto deſiſterent. Se illis nil mali in-

(73) *conſtans.*
(74) *Paſche.*
(75) *exercitus.*
(76) *& arcos Conſorum montium tranſitum tardante.*
(77) *videri ſuper juga &c.*
(78) *greges.*
(79) *pecorum in uſus.*
(80) *exercitus.*
(81) *in Jacob.*
(82) *certe aliquo.*
(83) *potuiſſes.*

inferre velle, sed potiùs, si cum Principe suo jus exequi velint, eorum parti cum justitia sustentata tutamento esse. At ubi legatis regredientibus eos nil moliri, sed potiùs in malitia sua superbè persistere audit, inde commovens Capuanos fines pervadit, quo diluculo cum mille armatis exercitum præcedens ad urbem accedit, extractos plurimos militariter dejectos damnosè ludificavit, multosque ampliùs læsisset, ni pulvis equorum pedibus excitatus, & à vento condensissimè agitatus interceſſisset. Sic ad castra sua reversus in crastinum cum toto exercitu, urbi se viciniorem conferens à meridiana plaga obsidione vallando, à ripa orientali, usque in occidentalem cingit. Dux autem, & Princeps cum suo exercitu ab Aquilonari parte obsidentes urbem tendunt prægravari. Porrò Comes, cujus consilio omnes incedebant, quia sollicitior, quia prudentior in omnibus agendis vigilanti cura erat, pontem ex lignis erigens, ita trans flumen ordinavit, ut suo exercitui, & Ducis, libero aditu patente, fieret transitus. Sicque urbs ab utroque exercitu in tantum oppressa est, ut nulla ex parte arida, vel liquida egrediendi tutò, vel ingrediendi aditus pateret: ipse autem omni diluculo ante lucem surgens, utrumque exercitum, pontem transeundo invisens, utrum attenti essent ad excubias visûm ibat, Ducemque, & Principem adhuc somno oppressos inveniens, ludibrio habebat. Porrò ipsi rubore perfundebantur, quòd juvenes ipsi, & ad quos peculiarius negotium attinebat, segniores forent, Comite provectioris ætatis, & corporis plagarum, laborumque asperitatis viro vigilentiore existente. Nam & ab omni exercitu ejus vigilantia admirationi erat, omnesque in ejus exemplo vigilantiores reddebantur. Anno Dominicæ Incarnationis 1097. ibi se imprægnavit Comitissa Adalasia de Comite Rogerio.

CAP. XXVII.

Urbanus Papa ad ipsos tendens pacem componere nititur.

CUm ista aguntur Papa Urbanus colloquium Ducis & Comitis desiderans, à Roma progrediens, apud Capuam, ubi obsessionem tenebant, vênit: Comesque sex tentoria illi deliberans ad hospitandum, sumptus necessarios abundantissimè ministravit. Porrò ipse sciens scriptum: *Beati pedes evangelizantium pacem*, & *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, & alibi scriptum est: *Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum*: & maximè quia sciebat, se totius Christianitatis curam suæ provisioni delegatam, de pace inter ipsos reformanda primò Ducem, & Comitem, Principemque pariter conveniens attentare cœpit. Qui consilio Comitis prudenti responsione usi, in præsentia Apostolici, copiâ Beati Petri dicunt se jus inire, si à Capuanis pari discrimine idem exequatur, concedunt. Papa infra urbem idem de Capuanis rescitum vadens, dum ab utrisque partibus conceditur, spe conficiendæ pacis frustra gaudens, renuntiat. Dies disputandi statuitur. His opponentibus, & illis, prout se se res habebat, respondentibus, gravi syllogismo Capuanis, à judicibus legaliter conclusio determinatur. Capuani audientes se judicio prægravari, vel oppositione, vel rationabili contradictione contra judices usi, publicè se injuriosos ostentantes, exequi vel nolle, vel non posse denuntiant. Quod audiens vir Apostolicus, & quia hæc ab illis exequendi internuntius fuerat, aliquantulum erubescens, gladio Beati Petri animadvertens interminatur, parti nostrorum ex toto favendo se contulit, constantiam Comitis in fortia exercenda perplurimum laudans, vitamque ejus omni cura Romæ, & Italiæ perneceſſariam asserens. Nam timor ejus plures ab insolentia, plusquam zelus honestatis compescebat. Apostolicus itaque Ecclesiasticis negotiis, plusquam expeditionalibus exercitiis intentus, totalibus tumultibus mente declinatis, his tribus Principibus, sed & omni exercitui Apostolica benedictione concessa, Beneventum secessit.

CAP. XXVIII.

Capua capitur, & Principi Ricardo restituitur.

COmes autem cum Duce, & Principe in oppugnatione urbis attentissimè persistens, machinamenta ad urbem capiendam artificiosissimè aptant. Capuani primo ludibrio habere, contemnere, ad defensionem se se ad invicem cohortari; Duci tamen, vel Comiti se, si retinendo recipere velint, urbem reddere attentant. Sed nobilissimi Principes hanc fraudem sibi nullatenus assumere volentes, nisi ut Principi reddantur, acquiescére passi non sunt. At ubi Capuani machinamenta apparata versùs urbem appropiare vident, quæ priùs ludibrio habebant, exhorrescentes, deditione urbis se se, consilio Comitis, committunt. Sicque ipso mediatore usi, vix suæ fraudis impunitas impetratur. Principi pro libitu suo urbs Capuana restituitur. A Principe Duci, & Comiti gratiæ referuntur. Dux, & Comes apud Salernum pariter digrediuntur. Princeps urbem suo libitu vindicans, in altiori turri triumphaliter hospitatur.

CAP. XXIX.

Urbanus Papa legationem Siciliæ, & Calabriæ Comiti concedit.

PApa urbem redditam, & pacem inter ipsos factam audiens, & gaudet de fraude compressa, & de pace confecta: sed quia Ducem, & Comitem Salernum secessisse audivit, nolens Comitem, donec sibi loquatur, versùs Siciliam remeare, illorsum accelerat. Venienſque cum Archiepiscopis apud Sanctum Matthæum, ut cum debito honore eum acciperet, cum processione præstolatur, & tamen propter amicabilem venerationem, quam versùs Comitem habebat, primùm ad ejus hospitium eum amabiliter visum vadit, diuque ejus colloquio usus, ad processionem, quæ præstolabatur, suscipiendus accessit, in crastinumque convenientes, alter alterius colloquio cum maxima dilectione fruuntur. Sed quia ipse Apostolicus jamdudum Robertum Episcopum Trainensem, Comite inconsulto, legatum in Sicilia, ad exequendum jus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc Comitem grave ferre, & nullo modo, ut stabile permaneat, assentire, cognoscens etiam ipsum Comitem in omnibus negotiis Ecclesiasticis exequendis zelo divini ardoris exfervescere,

Digitized by Google

ſcere, caſſato, quod de Epiſcopo Trainenſi fecerat, Legationem Beati Petri ſuper Comitem per totam Siciliam (84), vel habendam hæreditaliter ponit, ea diſcretione, ut dum ipſe Comes advixerit, vel aliquis hæredum ſuorum zeli paterni Eccleſiaſtici executor ſuperſtes fuerit, legatus alius à Romana Sede, ipſis invitis nullus ſuperponatur, ſed ſi qua Romanæ Eccleſiæ juris exequenda fuerint, chartulis à Romana Sede in Siciliam, vel Calabriam directis, per ipſos conſilio Epiſcoporum earundem Provinciarum authenticè definiantur. Quòd ſi Epiſcopi ad Concilium invitati fuerint, quot & quos ipſi Comiti, vel ſuis futuris hæredibus vilum fuerit, illuc dirigant, niſi fortè de aliquo ipſorum in Concilio agendum ſit, in Sicilia, vel Calabria in præſentia ſua authenticè definiri nequiverit, & ad hoc commiſſum perpetualiter permanendum, privilegio ſuæ auctoritatis firmavit, cujus ſententiam ſubtitulamus.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo filio R. Comiti Calabriæ, & Siciliæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam Supernæ Majeſtatis dignatio multis triumphis, & honoribus exaltavit, & probitas tua in Saracenorum finibus Eccleſiam Dei plurimùm dilatavit, Sanctæque Sedi Apoſtolicæ devotam ſe multis modis ſemper exhibuit, nos in ſpecialem, atque cariſſimum filium ejuſdem univerſalis Eccleſiæ aſſumpſimus, idcirco de tuæ probitatis ſinceritate plurimùm confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita etiam literarum auctoritate firmamus: quòd omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui hæres exſtiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ, præter voluntatem, aut conſilium veſtrum legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus: quinimmo, quæ per legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam legati vice exhiberi volumus, quando ad vos ex latere noſtro miſerimus, ad ſalutem videlicet Eccleſiarum, quæ ſub veſtra poteſtate exiſtant, ad honorem Beati Petri, Sanctæque ejus Sedis Apoſtolicæ, cui devotè hactenus obediſti, quamque in opportunitatibus ſuis ſtrenuè, ac fideliter adjuviſti. Si verò celebrabitur concilium tibi mandavero, quatenus Epiſcopos, & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quot, & quos volueris mittas, alios ad ſervitium Eccleſiarum, & tutelam retineas. Omnipotens Dominus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & te à peccatis abſolutum ad vitam æternam perducat. Dat. Salerni per manum Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi III. Nonas Julii. Indictione VII. Pontificatus Domini Urbani Secundi XI.

(84) *& ſui juris Calabriam habitam.*

Explicit Opus Gaufredi Monachi.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
EX CODICE
MARCHIONIS JARRATANÆ
AD ULTIMUM CAPITULUM LIBRI QUARTI
HISTORIÆ GAUFREDI MALATERRÆ.

POst hæc piiſſimus Comes occulto Dei judicio penitùs virili progenie orbatus, fuſa ad Deum prece in ſpe ſobolis procreandæ uxorem ſuam cognovit, in eaque filios, & filias generavit. Qui uſque ad ſenectutem honeſtiſſimam agens vitam plurimùm in ædificatione Eccleſiarum intentus, eaſdem prout inſoluta ipſius poſteritas adhuc & regit, & conſervat per totam terram ſuam copiosè dotando, & virorum pſallentum religiosè atque decenter ordinando, pius Orphanorum & Viduarum protector, ac munificus pauperum Chriſti ſublevator extitit. Cùmque iis & filiabus proficiendo ſemper in melius honeſtæ ſanctitatis exemplum cunctis exſiſteret, tandem neceſſaria humanæ conditionis lege naturalem in ea diſſolutionem operante, illam illuſtrem animam tanta colluſtratione, ut meritorum agnitione inſignitam ad deſiderata beatorum collegia ante conſpectum Divinæ Majeſtatis expirando delegavit, corpuſque ejus apud Melitum in Eccleſia, quam ipſe fundaverat honorificè, ut tantum virum decebat, ſepultum eſt.

Poſt hunc Simon filiorum primogenitus Regnum accepit. Qui per paucos vivens annos, graves ab Apulis mutationes ſuſtinuit. Huic ſucceſſit ille hominum maximus à Deo dilectus & benedictus unicus leo, & pacis firmamentum Rogerius Mundi admiratio, virtutum omnium ſplendor, & pro Regibus heros ſapiens & immenſus omnia, priùs tamen Comes, poſtea Dei multùm incomparabili ejus ſapientia operante, dignus Dux Feracis Apuliæ & Capuæ principatus, ad ultimum Rex Siciliæ, Tripolis, Africæ potentiſſimus fines Imperii ſui longè, latèque multiplici terrarum acquiſitione ampliavit: ad cujus laudes & geſta probitatis ſingulariter referenda quoniam Ciceronis eloquentiam inſufficientem fuiſſe reputo; ego qui ferè nullus ſum, tantæ gravitatis onus mihi adhuc incognitum in præſenti tentare formido.

(*) Anno Domini 1027. decimoſexto Kalendas Auguſti Gaytus Maymonus Hiſpanus Saracenus Pactas & terram Syracuſanam infra dies ſeptem vaſtavit, prædavit & incendit, utriuſque ſexus de hominibus partem occîdit, & partem captivavit.

Anno Domini 1032. Stratigotus primus Georgius Patricius & Maniachius cum Duce ceperunt civitatem Meſſanæ, & ipſo anno commiſit bellum. Idem Maniacus ignoratur cum quibus adeptus eſt victoriam.

Anno Domini 1060. Kalendis Auguſti captus fuit Innocentius Papa à dicto Rege Rogerio Rege Siciliæ in civitate Captinata.

Anno Domini 1101. Indictionis nonæ menſe Julii obiit maximus Comes Rogerius pater Regis Rogerii.

Anno Domini 1118. nonæ Indictionis obiit Adelaſia Regina Jeroſolomitana mater Regis Rogerii.

Anno Domini 1149. menſe Julii Africa capta fuit ab eodem Rege Rogerio.

Anno Domini 1154. obiit Rogerius Rex Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

Anno Domini 1164. pridie nonas Februarii ſubverſa eſt civitas Cathanienſium à Terræmotu, in qua ſubverſione omnes Monachi cum Epiſcopo eorum oppreſſi fuerunt.

Anno Domini 1166. obiit Rex Guillelmus Primus filius Regis Rogerii.

Anno Domini 1178. Idibus Septembris decimætertiæ Indictionis Sol paſſus eſt eclypſim: in hora nona ſtellæ apparuerunt.

Anno Domini 1172. Regina Margarita mater Regis Guillelmi Secundi cepit fabricare, ædificare, & dotare Monaſterium Maniacentium.

Anno Domini 1187. menſe Julii vigilia Præcurſoris Domini capta eſt Jeruſalem à Saladino Soldano Babiloniæ.

Anno Domini 1189. Indictione ſeptima obiit Rex Guillelmus Secundus. Eodem anno eadem Indictione menſe Martii Rex Tancredus fuit coronatus Rex Siciliæ, & receptus in palatio Panormi.

Anno Domini 1194. vigeſimo die Februarii obiit dictus Rex Tancredus.

Anno Domini 1195. Dominus Henricus Imperator receptus eſt in palatio Panormi ultimo menſis Novembris. In quarto die poſt feſtum Nativitatis Domini cepit Regem Guillelmum filium Regis Tancredi, quantitate Comitum & Baronum iſtius Regni, & devaſtavit eos.

Anno Domini 1198. obiit Dominus Henricus Imperator.

Anno Domini 1198. Fredericus filius Domini Henrici Imperatoris de civitate Panormi fuit Rex Siciliæ coronatus. Et in eodem anno Domina Conſtantia mater ejus obiit.

Anno Domini 1200.... decimoquinto menſis Auguſti duodecimæ Indictionis Domina Conſtantia de Aragonia applicuit Panormi, & Dominus Rex Fredericus in eodem menſe deſponſavit eam.

Anno Domini 1212. anno Nativitatis Domini Regis Frederici decimaquarta Indictione anno Regni ejus undecimo. Ipſe verò vocatus fuit

(*) Appendix altera, ſive brevis Chronologia ex ſupra citato Codice Jarrataneo. *Caruſius*.

Digitized by Google

fuit ab Innocentio Papa III. ad coronam Imperii ab anno nativitatis ſuæ anno decimo ſexto.

Anno Domini 1216. celeberrimum Concilium celebratum eſt ſub Innocentio Papa III.

Anno Domini 1219. Indictione ſeptima quinto die intrante menſe Novembris Damyata principalis civitas Amaleth à Chriſtianis fidelibus capta fuit, & Chriſticolis dominio detinetur.

Anno Domini 1220. menſe Novembris, nonæ Indictionis Dominus Rex Fredericus unà cum Domina uxore ſua Regina Conſtantia coronam Imperii ſuſceperunt à Domino Papa Honorio III. In eodem anno Damyata fuit perdita à Chriſtianis.

Anno Domini 1221. decima Indictione Dominus Fredericus Imperator ivit cum magno exercitu ſuper Saracenos Jacis, & cepit Benaveth cum filiis ſuis, & ſuſpendit apud Panormum.

Anno Domini 1222. undecima Indictione Domina Imperatrix Conſtantia obiit apud Cathaniam. Et in eodem anno Dominus Imperator cepit Celunum, & ejecit Comitem Thomaſium de Celano de Regno.

Anno Domini 1223. duodecima Indictione Dominus Fredericus Imperator miſit exercitum ſuum in Gerbis, & cepit illos, deſtruxit, & captivavit.

Anno Domini 1224. decimatertia Indictione Dominus Fredericus Imperator miſit exercitum magnum ſuper Saracenos Siciliæ, & remanſerunt in Montanis, & magnum guaſtum ſemper annuatim faciebat ſuper illos, uſquequo deſcenderunt cum magno opprobrio, & fecit illos morari in plano Siciliæ in Caſalibus.

Anno Domini 1227. prima Indictione menſe Junii Dominus Fredericus Imperator Secundus tranſivit in partes ultramarinas, & ibi accepit coronam ejuſdem Regni. Et in eodem anno antequam tranſiret, Domina Imperatrix uxor ſua obiit. Et Rex Corradus natus fuit. Et in eodem anno Papa Gregorius ſuſcepit Papatum Romæ.

Anno Domini 1225. decimaquarta Indictione Dominus Fredericus Imperator accepit uxorem filiam Domini Regis Joannis, nominis Iſabella.

Anno Domini 1228. ſecunda Indictione Dominus Imperator reverſus fuit in Regnum.

Anno Domini 1229. tertia Indictione in dicto menſe Auguſti Dominus Imperator fecit pacem & concordiam cum Domino Papa Gregorio. Et intrante menſe Septembris quartæ Indictionis manſit in Anania cum Domino Papa tribus diebus.

Anno Domini 1230. quarta Indictione Dominus Imperator tractavit, vel fecit tractare Conſtitutiones ſuas.

Anno Domini 1231. quinta indictione Dominus Imperator miſit ipſas Conſtitutiones ſuas per totum Regnum, & in Siciliam per Dominum Reccardum de Montenigro, qui erat Magiſter Juſtitiarius Siciliæ. Et in eodem anno menſe Auguſti dictæ indictionis Martinus Ballonus ſe rebellavit contra Dominum Imperatorem cum aliquantis hominibus Meſſanæ. Et ipſe Magiſter Juſtitiarius arripuit fugam. Et dictus Martinus causâ timoris Domini Imperatoris ſimiliter arripuit fugam, & fuit captus cum ſociis ſuis apud Maltam.

Anno Domini 1232. ſexta indictione Dominus Imperator menſe Aprilis ejuſdem indictionis vênit Meſſanam, & ſuccedit dictum Martinum Bellionem. Et in eodem anno ſimiliter fecit apud Syracuſam & Nicoſiam.

Anno Domini 1233. ſeptima indictione Matthæus Marchafaba fuit conſtitutus Secretus Siciliæ & Calabriæ.

Anno Domini 1234. octava indictione Dominus Imperator Fredericus ivit Alamaniam.

Anno Domini 1235. nona indictione Dominus Imperator Fredericus H. accepit uxorem, ſororem Regis Angliæ. In eodem anno cepit filium Regem Henricum, & reſtituit eum in carcere uſquequo mortuus fuit apud Maturanum, & ſepultus fuit in Eccleſia Cuſentina.

Anno Domini 1236. decima indictione ultimo menſis Novembris Dominus Imperator ivit Lombardiam cum magno exercitu; & ivit ſuper Mediolanum, & cepit Corrocium Mediolanenſium.

Anno Domini 1236. undecima indictione menſe Februarii natus fuit Rex Henricus filius Domini Imperatoris de uxore ſua tertia, quæ fuit ſoror Regis Angliæ. In eodem anno Dominus Imperator obſedit terram, quæ dicitur Brixa, & nihil prevaluit in ea.

Anno Domini 1237 duodecima indictione primo menſis Auguſti Marchafaba Secretus obiit. Item eodem anno Papa Gregorius exſcommunicavit Dominum Imperatorem Fredericum.

Anno Domini 1238. decimatertia indictione fuit Secretus Siciliæ Major de Brancadoria; & Juſtitiarius Siciliæ Guillelmus de Anglone, & permanſerunt in officio eorum per ſpatium menſium ſeptem. Et in menſe Junio dictæ indict. fuit Secretus Siciliæ Ubertus Fallamonica, & Juſtitiarius Petrus de Calabria, & Capitaneus Rogerius de Amicis.

Anno Domini 1239. decimaquartâ indictione Prælati Franciæ capti fuerunt à Domino Frederico Imperatore tempore Domini Gregorii Papæ. Et in eodem anno idem Dominus Papa obiit.

Anno Domini 1240. decimaquinta indictione erat Juſtitiarius in Sicilia Petrus de Calabria. Et in eodem anno Rogerius de Amicis ivit ad Soldanum Babiloniæ.

Anno Domini 1241. primæ indictionis Ubertus de Fallamonica de mandato Domini Imperatoris ivit apud Maroccum. Et in eodem anno Soldanus de ..... & ..... inſiluerunt Chriſtianos, qui habitabant Jeruſalem & ceperunt illos, occiderunt, & captivos duxerunt. Et in eodem bello fuit mortuus ille Perfectus Epiſcopus Sancti Georgii de Rama, & Dominus Guaterius de Breta Dominus Jopen. Et in illis diebus Dominus Rogerius de Amicis manebat Babiloniam, & in Cayrum cum Soldano.

Anno Domini 1242. ſecundæ indictionis Rogerius de Pariſio fuit Capitaneus Siciliæ. Guilelmus de Taraum Juſtitiarius.

Anno Domini 1243. tertiæ indictionis Dominus Serrebaldus Cardinalis ſuſcepit Papatum Romanum; & ſtatim ivit per mare apud Januam, & poſtea ivit uſque Ludunum, & permanſit ibi per ſpatium annorum ſex. Item eodem anno menſe Julii ejuſdem indictionis omnes Saraceni de Sicilia tanquam rebelles aſcenderunt in Montana, & ceperunt Jatum & Antellam.

Anno Domini 1244. quartæ indictionis menſe Martii ejuſdem indictionis Tibaldus, Franci-

ciscus, & Guilelmus de Sancto Severino, & alii Comites & Barones de Regno ceperunt terram Capacii, & ipsius castrum tanquam rebelles, & Dominus Imperator Fredericus Secundus obsedit eos, & in medietate mensis Julii ejusdem indictionis cepit eos omnes, captis omnibus hominibus, qui manebant cum illis, & transportavit illos, & in terra Neapolis omnes illos succendit. Et inde nobilioribus mulieribus Regni cepit, & misit illas in carcere apud Panormum, & nunquam postea comparuerunt. Item eodem anno mense Julii ejusdem indictionis fuit constitutus in Sicilia Justitiarius Dominus Hugo de Casino.

Anno Domini 1245. indictionis quintæ de mandato Domini Imperatoris Comes Reccardus de Caserta ejecit omnes Saracenos de Sicilia, & misit illos apud Noceriam in Apulia. Item eodem anno Dominus Papa Innocentius celebravit magnum Concilium apud Lugdunum cum Prælatis ultramontanis, & non de Regno, præter Dominum Reccardum Panormitanum Archiepiscopum, qui ibi missus fuit à Domino Imperatore.

Anno Domini 1247. indictionis septimæ Dominus Imperator Liodaycus Rex Francorum transivit in partes ultramarinas, & permansit in Insula Cypris in mense Junii ejusdem indictionis, & in eodem mense transivit viriliter usque mare Damiatæ, statim cum magno gaudio cepit ipsam terram.

Anno Domini 1248. indictionis octavæ mense Aprilis ejusdem indictionis Dominus Rex Francorum perdidit dictam Terram Damiatæ, & Soldanus Babiloniæ recuperavit eam.

Anno Domini 1250. indictione nona mense Decembris ejusdem indictionis Dominus Imperator Fredericus Secundus obiit in Apulea in terra, quæ dicitur Florentinum, & corpus ejus applicuit Messanæ decimotertio Januarii dictæ indictionis, & mansit corpus ejus de die in diem aliquantis diebus in Ecclesia Pactensi tempore Domini Philippi Episcopi ejusdem terræ, & fuit conductum postea apud Panormum, & ibi fuit sepultum. Dominus Henricus Rex filius Domini Imperatoris procreatus de uxore Angliæ decimonono die mensis Januarii dictæ nonæ indictionis applicuit Messanam, & cum gaudio magno fuit ibi receptus.

Anno Domini 1250. indictione decima mense Januarii ejusdem indictionis Dominus Rex Corradus filius Domini Imperatoris vênit de Alamanca per mare cum magno extolio misso per Dominum Principem, qui erat Ballius totius Regni de mandato Domini Imperatoris, & applicuit in Apuleam octavo Januarii dictæ indictionis.

Anno Domini 1252. indictione duodecima mense Octobris ejusdem, Civitas Neapolis capta fuit ab eodem Domino Rege Corrado. In mense Maji ejusdem obiit, & sepultus fuit Messanæ. Item eodem anno mense Januarii ejusdem indictionis Rex Henricus prædictus obiit.

Anno Domini 1253. indictione decimatertia mense Novembris ejusdem indictionis Innocentius Papa IV. intravit Neapolim cum magna exultatione, quia Dominus Princeps voluit, & per licentiam suam intravit in Regnum. Et in illis diebus fuit interfectus Borrellus de Anglone. Et intrante mense Decembri dictæ indictionis Dominus Papa Innocentius obiit in eadem terra Neapolis, & ibi fuit sepultus; & statim Dominus Alexander Papa susscepit Papatum Romanum, & mansit in terra Neapolis usque in mense Maji dictæ indictionis. Item in eodem anno mense Decembri decimætertiæ indictionis Dominus Princeps recuperavit Luceriam & Achinengiam; in qua interfectus fuit Joannes Maurus, & postmodum recuperavit Civitatem Melfiæ, & destruxit Civitatem Rapullæ nolentem se reddere in eum. Et in mense Februarii decimætertiæ indictionis Universitas Civitatis Messanæ ejecit Comitem Petrum Russum de Calabria ab eadem Civitate cum tota familia sua, & misit Domino Principi ut veniret & acciperet Messanam cum tota Sicilia. Et postea sinistro consilio habito miserunt magnum exercitum contra exercitum Domini Principis prædicti in Calabria in contrata, quæ dicitur Corona. Et exercitus Domini Principis insiluit in prædictum exercitum Messanæ, & pessimè prævaluerunt in eum, videlicet alios interfecerunt, & alios vulneraverunt, & alios producerunt, & alios ceperunt, & parum ex eis evaserunt. Item mense Augusti prædictæ decimætertiæ indictionis Universitas Messanæ destruxit terram Tavormenii eoquòd nolebat obedire mandato eorum. Item eodem anno mense Octobris decimæquartæ indictionis Universitas Messanæ misit Romam, & elegit Potestatem Dominum Jacobum de Pente, & permansit in potestate usque ad medietatem mensis Maji prædictæ indictionis; & cum eo vênit Dominus Joannes de Columnis Messanensis Archiepiscopus missus à Domino Papa.

Item anno Domini 1254. indictione decimaquarta mense Aprilis Henricus de Abbate cum exercitu Vallis Mazzariæ cepit Panormum, & Fratrem Businum legatum, & tota Sicilia se convertit ad dominationem Domini Principis, præter Platiam, Castrum-Joannem, & Aydonem.

Item anno Domini 1255. decimaquinta indictione Comes Fredericus Lancea vênit Vicarius in Sicilia, & congregatis Baronibus Calabriæ Vallis-gratis terræ Jordani, & totius Siciliæ, ivit cum magno exercitu super Platiam, & obsedit & cepit ipsam; & quamdam quantitatem hominum ipsius terræ interfecit. Et postea ivit super Castrum-Joannem, & Aydonem, & homines earumdem terrarum converterunt se ad Dominium Domini Principis. In eodem anno fuit Justitiarius Philippus de Aternò.

Item anno Domini 1256 indictionis primæ fuit Justitiarius Siciliæ Bernardus de Acquaviva. In eodem anno mense Aprilis primæ indictionis Dominus Princeps Manfredus vênit Messanam, & postea ivit Panormum; & ibi fecit congregari omnes Prælatos & Barones totius Regni; & ad electionem eorum Dominus Princeps fuit coronatus Rex Siciliæ decimo die mensis Augusti primæ indictionis cum maxima lætitia & exultatione.

Item anno Domini 1257. indictione secunda Comes Fredericus Maletta vênit Capitaneus in Siciliam, & Justitiarius fuit Fredericus de Avenis Arenes.

Item anno Domini 1258. indictionis tertiæ mense Maji Gobbanus Theotonicus interfecit eumdem Comitem Fredericum Malettam ante Montem Trapani, & idem Gobbanus ascendit in eumdem Montem; & ipse unà cum hominibus ipsius Montis calcaneum rebellionis erexerunt contra Dominum Regem Manfredum negantes nomen ejus; & Dominus Comes Frederi-

dericus Lancea cum exercitu magno obſedit prædictum Montem, & menſe Octobris indictionis ejuſdem cepit prædictum Montem cum hominibus ejuſdem, & fecit eos ab inde diſcedere, & quoſdam eos devaſtavit.

Anno Domini 1263. nona indictione Comes Carolus intravit Romam in æſtate; menſe verò Aprilis ejuſdem indict. Dominus Rex Manfredus miſit extolium ſuum apud Marſiliam ad obſidendum eam.

Anno ejuſdem Incarnationis 1265. indictione nona Comes Carolus cepit Pontem Ciplanum, & turbata eſt Civitas Neapolis. Et poſtmodum idem Comes cum exercitu ſuo vênit apud Pontem Valentinum in partibus Beneventi, & die Veneris vigeſimoſecundo menſis Februarii prævaluit in eumdem Regem Manfredum cum exercitu ſuo, & habuit victoriam ſuper eum.

Item anno dictæ Incarnationis ejuſdem nonæ indictionis die Sabbati decimotertio menſis Martii Civitas Meſſanæ elevavit vexillum prædicti Comitis Caroli; & die Jovis primo menſis Aprilis ejuſdem indictionis Comes Philippus de Monteforti vênit Vicarius in Siciliam pro parte ipſius Comitis Caroli.

FINIS.

Digitized by Google

ALEXANDRI
TELESINI CŒNOBII
ABBATIS
DE REBUS GESTIS
ROGERII SICILIÆ REGIS
LIBRI QUATUOR,

In præſenti editione cum veteribus collati, & Summâ capitum ad Lectorum commodum diſtincti, ac exornati.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ALEXANDRI ABBATIS TELESINI HISTORIAM *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NOrtmannorum Principum res geſtas in Regno Siculo & Neapolitano proſequutus eſt *Alexander Teleſini Coenobii Abbas* ex Ordine S. Benedicti. Scriptoris hujus mentionem facit Gerardus Johannes Voſſius de Hiſtoric. Latin. Lib. 2. Cap. 53. eumque *Celeſini Coenobii Abbatem inſcribit*, ſequutus editionem Francofurtenſem Tomi III. Scriptorum Hiſpaniae illuſtratae, ubi hoc titulo Alexander donatur. At mendum utrobique, uti & apud ceteros, qui *Celeſinum Abbatem* appellant. Fuit ille Abbas Monaſterii S. Salvatoris ſiti in urbe, aut agro Teleſiae, Italice *Teleſa*, ſive *Teleſi*. Ea civitas in Regno Neapolitano ſita eſt ad confluentes Vulturni ac Sabati in provincia, quam Terram Laboris appellant, ſive in Campania Felice. Eidem autem Monaſterio praefuit Johannes Abbas, cujus mentio eſt in Vita S. Anſelmi Cantuarienſis, & apud Mabillonium in Annalib. Benedictin. ad Annum 1098. Sunt verba Auctoris ipſius Lib. 3. *Rex Rogerius ad Monaſterium Sancti Salvatoris Celeſini* (ita habent edita, ſed corrigenda ac legendum *Teleſini*) *divertitur, cui cum Abbas Alexander obviam profeciſſet* &c. Eadem quoque legas Lib. 2.

Exorditur Hiſtoriam ſuam Alexander Teleſinus a Guilielmi Ducis Apuliae morte, quae Anno 1127. contigit, eamque perducit ad finem uſque Anni 1135., quo nempe Rogerius Rex *Amfuſo filio ſuo Capuanum Principatum tradidit*, ut habet Anonymus Caſinenſis. Quare non unum errorem deprehendas in Voſſio ſcribente, Alexandrum noſtrum literis commendaſſe res geſtas Rogerii Siciliae Regis, *qui ejus Inſulae Principatum adeptus eſt Anno Ch.* 1101. *poſteaque cum Apulia, & Calabria eſſet auctus, Rex ſalutatus eſt Italiae ac Siciliae Anno* 1129. *Obiit autem Anno* 1154. *Huic cum Alexander Celeſinus* (ideſt *Teleſinus*) *fuerit aequalis; illoque defuncto Regis ejus geſta ſignarit, aetatem Auctoris ignorare non poſſumus*. Ergo ſi Voſſium audimus, poſt Annum 1154. ad haec ſcribenda ſe contulit Hiſtoricus noſter. Atqui certum eſt, Rogerium non Anno 1129. ſed quidem 1130. titulum Regium aſſumſiſſe; tantum autem abeſt, ut Alexander defuncto Rogerio Rege ejus geſta deſcripſerit, ut ipſum aperte viventem indicet in poſtremis ſuae Hiſtoriae lineis, quum eumdem gravi peroratione alloquatur, & pia illi documenta inſinuet. Anno igitur, ut diximus, 1135 Rogerii geſta deſcribebat Alexander, ac proinde aetatem Auctoris hinc rectius intelligas. Eum autem etiam pluris faciendum fatebere, quod *importuna Comitiſſae Matildis, ſororis Regis Rogerii, conjugiſque Ranulphi Comitis precatio* illum ad haec ſcribenda impulerit.

Porro Dominicus Portonarius, cujus typis primum edita eſt haec Hiſtoria, Teleſinum arguit, quod in temporum ratione *adeo negligens fuerit, ut ſeriem ipſam rerum geſtarum, cum arbiter interfuerit, & viderit praeſens, ferme labefecerit*. Cenſuram hanc facile amplexus eſt ſupra memoratus Voſſius, ſed fortaſſe minime inſpectis ac perpenſis Alexandri Libris. Utique Scriptor hic Annorum adnotatione ſuam Hiſtoriam gratiorem nobis exhibere oblitus eſt. Verum is non idcirco turbavit, aut labefecit rerum ſeriem, atque ordinem, neque ex Annis omiſſis quicquam deperiit veritatis, ac dignitatis illius labori. Primus autem, qui Librum hunc evulgavit, fuit Hieronymus Surita, cujus cura editus eſt Caeſarauguſtae una cum Gaufredo Malaterra Anno 1578. typis memorati Dominici Portonarii. Rurſus vero excuſa eſt eadem Hiſtoria Francofurti Anno 1606. Tomo III. Scriptorum Hiſpaniae illuſtratae, Opus plane dignum, quod Collectioni noſtrae tamdem adderetur, quum rebus olim in utraque Sicilia geſtis lucem plurimam adferat.

Nos adhibuimus editionem Panormitanam Caruſii, cui ſummas capitum Lectorum commodo adjecimus.

Digitized by Google

JOANNIS BAPTISTÆ CARUSII

MONITUM.

QUis fuerit Abbas Telesinus, quo tempore vixerit, & qua occasione historiam suam quatuor in libris (non in sex ut ex errore asserit Vossius) divisam, narrat auctor ipse in præfatione Operis. Hunc tertiò typis mandamus post Hieronymum Surita, qui simul cum Malaterra primus typis mandavit Cæsarauguſtæ anni 1578. & Joannem Pistorium in tomo tertio Hispaniæ Illustratæ Francofurti editæ anno 1605.

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA

LIBRI PRIMI.

I. ARgumentum hiſtoriæ quam ſibi ſcribendam proponit Teleſinus. Mortuo Wilielmo Roberti Viſcardi nepote Duce Apuliæ, nulloque hærede relicto, multæ in Ducatu turbæ oriuntur, plures urbes occupantur, donec à Rogerio filio Rogerii Comitis Siculorum Ducatus iterum recuperatur.

II. Rogerii indoles.

III. Simoni fratri & Rogerio patri impubes adhuc in Ducatu ſuccedit. A matre Adaleſia tutela ſuſcipitur. Ipſe puer largiſſimus in pauperes.

IV. Cùm adoleviſſet militiæ ac juſtitiæ robore, divitiarumque copia magnam ſibi famam comparat. Melitam inſulam invadit, & dum alias occupare nititur de mortuo Guilielmo nuncium accipiens comparatis navibus Salernum proficiſcitur.

V. Non procul ab urbe navibus infra mare fixis conſiſtit. Nuncios ad Salernitanos ablegat ut ſeſe dedant. Negant Salernitani & Sarolum legatorum alterum occidunt.

VI. Diſſimulatâ injuriâ Rogerius iterum legatos mittit, & deditionem certis conditionibus componit.

VII. Interim Ranulphus Comes Rogerium, cujus ſororem Mathildem duxerat, convenit, & rogatus à cognato ut ſibi præſtaret hominium, id facere recuſat, niſi Orianenſis comitis hominio & ipſe decoretur; quod tandem à Rogerio vix obtinet, datoque fidelitatis juramento, Rogerius Salernum ingreditur. Amalphitani Salernitanorum exemplo Rogerio ſubjiciuntur.

VIII. Honorius Pont. Max. audita morte Guilielmi Ducis, & Rogerii conatibus, Beneventum properat, ipſumque anathemate perculit. Quamobrem Ranulphus à fide Rogerii diſcedit.

IX. Rogerius Pontificis animum per legatos flectere fruſtra tentat.

X. Pontifex Trojam à civibus accitus eorum hominium recipit, univerſos Apuliæ Magnates, & Robertum Capuanorum Principem adverſus Rogerium ſollicitat; inde Beneventum redit, & mox Trojam, ubi celebrato Concilio Rogerium iterum diris devovet. Cùmque ſe tertiò Beneventum recepiſſet, Rogerii legatos ipſius hominium offerentes dimittit.

XI. Rogerius duritie Pontificis cognita in Siciliam bellum paraturus navigio fertur. Pontifex Romam quantocius redit, & ipſe bellicam aciem inſtructurus, ut cum fœderatis Rogerio reſiſteret.

XII. Comparato ingenti exercitu Rogerius Pharum transfretat, primoque impetu turrim Hunifredi capit, & ſolo æquat; mox Tarentum, & Hydruntum, urbes olim Boamundi Principis, & Apoſtolicæ tutelæ commendatas in deditionem recipit. Brunduſium Tancredi urbem longa obſidione in poteſtatem ſuam redigit. Poſtremò Caſtrum, atque Oiram, aliaque caſtella nullo negotio occupat.

XIII. Honorius Papa cum principibus Apuliæ Rogerium impetit. Rogerius ad fluvium Bradanum caſtra figit.

XIV. Deficientibus ſtipendiis Magnates à Roberto diſcedunt. Apoſtolicus Rogerio Ducatum concedit. Apulienſes Principes à Papa recedunt.

XV. Honorius Pontifex, accepto à Rogerio fidelitatis ſacramento, Ducale ei concedit vexillum. Dux, Trojæ obſidione dimiſſa, ad Melpham recipiendam tendit, Siciliam inde remeat. Tancredus Brunduſium recuperat.

XVI. Rogerius Brunduſium recuperare ſtudet, ſed fruſtra.

XVII. Robertus de Grantimania licentiam ad ſua redeundi rogat, qua negata à Rogerio recedit.

XVIII. Monte-Alto capto Tancredus, Grimoaldus, ac Gofridus Duci ſubjiciuntur, quibus venia conceditur, dummodo Trojam ſecum armati impetant. Trojani obſidionem veriti Roberti auxilium poſcunt, quo negante, Ranulphus defenſionem ſpondet.

XIX. Ranulphus Comes Rogerium ſui juris caſtra obſeſſurum intelligens Trojâ recedit, quæ à Duce conſtricta capitur; cæteræ Apuliæ urbes victori Rogerio ſubjiciuntur.

XX. Dux Lacupeſulum vadit, Robertum de Grantimania, qui à militia receſſerat, arguit, & ad propria redire permittit.

XXI. Dux Melphiam properans cunctos Apuliæ Optimates convocat, juſtitiam iis, ac pacem indicturus, quibus in fidelitate dimiſſis Siciliam remeat.

XXII. Caſtrum-Villæ à Roberto defenſum, obſidione urgente, Rogerio reſtituitur, deinde Salernitani Turris majoris munitionem Duci concedunt.

XXIII. Rogerius Orianenſis Comes Ducis animum contra ſe exacerbatum leniturus, Padulum ei, necnon Montemfuſculum dimittit.

XXIV. Troja iterum obſeſſa Duci ſe dedit. Robertus Capuanorum Princeps Rogerio ſubditur, cujus ſuſcepto famulatu Dux Siciliam remeat.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. Suasione Procerum suorum Regiæ dignitatis desiderio Rogerius accenditur.
II. Convocatis Regni Baronibus examinandum Dux proponit suscipiendi Regii honoris consilium, quod ab omnibus approbatur.
III. In Urbe Panormitana decernitur Ducis in Regem elevatio.
IV. Dux in Ecclesia Archiepiscopali Rex inungitur.
V. Palatii apparatus, ac equorum comitantium ornamenta.
VI. Convivia Regis, cæteris Principibus admirationem incutiunt.
VII. Rex Amalfritanos urget munitiones sibi custodiendas dare, quod cives negant.
VIII. Amalfiam obsessurus Rogerius Ammiratum Joannem accersit, Georgius Ammiratus classe mare circuens Amalfitanis auxilia deferri vetat.
IX. Georgius supradictus Guallum oppidum, deinde aliud, cui nomen Capris, mox Triventum obsidet.
X. Joannes Sclavus contra Regios castrum tuetur, quibus majori conatu insistentibus Triventum dedit. Plurima Regis adventu oppida occupantur.
XI. Quamplures Amalfitanorum munitiones Regi cedunt, qui tota postmodum potitur Provincia.
XII. Sergius Magister militum Rogerio sponte subjicitur.
XIII. Ricardus Ranulphi frater Rogerii Legatum naribus, atque oculis deturpat.
XIV. Comitissa Mathildis Rogerii soror, marito insscio, apud fratrem se recipit, Dotalia sibi restituenda exposcens.
XV. Maritus Mathildis eam cum Avellino ac Merculiano reddendam poscit, ac Rogerii responsum.
XVI. Nunciis revertentibus Comes mandata Regis improbat; Rogerius verò Sororem cum ejus filio in Siciliam mittit.
XVII. Comes Regis iram expavescens bellum parat.
XVIII. Rex in Siciliam reversus Goffridum Comitem ad reddendam justitiam vocat, qui reum se sentiens terrarum suarum partem Rogerio dimittit.
XIX. Rex Barim obsidet. Ranulphus Grimoaldo subvenire satagit, sed Principis hortatu, ab incœpto desistit.
XX. Rogerius Barim obsidendo, post tres hebdomadas capit.
XXI. Tancredus solutâ sibi pecuniâ Terras suas Regi renunciat Hierosolymam profecturus.
XXII. Legati Principis, ut Rex Ranulpho parcat implorant, quibus alios à se dirigendos ad Principem Rogerius pollicetur.
XXIII. Legati Regis Principem adeunt, & istius responsa.
XXIV. Princeps & Ranulphus iratum Regem veriti se in Caudina valle cum exercitu disponunt. Rex contra illos arma movet.
XXV. Iterata Regis ad Principem Legatio, ut Romam per terras suas adire permittat, quod non obtinet.
XXVI. Landulpho Archiepiscopo curante Cives fidelitatem Regi jurare, turbæ in urbe Beneventana maximæ oboriuntur.
XXVII. Legatio Beneventanorum ad Principem, ut eos adjuvet. Rex Principem ipsum sibi inimicum redarguit.
XXVIII. Princeps, & Comes Beneventum tendunt, urbem ingrediuntur, Civium animos contrà Regem accendunt.
XXIX. Rogerius Nuceriam obsidet. Nucerinis ad opem ferendam Princeps & Comes Benevento cum exercitu recedunt; Rex bellum contra advenientes hostes, dimissa obsidione, instruit.
XXX. Commissâ Pugnâ Rogerius primò victor, cæsis hostibus, evadit.
XXXI. Comitis ac Principis virtute Regis acies in fugam vertuntur.
XXXII. Auctoris querela de sinistro belli exitu, constantiæ verò Regis laudes.
XXXIII. Audito Regis infortunio Tancredus milites congregat, Silentia urbe suscipitur, postea Gofridum adit, cum quo contra Regem fœdus init.
XXXIV. Barenses cives se parant ad bellum contra Rogerium, qui Tancredi insidias expavescens, cum eis paciscitur.
XXXV. Rex Salernum revertitur, oppida militibus munit, quibus Beneventum urgeat; post Siciliam petit.
XXXVI. Comes ac Princeps Tancredum, Gofridum, atque Alexandrum in suam trahunt amicitiam, ut fortiùs Regem opprimant. Lotharium Imp. Romam venisse audientes, ad eum tendunt, ut contra Rogerium arma moveat, rogant, sed nihil obtinent.
XXXVII. Rogerio contra rebelles irato animo arma movente, Alexander ad Ranulphum fugit, Robertus Pisam ad petendum auxilium vadit.
XXXVIII. Quamplures rebellium terras Rex occupat, oppidum Materæ expugnat, in quo Gofridum Alexandri filium capit, cujus infortunia narrantur.
XXXIX. Rex ad Armentum castrum venit, ac illud obtinet.
XL. Ausum Castrum capitur, Gofridus in exilium mittitur.
XLI. Montem-pilosum Rex obsidet, Tancredus in auxilium obsessorum accurrit. Acies congrediuntur varia utrarumque fortuna.
XLII. Regis industria, qua facilius Montem-pilosum expugnet.
XLIII. Barbacanum uncinis ferreis Regii milites diruere studeant.

XLIV.

Digitized by Google

XLIV. Civibus in aliam partem ſe recipientibus, Regis exercitus dimiſſam urbem invadit, donec defenſores ſe dedant.
XLV. Civitas à Rege occupatur, rebelles capiuntur.
XLVI. Rogerius Regis adverſarius laqueo necatur, Tancredus captivus in Siciliam mittitur. Civitas ſubvertitur.
XLVII. Silentiam Rex obſidere diſponit, poſtmodum conſilium mutat.
XLVIII. Ranulphus ſociorum diſcrimine comperto cum Beneventanis fœdus iterat, poſtea in vallem Caudinam cum exercitu ſe recipit.
XLIX. Biſſiliam Rex aggreditur, Tranum occupat, in Bari turres evertit, Trojam poſtremò repetit.
L. Ranulphus propinquo Regis adventu territus Neapolim pergit, auxilium à Magiſtro Militum petit, & obtinet.
LI. Richardus Regi Caſtrum Sanctæ Agathæ per cambium tradit.
LII. Rex Melfiam tendens Aſculenſis urbis ſuperbiam punit.
LIII. Militibus circa Beneventum Capuamque conſtitutis Siciliam Rogerius repetit.
LIV. Salernum apperit, militias congregat, Pratum caſtellum incendit, alia ſe Regi dedunt.
LV. Palmam, Sarnumque caſtra Ranulphus capit. Robertus Princeps Piſis revertitur.
LVI. Turris quædam ſecus fluvium Scaphatum à Rege ſuſcipitur per deditionem, Pons deſtruitur. Princeps Piſas iterum adit.
LVII. Rex Nuceriam obſidet, Nucerini fortiter reſiſtunt.
LVIII. Ranulphus ſuper galeas fluvii tranſitum quærit, ſed infelici exitu revertitur mœrens.
LIX. Rogerii artes ad oppidum obtinendum, quibus territi defenſores deditionem pollicentur.
LX. Nuceria Regi cedit, pactionibus inter ſe conſtitutis.
LXI. Rex Ranulphi Comitis terras invadit.
LXII. Ranulphus pacem à Rege poſtulat.
LXIII. Ranulphus à Rege benignè ſuſcipitur.
LXIV. Rogerius pacis conditiones Principi ſervandas proponit. Hugo Bojanenſis Regem iratum formidans veniam implorat. Sergius Magiſter Militum regis juſſa contemnit, cui Raimpotus conjungitur.
LXV. Rex Teleſinum Cœnobium petens à Monachis honorificè ſuſcipitur.
LXVI. Capuam urbem Rex adit, & loci ac nominis natura deſcribitur.
LXVII. Civitatem ingreſſus à Clero, ac Populo Capuano cum honore excipitur. Sergius Magiſter Militum Regi fidelitatem jurat.
LXVIII. Morconium inter, Pontemque Landulphi Rex caſtrametatur.
LXIX. Burrellenſes hominium Regi præſtant.
LXX. Raimpotus in mari cum filio demerſus. Rogerius dimiſsâ Militiâ Salernum petit, Siciliam aditurus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. ROgerius ægrotat, Alberia Conjux moritur. Sed mortuum Regem fama deferente, Robertus Piſis cum Belligerorum manu Neapolim proficiſcitur.
II. Ranulphus Regem extinctum putans amiſſa recuperare nititur.
III. VVarinus cancellarius Regis, & Joannes Ammiratus Terram-Laboris contra Ranulphum defendunt.
IV. Cancellarius & Ammiratus Averſanos cives ad fidelitatem Regis hortantur; Poſtmodum Joannes in Apuliam ad auxilium petendum mittit.
V. Robertus, Ranulphus, ac Sergius Regis mortem opinati ſua conſequi felici exitu ſperant.
VI. Averſani Roberto Principi ſubduntur. VVarini, ac Joannis ſolicitudo in caſtris pro Rege tuendis.
VII. Piſanus exercitus conſilio Principis apud Pontem-Silicis caſtrametatur. Cancellarius Roberti amicos ab urbe Averſa Salernum compræhenſos dirigit.
VIII. Clarum flumen exercitus dividit; alter Principis panis inopiâ affligitur.
IX. Rogerius Salernum ingreditur, ibique rerum casus percunctatur.
X. Rex de Averſanis infidelibus queritur, ac Ranulpho Cognato, quinimmo de cæteris conjuratis.
XI. Audientes Regem Averſam aggreſſurum multi Cives Neapolim fugiunt, quò Comes territus advenit; Ricardus, filio Regis obſide derelicto, fugam init.
XII. Rex Averſam incendio tradit.
XIII. Neapolis ſuburbana Rogerius igne conſumit; Averſam deinde iterum ſuos depopulari jubet.
XIV. Cancellarius Regis militibus ſociatus inimicas urbes ignis terrore ad fidelitatem revocat.
XV. Cajacia, & civitas S. Agathæ Regi ſe ſubdere recuſant.
XVI. Rex urbem Sanctæ Agathæ obſidet, Cives territi veniam rogant, & obtinent, deinde Rogerius Cajaciam properat.
XVII. Caſtrenſes Cajaciani Regi ſubduntur.
XVIII. Rogerius Aliſam venit, & loci amœnitatem admiratur.
XIX. Rex Neapolim obſeſsûm properat; quæ civitas deſcribitur.
XX. Exercitus ſui miſertus Rogerius obſidionem removet.
XXI. Cuculum Rex pergit, & reædificat, Averſam reſtaurari jubet.
XXII. Neapolitani fame ac timore affliguntur.

Digitized by Google

XXIII. Ad Piſanos Neapolitani confugiunt navales copias poſtulantes.
XXIV. Piſani Amalphiam invadunt, ac depopulantur.
XXV. Rex ſuper Piſanos irruens, cæde multos proſternit, captivos alios conſtringit.
XXVI. Princeps cum Piſanis Piſas ingreſſus novos belli apparatus diſponit; cæteri cuſtodiæ urbis invigilant.
XXVII. Beneventani Regem ſuſcipiunt. Is Anſuſum filium Capuæ Principem conſtituit.
XXVIII. Teleſinum Monaſterium Rogerius adit, & à Monachis decenter ſuſcipitur.
XXIX. Montem Monaſterio ſupereminentem Rogerius Abbati reſtituendum pollicetur.
XXX. Cajaciæ munitur. Guilielmus Archiepiſcopus Capuanus eligitur.
XXXI. Guilielmus Electus, & Anſuſus Rogerii filius à Capuanis cum lætitia excipiuntur. Proceres omnes fidelitatem Anſuſo eorum Principi jurant.
XXXII. Fideles ſuos ſtatutis vicibus Rex diſponit ad defenſionem Terræ Laboris.
XXXIII. Siciliam petiturus Rogerius plura oppida videre ſtudet.
XXXIV. Coreo, ac Cipparuno oppidis præmunitis Salernum tendit.
XXXV. Teleſini Cœnobii Monachis optatum Montem concedi mandat, quos argenteis donis Rogerius ditat.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

I. COmes Adam militiâ ſuâ Neapolim affligit.
II. Comite Adam recedente, Robertus ad compeſcendos Neapolitanos ei ſuccedit.
III. Rogerii Regis boni mores deſcribuntur, ac laudantur.
IV. Militaris virtus & modeſtia Rogerii.
V. Sergius Piſas petit auxilium contra Regem poſtulaturus. Rogerius Rogerium Ducali, & Tancredum filios Barenſis Principatus honore decorat. Roberto Comiti Simon Sancti Angeli ad conſtringendos Neapolitanos ſuccedit.

ALE-

Digitized by Google

M. Ferroni del. Caietanus Bianchi Sculp. Mediol.

ALEXANDRI TELESINI CŒNOBII ABBATIS DE REBUS GESTIS ROGERII SICILIÆ REGIS

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Lexander Telesini Cœnobii immeritus Abbas universis in Christo positis salutem. Non ab re esse reor, si res olim gestæ, in memoria scripto habeantur. Nam in eis plurimũ fertur commodum, in quibus quid tenendum, quidve sit cavendum satis agnoscitur. Siquidem ipsa bellica acta, cùm bona non esse cernantur, ideo tamen conscribuntur, quia, ut non fiant, quodammodo innuunt, immo jubent, ut & pacis vinculum desiderabilius deinceps perseveranter in nobis vigeat, faciliùsque non queat dissolvi: quamobrem meritò me quis culpare non debet, si militaria gesta, quæ modernis temporibus acciderunt, ad posterorum notitiam stylo compræhensa Monachus retulerim, cùm etiam in sacris veteribus historiis, videlicet Saul, & David, cæterorumque Regum multa his similia narrantur, quæ in cunctis per orbem Ecclesiis ad proficuum audientium legi non prohibentur. Malui igitur à Cœnobialibus ad tempus curis, & sinè quolibet segregari damno, quàm ea inutili suppressa silentio, taliter infructuosa manerent. Ad perficiendum tamen opusculum istud importuna me valde Comitissæ Mathildis sororis Regis Rogerii, conjugisque Ranulphi Comitis precatio impulit: cujus quidem petitionem, etiam si primò propter ordinis rigorem, subterfugere volui, postmodum verò me ei non assensisse pœnituit. Conjiciebam enim futuris temporibus, quod ab ea poscebatur, indubitanter profuturum non deesse. Nunc igitur ejusdem Regis gesta ad perpetuam conscribenda memoriam assumantur, qui primò quales pueriles gesserit actus, quique post Sicilienſis Comitatus honorem, qualiter ad Ducalem apicem, deinde quomodo ad Regiam provectus fuerit dignitatem, seu quantâ diebus nostris in hoc sæculo excelluerit potentiâ, quantove etiam terrore provincias omnes à Sicilia, Romam usque conterens in brevi sibi subdiderit, summa tantùm carpendo in hoc propaletur volumine. Cujus quoque præcellentissima virtus, etsi in vindicandis tot regionibus sibi satisfacere gestivit, tamen, ut quæ in ipsis multùm superfluebat iniquitas, jam finem acciperet, hujus quoque erat occulto Dei judicio conterenda flagello. Nam sicut ipso Deo disponente, vel permit-

tente, vigens Longobardorum nequitia supervenientium Normannorum violentiâ olim comprimenda fuit, ita & nunc certum est Rogerio cælitus datum, vel permissum fuisse, harum scilicet regionum immensam gladio suo coërceri malitiam. Quid enim tunc mali non in ipsis exercebatur? Quippe omni timore abjecto, cædes hominum, furta, rapinæ, sacrilegia, adulteria, perjuria, necnon Ecclesiarum, monasteriorum oppressiones, virorum Dei contemptus pluraque his similia fieri non desinebant. Peregrinorum quoque pro Deo itinerantium alii prædabantur, alii verò, pro rebus eorum diripiendis, in abditis locis perimebantur; quibus facinoribus plurimùm Deus offensus idcirco Rogerium de vagina provinciæ Siciliæ extraxit, ut eundem quasi gladium acutum in manu tenens, harum perpetratores iniquitatum, per eum percutiendo comprimeret, atque ad viam justitiæ, quos incorrigibiles valde diu sustinuerat, ejus conterriti terrore revocarentur. His ergo in præfatione paullulum prælibatis, ad narrandum ejus initium jam veniamus.

CAPUT PRIMUM.

Mortuo Wilielmo Roberti Viscardi nepote Duce Apuliæ, nulloque hærede relicto, multæ in Ducatu turbæ oriuntur, plures urbes occupantur, donec à Rogerio filio Rogerii Comitis Siculorum Ducatus iterum recuperatur.

IGitur Wilielmus Dux Apuliæ postquam humanis rebus morte interceptus excessit, qui nepos Roberti Viscardi robustissimi fuerat Ducis, videlicet genitus à filio ipsius Rogerio, qui secundus ei ad suscipiendum Ducatûs successerat apicem, contigit, ut hæc ipsa jam facta provincia, aliæque circumquaque positæ regiones ingenti possiderentur calamitate, utpote quæ absque regiminis Ducalis habena fuerant postpositæ. Quippe Dux ipse legitima carens prole, hæredem jure sibi succedentem moriens non reliquerat, unde accidit, ut & ipsarum Ducalium urbium, scilicet Salerni, Trojæ, Melfiæ, Venusii, cæterarumque, quæ sinè Domino, & Duce relictæ fuerant, quædam istius, quædam illius tyrannica ambitione surriperentur. Sed & singulis quibusque, quod placitum erat in oculis ipsorum, nemine contradicente agere liceret. Nemo quippe tunc ulla corporis punitate exterrebatur, ideoque ad malum operandum magìs ac magìs universi effrenabantur, ita ut non solùm viatoribus jugis fieret metus, verumetiam agricolis ad excolendum agrum exire cupientibus securitatis quies deesset. Quid plura? nisi Deus Guiscardinæ pertinens prosapiæ reliquisset semen, per quod citò Ducatûs recuperaretur Monarchia, omnis pœne siquidem terra nequissimis involuta facinoribus inhumanæ mentis præcipitium ruitura periret. Quis itaque illud fuerit semen nunc subjungendo manifestetur. Semen inquam istud fuit Rogerius filius Rogerii Siculorum Comitis, fratris prædicti Guiscardi, qui tempore, quo supramemorata gerebantur, Sicilienſium degebat Comitatu, cujus quidem qui, & quales in se pueriles fuerint actus, hîc primò, licèt summatim, recolere dignissimum duxi.

CAP. II.

Rogerii indoles.

HUic quippe unicus erat frater primogenitus nomine Simon, qui patri obituro ad suscipiendum ipsius provinciæ dominium successurus erat, quem quidem, ut moris est puerorum, nummo ad bellum ludendo provocabat. Hic namque ludus ei præ cæteris ludis specialissimus inerat. Cùm ergo uterque cum singulis puerorum catervis ad hoc accitis præliarentur, superabat minimus Rogerius, unde deridens fratrem suum Simonem, ajebat: Me quidem sic triumphare dominatus honore post funera patris potiùs condecet, quàm te. Quapropter cùm id potitus fuero, te aut Episcopum, aut vel Romæ Papam, quod magis tibi competit, constituturus ero. Cùmque crebrò sic superando talia in eum insultantiùs verba proferret, jam in se portendebat, quòd verè Dominus ipse post patrem futurus esset, quòdque nonnullas, ut in sequentibus apparebit, pluribus longè, latèque terris subactis, consecuturus esset victorias.

CAP. III.

Simoni fratri & Rogerio patri impubes adhuc in Ducatu succedit. A matre Adalesia tutela suscipitur. Ipse puer largissimus in pauperes.

FActum est autem dum Simon, genitorque Rogerius vi Numinis ad extrema perveniſſent, Rogerius minimus ad potiendum provinciæ ipsius Comitatum hæres succedit. Sed quia adhuc tenera comprimebatur ætate, nec poterat hac præpeditus, dominatûs exercere curas, genetrix illius Adalesia nomine, mulier prudentissima, quousque ad ætatem ipse pertingeret legitimam, regimen sub se peragendum ipsius Comitatus accepit. Hic namque dum adhuc puer sub matris tutela degeret, persæpe tanta movebatur pietatis gratia, ut non pauper, vel peregrinus ab eo vix sinè stipe recederet. Plerumque enim cùm quid dare non haberet, genitricem adiens petebat, quatinus sibi conferret quod inopi largiturus esset, cui etiam, quatinus à se ad ipsum fieret, magnopere fusis precibus suggerebat.

CAP. IV.

Cùm adolevisset militiæ ac justitiæ robore, divitiarumque copia magnam sibi famam comparat. Melitam insulam invadit, & dum alias occupare nititur de mortuo Guilielmo nuncium accipiens comparatis navibus Salernum proficiscitur.

CUm autem adolevisset, factusque miles dominatûs jura per se agere deberet, tanta utebatur industria, tantaque virtutis fulciebatur gratia, ut totam Siciliæ provinciam optimè, strenuèque regens sub omni terrore constringeret, adeò ut non fur, non latro, aut raptor, sive quislibet malefactorum ex latebris suis prodiens apparere auderet. Auro verò, vel argento, cæterisque rebus ita opulentissimus erat, ut cunctis prægrandem ex hoc ipso stuporem ingereret, unde non so-

Digitized by Google

ſolùm à ſuis, verumetiam ab alienis, ſeu longè poſitis quammaximè timeretur. Invaſerat enim & alias Inſulas, quarum una Malta vocabatur, cùmque ad alias iterum occupandas Inſulas, terraſque attentiùs perſiſteret, repentè audivit præfatum Ducem Guilielmum ab hac luce Salerni deceſſiſſe, qui doluit valde, quòd ſe ignorante defunctus ſit, quòdque ſe, ut ſibi vivens ſtatuerat, ſi filium non haberet, hæredem non feciſſet. Unde moram non patitur, ſed præparato navali itinere, quantocyus Salernum tetendit.

CAP. V.

Non procul ab urbe navibus infra mare fixis conſiſtit. Nuncios ad Salernitanos ablegat ut ſeſe dedant. Negant Salernitani & Sarolum legatorum alterum occidunt.

CUmque non procul ab urbe, navibus infra mare fixis conſtitiſſet, delegatis nuntiis, Salernitanis civibus miſit, quatinus eidem ſubderentur: nam potiùs ſibi, quàm alteri dominatus ejuſdem civitatis, generis ſucceſſione competebat, quod & Guilielmus Dux ſi ex conjuge nato cariturus eſſet hærede, vivens ei conceſſerat. Quibus illi reſpondentes: nos nullo modo, inquiunt, nullave ratione ei ſubdemur, quoniam plura malorum à Guilielmo Duce, ejuſque prædeceſſoribus perpeſſi ſumus, quæ etiam ab eodem ipſo nobis inferri, ſi dominatûs culmen ſuper nos ſuſceperit, formidamus. Cùmque hæc, & his ſimilia ab eis ſuperbo ore proferrentur, atque magnas quidam Sarolus nomine, unus ex illis, qui ex parte Comitis verba detulerant, dura contra eos pro hoc ipſo verba reddidiſſet, mox illis in eum furore concitatis, dum fugam evadendi infelix ageret, ferro ab ipſis ſucciſſus interiit.

CAP. VI.

Diſſimulatâ injuriâ Rogerius iterum legatos mittit, & deditionem certis conditionibus componit.

QUæ videlicet cùm Rogerio relata fuiſſent, licèt cordis dolore intrinſecus quamplurimùm tangeretur, animi ſui impetum pro tempore gravitate obvolvens, rurſus mittebat, exorans eos, quatinus, quod ſibi juſtùm ad habendum erat, non denegarent. At illi ſuper hoc iterum, atque iterum multipliciter ſecum conferentes, tandem talia reſpondentes dixerunt: Concedatur nobis munitio Turris majoris ad cuſtodiendum, ſicque poſt domino ipſius ſubdemur. Quo audito ille, quamquam ſuper hoc pernimiùm aggravaretur, ſubditionem tamen civium acceptaturus, prædictam arcem eis pro nutu ipſorum conſervandam annuit.

CAP. VII.

Interim Ranulphus Comes Rogerium, cujus ſororem Mathildem duxerat, convenit, & rogatus à cognato ut ſibi præſtaret hominium, id facere recuſat, niſi Orianenſis comitis hominio & ipſe decoretur; quod tandem à Rogerio vix obtinet, datoque fidelitatis juramento, Rogerius Salernum ingreditur. Amalphitani Salernitanorum exemplo Rogerio ſubjiciuntur.

INterea Comes Ranulphus, qui ejus jam ſororem nomine Mathildim in conjugium duxerat, audiens illum Salernum adveniſſe, continuò pergens invênit eum in mari, in eodem adhuc loco, quo priùs ſubſtiterat, perſiſtentem, ubi cùm poſt multa verborum Rogerius ejus hominium ſubdendum poſtulaſſet, illeque, niſi fortè quid ſibi ab eo daretur, pro quo id fieri deberet, recuſaret, percunctatur mox, quid ſibi per hoc ab eo conferri geſtiret. At ille: volo, inquit, quatinus ſi mei ſubmiſſione hominii honorem conſequêris, ſic verſa vice Rogerii Orianenſis Comitis me ſubditione honores, quod cùm audiſſet graviter accepit, abnuens parem pari ſubmitti. Unde dum uterque poſt inter ſe vicaria durorum prolatione verborum altercarentur, Comeſque deinceps Ranulphus animi indignatione motus penitùs recedere vellet, tandem Rogerius eum abire non paſſus, tam pro conjugali Mathildis copula, qua ei propinquus exiſtebat, quàm pro ſtrenuitatis ſuæ nomine, quam ſibi in adquirendo Apuliam omnino profuturam ſperabat, ejus ſuſcepto hominio, ſubdidit ei præfatum quem popoſcerat Comitem, deinde cum accepta fidelitate Salernum ingreditur. Amalfitani deinde videntes Salernitanos Comiti colla ſubdidiſſe, & ipſi itidem ei retentis munitionibus ſubjiciuntur.

CAP. VIII.

Honorius Pont. Max. audita morte Guilielmi Ducis, & Rogerii conatibus, Beneventum properat, ipſumque anathemate perculit. Quamobrem Ranulphus à fide Rogerii diſcedit.

PEr idem tempus Romanæ Eccleſiæ Pontificium Honorius Papa Secundus adminiſtrabat, qui Romæ obitum Guilielmi Ducis percipiens, nec non Sicilienſem Comitem Ducale jam ambire regimen cognoſcens, doluit valde, atque ſinè dilatione urbem egreſſus, Beneventum properat, deinde Miſſarum celebrans ſollemnia, ipſum publica voce anathematis jaculo perculit, ſi Ducale obtinere culmen ulteriùs conaretur, vel quiſquis ei ad id nanciſcendum, conſilium, auxiliumve tribueret. Unde factum eſt, ut & ipſe Ranulpus Comes ab eo, quamquam malè conſultus, penitùs averteretur, modis omnibus nitens præpedire eum, ne Ducatûs quiret conſcendere apicem.

CAP. IX.

Rogerius Pontificis animum per legatos flectere fruſtra tentat.

VErùm Rogerius Salerni commorans cùm audiſſet, quòd Papa Beneventum petiſſet, atque in ſe excommunicationis intorſiſſet jaculum, miſit ad eum orans, ut non ab Eccleſia dominatum, Ducalemque honorem generis jure ſibi competentem conſcendere prohiberetur; nam ei, prout æquitas imperaret, de ejuſdem Ducatûs culmine libenter ipſe obſecundaturus eſſet. Papa verò iis perceptis, nulla ratione, nullove pacto ejus precationibus flectitur, immo ampliùs illum excommunicando feriens expellebat. Porrò Rogerius indignationem adhuc illius patienter ſuſtinens, miſit iterum, atque iterum, quatinus eum ſuſcipiens, quod ſe habere jure de-

ce-

Digitized by Google

cebat, non denegaret. At contra Papa eodem modo quo supra in eum obstinatissimum gerens animum nullo modo desiderio ipsius assensum præbere volebat.

CAP. X.

Pontifex Trojam à civibus accitus eorum hominium recipit, universos Apuliæ Magnates, & Robertum Capuanorum Principem adversùs Rogerium sollicitat; inde Beneventum redit, & mox Trojam, ubi celebrato Concilio Rogerium iterum diris devovet. Cùmque se tertiò Beneventum recepisset, Rogerii legatos ipsius hominium offerentes dimittit.

POst hæc autem prædictus Præsul à Trojanis civibus accitus, eorum hominium, flagitantibus ipsis accepit, ubi quidem universi Apuliæ ad se venientes Magnates adversùm Rogerium ita, eodem sollicitante, fœdere ei uniuntur, ut non nisi aut illum penitùs expellerent, aut in bello, si possent, de terra necando delerent. Ex quibus fuerunt Grimoaldus Barensium Princeps, Gofridus Comes Andrensis, Tancredus de Conversano, atque Rogerius Orianensis Comes, aliique complures, quorum scilicet unanimitati & Robertus Capuanorum Princeps ejusdem Papæ hortatu, Comitisque Ranulphi instigatione consociatur. Nec mora, præfatus Apostolicus Beneventum repedat, ibique non longa intercedente mora, rursus Trojam revertitur, qui ibidem Episcoporum celebrans concilium Rogerium iterum, vel quisquis ei ad adipiscendum Ducatum consensurus, seu opem collaturus esset, ab Ecclesia excommunicando eliminavit; cùmque his peractis denuo Beneventum remeasset, Rogerius rursus legatione ad eum directa suppliciter precatur, quatinus anathematis sententiâ remotâ, Ducalique sibi dignitate concessa, servitium ejus susciperet. At ille rursus in eodem ipso, quo supra, immobili mente persistens, petitioni suæ nullatenus adquiescit.

CAP. XI.

Rogerius duritie Pontificis cognita in Siciliam bellum paraturus navigio fertur. Pontifex Romam quantociùs redit, & ipse bellicam aciem instructurus, ut cum fœderatis Rogerio resisteret.

ROgerius tantam ipsius insolentiam, animumque ejus ita inflexibilem spectans, ad Siciliam transvectus navigio redit; quatinus quod humilibus verbis obtinere non poterat, armorum violentia revertens adipisceretur. Cujus abscessu cognito Papa, & ipse Romam quantocyùs potuit, repetit, uti inde bellicam aciem ducens adversùs eum, simul cum præmemoratis Principibus obsistere deberet, si fortè cum hostili manu Ducatum invasurus rediret. Multa quidem præterii, quoniam summa tantùm, atque extrema, sicut in procœmio jam dictum est, enarrare proposui.

CAP. XII.

Comparato ingenti exercitu Rogerius Pharum transfretat, primoque impetu turrim Hunifredi capit, & solo æquat; mox Tarentum, & Hydruntum, urbes olim Boamundi Principis, & Apostolicæ tutelæ commendatas in deditionem recipit. Brundusium Tancredi urbem longa obsidione in potestatem suam redigit. Postremò Castrum, atque Oiram, aliaque castella nullo negotio occupat.

IGitur Rogerius cùm apud Siciliam, quousque ad bella solitum est procedi, demoratus fuisset, coacto nimiùm immenso exercitu fretum Pharense transvadavit. Qui inde movens, ad turrim, quæ Hunifredi dicitur, constringendam properat, quam quidem citò comprehensam ad solum usque subvertit. Deinde Tarentum perveniens, civibus se sedentibus, mox eam obtinuit. Cujus post obsidionem Hydruntini cives pertimescentes, civitatem & ipsi, seseque ei submittunt. Hæ quippe urbes Boamundi juris fuerant, quas ipse, omnemque terram suam, cùm ad potiendum Principatum Antiochiæ, transmarinum peteret iter, Apostolicæ priùs fertur tutelæ commisisse. Verùm ille ejusdem civitatis decoratus Principali insula, brevi intercapedine posita, in loco, quo se tutum omnino cum suis fore putabat, subitò à Turcorum intercluso acie, cum multis aliis digladiatus finem vitæ dedit. Deinde super Brundusium urbem prædicti Tancredi veniens, eam nimio obsidionis rigore tamdiu oppressit, donec urbicolæ non diu tolerantes, civitatem ei, seseque dedêre: quo facto ad oppidum, quod nominatur Castrum, obsessurus festinat, quod quidem sinè dilatione capitur. Post hæc autem oppidum, quod nuncupatur Oira adiens, continuò illud aggreditur. Præterea, & alia ejusdem castra capiuntur, quórum nunc nomina nequaquam recoli ignorationis necessitas cogit.

CAP. XIII.

Honorius Papa cum principibus Apuliæ Rogerium impetit. Rogerius ad fluvium Bradanum castra figit.

HOnorius itaque Papa cognoscens Siculorum Comitem mare transmeasse, terrasque Boamundi, atque Tancredi ex parte jam occupasse, cum militibus ferme trecentis revertitur, mandans Principi Ruberto, Comitique Ranulpho, cæterisque per Apuliam præmemoratis Principibus, quatenus militaribus collectis agminibus, secum hosti Rogerio jam imminenti armis obviaturi procederent. Comes igitur Rogerius comperiens præfatam expeditionem ad se debellandum properare, movens se ad fluvium Bradanum, ubi Vadus Petrosus dicitur, castra figi præcepit. Econtra verò Papa cum omnibus suis appropinquat, in tantum, ut medius inter eos fluvius ipse diffluere. At Rogerius cùm dominum Papam expeditioni illi interesse percepisset, reverentiam illi ita exhibebat, ut vitaret eum contingere, ne contra Deum, spreto ipsius Vicario, repugnare videretur. Quin etiam ad eum legatione semel, ac iterùm facta flagitabat, ut ei anathematis vinculo absso-

Digitized by Google

soluto, Ducatum etiam jure generis sibi succedentem liceret accipere.

CAP. XIV.

Deficientibus stipendiis Magnates à Roberto discedunt. Apostolicus Rogerio Ducatum concedit. Apulienses Principes à Papa recedunt.

CUmque sic hi, & illi sinè rerum effectu diutiùs permansissent, Magnates Principis Roberti, deficientibus sumptuum stipendiis, egere incipiunt adeò, ut & plures illorum chlamydes suas distrahentes, cibos sibi mercari compellerentur. Unde factum est, ut quidam eorum inediam non ultra ferentes, latenter recederent. Apostolicus verò cognito quòd Baronum, militumque murmur instaret, eo quòd multum temporis militare sustinentes exercitium, egestatem pati cogerentur, vellentque se se dimisso, recedere, fultus consilio ad Rogerium clam festinanter præmisit, pollicens illi Ducatum annuendum, ita tamen ut priùs Beneventum petens, suum ei ibi hominium subderet, sicque postea ipsum à se Ducatum ex more acciperet. Hoc quoque illo annuente, simulque ab utraque parte firmato, Apulienses heroës comperto hoc, mox dissolutis papilionibus, ad sua cum dedecore revertuntur, culpantes pernimiùm Papam, quòd sinè eorum consensu, cum hoste Rogerio concordatus fuisset.

CAP. XV.

Honorius Pontifex, accepto à Rogerio fidelitatis sacramento, Ducale ei concedit vexillum. Dux, Trojæ obsidione dimissa, ad Melpham recipiendam tendit, Siciliam inde remeat. Tancredus Brundusium recuperat.

CUm ergo Præsul Beneventum rediisset, ecce Rogerius adveniens in montem S. Felicis, haud longè à Benevento positum ascendit, militari ejus cuneo in devexum ejusdem collocato montis. Post diem verò tertium præfatus Pontifex ab eo accitus paullulum ab urbe progreditur, ipsiusque, ut moris est, hominio suscepto, cum vexillo Ducale eidem tradidit regimen. At Rogerius Apostolica roboratione Dux constitutus, secundùm quod inter se jam propositum fuerat, sacramentum ei fidelitatis per omnia servandum exhibuit: quibus peractis Papa ad palatium revertitur, Dux Trojam festinus obsessurus pergit, quæ quidem etsi strictiùs ab eo obsessa teneretur, tamen ei à civibus omnino resistebatur. Nam Trojani præscientes obsidionem ipsam super se venturam, urbem nimiùm præmunierant, unde eum obsidentem audaciores paruipendebant. Cùm ergo Dux ibi aliquandiu moratus civitatem etiam munitissimam fore conspiceret, nilque tunc ad capiendum eam, ob hiemem jam imminentem se proficere posse prævideret, remota obsidione, interim ad recipiendum Melfam, aliasque Ducales urbes festinat, quæ jam legatis præmissis, ultro se se ei subdendas mandaverant, quibus receptis expeditionem bellicam ad propria redire jubet, sicque Salernum reversus, ibique paruipper moratus, ad Siciliam A cum multo iterum lade reversurus exercitu, remeat. Qui dum apud eandem provinciam morans, Apuliæ absentaretur, Tancredus suis interim persuasionibus Brundusium civitatem, & oppida, quæ invadente eo amiserat, recuperavit.

CAP. XVI.

Rogerius Brundusium recuperare studet, sed frustra.

FActum est autem, cùm tempus egrediendi in hostem opportunum successisset, Dux Rogerius collecta rursus militari expeditione fretum, quod Pharum dicitur, transmeavit. B Exinde moto exercitu cœpit huc, illucque terras sibi omnes militari violentia occupare. Cùm ergo ex parte recuperasset oppida, quæ jam Tancredus eo absente resumpserat, tandem iterum Brundusium, ut eam recuperet, obsessurus vadit, qui cùm longa in obsidendo mora traheretur, nilque tunc ad obtinendum eam posse proficere prævidisset, dimittens eam ad tempus, ad alia interim aggrediendum oppida accelerat.

CAP. XVII.

Robertus de Grantimania licentiam ad sua redeundi rogat, qua negata à Rogerio recedit.

C VEniens itaque super castrum superiùs jam memoratum, continuò, quòd se ab eo avertens Tancredo adhæserat, illud evertit. Deinde cùm Montis-alti oppidum ab eo obsideretur, Robertus interim de Grantimania se ei præsentans rogitabat eum, ut ei jam ad sua redeundi licentiam largiretur. At ille, quare inquit hoc flagitas? Cui ille respondit: ideo recedere quæro, quoniam inedia constrictus exercitus hujus, laborem ultra perferre non valeo, nam feudum, quod videor hebere, modicum quidem valde est, nec ad sustinendum diu militare sufficit exercitium. Sciatur itaque, quoniam si illud non mihi modò adauctum fuerit, ipsum militare opus non ampliùs tibi serviens exerciturus ero, sed trans Alpes, ad terram consanguineorum meorum pergam, quò quidem sinè inopia ero mansurus. Cui Dux: noli, inquit, precor rem hanc agere, sed parumper attendere, quousque universa mihi subjiciatur Apulia, sicque postmodum quod quæris tibi proculdubio adimplendum erit. At ille videns differri quod petebatur, mox more suo, ira succensus ait: Si nunc quod peto non dabitur, jam ultra à te mihi illud dari non præstòlabor, nec etiam quæ nunc à me tenetur, terram, eo quòd modica sit, amodo tenere cupiam. Cùmque hæc, & his similia affatus ei se absentasset, protinus sinè ipsius nutu, malè consultus ab hoste discessit, quod quidem Duci quantùm displicuerit, in sequentibus aperietur.

CAP. XVIII.

Monte-Alto capto Tancredus, Grimoaldus, ac Gofridus Duci subjiciuntur, quibus venia conceditur, dummodo Trojam secum armati impetant. Trojani obsidionem veriti Roberti auxilium poscunt, quo negante, Ranulphus defensionem spondet.

CApto itaque Monte-alto, Rubeam præfati Tancredi urbem invasurus properat, qua de-

devicta Alexander Comes, Tancredus, Grimoaldus Barensis Princeps, necnon Gofridus Comes Andrensis tantam ipsius potentiam experti, saniori consilio inter se habito, mox ei subjiciuntur, unde Tancredo ipsi Dux animo jam sedatus terras quascumque abstulerat, reddidit, quibus deinde præcepit, ut post ipsum ad obsidendum secum Trojam celeriter accessuri essent. Porrò Trojani percipientes præfatos Magnates Duci colla jam subdidisse, confusi sunt valde, qui etiam ne sinè tutore existerent, miserunt ad Robertum Capuanorum Principem, quatinus citò veniens dominium super se susciperet, atque à Duce, qui jam instare cernebatur, protegeret. At ille nolebat ad eos ire, verens certa pro incertis neglegere. Ad hæc Comes Ranulphus iratus respondit: ego, inquit, si tu non vadis, nullo modo agam, quin eis auxiliaturus pergam, qui cùm Trojam ingressus fuisset, cives alloquitur, mutuòque firmata fidelitate, eos se contra Rogerium protecturum firmissimè spondet.

CAP. XIX.

Ranulphus Comes Rogerium sui juris castra obsessurum intelligens Trojâ recedit, quæ à Duce constricta capitur; cæteræ Apuliæ urbes victori Rogerio subjiciuntur.

VErùm Dux appropinquans vênit super Salpim, moxque eam obtinuit, qui audiens Ranulphum Comitem contra se Trojanos velle tueri, indignatur valde, dicens: Si Comes Ranulphus terram meam abstulit, ego vadam, relictâ interim Trojâ, suam ei ablaturus. Cùmque prætergrediens Trojam, ad castrum, quod dicitur Grentium pervenisset, Comes Ranulphus putans eum ad terram suam invadendam, sicut dixérat, velle ire, verensque eam amittere, præmisit legatos suos post eum, per quos citò concordia ipsius secum habenda flagitetur. Cùmque Dux cum eodem, si Trojam de se tenêre vellet, se concordaturum promisisset, confestim ille, Trojanis dimissis, ad castra ipsius, qui in prædicto adhuc loco morabatur, concitus ivit. Deinde seorsum habito vicissim colloquio, pactoque alterutrum concordiæ constituto, Comes ad propria regreditur. Dux autem Trojam obsessurus rediit, ad quam videlicet obsidionem supradicti Proceres, ut eis imperatum fuerat, accelerarunt. Quid longiùs moror? Urbs quippe obsessa in tantum constringitur, ut infra paucos dies vellent nollent Duci subderentur. Trojâ itaque captâ, cæteræ urbes Ducales tumore mentis magis depositio, humiliùs eidem subjiciuntur, atque ita omnis ei Apulia sinè ulla contradictione submittitur.

CAP. XX.

Dux Lacupesulum vadit, Robertum de Grantimania, qui à militia recesserat, arguit, & ad propria redire permittit.

POst hæc autem Rogerius agens exercitum vadit ad oppidum, quod vulgò nominatur Lacupesulum, in quo videlicet loco Robertum de Grantimania reperiens, coram omnibus super eo querimoniam egit, quòd sinè ipsius nutu cùm Montem-altum obsideret, ab exercitu abscessisset, profitens id ad damnum sui, ab eo actum fuisse. At ille, absit inquit hoc à me, sed ut trans montes ad terram parentum meorum pergerem, recessi. At Dux: si ergo, inquit, ad Transalpinas terras festinare desideras, terras quas modò possides, quasque etiam te ultra non velle tenêre confessus es, nunc coram omnibus renunties, cui ille respondit: accipe eas citò, eo dumtaxat tenore, ut mihi securiter liceat abire. Quid plura? Dux statim terris ipsius receptis, continuò ei abeundi licentiam dedit.

CAP. XXI.

Dux Melphiam properans cunctos Apuliæ Optimates convocat, justitiam iis, ac pacem indicturus, quibus in fidelitate dimissis Siciliam remeat.

HIs quoque peractis Dux Melfiam properans, cunctos Apuliæ Optimates ad se convenire jussit, quibus etiam inter cætera edictum dedit, ut in pace permanentes alterutrum non adversarentur. Simulque eos jurare compulit: ut ab ipsa hora, & in antea justitiam, & pacem tenerent, & adjuvarent tenêre, nec manu tenerent homines, qui latrocinium, aut rapinam facerent in terris suis, nec esse consentirent. Et si aliquis ibi hujusmodi malefactor reperiretur, sinè fraude, curiæ suæ, in loco à se constituto, ut justitia ex eo fieret, præsentarent, & quòd Ecclesiasticis personis, & rebus earum, videlicet Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Monachis, omnibusque Clericis, laboratoribus, villanis, & cuncto populo terræ suæ dominationis cum rebus eorum, nec non peregrinis, viatoribus, mercatoribus pacem tenerent, & observarent, nec eos inquietarent, nec inquietare ad suum posse permitterent. Unde non mirum si terras sibi omnes Deo cooperante subjicere poterat, quoniam quidem in omni dominationis loco hujusmodi justitiæ assiduo rigore promulgato, pax continua, in qua secundùm Psalmistam factus est locus ejus, perseverare videbatur. Quomodo enim pacis bonum deesse poterat, ubi nullus quidem malefactor, terrore ipsius coërcitus prodire auderet? Cùm ergo ibi Dux aliquandiu moratus hæc, & his similia ad commune proficuum disposuisset, Baronibus ad sua redeuntibus, Tarentum ipse regreditur, qui verens, ne Robertus supradictus recedens aliquando quidquam ei adversi moliri satageret, jurare eum ante discessum compulit, quatinus ultra montes abiens, ibi in perpetuum degeret, neque jam amplius Apuliam ad inhabitandum requireret. Quod cùm ille juramento firmasset, hoc modo liber abscessit. Dux post hæc ad Siciliam remeat.

CAP. XXII.

Castrum-Villæ à Roberto defensum, obsidione urgente, Rogerio restituitur, deinde Salernitani Turris majoris munitionem Duci concedunt.

IBi cùm ad tempus usque opportunum moratus fuisset, audiens præfatum Robertum violato Sacramento reversum, atque oppidum Orgeolum, nec non Castrumvillæ contra se pugnaturum recepisse, iratus fretum Pharense,

Digitized by Google

se, Siculorum exercitum agens transmeavit. Deinde Calabrorum, Apulorumque etiam bellicis adscitis agminibus, cum immensa animi indignatione super illum ivit, quem quidem omnimodis ita obsidione sævissima constrinxit, ut intra paucos dies sese ei vellet nollet, subjiciens, oppida etiam ipsa cogeretur dimittere. Deinde Salernum adiens, eam acerrima circumcinxit obsidione, quatinus ei à civibus munitio turris majoris, quam eis custodiendam, petentibus ipsis, non corde annuerat, redderetur. Non enim se urbis illius dominari arbitrabatur, quamdiu arx illa non ei subesse cerneretur. At illi videntes se nullatenus posse obsistere, sinè dilatione concesserunt quod ab ipso flagitabatur.

CAP. XXIII.

Rogerius Orianensis Comes Ducis animum contra se exacerbatum lenisurus, Padulum ei, necnon Montemfusculum dimittit.

QUibus ita finitis, non diu post cum ipso exercitu movens, se in terram Rogerii Orianensis Comitis tendit, secus oppidum, quod nominatur Apitium, castrametatus: ibique tamdiu ex industria moratur, quousque terra ejusdem Comitis pene omnis à suis circumquaque frumentatoribus depopularetur. In magna namque Dux simultate prædictum Comitem tunc habebat, quem quidem eum erga se non recta fide jam incessisse relatione didicerat. Qua de re coram omnibus post impetiturus, cùm se à noxa per judicium excusari non posse cerneret, Padulum ei propter hoc, atque Montemfuscum, duo scilicet ingentia castra consulitur ultro dimittere. Quod cùm factum fuisset, mox ab animo Ducis sic excluſa simultas cessavit.

CAP. XXIV.

Troja iterum obsessa Duci se dedit. Robertus Capuanorum Princeps Rogerio subditur, cujus suscepto famulatu Dux Siciliam remeat.

UNde progrediens Trojam iterum obsidione circumsedit durissima, cujus cives, sicut & Salernitani egerant, & ipsi nihilominus egere. Nam castrum, quod ab eisdem, Guilielmo Duce ab hac decedente luce, destructum fuerat, reædificari etiam volentes concedunt. Dux ergo tot, tantisque successibus potitus, Troja lætus continuò recessit, Melfiam peritурus. Ubi etiam munitionem, quæ à civibus, jubente eodem Duce, subversa fuerat, restitui compellit. Tunc temporis & Robertus Capuanorum Princeps solo nominis sui terrore constrictus suo subditur dominio. Nec multò post Salernum rediens ad Siciliam inde remeavit. Nunc itaque in hoc loco primus de Ducatu claudatur libellus, quatinus ad ea, quæ jam Rex constitutus gessit, commemoranda stylus vertatur.

Explicit Liber Primus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Suasione Procerum suorum Regiæ dignitatis desiderio Rogerius accenditur.

CUm Dux Rogerius per omnia lætis potitus successibus, totas Boamundi terras, omnemque Ducatum in integrum potentissimè obtinere videretur, necnon Capuanorum Princeps, Magisterque militum Neapolitanus, omnisque terrâ, quæ erat usque pœne fines Anconitanæ urbis, bellorum cunctis contrarietatibus sopitis sibi subderentur, sæpissimè sibi, ac familiari quorundam, maximèque Henrici Comitis avunculi sui, à quo plus aliis diligebatur, cœpit suggeri collocutione, videlicet, ut ipse, qui tot provinciis Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, cæterisque regionibus, quæ pœne Romam usque habentur, Domino cooperante, dominabatur, nequaquam uti Ducalis, sed Regii illustrari culminis honore deberet. Qui etiam addebant, quòd Regni ipsius principium, & caput Panormus Siciliæ metropolis fieri deceret, quæ olim sub priscis temporibus, super hanc ipsam provinciam Reges nonnullos habuisse traditur, quæ postea, pluribus evolutis annis, occulto Dei disponente judicio nunc usque sinè Regibus mansit.

CAP. II.

Convocatis Regni Baronibus examinandum Dux proponit suscipiendi Regii honoris consilium, quod ab omnibus approbâtur.

HOrum itaque amica, atque laudanda suggestio, cùm infra semetipsum multifariè tractando versaretur, velletque exinde certum, ratumque habere consilium, Salernum regreditur, extra quam non longè convocatis ad se aliquibus Ecclesiasticis peritissimis, atque competentioribus personis, necnon quibusdam Principibus, Comitibus, Baronibus, simulque aliis, qui sibi sunt visi, probatioribus viris patefecit eis examinandum secretum, & inopinatum negotium, ac illi rem ipsam sollicitè perscrutantes unanimiter tandem uno ore laudant, concedunt, decernunt, immo magnopere precibus insistunt, ut Rogerius Dux in Regiam dignitatem apud Panormum Siciliæ metropolim promoveri debeat, qui non tantùm Siciliæ paterna hæreditate, verumetiam Calabriæ, Apuliæ, cæterarumque terrarum, quæ non solùm ab eo bellica obtinentur virtute, sed & propinquitate generis antecedentium Ducum jure sibi succedere debent. Nam si regni solium in eadem quondam civitate, ad regendum tantùm Siciliam certum est exstitisse, & nunc ad ipsum per longum tempus defecisse videtur, valde dignum, & justum est, ut in capite Rogerii diademate posito, regnum ipsum non solùm ibi modò restituatur, sed in cæteras etiam regiones, quibus jam dominari cernitur, dilatari debeat.

CAP. III.

In Urbe Panormitana decernitur elevatio Ducis in Regem.

ISorum itaque Dux consiliis, atque veridicis assertionibus roboratus, Siciliam repetit, mandans suarum provinciis ubique terrarum, quatinus omnes cujuscumque dignitatis, vel potestatis, seu honoris essent in die susceptionis ejus coronæ, quem Dominici Natalis primò advenientis sollemnitas susceptura erat, Panormi omnes convenientes adessent. Cùm ergo ad diem constitutum universi illi, simulque & de populis pusilli, & magni absque numero confluxissent, hujuscemodi iterum causâ sollemniter, diligenterque investigatâ, atque tractatâ ab omnibus eodem modo, quo & supra, ad gloriam Dei, ejusdemque Ecclesiæ augmentum Regia in urbe Panormitana, fieri omnino decernitur promotio, cui etiam adeò tanta concessa est virtutis potentia, ut ad exercendam malorum vindictam, & ad conservationem justitiæ ipsum genus suum ampliori terrarum adquisitione jam superexcedere videatur.

CAP. IV.

Dux in Ecclesia Archiepiscopali Rex inungitur.

CUm ergo Dux ad Ecclesiam Archiepiscopalem more regio ductus, ibique unctione sacra linitus regiam sumpsisset dignitatem, non potest literis exprimi, immo mente æstimari, quæ, & qualis, quantave ejus tunc esset gloria, quammagnus in regni decore, quàmque etiam in divitiarum affluentiis admirabilis. Nempe aspicientibus tunc universis ita videbatur, acsi omnes hujus mundi opes, honoresque adessent Inæstimabiliter quidem tota coronabatur civitas, in qua non nisi gaudium, & lux erat.

CAP. V.

Palatii apparatus, ac equorum comitantium ornamenta.

PAlatium quoque regium undique interiùs circa parietem palliatum glorificè totum rutilabat. Solarium verò ejus multicoloriis stratum tapetis terentium pedibus largifluam præstabat suavitatem. Euntem verò Regem ad Ecclesiam sacrandum, universis eum dignitatibus comitantibus, immensus etiam equorum numerus ex parte altera ordinatè procedens sellis, freniſque aureis, vel argenteis decoratus secum comitabantur.

CAP. VI.

Convivia Regis, cæteris Principibus admirationem incutiunt.

AD regiam discumbentibus mensam ciborum, potuumque multimodus, atque affluentissimus apparatus habebatur, ubi quidem non nisi in pateris, seu catinis aureis vel ar-

Digitized by Google

argenteis miniſtratum fuit. Servitor ibi nullus, niſi quem ſerica tegeret veſtis, adeò ut ipſi etiam parobſidum reportitores ſericis operirentur indumentis. Quid plura? gloria, & divitiæ in domo Regis tot, & tales, tantæque tunc viſæ ſunt, ut omnibus, & miraculum ingens, & ſtupor vehementiſſimus fieret, in tantùm, ut timor etiam non modicus univerſis, qui de longè venerant, incuteretur. Etenim multò plura in eo conſpiciebantur, quàm rumor non fuit, quem audierant.

CAP. VII.

Rex Amalfitanos urget munitiones ſibi cuſtodiendas dare, quod cives negant.

CUmque peractis Regiæ coronationis celebritatibus, ad propria ſinguli rediſſent, cœpit Rex ſollicitus intra mentis ſuæ volvere arcanum, qualiter deinde regnum ſuum, quod multùm deſiderabat, perpetua ſolidaretur pace, nulluſque adversùm ſe reſiſtendi facultatem poſſet habere. Unde ab Amalfitanis vehementiùs, inſtanterque cœpit exigere, quatinus cunctas ſuas dimittentes munitiones ſibi eas cuſtodiendas traderent, alioquin nullo modo, nulloque pacto ulteriùs pateretur, ut ipſi eas ſibi ſervandas tenerent, qui cùm omnes uno id ei animo conſentiendum contradixiſſent, atque in hoc ipſo obſtinatiſſimo perſiſterent corde, Rex indignatus illos à fidei ſuæ conſortio diſſociavit.

CAP. VIII.

Amalfiam obſeſſurus Rogerius Ammiratum Joannem accerſit, Georgius Ammiratus claſſe mare circuens Amalfitanis auxilia deferri vetat.

ARceſſens itaque Ammiratum nomine Joannem, virum ſcilicet in rebus bellicis prudentiſſimum, atque ſtrenuiſſimum, præcepit, ut quantocyus pergens, cunctos juſſu ejus ſollicitaret, quatinus ad obſidendum Amalfiam accelerarent rebellem, qui fretum pertranſiens Phari, dum univerſos Calabrorum, Apulorumque bellatores ſummovere intenderet, interim Georgius maximus Ammiratus, vir quidem Regi fidiſſimus, atque in negotiis ſæcularibus exercitatiſſimus mare juſſu ejuſdem Regis ſollicitus Amalfiam circumgyrando obſervare ſtudet, ſi fortè Amalfitanorum aliquos pelagus peragrantes capere poſſet, & ne fortè quilibet alii undecumque per æquora accedentes, eis opitulari ſuccurrerent.

CAP. IX.

Georgius ſupradictus Guallum oppidum, deinde aliud, cui nomen Capris, mox Triventum obſidet.

QUi dum ſic marinas excubaret ſemitas, contigit, ut oppidulum Amalfitanorum quoddam, quod Guallum nominatur, videlicet infra mare poſitum violenti caperet manu. Deinde oppidum aliud, quod Capris dicitur, ſimiliter infra mare ſitum, navigiis ejus circumdatum ſinè dilatione ſtrage facta multorum aggreditur. In quibus quidem regiis diſpoſitis excubiis, mox Triventum Amalfiæ oppidum obſeſſurus vadit, quod jam præfatus Joannes, regio, quem acciverat, obſidente exercitu, immaniter conſtringebat.

CAP. X.

Joannes Sclavus contra Regios caſtrum tuetur, quibus majori conatu inſiſtentibus Triventum dedit. Plurima Regis adventu oppida occupantur.

COntra quos Joannes cognomento Sclavus, qui caſtro eidem præerat, omni ſtudio, omnibuſque viribus eis contraſtare ſatagebat. Verùm bellatores regii videntes caſtrum fortiſſimum, conſtructo molimine, tormentis illud vexare inſiſtunt. Noviſſimè verò cum longiſſima pertica, in cujus ſummo uncinus ferreus erat, antemurale, quod vulgò Barbacanus dicitur, toto divellunt conamine. Dumque ſic exteri ad illud divellendum inſtantiùs ferveſcerent, prænominatus Joannes viſo hoc, timore concutitur. Cernenſque ſe demum nullum evadendi veſtigium poſſe reperire, ſe ſe regi, caſtrumque ſubmittit. Capto itaque Trivento, aliud Amalfitanorum oppidum nomine Rabellum regiæ phalanges obſeſſuræ pergunt. Cùmque præparato molimine ligneo inſtanter ab eis ipſum coërceretur, Rex interim non longè poſt æquoris undis advectus advênit, à quo etiam non ſolùm caſtrum illud, ſed & alia quædam Amalfitanorum oppida ſingula ſingulis exercitibus obſeſſa, terribiliter anguſtari non deſinunt.

CAP. XI.

Quamplures Amalfitanorum munitiones Regi cedunt, qui tota poſtmodum potitur Provincia.

FActum eſt autem dum turris Rabelli, in quo præ cæteris oppidis maxima Amalfitanorum ſpes inerat, petrarum ictibus crebriùs quateretur, pars non modica ex ea obruitur, quo viſo Rabelliſii, ipſique Amalfitani continuò corde ſoluti, viribuſque præ timore deſtituti, de pace cum Rege habenda mox conſulunt. Quid plura? Rex Rogerius pro velle ſuo datis, acceptiſque dextris recepit Rabellum, Scalam, Gerulam, Pugerulam, cæteraque Amalfitanorum oppida: ſicque ſibi pro velle ſuo ſubjectâ Amalfiâ Salernum victor revertitur.

CAP. XII.

Sergius Magiſter militum Rogerio ſponte ſubjicitur.

DUmque ibi moraretur, Magiſter militum civitatis Neapolis Sergius nomine, cernens in Rogerio tantam virtutis exercuiſſe potentiam, non quidem belli rigore, ſed ſolùm ipſius timore conterritus ivit ad illum, ejuſque ſubjicitur dominatui, quæ videlicet civitas, mirabile dictu! poſt Romanum Imperium vix umquam à quoquam ferro ſubdita fuit, nunc verò Rogerio, ſolo verbo præmiſſo, ſubmittitur.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Ricardus Ranulphi frater Rogerii Legatum naribus, atque oculis deturpat.

DEinde Rex quia grave, dutumque sibi erat, quòd Ricardus Ranulphi Comitis frater tanta involvebatur superbia, ut Avellinum urbem, necnon castrum Merculianum se se ita possidere assereret, ut nec ipsum, nec quemlibet alium dominum ex eis habiturus, nec cuiquam unquam serviturus foret, legatione abinde præmissa, proprio ea subdidit dominatui. Quippe jam erat tantum virtutis ipsius nomen, ut ferè cuicumque castro, vel civitati solum jussionis verbum dirigeret, sinè aliqua dilatione ei subderentur. Cùm ergo hoc ipsum Ricardo relatione compertum fuisset, continuò nimio furore succensus, atque bello demens effectus, eundem ipsum, qui verbum retulerat, mox dejectum in terram, naribus ejus succisis, oculorum lumine privari jussit.

CAP. XIV.

Comitissa Mathildis Rogerii soror, marito insscio, apud fratrem se recipit, Dotalia sibi restituenda exposcens.

VErùm Comitissa Mathildis, cujus jam longè superiùs mentio habita est, audiens Rogerium Regem fratrem suum Salernum adveniſse de Allifis, absente, & ignorante viro suo Ranulpho Comite ad eum profecta est, profitens se nulla ratione, nullove pacto ad ejus torum ulteriùs redituram, nisi ei dotalia cuncta restituerentur, videlicet tota vallis Caudina cum ejus omnibus infra manentibus oppidis. Cujus quidem justam adventus causam cùm Rex cognovisset, cupiens illi patrocinium impendere, eam apud se pro suo velle manere permisit. Videbatur enim injustum omnino non esse quod ipsa poscebat. Neque enim eam aliter suam posse obtinere justitiam arbitrabatur, nisi ei secum manendi ad tempus daretur facultas.

CAP. XV.

Maritus Mathildis eam cum Avellino ac Merculiano reddendam poscit, ac Rogerii responsum.

CUmque Comes Româ, quò ierat, reversus uxorem suam recessisse, necnon Avellinum, atque Merculianum sibi dempta reperisset, immenso animi mœrore concutitur, non tantùm quòd præfatas amiserat terras, quantùm quòd se à conjuge ita dimissum comperisset. Quam ob rem misit ad Montem-fuscum, quò ipse erat, deprecans obnixiùs quatinus conjux ejus sibi, simulque Avellinum, necnon Merculianum restituerentur. At ille iis, qui missi fuerant respondens dicebat: ego quidem uxorem Comitis nec teneo, nec redire cogam, quoniam eam non abstuli, ipsius ergo requiratur voluntas, & si quidem revertendi habuerit animum, ego non contradicam. Verumtamen quod quærit, videtur justum, quærere, nec esse utique sibi denegandum, quandoquidem sub horum, quæ dicit, condicione dotalium, eam, me concedente, duxit uxorem. Avellinum autem, & Merculianum ea propter non reddere debeo, quoniam Ricardus frater ejus, ipso audiente, atque omnino tacente fatebatur, ea sibi ita esse propria, ut neminem inde dominum super se cognoscere, nec cuiquam famulari deberet. Si igitur inquam sui juris, ut ipse asserit, erant, ut quid cùm inde nullum se habere dominum Ricardus ipso audiente testaretur, ea juris sui esse non ore proprio notificabat? Est & aliud, propter quod ei non sunt reddenda quæ quærit, quoniam cùm Panormi positus essem, & de ejus superbia, quòd nec mihi, nec ulli alii, ex his, quæ tenêre videbatur, subdi volebat, præsente eodem conquererer, ipse per omnia tacendo potiùs fratris fallentis verbis, quàm iis, quæ à me dicebantur, consentire videbatur. Attamen veniat ipse Salernum ad me cum proceribus, quos voluerit suis, & quidquid à me recti exigendum fuerit, libenter paratus ero eidem persoluturus, eo tamen interposito pacto, ut & ipse mihi, de quibus justè eum causatus fuero, justitiam faciat.

CAP. XVI.

Nunciis revertentibus Comes mandata Regis improbat; Rogerius verò Sororem cum ejus filio in Siciliam mittit.

REdeuntes itaque nuntii Comitis, quæque perceperant retulerunt. At ille more suo, malè consultus ad eum, sicut mandaverat, ire neglexit, magis eligens mittere ad eum, per quos sibi, quæ videbantur ablata deposceret reddi. Verùm Rex graviter indignatus, quòd se ita contempto noluerit venire, Mathildim sororem suam post cum filio suo Roberto, quem tunc secum habebat, ad Siciliam navigio transvectam secum perduxit.

CAP. XVII.

Comes Regis iram expavescens bellum parat.

COmes ergo conjugem, filiumque suum tam longè abscessisse audiens, majoris doloris stimulo perurgueri cœpit; certus existens, quòd cor Regis verè jam totum contra se versum esset, quòdque etiam æstivo tempore redeunte, super se absque dubio manu belligera irruiturus foret. Quam ob causam munitiones interim suas omnes magis præmunire studuit, regiæque pugnæ, si fortè se adversùs consurgeret, obviare prorsus accingitur.

CAP. XVIII.

Rex in Siciliam reversus Goffridum Comitem ad reddendam justitiam vocat, qui reum se sentiens terrarum suarum partem Rogerio dimittit.

IGitur Rogerius Rex postquam ad Siculorum reversus est regionem, ibi tamdiu moratur, quousque tempus, quo proceditur in hostem, opportunum redisset, qui transito freto, quod Pharum dicitur, cum vigenti bellatrice manu Tarentum peryênit, ubi cùm Comes Andrensis Gofridus, in ejus, ex more, curiam adventum fecisset, Rex de quibusdam eum facinoribus impetens, justitiam ex eis fieri magnopere exigebat. At ille perpendens se per judicium excusare non posse clarescentibus

Digitized by Google

tibus culpis, magnam per hoc terrarum suarum partem ei quietam dimittere censetur.

CAP. XIX.

Rex Barim obsidet. Ranulphus Grimoaldo subvenire satagit, sed Principis hortatu, ab incepto desistit.

POst hæc Rex, eo quòd Grimoaldus Barensium Princeps, contempta ejus fidelitate inimicis suis consenserat, super Barim veniens terra, marique obsedit. Cæterùm Comes Ranulphus, ut cognovit Regem Barim obsidione circumsedisse, zelo ipsius ductus collecta equitum multitudine, præfato cupit Grimoaldo subvenire, quem mox Princeps dominus suus accersiens vix ei persuasit, ut à militia ipsa quiescens, terram Regis hac vice, pro quavis cumque causa non præliaturus introiret: nisi priùs per legatos conveniret eum, si fortè sibi directa restituerentur. Cùm ergo ad Regem pro hoc ipso mitteretur, Comes equites, quos sibi coadunaverat, adpropriare, sibique interim quiescere jussit.

CAP. XX.

Rogerius Barim obsidendo, post tres hebdomadas capit.

IGitur Grimoaldus omni studio, omnique belli conamine civitatem contra Regem obsidentem protegere satagebat, sed frustra: nam in tanta agilitate urbs ipsa, ejus obtinente justitia, capitur, ut non plusquam tres ferè in eadem obsidione hebdomades complerentur; quam scilicet Robertus Guiscardus robustissimus Dux per tres continuos annos obsidens, vix aggredi valuit. Captus itaque Grimoaldus vinculis mancipandus in Siciliam dirigitur.

CAP. XXI.

Tancredus solutâ sibi pecuniâ Terras suas Regi renuntiat Hierosolymam profecturus.

TAncredus ergo de Conversano, unus ex magnis Apuliæ Magnatibus, cùm Grimoaldum jam victum teneri, magnamque Gofridum terrarum partem suarum, ut jam factum est, amisisse comperisset, cœpit eo magis sibi timere, quo contra Regem eisdem ipsis se malè confœderatum fuisse sentiebat. Qui antequam in curia super hoc imperitus judicaretur, consulitur, ut potiùs transmarinum petendi iter, occasionem prætendens, Brundusium, cæterasque urbes, atque oppida, quorum tunc ipse dominabatur, Regi sponte distraheret, sicque ejus cavens judicium, ab eo hoc modo liberaretur. Quid amplius? Tancredus vigenti stipatorum numero à Rege accepto, terris suis omnibus renuntiavit, Hierosolymam, ad terminum statutum properaturus.

CAP. XXII.

Legati Principis, ut Rex Ranulpho parcat implorant, quibus alios à se dirigendos ad Principem Rogerius pollicetur.

CUm ergo supradicti legati Principis ad Regem, jam Bari aggressa pervenissent, preces, quas per eos Princeps mandaverat, intulere, videlicet ut Ranulpho Comiti Baroni suo Avellinum, & Merculianum, insuper & uxorem, filiumque suum restitueret: alioquin servitium suum ei indubitanter esset prohibiturus. Qui audito hoc indignans ait eis: Miror valde quòd Princeps de his, quæ sibi non attinent, me sollicitare audeat. Ideò namque talia mittit, ut occasione inventa mihi servire non debeat. Revertimini ergo ad eum primitus prænuntiantes ei, legatos à me sinè mora sibi esse dirigendos, per quos verba mea verbis suis responsura deferenda erunt. Hoc tamen solum vobis referentibus illum pro certo volumus scire, quoniam si pro hoc, vel quolibet alio servitium meum abstulerit, perjurii crimine incunctanter denotandus erit.

CAP. XXIII.

Legati Regis Principem adeunt, & illius responsa.

NEc mora, illis redeuntibus Rex ad præfatum misit Principem, quatinus ipse militari collecto agmine Romam, in hostem, in adjutorium Romanæ Ecclesiæ pergeret, quibus ipse hujusmodi responsum dedit. Ego nullo modo jussis regiis obtemperaturus ero; nisi homini meo Ranulpho Comiti sua reddantur. Quo audito nuntii celeri ad Regem reversi sunt reditu, nuntiaturi omnia quæque præceperat.

CAP. XXIV.

Princeps & Ranulphus iratum Regem veriti se in Caudina valle cum exercitu disponunt. Rex contra illos arma movet.

INterea Princeps, Comesque Ranulphus verentes ne fortè displicitis sibi verbis, quæ ei remissa fuerant, super se armis irruiturus esset, immenso equestri coadunato agmine vallem anticipant Caudinam, ibique interim morari decernunt, quatenus Rex, si fortè contra se insurrecturus esset, eos ad prælium imparatos non inveniret. Rex ergo responsis Principis perceptis, non æquo animo ea suscepit, qui etiam comperiens, quòd & ipse Comes collecto pedestri, militarique non modico cuneo, contra se ad bellum præpararetur, indignatur valde, movensque exercitum, ad quoddam oppidum, quod dicitur Crepacorum, vênit, ibique castra figi præcepit. At Princeps, Comesque Ranulphus cognoscentes illum tam propinquum adesse, animadvertebant, quòd verè contra se properaturus esset, unde toto animo, totisque viribus se defensuri præparantur.

CAP. XXV.

Iterata Regis ad Principem Legatio, ut Romam per terras suas adire permittat, quod non obtinet.

VErùm Rex iterum castra movens, ea subtus oppidum Montis-calvi fixit, indeque ad Principem, qui jam relicta memorata valle, in loco, qui Cressanta dicitur, cum Comite morabatur, direxit; quatinus per terram suam Romam in hostem sibi ire permitteretur, simulque & ipse secum veniret. At ille tale fertur dedisse responsum; Neque per terram meam Romam ire patiar, ne-

neque cum eo simul veniam, nisi Baroni meo, quæ sua sunt, reddantur. Revertentes itaque nuntii Regii quæque viderant, & audierant, referunt. Rex quoque audito hoc, grave accepit, motisque castris subtus Padulum oppidum, per devexum montis metatur. Tunc ad eundem Principem iterum misit, ut consentiret ei priùs transire per terram suam, ut Romam in hostem pergeret. Sicque post quindecim dies, postquam reditum fecisset, sibi quid faciendum esset, apud pontem S. Valentini exhiberet. Cæterùm ille animo mox indignatus, atque vilipendens, quod sibi fecerat fidelitatis jusjurandum remisit ei, quia nisi ante Comiti Ranulpho Avellinum, & Merculianum, adhuc autem & uxorem suam, & filium reddiderit, nulla ratione, nullove pacto ei adhæream, nec etiam jussis obauditurus ero, neque Romam, quò ire cupit, per terram meam abire patiar.

CAP. XXVI.

Landulpho Archiepiscopo curante Cives fidelitatem Regi jurare, turbæ in urbe Beneventana maximæ oboriuntur.

REx ergo Rogerius Principis animum ita obstinatissimum contra se haberi considerans, misit Beneventano Rectori nomine Crescentio, atque Archiepiscopo, qui Landulphus dicebatur, quatinus omnem Civitatis populum, salva tamen fidelitate Apostolici, fidum sibi juramento statuerent, qui cum nonnullis Regis fautoribus eos ad jusjurandum compellere cœpissent, oritur propter hoc in urbe ingens seditio, ita ut pœne contra eos universa plebs concitaretur, nolentes sacramentum fidelitatis Regi persolvere. Pontifex verò, & Rector seditionem populi metuentes, fugâ coacti sunt urbem deserere.

CAP. XXVII.

Legatio Beneventanorum ad Principem, ut eos adjuvet. Rex Principem ipsum sibi inimicum redarguit.

TUnc cives ad Principem, Comitemque, qui in prænominato adhuc loco cum expeditione bellica commanebant, legationem fecerunt, quatinus invicem fidissimi jurejurando facto Regi unanimiter adversarentur. Verùm Rex percipiens Beneventanos omnino nolle sibi cohærere, Principisque animum, ut jam dictum est, in se obstinatissimum stare, misit ad eundem Principem, arguens eum valde, quòd adversùs se dominum suum, nil se lædentem arma movisset. Sed & ad Ranulphum Comitem, quem contra se Principem ipsum irritasse compererat, diffidando mandavit.

CAP. XXVIII.

Princeps, & Comes Beneventum tendunt, urbem ingrediuntur, Civium animos contra Regem accendunt.

POrrò Princeps, Comesque Regis minas contemnentes consilium habuere, quatinus exercitum illinc moventes, Beneventanæ urbi appropinquarent, ut viciniùs positi, quod à civibus promissum fuerat, faciliùs consequerentur. Itaque ab eo illo digressi venerunt, castrametaturi secus castellum Poconis, non longè à flumine, quod dicitur Calorius; ita ut uterque exercitus civitate interposita, alterutrum sese conspicarentur. Deinde Princeps, Comesque Beneventum ingressi, civesque allocuti, quædam inter se posita servari pacta, itaque se ipsos fieri adinvicem fideles adversùs Regem jurejurando statuunt.

CAP. XXIX.

Rogerius Nuceriam obsidet. Nucerinis ad opem ferendam Princeps & Comes Benevento cum exercitu recedunt; Rex bellum contra advenientes hostes, dimissa obsidione, instruit.

CÆterùm Rex cùm eos alterutrum confœderatos, Principemque ipsum servitium penitùs jam denegasse comperisset, ira permotus jussit, signo dato castra moveri, petensque Nuceriam, ingentissimum videlicet ejusdem Principis oppidum, obsidione circumdedit. Porrò Princeps, Comesque ignorantes quò Rex secessserat, consuluntur tamdiu ibi stare, donec quò ipse abscessserat, cognosceretur, & ecce altero die subitò percipiunt Regem castrum circumsedere, atque ad ipsum crebris assultibus jam infestare, qui mox moto exercitu abscedunt, succursum obsessis celeriter daturi. Cùm ergo ad fluvium Sarni, ubi Scaphatum dicitur, perveniissent, putantes se citò transituros, quoniam aliunde transeundi non erat possibile, invenerunt pontem ipsum ligneum à Regis exploratoribus jam pridie destructum, cujus etiam ligna in undis projecta natando fuerant delapsa, qui quoque dolentes quòd transvadare nequirent, coacti sunt tamdiu ibi commorari, quousque eodem ponte aliis lignis restituto, facultas eis transmeandi daretur. Ponte itaque reparato, cùm Rex hostes se ad transeundum jam præparare comperisset, castrum obsidere desistens jussit suos omnes armari, quatinus celeriter occurrentes cum eisdem prælium inirent.

CAP. XXX.

Commissâ Pugnâ Rogerius primò victor, cæsis hostibus, evadit.

VErùm Princeps, & Comes audito, quòd Rex ad irruendum jam super se accinctus fuisset, cœperunt tantò celeriùs cum suis fluvium transire, quantò intuebantur sibi hostium prælium imminere. Cùm ergo & ipsi transeuntes armis primitus induti fuissent, dispositis in suis locis more bellico singulis cuneis, ad bellum præparantur. Cùmque jam hinc inde morosò gressu appropinquatum fuisset, anterior Regis acies mox primò cuspidibus dimissis, equisque calcaribus punctis, contra anteriorem adversæ partis aciem concurrendo, acriter infurgunt, quorum rigido concursu prædicta cohors exterrita terga continuò vertunt. Quod videntes retroposîti custodes, & ipsi quidem perterriti per medium hinc inde divertentes, spatium fugientibus præbent. Quo viso pedites, qui in ordine suo retro pro munitione statuti fuerant, & ipsi eodem timore concussi nihilominus divertuntur. Cùm ergo qui primò terga verterant, à Regiis militibus insequerentur, pars illorum, dum evasioni successus fugitando petitur, in aquas

Digitized by Google

aquas ipſas fluviales ruentes, undis morituri intercipiuntur, pars verò per campum longum, amnem devitantes diffugiunt, plerique autem lanceis ipſorum impulſi ab equorum ſellis in terram dejiciuntur. Peditum autem ſupradictorum, qui territi fuerant, pars maxima, dum præ timore ereptionis quæritur locus, cum multis aliis ſuper ripam fluminis conſiſtentibus, in fluvium ipſum ſuffocandi corruunt.

CAP. XXXI.

Comitis ac Principis virtute Regis acies in fugam vertuntur.

COmes ergo Ranulphus, ut erat acerrimus, qui in dextro habebatur cornu, ubi vidit ſuos ita repulſos, haſtam manu tenens in Regiam aciem anteſtantem primus proſilit, quod videntes ſui, qui de dextri, ſiniſtrique lateris erant cuſtodia, ejus mox animo provocati, cum eodem ipſo pariter adverſarios obſiſtendo premunt, cùmque cuſpidibus alterutrum impulſi haſtas rupiſſent, enſes capiunt, hinc inde feriuntur. Dum ergo Comes fortiter pulſando haſtam confregiſſet, mox & ipſe manum mittens ad pugionem, in capite cujuſdam obſtantis ſibi equitis ita terribilem ſuper galeam ictum dedit, ut miles ipſe ferrea obtunſione labefactus ſtatim dorſum cædenti præbuerit. Quem cùm cæteri, qui hinc, illincque aſtantes erant, vertentem vidiſſent, continuò unus poſt alium verſi illum ſequuntur, deinde alii, qui in dextro, ſiniſtroque latere poſiti erant cuſtodes, cùm ſuos terga dare cernerent, mox exterriti, & ipſi ſtatim cum eiſdem terga verterunt.

CAP. XXXII.

Auctoris querela de ſiniſtro belli exitu, conſtantiæ verò Regis laudes.

PErpendat itaque in hoc loco apud ſe prudens lector, quonam Dei judicio actum ſit, ut Rex Rogerius, qui ante in omnibus victor exſtiterat, nunc ſibi victoria attributa non fuerit. Verùm quod mihi videtur, etiam ſi Regi ipſi durum videatur, ad correptionem tamen ejus, cum dilectione dicam, quia idcirco fortè in hac parte voluntatem ſuam ipſe invenire invitus non eſt permiſſus, eo quòd ſecundis ſemper ſucceſſibus potitus, ſupra modum animus ejus elatus ſit, cùm magis ipſe humiliari debuerit, hortante ſcriptura, quæ dicit: *quanto magnus es, tanto magis te humilia*. Nam ſicut poſtea relatum eſt, Rex etiam ipſe interdum proprio inde ſcripto, ore accuſans, meritò tale contigiſſe humili voce confitebatur. Qui tamen Salerni commorans ita vultu hilari, menteque conſtans cernebatur, acſi nil ſiniſtri ſibi accidiſſe videretur, ſciens pro certo malum eventum illum feliciori quandoque fortuna, Deo donante, penitùs evacuandum.

CAP. XXXIII.

Audito Regis infortunio Tancredus milites congregat. Gilentia urbe ſuſcipitur, poſtea Gofridum adit, cum quo contra Regem fœdus init.

POrrò prænominatus Tancredus, cognito quòd Rex cum Principe Roberto, Comiteque Ranulpho in plano Nuceriæ territorio conflictum habuerit, ibique non dignos ei ſucceſſus fortuna bellando proviserit, tranſmarinum iter appetiſſe, terraſque ſuas diſtraxiſſe, atque abjuraſſe ſe pœnitet. Qui etiam ut ſua omnino reſumere poſſit, in Montepiloſo, quo monitis indigenarum contra Regem ſuſceptus fuerat, milites coadunare præſumit, quibus terras Regis huc, illucque diſcurrendo immaniter infeſtaret. Erat & civitas quædam nomine Gilentia non ſolùm opere, ſed & natura præcipuè munitiſſima, cujus cives domino ſuo, nomine Polutino, eo quòd Regi ultra votum illorum ſubderetur, expulſo, Tancredum etiam ipſum, ut eis dominaretur, atque contra Regem tueretur, ſuſcipiunt. Poſt hæc verò conſiderans, quòd tempus ſe ſe ad recuperandum ſua valde opportunum ſequeretur, ad Gofridum Andrenſem Comitem, & Alexandrum perrexit. Qui ſimul in Regem committentes aperta perjuria, iniquum ſocietatis fœdus, contra eundem pugnaturi inierunt, qui etiam ad Robertum Capuanorum Principem, Comitemque Ranulphum direxit, quatinus cum Rege nullum ſinè eo pactum, nullamve concordiam agerent, quoniam & ipſe ſinè eorum aſſenſu nullum quid fœderis, vel pacis cum eodem eſſet acturus.

CAP. XXXIV.

Barenſes cives ſe parant ad bellum contra Rogerium, qui Tancredi inſidias expaveſcens, cum eis paciſcitur.

POrrò Regi inter hæc Salerni nuntiatur, quòd Barenſes cives ab eo ſe averſuros jam præpararent, eo quòd nonnullos Saracenos, quos ibi ad ædificium munitionis ſuæ delegaverat, ira commoti necaverant, quoniam cujuſdam nobilis filius ab eiſdem ipſis Saracenis fuerat interemptus. Unde & opus ipſum, quo caſtrum regium ſemotum ab urbe perficiendum erat, civibus ipſis contradicentibus jam dimiſſum fuerat. Rex autem hujuſmodi rumore ſollicitatus ſiniſtro, præmunitis oppidis ſuis, quæ circa Beneventum erant, Barim petiit, qui pro eo, quòd Tancredi, ſeu cæterorum hoſtilitas immineret, Barenſem ad præſens nolens exacerbare populum, quibuſdam eorum petitionibus, prudenti conſilio uſus, conſenſit, ſicque eos pro tempore quietos dimiſit.

CAP. XXXV.

Rex Salernum revertitur, oppida militibus munit, quibus Beneventum urgeat; poſt Siciliam petit.

POſt hæc autem Rex militibus diſpoſitis contra Tancredum, ejuſdemque conjurationis complices præliaturus, ejuſdem omnibus

bus in Apulia urbibus, oppidisque præmunitis, Salernum iterum revertitur. Qui dein in Montefusco, atque Padulo oppidis ampliorem militum custodiam delegans, jussit, ut ipsi Beneventanos cives, quòd Principi, Comitique, magis quàm sibi adhæserant, deforis huc, illucque debacchantes indesinenter arcerent, quibus etiam ut nullum quid de Apulia delatum Beneventi venundaretur, prohibuit. Post hæc autem non diu post in Siciliam revertitur, cum expeditione bellica ad suos iterum expugnandum, sibique subdendum rebelles, opportuno succedente tempore proculdubio reversurus.

CAP. XXXVI.

Comes ac Princeps Tancredum, Gofridum, atque Alexandrum in suam trahunt amicitiam, ut fortiùs Regem opprimant. Lotharium Imp. Romam venisse audientes, ad eum tendunt, ut contra Rogerium arma moveat, rogant, sed nihil obtinent.

DUm ergo moras in eadem provincia ageret, corde sedulo, quibus modis hostes sui contererentur præmeditari non desinebat. Econtra verò Robertus Capuanorum Princeps, Comesque præcipuè Ranulphus quomodo, qualiterque contra ipsum essent acturi mente cautissima exquirere non desistebant, qui quoque ad hoc usque inhiabant, ut Regii culminis illum honore privatum, funditus etiam, si possent, de terra delerent. Unde factum est, ut Comes ipse Principis consultu in Apuliam pergens cum Tancredo, Comiteque Gofrido, atque Alexandro Comite, cæterisque Magnatibus, Regis scilicet jam manifestè perjuris colloquium haberet, quatinus invicem fœdere uniti in Regem eundem pariter omnino sævirent. Dumque factam adinvicem conspirationem jurejurando firmassent, audivit Regem Teutonicum Lotharium nomine Romam advenisse. Qua de re lætus effectus ad sua festinus revertitur. Dein cum Principe inito consilio, ambo pariter summa cum festinatione eum adiere, auxilium ab eo adversùm Regem Rogerium expetituri, qui licèt ab ipso honorificè susceptì fuissent, adjutorium tamen ipsius, uti speraverant, contra Regem Rogerium nequaquam obtinere potuerunt.

CAP. XXXVII.

Rogerio contra rebelles irato animo arma movente, Alexander ad Ranulphum fugit, Robertus Pisas ad petendum auxilium vadit.

QUi dum Romæ adhuc apud Regem commorarentur, audientes Regem Rogerium cum immenso militari, pedestrique exercitu fretum Pharense jam transmeasse, petitâ à Rege, atque acceptâ, quamquam non gratâ licentiâ, quantocyus ad propria redeunt. Verùm Rex Rogerius, eo quòd supradictorum adversùm se Principum compererat cum perjurio factam conspirationem, tanta quidem contra eos rapitur indignatione, tantoque mentis erupit furore, ut non Comiti, non Magnati, non etiam cuilibet militi, qui ita perjurantes in eum colla erexerant, penitùs parceret. Alexander verò Comes dum ob perjurium perpetratum Regem valde pertimesceret, relicto quodam munitissimo oppido nomine Matera filio suo, cui nomen erat Gofridus, ad Comitem Ranulphum profugus advênit. Interea Princeps Robertus cernens se Teutonico frustratum fuisse auxilio, Pisam citissimo navigio advectus perrexit, quatinus inde bellicam manum accitam ad sui contra Regem auxilium secum adduceret.

CAP. XXXVIII.

Quamplures rebellium terras Rex occupat, oppidum Materæ expugnat, in quo Gofridum Alexandri filium capit, cujus infortunia narrantur.

CUm ergo Rex terras Gofridi Andrensis Comitis, atque præfati Alexandri suorum perjurorum passim occupasset, videlicet Aquambellam, Coretum, Barulum, Milerbinum, Gruttulam, aliasque nonnullas, tandem ad prænominatum Castrum, quo Gofridus filius prædicti Alexandri Comitis inerat, obsidendum se contulit, illudque tamdiu obsidione coërcuit, quousque Gofridum pro suo velle subjiciens sibi, ipsum etiam caperet oppidum. Quo audito Comes Alexander, qui præ timore illius aufugerat, immenso animi mœrore diutissimè consternatus est, deinde in Dalmatiam profugus iens, non solum exhæredatus, verùm etiam patria extorris cogitur manere, qui non longè post, ut ad Imperatorem pergeret secedens, cùm ad quendam nemorosum pervenisset locum, incidens in latrones, omnino cum suis omnibus deprædatus est, qui dein Avellone positus, ab iis, qui hæc ipsa ejus ab ore audita nobis nuntiaverunt, egenus valde, & pauper visus est manere.

CAP. XXXIX.

Rex ad Armentum castrum venit, ac illud obtinet.

DEvictâ itaque Materâ Rex super Armentum munitissimum oppidum, quo Robertus frater prædicti Gofridi inerat, vênit, cui Robertus regia compulsus obsidione statim se, & castrum Regi subegit. Dein cùm obsidem, qualem Rex poscebat, pro se dare renuisset, Siciliam vinculis mancipandus dirigitur.

CAP. XL.

Ausum Castrum capitur, Gofridus in exilium mittitur.

POst hæc verò Rex castra movens super quoddam arduum, & munitissimum castrum nomine Ausum, quo Gofridus Comes aderat, acceleravit, illudque tamdiu obsidione sævissima circumsedit, quousque comprehensus in Siciliam exilii retrusionis pœnâ, perjurii culpam luiturus destinatur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XLI.

Montem-piloſum Rex obſidet, Tancredus in auxilium obſeſſorum accurrit. Acies congrediuntur varia utrarumque fortuna.

HIs itaque peractis ab obſidendum Montem-piloſum feſtinat. Cæterùm Tancredus audiens ſubitò Regem ſuper ſe venturum, mox relicto quodam municipio nomine Urſo, quod ab eo tunc obſidebatur, ſub omni celeritate percurrens urbem prædictam tuiturus revertitur, ad quem jam Ranulphus Comes, ducente Rogerio de Flenco acerrimo milite, Regique inimiciſſimo, quadraginta & eo ampliùs milites in adjutorium ſui direxerat. Monte itaque piloſo Regis obſidione circumdato, Tancredus ei ad reſiſtendum totis viribus præparatur. Nam ante ejuſdem urbis Barbacanum quidam locus, qui Catuvella dicebatur, non parvo terræ aggere munitus erat, in quo pœne tota civitas ad repugnandum collecta conſiſtebat. Quem videlicet locum, dum regia cohors, illis repulſis, violenter irrupiſſet, Tancredus poſt cum ſuis eos pernimiùm opprimens, terga, relicto aggere, præbere compellit. Deinde Regii bellatores animum reſumentes, rurſus in Tancredum, ſuoſque impetum facientes, aggerem illis repulſis recuperant. Tancredus ergo, ſuique à loco illo funditus rejecti, intra Barbacanum recipiuntur.

CAP. XLII.

Regis induſtria, qua faciliùs Montem-piloſum expugnet.

CÆterùm Rex perpendens urbem munitiſſimam, manumque in ea bellatricem conſiſtere, ad ingenium vertitur, videlicet, oppidum, quod præliando adiri non poterat, artis peritiâ aggrederetur. Itaque molimine conſtructo, Rex illud paulatim ducendo, quò minùs civitas muniri conſpiciebatur, approximari jubet, quo ita pacto exteri cum civibus cominus per eam bellabant, jacula alterutrum intorquentes. Interim autem dum ita utrimque pugnaretur, Saraceni per illud inſtrumentum ligna, quibus foſſatus repleretur, inſtanter jactabant, alii autem ferreis raſtris ab aggere ſummo niſu terram trahentes, ligna ipſa ejus jactatione ſuperplanare conabantur.

CAP. XLIII.

Barbacanum uncinis ferreis Regii milites diruere ſtudent.

TAncredus ergo dum foſſatum impleri conſpiceret, mox ignem atque fomentum, quo faciliùs accenderetur, intus immittendum ad comburendum ligna accelerat. Econtra autem dum per canalem ligneum aqua derivata intus defluereret, ignis immiſſus extinguitur, quo extincto, iterum qui erant in machina cum longiſſima pertica. in cujus ſummo uncinus ingens ferreus erat, ipſum antemurale, quod & vulgò Barbacanus dicitur, divellere incipiunt. At illi, qui Barbacanum defendebant, videntes perticam Barbacanum diruentem, eam violenter tenentes ſuccidunt.

A Cùmque ſic tertiò aliæ perticæ ad divellendum extenſæ, tertiò etiam ab eis ſucciſſæ fuiſſent, poſtremò acriter iterum extendentes partem ex eo non modicam diruerunt.

CAP. XLIV.

Civibus in aliam partem ſe recipientibus, Regis exercitus dimiſſam urbem invadit, donec defenſores ſe dedant.

CUmque hoc viſo cives exterrerentur, univerſi terga dederunt, portamque ingreſſi in aliam partem urbis, quæ munitione tutior erat, ſeſe recipiunt Eveſtigio autem
B phalanx regia continuò portâ introeuntes, dum eos inſequuntur, quoſque ante ſe inveniunt, unanimiter feriendo proſternunt. Cives ergo, qui in præfata ſe parte civitatis receperant, dum viderent ſe nullum evadendi veſtigium poſſe reperire, hoſtibus negligenter reſiſtentes, ipſam eos partem urbis intrare conſentiunt.

CAP. XLV.

Civitas à Rege occupatur, rebelles capiuntur.

C CUm ergo civitas ſic ingreſſa à regiis bellatoribus huc illucque debacchantibus depopularetur, Rogerius de Plenco, qui ſupra memoratus eſt, cum aliis comprehenſus ad Regem moriturus perducitur. Cùmque Tancredus latens, Rege ſummopere jubente, quæreretur, tandem à quodam proditus, ante conſpectum ipſius præſentatur, quo Rex viſo, ſuper ipſius inventione quammaximè lætatus eſt.

CAP. XLVI.

Rogerius Regis adverſarius laqueo necatur, Tancredus captivus in Siciliam mittitur. Civitas ſubvertitur.

D POrrò infelix præfatus Rogerius, qui in Regem jamdiu amariſſimo effrenatus animo fuerat, nulla ipſius miſeratione præventus horrenda laquei ſtrictione necatus eſt. Denique Tancredus licèt ſit ei mortis indulta ſententia, vinculis tamen conſtringendus ad Siciliam tranſmittitur. Ex militibus autem pars, ne putarentur equites, vilioribus indumentis transformati, armis, equiſque relictis, per devia quæque fugitantes evaſerunt, pars verò ad Gilentiæ civitatem, quæ Tancredo adhæſerat, utcumque fuga adniſi pervenientes, ibi ſe captionem ipſius evitati recipiunt, alii quoque, qui erant comprehenſi, quidam huc, quidam verò illuc. vinculis tenendi mandantur.
E Deinde verò civitas ipſa rebus funditus exinanita, atque igne ſuccenſa, noviſſimè autem ſubvertitur. Nunc itaque in hoc prudens lector diligenter conſideret, quantum ſceleris ſit perjurii crimen committere, maximèque illud, cùm quis vitam, & membra, ſeu honorem domini juramento ſui, vel ei captionem non inferendam aſſecurat, & non cuſtoditur, ut jurat. Unde Grimoaldus, & Gofridus, Tancredus, atque Alexander Comes, nec non & alii quoque Rogerii dominatum ſuper ſe ſuſcipientes, erga eundem fidelitatis ſacramentum non ſervaverunt, me-

Digitized by Google

ritò, ulciſcente divina juſtitia, digna pro hoc malorum retributione feriuntur. Etenim ipſis ita accidit ſicut & Sedeciæ Regi demurato conſtat accidiſſe. Nam cùm ipſe quoddam pactum Nabuchodonoſor Regi juraſſet, ipſumque pactum irritum perjurio feciſſet, vênit Nabuchodonoſor Hieruſalem, qua erat Sedecias, & obſedit eam, qui videns ſe nullatenus ab eodem poſſe evadere, dum fugam evadendi egrediens civitatem expeteret, à militibus ejus exercitus mox inſecutus, cum filiis ſuis, qui ſe concomitabantur, captus eſt. Cùmque pater, & filii Regi Nabuchodonoſor præſentati fuiſſent, continuò aſpiciente patre ipſo filii ejus jubentur interfici, ſicque demum ipſe oculorum privatus lumine, compedibus conſtringendus Babylonem cum multis aliis concaptivis tranſducitur. Patet itaque miſerrima iſtorum dictante ruina, perjurium omnino eſſe cavendum, quandoquidem qui illud contemnit vitandum, contemnetur à Deo ita, ut dignam proinde, ſicut & iſtis contigit, ſinè dubio quandoque excepturus ſit pœnam. Nunc itaque ad narrationis ſeriem, in qua paullulum digreſſi ſumus, redeamus.

CAP. XLVII.

Gilentiam Rex obſidere diſponit, poſtmodum conſilium mutat.

IGitur Rex Rogerius Montepiloſo ſuccenſo, atque ſubverſo, Gilentiam obſeſſurus properat, qui deinde conſiderans ſe nec tunc eam capiendi facultatem poſſe habere, concordiam eo pacto cum eis habendam ſpopondit, ut præfatus, quem abjecerant, Polutinus in eorum reſtitueretur dominio, ipſius videlicet dominatui ſe ſubditurus.

CAP. XLVIII.

Ranulphus ſociorum diſcrimine comperto cum Beneventanis fœdus iterat, poſtea in vallem Caudinam cum exercitu ſe recipit.

VErùm Comes Ranulphus comperta Tancredi captione, ſimulque Rogerii nefanda ſuſpenſione, immenſo animi mœrore afficitur, non tantùm pro illorum triſti fortuna, quantùm etiam, quia ipſorum magno deſtitueretur auxilio. Qui quoque perpendens, quòd Rex illis devictis ſuper ſe ſinè dubio irruiturus eſſet, triſtitiâ tandem ſolatio ſopitâ, ad ſe tuendum prorſus convertitur. Pergens itaque Beneventum, ibique inter ſe, & cives unanimitate, quam jam ad invicem compacti fuerant, renovata, ſinè mora revertitur. Deinde collecto ad vallem Caudinam peditum, equitumque non parvo agmine, Regem, quem ſuper ſe venturum putabat, ad bellum expectat, cujus etiam expeditioni Sergius Magiſter militum, Hugoque Bojanenſis Comes conſentiebant.

CAP. XLIX.

Biſſiliam Rex aggreditur, Tranum occupat, in Bari turres evertit, Trojam poſtremò repetit.

IGitur Rex ſuper Biſſiliam maritimum oppidum veniens, eam ſinè dilatione aggreditur, cujus muris per gyrum ejus dirutis, movens inde caſtra ſuper Tranum metatur: quæ videlicet civitas tanto ipſius terrore percellitur, ut ſtatim ſibi ſubdita, turres etiam omnes, ipſo jubente, ſubverterentur. Exinde veniens Barim, quam civibus, ſicut ſupra expreſſum eſt, pro velle ipſorum demiſerat, cunctis turribus eorum everſis, caſtrum etiam in ea, quod jam intermiſſum fuerat, reædificari inſtituit. Deinde agens exercitum repetit Trojam, quam videlicet civitatem, eo quòd ipſa munitiſſima ſæpe rebellior ei exſtiterat, magna ex parte in plures diſpertitam caſales, communit.

CAP. L.

Ranulphus propinquo Regis adventu territus Neapolim pergit, auxilium à Magiſtro Militum petit, & obtinet.

ET Comes Ranulphus audiens tam propinquum Regis adventum, ſuſpicans illum verè ſuper ſe venturum, ad muniendum ſe acriùs accenditur, quam ob rem Neapolim ocyùs pergit, ibique Magiſtrum militum, civeſque allocutus, in adjutorium ſui cunctos ſollicitavit, deinde Averſam reverſus cunctos, qui arma ferre poſſent, in hoſtem venire hortatus eſt. Exinde ad vallem Caudinam, qua exercitum dimiſerat, rediit, Magiſtrum militum, omneſque qui deerant, præſtolans.

CAP. LI.

Richardus Regi Caſtrum Sanctæ Agathæ pro cambium tradit.

INterea dum Rex Trojæ moraretur, Ricardus Rohelis filius oppidum ſuum, quod dicitur S. Agathæ, accepto pro eodem cambio, volenti ei contradidit. Siquidem caſtrum ipſum plurimùm optabat, eo quòd in arduo poſito monte, omni pœne Apuliæ ſuperemineabat, quam ſibi per illud ex maxima parte poſſet tueri.

CAP. LII.

Rex Melfiam tendens Aſculenſis urbis ſuperbiam punit.

TRojâ itaque debilitatâ, Rex illinc recedens dum Melfiam pergeret, in ipſo itinere civitatis itidem Aſculenſis ſuperbiam depoſuit, nam illam omnino everſam plano in campo manere inſtituit, in tres videlicet diſpertitam caſales. Cùm Comes itaque inadverteret, quòd Rex tunc ſuper ſe venire non eſſet intentus, ſed apud Melfiam demoraretur, cum ſuo exercitu ad propria receſſit.

CAP. LIII.

Militibus circa Beneventum Capuamque conſtitutis Siciliam Rogerius repetit.

VEtùm Rex Melfia diſcedens Gravinam urbem petiit, ibique aliquantulum commoratus, Salernum poſt remeavit, gaudens, & exultans, quòd totâ Apuliâ funditus devictâ, ſolum ſibi Beneventum, ac Princeps Robertus, Comeſque Ranulphus, atque Neapolis ad expugnandum ſupererant. Quam ob rem Rex ipſe militibus circa Beneventum, Ca-

Digitized by Google

Capuamque constitutis diligenter præcepit, ut quousq; à Sicilia cum hostili manu reverteretur, eas ipsi deforis incessanter deprædari non desisterent. Post hæc autem, antequam hiemis importunitas subintraret, navigio transvectus Siciliam repetit.

CAP. LIV.

Salernum appetit, milites congregat, Pratum castellum incendit, alia se Regi dedunt.

CUmque illic ad tempus usque progrediendum in hostem moratus fuisset, navali rursus tramite Salernum advênit, qui innumeram undique confluentem armatorum manum ad se accitam prope Apitium oppidum congregari jussit. Cùm ergo ipse Beneventum obsessurus putaretur, repentè mota expeditione bellica, quoddam castellum nomine Pratum assiliens ignis incendio dedit, penitùsque evertit. Deinde tria alia castella ejus timore perterrita, unum post aliud sese ei dedentia comprehendit, quibus tamen, quòd se ultro dediderant, pepercit: horum siquidem castellorum Radulphus de Frameto sub Ranulphi Comitis dominio dominatus fuerat, quorum uni nomen erat Grintlia alii Simontum, alii verò Alzacunda.

CAP. LV.

Palmam, Sarnumque castra Ranulphus capit. Robertus Princeps Pisis revertitur.

INterea Ranulphus Comes in loco, ubi nominatur Cressanta, cum paucis, qui secum erant, commorabatur; cujus spiritus immenso cruciabatur mœrore, quòd parvo cum bellatorum numero constipatus illum pro velle suo adire non poterat, unde suis Principibus, Baronibusque instanter omnibus mittens, ad se eos sub nomine prælii festinare hortatur. Dumque eorum successus attonitus expectaret, ecce Rex, cùm iterum putaretur ad obsidendum Beneventum rediturus, subitò motis castris, oppidum cujusdam magnatis Principis Annonii nomine, quod dicitur Palma, sub omni celeritate aggreditur. Post hæc autem repentè ad aliud, quod nominatur Sarnum supersedendum castra coëgit, cujus quidem Optimas ejusdem Principis Henricus nomine dominabatur, quibus Comes perceptis tristitiam cordis animositate contegens, mox ad Marilianum oppidum Roberti de Medana cum suis, qui tunc secum erant, revertitur; ubi quidem Principem Robertum, qui jam Pisâ reversus Pisanorum auxilium expectabat, Sergiumque Magistrum militum, omnesque magnates ejusdem Principis, & suos inhianter præstolari cœpit, quatenus cum eisdem omnibus Sarni fluvio, Regem ab ejusdem captione castri, ad bellum provocando, amoverent.

CAP. LVI.

Turris quædam secus fluvium Scaphatum à Rege suscipitur per deditionem, Pons destruitur. Princeps Pisas iterum adit.

CUm ergo magna jam pars illic coadunata, nihilominus & ipsi prorsus paucitate alios inhianter præstolarentur, ecce præmemoratum oppidum à Rege comprehensum nuntiatur. Deinde turris, quæ erat in præfato flumine, quod Scaphatum dicitur, continuò turricolis ejus solo terrore contritis eam dedentibus capitur, sicque pons ligneus, qui ibidem erat, lignis in undis projectis totus destruitur, ne per eumdem aqua ipsa à quoquam contra Regem acturo transmeari posset, per quem videlicet pontem, quia aliunde transeundi facultas non erat, Laboranus exercitus, ut jam supra expressum est, ad obsistendum Regi se transituros putaverant. Unde quoque non modico afficiebantur dolore, non tantùm pro oppidi captione, quantùm quòd præfata turre à Rege potita fluminis meatum amiserant. Porrò Princeps, ubi turrim comperit præfatam aggressam, cernensque Pisanorum auxilium, quod sibi sperabat citò adesse, diu differri, iterum puppim ingressus Pisam festinus rediit, eos ad præsidium sui, quantocyus secum minaturus, quos jam multarum millium marcarum argenti emolumentis, quas illis promiserat, sibi acciverat.

CAP. LVII.

Rex Nuceriam obsidet. Nucerini fortiter resistunt.

SArno itaque invaso è vestigio Rex Nuceriæ ingentissimum Principis oppidum obsidione circumdedit, arce quidem præfata ad coërcendum fluvialem transitum, custodibus jam præmunita, quod videlicet oppidum non solùm loci situ, munitione roboratur, verùm etiam expugnantium animo, viribusque mirificè extollebatur; cùm ergo ab exteris tentatum acerrimo fuisset assultu, econtra ab iis, qui intus erant, opitulante etiam loci ipsius ardua positione, summis nisibus defensabatur.

CAP. LVIII.

Ranulphus super galeas fluvii transitum quærit, sed infelici exitu revertitur mœrens.

VErùm Laborana expeditio in loco adhuc præfato commorans expectabat, si quomodocumque, vel undecumque fluviali transitu, an ne posset Regi obviare, eumque ab obsidione oppidi prælio provocatum removere. Quam ob rem Comes Ranulphus non pauco constipatus numero galearum, ad prænemoratum Scaphatum pergit, exploraturus si illuc sibi, cæterisque omnibus libera transeundi præberetur facultas. Sed quia Regis jam meatus omnes custodiis præmuniti erant, nec posset ipsis ulla transvadio fieri, mox ad suos reversus commilitones, cum eisdem multa cordis angebatur mœstitia, quòd sinè repugnationis effectu sic cogerentur manere.

CAP. LIX.

Rogerii artes ad oppidum obtinendum, quibus territi defensores deditionem pollicentur.

INterea Rex Rogerius perpendens perniciam aggrediendi oppidum difficultatem, ingenii armatur sollertia, quatenus quod vi certaminis potiri non poterat, moliminis adipisceretur peritia. Ligneam ergo parari machinam jubens, loco quo aptiùs, minùsque vici-

viciniùs prospiciebatur, approximari statuit. Cùmque jam prope esset, ut per eam lapidibus jactis oppidi mœnia feriri inciperent, mox oppidicolis animo dissolutis timor incutitur, regiaque pax desideratur. Quocirca quidam ex primoribus eorum uno uniti consilio, ad Regem egressi sunt, postulantes ut sibi, cæterisque indigenis, simulque castrensibus impunitatem, oppidique integritatem conservandam promitteret, sicque deinde, absque dolo ipsi cum eodem oppido ei subjicerentur.

CAP. LX.

Nuceria Regi cedit, pactionibus inter se constitutus.

FActa itaque regia super hoc pollicitatione redemit intus, adnotatumque Tribunum militum nomine Rogerium de Surrento, cum aliis castrensibus deditione oppidi facienda mox consulunt, præsertim Comitis, quòd non eis succursus adesse videretur. Nam melius, inquiunt, erat eis, ut Regi potiùs subderentur, quàm ut oppido aggresso, atque subverso & ipsi periclitarentur. Quibus auditis, omnes primò quidem id fieri contradicunt, postmodum verò terrore regio constricti, loci deditionem consentiunt. Oppido itaque hoc modo à Rege accepto, prænominatus Rogerius, cæterique omnes, qui ad illud defensationis gratiâ confluxerant, impunitate eis, ut Rex promiserat, indulta capiuntur, sicque postea fide constricti abire dimittuntur.

CAP. LXI.

Rex Ranulphi Comitis terras invadit.

CAptâ itaque Nuceriâ, militarique in ea delegata custodia ad invadendum Ranulphi Comitis terram Rex prorsùs animum figit. Quapropter coacto in unum exercitu Padulum proficiscitur, indeque motus ad obtinendum oppidum nomine Pontum accelerat, quod quidam Magnas Balduinus nomine sub Ranulphi Comitis dominio tenebat, cujus immensam Pontifii eminus cernentes expeditionem, mox terrore percussi accedentem illam sinè ulla repugnatione intrare permittunt. Quo capto die ipsa continuò ad castrum, quod nominatur Limata, aggrediendum properat, quod citò comprehensum, simulque depopulatum, novissimè verò ignis crematione omnino deletur; erat enim & illud alterius prædicti Comitis Optimatis, cujus vocabulum Radulphus de Bernia dicebatur.

CAP. LXII.

Ranulphus pacem à Rege postulat.

INterea Ranulphus Comes in præfato Mariliano adhuc morabatur, cùmque relatione tot terras ablatas sibi comperisset, cum multo animi mœrore ad sua recuperanda galeis comitantibus festinanter egreditur, qui dum secus municipium, quod dicitur Ducenta, figeret gressum, à suis ibi omni consulitur instantia, quatinus priusquam omnibus suis exueretur, regia pace summopere præveniri studeret. Facta itaque propera ad Regem legatione, rogat ea quæ pacis sunt, eique pro velle suo se penitus subdendum promittit. Quibus Rex auditis, mox furori suo frenum imposuit, terras suas ulteriùs præoccupare desistens, denique describens concordiæ pactum, misit ad eum, ut secundùm quod ab eo calamo prænotatum erat, ita illum in pace susceperus esset, restituens & sibi uxorem suam, & filium, eo tamen interposito tenore, ut dotalia, pro quibus ipsi ab eo discesserant, ei restitueret, terrasque omnes, quas vi certaminis super eum obtinuerat, omnino quietas sibi dimitteret. Verùm ille quamquam de his omnibus plurimùm aggravaretur, tamen ne suorum omnium amissionem incurreret, ad subjiciendum se ei, prout ipse mandaverat, potiùs animatur.

CAP. LXIII.

Ranulphus à Rege benignè suscipitur.

VEniens itaque ad eum genibus flexis, pedes ejus osculari voluit, quem cùm ille propriis manibus ab osculatione pedum sublevasset, orisque sui osculo vellet suscipere, Comes priùs precatur, ut ex corde indignationem funditus abjiceret. Cui Rex, ex corde, inquit, abjicio. Et ille: volo iterum, ut sicut deinceps tibi famulatus fuero, ita me diligas. Cui ille: & ego concedo. Iterum ait: istarum sponsionum, quas alternatim fecimus, volo ut testis sit Deus inter me, & te. At ille, ita, inquit, fiat. Quibus dictis Rex eum statim osculo suscepit, diuque in amplexu ipsius delectari visus est, ita ut ex oculis quorundam circumstantium, ut præ gaudio lachrymæ effundi viderentur.

CAP. LXIV.

Rogerius pacis conditiones Principi servandas proponit. Hugo Bojanensis Regem iratum formidans veniam implorat. Sergius Magister Militum regis jussa contemnit, cui Raimpotus conjungitur.

PRincipem verò in sua pace hoc tenore suscipiendum pepigit, videlicet, ut si usque ad dimidium mensis Augusti reditum faceret, suo non privaretur honore, si tamen juxta quod in capitulari scripto statutum erat, subditus ei vellet parêre, retentis siquidem sub proprio dominio, quæcumque vi guerræ obtinuisset. Si autem fortè ei animus redeundi deesset, ejus filio parvulo nomine Roberto Principatum concederet, eo tamen interposito pacto, ut ipse ejus tamdiu regimen teneret, quousque legitimam idem consecutus ætatem exercere militiam posset. Quodsi & ipse præfatum, absentatione sui, terminum præteriret, Rex deinceps Principatu Capuano, cunctorumque heroum hominio inculpabiliter sub proprio potiretur dominio. At Hugo Bojanensis Comes prævidens Regis iram super se movendam, quòd adversùs illum Principi, Comitique adhæserat, cum multis precibus veniam ipsius postulaturus advênit, quam quidem impetrare nullatenus valuit, nisi primò terras suas universas, quas Bifernus fluvius orientem versùs præterfluit, ei reliquisset, nec non Castellum maris, situm scilicet, quo fluvius Volturnus cursus sui finem designat. Verùm Sergius Magister militum, secundùm quod à Rege exigebatur, ejus tunc super se do-

Digitized by Google

dominatum ſuſciperè, atque ſervire abnuebat, ad quem poſtea Raimpotus Tribunus militum Beneventanus auditâ Comitis concordiâ, præ timore continuò civitatem deſerens, centum, vel ferme conſtipatus loricis aufugit.

CAP. LXV.

Rex Teleſinum Cœnobium petens, à Monachis honorificè ſuſcipitur.

INterea Rex Celeſinum Cœnobium fore ſibi vicinum comperiens, voluit viſere illud, Fratrumque ſe orationibus commendare. Cùm ergo ad monaſterium veniſſet, honorificè, ut illum decebat, à Fratribus obviam ei progredientibus, cum hymnis, & laudibus ſuſcipitur, qui cùm completa ante altare oratione capitulum intraſſet, oſculatis ſigillatim Fratribus, ſanctam poſtmodum eorum fraternitatis ſocietatem per manum Alexandri ejuſdem congregationis Abbatis humiliter, reverenterque accepit, qui etiam bona ſe colaturum devotè eidem Monaſterio ſpondens, ad exercitum, quò venerat, valefaciens Fratribus; lætus abſceſſit.

CAP. LXVI.

Capuam urbem Rex adit, & loci ac nominis natura deſcribitur.

POſt tertium verò diem, ſummo manè ſecedens Capuam illuſtriſſimam urbem, civibus ejus, cunctiſque Terræ-Laboris Magnatibus ſeſe dedentibus recepit, quæ videlicet urbs metropolis exiſtens, idcirco, ut ab antiquis traditur, tale ſortita eſt vocabulum, vel quia caput Campaniæ eſt, vel quia campi planitie longa, lataque gyratur, ſeu, ut quibuſdam videtur, à Capy conditore ſuo Capua dicitur. Eſt quidem ampliori ſitu capaciſſima, mœnibus, turribuſque in circuitu munitiſſima, cujus quoque muralem ambitum Volturnum flumen medium præterfluit, intra cujus fluenta plurima in aquis ſupernatantia molendina funibus cannabineis innexa conſiſtunt. Pons quoque miræ magnitudinis, miroque opere conſtructus in ipſo amne exſtat fundatus, qui intrantibus, & exeuntibus meatum præbens, ab una parte urbe, ab alia verò burgo valde prolixo obviatur. Sed & Cerere, Baccho, carniſque edulio, necnon diverſis commerciis civitas uberrima, populoſo nihilominus frequentatur acceſſu, & quod majus eſt, Principali conſtat dignitate præcellens.

CAP. LXVII.

Civitatem ingreſſus à Clero, ac Populo Capuano cum honore excipitur. Sergius Magiſter Militum Regi fidelitatem jurat.

CUm ergo civitatem ipſam jam ſibi ſubditam Rex introiturus eſſet, à præordinata clericorum, totiuſque populi proceſſione honorificè, prout decebat, ſuſcipitur, atque ad Archiepiſcopium uſque, cum hymnis, & laudibus perducitur. Deinde continuò foràs ad expeditionem egreſſus Sergium Magiſtrum militum præſtolabatur, quatenus citò veniens ſibi ſubderetur, alioquin ſciret, ſe ſinè dubio obſidione conſtrigendum. Verùm ille veritus, ne Rex ab eo contemptus ſuper ſe irrueret, civitatemque ejus aggrederetur, depoſita mentis cervice, vênit ad eum, qui genibus flexis, manuſque ſuas manibus ſuis immittens, ſuum ei hominium ſubdidit, fidelitatemque juravit. Res inquam valde ſtupenda, nam uti jam in ſecundo expreſſum eſt libro, Neapolis, quæ poſt Romanum Imperium vix unquam ferro potuit ſubdi, nunc quoque verbo tantùm viſa eſt conſtringi.

CAP. LXVIII.

Morconium inter, Pontemque Landulphi Rex caſtrametatur.

NEc mora, poſt hæc Rogerius cogens exercitum, caſtra inter Marconium, Pontemque Landulfi metaturus reducit, daturus univerſas terras Roberto Ricardi filio, quas ei Bojanenſis Comes dimiſiſſe ſupra dictus eſt, nam dum ipſius, aliorumque irritaretur guerris, præmemoratas ei terras, cùm eas, adepto triumpho, potiturus eſſet, pollicitus fuerat, ſi tamen, dùm guerras ſuas ageret, non infidelis reperiretur.

CAP. LXIX.

Burrelenſes hominium Regi præſtant.

DUm à Rege mora ibidem fieret, Burrelenſes domini ejus ſuper ſe adventum futurum formidantes, accelerant illum prævenire, ut ſuum ei hominium quantocyus ſubdentes illum placarent. Exin Beneventum reverſus, ibique extra urbem defixis tentoriis, cives ejus ſibi fideles juramento, ſalva Apoſtolici fidelitate, inſtituit.

CAP. LXX.

Raimpotus in mari cum filio demerſus. Rogerius dimiſſâ Militiâ Salernum petit, Siciliam adituras.

CÆterùm ſupradictus Raimpotus Neapolitanum Magiſtrum militum cum Rege concordaturum præſciens, mox puppe aſcenſa, dum fugâ vellet petere Piſam, æquorea interceptus procella, cum filio ſuo marinis fluctibus ſuffocatus interiit. Denique Rex cernens cuncta ad votum ſuum proſperè ſibi accidiſſe, omneſque pro velle ſuo ditioni ſuæ ſubegiſſe, ſuam illic diſpertiens expeditionem, ſingulos ad propria redire permiſit, retentâ ſibi ſolâ militiâ, quam ex proprio ſuſtentabat ærario. Deinde repetens Salernum, ibique paululum moratus ad Siciliam poſt triumphali redimitus gloria ovanter revertitur. Hîc ſecundus compleatur libellus, quatenus paullulum dato ſilentio, ad inchoandum, & perficiendum tertium vires loquendi reparentur.

Explicit Liber Secundus.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Rogerius ægrotat, Alberia conjux moritur. Sed mortuum Regem fama deferente, Robertus Pisis cum belligerorum manu Neapolim proficiscitur.

FActum est autem cùm Rex Rogerius Siciliam repetisset, eodem anno, non multò post corporis languore corripitur. Sed cùm, Deo tribuente, citiùs convaluisset, Alberia Regina conjux ipsius, mox infirmitatis tacta incommodo, ad extrema pervênit, quæ videlicet mulier dum vixit, religionis gratiâ, atque eleemosynarum largitione fertur plurimùm enituisse. Qua defuncta Rex ipse ita mœroris contritus est amaritudine, ut multis se diebus intra cameram recludens, exceptis ejus privatis obsecutoribus non apparuerit, unde accidit, ut famâ paulatim diffusâ, non solùm iis, qui longè, verùm etiam, qui prope erant, verè obiisse existimaretur. Quo videlicet rumore Princeps Robertus, qui Pisam aufugerat, sollicitatus, cum immensa belligerorum Pisanorum manu navigio advectus in Neapolis urbe excipitur, favente sibi Sergio ejusdem civitatis Magistro militum, qui jam cum eo, præmissis alterutrum nunciis, contra Regem conspiraverat.

CAP. II.

Ranulphus Regem extinctum putans amissa recuperare nititur.

COmes autem Ranulphus & ipse eodem rumore deceptus, Regis obitum verè contigisse credebat, qui cùm Principem cum ingenti armatorum multitudine reversum comperisset, corde respirans, lætabatur valde, quòd Rege defuncto, tempus jam accidisse opportunum videretur, quo & idem Princeps Capuam, Principatus amissi honorem, & ipse terras, quibus deminutus fuerat, recuperare possent. Perjurium itaque contra Regem Rogerium perpetrare non timens, sinè ulla dierum dilatione, donativo suo milites circiter quadringentos collegit, atque cum eisdem ipsis non longè extra muros Capuæ progressus est, expectans si fortè, quomodo civitas ipsa Principi restituenda ab iis, qui ampliori ejusdem amore connecti videbantur, sibi redderetur, cujus quoque proditionem cùm post ad effectum non evenisse comperisset, immenso animi mœrore contritus est. Deinde aurora illucescente, per campos passim discurrens, copiosam animalium, diversarumque rerum rapinam in suburbanis ejus exercuit, sicque Capaciam munitissimum ejus oppidum, quò iter assumpserat, timido corde regreditur. Guerra itaque hoc modo adversùs Regem incœpta est, cui quoque Comiti quidam suorum Baronum clam, quidam verò manifestè consentientes in Regem perjuravere, qui ei utique hoc jusjurandum egerant, videlicet, ut si quando Comes ipse contra eundem Regem vellet insurgere, dierum quadraginta præstolaretur spatio, quo eorum hortationibus ad regiam revocaretur subditionem, alioquin exinde tamdiu ab eisdem instanter debellaretur, quousque ei nollens etiam subjiceretur.

CAP. III.

Warinus Cancellarius Regis, & Joannes Ammiratus Terram-Laboris contra Ranulphum defendunt.

EOdem namque tempore Cancellarius Regis Warinus nomine, vir quidem literis apprimè eruditus, & in sæcularibus negotiis prudentissimus, & Joannes Ammiratus, cujus jam superiùs summam memini strenuitatem, cunctam Laboris-terram tunc temporis procurantes custodiebant, qui comperto Principis reditu, necnon & Comitis subita rebellatione, diligentiori protinus sollertia Capuam urbem, Matalonum, Cicalam, Nuceriam, cæteraque terras, ipsam Terram-Laboris, castra belligerorum viribus munire cœperunt.

CAP. IV.

Cancellarius & Ammiratus Aversanos cives ad fidelitatem Regis hortantur; Postmodum Joannes in Apuliam ad auxilium petendum mittit.

ERat autem in eadem Terra-Laboris civitas quædam nomine Aversa, quam Normanni cùm Apuliam aggrederentur, primitus condiderunt, quæ licèt duodecim Magnatibus, militibus atque immenso populo in se cohabitantibus gloriaretur, tamen potiùs agere, quàm murali circumcingebatur ambitu, quo contra hostes, si necesse esset, resistere possent, ad quam cùm Joannes Ammiratus, & Warinus Cancellarius venissent, cœperunt ipsos Primates, & equites, omnesque in ea cohabitantes diligenter præmonere, quatinus nullo umquam amore, seu timore concussi regiam fidelitatem relinquerent, sed & bonum nomen, quo tunc usque in summa legalitatis observatione, fideique puritate vigenti enituerant, qualibet ignominia tempore necessitatis instante obfuscari non paterentur. Cùmque iis, & aliis exhortationibus eos sufficienter allocuti fuissent, Joannes in Apuliam etiam misit sollicitans omnes regio jussu, ut ad tuendum Terram-Laboris, quamcitiùs possent, accurrerent.

CAP. V.

Robertus, Ranulphus, ac Sergius Regis mortem opinati sua consequi felici exitu sperant.

IGitur Princeps Robertus de Regis adhuc obitu incertus, non desinebat intra mentis suæ volvere arcanum quomodo, qualiterve Principalem ademptum apicem resumere posset. Misit itaque ad Ranulphum Comitem, uti ad se quantocyus festinaret, quòniam quidem quod erat acturus, absente ejus strenuitate, agere nullatenus quiret. Verùm & ille cùm de Regis morte, ut jam dictum est, nequaquam cunctaretur, mox cum ipsa militari, quam collegerat acie, ad illum Neapolim sitien-

Digitized by Google

fitienter properavit, cujus quoque adventu Princeps ipſe, Sergiuſque Magiſter militum ad majorem reſumendum audaciam, vehementer ſunt vegetati, putantes per eum, eo quòd vir bellicoſiſſimus eſſet, ad effectum rei, quam deſiderabant, feliciter pertingere. Firmata itaque ad invicem conſpiratione, hoc tandem apud ſe firmiter propoſuerunt, ut & Princeps, & Comes ſua ablata ad integrum ſibi reſtituerent, & Magiſter militum Neapolim, & cætera, quæ jure ſibi ſuppetebant, ſecuriter poſſideret. At Rex ſicut & priùs, ita & tunc extinctus credebatur, de cujus quoque vita nonnulli etiam fidelium ſuorum hæſitabant, præſertim cùm inſtantibus hoſtibus plus ſolito venire moraretur: ſed & ſi quis veniens eum vivere, vel venire aſſereret, jam audiri contemnebatur, cùm multis aliis antevenientibus, atque id ipſum aſſerentibus in vacuum ſit creditum; jam enim Madius menſis curſus ſui metam attingebat.

CAP. VI.

Averſani Roberto Principi ſubduntur. Warini, ac Joannis ſolicitudo in caſtris pro Rege tuendis.

AVerſani heroës, ſimulque univerſus populus quamquam certificantibus quibuſdam Regem verè vivum, verèque venturum audiſſent, in tantam tamen devoluti ſunt inſaniam, ut oblitis, quæ à Joanne, & Warino præmoniti fuerant, ſinè ulla præcedente repugnatione, abjecta Regis ſubditione, ejuſque contempto dominatu, Principis dominio ſubderentur. Cæterùm Cancellarius Warinus, & Joannes Ammiratus præſcientes hoc ipſum ab eis agendum, Capuam jam, ne ab ipſis capti hoſtibus traderentur, receſſerant, ubi cùm ad tutandum urbem ipſam cum pluribus equitibus idem Cancellarius remanſiſſet, Joannes ad præmuniendum Matalonum, Cicalam, cæteraque oppida continuò vadit: ad quem cùm Apulienſis militum, peditumque exercitus copioſus, ſicut ipſe mandaverat, Cicalam conveniſſet, morantur ibi, tuituri Terram-Laboris, præſidente eodem Joanne, uſque dum Rex adveniret, inter quos erat Robertus filius Ricardi, fidiſſimus Regis, qui in ſuperiori proximo libello præſcriptus eſt, & Rogerius Orianenſis Comes, aliique quamplures; unde factum eſt, ut tam ipſe exercitus, quàm milites, qui intra Capuam habebantur, præter pedites, ferè duo millia ſupputarentur.

CAP. VII.

Piſanus exercitus conſilio Principis apud Pontem-Silicis caſtrametatur. Cancellarius Roberti amicos ab urbe Averſa Salernum compræhenſos dirigit.

AVerſa itaque urbe à Principe recepta, Piſanus exercitus, qui cum eo venerat, quorum numerus circiter octo millia ferebantur, eidem Principi, & Ranulpho Comiti, Sergioque Magiſtro militum omnimodis inſtant, uti ad aggrediendum Capuam quantocyus feſtinarent. Aſſerebant enim illam ſinè dubio quantocyus fore invadendam. Sed illi cognoſcentes urbem militari plurimùm protectione fore munitam, impetum eorum, prudentiori conſilio cohibent, quatinus circa Clanum flumen, in loco, qui Pons-Silicis nuncupatur caſtrametentur, paullulum attendentes, utrum ab iis, qui plus aliis diligebant Principem, urbs ipſa ei quoquomodo proderetur. Verùm Cancellarius, ut erat cautus, & ſollicitus, antequam ipſi ad eundem acceſſiſſent locum, quoſque Principem plus aliis diligentes perceperat, & in quibus tradendi civitatem major haberetur ſuſpicio, univerſos comprehendens Salernum cuſtodiendos direxerat.

CAP. VIII.

Clarum flumen exercitus dividit; alter Principis panis inopiâ affligitur.

DUm ergo Princeps in illo loco moratus ſpem prodendæ ſibi urbis amiſiſſet, motus inde iterum in alium locum, ſecus ejuſdem fluminis decurſus aquarum tentoria fixit, ſtante ex altera parte regio, cui Joannes prædictus præſidebat, exercitu. Comes verò Ranulphus nimio mentis ardore æſtuabat, eo quòd in illos ad feriendum, medio ſtante flumine, furtivo, ſubitoque eventu irrumpere non poſſet. At Joannes Ammiratus vir ſagaciſſimus è contra, ſiniſtros præcavens eventus cautè agebat exercitum, videlicet ab irruptione inutilis audaciæ eos coërcens. Cùmque ſic ab utraque parte aliquantiſper ibi moratum fuiſſet, Principis expeditio panis inopia coangustari cœpit, quam non jam ſuſtinere valebat. Tanta namque in eodem loco egeſtas habebatur, ut unus panis puſillus vix jam Rothomagenſi nummo mercaretur, quam ob rem derelicta Princeps cum Magiſtro militum Neapoli, recedunt: Comes autem Ranulphus ad cuſtodiendum Averſam delegatur.

CAP. IX.

Rogerius Salernum ingreditur, ibique rerum caſus percunctatur.

DUm ergo res ita haberetur, ecce ſubitò Rex Rogerius, quem omnes ſui ſitienter expectabant, quemque inimici ejus non vivum credebant, æquoreis undis advectus, quinto die intrante Junio Salernum ingreditur: cui cùm de navi exeunti univerſus civitatis populus unanimes occurriſſent, tanto excepti ſunt gaudio, ut pro eo Deo gratias omnes exclamarent: cujus adventum & Beneventani audientes, ita ipſi immenſo ſunt exhilarati tripudio, ut in urbe, me ipſo præſente, & audiente Eccleſiarum ſigna ſimul pulſarentur, & ab Archiepiſcopio, ad monaſterium uſque S. Sophiæ cum hymnis, & laudibus clericalis ordo proceſſerit. Rex denique à præſentibus rerum caſus ſeriatim ſciſcitans, atque prænoſcens, per omnes mox ditionis ſuæ terras dirigens, ad ſe omnes, qui arma gerere, eiſque ad prælium exerceri poſſent, accelerare imperat.

CAP. X.

Rex de Averſanis infidelibus queritur, ac Ranulpho Cognato, quinimmo de cæteris conjuratis.

CUm ergo undique adveniens exercitus coadunaretur, Rex interim ſuper Averſanis, quos de legalitate multa, fideique ſinceritate jam laudibus ſuis extulerat, plurimum

mùm conquerebatur, quandoquidem, quod in eis laudaverat, neceſſitatis tempore ingruente, in ipſis non eſt inventum. Contriſtabatur etiam præcipuè ſuper Ranulpho Comite, conquerenſque ajebat: quomodo Ranulphus Comes à me ultra ſuſcipiendus ſit, vel credendus, quem ſemper ad malum mihi inferendum, nec propinqui ſanguinis copula, nec poſtquam ejus hominium accepi, ſacramentum fidelitatis cohibuit? Quocirca meritò poſtquam ab eo violatum eſt jusjurandum, fides ei non eſt ampliùs adhibenda, amorque propinquitatis, quo ob conjugium ſororinum, unituſque cum eo ligatus tenebar, penitùs diſſolvatur. Qui quidem ſi in mei nunc fidelitate poſitus gloriam meam, & honorem quæſiſſet, oblitis omnibus, quæ mihi intulerat, malis, multum à me honorem ſinè dubio conſecuturus foret. Magiſter verò militum, qui fidelitatem meam, inimicis meis adhærendo dereliquit, nulla utique ſuper hoc veniâ dignus habeatur, Neapolitanam quippe dignitatem amittens. Princeps autem, qui iram meam magis deliteſcendo fugit, quoniam in hoc non multùm deliquit, utique miſerendum eſt ei, ſuoque ex toto non privetur honore, ſi tamen ab inimicis meis, videlicet Magiſtro militum, Comiteque Ranulpho diſcedere velit. Unde mittatur citò ad eum, & experiamur, utrum verbum iſtud ſibi placuerit, videlicet, ut ab illis diſcedat. Verùm Princeps, Comeſque, ex quo adventum perceperunt, in tantam animi triſtitiam corruerunt, ut mori magis, quàm vivere vellent, videntes ſe rumore falſo fuiſſe deluſos.

CAP. XI.

Audientes Regem Averſam aggreſſurum multi Cives Neapolim fugiunt, quò Comes territus advenit; Ricardus, filio Regis obſide derelicto; fugam init.

CUm ergo Princeps hoc, quod ab eo mandatum fuerat, contemnendum elegiſſet, Rex illico coacta in unum, quam collegerat, militum, peditumque innumera expeditione, qua major nulla alia antea ab eo habita eſt, ad aggrediendum Averſam, qua Comes Ranulphus ad cuſtodiendum remanſerat, toto animo tendit, cujus aggreſſionem aſperrimam Averſani formidantes, cœperunt omnes, quicumque citiùs poterant, fugam arripere, atque Neapolim, ad ſe ibi tuendum properare. Comes autem cernens ſe ita fugiendo ab omnibus præ timore derelinqui, bellum ſinè dubio Regi inferendum ſæpe comminatus fuerat, vix tandem cum pauciſſimis fugâ ab eo elapſus eſt, atque Neapolitanis mœnibus, quibus tunc Princeps, Magiſterque militum adhæſerant, ſe nimis confuſus recepit, qui cùm ibi intruſus civitatis clauſtra non egredi auderet, intra mentis ſuæ viſcera immaniter torquebatur, pœnitens valde, quòd malè conſultus guerram cœperit, ſibique ea, quæ pacis ſunt, conſulentibus nequaquam crediderit. Quid ergo ageret? cùm ſe, etiam terras in proximo jam amiſſurum cerneret, ad quas tuendum & fratrem ſuum Ricardum dimiſerat. Sed ille ſimiliter regio perterritus adventu, etiam filio ſuo, quem Regi obſidem dederat, derelicto, cùm ad fratrem ſuum Comitem redire nequiſſet, per occulta tramitum continuò fugam inivit.

CAP. XII.

Rex Averſam incendio tradit.

CUm ergo Rex ſuper Averſam irruens Comitem fugâ evaſiſſe comperiſſet, doluit valde, quòd captionis ſuæ retia evadens, ultionem ipſius meritam non fuerit expertus, qui deinde tanto mentis furore accenditur, ut tota urbs priùs omnino depopulata, ignis poſt incendio traderetur, quæ videlicet civitas non ſolùm intus, ſed etiam de foris abundantiſſimo fuerat inhabitata populo, omnibuſque inviduis ita fertilis fuerat, ut etiam Capuæ, ſeu Neapoli, quæ circa ſe erant, non invideret. Frumento, & vino, carniſque edulio ita feracior exſtiterat, ut ferè nullus in ea habitantium in victu egeret, unde contigit, ut pœne omnes in ea effrenatiùs turpi libidini ſubderentur, ob cujus piaculum, quo ſe moderari neglexerunt, Deus magis offenſus, ſic eam, ut æſtimo, per Rogerium delere decrevit.

CAP. XIII.

Neapolis ſuburbana Rogerius igne conſumit; Averſam deinde iterum ſuos depopulari jubet.

CUm ergo ſic Averſa deleta fuiſſet, Rex poſtmodum ſuburbana ipſius concremari juſſit. Deinde appropinquans Neapolim, inter oppidum, quod dicitur Cuculum, Patriæque lacum caſtra defixit, ibique tamdiu moratur, quouſque & cuncta ſuburbana Neapolis in partibus illis ignis incendium conſumeret, ſegeteſque univerſæ à frumentatoribus ſuæ expeditionis depopularentur. At Princeps Robertus, Comeſque Ranulphus, Sergiuſque Magiſter militum ita præ formidine ipſius intra urbem intruduntur, ut nec de porta bellaturi exire auderent. Cùmque omnia ibi conſumpta fuiſſent, iterum Rex Averſam deſtructûm repetit, qui etiam illic diligentiùs jubet, ut ſi quid inter Averſam, Neapolimque, quod comburendum eſſet, incombuſtum remanſiſſet, omnino combureretur, ubi quippe moram tamdiu facit, donec & rebus agrariis, quæ ſuperfuerant, univerſis conſumptis, ſolum telluris omnino vacuum dimitteretur.

CAP. XIV.

Cancellarius Regis militibus ſociatus inimicas urbes ignis terrore ad fidelitatem revocat.

DUm hæc ita gererentur, Rex habito conſilio præmiſit Cancellarium ſuum Warinum cum multitudine militari, quatenus civitates, quas Comes Ranulphus ſub proprio dominio tenuerat, ſponte ſibi ſubjicerentur, alioquin ſi ipſe ſuper eas irrueret, ſinè ullo miſerationis intuitu depopulatæ, ignis quoque concremationè funditùs exinanirentur. Veniente itaque Cancellario ad urbem, quæ dicitur Alliſa, ipſo die quo vênit, univerſus ejus populus Regi, ſinè ulla refragatione ſubjicitur, quo facto, poſtera die ad oppidum S. Angeli cognomento Rabicannum ſuſcipiendum tendit; cujus videlicet Ricardus frater ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem Comitis dominatus fuerat, quique etiam regio, ut jam fatum eſt, adventu perterritus, dimiſſo eodem caſtro, in Campaniam aufugerat.

CAP. XV.

Cajacia, & civitas Sanctæ Agathæ Regi ſe ſubdere recuſant.

POſt hæc autem Cancellarius receſſit Cajaciam, remotus tamen ab ea tertio milliario ſecus Vulturni fluenta. Mandatur exinde Cajacianis, & præcipuè illis, qui caſtro ejus præerant, ut & ipſi Regis ſuper ſe quantocyus ſuſcipiant demanium. At illi ſentientes inexpugnabili ſe caſtro muniri, audaciùs recuſant id fieri, immo ſi neceſſe fuerit, ſe ei repugnaturos prænunciant. Quamobrem Cancellarius motus inde, caſtra ſuper Sanctam Agatham urbem metatus eſt, exhortans cives Regi ſe ultro ſubdendos. Verùm illi, ſicut & Cajaciani id fieri renuentes, ad reſiſtendum potiùs ſe parant. Nunciantur itaque Regi, qui tunc Averſæ morabatur, hæc omnia, & quia utræque urbes munitiſsimæ erant, neceſſe erat, ut Rex ipſe ad expugnandum ſuper eas irrueret.

CAP. XVI.

Rex urbem S. Agathæ obſidet, Cives territi veniam rogant, & obtinent, deinde Rogerius Cajaciam properat.

PORrò Rex audiens illorum ſuperbiam, grave accepit, unde magna expeditionis ſuæ parte ad cuſtodiendam Capuam, cæteraque oppida circa terram Laboris ſita, delegata, ad obſidendum præfatas urbes iratus feſtinat. Veniens ergo ſuper S. Agatham eam undique artiſſimè circumſedit, atque machinas, quibus citiùs caperetur, fieri juſſit. Quo viſo civitatis habitatores immenſo conſternantur timore. Unde nonnulli eorum citò exeuntes Regem prævenire ſatagunt, pedibuſque ejus provoluti precibus inſtant, uti eorum ſubditionem ſuſcipere jam dignaretur, & ne ipſi cum uxoribus, & liberis, rebuſque eorum in prædam darentur, eſſentque in ignominiam cunctis audientibus. Rex itaque precationibus eorum vix flexus, urbem ſic, ſinè ipſorum diſcrimine ſuſcepit, atque poſt tertium diem ad habendum Cajaciam properat, ſicque ejuſdem urbis poſitio ita ſtare cernitur, ut orientem versùs ingens in ea caſtrum, non ſolùm humano opere, verùm etiam montis excellentia naturaliter munitiſſimum habeatur. Quod quidem caſtrum ita ab urbe diſtat, ut etiam cives ipſi in nullo quomodolibet contra illud penitùs prævalere poſſint. Cæterùm & obſidionem ab eo non formidare videtur, ut ſi virtus alimoniæ, qua tutores ejus ſuſtententur, non defuerit, vix umquam poſſit captione ſubdi.

CAP. XVII.

Caſtrenſes Cajaciani Regi ſubduntur.

VEniens itaque Rogerius ſuper illam, mirabile dictu! ita caſtrenſes in primo exterriti ſunt aſſultu, ut nil aliud, niſi quæ pacis ſunt, cogitantes eidem ſubdi quantocyus cuperent. Quippe tantùm percrebruerat in eodem aſſultu ſpiculorum jactura, ut vix cujuslibet manus caſtrenſis ad repellendum inſtantes hoſtes contrahendi fuerit auſa. Nam defenſationis gratiâ quicumque inermis poſitus brachium extenderet, ictum deforis venientis jaculi ſtatim in ſe ipſo excipiebat. Sic itaque caſtrum ipſum ſemel oppugnatum, atque devictum à Rege accipitur, quod cùm poſtea viſendi causâ fuiſſet ingreſſus, illud quammaximè, pro ipſius ardua, ingentique munitione commendaſſe fertur, multumque ſibi prodeſſe ad ejus defenſionem coronæ teſtatus eſt.

CAP. XVIII.

Rogerius Aliſam venit, & loci amœnitatem admiratur.

POſt hæc autem quendam ibi heroëm Nicolaum nomine, eo quòd inimicis ſuis conſentiens perjurus ejus fuerit, juſto exhæredavit examine, qui deinde cupiens in perpetuum ſolidare pacis bonum, dedit edictum, ut cuncta in terra Comitis ſubverterentur oppida, præter munitiora caſtra, quæ ei ſub proprio dominio ad ejuſdem pacis tutelam retineri placerent. Poſt hæc venit Aliſam, ut videret eam, qua viſa, de ipſius amœnitate loci, lympharumque circumcurrentium magna abundantia fertur valde ſibi complacuiſſe. Quarum videlicet lympharum tanta erat obſecundationis facilitas, ut quandocumque priùs vellet, rivum ex eis productum, in hortum ſuum, ubicumque eſſet, poſſet tranſducere, ejuſque ad irrigandum holera, pro velle ſuo famularetur.

CAP. XIX.

Rex Neapolim obſeſsùm properat; quæ civitas deſcribitur.

POſt hæc coacto in unum exercitu, quem ſecus fluenta Volturni reliquerat, Neapolim, quà hoſtes ejus contra ſe ſuſcepti rebellabant, obſeſſurus properat. Erat autem civitas ipſa antiquiſſima, quam Æneas, cùm illuc navigio tranſvectus applicuiſſet, primus fertur condidiſſe, cujus quoque magnitudo prægrandis erat, quæ à parte meridiana non ſolùm murorum altitudine, verùm etiam Tyrrheno mari munitur. A cæteris verò partibus, excelſis mœnibus roboratur. Quam ob rem adeò ipſa inexpugnabilis conſtat, ut niſi famis periculo coartata nullatenus comprehendi queat. Nempe hujuſmodi urbis dominus, olim Octaviano Auguſto annuente, Virgilius maximus poëtarum exſtitit, in qua etiam ipſe volumen ſuum ingens hexametris compoſuit verſibus.

CAP. XX.

Exercitus ſui miſertus Rogerius obſidionem removet.

IGitur cùm Rex Rogerius à parte Orientis urbe hac obſeſſa, ejuſdem captionem diu differendam prævidiſſet, accidit in cor ejus, ut innumeris accitis foſſoribus, caſtrum ingens aggeris circumductione munitiſſimum ſuper eam firmaret, quatinus ibi inceſſanter, militaribus excubiis ſufficienter expoſitis, ipſo quo-

quoque abſente Neapolis viciniùs indeſinenter ab ipſis conſtringeretur. Cùm ergo poſita ſuper Neapolim obſidione agger, pro extruendo caſtro ipſo, terram effodiendo ſurrigeretur, cœpit agger idem, eo quòd ex cœmento arido terra egeſta labilis eſſet, huc, illucque ſubmergi, propter quod opus ipſum in vacuum aſſumptum fuiſſe videbatur, nec poterat caſtrum ipſum incœptum, dum agger ſic ſubmergeretur, ad affectum pertingere. Quo viſo Proceres ad Regem mox venientes ſubmiſſis vocibus conqueruntur. Incaſſum, inquiunt, ad conſtruendum caſtrum labor iſte aſſumptus eſt, quoniam quotidie terram effodiendo, agger circumducitur, qui tamen ad expletionem ejuſdem caſtri non proficit, quoniam quod pro aggeris erectione fodiendo egeritur, dilabi pro ſui inſtabilitate non ceſſat, quapropter dimiſſo hoc opere, aliud inveniatur conſilium, quo ad urguendam rebellis urbis ſuperbiam congruentior præſtetur facultas. Item eſt & aliud omnino lugendum, quoniam ſunt nonnulli ex hac expeditione, qui in loco iſto dierum æſtum Canicularium non ferentes, incipiunt jam infirmari, alii verò intolerabili equorum, qui præ multa aquæ inopia ſiti moriuntur, cadaverum fœtore tabeſcere. Sed etiam tellus ipſa, qua conſiſtimus, eo quòd cœmentum ſiccum ſit, impurum à ſe prodeuntem calorem. Horum quippe malorum vitia valde veremur, ne fortè in tantum procedant, ut totus ab eis exercitus infirmatus, penitùs, quod abſit, labefactetur. Unde hinc, ſi tuæ non diſplicet pietati, citò removendi ſumus, ut non morientes, cum ſalute etiam noſtra Neapolim non ſolùm diebus æſtivis, verùm etiam in hieme, ſi neceſſe fuerit, coërcere poſſimus. Quibus Rex auditis, mox eorum miſertus, juſſit obſidionem removeri, cogitans qualiter alio modo, abſque ſuorum diſcrimine, hoſtibus ſuis reſiſtendum eſſet, quamobrem magnam ejuſdem expeditionis partem diſpertiens, per ſingula oppida, quæ Neapoli viciniora erant, inſtituit, uti eam, ipſo quoque diſcedente inſtanter comprimerent, ſuique rebelles, ſi quando fortè uſquam armati progrederentur, viciniùs ab ipſis poſſent reſtringi.

CAP. XXI.

Cuculum Rex pergit, & reædificat, Averſam reſtaurari jubet.

QUibus ita diſpoſitis perrexit Cuculum, quod dum ipſe à Sicilia moram redeundi faceret, à Piſanis, quos ſecum Princeps duxerat incaſſum, eo quòd Neapolitanis jubente ipſo adverſaretur, ex parte etiam fuerat ſubverſum. Quod videlicet oppidum, quoniam Neapoli propinquiſſimum exiſtebat, ad artandum eam quantocyus reædificans, meliùs etiam quàm antea fuerat, opere firmari præcepit, deinde prævidens magis Averſæ reſtitutione, rebellis Neapolis poſſe reſtringi ſuperbiam, perrexit illuc, atque eodem, quo priùs fuerat, juſſit reſtaurari ſitu, atque ad eam inhabitandum, cunctos, qui priùs illam inhabitaverant, redire permiſit.

CAP. XXII.

Neapolitani fame ac timore affliguntur.

INterim autem dum Rege ipſo cum ſuo exercitu præſente, ejuſdem civitatis inſtanter reparatio fieret, Princeps, & Comes, Magiſterque militum Sergius intra mœnium Neapolis ſepta concluſi neſciebant quid agerent, videntes ſe omnes jam in proximo fore ſuperandos, ni fortè undecumque adveniens ſuccurſus citiùs adeſſet. Nam & victus inopia indeſinenter angebantur, nilque quo ad vitam, cum ſuis ſuſtentaretur, de foris per terram advectum, ad eos intrare minimè poterat. Militum verò, qui ad ſtipendia ipſorum militare videbantur, alii verentes plurimùm regiam captionem, urbem quandocumque poterant, latenter exeuntes abſcedebant, alii autem poſſeſſiones proprias nolentes amittere, ad eas reſumendum, qui tamen Regis licentiam accipere poſſent, revertebantur.

CAP. XXIII.

Ad Piſanos Neapolitani confugiunt navales copias poſtulantes.

CUm ergo prædicti principes civitatis concluſione ita coërcerentur, hoc tandem ab eorum ſollertia providetur conſilium, ut ocyùs Piſam dirigentes civium aures miſſis precibus pulſarent, quatenus eorum miſerentes, ingentem per mare venientium belligerorum copiam tranſmitterent, eiſque celerrimum in extremo jam poſitis opitulationis ſuccurſum impenderent. Cùm ergo immenſa acies ab eis directa cum ratibus æquora ſulcando Neapolim tendiſſent, iſtiuſmodi præfirmantur conſilio, ut urbem *Amalfiam inchoante* auroræ ortu ſubitò aggredientes, aut prædarentur, aut Regi, ſi fortuna ſiniſtra non eis impedimentum ferret, eriperent.

CAP. XXIV.

Piſani Amalphiam invadunt, ac depopulantur.

ERat autem tunc Amalphia omnibus pœne evacuata belligeris viris quorum jam pars, jubente Rege, cum liburnis quattuor armatorum refertis copia, per marinas prædaturi aquas receſſerant, pars verò in hoſtem euntes cum Rege aderant, alii autem Piſanorum tunc navigia intuentes, quoniam eos putarunt Salernum aggreſſuros, citò illuc præeuntes eam tuituri, ibi remanſeruut. Venientes itaque ipſi Piſani ſubitò inchoante auroræ luce invaſerunt urbem, nulloque reſiſtente eam funditus, impièque depopulantur. Cùmque urbe tota depopulata, univerſa ad claſſem ſpolia tranſportata fuiſſent, mox Scala oppido cæteriſque Amalfiæ munitionibus invaſis, noviſſimò quoddam munimen, quod dicitur Fracta, oppugnare nituntur.

CAP. XXV.

Rex ſuper Piſanos irruens, cæde multos proſternit, captivos alios conſtringit.

DUm ergo Rex Rogerius, ut jam factum eſt, ad reparandum Averſam, bellica con-

constipatus expeditione sedulus intenderet, intimatum est sibi, quòd navalis prœliantium manus Pisâ adveniens Amalfiam proculdubio invaserat. At ille cognito hoc concitus, ipsam Aversæ restitutionem pro tempore dimittens, castra movit, Amalfiam violenter de manu excussurus. Quid multa? Dum ergo præfatum munimen, sicut jam dictum est, expugnaretur, ecce regius exercitus ex improviso irrumpens, partem ipsorum cæde prosternunt, partem verò captionis violentiâ subdunt, quorum videlicet numerus inter necatos, & captos, mille quingenti fuisse referuntur. Ex Consulibus autem ipsorum duo capti sunt, tertius verò percussus interiit, qui autem ad puppes remanserant, vel timore coacti ad eas fuerant reversi, innumeris, quibus onustati fuerant spoliis, fugam arripiendo evaserunt. Liburnarum verò numerum quidam asserunt fuisse quadraginta tres, alii verò plures; captivorum autem multitudinem per diversa Rex dispertiens loca, vinculis mancipandos direxit.

CAP. XXVI.

Princeps cum Pisanis Pisas ingressus novos belli apparatus disponit; cæteri custodiæ urbis invigilant.

CÆterùm piratæ ipsi Neapolim redeuntes cum Pisanis, quos Princeps secum duxerat, relictis ibi ad custodiam nonnullis ipsorum, simulque etiam cum eodem Principe Pisam ingressi sunt, veris tempore in adjutorium Neapolitanorum denuo reversuri. Verùm Sergius Magister militum, Comesque Ranulphus cum filio suo Roberto in urbe defensionis ejus causâ remanserunt. Ipse autem Robertus in primis adolescentiæ annis miles constitutus, maximè tunc temporis, ut erat adolescens, optimam audaciæ, virtutisque laudem jam consequi incipiebat.

CAP. XXVII.

Beneventani Regem suscipiunt. Is Anfusum filium Capuæ Principem constituit.

REx denique in unum rursus collecto immenso exercitu, Neapolitanorum vitiferas arbores, in quantum propriùs accedere potuit, omnes succisurus regreditur. Succisione itaque eadem circumquaque perpetrata, Aversam, quam pro tempore, ut jam dictum est, reædificatione inconsummata dimiserat, consummaturus revertitur. Qui postea videns se imminente jam hieme, non ultra diu secum posse retinere exercitum, sibique quantocyus repetendi Siciliam necessarium fore, ejus mox dispositâ, quæ fienda erat, restitutione, ordinatisque usquequaque per oppida ad tuitionem pedestribus, ac militaribus excubiis, Beneventum regreditur, figens castra subtus Padulum oppidum, non longè à flumine Caloris, ad quem mox pro parte omnium civium nonnulli ex primoribus Beneventanæ urbis cum Archiepiscopo exeuntes benigno, ac familiari famine ab eo commoniti sunt, ut de ejus penitùs amoris nil hæsitarent æquitare, diligenter pacis vinculo connecti studerent, ita ut nullum dissensionis civilis adinventorem sinè justæ animadversionis censura dimitterent, simulque fidelitatem ipsius, salva Apostolica fidelitate, devotissimè contra omnes custodirent. Nam animus ejus in hoc verè perseverabat intentus, ut eos semper diligere, benefacere, atque tueri paratus esset: si tamen in ipsa ejus fidelitate, ut cœperint, purè deinceps perseveraturi essent. Hæc, & his similia illi ab ejus ore audientes, hilariores redditi talia responderunt: Nos, inquiunt, domine Rex cuncta, quæ jubes libenter faciemus, tibique toto corde adhærebimus, nec quidquam, quod sit contra fidelitatem tuam, machinabimur, immo eam illibatam indesinenter servantes à tuo obsequio, post dominum Papam nullo deficiemus tempore, tantùm amor tuus, tuaque dignatio ne avertatur à nobis. Hæc ubi verba darent, recesserunt. Postera die Rex Rogerius filium suum nomine Anfusum, bonæ indolis puerum, cum favore Optimatum, militumque omnium, Capuani per vexillum sublimavit Principatus honore. Deinde continuò ipso die generum suum nomine Adam Comitali dignitate, qua illustratus fuerat Alexander Comes, cujus superiùs memoriam egi, magnificavit, virum scilicet juvenilis ætatis decore fulgentem, affabilem, militemque strenuissimum. Habebat autem Rex, & alios duos liberos adolescentiores, forma speciosissimos, morumque honestate præclarissimos, nec non ad suscipiendum militiæ cingulum jam utrosque adultos, quorum unum, qui erat primogenitus omnium fratrum, Rogerium nomine jam Ducali honore, alium autem Principatu Barensi provexerat. Erant autem & ei duo filii minimi, qui sub tenera adhuc pueritiæ ætate degentes sic in Regia Aula manebant.

CAP. XXVIII.

Telesinum Monasterium Rogerius adit, & à Monachis decenter suscipitur.

REx denique quos familiariores habebat, secum retentis, cæteros omnes illic ad propria remeare permisit. Post hæc motus inde regreditur, visurus quoddam municipium, quod nuncupatur Guardia, nec non arcem quandam, quæ dicitur Draconum, quæ erat in supremo montis valde ardui sita, ut sciret, quali, quantove, utraque præstarent muniminis robore. Ad quam tamen arcem antequam accessisset, dum iter ageret, Dominum oraturus ad Monasterium S. Salvatoris Telesini divertitur, cui cùm Abbas Alexander prænominatus, omnisque congregatio Fratrum obviam processissent, honorificè, ut decuit, ab eisdem susceptus, Deo laudes concinendo in Ecclesiam usque introducitur. Qui cùm genibus positis ante Altare orationem consummasset, ad capitulum ipsorum pergens, brevi tunc allocutione Abbatem, omnesque fratres familiariter ibidem excepit. Post hæc filius ejus præfatus Anfusus Sanctam eorundem Fraternitatem per manus ipsius Abbatis præsente Rege accepit, quam Rex ipse, ut suprà memoratum est, alterâ vice veniens susceperat.

CAP. XXIX.

Montem Monasterio supereminentem Rogerius Abbati restituendum pollicetur.

DEinde Rex cameram expetens, atque refectus, supplicante eodem Abbate mon-

tem ipsum Monasterio supereminentem, qui per multa annorum curricula amissus fuerat, ei restituendum promisit, nec non argenti tantum, quo calix, duoque turibula fierent, quibus tunc fratres ad servitium Dei præcipuè indigere videbantur, pollicitus est, quibus etiam vicissim dedit, ut ex his promissionibus, Salerni cùm esset, requiretur. Itaque indigentia quam ob causam contigerit, breviter hîc referatur. Quippe Cœnobium ipsum Comes Ranulphus, ut cum Rege guerram continuam agere posset, post multas diversarum rerum ejusdem oblationes ita constrinxerat, ut & altare ipsum, universo ejus substracto ornamento, denudare non timuerit. Unde factum est, ut ex hoc & Deum offendisset, & Rogerio, peccato ipso præpediente, prævalere non potuisset. Malè itaque usus est consilio, cùm putaret, divina surripiendo vasa, contra Rogerium sibi divinitus subveniri.

CAP. XXX.

Cajacia munitur. Guilielmus Archiepiscopus Capuanus eligitur.

REx igitur præfata Guardia, arceque Draconi curiosissimo intuitu perspectis, simulque quantum, vel ubi magis in eisdem roborandum esset præsignans, Cajaciam regreditur, qui castrum ipsius ascendens, totum in circuitu perspicaciùs considerat, atque ubicumque in eo ampliùs muniendum esset, prævidens, absque temporis dilatione præmuniri instituit, itemque disposuit. ut cuncti Proceres, qui in vicino positi erant, degentes, cum universis subjectivis suis militibus, qui terrestres erant, Cajaciæ circa castrum domibus suis constructis perpetuas haberent mansiones, videlicet ut castrum ipsum, quod naturali, & humano opere fortissimum cernebatur, cohabitationis etiam militaris numerositate roboraretur, ubi etiam nonnulli tunc de Clero Capuanæ civitatis, & de civibus laicis aliqui advenientes cum consilio Regis quendam clericum nomine Guilielmum, virum utique in divinis, & humanis rebus scientia præditum, ad Archiepiscopatus officium elegerunt; nam antecessor ejus in Simoniaca repertus pravitate, depositaria fuerat plexus censura.

CAP. XXXI.

Guilielmus Electus, & Anfusus Rogerii filius à Capuanis cum lætitia excipiuntur. Proceres omnes fidelitatem Anfuso eorum Principi jurant.

POst hæc autem Rege Capuam redeunte primitus eidem electo, deinde ejusdem Regis filio, qui supradictus est, Anfuso, Clerus, & populus singulas processiones facientes in urbem introduxerunt: ubi scilicet omnes Principatus Capuani proceres convenientes novo Principi submissi, hominio suo fidelitatem juravere, salva tamen sua, filiique ejus Rogerii fidelitate, qui ei in regnum successurus erat. Deinde, ut omnibus injusta patientibus exhiberetur justitia, præfato electo, simulque Magnati cuidam, qui vocabatur Haymon de Argentia, imposuit. Verùm & super universam terram, quæ sub proprio erat dominio, quendam strenuum, cui nomen erat Gaucellinus, virum utique in sæcularibus sollertissimum rebus, procuratorem constituit. Militiæ verò, quæ pro defensione Terræ-Laboris delegata fuerat, quosdam, in quibus magis confidebat, Comites, dum ipse à Sicilia reverteretur, per vices statutas sibi successuros, jam antea, cùm esset Aversæ, præposuerat.

CAP. XXXII.

Fideles suos statutis vicibus Rex disponit ad defensionem Terræ Laboris.

EX quibus videlicet vicibus primò accepit agendam præfatus gener Regis Adam. Secundam verò post eum acturus erat Comes Robertus filius Ricardi, tertiam autem post illum Simon Comes Sancti Angeli Montis Gargani, sicque cæteri per ordinem: qui Simon Consobrinus frater regis erat, scilicet valentissimus miles, filiusque Henrici Comitis, ejusdem Regis avunculi. Hic quoque Henricus omni tunc probitate decoris, totiusque affabilitatis dulcedine splendidus, in consilio providus, rebusque bellicis strenuissimus, immensæ laudis gratiâ, ex hoc quammaximè efferebatur, quòd etiam Regi ipsi, ut Ducalem denique coronam Regni consequeretur, consilii prudentia, seu facto, præ omnibus affuisse fertur.

CAP. XXXIII.

Siciliam petiturus Rogerius plura oppida videre studet.

CUm ergo hæc, & alia ab eo statuta fuissent, motus est inde, Siciliam quantocyus repetiturus, dumque iter agens Argentium appropinquasset, viso eo placuit sibi subverti, quandoquidem non admodum idoneum pro defensione fore cernebatur. Post hæc quoque gradiens, Vallem Caudinam expetit, ejus cupiens qualiter se haberent oppida, videre, Appadium scilicet, Montemque-Sartium, nam cætera jubente ipso jam fuerant subversa, à qua videlicet Mathildam Sororem suam remotam, in Siciliam, saniori usus consilio, elongaverat, ne quando fortè vir ejus quolibet modo eam seducens, per ejus consensum aditum inveniret, quo contrarium sibi in futurum ingerere posset.

CAP. XXXIV.

Coteo, ac Cipparuno oppidis præmunitis Salernum tendit.

IGitur prædictis oppidis prævisis, ordinatisque, quæ ibidem videbantur ordinanda, ad Castrum, quod dicitur Coteum prævisurus festinat, quod cùm prævisum ampliùs præmuniri jussisset, Cipparunum etiam oppidum prævidendum properat, qui & ipsum, quomodo, qualiterve fortiùs muniendum esset, instituens, Salernum tandem pervênit.

CAP. XXXV.

Telesini Cœnobii Monachis optatum Montem concedi mandat, quos argenteis donis Rogerius ditat.

VErùm præfatus Alexander Abbas audiens Regem Salernum adveniſſe, promissionis ejus non immemor, misit continuò Priorem Cœ-

Cœnobii ſui Stephanum nomine, aliumque fratrem cum eo, qui ei quæ promiſerat, ad mentem revocarent. At ille mox advenientibus eis lætanti animo, tantum argenti, quo ealix, duoque turibularia fierent, dedit, ſcriptoque Gaucellino ejus Vicedomino direxit, quatenus Montem præfatum Teleſino Abbati, quòd juris Monaſterii eſſet, aſſignaret. Gaucellinus ergo cùm mandatum ipſius accepiſſet, illicò Montem ipſum, ſicut per literas mandaverat, per Minanum Vicecomitem eidem Abbati aſſignari fecit, de cujus quoque aſſignatione Abbas ipſe, ejuſdemque congregatio gaviſi ſunt gaudio magno valde, gratias agentes Deo, qui ipſum eundem Montem, per tot tempora amiſſum, Monaſterio A per Rogerium recuperari fecit. Unde mox prænominatus Abbas ad Miſſam matutinalem, pro ſalute, & vita ipſius, filiorumque ejus ſollemnem orationem in conventu quotidie fieri inſtituit. Quoniam itaque bona ſemper ſunt recolenda, idcirco hanc ipſam Regis beneficentiam conſcribi dignum duximus, ut aut ipſe Rex reminiſcens ad melius peragendum provocetur, aut alius ejus exemplo, ad ſimile quid exercendum excitetur. Rex itaque poſtea mare ingreſſus Siciliam, cum immenſa expeditione, veris tempore ad expugnandum rurſus Neapolim reverſurus repetit. Tertius in hoc loco finiatur libellus, ut paullulum mente refoti, vires dicendi, ad inchoandum quartum reſumamus. B

Explicit Liber Tertius.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Comes Adam militiâ ſuâ Neapolim affligit.

POſt diſceſſum Regis in Siciliam, ſecundùm vices, ſicut jam dictum eſt, quæ ab eo conſtitutæ fuerant, prænemoratus Comes Adam ad regendum Averſam, militiam primus ingreditur, qui dum ſe in eadem viriliter, optimèque ageret, magnam de ſe, in militari ſtrenuitate famam tunc divulgavit. Nam ſæpiſſima diſcurſione, ejuſdem urbis exteriora ita circumquaque militando coërcuit, ut non jam ad portam ejus uſque vereretur accedere, verùm civitas ipſa tanta panis inopia jam angebatur, ut vix duo valde puſilli panes de milio Rothomagenſi nummo mercarentur. Porrò milites, quibus Adam ipſe præerat, circiter mille erant, ex quibus ad arcendum Neapolim, alii in oppido, quod dicitur Suma, alii Acerris, nonnulli in munitione Cuculi, quamplures Averſæ excubare jubentur.

CAP. II.

Comite Adam recedente, Robertus ad compeſcendos Neapolitanos ei ſuccedit.

NEapoli verò tam præ timore Regis, quàm pro cibi penuria, militum poſt non pauco numero abſcedente, vix trecenti remanſerant, qui interdiu, etſi pro paucitate ſui apertè reſiſtere non poterant, per noctis tamen ſilentium exeuntes, ignorantibus illis incendia, prædaſque agebant. Cùm ergo hujuſcemodi infeſtationibus & illi præliando alternarentur, Comes Adam appropinquante vicis ſuæ termino, ad ſua repedavit, cui ſucceſſit Comes Robertus filius Ricardi, ſcilicet fideliſſimus Regis, virque bellicoſiſſimus, qui pro ſumma, quam erga eundem Regem habuit, fidei finceritate, tanto ab eo donatus eſt munere, ut Bojanenſis Comitatus ſit magnificatus honore. Habebat namque Rex hanc laude dignam conſuetudinem, ut quemcumque penes ſe potiori, atque ſinceriori fide præditum cerneret, non ſolùm ampliori circa ſe dilectione haberetur, verumetiam ejuſdem gratiâ non fruſtraretur. Infidum verò ſi quemlibet ſemel reperiret, ei pro hujuſcemodi nota, ad ipſius amoris dulcedinem pertingere, aut vix, aut numquam poſſibile erat.

CAP. III.

Rogerii Regis boni mores deſcribuntur, ac laudantur.

SEd quoniam ſe in hoc loco occaſio præbuit, ejus boni mores qui, & quales in eo exſtiterint ſignificare, ad laudem, & memoriam ipſius prætereundum non eſt. Erat quippe amator juſtitiæ, atque defenſor, ultorque malorum ſeveriſſimus. Mendacium autem loquentem per omnia ita exoſum habebat, ut ſi quis, cùm verum dicturus eſſet, falſum protuliſſet, ei ultra ad credendum animus ejus aut vix, aut numquam flecteretur. Eccleſiarum quoque, ſeu Monaſteriorum munificus, atque protector erat. Otio, vel vacationi vix umquam ſubdebatur, in tantum, ut ſi quando à cæteris utilioribus occupationibus ſibi vacare contingeret, aut publicis exactionibus invigilaret, aut datorum, ſive dandorum, ſeu eorum, quæ accipienda erant, reminiſci, vel quæ recenſenda erant, recenſere ſatageret, quatenus meliùs de ſuo tribuendum ærario, vel ubi adeundum eſſet, ſub chirographorum ratiociniis ſemper habebatur, & ut ampliùs dicam, nullum quid ſibi erat, quod non ſub ſcripti ratione ſervaretur, aut erogaretur, nil tamen cuiquam per inanem largitatem tribuebat, unde in nullo umquam egere poterat, qui tanta ſollertia, tantaque cautelæ diligentia ſua curabat, verens in illud, quod vulgò dicitur, incidere: qui non vivit ad numerum, victurus erit ad dedecus.

CAP. IV.

Militaris virtus & modeſtia Rogerii.

STipendia verò militaria, vel quidquid ex conventione ſeu promiſſione dandum eſſet, incunctanter perſolvebat. Nunquam verò quod daturus, vel dandum non eſſet, polliceri volebat. In faciendis non præceps exiſtebat, ſed priuſquam eorum quid incoharetur, ſemper providentiæ oculo præmuniri ſtudebat. Neminem quoque ex præjudicio puniri, vel ſua auferri quærebat. Cui verò aliquid pro merito bonum, vel malum promitteret, ſeu comminaretur, firmum, ratumque erat. Sed & hoc in eo erat valde mirabile, quia cùm in hoſtem poſitus eſſet, ita providè bellica acta diſponebat, ut ſemper, & ubique ſinè ſanguinis effuſione ſuperans, exercitus etiam ſui vitaret diſcrimen. Erat autem & in loquela velox, prudentia pollens, conſilii gravitate præditus, ſermone luculentus, atque repentinis reſponſionibus ſemper ſapienter reſpondere paratus. Sed quia familiaritas ſolet parere contemptum, ita ipſe publicè, & privatim in familiaritate, vel affabilitate, ſeu jucunditate habebatur modeſtus, ut numquam etiam deſiſteret timeri. In tantum enim profuit metus ipſius, ut de cunctis, Deo cooperante, regni ſui finibus, omni penitùs eliminata iniquitate, non niſi quæ juſtitiæ, & pacis erant, ſectarentur, ita ut illud Pſalmiſtæ in eo videretur compleri: *juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.*

CAP. V.

Sergius Piſas petit auxilium contra Regem poſtulaturus. Rogerius Rogerium Ducali, & Tancredum filios Barenſis Principatus honore decorat. Roberto Comiti Simon Sancti Angeli ad conſtringendos Neapolitanos ſuccedit.

QUoniam ergo egregios Regis mores diſferentes paulò longiùs evagati ſumus, nunc ad narrationis ordinem ſtylus revertatur. Robertus itaque præmemoratus Comes, cùm, recedente Adam, militiæ Regis apud Averſam regimen ſuſcepiſſet, ita omni mi-

militaris virtutis, & ſtrenuitatis inſtantia Neapolitanos conſtringebat fines, ut numquam per eos, ad malum inferendum hoſtibus exire daretur, niſi fortè in nocte, cùm videri non poſſent. Sergius verò Magiſter militum, ex quo Rex in Siciliam diſceſſit, Piſam navigio tranſvectus abiit, ſi fortè inde ſibi, cæteriſque ſuis excuſionis opem collaturus eſſet, cùm Rex ipſe Neapolim obſeſſurus rediret. Ipſe autem Rex Natalis Dominici ſubſequentis die adveniente, duos liberos ſuos ad militiam promovit, Rogerium ſcilicet Ducem, & Tancredum Barenſem Principem, ad quorum videlicet laudem, & honorem quadraginta equites cum eiſdem ipſis militari cingulo decoravit. At Robertus Comes, qui totiens jam ſupradictus eſt, completis in ſorte vicis ſuæ apud Averſam, duobus menſibus, Novembri ſcilicet, & Decembri ad ſua revertitur, cui ſucceſſit Simon Comes S. Angeli, cujus ſuperiùs memoria habita eſt, vir ſcilicet, ut jam dictum eſt, potens in armis, ſollertiſque ingenii.

Explicit Liber Quartus.

EJUS-

Digitized by Google

EJUSDEM

ALEXANDRI ABBATIS TELESINI ALLOQUIUM AD REGEM ROGERIUM.

ECce Domine mi Rex Rogeri libellum iſtum nemini potiùs deſtinandum putavimus, quàm tibi ipſi, ad cujus quoque gloriam, & honorem editus conſtat. Quod quidem idcirco fieri volumus, quatenus geſta famoſiſſimæ victoriæ tuæ ſæpiſſimè relegens, memor ſis Domini Salvatoris tui Regis æterni, eique placere ſtudeas, cujus beneficii munere te triumphaſſe, regnumque obtinuiſſe non dubitamus. Cujus etiam propter hoc gratias agere non ceſſes: atque cum Pſalmiſta decantes dicens: *Non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Tanto namque perſeverantiùs, firmiùſque te regnaturum non ambigimus, quanto ab ipſo & triumphi gratiam, & regni decorem te accepiſſe cognoveris, quantoque etiam ejus imperiis mente te ipſum ſubdideris. Præterea tuam precamur magnificentiam, ut labor noſter, quem huic, pro honore tuo, impendimus opuſculo, hujuſmodi muneris recompenſatione ſublevetur, quatinus, videlicet nobis in Dei ſervitio jugiter exiſtentibus, ſuſtentationem, quietem, pacem, ſeu libertatem continuò præſtes, quibus ampliùs, liberiùs, ſecuriùſque divinum exequentes famulatum, pro tua, tuorumque filiorum capeſſenda ſalute, attentiùs, devotiùſque orare debeamus. Nam ſi Virgilius maximus poëtarum, apud Octavianum Imperatorem tantum promeruit, ut pro duobus, quos ad laudem ſui ediderat, verſibus, Neapolis civitatis, ſimulque provinciæ Calabriæ dominatûs caducam ab eo receperit retributionem, multo meliùs credimus nos apud te, his recompenſari, quæ ad divinum peragendum obſequium poſcimus, non tantùm quidem pro opuſculo hoc, quantùm etiam pro mercede animæ tuæ, nec non & pro Domino Salvatore noſtro, in cujus quoque nomine hîc congregati ſumus, & per quem tu ipſe hucuſque ſalvus factus præſens conſecutus es regnum. Oramus præterea ipſum Salvatorem noſtrum, ut illud in te modò regnante efficiatur operis, per quod & præſens, & futurum promerearis poſſidere Regnum, quorum alterum, ideſt futurum, ſinè dubio quandoque adipiſcêris, ſi bene, rectèque adminiſtraveris iſtud. Quid enim profuit Sauli Iſraëliticum divina voluntate poſſediſſe regnum, cùm poſtea contemptis ejus imperiis, utrumque amiſerit regnum? Aut quid etiam profuit Romanis Imperatoribus, Octaviano ſcilicet Auguſto, & Domitiano, & Maximino, cæteriſque, univerſo imperaſſe Mundo, cùm modò in inferno ſepulti in æternum cruciantur? Ut igitur generalia caveri valeant tormenta, de regni honore, quo nunc inluſtratus es, Deum ipſum magnificare, ipſique ſervire, eidemque placere ſtudeas, qui dedit. Nam ſicut condecet, ut quis tibi ſervitutis debitum ſolvat, ex iis, quæ à te tenêre videtur, ita & oportet, ut & tu domino

A Deo pro iis, quæ tibi contulit, immo commiſit, placitum ei exhibeas famulatum. Quodſi forſitan quæretur, quæ ſint ea, quibus bene, & rectè præſens adminiſtrari debeat regnum, Domino concedente, breviter aperiemus. Regnum igitur bene, rectèque adminiſtrare eſt, cùm utrumque tempus & belli, & pacis rectè gubernatur, dum & per legum tramites rerum iniquitates expellas, atque armis, victis hoſtibus, ſis triumphator. Memento itaque te idcirco Regis nomine cenſeri, ut omnes ſub ditione tua poſiti, & juſtitiæ cenſura, & pacis vinculo regantur. Ut ergo hujuſmodi pacis, atque juſtitiæ bonum in Regno tuo perpetuari valeat, multùm prodeſt, ſi tu ſolus munitiores, & inexpugnabiles urbes, ac fortiora, & inexpugnabilia oppida proprio ſubdideris dominio. Revocetur itaque ad mentem tuam laudabilis Conſtantinopolitani Imperatoris prudentia, qui pro conſervatione ejuſdem pacis, atque juſtitiæ, validioribus terris ſibi retentis, cæteris verò, quæ ſub eo ſunt planiores, immo debiliores terras ad ſibi ſubdendum, & obſequendum dimittit. Dum itaque ad ipſum ſimili cautione providendum ſtudueris, eris, ſicut dicit Salomon, tamquam leo fortiſſimus beſtiarum, qui ad nullius pavebit occurſum: ſiquidem innocentium dormieris ſecurus, *quieſces in die antevigilans*, ipſas etiam vigilias ſinè trepidatione pertranſiens. Hujuſmodi ergo ſaluberrimum conſilium omnia te deſiderio amplectetur, & cave ne unquam ipſius oblitus prætereas, quoniam ſcio illud Deo omnino eſſe placitum, & ab ejus voluntate non diſcrepare. Præterea votis omnibus ſuademus Serenitati tuæ, ut memor condicionis tuæ, in mente habeas Dominum conditorem tuum, ipſumque Regem tuum fore cognoſcas, qui eſt Rex Regum omnium, Dominus dominantium, in cujus etiam manu omnes fines terræ, & corda Regum conſtituit, cujus ſolius eſt diſponere tempora, Regna diſtribuere, eaque auferre quando voluerit, unde ſolus ipſe eſt colendus, metuendus, & adorandus, à quo nimirum præveniente nos ejus gratia, cùm non eſſemus, habemus eſſe, vivere, & intelligere, atque moveri. Unde dicit Apoſtolus: *quid enim habes, quod non accepiſti? aut quid gloriaris tamquam non acceperis?* Cave ergo, ne quando in corde tuo cogitatio ſubrepens perſuadeat tibi, aliquid ſinè eo poſſe haberi, ipſe enim, qui dedit corpus, & animam, te nil operante, nec etiam ſciente, ipſe quippe dedit & cætera quæcumque habes: etiam ſi quid in eis viſus es operari. Unde in Evangelio diſcipulis ſuis Veritas dicit: *Sinè me nihil poteſtis facere*. Si ergo diſcipuli Petrus, & Paulus, Andreas, cæterique Apoſtoli ſinè ipſo nil potuiſſe facere credendi ſunt, quantò magis omnes nos, qui ad comparationem illorum pœne nihil ſumus? Multi quippe, Deo

vo-

Digitized by Google

volente, aut permittente pro ſuo velle, in hoc ſæculo proſperati ſunt, qui poſtmodum evaneſcentes in cogitationibus ſuis, hoc ipſum non Deo, ſed ſibi imputantes altiùs corruerunt. Ex quibus exſtitit unus Nabucodonoſor Rex Babylonis, qui dum ambularet in Aula Regia, ſubitò elevatum eſt cor ejus valde dicens: *nonne hæc eſt Babylon magna? quam ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis, & in gloria decoris mei?* His itaque verbis ſatis manifeſtum eſt, illum nimis contra Deum ſuperbiſſe, cùm Babylonem non in ejus robore, atque fortitudine, ſed in ſua ædificatam fuiſſe virtute aſſeruit. Unde meritò ſtatim ipſe in amentiam verſus, de Regno ſuo ejectus eſt, atque per ſeptem annos cum beſtiis agri, ad inſtar ipſarum permanſit degens. Poſtea verò Deo volente ad ſenſum ſuum reverſus, ſe ſeque per ſuperbiam erraſſe cognoſcens, tandem honori prædicto reſtituitur, atque Regem Cœli laudavit, glorificavit, atque magnificavit, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & omnes ambulantes in ſuperbia poteſt humiliare. Ut poſſit igitur ſuperbiæ lapſus præcaveri, omnem gloriam, & honorem, Regnum, virtutem, divitas, ſapientiam, prudentiam, & cætera omnia ab ipſo te accepiſſe non dubites, & ut breviùs totum compræhendam,

A nullus omnino Angelus in Cœlo, neque homo in terra exſtitit, qui ſinè ejus datione non ſolùm aliquid, ſed nec ipſum eſſe aliquando habere potuerit. Ipſe namque ſolus Deus à ſe habet quidquid habet, quia à ſe, & non ab alio eſt. Veniat denique ad memoriam David Sanctus Rex, ejuſque imitator fieri ſtudeas, qui dum Iſraëliticum Regnum ſinè ulla contraditione poſſideret, in cunctis ſe tamen deſpicit, ſuiſque in oculis humilem eſſe confitetur, dum coram arca Domini ſaltando diceret: *Ludam, & vilior fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Conſtat itaque, quia dum Rex David ſe primùm conſpicit per humilitatem, à Deo quippe
B magnus æſtimatur, atque in Regno, quo exaltatus fuerat, magis meruit confirmari. Sic etiam Conſtantinus Imperator, dum poſt baptiſmatis perceptionem, per univerſum imperaret Orbem, tantæ ſubjectionis erga Deum exſtitit, ut ejus non deſereret imperium, & idcirco cum David de Regno, ad Regnum, & Imperio, ad Imperium cœleſte meruit tranſferri, ad quod videlicet Regnum, & Imperium ſuo tempore, & tu transferaris cum eiſdem regnaturus, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo V.
RERUM ITALICARUM.

A

Abagelardus filius Umfredi Comitis Roberto Guiſcardo patruo infeſtus. 262. A. 268. A. 576. E.
Ab eodem Roberto, & Rogerio patruis obſeſſus fugere cogitur. 577. B.
Abraham Rex Saracenorum percuſſus ictu fulguris. 38. A.
Adalardus Regienſis Epiſcopus. 347. B.
Adam Rogerii I. Regis gener. 639. B. & 640. E.
Ab eodem Comes efficitur. 639. B.
Neapolim militiâ ſuâ affligit. 642. A.
Adela Roberti Flandrenſium Marchionis filia nupta Rogerio Duci Roberti Guiſcardi filio. 597. B.
Adelais neptis Bonifacii Marchionis nupta Rogerio Siciliæ Comiti. 594. E. 601. C.
Ejus mors. 603. A.
Adelberga Deſiderii Regis filia nupta Arichi Duci Beneventano. 31. B.
Adelbertus Italiæ Rex. 346. B.
Obſidet Canoſſam. 348. B.
Litulphum Ottonis filium necat. 349. C. *Vide* Albertus.
Adelchis Princeps Beneventi. 7. D. 20. C. *Vide* Adelgiſus.
Adelchiſus Langobardorum Rex. 16. C.
Adeleita Lotharii II Italiæ Regis uxor à Berengario II. vexata. 346. A.
In arce Gardæ concluſa. Ibid. B.
Canoſſæ in arce recipitur. 347. B.
Adelgiſus Princeps Beneventanus Saracenos ad ſe vocat. 21. C. *Vide* Adelchis.
Ludovicum II. Auguſtum impiè capit. 22. D.
In Saracenos infelici ſucceſſu inſurgit. 23. B.
A ſuis necatur. 24. A.
Adelpertus Caſinenſis Abbas. 210. A.
Adrianus IV. Papa. 66. B.
Beneventum ſe confert. 67. A.
Guilielmum I. Regem Siciliæ coronat. 68. A.
Ejus obitus. Ibid. B.
Dies emortualis. 75. E.
Advocati Eccleſiarum, quale eorum munus. 441. & 505. D.
Æmiliæ nomen Regienſi Urbi datum. 372. C. & D.
Agios feſtum invectum in Mediolanenſem Eccleſiam. 492. B.
Agnes Imperatrix Henrici IV. mater. 361. A.
Pacem curat pro filio. 362. A.
Agrigentum Siciliæ Civitas. 563. A.
A Rogerio Comite capta. 591. A.
Aimericus S. R. E. Cardinalis. 125. D.
Ajo I. Dux Beneventi. 7. D.
Ajo II. Princeps Beneventi. 7. D. 25. A.
Imbecillis & robuſtus. 26. A.
A Guidone Spoletano captus. 27. B.
Ejus bella in Græcos. 28. C.
A Græcis victus Barim fugit. 29. B. *Vide* Alo.
Aiſtulphus Langobardorum Rex. 15. B.
Vexat Romanos, & moritur. 16. A. 31. A.
Alaranus Rex Hungariæ Rogerii Siciliæ Comitis filiam in uxorem ducit. 599. E.
Albenſes ad excidium Comi à Mediolanenſibus acciti. 452.
Alberada Roberti Guiſcardi uxor, ab eo repudiata. 557. E.
Alberia Rogerii I. Regis conjux moritur. 634. A.
Albericus Monachus & Præpoſitus S. Mariæ de Albanata Auctor videtur Chronici Caſinenſis. 137.
Albertus Cluniacenſis Pontidii Monaſterium condit. 465.
Albertus Blandrati Comes. 452.
Albertus Vicecomes Bonifacii Marchionis. 356. B.
Albingaunenſes ad excidium Comi à Mediolanenſibus acciti. 452.
Albritius (Horatius) Bergomenſis laudatus. 525.
Aldemarius Princeps Salernitanus. 8. B. 20. B. 21. E.
Alexander II. Papa. 44. C. 57. A. 58. A. & 361. A.
Ejus dies emortualis. 75. C.
Eccleſiam Caſinenſem conſecrat. 76. C. 77. A.
Cadaloum dejicit. 362. A.
De Normannorum victoria in Saracenos Siculos gaudet. 569. A.
Alexander III. Papa electus. 68. B.
In Franciam navigat. Ibid. A.
Beneventum fugit. 69. A.
Pacem init cum Friderico I. Imp. Ibid. B.
Lateranenſe Concilium celebrat. Ibid.
Ad plures annos abit. 70. A.
Alexander IV. Papa. 605. E.
Alexander Græcorum Imperator. 26. B. 37. A.
Alexander Comes Rogerii rebellibus ſociatur. 628. C.
Regem expaveſcens ad Ranulphum pergit. Ibid A.
Ejus fuga, & infortunia. Ibid. C.
Alexander Teleſini Monaſterii Abbas, Auctor Hiſtoriæ Siculæ. 609. & 615. A.
Quo tempore ſcripſerit. Ibid.
A Mathildi Comitiſſa opus perficere rogatur. 615. A.
Queritur de ſiniſtro belli exitu, quo Rogerius ſuperatur. 627. D.
Eumdem Rogerium in ſuo Monaſterio recipit. 633. B. & 639. D.
Ipſius Alloquium ad Regem Rogerium. 644.
Alexius Comnenus Imperator Græcorum. 45. A.
A Roberto Guiſcardo, ejuſque filio Boamundo bis victus. 286. E.
Alexius Comnenus, poſtea Imperator Græcorum, militiæ Princeps. 270. C.
Imperium arripit. 271. C.

In

Digitized by Google

In Robertum Guiscardum arma movet. 272. C.
Ab eo vincitur. 273. C.
Timor ei incussus à Boamundo Principe. 288. D.
Ejus subdolæ literæ ad Boamundum. 289. B.
Tancredum sibi devincire nequit. 292. C.
Latinorum ritibus infestus. 594. B.
Comitissæ Mathildi dona mittit. 365. C.
Alfanus Capuanus Archiepiscopus. 68. B.
Alfusus Rogerii Regis Siciliæ filius, Princeps Capuæ. 62. A. 65. A. 76. A. 131. C. 639. B. & 640. E. *Vide* Amfusus.
Aligernus Casinensis Abbas. 212. A.
Allifa Urbs. 636. E. & 637. B.
Allobroges appellati Provinciales. 346. A.
Alo, seu Ajo II. Princeps Beneventi. 37. A. & B. 38. A. *Vide* Ajo.
Alphonsus I. Rex Siciliæ. 50. C.
Alphonsus II. Rex Siciliæ. 50. C. 51. A.
Amalfis subjecta Græcis Langobardorum temporibus. 176. B.
A Roberto Guiscardo protecta, & occupata. 267. B.
Roberto Guiscardo deditur. 576. C.
Amalphitani Rogerio Duci rebelles obsidentur. 599. A. 617 B. & 623. B.
Subjiciuntur. 617. B. 623. B.
Ambrosius Bergomensis Episcopus. 524.
Ejus Familia quàm nobilis. 531.
Ambrosianæ Ecclesiæ distributiones in præcipuis solemnitatibus. 473. A. & D.
Multi ibi Primicerii. 475. C.
Amfusus Princeps Capuæ. 62. A. & D. 65. A.
Ejus dies emortualis. 76. A. *Vide* Alfusus.
Anacletus II. Antipapa. 61. B. & 512. A.
Ejus mors. 64. A.
Rogerium Ducem coronat in Regem Siciliæ. 106. C.
Beneventanos in ordinem redigit. 107. C.
Ad resipiscendum frustra invitatus. 115. B.
Benevento potitur. 119. D.
Diem claudit extremum. 125. D.
Ei adhæret Anselmus Archiepisc. Mediolan. 516. A.
Anastasius III. Papa. 66. A.
Ejus dies emortualis. 76. A.
Anastasius Cardin. Albanen. Episcopus ad Beneventanos Legatus. 87. A.
Ancellus Cruce-signatus in Arcarum obsidione occumbit. 318. B.
Ancona à Friderico I. Augusto obsessa. 69. A.
Andreas Rex Siciliæ. 50 B.
Andreas Episcopus Oretanus. 40. C.
Andreas Comes Rupiscaninæ Apuliam invadit. 66. E. 67. A.
Terras Casinensis Monasterii eripit. 68. A. & B
Angelarius Abbas Casinensis Monasterium reædificat. 27. E. 28. A. 208. D.
Anglia à Guilielmo Comite Normanniæ capta. 44. A.
Anonymus Casinensis, ejus Chronicon. 53. A.
Ejus prochronismi. Ibid.
An Albericus Monachus appellandus. 137.
Anonymi Poëma de bello, & excidio Novocomensis urbis. 401.
Anselmus de Buis electus Archiepisc. Mediolanensis. 471. A.
Pallium ab Urbano II. per Legatum Apostolicum recipit. 465.
Conradum Regem coronat. 471. A.
In Orientem transfretat. 421.
Contra Danismam superatur. 330. B.
Moritur. 473. A. B. 474 A. & B.
Num bis in Orientem profectus. Ibid B.
Anselmus de Rhaude Archiepisc. Mediolanensis. 471. A.
Ab Henrico IV. Rege investitus. 480. B. & C.
Anselmus de Pusterla in Gallicis Scholis literis dat operam. 485. B.
Mediolanum regreditur. 487. B. 491. A.
Pacem Civibus suadet. 496. A.
Anathemate percussus. Ibid. B.
Romæ in Synodo sedet. 498 B.
Archiepiscopus eligitur. 508. A.
Anselmus IV. Mediolanensis Archiepiscopus quo anno electus. 402.
In Comenses iratus. 428.
Annus ejus electionis in examen adductus. 507.
E. 508. E.
Pallium recipere Romæ renuit. 510. A.
Conradum Sueviæ Ducem Regem coronat. 511. B.
Ea de causa excommunicatur à Romano Pontifice. 512. A.
Pallium ab Anacleto recipit. Ibid.
Per Clerum è Mediolanensi Sede expellitur. 514. A.
Ejus depositionem confirmat Innocentius II. 515. A.
Captivus Romæ moritur. 576. B.
De illius fine fabulæ. 517. C.
Anselmus Lucensis Episcopus, vir sanctus, Mathildi adhæret. 368 B.
Mortem illius miracula subsequuntur. 369. B.
Vicarius Papæ apud Comitissam Mathildim. 385. A. 394. C.
Anselmus Marchio del Busco. 511. B.
Anselmus de Monte Leoduni Theologiæ Magister. 487. B. & D.
Ansgerius Catanensis Episcopus. 539. & 547.
Antarta idem ac rebellis. 175. C.
Antiochia à Christianis obsessa. 301. C.
Ab iisdem capta. 49. B. 59. A. 175. A.
Ab Armeno traditur. 308. A.
A Turcis iterum obsessa. 309. E.
Cum strage illorum liberatur. 313. C.
A Roberto incenditur. 310. A.
Apodiensis Episcopus in exercitu Cruce-signatorum. 307. D.
Ejus oratio ad milites in obsidione Antiochiæ. Ibid. E.
Apollinaris Casinensis Abbas. 206. B.
Apollonii Martyris Reliquiæ Canossam delatæ. 350. A.
Appadium Oppidum. 640. C.
Apulia Italiæ nomine significata à Græcis. 43. C. 87. D.
Item Langobardiæ. 41. C. 42. D. 172. B. 188. C.
Mortuo Wilielmo Duce Tyrannorum ambitione surripitur. 616. D.
Apuliæ Magnates contra Rogerium ab Honorio II. Pont. fœdere junguntur. 617. B.
A Roberto, deficientibus stipendiis, recedunt. 619. A.
Honorium Papam Rogerio adhæsisse cognoscentes ad sua revertuntur. Ibid. B.
Arbertus Episcopus Taurinensis. 518. B.
Arcæ Oppidum à Tancredo obsessum. 317. E. & 318. C. & D.
Ardericus Laudensis Episcopus. 484. C.
Mediolanensibus contra suam civitatem auxilium præbet. 486. B.

Vi-

Digitized by Google

Vicarius Archiepiſcopi Mediolanenſis. 487. B. 491. C.
Arduinus Jovienſis Epiſcopus. 599. A.
Arengum Mediolani quid foret. 501. E.
Argelatus (Philippus) laudatus. 405. & 464.
Argeritius Græcus Barenſi urbi dominatur. 572. E.
Argyrus Meli filius Dux, & Princeps à Normannis conſtitutus. 150. B. 151. A.
Dux Italiæ. 43. B. 257. D.
Arialdus Genuenſis Epiſcopus. 474. B. 488. A. 490. A. 491. D.
Arialdus Abbas S. Dionyſii Mediolanenſis. 476. B. & D. 478. D. 480. A. 485. B.
Arichis I. Dux Beneventi. 7. C.
Arichis II. Dux Beneventi. 7. C.
Bello impetitus à Francis. 16. B.
Salernum civitatem, & Monaſteria condit. *Ibid.* D.
Ejus geſta. 31. B.
Armannus de Ganardo S. R. E. Cardinalis electus Epiſcopus Brixienſis. 469. A.
Quis ille fuerit. 470. C. 474. B.
Ab Epiſcopatu depoſitus. 500. A.
Armentum Oppidum à Rogerio I. Rege captum. 628. D.
Arnaldus Rex Angliæ. 44. A.
Arnaldus Archiep. Acheruntinus. 45. B.
Quo anno mortuus. 49. A.
Arnulphus Patriarcha Hieroſolymitanus. 283. 286. B.
Arnulphus Archiep. Mediolan. ejus mors. 469. A. 471. A. 498. D.
Arona arx munitiſſima Archiepiſcopatus Mediolan. 487. A.
Aſcalon civitas à Francis capta. 327. E.
Aſtenſes contra Comum Mediolanenſibus ſe adjungunt. 418. & 452.
Atenolphus Beneventi, & Capuæ Princeps. 8. A.
Atenolphus, & Landolphus Atenolphi filii, Principes Capuæ. 8. A.
Atenolphus Comes, & Princeps Capuæ. 10. D. 27. A. 28. A.
Contra Athanaſium Neapolitanum Epiſcopum prævalet. 29. B.
Atenulphus Epiſc. Capuanus. 56. A.
Atenulfus Caſinenſis Abbas. 214. E.
Athanaſius junior Epiſc. Neapolitanus, & Dux fratrem capit. 23. E.
Cum Saracenis pacem init. 24. B.
Eos ad ſe vocat. 25. B.
Fraudes molitur, ut Capuá potiatur. 26. B. 27. B. & 28. B.
Atto Princeps filius Sigefredi. 345. B.
Canoſſam arcem ſtruit. 346. B. & 389.
Vaſſallus Epiſcopi Regienſis. 347. D.
Ab Ottone Magno opem contra Berengarium Regem implorat. 348. D.
Adelbertum Regem in prœlio vincit. 349. A.
Ab Ottone M. nonnullis Comitatibus donatur. *Ibid.* C.
Canoſſam variis modis ditat. 350. A.
Illic ſepultus. *Ibid.* D.
Thedaldum filium Romam mittit. 359. A.
Atrupaldi mons qualis. 112. E.
Averſa Civitas à Rogerio incenſa. 636. A. & C.
Averſani Rogerii mortem opinati Roberto ſubduntur. 635. C.
Obſidionem formidantes Neapolim fugiunt. 636. D.
Aurelianenſes ſcholæ. 481. B.
Auſum caſtrum à Rogerio captum. 628. E.
Authpertus Caſinenſis Abbas. 207. A.
Ayglerius Archiep. Neapolitan. ejus dies emortualis. 76. A.
Azzo Marchio Eſtenſis filio ſuo Hugoni filiam Roberti Guiſcardi in uxorem tradit. 247. 252. 267. C.
Paci Canoſſinæ inter Gregorium VII. & Henricum IV. intereſt. 366. D.
Azzo Aquenſis Epiſcopus. 484. C. 491. D.
Ejus epiſtola ad Henricum V. 492. E.
Azymus panis in ſacrificio abjuratus à Græcis. 594. B.

B

Bacchinius (Benedictus) Abbas Ord. Caſin. Vitæ Comitiſſæ Mathildis illuſtrator. 337. 338. & 339.
Baldoinus Caſinenſis Abbas. 210. D.
Baldoinus Flandrenſis, ejus adventus inopinatus in auxilium Cruce-ſignatorum. 298. B.
Ejus Elogium. *Ibid.* C. & D.
Ejus injuſtitia contra Tancredum. *Ibid.* E.
A Tancredo pacem obtinet; ipſa pax frangitur, & renovatur. 300. A. B. & E.
Godefrido fratri in Regno Hieroſolymitano ſuccedit. 329. B.
A Turcis capitur. 331. E.
Baliſta mons, & latro in Regienſi agro. 360. A.
Baradellus caſtrum propè urbem Comenſem ſitum. 414.
Baratina Familia Parmæ potens. 346. A.
Barbati Beneventani Præſulis Sancti corpus translatum. 99. D.
Miracula tunc patrata. 100. D.
Barbennum Oppidum Vallis Tellinæ. 446.
Barenſis ignoti Chronicon à Peregrinio editum. 147.
Baris Civitas Saracenis erepta à Ludovico II. Auguſto. 22. C.
Græcis tradita. 23. C.
A Roberto Guiſcardo obſeſſa. 262. C. & 571. C.
Ab eodem capta. 44. C. 265. B. & 573. A.
A Græcis capta. 37. A.
Ab Ottone M. fruſtra obſeſſa. 40. A.
Liberata ab obſidione per Petrum Ducem Venetorum. 41. B.
A Græcis recepta. 43. C.
A Lothario II. Auguſto capta. 122. C.
Rogerio I. Regi obſiſtit. 130. A. & 625. B.
Poſt tres hebdomadas capitur. 625. C.
Ad bellum ſe parat contra Rogerium, ſed poſtea paciſcitur. 627. D. & E.
Ejuſdem reædificatio Rogerii juſſu. 630. A.
Cum Normannis fœdus init. 257. C.
A Guaymario Salernitano obſeſſa. 259. A.
Bartholomæi Apoſtoli corpus Beneventum transfertur. 32. D.
Baſilius, & Conſtantinus fratres Græcorum Imperatores. 40. B. 42. B. & C. 254. D.
Baſilii mors quo anno ſucceſſerit. 42. B.
Baſilius Græcorum Imperator. 25. A. 26. A.
Appellatus Paracœnumenus. 37. A.
Baſilius Abbas Caſinenſis. 56. A. 216. D.
Baſſacius Caſinenſis Abbas. 207. B.
Beatrix Friderici Ducis Lotharingiæ filia, nupta Bonifacio Marchioni. 353. C.
Poſt mortem mariti Marchiam regit. 360. C.
Monaſteria ab ea condita. 361. A.
Pacem curat inter Gregorium VII. Papam, & Henricum IV. Regem. 362. A.
Pro Papa ſtat. 363. C.
Ejus obitus. 364. A.

Digitized by Google

Bellanum Oppidum ad Larium lacum. 444.
Benafrum à Rogerio Rege captum. 126. E.
Benedictus VII. Papa. 359. A. & D.
Benedictus Archiepiſcopus à Turcis per Tancredum liberatur. 331. E.
Benedictus Abbas Sanctus quo anno Caſinenſe Cœnobium conſtruere cœperit. 201. B.
Beneventani Innocentio II. Papæ ſe ſubmittunt. 121. E.
Multa ab eo impetrant. 123. B.
Tum à Rogerio Rege. 124. A.
Beneventani fidelitatis ſacramentum Rogerio perſolvere negant. 626. C.
Auxilium à Principe Roberto contra Rogerium poſtulant. *Ibid.* D.
Principem, & Comitem Ranulphum in Urbem recipiunt, iiſdemque junguntur. *Ibid.* E.
Beneventanus Ducatus quando fuerit inſtitutus. 165. A.
Cur inſtitutus. 168. D.
Quàm latè patuerit. 170. D.
Ejus fines ad Occidentem. 172. A.
Ad Meridiem. 173. A.
Ad Orientem. 179. D.
Ad Septemtrionem. 182. D.
Beneventi Duces, eorum Catalogus. 7. C.
Quo anno ii primùm inſtituti. 8. D.
Beneventum obſeſſum à Francis. 16. B.
Bello pluries impetitum. 17. C.
Ad Romanam Eccleſiam ſpectat. 270. B.
A Græcis, tum à Francis captum. 38. A.
Fruſtra à Roberto Guiſcardo obſeſſum. 45. A.
Quando à Pontificiis Rectoribus gubernari cœperit. 79.
Quæ ibi turbæ obortæ ſub Paſchale II. 83. A. & 85. B.
Quales ibi Rectores. 95. C.
Beneventum ante Langobardos minimè Provinciæ caput. 169. D.
Olim in Campania ſitum. *Ibid.* A.
Beneventum juris S. Rom. Eccleſiæ. 600. D.
Berengarius Dux Fori-julii contra Guidonem Spoletanum pro Regno certat. 30. B.
Berengarius II. Italiæ Rex Adeleitam Reginam vexat. 346. B.
Canoſſam obſidet. 347. C.
Ab Ottone Magno captus. 348. A.
Bernardus Abbas Vallis Umbroſæ, S. R. E. Cardinalis. 376. C.
Tumultus in eum Parmæ excitatus. *Ibid.* A.
Ibi poſtea Epiſcopus à Civibus electus. 378. B.
Romæ captus ab Henrico Rege. 379. A. 394. B.
Bernardus idem Cardinalis Mediolanum pro Groſſulani Archiepiſcopi cauſa pergit. 476. A.
Fit Epiſcopus Parmenſis. 477. A. & D.
Bernardus Epiſcopus Papienſis. 492. A.
Bernardus Epiſcopus Verenenſis. 507. A.
Bernardus Abbas Clarævallenſis Rogerium Regem ad pacem trahere contendit. 124. B. 125. B.
Ejus virtutes, & miracula. 469. A.
Bernardus idem Clarævallenſis Abbas Sanctus ab Innocentio II. ad ſedandas Mediolanenſium turbas miſſus. 515. A.
Quot ibi miracula patrarit. *Ibid.*
Delatum ab iis Archiepiſcopatum refugit. 516. A.
Bernardus Abbas S. Sophiæ Beneventanæ. 95. C.
Bernardus Sancti Walerici Cruce-ſignatus primus Hieruſalem muros aſcendit. 323. D.
Berta Philippi Francorum Regis uxor repudiata. 592. B.
Bergomi laudes carmine exarata à Magiſtro Moyſe. 523.
Reſpublica quando eſſe cœperit. 524.
Quale ejus regimen ſeculo Chriſti XII. 525.
A Brenno fundatum. 529.
Ejus deſcriptio. 532.
A XII. Viris regitur. 534.
Bergomenſes contra Comum Mediolanenſibus ſuccenturiati. 418.
Bertharius Abbas Montis Caſini. 20. B. 22. A. 25. B. 207. B.
Bertholdus Comes Theutonicus Apuliam invadit. 72. B.
Binagum pagus in agro Comenſe. 424.
Bislatium, nunc Bellagio, *pagus ad Larium Lacum*. 416. & 422.
Biſſilia maritimum Oppidum à Rogerio oppreſſum. 630. E.
Blancus (Horatius) laudatus. 406.
Blandrati Comitiſſa in bello contra Comum. 418. 452.
Boamundus filius Roberti Guiſcardi Ducis. 45. B. 262. D.
Bellum gerit contra Rogerium Ducem fratrem ſuum. 46. B.
Ab Orietanis fugatus. 47. A.
Conſtantinam Philippi Regis Franciæ filiam ducit in uxorem. 175. A.
Patri in expeditione contra Græcos adhæret. 271. C.
Militiæ præficitur. 274. A.
Ejus geſta. 275. A.
Militans ægrotat. 276. C.
Num in Italia natus. 281.
Dyrrachii obſidio ab eo facta. 285.
Ejus egregia in bello geſta contra Græcos. 286. D.
In Epiro eoſdem fugat. 287. E.
Ab Alexio Imperatore delinitus eidem homagium jurat. 289. A.
Tum ex ejus manibus elabitur. 293. C.
In Græcos aciem ducit. 584. D.
Exercitui præficitur à patre. 586. B.
Græcos, eorumque Imperatorem fugat. 588. D.
Ejus diſſidia cum Rogerio fratre. 589. B.
Simul reconciliantur. 591. C.
Iterum Rogerio fratri bellum indicit. 593. B.
Turbas in eum iterum movet, tum eidem fert opem. 597. C.
In Orientem pergit. 47. A. 599. C.
Urbem Meletaniam ab obſidione liberat. 328. B.
A Turcis capitur. *Ibid.* D.
A Tancredo redimitur. 330. E.
Diem poſtremum obit. 60. B. 75. B. 82. C.
Bondenum de Ronchoris, ubi mors Mathildem Comitiſſam invenit. 382. B. & D.
Bonifacius VIII. Papa. Ejus dies emortualis. 76. A.
Bonifacius Marchio, Pater Comitiſſæ Mathildis. 350. D.
Richildam Comitiſſam uxorem ducit. 351. C.
Æmulos ſuos dejicit. 352. A.
Ejus laudes. *Ibidem*. C.
Beatricem Friderici Ducis filiam ſibi jungit. 353. C.
Ejus magnificentia. *Ibid.* D.
Conrado Auguſto militat. 354. A.
Ab eo Marchia donatur. *Ibid.*
Burgundiam armis petit. 355. A.
Quid egerit, ut ab Heinrici II. Auguſti inſidiis caveret. 356. B.
Quale ejus ſtudium in divinis rebus. 357. B.

Pre-

Digitized by Google

Propter Simoniam à Guidone Abbate Pomposiano caſtigatus moritur. Ibid. B.
Aut interficitur. 57. A.
Mantuæ ſepelitur. 338.
Bononia docta Mediolanenſibus favet contra Comum. 418. & 453.
Bonus-ſenior Epiſcopus Regienſis. 379. B.
Mathildi morienti adſtat. 383. B.
Bradanus fluvius. 618. D.
Brembatus (Franciſcus Comes Bergomenſis) laudatus. 523.
Brennus fundator Bergomi. 529.
Ejus victoriæ. 535
Brigerinum Caſtrum fidele Mathildi. 370. A.
Brixellenſe Cœnobium à quo conditum. 350. A.
Brixienſes contra Comum Mediolanenſibus ſuccenturiati. 418.
Brolium qualis locus ſit Mediolani. 480. B. & E.
Brolium Archiepiſcopi. 501. A. & C.
Brunduſium Langobardis olim ſubjectum. 182. C.
A Rogerio obſeſſum deditionem inde componit. 618. C.
Bruno Signinus Epiſcopus Abbas Caſinenſis. 60. A.
Bruno Caſinenſis Abbas. 221. A.
Bulcaſſimus Rex Saracenorum. 40. A.
Burdinus Bracharen. Archiep. Antipapa. 60. A. & B. 91. B. 502. B.
Romæ relinquitur. 503. B.
A Calliſto II. Papa comprehenſus. 97. C. & 506. A.
Burgundia armis impetita à Conrado I. Auguſto. 354. E.
Burgus Sancti Domnini. 471. B.
Burrelenſes Incolæ hominium Rogerio præſtant. 633. C.
Byzantius Barenſis Epiſcopus. 42. B. 149. B.

C

Cadalous Epiſcopus Parmenſis Pſeudopapa. 361. B.
Romam invadit. 362. A.
Cæſarea capta à Chriſtianis. 49. A.
S. Cæſarii Eccleſia in agro Mutinenſe à Mathilde Comitiſſa ditata. 381. E.
Cæſarius filius Sergii Magiſtri militum Neapolit. 21. D.
Cajacia Civitas. 637. A. & 640. C.
Cajeta olim excluſa à Beneventano Ducatu. 173. A.
Calabria num Græcis olim, an Langobardis pareret. 180. B.
Calabria à Roberto Guiſcardo armis impetita. 553. D.
Ibi teterrima fames. 556. C.
Normannorum in ea progreſſus. 558. C.
Eam inter ſe partiuntur Robertus Guiſcardus, & Rogerius fratres. 566. D.
Calenum Urbs Apuliæ. 91. D.
Calliſtus II. Papa. 60. A.
Papa eligitur. 92. A. 503. B.
Romam ſe confert. 95. B.
Tum Beneventum. 96. A.
Burdinum Antipapam comprehendit. 60. B. & 97. C.
Synodum Laterani habet. 99. A.
Terdonæ comitia habet. 505. C.
Romam pergit, & Concilium celebrat. 506. A.
Ejus mors. 61. A. 76. B. & 100. C.
Caloris flumen. 689. E.
Calpho Saracenorum Rex. 19. E.
Campania olim complectebatur Beneventum. 169. A.
Canonicus, & Canonicarius pro tributario. 93. D.
Canoſſa, ſive Canuſina arx in Regienſi agro. 345. C.
Attoni Comiti ſubjecta. 346. B.
A Berengario II. Rege obſeſſa. 347. C.
Ab Attone ditata. 350. A.
Quot ibi Marchiones ſepulti. 352. A.
Canoſſæ altercatio cum Mantua de corpore Bonifacii Marchionis. 358. A.
Arx olim inſuperabilis. Ibid.
Non ſub Regienſi Epiſcopo, ſed ſub Romano Pontifice. 359. A.
Monaſterium ibi conſtructum à Mathilde Comitiſſa. 361. A.
Canoſſam ſe conferunt Gregorius VII. Papa, & Henricus IV. Rex. 365. D.
Pax ibi inter eos firmata. 366. C.
Ejus Eccleſia libertate donata. 367. A.
Henrico IV. Imperatori cara. 383. C.
Ejus Eccleſiæ theſaurus ad Eccleſiam Romanam tranſmiſſus. 385.
De Canoſſa (Marchio Cajetanus) laudatus. 338.
Canturium Mediolanenſis agri Oppidum, ejus incolæ infeſti Comenſibus. 433. 440.
Capitanei Plebium Mediolani qui forent. 512. E.
Capris Oppidum. 623. E.
Capuæ Principum Catalogus. 9. D.
Eorum primordia. 10. D.
Capuæ ſitus antiquis temporibus. 240. A.
Ejus Deſcriptio. 633. C.
Ejuſdem urbis encomia. 164.
Ea quando Langobardis tradita. 177. C.
Archiepiſcopatus quando inſtitutus. 212. D. & 103. D.
A Ludovico II. Auguſto obſeſſa. 22. B.
Rurſus à Guaiferio Salernitano. 24. A.
Tum à Rogerio Comite. 47. B.
Ab Athanaſio Epiſcopo, & Duce Neapolis obſeſſa. 25. C.
Capta à Rogerio Duce. 59. A.
Richardo juniori Principi rebellis. 600. D.
Ab eo, & fœderatis obſeſſa. 601. A.
Et capta. Ibid. C.
Caracciolus (Antonius) quatuor Chronologos evulgat. 1.
Ejus Prolegomena in Herchempertum. 11.
In Lupum Protoſpatam. 34.
In Anonymum Caſinenſem. 53.
In Falconem Beneventanum. 79.
Cardinales S. R. E. etiam Epiſcopi facti titulum Cardinalitium retinebant. 470. A.
Cardinales Ordinarii Mediolanenſis Eccleſiæ. 492. B.
Cardinalis titulus etiam Canonicis Ordinariis Eccleſiæ Mediolan. olim tributus. 477. C.
Carlomannus Caroli Martelli filius Monaſticam veſtem induit. 15. B.
In Gallias miſſus. 16. B.
Carolus Magnus Papiam obſidet. 16. C.
Pippinum filium Regem Italiæ ſtatuit. Ibid. A.
Beneventum pluries bello petit. 17. C.
Filiam Deſiderii Regis uxorem ſibi deſpondet. 31. B.
Quo anno Beneventum ſibi ſubdiderit. 204. A.
Carolus Calvus Imperator. 23. D.
Carolus Craſſus Imperator in Guidonem Spoletanum Ducem iratus. 29. D.
Carolus V. Imperator. 52. A.
Carolus VIII. Rex Franciæ Neapolitano Regno potitur. 51. B.

Digitized by Google

Carolus I. Rex Siciliæ. 50. A. 75. B.
Carolus Andegavenſis Comes Sicilia potitur. 606. A.
Carolus III. Rex Siciliæ. 50. C.
Carſanienſes pro Mediolanenſibus militant contra Comum. 418. & 453.
Caſinenſe Cœnobium quando cœptum. 201. B.
A Petronace Abbate reſtauratum. 202. A.
A Saracenis expilatum. 208. B.
Caſinenſis Eccleſiæ conſecratio facta ab Alexandro II. Papa. 76. C.
Caſinenſium Abbatum ſeries à Peregrinio edita. 201. A.
Caſſianus Antiochiæ Princeps à Ruſtico occiditur. 308. C.
Caſtrum Oppidum à Rogerio captum. 618. C.
Caſtrum-Villæ à Roberto contra Rogerium recipitur. 620. E.
Caſtus, & Polimius Diaconi S. Ambroſii, eorum corpora Mediolani reperta. 493. C.
Catana Rogerio Comiti per proditionem erepta, ac recepta. 585. E.
Conſtitutus ibi Epiſcopus. 592. D.
Catapanus generalis exercitui præfectus. 254. B.
Catus, ſapiens, prudens. 345. D.
Catti navium genus. 561. B.
Centurbium Siciliæ civitas. 562. D.
Cephalonia Inſula rebellis Roberto Guiſcardo. 276. C.
Obſeſſa à Rogerio illius filio. 277. B.
Charaxare, exarare, conſcribere. 341. B.
Charta carecti quid fuerit. 359. C. & E.
Chriſtianus Archiep. Moguntinus Cancellarius Friderici I. Aug. 69. A.
Ejus poſtrema dies. 70. C.
Chriſtianorum magna ſtrages. 294. C.
Chryſopolis appellata Parma. 354. A.
Chryſoſtomus Archiep. Barenſis. 40. C.
Cicala Oppidum. 635. D.
Cipparunum Oppidum. 640. E.
Ciſtercienſes Monachi quo tempore Mediolanum introducti. 514 B. 516. D.
Claudia Via Mutinenſis. 361. D.
Francigena appellata. 378. C.
Clemens II. Papa veneno ſublatus à Benedicto Papa depoſito. 43. B.
Clemens III. Papa. 70. C.
Ejus mors. 71. C.
Dies emortualis. 75. C.
Clemens Antipapa Ravennæ Epiſcopus. 45. B. 46. B. 59. A. *Vide* Guibertus.
Cloca, campana. 497. A. & C.
Coadjutores Epiſcoporum ſeculo XII. 402.
Cœleſtinus Papa Innocentio II. ſuccedit. 64. B.
Cœleſtinus III. Papa. 71. C.
Colimentanæ Familiæ origo inveſtigata à Camillo Peregrinio. 229. A.
Columbæ apud Saracenos literarum gerulæ. 572. C.
Comarcus materiam parvam eſſe facit altam. 365. A.
Comenſis urbis excidium Poëmate *deſcriptum*. 401.
Quo anno contigerit. 407.
Urbs à Civibus derelicta, à Mediolanenſibus capta. 415.
Sed mox liberata. 416.
Obſeſſa ab iiſdem Mediolanenſibus, aliiſque Italicarum urbium Civibus. 418.
Comenſes Cumani etiam appellati. 407.
Urbem recuperant à Mediolanenſibus invaſam. 415.
Quot urbes in eos à Mediolanenſibus excitatæ. 418.
Proſpera eorum geſta. 424.
Convicii cauſa appellati Raimundi. 432.
Canturienſes invadunt. 433.
Urbem rurſus à Mediolanenſibus obſeſſam tuentur. 434.
Cum Inſulanis prœlia varia ineunt. 435.
Deinde cum Leucenſium claſſe. 438.
Cum Canturienſibus infeliciter pugnant. 440.
Lugani Vallem tuentur. 450.
Copias Cremenſium atterunt. 451.
Duriori obſidione cinguntur. 453.
De pace agunt. 455.
Se tamdem Mediolanenſibus dedunt. 456.
Origo diſſidiorum inter eos, & Mediolanenſes. 504. A.
Eorum Civitas ad fatale excidium perducta. 505. B.
Quo anno id peractum. 509. E.
Comes Sancti Egidii Cruce-ſignatus. 47. A.
Comitatus appellatio quid olim ſignificaret. 191. B.
Comites qui olim dicerentur. 193. A. 255. D.
Principes fuere. 345. D.
Concilium Ceperani habitum à Paſchale II. 87. C.
Item Trojæ. 89. A.
Tum Romæ. 90. A.
Ac Beneventi. Ibid.
Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. habitum. 69. B.
Concilium Lateranenſe ſub Paſchali II. 483. B. & C. 484. C. 498. B.
Mediolanenſe ſub Jordano Archiep. 500. C. & E.
Concilium Mediolanenſe ſub Groſſulano Archiep. 479. C. & E.
Romanum ſub Calliſto II. 506. B.
Concilium Melfitanum. 46. C.
Barenſe. 48. A.
Concilium Remenſe ſub Eugenio III. 65. B.
Concilium Romanum, in quo Henricus IV. excommunicatur. 363. C.
Concilium Trojæ habitum ab Honorio II. in quo Rogerius excommunicatur. 618. C.
Cono Italiæ Rex. Vide Conradus.
Conradus I. Imperator. 42. A. 56. A.
Idem ſeu potiùs Henricus II. ejus filius tres Papas deponit. 43. B.
Parmam obſidet. 354. A.
Burgundionibus bellum infert. Ibid. E.
Conradus Henrici IV. Regis filius, à patre deficit. 375. A.
Filiam Rogerii Ducis uxorem ducit. Ibid. B.
Rex Coronatur Modoëtiæ, ac Mediolani 465. 471. A. & D. & 511. B.
Ejus mors. 375. D. & 472. A.
Conradus Sueviæ Dux Regnum affectat. 510. A.
Lothario II. Imperatori cedit. 515. B. 518. B.
Germaniæ Rex, & Italiæ. 64. A.
Hieroſolymam proficiſcitur. 65. A.
In Alemanniam reverſus obit. 66. A. & B.
Conradus Rex Frederici II. filius. 50. A.
Rex Siciliæ. 604. C.
E vivis excedit. 605. D.
Conradus Mantuanus Epiſcopus intruſus ab Henrico IV. 371. C.
Conradus Epiſcop. Sabinenſis conſecratus in Papam Anaſtaſium. 66. A.
Conradus Teudaldi Comitis filius, frater Bonifacii Marchionis. 350. D.
Ejus diſſidia cum fratre. 351. B.
Fato poſtremo ſublatus. 352. C.
Coritium Civitas, aut regio in Oriente poſita. 483. E.
Conſtantia Henrici VI. Regis, & Auguſti uxor. 603. D.

Con-

Digitized by Google

Conſtantia uxor Henrici IV. Regis Theutonicorum. 70. D.
Imperatrix in Apuliam deſcendit. 71. C.
Fridericum II. parit. 73. B. 76. A.
Conſtantia de Aragonia uxor Frederici II. Siciliæ Regis. 603. D.
Ejus obitus. 604. B.
Conſtantinus Helenæ filius Græcorum Imperator. 31. E.
Conſtantinus, & Baſilius fratres Græcorum Imperatores. 40. B. 42. B. & C. 254. D.
Conſtantinus Ducas Imperator Græcorum. 44. C.
Vitæ finem facit. *Ibid.* A. 153. A. & C. 264. A.
Conſtantinus Monomachus Imperator Græcorum. 43. B. & C.
Poſtremum diem obit. 44. B. 257. C.
Conſtantius, ſive Conſtantinus Græcor. Imperator. 38. A. 39. A.
Conſules Civitatum Italicarum quando invecti. 525.
Contelorius (Felix) Vitæ Mathildis Comitiſſæ Scriptor. 337.
Coſentia Urbs Rogerio Apuliæ Duci reddita. 593. A.
Rebellis ad deditionem cogitur. 596. A.
Coteum Oppidum. 640. D.
Cremenſes ad obſidionem Comi à Mediolanenſibus acciti. 451.
A Comenſibus deinde attriti. *Ibid.*
A Mediolanenſibus protecti. 512. B.
Cremonenſes bellum Mediolanenſibus inferunt. 512. A.
Milites multos capiunt. 516. A.
Excommunicantur. 517. A.
Abſolvuntur à Papa. 520. A.
Contra Comum Mediolanenſibus ſuccenturiati. 418. & 452.
Laudenſem Urbem à Mediolanenſibus tuentur. 487. A.
Sed ab ipſis vincuntur. 488. A. & D.
Creſcentius Cardinalis Rector Beneventanus. 98. D. 111. A.
Rogerio Regi favere creditur. 114. A. 117. A. & 626. C.
Cruce-ſignati Hieroſolimitanam expeditionem ſuſcipiunt. 47. A. & B. 59. A. 154. A. & 319. E.
Eam obſident. 321. D.
Oppugnant. 322. B.
Cuculum Oppidum à Piſanis everſum, & à Rogerio reædificatum. 638. E.
Curia pro Aula, & Palatio Principum. 345. E.

D

Dervium Oppidum ad Larium Lacum. 444.
Deſiderius Langobardorum Rex. 16. C. 31. B.
Deſiderius Abbas Caſinenſis. 46. B. 57. A.
Pontifex Romanus eligitur. 58. A.
Ejus dies emortualis. 75. E.
Quo anno electus Abbas. 217. E.
Deſiderius Abbas Caſinenſis Papa eligitur. 368. B. *Vide* Victor III.
Deusdedit Abbas Caſinenſis à Sicardo Beneventano Principe captus. 18. B. 206. C.
Diogenes Imperator Græcorum. 572. E. *Vide* Romanus.
Diopultus Caſtellanus Rocchæ Arcis. 71. C.
Ejus geſta in Apulia. 72. D. & A.
Terras Caſinenſis Cœnobii affligit. 73. B.
Ab Innocentio Papa benignè receptus. 74. A.
Dux Spoleti creatur. *Ibid.* C.
Dechianus (Michaël) Catapanus Græcorum. 42. C. 150. A. 255. B.
Docibilis Dux Cajetæ. 26. A.
Dominicus Abbas Caſinenſis. 69. B.
Donizo Monachus Benedictinus Canuſini Cœnobii. 325. & 337.
Poëma Hiſtoricum de Vita Comitiſſæ Mathildis ſcribit. 341. A.
Vivente ipſa componit. 382. B.
Dormundi navium genus. 561. C.
Drogo Normannus Comes in Apulia. 43. B. & 550. E.
In Apuliam pergit. *Ibid.* D.
Ejus fortitudo adversùs Græcos. 552. C.
Guilielmo fratri ſuccedit. *Ibid.* E.
Occiditur. 44. A. 53. B. 151. D. 259. B.
Ducatus Beneventanus. *Vide* Beneventanus Ducatus.
Ducum Langobardorum inſtitutio. 170. A.
Ducis appellatio quid olim ditionis adferret. 171. A.
Durand (Urſinus) Radulphi Cadomenſis Hiſtoriam evulgat. 283.
Dyrrhachium à Roberto Guiſcardo captum. 45. B.
Ab eodem obſeſſum. 271. A. 583. E.
Captum. 273. D.

E

Ebalus Comes de Rocejo filiam Roberti Guiſcardi ducit. 270. B.
Eberhardus Epiſcopus Parmenſis. 368. D.
In prælio captus. 369. B.
Eleonora Ferdinandi I. Regis Siciliæ filia nupta Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci. 50. C.
Emma Rogerii Siciliæ Comitis filia Philippo Francorum Regi ſponſata. 592. B.
Tum Comiti Claramontis nupta. *Ibid.* D.
Emma Tancredi Principis mater. 281. 286. D.
Emmanuel Imperator Græcorum Cognatus Conradi III. Germaniæ Regis. 65. A.
Engelbertus Cruce-ſignatus primus Hieruſalem muros aſcendit. 323. D.
Epiſcopale, ſeu Pontificale Romanorum. 16. C.
Epiſcoporum in liberis Civitatibus auctoritas. 408.
Eremburga Rogerii Siciliæ Comitis uxor. 594. E.
Eremitæ nomen pro Monacho. 372. A. & E. 373. B. & E.
Eugenius III. Papa. 65. A.
In Gallias fugit. *Ibid.* B.
Romam regreditur, & moritur. 66. A. 75. D.
Excubitor, cuſtos corporis. 41. D.

F

Falco Beneventanus Chronici Auctor. 79.
Laicus fuit, ac Notarius. 80. 115. D. 121. D.
Fames teterrima Calabriam vexat. 556. C.
Ferraria in poteſtatem Mathildis Comitiſſæ redit. 376. A.
Ferrarienſes Mediolanenſibus favent contra Comum. 418. 453.
Ferdinandus I. Rex Siciliæ. 50. C. 51. A.
Ferdinandus II. Rex Siciliæ. 51. B. & D.
Ferdinandus Arragonum Rex Neapolitano Regno potitur. 51. A. 75. B.
Faji quid olim forent. 102. C.
Florentia urbs florida. 376. A.
Florentinius (Franciſcus Maria) Vitam Comitiſſæ Mathildis Italicè ſcripſit. 337.

Digitized by Google

Florida Imperatrix uxor Lotharii II. 123. A.
Franci Benevento potiti. 38. A.
Papiam obsident. 16. A.
Beneventanam regionem invadunt. Ibid. B.
Aliquot urbibus imminuunt. 17. B.
Franco Abbas S. Sophiæ Beneventi. 106. B.
Fransendis Tancredi de Altavilla uxor secunda. 550. A.
Fraxinorense Monasterium fundatum à Beatrice Ducissa, & Comitissa Mathilde. 337. & 361. A.
Fridericus I. Imperator. 66. B.
Romæ coronatur. Ibid.
Mediolanum, & Cremam obsidet. 68. A. & B.
Ancenare, & Romam obsidet. 69. A.
Pacem init cum Alexandro III. Papa. Ibid. B.
Item cum Guilielmo Siciliæ Rege. 70. D.
In flumine mersus moritur. 71. C.
Fridericus II. Imperator. 50. A.
Quo anno natus. 73. B.
Sororem Regis Arragonensis in uxorem ducit. 74. C.
Fridericus II. Rex Siciliæ. 603. D.
Coronatur Imperator. 604. A.
Varia illius gesta. Ibid. B. & *seqq.*
E vivis excedit. 605. C.
Fridericus III. Imperator. 50. B.
Fridericus Rex Neapolis. 51. C.
Fridericus Lotharingiæ Dux, pater Beatricis Bonifacio Marchioni nuptæ. 353. C.
Fridericus Mathildis Comitissæ frater. 353. C.
Fridericus Abbas Casinensis. 57. A. 217. B.
Postea Stephanus Papa. 75. C.
Fulradus Abbas à Stephano II. Papa in auxilium Desiderii Regis missus. 31. D.

G

Gaideris Princeps Beneventi. 7. D. 24. A.
Captus deponitur. 25. A.
Gandulphus Episcopus Regiensis. 368. D.
In prælio captus. 369. B.
Gardæ arx in Lacu Benaco. 346. B.
Gastaldatus nomine quid olim significatum. 190. C. 191. A.
Gastaldii qui olim dicerentur. 191. A. 192. A. 193. A.
Gaufredus Malaterra Auctor Historiæ Siculæ. 539.
Non Hispanus, sed Normannus fuit. 540. 541.
Ejus Epistola ad Catanensem Episcopum. 547.
Gaufredus Roberti Guiscardi frater Comes Capitinatæ. 553. C.
A fratribus auxilium petit. 557. D.
Ejus progressus. 558. B.
Gaufredus Rogerii Siciliæ Comitis filius. 596. B.
Gaufredus de Conversana nepos ex sorore Roberti Guiscardi Ducis. 571. B.
Roberto rebellis. 586. C.
Gelasius II. Papa. 60. A.
Ejus electio. 91. A. & 502. B.
In Galliam fugit. 92. B.
Cluniaci debitum naturæ solvit. Ibid. B. & 503. A.
Ejus literæ pro Landulpho S. Pauli Historico. 505. A.
Gentilis Neapolit. Archiep. 75. D.
Genua artificum ferax ad Machinas bellicas efformandas. 452.
Genuenses Innocentio II. Papæ adhærent. 118. D.
Georgius, sive Ansgerius, Catanensis Episcopus. 539.
Ad eum Epistola Gaufredi Malaterræ. 547.
Georgius Ammiratus Rogerii jussu per mare Amalphiam ladere studet. 623. D.
Guallum, & Capris Oppida capit. Ibid. E.
Georgius Patritius Græcorum. 7. E.
Gerardus Abbas Monasterii Canossini. 385. A. 394. D.
Geracium Siciliæ civitas Rogerio Comiti deditur. 564. C.
Cives Robertum Guiscardum capiunt. 565. D.
Castellum ibi à Rogerio Comite structum. 566. E.
Gerlandus Episcopus Agrigentinus. 592. C.
Germandi navium genus. 561. B.
Germanus Capuæ Episcopus. 31. E.
Gisentia urbs Tancredum suscipit. 627. B.
Giraldus Episcopus Ostiensis. 362. B.
Girardus Cardinalis Sanctæ Crucis in Papam Lucium electus. 64. B.
Girardus S. R. E. Card. Rector Beneventanus. 106. B.
Beneventum regreditur. 114. A.
Romam ad Innocentium II. pergit. 115. C.
Girardus Abbas Casinensis. 60. B.
Ejus mors. 61. A.
Quo anno electus. 221. C.
Giselbertus Comes Palatii Princeps. 351. C. & E.
Gisulphus I. Dux Beneventi. 7. A.
Gisulphus II. Dux Beneventi. 7. B.
Gisulfus Guaimarii filius Princeps Salernitanus. 262. C.
Ejus dissidia cum Roberto Guiscardo. 267. B.
Gisulfus Salernitanus Princeps. 576. E.
Gisulfus Casinensis Abbas. 205. C.
Godefridus Dux Mathildis Comitissæ maritus. 392. D.
Godefridus Eustachii Boloniæ Ducis filius, ejus virtutes, & gesta in expeditione Hierosolymitana. 291. A.
Prælium contra Turcas sustinet. 296. C.
Ejus obitus. 328. E.
Godescalcus Dux Beneventi. 7. B.
Gofridus Comes Andrensis magnam Terrarum suarum partem Rogerio dimittit. 624. E.
In Auso castro à Rege captus in Siciliam exul mittitur. 628. E.
Gofridus Alexandri Comitis filius Materæ à patre relictus. 628. A.
A Rogerio capitur. Ibid. C.
Golafri navium genus. 561. C. 580. C.
Gotefridus Rex Hierosolymorum. 49. A. *Vide* Godefridus.
Gotefridus Dux Tusciæ Campaniam intrat. 57. A.
Gotefridus Episcopus Brixiensis, Attonis Comitis filius. 350. B.
Grabadona Oppidum ad Larium Lacum. 416.
Comensibus fida. 434. & 442.
Græci potiuntur Bari. 23. C.
Eorum perditi mores. 30. B.
Græci Barim capiunt. 37. A.
Benevento potiuntur. 38. A.
Uti & Asculo. 39. B.
Insulam Cretam sibi subdunt. Ibid. A.
Impetuntur à Melo, & Normannis. 41. C.
Græci Latinis infesti ob azymos. 594. B.
A Normannis non semel victi. 552. C.
Græci ignava gens à Normannis despecta. 255. D.
Ab iis sæpè fracti. 256. C.
Græcorum Imperatorum aliquot Catalogus. 176. A. 177. A.
Græcorum prælia cum Normannis. 43. B.

Ab

Digitized by Google

Ab ipsis fratribus. Ibid. A. 151. A.
Grata Regina Bergomi. 530.
Gratianus Casinensis Abbas. 203. D.
Gregorius VII. Papa. 58. A.
Ab Henrico III. Imp. vexatus. 45. C.
A Roberto Guiscardo liberatur. 46. B.
Colloquium cum Roberto Guiscardo Duce habet. 270. B.
Ab eo auxilium implorat. 271. A.
Et tandem accipit. 274. A.
Salernitanam Ecclesiam consecrat, 275. E.
Discordia inter eum, & Henricum IV. Regem. 362. C.
Impiè damnatus in Conciliabulo Wormatiense. 365. B.
Henricum anathemate percellit. Ibid. C.
Canossam se confert. 365. D.
Pacem init cum eodem. 366. C.
Tum ipsum deponit. 367. B.
Opem à Roberto Guiscardo Duce implorat. 586. E.
Ab eodem liberatur. 588. A.
Extrema illius dies. 46. B. 368. A. 589. A.
Salerni occubuit. 276. E.
Ejus dies emortualis. 75. D.
Ejusdem Bulla pro Liprando Presbytero Mediolan. 477. B.
Gregorius VIII. Papa. 70. B.
Gregorius IX. Papa. 75. E.
Pacem init cum Frederico II. Augusto. 604. D.
Tum eum anathemate ferit. Ibid. B.
Gregorius S. Angeli Cardinalis electus in Papam Innocent. II. 61. B.
Gregorius Archiep. Beneventanus electus. 115. E. 118. E.
Ab Innocentio II. Papa consecratur. 123. C. 130. D.
Gregorius Dux Beneventi. 7. A.
Gregorius filius Sergii Magistri militum Neapolit. 21. D.
Gregorius Bajulus Imperialis Græcorum Hydrunti. 23. C. 24 C.
Grimoaldus I. Dux Beneventi. 7. D.
Grimoaldus II. Dux Beneventi. 7. E.
Grimoaldus III. Dux Beneventi. 7. C.
In Franciam obses missus. 16. C.
Beneventanis præesse incipit. Ibid. E.
Ejus gesta. 17. A.
Grimoaldus IV. Princeps Beneventi, cognomento Storesayg. 7. C. 17. D.
Neapolitanos graviter affligit. Ibid. B.
Perimitur. Ibid. D.
Grimoaldus Princeps Barensis à Rogerio recedit. 625. A.
Grossulanus electus primùm Episcopus Saonensis. 474. A.
Vicarius Archiepiscopi Mediolan. Ibid. B.
A Liprando Presbytero Ecclesiæ S. Pauli arguitur. 475. B.
Mediolanensis Archiepiscopus eligitur. 476. B. & D.
Synodum Mediolanensem celebrat. 479. C.
Simoniæ à Liprando Presbytero insimulatur. 480. A.
Judicio ignis peracto per Liprandum, Mediolano discedit. 482. D.
Romæ Paschalem Papam sibi devincit. 483. A.
Synodo Lateranensi adest, ubi restituitur. 484. B.
Hierosolymam se confert. 487. B.
An Constantinopolim ad Imperatorem legatus. Ibid. D.
Mediolani à Clero ejus causâ discussâ abjicitur. 491. A.
Mediolanum regreditur. 495. C.
Placentiam petit. 496. A.
In Romana Synodo depositus moritur. 499. A. & D.
Guaiferius Salernitanus Princeps. 21. B. 22. B. 23 B. & D. 24. C.
Monastica veste susceptâ diem postremum obit. 25. E.
Guaimarius Guaiferii Salernitani Principis filius. 23. C.
Patri succedit. 25. B.
A Neapolitanis, & Saracenis affligitur. 26. E.
A Græcis Imp. Patritiatus honorem obtinet. 28. C.
Guaimarius Princeps Capuæ, & Beneventi. 8. C. 56. A.
Guaimarius Salerni Princeps, ejus dissidia cum Principe Capuano. 550. E.
Ejus dolositas. 551. D.
Guaimarius II. Princeps Salernitanus. 38. B.
Quo anno vivere desierit. 42. A. & D.
Guallam Oppidum. 623. E.
Gualterius Tarentinus Archiepisc. 105. D.
Gualterius Comes Berenensis Apuliam invadit. 73. B.
Captus in prælio moritur. 74. A.
Guardastella Mediolano juncta adversùs Comum. 418.
Guarnerius de Bononia Legum Doctor. 502. B. & D.
Guastallensis Synodus habita à Paschale II. Papa. 377. D.
Gubernula turris. 370. C. 373. A.
Mathildim excipit. 374. C.
Guelphus Dux Bavariæ Gregorio VII. Papæ adhæret. 270. D.
Guibaldus Abbas Casinensis. 64. A. 223. C.
Guibertina Familia Parmæ potens. 346. A.
Guibertus Ravennas Archiep. Antipapa. 586. A.
Vide Clemens Antipapa.
Guibertus idem infestus Gregorio VII. Papæ. 366 C.
Papatum impiè invadit. Ibid.
Cathedram Romanam arripit. 367. D.
Montis-Belli obsidioni adest. 372. B.
Roma pulsus Ravennam se recipit. 374. C.
Sutrium petit, & fato fungitur. 375. A.
Guido Senior Marchio Spoleti, in Beneventanam regionem accitus. 19. B. 21. A.
In Saracenos militat. 23. D.
Guido filius Guidonis Senioris Dux Spoleti Saracenos ad Garilianum pellit. 26. E.
Benevento potitur. 27. B.
Pacem init cum Saracenis, & Caroli Crassi Augusti iram vitat. 29. C.
Pro Regno contra Berengarium Aug. decertat. 30. B.
Guido Viennensis Episcopus in Papam Callistum electus. 60. A. 503. B.
Guido Cremensis Antipapa. 68. B.
Guido S. R. E. Cardinalis. 125. C.
Rector Beneventanus. 131. B.
Guido de Grimoldis Episcopus Comensis. 407.
Quo anno electus. 408.
Sedulus in bello pro Patria. 417. & 437.
Landulphum de Carcano Ordinarium Ecclesiæ Mediolanensis comprehendit. 504. B.
Postremum diem claudit. 440.
Guido Alberti filius Comes Blandrati in bello contra Comum. 418. & 452.
Guido Abbas Pomposianus vir Sanctus Bonifacium Marchionem castigat. 357. B.
Guido Abbas Casinensis. 69. A.

Gui-

Digitized by Google

Guido Aretinus Monachus de Muſica ſcripſit. 351. C. & D.
Guido Boamundi Frater. 309. E.
Guilielmus Rex Anglorum Primus diem ſupremum obit. 589. A.
Guilielmus I. Siciliæ Rex. 603. B.
Antea Capuæ Princeps. 65. A.
A Rogerio Rege patre Rex conſtitutus. 66. B.
Apuliam recuperat. 67. A. & D.
Coronatur ab Adriano Papa. 68. A.
Ejus mors. Ibid. B.
Guilielmus Dux Apuliæ. 61. A.
Synodo Ceperanenſi intereſt. 87. C.
Fit ligius Papæ. 97. A. & B.
Ejus mors. 101. D. & 617. A.
Guilielmus Dux Apuliæ Rogerii Regis filius. 128. C.
Ab Innocentio II. Ducatum accipit. 129. C.
Patri militat. 131. D.
Guilielmus II. Siciliæ Rex patri ſuccedit. 68. C.
Pacem dat rebellibus. 69. B. & A.
Eam init cum Rege Maſſamutorum. 70. A.
Item cum Friderico I. Auguſto. Ibid. D.
Ejus mors. Ibid. C.
Guilielmus III. Siciliæ Rex. 72. E.
Se Henrico VI. Auguſto dedit. 73. B.
Guilielmus, perperam vocatus Robertus, Comes Normanniæ Anglia potitur. 44. A.
Guilielmus de Grantemanil, Mabiliæ Roberti Guiſcardi filiæ maritus, Roſſanum occupat. 597. A.
Dejicitur à Rogerio Duce, & reſtituitur. 598. A.
Guilielmus Ferrabrachius Normannus. 550. E.
In Apuliam pergit. Ibid. D.
Ejus fortia facta in Sicilia. 551. D.
Tum contra Græcos. 552. C.
Ejus mors. Ibid. E.
Guilielmus filius Tancredi in Apulia militat. 43. A. & B. 258. D.
Guilielmus Marchio Tancredi frater. 282.
In prælio contra Turcas cadit. 294. B. 295. B.
Guilielmus junior Roberti Guiſcardi frater, Comes Principatus. 553. C.
Rogerium fratrem ſuſcipit. 556. A.
Guilielmus Archiepiſcopus Capuanus. 640. D. & E.
Guilielmus Trojanus Epiſcopus. 116. C. 127. C. 129. C.
Guilielmus Apulus de geſtis Normannorum Hiſtoricum Poëma ſcripſit. 247.
Guilielmus Campellenſis Dialecticæ Magiſter Pariſiis. 485. B. & E.
Guilielmus Abbas S. Ambroſii Mediolanenſis. 484 B.
Guilielmus Abbas S. Mariæ Regalis de Panormo creatus Archiepiſcopus Montis-Regalis. 70. B.
Guillia Ducatrix, Tedaldi Comitis uxor. 350. C.
Guinichiſus Spoleti Dux captus à Grimoaldo Beneventano Duce. 17. B.
Guislibertus Epiſcopus Rubenſis. 45. B.

H

Helias Archiep. Barenſis. 47. A. 154. C.
Henricus I. Imperator. 55. A.
Romam intrat. 41. A.
Beneventum ſe confert, & Trojam obſidet. Ibid. C. & 56. A.
Diem poſtremum obit. 42. A. 254. C.
Henricus II. Imperator. 56. A.
Burgundiam armis petiiſſe creditus. 354. B.
In Italia quid egerit, cum Bonifacio Marchione. 356. A.
Ejus mors. 361. B.
Henricus III. Imperator Romam obſidet. 45. B. 46. A. 58. B.
Propter Simoniam damnatus. 270. C.
Romam obſidet. 271. A.
A Roberto Guiſcardo fugatur. 274. A.
Ejus perverſa initia. 361. B.
Diſſidia inter eum, & Gregorium VII. Papam. 362. D.
Anathemate percutitur ab eodem Pontifice. 363. C.
Canoſſam ſe confert. 365. D.
Reconciliatur Gregorio VII. 366. C.
Romam obſidet. 367. D.
In Mathildim Comitiſſam bellum movet. 370. A.
Montem-Bellum obſidet. 372. B.
Ab eo Regina uxor deficit. 373. C.
A Mathilde Comitiſſa fugatur. 374. C.
A Conrado filio deſeritur. 375. A.
Epiſcopatum Comenſem confert. 408.
Romam obſidet, ac ingreditur. 586. A.
A Roberto Guiſcardo fugatur. 587. D.
Ejus mors. 82. B. & 377. B.
Henricus IV. Imperator Paſchalem II. capit. 60. A. & 82. C.
Quo anno diem ſupremum obierit. 61. A. 101. C.
Burdinum Antipapam ſtatuit. 91. B.
Ejus diſſidia cum Eccleſia quot mala pepererit. 485. A.
Romam ſe confert. 488. A.
Paſchalem Papam comprehendit, tum ab ipſo coronatur. 489. A.
Ad eum Epiſtola Azonis Epiſcopi Aquenſis. 492. C.
Henricus V. Germaniæ Rex, IV. inter Auguſtos, adversùs patrem inſurgit. 377. B.
Italiam ingreſſus varias Urbes vexat. 378. B.
Romam intrat, Paſchalem Papam captivum tenet. 379. A.
Quo die coronatus Imperator. Ibid. D.
Mathildim Comitiſſam inviſit. 380. A.
Iterum in Italiam redit ad capiendam hereditatem Mathildis. 383. C.
A Jordane Archiepiſcopo Mediolanenſi anathemate percuſſus. 500. A.
Romam pergit, & Burdinum Antipapam conſtituit. 502. A. & B.
In Germaniam redit. 503. B.
Ejus poſtrema dies. 507. B.
Annus illius mortis. 381. E.
Henricus VI. Rex Theutonicorum. 70. D.
Apuliam armis invadit. 71. A.
Imperator Romæ coronatur. Ibid. C.
In Apuliam regreditur. 72. E.
Utraque Sicilia potitur. 73. A. & 603. C.
Diem claudit extremum. Ibid. D.
Henricus Junior Frederici II. Auguſti filius, patri in Regno Siciliæ ſuccedit. 605. C.
Henricus Rex Frederici II. Auguſti filius in carcere moritur. 604. A.
Henricus I. Anglorum Rex. Gelaſium II. Papam excipit. 92. C.
Henricus Dux Bajoariæ. 63. A.
Gener Lotharii Imperatoris. 120. D. 121. A.
Henricus Princeps Capuæ frater Guilielmi II. Regis. 69. A. & D.
Henricus Comes Rogerii avunculus. 622. B. & 640. B.
Nepotem Regiæ dignitatis deſiderio accendit. 622. B.

Digitized by Google

Henricus Lecastrensis Episcopus. 599. B.
Hercules Estensis Dux Ferrariæ. 50. C.
Heremperti Historici genus, institutum, ætas, scripta, elogia. 11. E. & *seqq.*
Ejus Epitome Chronologica. 15. A.
Quo suasore condita. 16. D.
Idem à Græcis captus. 27. A.
Heribertus Episcopus Regiensis. 372. A. 385. C.
Herlembaldus Martyr propter Patariam occisus. 486. A.
Hermeris Casinensis Abbas. 203. B.
Hierusalem Descriptio. 320. C.
A Cruce-signatis obsessa. 321. B.
Ab iisdem capta. 48. A. 59. A. & 324. A.
A Saladino Soldano erepta. 603. B.
Hildericus Casinensis Abbas. 206. E.
Hildeprandus. Vide Gregorius VII.
Hilprandus Langobardorum Rex. 15. A.
Honorius II. Papa. 61. A. & 509. A.
Pontifex ordinatur. 101. C.
Robertum Capuæ Principem confirmat. 103. A.
Rogerio Siculum bellum indicit. 104. A.
Rogerii precibus non flectitur. 617. E.
Eumdem anathemate percutit. Ibid. D. & 618. C.
Trojam pergit, & à Civibus hominum recipit. 618. B.
Apuliæ Magnates adversùs Rogerium sollicitat. Ibid.
Romam redit aciem instructurus. Ibid. E.
Beneventum se confert. 105. E. & 617. C.
Rogerio Siciliæ Comiti Ducatum Apuliæ confert. Ibid. C. & 609. B.
Fredericum II. Imperiali Corona cingit. 604. A.
Diem claudit extremum. 106. A. & 512. A.
Honorius III. Papa. 75. C.
Hugo Rex Italiæ quo anno regnare desiit. 39. A. & 346. A.
Hugo Magnus, Franciæ Regum Philippi frater, Henrici filius, in bello sacro spectatissimus. 291. E.
Ejus virtus in prœlio contra Turcas. 295. E. & 296. C.
Hugo Blancus Cardinalis Gregorio VII. Papæ rebellis. 363. B.
Hugo Cardinalis Rector Beneventi. 92. C. & 95. A.
Hugo de Noceto Episcopus Cremonensis electus, & dejectus. 520. A.
Hugo Azzonis Marchionis Estensis filius filiam Roberti Guiscardi Ducis in uxorem ducit. 247. 252. & 267. C.
Idem Hugo de Manso appellatus. 371. B. & E.
Hugo Comes Bojanensis. 632. E.
Hugo Cluniacensis Abbas Canossam se confert. 365. D.
Pacem inter Gregorium VII. & Henricum IV. tractat. 366. A.
Humfredus Normannus Tancredi filius. 550. E.
In Apuliam pergit. Ibid D.
Comes ibi constituitur. 553. A.
Ejus mors. 8. C. 151. A. 259. B. & 554. E.
Hungari quo anno Italiam ingressi. 38. A.
Capuam invadunt. 39. A.
Hydruntum Græcis olim paruit, Langobardis regnantibus. 182. C
A Rogerio in deditionem recipitur. 618. B.

I

Jacobus Abbas S. Vincentii ad Vulturnum. 20. B.
Januarii Sancti Neapolitanorum Patroni corpus Beneventum transfertur. 32. D.
Jaquintus Princeps Barensis. 130. C.
Jaquintus Diac. Card. in Papam Cœlestinum consecratur. 71. C.
Ignis judicium olim in usu. 480. C.
Per illum illæsus transit Liprandus Presbyter. 481. & 482.
Ildegarda Comitissa, uxor Attonis Comitis. 350. A.
Imperatorum Græcorum nonnullorum Catalogus. 176. A. 177. A.
Indulgentiarum raritas Seculo XII. 501. E.
Innocentius II. Papa. 61. B.
Papa electus. 106. A.
Lotharium Augustum coronat. 62. A.
Ei se in Apulia jungit. 64. A.
Ei adhærent Beneventani. 114. A.
Romam unà cum Lothario II. Augusto intrat. 115. B.
Pisas se confert. 117. E.
Jungit se Lothario contra Rogerium Siciliæ Regem. 120. C.
Beneventum recipit. 121. E.
A Rogerio Rege capitur. 129. A.
Eidem Siciliam, Apuliam, & Capuam confirmat. Ibid. B.
Discordat à Lothario Augusto in danda Investitura Ducatus Apuliæ. 122. D.
Beneventanos multo favore prosequitur. 123. B.
Schisma delet. 126. A.
Synodum Laterani habet. 127. B.
Contra Rogerium Regem arma fert. 128. B.
Concilium Pisis habet. 514. A.
Anselmum Mediolanensem Archiepisc. captum habet. 516. A.
Cremonenses ab anathemate solvit. 520. A.
Dies emortualis. 76. A.
Mors illius. 64. B.
Innocentius III. Papa. 73. B.
Casinum se confert. 74. E.
Ottonem IV. Imperatorem coronat. Ibid. B.
Innocentii III. Papæ gesta. 604. A.
Innocentius IV. Papa Lugdunense Concilium celebrat. 605. B.
Ejus obitus. Ibid. E.
Insula in Lario Lacu rebellis, & infesta Comensibus. 416.
Repulsi ejus incolæ. 418.
Luganensibus dat opem. 425. A.
Comensibus debellata. 431.
Classis Insulanorum prœlium cum Comensi committit. 434.
Ejus incolæ ad excidium Comi conveniunt. 453.
Intelui vallis ad Luganensem lacum. 427.
Johanna I. Regina Siciliæ. 50. B.
Johanna II. Regina Neapolis. 50. C.
Johannes VIII. Papa. 23. D.
Capuanum Episcopatum dividit. 25. C.
Johannes XII. Papa. 347. B.
Johannes Strumensis Antipapa. 69. B.
Johannes Episcopus Barensis. 42. B.
Johannes de Columnis Messanensis Archiepiscopus. 605. C.
Johannes Cremensis Cardinalis Romanus. 512. A.
Johannes Cajetanus electus in Papam Gelasium II. 502. B.
Johannes Tusculanensis Episcopus. 58. B.
Johannes Cremensis S. R. E. Cardinalis. 500. A.
Johannes Prænestinus Episcopus. 512. A.
Johannes Abbas Beneventi. 55. A.
Johannes I. Casinensis Abbas. 209. E.
Johannes II. Casinensis Abbas. 213. C.
Johannes III. Casinensis Abbas. 213. E.
Johannes Abbas Monasterii Canossini. 372. A.
Johannes Grammaticus Abbas Sanctæ Sophiæ

Digitized by Google

Beneventanæ. 96. A. & 106. A.
Johannes Ammiratus Amalphiam Rogerio rebellem obsidet. 623. D.
Triventum Oppidum constringit. *Ibid.* A.
Terram-Laboris contra Ranulphum defendit. 634. A.
Aversanos Cives ad Regis fidelitatem hortatur. *Ibid.* C.
Ejusdem sollicitudo in castris pro Rege tuendis. 635. C. & D.
Johannes Sclavus Triventum contra Rogerii castra tuetur, tandem se, Oppidumque Regi submittit. 623. B.
Jordanus de Clivi, postea Archiepisc. Mediolan. 407. 484. A. & E.
Galliis Mediolanum regressus, Presbyter ordinatur. 490. A. & B.
Eligitur Archiepiscopus. 491. C.
Quando ad eum Romá delatum pallium. 494. E.
Inter eum, & Grossulanum cruenta dissidia. 496. A.
Probata Romæ ejus electio. 499. A.
Henricum V. anathemate ferit. 500. A.
Mediolanenses incitat in Populum Comensem. 504. B.
Infestus Landulpho Historico. 505. B.
Diem claudit extremum. 506. A.
Jordanus Princeps Capuæ. 60. B.
Guilielmo Duci copias ministrat. 99. C.
Ejus mors. 61. A. 77. B. & 95. A.
Jordanus Princeps Capuæ. 47. A. 58. B. & 59. A.
Jordanus Capuæ Princeps filius Richardi I. 255. D. 262. E.
In Robertum Guiscardum insurgit. 267. D.
Pacem petit. 268. C.
Ab eo iterum vexatur. 275. D.
Jordanus Aversæ Princeps Imperatoris homo effectus 586. E.
Jordanus Comes Ariani. 93. B. & E. 97. C.
Guilielmus Dux ei infestus. 98. B
Jordanus Rogerii Siciliæ Comitis filius. 578. C.
Ejus fortia gesta in Saracenos. 579. A.
Catanam recipit. 585. A.
Rebellis patri coërcetur. 588. C.
Cum Saracenis prosperè pugnat. 590. E.
Expeditionem in Melitam Insulam sibi negari molestè fert. 595. C.
Immatura morte rapitur. 596. B.
Isabella Regis Johannis filia, uxor Frederici II. Augusti. 604. D.
Isachius Comnenus Imperat. Græcorum. 44. B.
Italiæ Catapanus Græcorum Magistratus. 42. A. & D.
Italiæ nomine quid Græci recentiores significarent. 43. B. & D.
Sub hoc nomine Apuliam innuebant. 87. D.
Julius II. Papa. 52. A.
Justinianus II. Græcorum Imperator. 523.
Juvenaci urbs Roberto Guiscardo tradita. 266. E.
Eidem fidelis obsidionem sustinet. 268. B.
Juvenalta Castellum Cremonensium captum à Mediolanensibus. 520. A.

L

Lacupesulum Oppidum. 620. E.
Ladislaus Rex Neapolis. 50. C.
Laidolphus Capuæ Princeps. 8. B.
Lambertus Dux Spoleti Saracenis frustra objectus. 21. D.
In Saracenos militat. 23. D. 24. A.
Ejus mors. 29. C.
Lamberti Comites iram Ludovici II. Augusti vitant. 23. A.
Lambertus Ostiensis Episcopus in Papam Honorium electus. 61. A. 101. C. 505. B.
Lando I. Capuæ Princeps. 9. D. 20. C.
Lando II. Capuæ Princeps. 9. D. 21. D.
Lando Comes & Princeps Capuæ. 10. D. 27. B.
Landenolphus Princeps Capuæ. 8. A.
Landenolphus Landonis frater Princeps Capuæ. 10. D. 21. C.
Landenolfus Episcopus Capuæ. 25. B.
Landolphus Rodulphi filius Princeps Beneventi. 8. D.
Landolphus Princeps Capuæ Apulia potitur. 38. B. & D.
Landolphus I. Capuæ Princeps. 8. A. 19. A. 20. C.
Landolphus II. Pandolphi filius Princeps Capuæ. 8. A.
Landolphus Episcopus & Princeps Capuæ. 9. E. 20. C.
Ejus improbi mores. 22. B.
A Ludovico II. Augusto attollitur. 23. C.
Ejus mors. 24. A.
Landulphus Archiep. Beneventanus. 82. B.
Papam pro Civibus adit. 85. B.
Turbæ ab eo excitatæ. 86. A. 87. B. & 626. C.
E Sede dejicitur. 88. A.
Restituitur. 90. B.
Synodum celebrat. 93. A.
Corpora Sanctorum transfert. 94. A.
Ultimum diem obit. *Ibid.* D.
Landulphus de Garderisio Archiep. Beneventan. 106. C. 111. A.
Suprema illius dies. 113. D.
Landulfus junior Episcopus Capuæ. 25. A. & 27. D.
In custodiam truditur. 28. E.
Landulphus de Vareglate à Hierosolymis Romam redit. 483. A.
Episcopus Astensis eligitur. 484. A.
Electionem Jordani Archiepiscopi probat. 491. C.
Synodo Lateranensi interest. 500. A.
Landulphus de Carcano frustra electus Episcopus Comensis. 407.
Quo anno id factum. 408.
Comprehensus à Guidone Episcopo Comensi, & liberatus. 504. B.
Landulphus de Badagio electus Archiepiscop. Mediolanen. 469. B.
Sed dejectus. 470. A. 476. B.
Landulphus de Græca Comestabilis Beneventanorum. 83. B.
Ejus bellica gesta. 84. B. 85. A.
Iterum Magistratum suscipit. 89. A.
Landulphus junior, sive de Sancto Paulo, Historiæ Mediolanensis Auctor. 459.
Turoni & Parisiis dat operam literis. 485. B.
Mediolanum regreditur. *Ibid.* A.
Ejus officia varia. 486. B. 487. A.
Et infortunia. 495. A.
Agnomen ei Cloca Sancti Pauli. 461. & 497. A.
A Nazario Muricula spoliatur Ecclesia sua. 498. C.
Romam se confert. 500. A.
Malè Mediolani exceptus à Jordano Archiep. 501. A.
Ejus ætas. 504. A. & C.
Coram Callisto II. Papa suam causam agit. 505. C.
Ad Henricum V. in Germaniam se confert. 507. A.
Capellanis Anselmi Archiepiscopi præfectus. 509. A.
Coronationi Conradi Regis interest. 511. B.

Apud

Digitized by Google

Apud Lotharium II. causam suam agit. 518. B.
Langobardi quando potiti Benevento. 167. A.
Cur ibi Ducem statuerint. 168. D.
Quos aliis in Urbibus. 170. A.
Langobardia, sive Apulia, Græcis per Melo Ducem erepta. 41. C. 42. D.
Eo nomine interdum designata Apulia. 172. B. 188. C.
Laudenses ad obsidionem Comi à Mediolanensibus incitati. 450.
Eorum Civitas à Mediolanensibus deleta. 486. B. 489. A.
Laudicia anno cum dimidio expugnata à Tancredo capitur. 330. E.
Lavena vicus ad Lacum Laganensem. 426. & 450.
Leibnitius (Godefridus Guilielmus) Guilielmi Apuli Poëma recudit. 251.
Ejus notæ ad carmen Donizonis. 341.
Leo IX. Papa à Normannis victus. 44. A. 57. A. 152. A. 259. A. 260. A.
A Normannis in prœlio captus. 553. E.
Leo X. Papa. 52. A.
Leo Græcorum Imperator. 26. B. 37. A.
Leo Theanensis Episcopus. 25. B.
Leo Abbas Casinensis. 209. A.
Letholdus Crucesignatus primus Hierusalem muros ascendit. 323. D.
Leucum oppidum ad Larium lacum. 437.
Leucensium classis cum Comensi prœliatur. 438.
Tum contra Grabadonenses. 442.
Liburia quæ Italiæ pars olim appellata. 63. D.
Liernus pagus ad Larium lacum. 422.
Liguria quæ Italiæ pars posterioribus seculis appellata. 63. D.
Limata castrum à Rogerio captum. 632. D.
Liprandus Presbyter naso truncatus propter Patariam. 471. B.
Grossulanum arguit de vili habitu. 475. B.
Literæ immunitatis eidem à Gregorio VII. Papa concessæ. 477. A.
Sacris interdicitur. 478. C.
Ecclesiæ S. Trinitatis immunitatem ab Urbano II. impetrat. 479. A.
Grossulanum simoniæ insimulat. 480. A.
Judicio ignis se subjicit. 481. A.
Illæsus transit. 482. B.
In Valtellinam se recipit. 485. A.
Mediolanum regreditur. 486. A.
De electione Jordani Archiepiscopi gaudet. 491. C.
Tum ipsam improbat, 494. A.
Diem claudit extremum, & miraculis claret. Ibid. A.
Litifredus Novarienſ. Episcop. 516. A.
Litulphus Ottonis M. Germaniæ Regis filius, in Italiam missus. 348. C.
In prœlio cadit. 349. C.
Liutprandus Langobardorum Rex. 15. A.
Liutprandus Dux Beneventi. 7. B. 31. D. 32. B.
Loffreda Familia à Loffredo Cajetæ Duce. 6.
Loffredus Comes filius Petronii. 44. A.
Lotharius I. à Ludovico patre Consors Imperii factus. 18. C. & D.
Lotharius II. Hugonis Regis filius, Italiæ Rex. 346. A.
Imperator Romæ coronatur. 62. A.
Pænè tota Apulia potitur. 63. A.
Innocentio II. adhærens Romam intrat. 115. B.
Arma in Rogerium Siciliæ Regem movet. 120. D.
Ejus progressus in Apuliæ Regno. 122. C.
Dissentit ab Innocentio in danda Investitura Ducatus. Ibid. D.
A Mediolanensibus recipitur. 515. B.
In Langobardiam descendit. 517. A.
Leges condit. 518. A.
Papienses parere cogit. 519. A.
Vitam cum morte commutat. 64. A.
Ejus dies emortualis. 76. A.
Lucaniæ nomine quid olim significatum. 179. A.
Lucinum castellum agri Comensis. 441.
Lucius II. Papa. 64. B.
Lucius III. Papa consecratur. 70. A.
Se Veronam confert, ubi diem suum obit. Ibid. A.
Luchinus (Benedictus) Vitæ Comitissæ Mathildis Scriptor. 337.
Ludovicus Pius Augustus. 18. C. & D.
Ludovicus II. Augustus Beneventanum Ducatum dividit. 19. D.
Contra Saracenos arma movet. 20. B.
Iterum adversùs eos accitus. 22. B. & D.
Ab Adelgiso Beneventano captus. Ibid. E.
Quare tanto opprobrio affectus. 23. E.
Beneventum intrat. 37. A.
Ludovicus Franciæ Rex Rolloni Duci Normanniam provinciam concedit. 549. A.
Ludovicus Rex Franciæ Eugenium III. Papam profugum excipit. 65. B.
Ex Oriente in Franciam redit. 66. A.
Ludovicus XII. Rex Franciæ. 57. A.
Ludovicus Rex Neapolis, seu Siciliæ. 75. B.
Lugani vallis Mediolanensibus, & Comensibus subjecta. 425.
Impetitur armis à Mediolanensibus. 450.
Lupus Protospata, ejus Chronicon. 37.
Græcus genere fuisse videtur. 34.
Sed potius Apulus. 36.

M

Mabilia Roberti Guiscardi filia nupta Guilielmo de Grantemanil. 597. A.
Magistri titulus cui tributus olim. 524.
Majelpotus Casinensis Abbas. 211. B.
Majo Abbas S. Vincentii ad Vulturnum. 28. B.
Majorica debellata à Pisanis. 60. B.
Mamardus Taurinensis Episcopus. 474. B. & E.
Electionem Jordani Archiepiscopi probat. 491. D.
Roma pallium adfert. 492. B. 494 C.
Manfredus Rex Siciliæ. 50. A.
Frederici II. filius Siciliæ Regnum sibi subdit. 605. C.
Varia ejus gesta. Ibid.
A Carolo Andegavensi Comite prostratus. 606. A.
Manfredus Episcopus Mantuanus. 380. C.
Maniacus Magister militum Græcorum Imperium affectat. 43. A. 151. A. 257 B.
Maniacus Græcorum ductor Normannis commilitonibus utitur. 551. C.
Manso Casinensis Abbas. 213. E.
Mantua se dedit Henrico IV. Regi, ob id objurgata à Donizone. 370. D.
Mathildi Comitissæ rebellis. 380. C.
Ab eadem recepta. 381. C.
Mantuæ altercatio cum Canossa de corpore Bonifacii Marchionis. 358. A.
Qualis ea urbs foret Donizonis ævo. Ibid. C.
Ejus Episcopus olim Aquilejæ Suffraganeus. Ibid. D.
Mantuani contra Comum pro Mediolanensibus insurgunt. 418.
Maria Turritanorum Regina. 75. D.
Marinus Archiepiscopus Neapolitanus. 120. C.

Ro-

Digitized by Google

Rogerium Regem excipit. 131. D.
Marilianum oppidum in Apulia. 631. D.
Marlianum, oppidum agri Mediolanensis. 440.
Maronis aula in Rezienſi agro. 360. A.
Marcuvaldus Marchio Anconitanus Caſinenſe Cœnobium, ejuſque terras affligit. 73. D.
Marra Oppidum à Tancredo obſeſſum. 315. E.
Ab eodem capitur. 317. D.
Marſorum Comitum nobilitas. 229. C.
Martene (Edmundus) Radulphi Cadomenſis Hiſtoriam evulgat. 283.
Maſſan Rex Saracenorum. 19. D.
Maſſemuti Saraceni Africæ. 66. D. 68. C.
Matalonum Caſtrum. 635. C.
Matera incenſa à Ludovico Auguſto. 37. A.
Obſeſſa & capta à Saracenis. 40. C.
A Rogerio capta. 628. B.
Mathildis Duciſſa Avia materna Mathildis Comitiſſæ. 353. C. & E.
Mathildis Rogerii Siciliæ Ducis filia nupta Conrado Henrici IV. Regis filio. 375. B.
Mathildis Rogerii Comitis Siciliæ filia nupta Raymundo Comiti Provinciæ. 582. C.
Mathildis Rogerii I. Regis ſoror Alexandrum Abbatem fratris geſta deſcribere rogat. 615. A.
Marito inſcio ad fratrem pergit Dotalia petens ſibi reſtituenda. 624. C.
In Siciliam cum filio à Rogerio mittitur. *Ibid.*
Mathildis Comitiſſa, Dux Thuſciæ, aliarumque Provinciarum. 345. C.
Ex Avia materna ei hoc nomen inditum. 353. C. & E.
Ejus nativitas. *Ibid.* & 337. C.
A matre enutrita. 360. C.
Cum ea duo Monaſteria condit. 361. A.
Pro Gregorio VII. ſtat. 363. C.
Ejus virtutes, ac laudes. 365. B.
Canoſſæ Henricum IV. reconciliat Gregorio VII. Papæ. 366. A.
Sancto Petro ſua omnia ſubdit. *Ibid.* D.
Henrico reſiſtit. 367. C.
Exules pro vera Eccleſia benignè fovet. 368. A.
Sorbariæ Schiſmaticorũ copias frangit. 369. A.
Bellum in eam movet Henricus IV. 370. A.
Oppida multa eidem erepta. 371. C.
Pacem cum ipſo reſpuit. 372. B.
Praxedem Reginam recipit. 373. C.
Placentino Concilio intereſt. 374. A.
Conradum Henrici IV. filium ad ſe trahit. 375. A.
Ferrariam recuperat. 376. A.
In Parmenſes irata. *Ibid.* D.
Henricum V. Regem ſibi devincire ſtudet. 378. A.
Ab eodem inviſitur, ac majori auctoritate donatur. 380. A.
Mantuam recuperat. 381. C.
Ejus dona in Eccleſias. *Ibid.* B. & 397. C.
Ejuſdem virtutes & laudes. 382. B.
In Padolironenſi Cœnobio tumulatur. *Ibid.* C.
Donatio illius Eccleſiæ Romanæ. 381. C. & 384.
Ejus Hiſtoria proſa oratione. 389. A.
Ejus Hiſtoria carmine ſcripta à Donizone. 335.
Armannum Cardinalem curat eligendum in Epiſcopum Brixienſem. 459. A.
Ejus auctoritas. 470. A. 471. B. 476. B. & 477.
Romano Pontifici adhærens. 598. B.
Ejuſdem Provincia ab Henrico III. Imperatore afflicta. 45. C.
Diem claudit extremum. 337. & 383. B.
Matthæi Apoſtoli corpus Salernum transfertur. 32. B.
Maximilianus I. Imperator. 52. A.
Mazara Siciliæ Civitas Sarracenis erepta. 578. A.
Mediolanenſes Comum à civibus derelictum intrant. 415.
Inde pulſi. 416.
Amicas civitates in eam urbem excitant. 418.
Luganenſis vallis domini. 425.
Ejus incolis dant opem. 426.
Pantagano caſtro potiti. 430.
Mediolanenſes rurſus Comum obſidione cingunt. 434.
Leucenſium claſſem in Comenſes incitant. 437.
Modoetienſibus caſtra in obſidione Comi commendant. 450.
Lugani Vallem invadunt. *Ibid.*
Claſſem in Comenſes parant. 452.
Cladem ingentem Cremonenſibus inferunt. 488. A. & D.
Laudenſem urbem deſtruunt. 490. A.
Fœdus cum Papienſibus ineunt. 492. A.
Concilium Mediolanenſe ſub Jordano Archiep. 501. A.
Ab eodem Jordano excitantur in Comenſes. 504. B.
Eoſque delent. 505. B.
Ad excidium Comi ex Italicis Urbibus multas contrahunt copias. 453.
Urbe arctiùs obſeſſa de pace agunt. 455.
Eadem tamdem potiti. 456.
Laudenſem urbem bello petunt. 486. B. & E.
Eam ſolo æquant. 489. A. 505. B.
Conradum Sueviæ Ducem in Regem accipiunt. 510.
Iis indicitur bellum à Papienſibus & fœderatis. 512. A.
Sed proſperè ſuſtinetur. 513. A.
Lotharium II. Auguſtum recipiunt. 515. B.
A Papienſibus victi. 517. A.
Mediolanenſes Scholæ quæ olim forent. 472. A. & B.
Mediolanenſis Synodus habita à Groſſulano Archiep. 479. C. & E.
Brolium ibi qualis locus. 480. E.
Civium turbæ ob Groſſulani Archiepiſcopi cauſam. 483. A.
Ob diſſenſiones Sacerdotii, & Imperii. 485. A.
Conſules Mediolanenſes. 486. B.
Mediolanenſis Archiepiſcopi contentio cum Ravennate de præcedentia. 506. C.
Anſelmus Archiep. pallium renuit recipere Romæ. 510. A.
Mediolanum Henrico V. Regi minimè obtemperat. 378. B.
Melacium Siciliæ Civitas. 560. D.
Melfa à Normannis ædificata. 551. E.
Melfia capta à Normannis. 256. A.
Caput Apuliæ. 266. B.
Melinus (Dominicus) vitæ Comitiſſæ Mathildis ſcriptor. 337.
Melita Inſula à Rogerio Siciliæ Comite invaſa, & capta. 595. A. & 617. A.
Melitum Civitas Siciliæ. 563. C. & E.
Obſeſſus ibi à Roberto Guiſcardo Rogerius frater. 564. E.
Melus Dux Langobardiam, ſive Apuliam Græcis eripit. 41. C.
Fugit ad Henricum Auguſtum. *Ibid.* & 254. C.
Græcos vincit. 148. C.
Geſta illius in Græcos. 253. B.
Ejus mors. 149. A.

Mi-

Digitized by Google

Menaxum, nunc Menagio, *Oppidum ſecus Larium Lacum*. 416.
A Comenſibus obſeſſum. 432.
Meſſana à Maniaco Græco ope Normannorum capta. 551. D.
Civitas populoſa. 560. D.
Ejus Cives à Rogerio Comite Calabriæ prœlio attriti. 561. B.
Urbs ab eodem capta. 562. C.
Michaëlis Archangeli Baſilica in Monte Gargano. 183. A.
Michaël Imperator Græcorum. 37. A.
Michaël Græcorum Imperator Romano ſuccedit. 42. B.
Deponitur. 43. B.
Michaël Conſtantini filius Imperator Græcorum. 44. A.
Michaël Bringa Imperat. Græcor. 44. B.
Michaël Ducas Imperator Græcorum filiam Roberti Guiſcardi uxorem ducit. 267. D.
Monachus efficitur. 270. A.
Michaël Paphlago Græcorum Imperator Epilepticus. 255. B.
Michaël junior Græcorum Imperator. 43. B. 257. C.
Michaël Græcorum Imperator è throno dejectus ad Robertum Guiſcardum fugit. 579. C.
Michaël Rex Sclavorum. 45. C.
Micrologus Liber Muſicus Guidonis Aretini. 351. C.
Militum nomine equites olim deſignati. 407.
Minervia arx Comitiſſæ Mathildis. 371. A. & C.
Modoëtia primus locus Coronæ Regni Italiæ. 510. B.
Ibi coronatus Conradus Sueviæ Dux in Regem. 511. B.
Modoëtienſes in obſidione Comi à Comenſibus attriti. 450.
Monaſterium Sancti Dionyſii Mediolani. 476. B.
Clivacenſe. *Ibid*. B. & E. 485. A. & D.
Pontidii. 494. D.
Sancti Salvatoris. 495. B.
Sancti Marci Placentiæ. 496. A.
Monaſterium Nonantulanum ab Aiſtulfo Rege Langob. in agro Mutinenſe conſtructum. 31. B.
Sanctæ Sophiæ Beneventanum. 96. A. & B.
Monaſterium S. Vincentii ad Vulturnum à Saracenis expilatum. 21. E.
Caſinenſe inviſitur à Ludovico II. Auguſto. 22. A.
Ambo hæc Monaſteria à Saracenis vaſtata. 24. B.
Caſinenſe ab Angelario Abbate reædificatum. 27. E.
Monaſterium Brixellenſe ab Attone Comite conditum. 350. A.
Padolironenſe à Teudaldo ejus filio. *Ibid*. B.
Pompoſianum, quantum ibi diſciplinæ ſtudium. 357. C.
Fraxinorenſe, & Canoſſinum à Mathilde Comitiſſa. 361. A.
Monaſterium Teleſinum Sancti Salvatoris. 639. D.
Montem ſuprapoſitum Rogerius I. Rex eidem concedit. 640. A. B. & E.
Monaſterium Sanctæ Sophiæ Salerni. 635. D.
Monaſterium Sancti Sabbæ Romæ. 499. E.
Mons-Alfredi Caſtrum in agro Mutinenſi. 372. A.
Montis-Alti Oppidum à Rogerio obſidetur, & capitur. 619. C. & E.
Montis-Piloſi Urbs à Rogerio obſeſſa. 629. A.
Tancredi ope defenditur. *Ibid*. B.
A Regio exercitu invaditur. *Ibid*.
Rebelles in ea capiuntur. *Ibid*. C.
A Rogerio ſubvertitur. *Ibid*. E. & 630. A.
Montis-Belli Caſtrum obſeſſum ab Henrico IV. 372. B.
Mons Bardonis, per quem tranſitus in Tuſciam. 378. C.
Mons Baruncio, ubi ægra cadit Mathildis Comitiſſa. 380. B.
Mons Maurelli olim in Comitatu Mutinenſe. 372. A.
Montis-Piloſi Caſtrum à Roberto Guiſcardo obſeſſum. 571. B.
Moriella Tancredi de Altavilla Uxor prima. 550. E.
Moyſes Bergomenſis Auctor Carminis de Laudibus Bergomi. 523.
Quo tempore floruerit. *Ibid*.
Non vixit Juſtiniani II. temporibus. 524.
Sed quidem Seculo Chriſti XII. 525.
Muciorum Familia nobilis Bergomi. 530. & 531.
Mutinenſis Comes Atto. 349. E.
Mutinenſis Via Claudia. 361. B.
Mutinenſes Mathildi Comitiſſæ adhærent. 371. A.
Corpore firmi. 374. C.
Eorum Templum à Paſchale II. ſacratum. 378. D.
Mutinenſes ad obſidionem Comi à Mediolanenſibus acciti. 453.

N

Navium nomina quæ olim. 423. 429. 438. & 442.
Naxum, nunc Neſſo, *ager ad lævam Larii Lacus*. 436.
Neapolis obſeſſa ab Henrico V. inter Imperatores. 71. A.
Ejus deſcriptio. 637. D.
A Rogerio fruſtra obſeſſa. 638. A. & B.
Neapolis olim Græcis ſubdita, & excluſa à Beneventano Ducatu. 173. B & 174. B.
Neapolitani Ducatus quæ antiquis temporibus ditio. 176. C.
Neapolitani à Sipontinis victi. 183. E.
Et à Campanis. 185. C.
Neapolitani pacem ab Arichiſo Duce Beneventano impetrant. 16. B.
Uti & à Grimoaldo IV. Duce, à quo poſtea gravi cæde ſternuntur. 17. B. & E.
Sico Dux bellum eis infert. 18. A.
Neapolitani Rogerio Regi Siciliæ adverſantur. 118. D.
Ab ipſo vexati. 120. A.
Eidem ſe ſubdunt. 129. B.
Ad Piſanos mittunt Navales copias in auxilium expoſcentes. 638. A. & B.
Nicææ obſidio à Cruce-ſignatis facta. 290. E. & 291. C.
Eiſdem ſubditur. 292. B.
Nicephorus Imperator Græcorum. 39. B.
Nicephorus Botoniates Græcor. Imperator. 45. B. 153. A. 156. C. 270. E. & D.
Depoſitus Monaſticam veſtem induit. 271. C.
Nicolai Sancti Myrenſis Archiepiſcopi corpus Barim defertur. 46. B.
Nicolaus I. Papa vir Domino plenus. 23. A.
Nicolaus II. Papa. 361. A.
Nicolaus II. Papa Robertum Guiſcardum Ducem creat. 57. A. 262. B. 278. (V) C.
Nicolaus Barenſis Epiſcopus. 42. B.
Nicolaus Abbas Cryptæ ferratæ. 594. B.

Digitized by Google

Nicolaus Abbas Casinensis. 61. B. & 221. E.
De *Nigris* (*Julius Cæsar*) *laudatus*. 406.
Nogaria Oppidum Comitissæ Mathildis. 371. C.
Obsessa ab Henrico IV. Rege. 374. B.
Normanni Melo Duci opem ferunt adversùs Græcos. 41. B.
Eorum diversa prœlia cum Græcis. 43. B.
Alemannos à Leone IX. Papa adductos prœlio fundunt. 44. A.
Eorum gesta sub Melo, & Argyro. 148. C. & 151. A.
Salernum liberant à Saracenis. 55. A.
In prœlio capiunt Leonem IX. Papam. 57. A.
Eorum gesta prima in Apulia. 151. A. & 152. A.
Descripta à Guilielmo Apulo Poeta. 251.
Unde sic appellati. 253. A.
Bellum Græcis inferunt in Apulia. 255. A.
Dividunt sibi terras. 256. A.
Guaymario Salernitano Principi militant. 259. A.
Prœlium ineunt cum Alemannis. 260. A.
Eorum progressus in Apulia. 261. C. & 278. A.
Apuliam petunt. 550. D.
Maniaco ad debellandam Siciliam opitulantur. 551. D.
Græcos non semel prœlio atterunt. 552. C.
Leonem IX. Papam in prœlio capiunt. 553. A.
Siciliam invadunt. 560. D.
Saracenos variis prœliis frangunt. 568. A. & 569. D.
Normannia quænam pars Franciæ. 549. A.
Cur sic appellata. 550. C.
Notensis civitas Rogerio Siciliæ Comiti tradita. 594. A.
Novaria ab Henrico V. Rege flammis data. 378. A.
Novarienses Mediolanensibus in bello contra Comum se adjungunt. 418. & 452.
Tum ipsis bellum inferunt. 512. A.
Novocomenses. *Vide* Comenses.
Nuceria urbs Beneventanis erepta, ac recepta. 17. B. 626. B. 631. C. & 632. B.

O

Obertus Marchio Princeps prudens. 368. D.
Victus à copiis Mathildis fugit. 369. B.
Obertus Baltricus Pseudo-Episcopus Brixiensis. 471. A.
Octavianus Card. Subdiac. Rector Beneventanus. 122. B.
Octavianus à Monticello Antipapa. 68. C.
Oderisius I. Abbas Casinensis. 58. A. & 78. B.
Quo anno electus. 219. C.
Oderisius II. Abbas Casinensis. 61. A.
Excommunicatur ab Honorio Papa. *Ibid.* B.
Quo anno electus. 221. A.
Odescalcus Marchio (*Marcus-Aurelius*) *laudatus*. 406.
Odilo Cluniacensis Abbas, ejus dies emortualis. 76. B.
Oddo-Bonus Marchio Tancredi pater. 282.
Oddo Episcopus Bajocensis ad Papatum malis artibus inhians. 369. C. & E.
Ejus mors. 374. C.
Ogiatum pagus agri Comensis. 425.
Oira Oppidum à Rogerio occupatum. 618. C.
Olricus Vicedominus Mediolanensis in Scholis Parisinis dat operam literis. 485. B.
Archipresbyter Ecclesiæ Mediolanensis. 487. B.
Commemorationem omnium Fidelium primus invehit. 488. D.
Landulpho Historico contrarius. 501. B.
Callistum II. Papam comitatur. 506. A.
Eligitur Archiepiscopus Mediolanen. 506. B.
Ad dexteram Papæ sedet in Concilio. 507. A.
Ejus mors. 507 B.
Quo anno hæc contigerit. 402. 428. & 507. E.
Optatus Casinensis Abbas. 203. D.
Ordinarii Cardinales Ecclesiæ Mediolanensis. 492. B.
Orgeolum Oppidum à Roberto receptum. 620. B.
Otto I. Imperator Romam intrat. 39. B.
Ejus victoria de Saracenis. 40. A.
Otto Magnus Adelcitam Reginam viduam in uxorem ducit. 347. C.
Berengarium II. Regem capit. 348. A.
Romanorum Imperator creatur. 349. C.
Otto II. Imperator prosperè confligit cum Saracenis. 40. C.
Otto III. Imperator. 41. A.
Ejus mors. 55. A.
Otto IV. Dux Saxoniæ Imperiali Corona Romæ donatur. 74. B.
Ab Innocentio II. anathemate perculsus. *Ibidem* D.
Otto Ostiensis Episcopus in Papam Urbanum electus. 58. B.
Otto Casinensis Abbas. 60. A. & 220. C.
Otto Vicecomes Mediolani. 484. B. & D.
In Prœlio Romano moritur. 489. A.

P

Padolironense Monasterium. 339.
A Tedaldo Comite conditum. 350. B.
Padulum Oppidum. 639. E.
Pallium recipere Romæ renuit Anselmus Archiep. Mediolan. 510. A.
Palma castrum à Ranulpho captum. 631. D.
Palmarum ramos ad Imperatorem transmittit Archiep. Mediolanensis. 507. D.
Pando Capuæ Princeps. 9. E. 19. E. 21. B. & E.
Pandolphus Capoferreus Princeps Capuæ. 8. A.
Pandolphus II. à S. Agatha Princeps Capuæ. 8. B.
Pandolphus III. Theani Comes. 8. B.
Capuæ Princeps. 56. A.
Pandolphus Pandolphi III. filius Princeps Capuæ. 8. C. 255. A.
Pandolfus nepos Landolfi Episcopi Capuani Theanensis urbis, & Casertæ dominus. 24. A.
Pandonolphus Princeps Capuæ. 10. B. 21. E.
Panormum captum à Roberto Guiscardo. 44. C.
Ibidem Rogerius I. in Regem inungitur. 622. A. & C.
A Saracenis captum. 18. D.
Obsessum à Roberto Guiscardo, & Rogerio fratribus. 265. B.
Eisdem cedit. 266. E.
Panormitani classe Normannis obsistunt. 561. C.
Ad eorum obsidionem incitatus Rogerius Comes. 569. C.
Civitas ab illo, & Roberto fratre ad deditionem compulsa. 574. E.
Pao Barensis Archiepiscopus. 40. C.
Papienses contra Comum Mediolanensibus succenturiati. 418.
Ad ejus excidium concurrunt. 452.
A Mediolanensibus Laudensem urbem tuentur. 487. B.
Cum Mediolanensibus fœdus ineunt. 492. A.
Bellum Mediolanensibus inferunt. 512. A.
Victoriam de iis referunt. 517. A.
Lothario II. Augusto parere coacti. 519. A.
Parisinæ Scholæ. 485. B.

Digitized by Google

Parma Chrysopolis appellata. 354. A.
Tumultus ibi excitatus contra Bernardum Cardinalem. 376. A.
Quem Cives postea Episcopum sibi eligunt, & impetrant. 378. B.
Parmenses cum Mediolanensibus fœderati contra Comum. 418. & 453.
Paschalis II. Papa. 49. A. 59. A. & 175. C.
Papa eligitur. 375. D.
Captus ab Henrico IV. Augusto. 60. B. & 82. C.
Beneventum adit. 82. B.
Concilium Ceperani habet. 87. C.
Item Trojæ. 89. A.
Ac Beneventi. 90. C.
Bernardum Cardinalem ad Mathildem mittit. 376. C.
Synodum Guastallæ habet. 377. D.
Ab Henrico V. Rege capitur. 379. B.
Et liberatur. *Ibid.* C. 488. B. & 489. A.
Grossulanum Archiepiscopum bene habet. 483. A.
In Synodo illum restituit. 484. A.
Tum deponit. 499. A.
Ejus mors. 82. A. 91. A. 502. A. & C.
Pataria quid olim significaret. 471. E. & 486 A.
Paulus Diaconus Langobardicæ Historiæ Scriptor. 16. D. 31. A.
Paulinus Capuæ Episcopus. 20. B.
Pentargæ Siciliæ urbs. 596. D.
Peregrinius (Camillus) ejus castigationes in IV. Chronologes. 1.
Notæ in Lupum Protospatam. 37. B.
Prolegomena in Anonymum Casinensem. 53.
In Falconem Beneventanum. 79.
In Ignotum Barensem. 147. B.
Ejus Dissertationes de Beneventano Ducatu. 165.
Series Abbatum Casinensium. 201. A.
Origo Colimentanæ Familiæ. 229. A.
Petronax Abbas Casinensis Cœnobium Casinense restaurat. 202. A.
Petrus Archiepiscop. Cosentiæ. 44. B.
Petrus Portuensis Episcopus. 85. D. 92. B. 499. A.
Petrus Sanctæ Mariæ ad Trans-Tiberim Cardinalis electus in Anacletum Pseudopapam. 61. B.
Petrus Presb. Cardin. Rector Beneventanus. 101. C.
Petrus Archiep. Acheruntinus. 49. A.
Petrus Terdonensis Episcopus electus. 505. C. & 509. A.
Petrus Dux Veneticorum Barim ab obsidione liberat. 41. B.
Petrus Abbas Casinensis electus. 69. A.
Ejus mors. 70. B.
Petrus Abbas Casinensis. 57. A.
Quo anno electus. 217. E.
Petrus Comes Abbas Casinensis. 74. C.
Petrus Leonis Præfectus Urbi. 90. E.
Petrus Leonis. *Vide* Anacletus.
Philippus Alamanniæ Rex occisus. 74. B.
Philippus Rex Francorum Bertam conjugem repudiat. 592. B.
Philippus Episcopus Pactensis. 605. C.
Photius è Sede Constantinopolitana depositus. 26. B.
Pippinus Francorum Rex Stephano II. Papæ contra Langobardos fert opem. 16. A. & 31. A.
Pippinus Caroli M. filius Italiæ Rex. 16. A.
Ticini regnat. 17. C.
Pisani Majoricam & Minoricam fortiter debellant. 60. B.
Apuliam armis petunt. 62. A.
In Rogerium Siciliæ Regem classem instruunt. 117. A.
Amalphim capiunt. 120. B.
Et alia loca. 122. D.
Ad Panormi obsidionem Rogerium Comitem invitant. 569. C.
Afros impugnant. 590. D.
Amalphiam invadunt, ac depopulantur. 638. D. & E.
A Rogerio profligantur. 639. A. & B.
Pisanus Archiepiscopus constitutus à Gelasio II. Papa. 92. B.
Pisæ sordidæ ob commercia Paganorum. 364. A.
Ibi copia artificum ad machinas bellicas efformandas. 452.
Placentini ad obsidionem Comi à Mediolanensibus acciti. 453.
Placentinum Concilium ab Urbano II. habitum. 374. A. 497. B.
Plateæ Oppidum Comitissæ Mathildis. 371. C.
Pomposianum Monasterium. 357. C.
Pons-Silicis super Clanum flumen. 635. A.
Pontius Abbas Cluniacensis Mathildim Comitissam visitat. 382. B.
Pontum Oppidum sponte Rogerio I. Regi se subjicit. 632. D.
Porletia pagus ad Luganensem lacum. 427.
A Comensibus defensa. 428.
Portæ nomen quid in Apuliæ Civitatibus significaret. 235. B.
Ex Portarum custodia cognomen Familiis quibusdam. 237. C.
Portenaticum, telonii genus. 493. A. & E.
Poto Casinensis Abbas. 204. C.
Pratum Castellum à Rogerio incensum. 631. B.
Praxedes Regina ab Henrico IV. suo viro se separat. 373. B.
Placentinæ Synodo interest. 374. A.
Primicerii varii in Ecclesia Ambrosiana. 475. C.
Provincialium mores. 306. E.
Provinciæ nomine quid significatum seculis barbaris. 190. C.
De *Puteo* (*Julius*) *Vitæ Comitissæ Mathildis scriptor*. 337.

R

Rabellum Oppidum Rogerio subjicitur. 623. C. & D
Rachisius S. Modesti Abbas. 85. B. 97. A. & B.
Radelchis Princeps Beneventi. 7. C. 18. D.
A Salernitanis malè affectus. 19. B.
Ejus cum Siconolpho prœlia. *Ibid.* A.
Mors subsequuta. 20. A.
Radelchis Princeps Beneventi. 7. D. 25. A.
Radelchis Ursus Comes Concinus. 17. D.
Radelgarius Beneventi Princeps. 7. D. 20. A.
Radulfus Bajanensis Comes. 585. D.
Radulphus Cadomensis, Auctor Libri de Gestis Tancredi. 281.
Quis ille fuerit. 283.
Ejus ætas. 285.
Ejus Patria. 305. E.
Ragemprandus Casinensis Abbas. 209. B.
Raimpotus Sergio Rogerii inimico conjungitur. 633. A.
In mari cum filio demergitur. *Ibid.* D.
Rainulfus Abellini, & Calatiæ Comes. 93. B. & E. 94. E.
Honorio II. Papæ militat. 103. B.
In Rogerium I. Regem insurgit. 110. B.

Digitized by Google

Rainulfus Comes Abellini Prœlium init cum Rogerio Duce. 112. E.
Eumque in fugam vertit. 113. D.
Romam ad Innocentium se confert. 115. C.
Rainulphus creatus Dux Apuliæ Rogerio I. Regi obsistit. 124. B.
Eum prœlio frangit. *Ibid*. D.
Constans in armis contra eumdem. 126. B.
Ejus mors. 127. C. *Vide* Raynulphus.
Rameta Siciliæ Civitas Normannis deditur. 562. B.
Rangerius Episcopus Lucensis S. Anselmum versibus ornat. 369. A.
Ranulfus Consul, seu Comes Aversæ. 255. D.
In Robertum Guiscardum insurgit. 267. E.
Pacem cum eo init. 268. E. 617. B.
Mathildim uxorem cum Abellino, ac Merculiano sibi reddi à Rogerio poscit. 624. E.
Contra Regem ad bellum denuo se parat. *Ibid*.
In Caudina Valle exercitum disponit. 625. D.
Tancredum, Gofridum, & Alexandrum socios rebellionis contra Regem suscipit. 628. C.
Amissis sociis, cum Beneventanis fœdus iterat. 630. D.
Neapolim pergit, auxilium à Sergio petiturus. *Ibid*. B.
Pacem iterum à Rogerio postulat, & obtinet. 632. A. B. & E.
Contra eumdem postmodum insurgit. 634. D.
Ejusdem cum Aversanis in Regem conjuratio. 635. E.
Neapolim fugit. 636. C.
Ratchis Langobardorum Rex. 15. B.
Desiderio causa Regni obsistit. 31. C.
Ravennatis Archiepiscopi contentio cum Mediolanensi de præcedentia. 506. C.
Raymundi convicii causa appellati Comenses. 432.
Raymundus Barcinonensis Comes filiam Roberti Guiscardi ducit. 270. A.
Raymundus Comes S. Ægidii. 290. B.
Ejus virtus in expeditione Hierosolymitana. 291. B. & 296. C.
Raymundus Provinciæ Comes Mathildim Rogerii Siciliæ Comitis filiam uxorem accipit. 582. B. & 592. C.
Raymundus Comes Cruce-signatus. 329. E.
A Tancredo captus Antiochiam ducitur. 330. C.
Raynaldus Barensis Archiepiscopus. 75. B.
Raynaldus Episcopus Cajetanus. 58. B.
Raynaldus I. Abbas Casinensis. 63. A.
Quo anno electus. 222. E.
Confusus cum altero Raynaldo. *Ibid*. A 230. B.
Raynaldus II. Abbas Casinensis. 64. A.
Recuperat gratiam Guilielmi Regis. 68. A.
Ejus obitus. 69. A. 223. B. 230. B.
Raynulphus Apuliæ Dux. 64. A. & B.
Ab Innocentio II. Papa, & Lothario Augusto Dux creatur. 122. E. *Vide* Rainulphus.
Regiensis Comitatus, ubi sita Canossa. 346. C.
Episcopus Adalardus 347. B.
Comes ejus Urbis Atto. 349. E.
Regium Æmiliæ nomine donatum. 372. D.
Renatus Andegavensis Rex Neapolis. 50. A.
Rhegium captum à Græcis. 42. B.
Calabriæ urbs. 265. E.
Roberto Guiscardo in deditionem venit. 558. D.
Rholo Normannorum Dux Normanniam Franciæ provinciam sibi subdit. 549. A.
Richardus II. Normanniæ Dux. Ejus gesta. 558. & 559. C.
Richardus I. Capuæ Princeps. 255. D. & 267. D.
Richardus II. Princeps Capuæ. 60. B. 95. A. & 255. D.
Richardus de Rupecanina frater Raynulfi Ducis Apuliæ. 128. E.
Richardus Princeps Capuæ intrat terram Campaniæ. 44. C. & 57. A.
Obsidet Neapolim, & moritur. 45. A. 58. B. & 255. D.
Richardus junior, Jordanis filius, Princeps Capuæ. 600. D.
Capuam recipit. 601. C.
Richardus Princeps Aversæ. 576. A.
Richardus Comes Aversæ. 260. A.
Richardus Roberti filius Princeps Capuæ. 60. A. & 77. A.
Richardus Acerrarum Comes. 70. E. & 71. A.
Richardus de Aquila Comes. 67. A.
Richardus Comes Caleni. 71. D.
Capitur à Theutonicis. 72. A.
Richardus Fundanus Comes. 74. E.
Richardus Ranulphi frater Rogerii Legatum naribus, atque oculis deturpat. 624. B.
Castrum Sanctæ-Agathæ Rogerio per cambium tradit. 630. C.
Aversâ fugiens Neapolim petit, relicto filio suo Regis obside. 636. E.
Richerius Abbas Casinensis. 56. A.
Normannos fugat. 57. A. & 216. B.
Richilda Comitissa, uxor Bonifacii Marchionis. 351. C. & E.
Ripalta se dedit Henrico IV. 370. C.
A Mathilde Comitissa recipitur. 373. B.
Mantuanis rebellibus se subdit. 380. B.
Riso Barensis Archiepiscopus. 91. A.
Robaldus Albensis Episcopus electus Archiepiscop. Mediolanen. 469. A. 510. A. 514. A. 515. A. & 516. A.
Lothario II. Augusto adhæret. 517. A.
Robertus Rex Siciliæ. 50. B.
Robertus Normanniæ Comes, pater Guilielmi Anglorum Regis. 558. D.
Robertus Normanniæ Comes Willelmi Regis Angliæ filius, ejus laudes. 291. C.
Christianorum, quos Turci fugarunt animos colligit. 293. E.
Robertus Guiscardus loco Umfredi fratris factus Comes 44. B.
Variis Apuliæ Urbibus potitur. *Ibid*. C. 153. B.
Tarentum intrat. 45. C.
Alexium Imperatorem fugat. *Ibid*. A. & 154. A.
Gregorio VII. Papæ fert opem. *Ibid*. B.
Illum ab obsidione liberat. 46. B.
Salernum expugnat. 58. A.
Ejus gesta in Apulia. 152. B.
Alexium Imperatorem & Venetos prœlio fundit. 154. A.
Prœlium Normannorum sustinet contra Leonem IX. Papam. 260. A.
Ejus progressus in Calabria. 261. A.
Dux à Nicolao II. Papa creatur. 262. B.
Barim obsidet. *Ibid*. D.
In deditionem accipit. 265. B.
Panormum cum fratre suo Rogerio obsidione cingit. *Ibid*.
Et capit. 266. E.
Uti & Tranum, ac alias Urbes. *Ibid*. D.
Orta in eum conjuratio. 268. A.
Barim recipit. 269. B.
Colloquium cum Gregorio VII. Papa habet. 270. B.
Classem in Græcos movet. 271. B.
Dyrrachium obsidet. *Ibid*. D.

Digitized by Google

Prœlio Græcos vincit. 273. C.
Dyrrachio potitur. *Ibid*. D.
Gregorio VII. opem confert. 274. A. & 367. A.
Venetos & Græcos navali prœlio frangit. 276. D.
Ejus mors. 277. A.
Venusina in Urbe sepelitur. 278. A.
Egregia illius gesta. 286. D. 278. (VI.)
Robertus Guiscardus Normannus Tancredi filius 550. A.
In Apuliam se confert. 552. B.
Primi ejus progressus in Calabria. 553. D.
Comes Apuliæ constituitur. 554. A.
Bellum inter eum, & Rogerium fratrem. 556. B.
Pax inter eos firmata. 557. D.
Rhegium obsidet, & capit. 558. C.
Dux efficitur. *Ibid*. D.
In Siciliam arma ducit. 561. B.
Messanam intrat. 562. A.
Dissidia inter eum & Rogerium fratrem. 564. A.
A Civibus Geracii captus, à fratre liberatur. 565. D.
Frustra ad obsidendum Panormum se confert. 570. B.
Barum obsidione cingit. 571. C.
Eoque potitur. 573. A.
Tum Panormo. 574. E.
Deinde Amalfi, & Salerno. 576. C.
Classem in Græcos parat. 580. B.
Romaniam invadit. 582. C.
Dyrrachium obsidet. 583. E.
Exercitum Græcorum fugat. 584. A.
Dyrrachium sibi subdit. 585. A.
Jordanum Aversæ Principem impugnat. 586. E.
Romam iratus intrat. 587. E.
Eamque, subducto Gregorio VII. incendit. 588. B.
Ejus mors. 46. A. 58. A. & 589. A.
Dies emortualis. 75. D.
Robertus Comes Flandriæ, ejus laudes in expeditione Hierosolymitana. 291 A.
Ejus virtus in prœlio contra Turcas. 295. D.
Robertus Frisius Flandrensium Marchio. 597. B.
Robertus I. Princeps Capuæ. 60. A. & 95. A.
Robertus II. Princeps Capuæ. 61. A. & 103. A.
Pisas abit. 62. A.
Iterum in Apuliam arma fert. 67. A.
Cæcatus moritur. *Ibid*. A. & E.
Contra Rogerium Ducem Siciliæ insurgit. 104. B. 105.
Ejus coronationi interest. 106. D.
Rogerio Regi obsistit. 110. A.
Prœliatur cum illo. 112. D.
Romam ad Innocentium II. se confert. 115. B.
A Pisanis opem implorat. 116. A. & 117. E.
Capuam regreditur. 118. C.
Spoliatur à Rogerio Rege. 119. C.
Ad Lotharium Augustum se recipit. 120. C.
Principatum recuperat. 121. A.
Se Innocentio Papæ jungit. 128. D.
Rogerio subditur. 621. B.
Legatos mittit ad eumdem, ut Ranulpho parcat. 625. E.
Regis nunciis petita negat. *Ibid*. C.
Ranulpho Comiti contra Regem conjungitur. *Ibid*. D.
Nucerinis opem ferre satagit. 626. B.
Romam ad Lotharium Imp. ut sibi contra Regem faveat pergit. 628. D.
Pisas ad petendum auxilium vadit. *Ibid*. E.
Iterum Pisanos adit. 631. B.
Pisis cum militibus redux Neapolim proficiscitur. 634. B.
Ranulpho, ac Sergio conjunctus arma suscipit. 635. A.
Pisas redit novas acies instructurus. 639. C.
Robertus Comes Normanniæ Cruce-signatus. 47. A.
Robertus Episc. Beneventanus. 31. B.
Robertus Trainensis Episcopus. 598. C.
Legatus in Siciliam missus. 601. E.
Robertus Comes de Caserta. 72. A.
Robertus Comes Loretelli. 66. D.
Regnum Apuliæ invadit. 67. A. & 68. A.
Pacem init cum Guilielmo II. Rege. 69. B.
Rodoaldus Gisulphi filius Dux Beneventi. 7. D.
Rodulphus Princeps Beneventi. 8. C.
Rodulphus Sueviæ Dux Gregorio VII. Papæ adhæret. 270. D.
In prœlio cadit. *Ibid*. A.
Rodulphus Comes Aversæ. 258. C.
Rodulphus Comes Bojanensis. 260. B.
Roffredus Casinensis Abbas. 70. C
Ejus acta cum Henrico V. Augusto. 71. A. & D.
Casinum regreditur. 72. B.
Sua recuperat. 73. C.
Civitatem Soræ, aliasque Terras recipit. 74. B.
Naturæ debitum solvit. *Ibid*. C.
Roffridus Beneventan. Archiepisc. 82. B.
Roffridus II. Archiepisc. Beneventanus electus. 94. D.
Consecratur à Callisto II. Papa. 96. C.
Accusatus apud illum se purgat. 99. C.
Ejus mors. 106. C.
Rogerius frater Roberti Guiscardi Siciliæ præest. 45. A.
Syracusam sibi subdit. 46. B.
Amalphim obsidet. 47. A.
Capua potitur. *Ibid*. B.
Panormum obsidet. 265. A.
Ejus laudes. 286. E.
Filiam suam Chonrado Henrici IV. Regis filio conjungit. 375. B.
In Apuliam se confert. 555. C.
Prima illius gesta. *Ibid*.
Roberto fratri bellum indicit. 556. B.
Pax inter eos firmata. 557. D.
In Siciliam copias ducit. 560. D.
Messanenses prœlio frangit. 561. B.
Civitate potitur. 562. C.
Saracenos acri pugna fundit. 563. C.
Inter illum, & Robertum fratrem simultas, & bellum. 564. A.
Roberto à Geracienſibus capto fert opem. 565. B.
Calabriam cum eo partitur. 566. D.
A Saracenis captus, gladio se liberat. 567. C.
Saracenos ingenti clade sternit. 569. D.
Frustra obsidionem Panormi tentat. 570. B.
Roberto fratri in obsidione Barensi manum præstat. 573. C.
Panormo cum fratre potitur. 574. E.
Saracenos ad Mazaram debellat. 578. A.
Trablensem urbem ad deditionem componendam cogit. 579. C.
Tauromenium obsidet. 580. D.
Eoque potitur. 581. C.
Filiam Raymundo Provinciæ Comiti jungit. 582. C.
Saracenis navali prœlio fractis, Syracusis potitur. 590. D.
Tum Agrigento. 591. A.
Episcopos in Sicilia constituit. 592. B.
Urbanum II. Papam adit. 594. A.
Notensi urbe potitur. *Ibid*. A.

Digitized by Google

Melitam Insulam invadit, ac sibi subdit. 595. A.
Cosentinos, & Pentargenses parere cogit. 596. C.
Filiam Conrado Italiæ Regi jungit. 598. C.
Alteram Regi Hungariæ. 599. A.
Ingentes copias adversùs Capuam ducit. 600. B.
Capuam ad deditionem compellit. 601. B.
Legatus Pontificius in Sicilia constituitur. 602. A.
Humanis rebus eripitur. 82. C. & 603. B.
Rogerius Rogerii Regis pater moritur. 616. C.
Rogerius I. Siciliæ Rex puer à matre Adalesia tutela suscipitur. 616. C.
Guilielmo Duci in Apulia succedit. 102. C.
Audita ejusdem morte Salernum tendit. 617. A.
Ad Salernitanos mittit, & deditionem componit. Ibid. C. & D.
Ducis nomen assumit. 103.
Honorii II. animum per legatos flectere curat. Ibid. E.
Brundusium Tancredi urbem in deditionem recipit. 109. B. & 618. C.
Robertum occupata Oppida dimittere cogit. 621. A.
Ab Honorio Papa Ducatum Apuliæ suscipit in urbe Beneventana. 105. C. & 619. B. & D.
Varia illius gesta. 62. A.
Capuam sibi subdit. 61. A.
Apuliam recuperat. 64. A. & B.
Apuliæ Optimates convocat, & ab eis fidelitatis sacramentum accipit. 620. C. & D.
Ab Anacleto II. Antipapa Rex Siciliæ coronatur. 61. A. & 106. D.
Siciliam remeat. 622. C.
Rex Panormi ungitur. Ibid.
Afros debellat. 65. B.
Amalphiam rebellem in amicitiam recipit. 623. D.
Mathildim sororem in Siciliam mittit: 624. C.
Roberto Capuæ Principi bellum indicit. 110. A.
Contra Ranulphum arma movet. 625. D.
Commissâ pugnâ primò victor evadit. 628. E.
Deinde fugatur. 113. D. & 627. B.
Beneventanos vexat. 114. A. & 627. E.
Siciliam repetit. 628. A.
Venusiam, & alias urbes sibi subdit. 115. A. 628. B. 629. A. & B. & 630. C.
Iterum Apuliam sibi subjicit. 126. D.
Ranulpho Cognato paciscitur. 632. C.
Salerni ægrotat. 624. A.
Aversam incendio tradit. 636. A.
Neapolitanos vexat. 119. A. & 636. D.
Pisanos prosternit. 639. A. & B.
Amfusum filium per vexillum Principem Capuanum constituit. Ibid.
Adam generum suum Comitem facit. Ibid.
Ejusdem mores. 642. & *seqq.*
Capuano Principatu potitur. 119. A.
Beneventanos privilegio donat. 124. A.
Anathemate percutitur ab Innocentio II. Papa. 127. C.
Eumdem Pontificem in prælio capit. 129. A.
Ab eo Regnum, Ducatum, ac Principatum accipit. Ibid. B.
Barim obsidet. 130. C.
Neapolim ingreditur. 131. E.
Diem postremum obit. 66. B.
Rogerius Comes Orianensis Rogerio Regi Padulum, ac Montem-Fusculum dimittit. 621. A.
Rogerius de Plenco Rogerii Regis inimicus capitur, & suspenditur. 629. C. & D.
Rogerius Rogerii Siciliæ Comitis filius, quo anno conceptus. 601. C.
Succedit Simoni fratri. 603. B.
Rogerius Roberti Guiscardi filius Dux Apuliæ efficitur. 46. A. 253. B. 268. D.
Bellum gerit contra Boamundum fratrem suum. 46. B.
Ei pater regendum dat Ducatum. 271. B.
Patri adhæret in bello. 276. B.
Morienti adest. 277. E.
Cum Romanis pugnat. 588. B.
Patris exequias procurat. 589. A.
Dux efficitur. Ibid. C.
Cum Boamundo fratre reconciliatur. 591. C.
Cosentiam rebellem ad deditionem cogit. 596. A.
Gravi ægritudine correptus. 597. C.
Exercitum adversùs Capuanos ducit. 600. D.
Eos ad deditionem compellit. 601. B.
Ejus mors. 49. A. 60. B. & 102. A.
Rogerius Tancredi Regis Siciliæ filius. 72. B. & E.
Rogerius Episcopus Syracusanus. 592. D.
Rogerius Comes Jordani Comitis filius. 114. E.
Rogerius de Ariano Comes. 123. A. 124. A. & 128. D.
Rolandus Cardinalis Cancellarius in Papam Alexandrum electus. 68. B.
Roma à Friderico I. Aug. obsessa. 69. A.
Ab Henrico III. Augusto capta. 586. A.
Tum à Roberto Guiscardo. 587. E.
In eam invectiva Gaufredi Malaterræ. 588. D.
Romani Pontifices tres à Conone, hoc est Conrado I. Augusto, seu potius ab Henrico II. ejus filio depositi. 43.
Romanorum ditio, regnantibus Langobardis, quantùm se protenderet. 172. D.
Romanorum turbæ sub Paschale II. 90. B.
Sub Gregorio VII. 271. A.
Romanorum ritus in excipiendo Henrico V. Rege. 379. A.
Romanus Græcorum Imperator. 39. A.
Constantino sufficitur. 42. B. & C.
Romanus Diogenes Imperator Græcorum. 44. B. & 264. B. *Vide* Diogenes.
Romoaldus I. Dux Beneventi. 7. D.
Romoaldus II. Dux Beneventi. 7. A.
Romualdus Diac. S. R. E. Cardinalis. 85. E.
Romualdus Diac. Card. Salerni Archiepiscopus. 97. B.
Romulantes Episcopus Barensis electus. 42. B.
Rossanum Civitas à Guilielmo de Grantemanil occupatur. 597. A.
A Rogerio Duce recepta. 598. C.
Rossemannus Archiep. Beneventan. 124. E.
Pulsus ad Rogerium Regem se recipit. 129 B.
Rufus Cusentinus Archiepisc 70. C.
Rusca (Josephus) laudatus. 405.

S

Sabbaticus, sive Symbaticius Stratigus Græcorum. 7. D.
Saladinus Rex Turcarum Christianos vincit, Hierosolymam capit. 70. B.
Salerni Principum Catalogus. 11. B.
Salernitani Rogerio Comiti Siciliæ se subdunt. 102. C.
Radelchisum Beneventanum Principem male habent. 19. B.
Salernum quando conditum. 16. C.
Aldemarius Princeps Salernitanus. 20. B.
A Saracenis obsessum. 23. A.
Roberto Guisardo traditum. 45. A. & 58. A.
Lothario II. Augusto se subdit. 122. C.
Langobardis traditum. 178. D.

Ex-

Digitized by Google

Expugnatur à Roberto Guiſcardo. 267. D. & 577. A.
Samnium Provincia in Beneventano Ducatu. 189. D.
Sanctæ-Agathæ Civitas Rogerio conceſſa. 630. C. & 637. B. & C.
Sancti-Angeli oppidum. 636. E.
Saraceni Siciliam vaſtant, Panormum capiunt. 18. D.
A Radelchiſo Beneventano Principe in auxilium acciti. 19. C.
Barium occupant, Apuliam deprædantur. 20. A.
Francos pluries atterunt. 21. C.
A Ludovico II. Auguſto repreſſi. 22. B.
Salernum obſident, Calabriam depopulantur. 23. A.
Rurſus prævalent in Chriſtianos. *Ibid*. B.
A Panormo pulſi. 266. E.
Monaſteria S. Benedicti, & S. Vincentii deprædantur. 24. B.
Varias Urbes incendunt. 25. E.
Ad Garilianum à Chriſtianis afflicti. 26. E.
Neapolim vexant. 29. E.
A Ludovico II. Auguſto variis prœliis fracti. 37. A.
Ad Garilianum deleti. 38. B.
Ab Ottone M. Auguſto proſtigati. 40. A.
Et ab Ottone II. *Ibid*. C.
Salernum obſident. 41. A.
A Normannis in Sicilia prœlio fracti. 563. C. 568. A. 569. D. 572. B. & 578. A.
Sarni fluvius. 626. C.
Sarnum Oppidum à Ranulpho Comite captum. 631. D.
Sarolus Rogerii Legatus à Salernitanis occiditur. 617. C.
Sartius mons. 640. C.
Saxius (Joſeph Antonius) Laudatus 406. & 442.
Ejus Notæ in Landulphum de Sancto Paulo. 469.
Saxonicum bellum ſub Henrico IV. Rege. 362. D.
Scholæ Mediolanenſes. 472. A. & B.
Aurelianenſes. 481. B.
Turonenſes, & Pariſienſes. 485. B.
Laudunenſes. 487. A.
Secretarium idem ac Sacriſtia. 471. B.
Seggi *Neapoli, & Capuæ unde originem habuerint*. 238. A.
Seniorettus Abbas Caſinenſis. 61. A.
Ejus mors. 63. A. 222. B.
Seodam Rex Saracenorum Beneventanum regionem depopulatur. 21. C.
A Ludovico II. Auguſto capitur. 22. C. & 23. B.
Sergius Magiſter Militum Neapolit. 20. D. 21. B. 23. D. & 124. A.
Regi ſubjicitur. 623. E.
Regis juſſa deinde contemnit. 632. E.
Iterum eidem fidelitatem jurat. 633. E.
Mortuum Regem putans arma movet. 634. E. & 635. A.
Piſas petit ad auxilium contra Rogerium poſtulandum. 642. E.
Serlo Roberti Guiſcardi frater. 550. E.
Ejus acta in Normannia. 558. C.
Serlo Serlonis filius, nepos Roberti Guiſcardi. 561. B.
Ejus præclara geſta in Saracenos. 568. A.
Ab iis necatur. 574. B.
S. Severinæ Civitas obſeſſa, & capta. 577. B.
Sicardus à Sicone patre conſors Beneventani Principatus creatur. 7. C. 18. A.
S. Bartholomæi corpus Beneventum defert. 32. D.
Sicilia à Saracenis vaſtata. 18. D.
A Normannis recepta. 266. E. & 560. C.
Sico Agrigentinus Caſtaldus, Beneventanorum Dux, & Princeps. 7. C. 17. D.
Neapolitanis bellum infert. 18. A. & 32. C.
Inde S. Januarii corpus aufert. *Ibid*.
Siconolfus Capuæ Princeps. 7. C.
Antea in exilium actus. 18. A.
Saracenos prœlio atterit, Beneventum affligit. 19. D.
Ejus mors. 20. A.
Sicopolis urbs igne cremata. 20. D.
Sigefredus Princeps Mathildæ Comitiſſæ ſtipes. 345. B.
In Langobardia lares figit. 346. A. 389. B.
Sigelgayta uxor Roberti Guiſcardi. 75. C. 262. D. & 557. A.
Marito capto fugit. 566. C.
Morientem maritum inviſit. 277. C.
Ejus exequias procurat. 589. A.
Silva (Donatus) Blandrati Comes Comitum Blandratenſium Hiſtoriam editurus. 452.
Simiſchius Imperator Græcorum. 40. A.
Simon Rogerii Siciliæ Regis filius naſcitur. 596. E.
Patri ſuccedit. 603. B.
Simonia per Germaniæ Reges invecta. 357. A.
Sinibaldus S. R. E. Cardinalis, Papa Innocentius creatur. 604. E.
Sipontum captum à Michaële Sclabo. 38. A.
Num Græcis, an Langobardis olim ſubjectum. 182. D.
Solymannus Rex Turcarum Chriſtianis obſiſtit. 293. D.
Spermologus, bumuncio, blatero. 367. B. & E.
Stambucinæ pelles. 486. A. & C.
Stampa (Joſephus Maria) laudatus. 463.
Poëmatis Cumani editor, ac illuſtrator. 401. & 405.
Stephanus II. Papa Aiſtulfo Regi obſiſtit. 6. A.
Deſiderium ad Regnum conſequendum juvat. 31. C.
Stephanus V. Papa. 28. B. & 29. A.
Stephanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 26. B.
Stephanus Epiſcopus Acheruntinus. 42. A.
Stephanus Mazaræ Epiſcopus. 592. C.
Stephanus Comes Bleſenſis in expeditione Hieroſolymitana. 291. A.
Stephanus Abbas Materienſis. 49. A.
Subcingulum ſacræ veſtis genus. 477. E.
Sueſſa Civitas erepta Landolfo Landonis filio. 20. D.
Sulthaimus Rex Saracenorum. 25. B.
Suricum Oppidum ad Larium Lacum. 432.
Surita (Hieronymus) evulgator Hiſtoriæ Siculæ Gaufredi Malaterræ. 540.
Epiſtola illius ad Antonium Auguſtinum. 542.
Surrentum Græcis paruit, regnantibus Langobardis. 176. B.
Synodus Placentina ſub Urbano II. 465.
Syracuſæ Rogerio Siciliæ Comiti deditionem faciunt. 46. B. & 590. D.

T

Tancredus Comes Liciæ. 70. C.
Coronatur Rex Siciliæ. 71. A. & 603.
Totam Apuliam recuperat. *Ibid*. D.
Alia illius acta in bello. 72. B.

Ejus

Digitized by Google

Ejus mors. Ibid. E.
Tancredus de Altavilla Normannus, ejus glorioſa proles. 550. E.
Ejus geſta. 559. C.
Tancredi Principis geſta in expeditione Hieroſolymitana, deſcripta à Radulpho Cadomenſe. 279. A.
Num Tancredus in Italia natus. 281.
Quis ejus pater. 282.
Ejus parentes quales. 286. D.
Ad bellum ſacrum ſe parat. Ibid. C.
Sub Boamundo militat. 287. B.
Græcos frangit, & fugat. 288. B.
Francorum exercitui ſe adjungit. 290. B.
Alexio Imperatori ſiſtitur. 292. B.
Eidem ſe eripit. 293. B.
In magna ſtrage Chriſtianorum reſiſtit. 294. A.
Tharſum obſidet, ac capit. 297. E. & 298. D.
Artaſium venit, Balduinum ab Antiochenis circumventum liberat. 301. C.
DCC. Turcos delet. 303. C.
Singulari certamine tres Turcos confodit. Ibid. D.
Solus è Monte olivarum Hieruſalem conſiderat. 319. E.
Irruentes ab eadem urbe milites ſolus fundit. 320. E.
Templum Hieroſolymitanum ſpoliat, & omnia militiæ diſtribuit 324. B. & E.
Antiochiæ Princeps efficitur. 329. C.
Mamiſtam, Adanam, & Tharſum ſibi ſubjicit. Ibid. D.
Laodiciam expugnat. Ibid. E. & 330. E.
Tancredus de Converſano Brunduſium à Rogerio captum recuperat. 619. A.
Solutâ ſibi pecuniâ Terras ſuas Rogerio renuntiat Hieroſolymam profecturus. 625. D.
Rogerium victum intelligens milites congregat. 627. A.
Cum Goffrido contra Regem fœdus init. 115. A. & E. & 627. D.
In Monte-Piloſo capitur. 116. A. & 629. C.
Exul in Siciliam mittitur. 113. D. & 629. C. & D.
Taranta vermis venenoſus. 570. C.
Tarentum civitas Rogerio ſe dedit. 618. B.
Tauromenium à Rogerio Siciliæ Comite obſeſſum. 580. D.
Deditionem facit. 581. C.
Taxia Ratchiſii Regis uxor. 15. A.
Tedaldus Epiſcopus Aretinus. 350. D.
Quanta fuerit ejus religio. 351. B.
Tedaldus Attonis Comitis filius Ferrariæ dominatur. 350. B.
Romam miſſus à patre. 359. A.
Teniagelius (Sebaſtianus) Bibliothecarius Cæſareus primus editor Poëmatis Donizonis. 338.
Terra-Laboris quid olim ſignificaret. 177. C. & 178. A.
Theanenſis urbs Beneventanis erepta. 17. B.
Theatina Marchia. 186. C.
Theatrum, ideſt thronus. 499. E.
Thebaldus Abbas Monaſterii Brixellenſis. 376. B. & E.
Theobaldus Abbas Caſinenſis. 56. A. & 215. E.
Theodemarus Caſinenſis Abbas. 204. E.
Theodinus Abbas Caſinenſis. 69. A.
Theodora Auguſta ſoror Zoës Imperatricis. 44. B.
Theophylactus Græcorum Stratigus. 28. B.
Tiremæus (Johannes) primus Guilielmi Apuli Poëma Hiſtoricum evulgat. 249.
Tomichis Caſinenſis Abbas. 204. B.
Trablenſis urbs à Rogerio Comite obſeſſa. 578. C.
Deditionem facere coacta. 579. C.
Traina Siciliæ civitas Rogerio Calabriæ Comiti traditur. 563. A.
Ejus Cives adversùs ipſum inſurgunt. 566. B.
Tranſamundus Marchiſius. 40. A.
Tranum civitas Rogerio ſubjicitur. 630. A.
Tremezium promontorium ad Larium Lacum. 420.
Tres-Comitatus pagus, nunc Tricontai. 371. B.
Treuga Dei conſtituta in Synodo Melfitana. 46. C.
Jurata à Normannis. 47. A. & 90. A.
Treuga Dei conſtituta in Concilio Lateranenſe ſub Calliſto II. 99. B.
Triventum Oppidum à Georgio, & Johanne Ammiratis conſtringitur. 623. A.
Troja hominium Honorio II. præbet. 618. B.
A Rogerio capitur. 620. D.
Trojani à Rogerio obſeſſi Roberti auxilium poſcunt. 620. A.
Tryphomenes Sanctæ Virginis corpus Amalphiam translatum, ac inde Beneventum. 32. A.
Tunicii Rex impugnatus à Piſanis. 590. E.
Turci Chriſtianis in expeditione Hieroſolymitana obſtant. 293. B.
De ipſis ingentem ſtragem edunt. 294. D.
Tum ab ipſis fugantur. 295. C.
Piſis commercia agunt. 364. A.
Turcarum progreſſus in Oriente ſub Conſtantino Duca Græco Imperatore. 264. A.
Turonenſes Scholæ. 485. B.

V

Vadus-Petroſus ad fluvium Brandanum, ubi Rogerius caſtra figit. 618. D.
Vallis Tellina Comenſibus adhæret. 434.
Ejus deſcriptio. 446. 485. A. & C.
Varena Oppidum ad Larium lacum. 423.
Ubaldus Oſtienſis Epiſcopus in Papam Lucium.
Ubaldus Epiſc. Mantuanus. 371. C. & 394. D.
ordinatur. 70. A.
Ubertus de Pirovano Archiepiſc. Mediolanenſis. 520 B.
Ubertus Epiſcopus Cremonen. captus à Mediolanenſibus. 520. A.
Vedanum pagus in agro Comenſe. 424.
Venafranum caſtrum à Saracenis captum. 21. E.
Veneti Græco Imperatori contra Robertum Guiſcardum opem ferunt. 583. B.
Venetia populoſa claſſem Græco Auguſto mittit contra Robertum Guiſcardum. 272. D.
Venetiarum Dux Innocentio II. Papæ adhæret. 117. A.
Veneticorum ſtolus à Roberto Guiſcardo fractus. 46. B.
Venetorum geſta in obſidione Dyrrachii. 273. B. & D.
Dyrrachium repetunt. 275. B.
Victi à Roberto. 276. E.
Venetorum Dux Vitalis Michaël Mathildi Ferrariam obſidenti naves mittit. 376. A
Vercellenſes contra Comum Mediolanenſibus ſuppetias ferunt. 418. & 452.
Veronenſes Mediolanenſibus adjuncti in bello contra Comum. 418.
Vertematum caſtrum agri Comenſis. 439.
Veſuvii terribile incendium. 128. B.
Vicecomitis munus quale olim. 489. D.
Vicedomini munus quod olim foret. 443.
Vicentini ad excidium Comi Mediolanenſibus opem præſtant. 453.
Victor II. Papa Henricum IV. Regem confirmat. 361. A.

Digitized by Google

Victor III. Papa electus. 57. A. & 368. B.
Ejus dies emortualis. 75. E.
Victor Antipapa. 126. A.
Villanus electus Episcopus Brixiensis. 500. A.
Virgilius Mantuæ natus, num Regium Lepidi fugerit. 359. B. & C. & 360. A.
Ultreja Ultreja cantilena Mediolanensium Cruce-signatorum. 473. A. & E.
Umfredus Normannus Comes in Apulia. 44. A. & B. & 259. B.
Prœlium init cum Leone IX. Papa. 260. A.
Apuliæ Urbes subdit. 261. C.
Illius mors. Ibid. E.
Vogenzatum pagus agri Mediolanensis. 439. C.
Urbanus II. Papa in Apuliam pergit. 47. A. 58. B. & 59. A.
Barensem Synodum celebrat. 48. A.
Schismaticos frangit. 369. B.
In Langobardiam se confert. 373. D.
Placentinam Synodum cogit. 374. A.
In Galliis Hierosolymitanam expeditionem urget. 374. A. 286. & 599. E.
Ejus constantia contra adversarios. 375. C.
Ejusdem Bulla pro Ecclesia S. Trinitatis fundata à Liprando Presbytero. 479. B.
Mediolanum pergit. 497. B.
Rogerii Siciliæ Comitis colloquium expetit. 593. E.
Ejus dissidia cum Henrico II. Augusto. 598. A.
Pacem inter Capuanos, & Richardum Principem stabilire nititur. 601. D.
Rogerium Comitem Legatum in Sicilia constituit. 602. A
Ejus obitus. 4. B. 49. A.
Urbanus III. Papa. 70. A.
Ursinus Armenus. 298. E.
Ejus historia. 299. A. & *seqq.*
Ursus Princeps Beneventi. 7. D. 38. A.
Ursus Barensis Archiepiscopus. 46. C. & 153. B.
Ursus Episcopus Neapolitanus. 32. C.
Ursus Comes Compsinus. 18. E.
Vulpes, bellica machina. 347. E.
Warinus Regis Rogerii Cancellarius Terram-Laboris pro eodem tuetur. 634. A.
Joanni Ammirato conjunctus Aversam Regi fidelem conservare studet. Ibid. C.
Ejusdem sollicitudo in castris pluribus pro Rege servandis. 635. B.
Wido Episcop. Iporegiensis. 516. A.
Wilielmi Apuliæ Ducis mors. 616. C.
Wilielmi fratris Tancredi mors. 295. B.
Willelmus Comes Pictavienſis contra Danismam superatur, sed fugâ ab hostibus evadit. 330. D.
Wormatia rebellis Henrico V. 489. A.

Z

Zaberna, arca, armariolum. 379.
Zabulus, idest Diabolus. 366. B.
Zoë Imperatrix Græcorum. 42. B. & C. 43. B.
Zoto Dux Beneventi. 7. C.
Quo anno institutus. 8. D. & 165. D.

FINIS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google